BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
46 - F
11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

31
4
G
3

3.1.H.

c
19

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliotheca ... Coll. Rom. ...

R. P. IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII, E' SOCIETATE IESV,

DOCTRINÆ ASCETICÆ,

SIVE

Spiritualium inſtitutionum Pandectæ.

IVXTA RELIGIOSA INSTITVTA, MAXIME Ordinum Mendicantium, & conſtitutiones Societatis IESV.

IN QVIBVS

Ex ſacra Scriptura & ſanctis Patribus commendantur obſeruantiæ Religioſæ, & Regulæ Summarij earumdem conſtitutionum.

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,
Sumpt. Hær. Gab. Boiſſat, & Laurentij Aniſſon.
M. DC. XLIII.
CVM PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO D.
D. Ioanni Palafex
ET
Mendoza,
EPISCOPO FLAXCALENSI,
ELECTO ARCHIEPISC. MEXICANO.

TVA expoſcunt exempla meæ doctrinæ (ILLVSTRISSIME ANTISTES) ne langueſcant eneiues, quippe omnis ſine actu ſermo riget; nec penetrant verba, quæ operatio non impellit. Et quidem validiùs de forti dextra iactantur ſpicula. Æquo iure tuæ conſecro religioni hunc de Religioſis inſtitutionibus librum, ac S. Petrus Damianus pro Clericorum temperantia opuſculum Archipresbytero Laranenſi dicauit. Hanc ipſe rationem reddit, ut ſub eius illud euulgarit nomine:

Tantum valet iaculum, quanta virtus eſt *Opuſc. 18.*

 bella

bellatoris. Nam quantalibet timetur, & exacuatur induſtria, ſi brachium vibrantis elangueat, inſignis victoriæ manubias non reportat. At vbi bellator eſt ſtrenuus, per obtuſum quoque gladium cæſis hoſtibus aliquando fit triumphus. Nam & Goliath inſigni munitus gladio, non modò perdidit, ſed & percuſſus occubuit. Et Samſon cum vili mandibula aſini mille de Philiſthiim viros occidit. Hinc eſt quòd cùm Iether primogenitus Gedeonis gladium timuſſet educere, Zebeè, & Salmana Reges Madiar dixerunt Gedeoni: Tu ſurge, & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur eſt hominis. Itaque qui contra Clericorum luxum tanquam Tuetes iaculum fabrico, in nullius eum melius, quàm in tuis manibus pono.

Conſultè quoque in tuis pono manibus meas doctrinas; meas, inquam, verbis, tuas operibus. Clarior eſt exempli vox, atque è tua manu fœliciùs iactabuntur, fortiúſque religioſa penetrabunt pectora, cùm te videant extra cluſtra clauſtralium illucere moribus, & in Pontificali culmine religioſæ auſteritatis humilitate ſplendere Tua miror fœlicitata ſcripta tuæ authoritate pietatis, & eamdem meis ambio fortunam, vt quæ authori deſunt exempla, protector exhibeat. Sic præſtabit Patronus, quæ pater negauit. Suppetunt tibi opera, vt non modò Pontificiam dignitatem commendes, ſed vt religio

ligioſam edoceas profeſſionem. Verum eſt in te, quód dixit Ennodius:

Splendor Pontificis res,non lingua teſtetur; plus ducit claritas huius officij veritatis iudicio, quàm loquelæ. *Dict.11.*

Tua quidem claret, clarent tuæ Paſtorales epſtolæ, claret tuum de viro deſideriorum deſidratiſſimum volumen, clarent cætera tua pietais opuſcula plena. Clariora tua opera ſunt nihil præclarius exemplo. Hoc tua illuſtras ſcripta, & eodem opto ne mea ſordeſcant. Quod fiet ſi doctrinis meis tua obumbrent exempla, tuóque ſpiritu meæ fœcundentur litteræ. Ego religioſam obſeruantiam depingo, tu peragis; ego mortificationem moneo, tu operaris; ego auſteritatis leges deſcribo, tu obſeruas, ſiue potiùs tranſcendis, cum infulis tuis ſordeſcens comitetur cilicium, arida ieiunia, humicubationes; ego animarum zelum commendo, tu exerces, & mira capacitate ad profectum geminaris animarum; multus ad bonum publicum fis;nec ſatis modò ſacerdotalibus facis curis,ſed regiis; cum Epiſcopatu Regno Mexicano præfuiſti,ac ſi nihil ageres,cùm omnia agas: publicè Pontificem & Proregem; priuatim Monachum, & Anachoretam; & cum nullius aſtrictus religioſo Ordini ſis, omnium Ordinum inſtituta colis; imò ideo nulli aſtringeris, vt omnes amplectaris, quos ſanè

ã 3 ample

amplecteris affectu, imò dixerim & effectu, non modò amore, ſed obſeruantia. Tui erga religioſos Ordines affectus, & reuerentiæ teſtis ſum, ſæpiùs inter noſtra olim colloquia obſeruaui, quamquam reuerenter religiones omnes ſuſpiceres, ſæpius quàm feruidè imitareris. Vtroque propterea nomine in tuas noſtræ confugiunt religioſarum inſtitutionum doctrinæ. Accedunt veteris amicitiæ iura, cuius hocce monimentum oppignero, vt per commercia litterarum te alloquar abſentem, & me non præſens conuenias.

In vſu eſt (B. Ennodius ait) religionem amicitiæ per culturam nutrire colloquij, vt dum gratiæ germina fœtu confabulationis animantur, ad meſſem coniunctis fœderata perueniat; per hæc enim munia voluit ſenior prouidentia abſentiæ nihil licere.

Addo quod ipſe adiecit:

Sed nunc ad epiſtolæ anguſtias me ducens, ſecretis debitam laudem claudo penealibus, ne quod apud externos faciendum eſt, apud vós importunitate ranceſcat. Vale mi Domine, ſalutationem obſequentiſſimam accipias. Deum precor, vt proſpera veſtra in longum producens, mihi quoque ſecundis amicorum ſucceſſibus ſpondeat auctionem. Vale.

Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ

Deuotus ſeruus,

IOANNES EVSEBIVS Nieremb[erg]

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana.

FERDINANDVS VALDES Societatis IESV in prouincia Toletana Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſcho Præpoſito Generali, facultatem facio, vt liber inſcriptus, *Doctrina Aſcetica*, ſiue *Pandecta inſtitutionum ſpiritualium iuxta inſtituta religioſa, maximè Ordinum Mendicantium, & Conſtitutiones Societatis* IESV, *authore P. Ioanne Euſebio Nirembergio*, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Madriti in noſtro imperiali Collegio Idibus Ianuarij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono.

FERDINANDVS VALDES.

CENSVRA OPERIS.

NOS infraſcripti teſtamur, nihil nobis in hoc Opere, inſcripto, *P. Ioannis Euſebij Niembergij Doctrina Aſcetica*, prorſus occurriſſe à bonis moribus, & Catholica fide, ac Theologorum placitis alienum. In cuius rei fidem hoc teſtimonium, manu noſtra ſubſcriptum, dedimus. Lugduni 10. Octobris 1641.

IOSSEPH GIBALINVS, è Soc. IESV.

CAROLVS DV LIEV, è Soc. IESV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

EGO Ioannes Gayetus, Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis: Opus, quod inſcribitur, *Ioannis Euſebij Nierembergij Doctrina Aſcetica*, trium Societatis eiuſdem Theologorum iudicio probatum, iuxta priuilegium concessum Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14 Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſſione imprimant: Permitto LAVRENTIO ANISSON, Bibliopolæ Lugdunenſi, vt ad decem proximos annos excudere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni, 28. Octobris 1641.

IOANNES GAYETVS.

Imprimendi Facultas.

IOANNES Claudiùs de Ville, in ſacra Theologia Magiſter, in Eccleſia S. Crucis Cuſtos, & D. D. Alphonſi Ludouici du Pleſſis de Richelieu, Eminentiſſimi Cardinalis ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis, Vicarius Generalis Subſtitutus: Opus inſcriptum, *Ioannis Euſeby Nierembergy Doctrna Aſcetica*, à Theologis viſum & approbatum, in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni die 30. Ianuarij 1642.

DE VILLE.

CONSENSVS.

OPVS hoc inſcriptum, *Ioannis Euſebij Nierembergij Doctrina Aetica*, typis mandari, & in lucem edi ſumptibus LAVRENTII ANISSONI Bibliopolæ Lugdunenſis, Ego Regis Conſiliarius, & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Lugduni, die 26. Iunij, 1640.

PVGT.

PERMISSIO.

LIBRVM, qui inſcribitur, *Ioannis Euſebij Nierembergij Doctrin. Aſcetica*, à LAVRENTIO ANISSON typis mandari permittimus; ac mul, ne quis citra factam ei poteſtatem denuò excudat, interdicimus. ugduni, die 26. Iunij, 1640.

SEVI

RATIO

RATIO EORVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR,

& inſtituta ex Conſtitutionibus Societatis IESV, & Regulis Summarij, quæ commendantur.

LIBER I.

A Doctrina I. exponitur Conſtitutionum neceſſitas, ex Regula 1. Summarij, & ex procemio Conſtit. §.1.

A Doctrina III. commendatur finis viuendi in Societate, ex Reg.2. Summ. & Exam. cap.1.§.2.

A Doctrina IX. commendatur vita, & labor operariorum Euangelicorum, ex Reg.3. & Conſt. part.3.cap.2. & part.6.cap.3 §.5.

A Doctrina X. declaratur ratio viuendi, ex Reg.4. Summ. & Exam. cap.1.§.6.

LIBER II.

A Doctrina I. agitur de Sacramentorum vſu, & examine conſcientiæ, ex Reg. 5.6.7. Summ. & Conſtit.

A Doctrina XIII. quomodo ſit exuendus inordinatus ſæculi affectus, ex Reg.8. Summ. & Exam. cap.4.§.7.

A Doctrina XIV. agitur de vera ſui abnegatione, ex Reg. 9.10. Summ. & Exam. c.4.§.8.

LIBER III.

A Doctrina I. & II. proponitur IESVS CHRISTVS *imitandus, ex Reg.11. Summ. & Exam.cap.4.§.44.*

A Doctrina III. quo pacto mortificatio in omnibus ſit quærenda, ex Reg.12. Summ. & Exam. cap 4.§.46.

A Doctrina IV. commendantur officia humilia promptiùs ſuſcipienda, ex Reg.13. & 14. Summ. & Exam. cap.4.§.28 & Conſt.part.3.cap.1.§.13.

A Doctrina V. docetur quo pacto in abſoluta Religioſi inſtituti obſeruantia nihil prætermittendum ſit, ex Reg.15. & Conſtit.part.6.cap.1.§.1.

LIBER IV.

A Doctrina I. commendatur ſtudium ſolidarum virtutum, ex Reg. 16. Summ. & Conſtit. part.10 §.2.

A Doctrina III. & IV. commendatur recta intentio in rebus omnibus, ex Regul.17. Summ. & Conſtit.part.3.cap.1.§.26.

A Doctrina V. quid tractandum domeſticè, ex Reg.18 Summ. & Conſtit.p.3.cap.1.§.21.

A Doctrina VI. & VII. quo pacto liberaliter & exactè ſeruiendum ſit Deo, ex Regul.19. & 20. Summ. & Conſtit.

A Doctrina VIII. & IX. commendatur ordo exercitiorum, & deuotio procuranda, ex Reg.21. Summ. & Conſtit.part.3.cap.1.§.20. & part.4.cap.4.§.3. & 4.

A Doctri

A Doctrina X. quomodo ab illuſionibus, & tentationibus cauendum, ex Regul. 22. *Summ. & Conſtit. part.* 3. *cap.* 1. §. 10.

Liber V.

A Doctrina II. quo pacto paupertas dirigenda & colenda, ex Reg. 23. 24. 25. & 26. *& Conſtit.*

A Doctrina III. quomodo gratis miniſteria ſpiritualia exercenda ſint, ex Regul. 27. *Summ. & Conſtit. part.* 6. *cap.* 2. §. 7. *ac Exam. cap.* 1. §. 3.

A Doctrina IV. caſtitatis, ſenſuúmque cuſtodia commendatur, ex Regul. 28. 29. & 30. *& Conſtit.*

A Doctrina VIII. quàm ſit obedientia exactè colenda, ex Reg. 31. 32. 33. 34. 35 36. 37. 38. 39. *Summ. & Conſtit.*

A Doctrina IX. quomodo ſit reddenda ſui ratio, ex Reg. 40. & 41. *& Conſtit.*

Liber VI.

A Doctrina I. & II. commendatur vnio & conformitas mutua, ex Reg. 42. & 43. *Summ. & Conſtit.*

A Doctrina III. otium & ſæcularia negotia vitanda, ex Regul. 44. & 45. *Summ. & Conſtit.*

A Doctrina VI. quæ ratio habenda valetudinis & pœnitentiarum, ex Reg. 46. 47. 48. *Summ. & Conſtit.*

A Doctrina VII. quid obſeruandum ægritudinis tempore, ex Reg. 49. & 50. *Summ. & Conſtit.*

A Doctrina VIII. quantopere ſint obſeruandæ Conſtitutiones & Regulæ, ex Reg. 51. & 52. *Summ. & Conſtit.*

INDEX

INDEX DOCTRINARVM.

LIBER PRIMVS.

DOCTRINA I. DE charitate radice vitæ Aſceticæ, *à cap.1. vſque ad 6.*
II. Quomodo iuſtis lex non eſt poſita, *à cap.7. vſque ad 14.*
III. De ſtudio perfectionis, *à cap.15. vſque ad 24.*
IV. De obligatione Religioſorum tendendi ad perfectionem, *à cap. 25. vſque ad 36.*
V. De perfectione Religionum Mendicantium circa ſalutem animarum, & zelum iuuandi proximos, *à cap.37. vſque ad 51.*
VI. De perfectione vitæ mixtæ, & zelo animarum, *à cap.52. vſque ad 60.*
VII. De oratione neceſſaria operariis Euangelicis, *à cap.61. vſque ad 70.*
VIII. De oratione, *à cap.71. vſque ad 81.*
IX. De conditionibus operarij Euangelici, *à cap.82. vſque ad 90.*
X. De vita communi, *à cap.91. vſque ad 96.*
XI. De aſperitatibus & pœnitentiis, *à cap.97. vſque ad 102.*

LIBER SECVNDVS.

DOCTR. I. DE purificando per confeſſionem corde, *à cap.1. vſque ad 6.*
II. De conſcientia examinanda, *à cap.7. vſque ad 16.*
III. De particulari conſcientiæ ſcrutinio, *à cap.17. vſque ad 20.*
IV. De ſacræ communionis vſu, ſacrificio Miſſæ, & dignitate ſacerdotali, *à cap 21. vſque ad 26.*
V. De præparatione ad Euchariſtiam, *à cap 27. vſque ad 30.*
VI. De renouatione ſpiritus, *à cap.31. vſque ad 45.*
VII. Quomodo per triduum renouandus ſit ſpiritus, vbi agitur de renouatione cordis, *à cap.46. vſque ad 49.*
VIII. De renouatione oris, *à cap.50. vſque ad 53.*
IX. De renouatione operum, *à cap.54. vſque ad 60.*
X. Quomodo peccata venialia contriſtent Spiritum ſanctum, *à cap. 61. vſque ad 65.*
XI. Quantopere obſtent culpę veniales vnioni animæ cum Deo, *à cap.66. vſque ad 71.*
XII. De pœnis peccatorum venialium, *à cap.72. vſque ad 79.*
XIII. De affectu erga cognatos moderando, *à cap.80. vſque ad 90.*
XIV. De correctione fraterna, & delatione paterna, *à cap 91. vſque ad 101.*

LIBER TERTIVS.

DOCTR. I. DE imitatione Chriſti Domini, *à cap.1. vſque ad 12.*
II. De fugiendis honoribus, *à cap.13. vſque ad 26.*

III. De

III. De mortificatione, *à cap. 27. vſque ad* 33.
IV. De humilitate, *à cap.* 34. *vſque ad* 46.
V. De cura rerum exiguarum, *à cap.* 47. *vſque ad* 51.
VI. Quòd nihil ſpernendum ſit, *à cap.* 52. *vſque ad* 56.
VII. De diligentia, *à cap.* 57. *vſque ad* 59.
VIII. Contra ignauos & negligentes, *à cap.* 60. *vſque ad* 72.

LIBER QVARTVS.

Doctr. I. De virtutibus ſolidis, *à cap.* 1. *vſque ad* 6.
II. De ſapientiæ & virtutis æſtimatione, *à cap.* 7. *vſque ad* 14.
III. De puritate intentionis, *à cap.* 15. *vſque ad* 25.
IV. De præſentia Dei, *à cap.* 26. *vſque ad* 32.
V. De bono ſermonis vſu, *à cap.* 33. *vſque ad* 38.
VI. De magnanimitate ſpirituali, *à cap.* 39. *vſque ad* 42.
VII. De excellentia qua operari debemus, *à cap.* 43. *vſque ad* 47.
VIII. De ordine exercitiorum quotidianorum, & cooperando Dei gratiæ, *à cap* 48. *vſque ad* 51.
IX. De conſuetudine, *à cap.* 52. *vſque ad* 53.
X. De dolis Dæmonum, & tentationibus, *à cap.* 54. *vſque ad* 65.

LIBER QVINTVS.

Doctr. I. De votis Religioſis, *à cap.* 1. *vſque ad cap.* 5.
II. De paupertate, *à cap.* 6. *vſque ad* 17.
III. De paupertate conuenienti operariis Euangelicis, *à cap.* 18. *vſque ad* 19.
IV. De caſtitate, *à cap.* 20. *vſque ad* 38.
V. De modeſtia, *à cap.* 39. *vſque ad* 40.
VI. De legibus modeſtiæ S. Ignatij Patris noſtri, *cap.* 41.
VII. De modeſtia linguæ, *à cap.* 42. *vſque ad* 46.
VIII. De obedientia, *à cap.* 47. *vſque ad* 63.
IX. De conſcientiæ ratione Patri ſpirituali reddenda, *à cap.* 64. *vſque ad* 70.

LIBER SEXTVS.

Doctr. I. De pace, & conſenſu conuerſationis ſeruando, *à cap.* 1. *vſque ad* 6.
II. De vnione fratrum, *à cap.* 7. *vſque ad* 25.
III. De damnis otij, *à cap.* 26. *vſque ad* 35.
IV. De tempore bene occupando, *à cap.* 36. *vſque ad* 37.
V. De tepidis, *à cap.* 38. *vſque ad* 52.
VI. De moderanda corporis cura & pœnitentiis, *à cap.* 53. *vſque ad* 57.
VII. Quomodo in morbis gerendum, *à cap.* 58. *vſque ad* 62.
VIII. De obſeruandis regulis, *à cap.* 63. *vſque ad* 69.

INDEX

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

DOCTRINA I.

Cap. 1. RADIX *ſanctæ vitæ charitas eſt, à cuius commendatione præcipuæ Monachorum inſtitutiones exordium ſumunt.* pag. 1
2. *Charitas radici Nardi ſimilis, & primum de pondere eius agitur.* 2
3. *De pinguedine & ſuauitate charitatis, vera deuotio ex bonis operibus oſtenditur.* 3
4. *Quàm compendioſa ſit charitas?* 4
5. *Per patientiam & laborem corporis anima pulchritudinem auget.* 5
6. *Quomodo ex toto corde, & anima ſit Deus diligendus, & miſericorditer proximus iuuandus.* ibid.

DOCTRINA II.

7. M*axima eſt iuſtorum regula, & lex charitatis, quæ cæterarum legum onus excludit.* 6
8. *Iuſto non eſt lex poſita ratione charitatis, quatenus nullam moleſtiam legum & inſtitutorum ſentiet.* 7
9. *Priuilegium charitatis per quam quod alÿ timent, iuſtus concupiſcit animo & corpore.* 8
10. *Non eſt lex poſita, quatenus à charitate intus docetur, quod exterius à lege.* ibid.
11. *Iuſto non eſt lex poſita, non ſolùm quia vltrò faciet, quod leges præcipiunt, ſed quia vlterius plures & maiores virtutes exercet quàm leges dictant.* 9
12. *Iuſtus per charitatem tranſcendit leges in fine ipſarum legum conſtitutus: & quomodo charitas ſit finis, & medium præſtantiſſimum totius acquirendæ perfectionis.* 10
13. *Sententia B Laurentÿ Iuſtiniani de charitatis lege.* 11
14. *Exhortatio ad charitatem religioſæ vitæ neceſſaria ex B. Petro Damiano.* 12

DOCTRINA III.

15. C*ommendatur ſtudium perfectionis ſpiritualis.* 13
16. *Quomodo in charitate ſit perfectio vitæ ſpiritualis.* 14
17. *Omnes concupiſcendi rationes ex ingenio, natura, & gratia in deſiderium perfectionis confluunt.* ibid.
18. *Super omnia mundi bona deſideranda eſt perfectio; ipſiuſque deſiderium maximi faciendum.* 15
19. *De ſuauitate perfectionis, quæ in rebus minutis conſiſtit.* 16
20. *Quomodo perfectio, quæ regnum Dei eſt, excedat mundi regna.* ibid.
21. *Quot deſiderÿs ad perfectionem currendum ſit?* 17
22. *Quantum iuuet oratio conſequutionem perfectionis.* 18
23. *Quod plurimum iuuabit conſequutionem perfectionis & mortificatio.* ibid.
24. *Vehemens, & efficax deſiderium perfectionis remittit pœnas peccatorum inſtar ſecundi Baptiſmatis.* 19

DOCTRINA IV.

25. O*bligatio Religioſorum ad procurandam perfectionem.* 21
26. *Dicta aliquorum Patrum & Doctorum myſticorum, Scholaſticorum, atque moralium circa obligationem Religioſi tendendi ad perfectionem.* ibid.
27. *Ratio Patrum, cur Religioſi teneantur ad perfectionis curam.* 23
28. *Aliorum ratio, cur teneatur Religioſus conari ad perfectionem.* ibid.

29. *Religioſus non tendens ad perfectionem, ſimulator, & mendax, & hypocrita eſt, iuxta S.Thomam & alios Doctores.* ibid.
30. *Ex multorum ſententia Religioſus tenetur tendere ad perfectionem, propter periculum labendi in peccatum graue.* 24
31. *Nonnulli cenſent teneri Religioſum tendere ad perfectionem, ne obfirmet animum contra Spiritus ſancti inſpirationes.* 25
32. *Sic tenetur Religioſus tendere ad perfectionem, vt ſi contemnat illam, peccet mortaliter.* ibid.
33. *Aliæ rationes, propter quas tenetur Religioſus tendere ad perfectionem.* 26
34. *Quæ ſint certa ex omnium ſententia circa obligationem Religioſorum perfectionis procurandæ.* ibid.
35. *Qualis debeat eſſe perfectus Religioſus, cuius definitio traditur ex S.Ioanne Climacho.* 27
36. *Quàm periculoſa ſit vita Religioſorum negligenter viuentium, & non tendentium ad perfectionem.* 28

DOCTRINA V.

37. *QVam perfectè religiones Mendicantium imitentur Chriſtum in procuranda ſalute animarum; quanti hoc ſtudium fecerit Dominus.* 30
38. *Cæteras virtutes vincit Zelus animarum.* 31
39. *Quomodo zelus animarum iuxta ſanctos Patres ſuperet aliarum virtutum actus, abſtinentias, aſperitates, & pœnitentias?* 32
40. *Studium iuuandi proximorum, ſuperat omnes virtutes morales, & præſtantiſſima virtutis Religionis opera.* ibid.
41. *Studium & labor iuuandi ſalutem proximorum excedit contemplationem.* 33
42. *Iuuare ſalutem proximi præſtantius eſt quàm martyrium conſideratum ſecundùm propriam virtutis ſpeciem.* 34
43. *Studium iuuandi proximos excedit omnem gratiam miraculorum.* ibid.
44. *Iuuare ſalutem animarum præſtantiſſimum miſericordiæ opus excedit incomparabiliter eleemoſynam.* 35
45. *Studium conuertendi animas non ſolùm cæterarum virtutum opera, ſed alia charitatis opera etiam ſpiritualia excedit.* ibid.
46. *Nihil Deo gratius animarum zelo.* 36
47. *Quomodo S.Paulus & alij Sancti omnibus rebus prætulerint iuuare proximos.* ibid.
48. *Summus gradus religioſæ vitæ eſt in animarum ſalute occupari, docendo, & prædicando, quod perfectius eſt, quàm vita merè contemplatiua.* 38
49. *Præfulgentiſſima aureola inter cæteros Sanctos, & Angelos, emicabunt in gloria ij, qui Zelo animarum viam ſalutis docent, & iuuant proximos.* 41
50. *Menſa, cui panes propoſitionis imponebantur, eos, qui iuuant proximos, denotat.* 42
51. *Proprietates auri congruunt charitati, & vitæ feruidæ Apoſtolicorum virorum.* 43

DOCTRINA VI.

52. *EXpenditur locus Canticorum de præſtantia vitæ mixtæ.* 44
53. *Quanta mortificatio & virtus neceſſaria eſt ijs, qui cum peccatoribus agunt, vt eos conuertant.* ibid.
54. *Quæ ſit maior perfectio in hac vita, vnio & contemplatio paſſiua, an actiua.* 45
55. *Quàm liberalis gratiarum, & ſpiritualium bonorum ſit Deus erga eos qui iuuant ſalutem animarum.* 46
56. *Zelus animarum inæſtimabilis eſt virtus propter dignitatem & excellentiam animæ.* ibid.
57. *Quàm inæſtimabilis ſit vna anima, poſtquam pro ea ſanguis Chriſti effuſus eſt.* 47
58. *De conditione Zeli diuini.* 48
59. *Quàm vtilis ſit propria ſaluti & ſignum prædeſtinationis Zelus animarum.* 49
60. *Ad imitationem primorum Patrum feruidè laborare debemus in procuranda ſalute animarum.* 50

DOCTRINA VII.

61. *ACtio zeli ſancti ex oratione debet promanare.* 53
62. *Ij plus tenentur orare, qui plus exterius occupantur pro ſalute animarum.* 54
63. *Cur maius orationis ſtudium neceſſarium ſit ijs, qui in ſalute animarum occupantur?* 55
64. *Commendatur omnibus orationis ſtudium.* 56

65. Ex

65. *Ex aliquibus Patribus commendatur oratio.* ibid.
66. *Eximium documentum, vt orationi nos tradamus.* 57
67. *Oratio comparatur aromatibus.* ibid.
68. *Valor orationis auro comparatur.* 58
69. *Altare aureum eſt ſtudioſus orationis.* ibid.
70. *Angeli & Chriſtus repræſentant Deo Patri noſtras orationes.* 59

DOCTRINA VIII.

71. *THymiamati comparatur oratio.* ibid.
72. *Illuminat orationis ſtudium.* 60
73. *Iucunditas cæleſtis conuerſationis.* ibid.
74. *Neceſſitates ſpirituales exigunt orandi exercitium.* 61
75. *Eximium orationis priuilegium coniungere nos Deo.* 62
76. *Quatuor modi orandi ex Apoſtolo Paulo.* ibid.
77. *Iugis oratio decet Apoſtolicos viros & occupatos in procuranda ſalute animarum.* 63
78. *Omnes noſtras actiones debet comitari Chriſti Domini memoria vt bene accidant.* 64
79. *Orationes iaculatoriæ frequentandæ.* ibid.
80. *Orandum longiùs manè & nocte, atque ſtatis diebus.* 65
81. *Exempla virorum valde occupatorum, qui largiter orationi vacarunt.* ibid.

DOCTRINA IX.

82. *EQuàm diuini gloriæ ſunt viri Apoſtolici.* 66
83. *Quàm arduum & glorioſum & vtile ſit diuinam gloriam vnicè quærere.* 67
84. *Quanta animi magnitudine gloria Dei debeat quæri.* ibid.
85. *Quanta obedientia, abnegatio & humilitas neceſſaria ſit viris Apoſtolicis.* 69
86. *Quàm fideliter gloria Dei quærenda ſit.* 70
87. *Quàm velociter res diuinæ gloriæ peragenda ſit.* 71
88. *Quanta patientia neceſſaria ſit viris Apoſtolicis.* 72
89. *Glorioſiſſimum eſt pati pro Dei gloria, & animarum ſalute.* 73
90. *Proponitur S. Pauli exemplum.* 75

DOCTRINA X.

91. *RAtio vitæ communis electa fuit à Chriſto Domino, quam S. Ignatius eſt imitatus.* 76
92. *Quomodo* IESVS CHRISTVS *habuit rationem vitæ communis* 77
93. *Quomodo ad perfectionem pertineat vita communis in Chriſto & Apoſtolis.* 78
94. *Cum vita communi componi poſſunt multæ auſteritates.* 80
95. *Cum vita communi componuntur multi labores.* 81
96. *Cum vita communi componitur eximia paupertas.* 83

DOCTRINA XI.

97. *POEnitentiarum & auſteritatum laus, vtilitas, & neceſſitas* 84
98. *Pœnitentiæ potiſſimum neceſſariæ ſunt ijs, qui ſalutem animarum quærunt, & vitam mixtam agunt.* ibid.
99. *Ratione contemplationis neceſſaria ijs, qui vitam mixtam agunt; neceſſarius quoque eſt rigor ijs qui ſaluti animarum incumbunt.* 85
100. *De auſteritatibus & pœnitentijs non eſt præſumendum, cùm in eis ſolis non ſtet perfectio, & multa ſint præſtantiora virtutis opera.* 86
101. *Tepiditas pœnitentiarum nullius prætextu regulæ excuſanda eſt.* 88
102. *Non poteſt eſſe perfectior regula noſtra circa auſteritates.* ibid.

LIBER SECVNDVS.

DOCTRINA I.

CAP. I. RATIO *habenda purificandæ conſcientiæ.* 92
2. *Vſus generalis confeſſionis.* 93
3. *Confeſſione generali renouanda ad ſtata tempora vires ſpirituales.* 94
4. *Non variandus Confeſſarius.* ibid.
5. *Inſtituta religioſa pro Confeſſionis frequentia.* 95
6. *Vtilia documenta S. Bonauenturæ circa confeſſionem Religioſorum.* 96

Index Capitum.

DOCTRINA II.

7. VSus ſeruandæ conſcientiæ commendatur, maximè teſtimonijs Scripturæ. ibid.
8. Patrum auctoritate ſcrutinium diligens conſcientiæ ſuadetur. 97
9. Commendatio examinis conſcientiæ, ex Thoma de Kempis. 98
10. Ratione demonſtratur vtilitas examinandæ conſcientiæ. 99
11. Latiſſimè patet examen Religioſi. 200
12. Optima ratio examinandi ſe. ibid.
13. Circa zelum animarum quæ ſint examinanda. 102
14. Examinanda ſunt media, quibus iuuare proximos poſſimus. 103
15. Quæ pertineant ad examen coadiutorum temporalium. ibid.
16. Optima methodus boni examinis in executione ad ipſam realem emendationem defectuum. 104

DOCTRINA III.

17. INſtituenda eſt particularis ſolicitudo alicuius vitij extirpandi. 105
18. Sententia Eutropij & Bernardi de natura vitiorum, & peculiari eorum impugnatione. 108
19. Praxis S. Ignatij pro peculiari vitiorum virtutúmque examine. 109
20. Quanta puritas cordis Religioſi procuranda eſt ad exemplum habitantium in ciuitate Dauid. 110

DOCTRINA IV.

21. EVchariſtiæ ſumptio frequentanda. ibid.
22. Quotidie celebrare debent Sacerdotes. 111
23. Confirmatur ex reuelatione facta B. Alano quotidianæ celebrationis vſus. 112
24. Aliquot excellentiæ dignitatis ſacerdotalis, vt quotidie celebrare non negligant Sacerdotes, ex B. Alano, & S. Hugone. 113
25. Qua puritate & intentione debeant celebrare Sacerdotes. 118
26. Quæ damna ſequantur indignè accedentes ad Euchariſtiam. 119

DOCTRINA V.

27. HVmiles, puri, & magno amoris æſtu ardentes ſuſcepturi ſumus corpus Chriſti. 121
28. Præparatio ad ſacram communionem, ex B. Franciſco Borjia. 123
29. Quid poſt communionem agendum? 124
30. Reuerentia debita Chriſto in Euchariſtia. 125

DOCTRINA VI.

31. REnouatio ſpiritus neceſſaria eſt, quoniam facilè inquinamur. 127
32. Expurgatio peccatorum venialium. 128
33. Secunda purgatio pœnarum peccatis debitarum. 129
34. Tertia purgatio malorum habituum. ibid.
35. Quarta purgatio reliquiarum peccati. 130
36. Quæ potiſſimè purganda ſunt in renouatione? ibid.
37. Feruida & veloci ſuſcitatione ſomnolentia ſpiritualis excutienda eſt. 131
38. Peccata venialia vincula ſunt. 132
39. Dupliciter eripi poſſumus vinculis noſtri cordis, illuſtratione Dei, & mortificatione noſtra. 133
40. Animosè eſt inſtauranda renouatio ſpiritus. 134
41. Virtus perſeuerando intenditur. 135
42. Humilitas perſeuerantia intenditur. 136
43. Patientia comes perſeuerantiæ. 137
44. Oratio perſeuerantiam alit. 138
45. Deuotio iuuat perſeuerantiam. ibid.

DOCTRINA VII.

46. QVid faciendum in triduo quo vtitur Societas IESV ad renouationem ſpiritus. 139
47. Tribus rebus renouari, ſeu reformari debet intellectus. 140
48. Quibus rebus renouari, & reformari debeat voluntas. 141
49. Pia ſeruiendi Deo deſideria inflammanda ſunt. 143

DOCTRINA VIII.

50. SIlentij diſciplina reformat ſermonem. 144
51. Vtiliter aliquando non ſilendum. 145

52. Quæ

52. Quæ verba vitanda ſint? 146
53. Plura contra detractoria verba. 147

DOCTRINA IX.

54. Reformatio, ſeu renouatio operum, ſeu corporis. 149
55. Membra quibus peccauimus potiſſimum reformanda ſunt. 150
56. Opera bona hilariter facienda ſunt. ibid.
57. Bona fortiter exequenda. 151
58. Iugiter bene operandum. 152
59. Cupidiſſimè placere Deo debemus bonis operibus. 153
60. Doctrina Galfridi de ſcrutinio intentionis, & operum noſtrorum. 154

DOCTRINA X.

61. De peccatis venialibus, quomodo lætitiam animæ auferant, & in plura mala inducant. ibid.
62. Quo pacto peccata venialia contriſtent Sanctos & ſpiritus Angelicos. 156
63. Quomodo per peccata venialia contriſtetur Spiritus ſanctus. 157
64. Fructum Sacramentorum quantum impediant peccata venialia. 158
65. Quo ſenſu culpæ veniales ſint peccata in Spiritum ſanctum, & quàm periculoſum ſit eas contemnere. 159

DOCTRINA XI.

66. Peccata venialia Spiritui ſancto valde obſtant, & impediunt intimam vnionem cum Deo. 161
67. Quàm fœditatem operentur in anima culpæ veniales. 162
68. Quomodo Deus elongatur ab anima per peccata venialia. 163
69. Peccata venialia inducunt in mortalia, reſeratis quinque mortis ianuis. 164
70. Quàm timenda ſint peccata venialia, quoniam ipſa poſſunt tranſire in mortalia. ibid.
71. Noxij alij effectus peccatorum venialium. 166

DOCTRINA XII.

72. Malitia peccati venialis ex pœna ſua grauitate colligenda eſt. 167
73. Pœna mortis inflicta à Deo propter peccatum veniale. 168
74. Miſerandis morbis, & grauiſſimis alijs ſupplicijs peccata venialia puniuntur. 169
75. Peccantium venialiter corpora dæmones occuparunt. 170
76. Grauiora peccatorum venialium ſupplicia ex ſubſtractione diuini auxilij. 171
77. Quantis in Purgatorio pœnis peccata venialia expientur. 172
78. Admiranda viſio P. Ioannis Fernandi. 173
79. Rigidè cuique punienda culpæ leuiſſimæ. 174

DOCTRINA XIII.

80. Cognatorum affectus deponendus eſt, exemplo Leuitarum. 175
81. In nouo Teſtamento diſtrictiùs reprobatur tenera cognatorum affectio. 176
82. Quomodo Chriſtus Dominus ſe geſſit cum ſua ſanctiſſima Matre, vt nos doceret deponere paruum cognationis affectum. 178
83. Quibus ex cauſis cognati vitandi ſunt à viris ſpiritualibus. 179
84. Quàm periculoſos Religioſis cognatos experientia docuit. Et quomodo Sancti ſe geſſerunt cum conſanguineis. 180
85. Tunc vtiliſſimus Religioſus eſt ſuis cognatis, cùm eorum obliuiſcitur. 181
86. Doctrina S. Baſilij de vitandis propinquorum congreſſibus. 182
87. Sententia S. Gregorij de laqueis, & impedimentis quæ obijciunt cognati viris ſpiritualibus. 183
88. Dictum S. Bernardi, ex perſona cuiuſdam Monachi ad parentes ſuos. 184
89. Quomodo vtendum naturali affectu, ex D. Aëlredo. 185
90. Chriſtus eſt habendus loco parentum, & rerum omnium, ex S. Petro Damiano. 186

DOCTRINA XIV.

91. Debent maximè viri ſpirituales monere ſe viciſſim cum charitate, & iuuare in profectu perfectionis. ibid.
92. Vſitatus priſcis patribus corripiendi mos. 188
93. Quam obligationem ſeſe inuicem admonendi habeant Religioſi. 189
94. Quàm conſentanea doctrinæ Sanctorum ſit Regula Societatis IESV circa correctionem fraternam, & deferendos defectus ad Superiorem. 190
95. Aliquot Scholaſticorum dicta. 192
96. Peculiaris cauſa in Societ. IESV huius correptionis fraternæ, & delationis paternæ. 193

97. *Quæ delicta non ſolùm poßint, ſed debeant deferri.* 194
98. *Correptio & delatio qua charitate, humilitate & alijs virtutibus ſit facienda.* 195
99. *Non ſunt iudicanda aliena facta, ex Rikelio.* 197
100. *Quando liceat iudicare.* 198
101. *Qualiter delatus debeat ferre correptionem, & ex ea proficere.* 199

LIBER TERTIVS.

DOCTRINA I.

CAP. I. IMITATIO IESV CHRISTI *fuit ex præcipuis cauſis incarnandi filij Dei.* 201
2. *Commendatur imitatio vitæ & virtutum filij Dei.* 202
3. *Ex perſona diuina dignitate moueri debemus ad imitationem Chriſti Domini.* ibid.
4. *Ex ingentibus laboribus, & cruciatibus, quot paſſus eſt filius Dei, vt ipſum imitaremur, moueri tenemur exemplum eius ſequi.* 203
5. *Quomodo Chriſtus non tantùm oſtendit nobis viam ſalutis, ſed ipſe factus eſt via.* 204
6. *Tria officia Chriſti Domini, & quomodo per illa tenemur ad illius imitationem, vt eius doctrinam & paſsionem vbertim participemus.* 205
7. *In quibus potiſsimum rebus imitari oportet Chriſtum Dominum.* 206
8. *Quanti debeat facere anima deuota Chriſti* IESV *imitationem.* 207
9. *Sententia S. Bonauentura de imitatione* IESV CHRISTI. 208
10. *Proponuntur tres Societates* IESV, *vt Chriſtum imitemur, ex B. Angela de Fulgino. Agitur de prima Societate* IESV, *quæ fuit ſumma paupertas.* ibid.
11. *De ſecunda Societate Domini noſtri* IESV CHRISTI, *quæ fuit voluntarius contemptus & abnegatio ſui ipſius.* 211
12. *De tertia Societate, quæ ſemper Dominum noſtrum* IESVM *aſſociauit, quæ fuit ſummus & continuus dolor.* 212

DOCTRINA II.

13. *Spirituales homines fugiunt videri hominibus illuſtres.* 218
14. *Honores contemnendi, & dignitates fugiendæ propter imitationem filij Dei.* 219
15. *Aliæ duæ cauſæ, cur honores ſint ſeruis Dei fugiendi.* 220
16. *Declinandi ſunt honores huius vitæ, ne futura præmium defraudent.* 221
17. *Quanta pericula honoribus & dignitatibus immineant.* 222
18. *Aliæ rationes cur honores declinandi ſint.* 223
19. *Quomodo ij qui volunt honorari, humilientur.* ibid.
20. *Reuelatio facta cuidam ſanctæ animæ de fugiendis præſidendi muneribus.* 224
21. *Honores & Prælaturas non niſi cogat obedientia, admitti oportet.* 225
22. *Quiſque ſibi in humilitate attendere debet, ex B. Iſaia Abbate.* ibid.
23. *Non ſolùm honos eſt fugiendus, ſed humilitas amplexenda.* 226
24. *Amor humiliationis commendatur, ex ſpiritualiſsimo viro Gerlaco.* ibid.
25. *Exempla contemnentium honorem humanum.* 227
26. *Quomodo & quando proſpiciendum honori proprio.* 228

DOCTRINA III.

27. *De quatuor conditionibus mortificationis, quibus morti ſimilis eſt.* 229
28. *Lex ſeruorum Dei mortificatio.* 230
29. *Iuſtiſsima legis conditiones congruunt mortificationi.* 231
30. *Quomodo debeamus Chriſto pro nobis mortuo mortificationis tributum.* 232
31. *Officium Religioſum eſt mortificatio.* ibid.
32. *Omnium malorum remedium, bonorúmque cauſa eſt mortificatio.* 233
33. *Ex Dialogis S. Catharina Senenſis oſtenditur perfectio mortificationis, & omnimoda abnegationis.* 234

DOCTRINA IV.

34. *Humilitas Angelica virtus.* 237
35. *Humilitatis virtutem Dominus maieſtatis è cœlo detulit, & docuit primus.* 238
36. *Humilitas neceſſaria ſaluti, & cœlo conſequendo, cœleſtis virtus meritò dicitur. Et quomodo*

modo ſine confuſione debeamus Deo ſeruire. 239
37. *Humilitas gratiſſima Deo eſt & honoratiſſima virtus.* 240
38. *De confuſione & cognitione ſui quàm debent habere humiles.* 241
39. *Exercitium propria confuſionis,ex B.Franciſco Borgia.* ibid.
40. *Conſiderationes aliquot ad cognoſcendam propriam fragilitatem, ex Venerabili Thoma Malleolo.* 243
41. *Humiles gaudent humiliatos eſſe.* 244
42. *Humilitas virtus eſt fortis,patiens,prudens,contemplatiua.* 245
43. *Humilitatis eſt honorare Deum & homines,hiſque libenter ſummitti.* 246
44. *Qualiter humiliari & ſubijci hominibus debeamus.* 247
45. *Varij humilitatis gradus.* 248
46. *De magnanimitate humilium,ex Venerabili Gerlaco Dauentrienſi.* 249

DOCTRINA V.

47. *DE minimis magnopere curandum eſt ad conſequendam perfectionem.* 250
48. *Exigua obſeruantia maioris momenti ſunt quàm creduntur.* 251
49. *In paruis rebus ſolet latere maxima virtus, qua aut perfectionem iuuet,aut impediat.* 253
50. *Minima res ſunt occaſiones maximarum.* 254
51. *Non minus ſolent ſpiritum affligere parua immortificationes, quàm magna.* ibid.

DOCTRINA VI.

52. *NIhil contemnendum eſt,quantumuis exiguum videatur.* 255
53. *Minimi defectus magnopere euitandi ſunt.* 256
54. *Minima virtutum officia exercenda.* 257
55. *Qualibet minima mortificationes non pratereunda.* ibid.
56. *De minimis beneficijs grati etiam debemus eſſe Deo.* 258

DOCTRINA VII.

57. *MVltis Dei promiſſis & minis tenemur diligentiſſimè agere res diuini obſequij.* ibid.
58. *Quàm exoſa & maledicta ſit negligentia in diuino obſequio.* 259
59. *Gratiſſima Deo diligentia.* 261

DOCTRINA VIII.

60. *DAmna ignauia & defectus feruoris in ſpirituali vita.* 263
61. *Vtilitas Religioſi negligentis.* 264
62. *Miſera inſipientia negligentium.* 265
63. *Miſera & vilis hypocriſis negligentis Religioſi.* 267
64. *Alia miſeria neligentium.* ibid.
65. *Quàm intrinſecam miſeriam patiantur negligentes.* 268
66. *Deterioris conditionis ſiunt negligentes Religioſi,quàm ſaculares.* 269
67. *Miſera cæcitas negligentium.* 270
68. *Miſera nuditas & imbecillitas negligentium.* 271
69. *Confertur miſeria negligentium cum fælicitate diligentium Religioſorum.* 272
70. *Negligentia cauſa eſt defectus orationis quotidiana, qua alimentum eſt ſpiritus feruentis.* 273
71. *Alia conditiones orationis.* 275
72. *Diſpoſitiones ad orationem,vt diligentiam & feruorem excitent.* 276

LIBER QVARTVS.

DOCTRINA I.

CAP. I. EXIMIA *opera Deo offerenda ſunt, vbi de virtutum diſtinctione agitur.* 279
2. *Qua ſint virtutes apparentes.* 280
3. *Bona intentio neceſſaria veris virtutibus.* ibid.
4. *Diſcretio neceſſaria veris virtutibus.* 281
5. *Qua ſint ſolida virtutes?* 282
6. *Sine humilitate & mortificatione nec ſolida,nec vera virtutes conſiſtent.* 283
7. *Sententia Deuotiſſimi Gerlaci Petri,vbi deſcribitur,qualis ſit virtus verè ſolida.* 284

Index Capitum.

DOCTRINA II.

8. Sapientia quatenus vera virtus eſt omnibus rebus antepouenda. 285
9. In vera virtutis ſapientia omuia mundi bona poſſidentur. 286
10. Curandum eſt, ne humaua ſapientia præferatur virtuti. ibid.
11. Sapientia humana ſiue virtute noxia erit. 287
12. Ex S. Brigitta proferuntur aliqua teſtimouia de vera & falſa ſapientia. 288
13. Quantum opituletur charitas ſcientiæ. 289
14. Sententia S. Bernardi de modo & ordine ſciendi. 290
15. De validitate ſcientiæ, ex Radulpho. 291

DOCTRINA III.

16. Quàm pulchram reddit animam puritas intentionis. ibid.
17. Pura intentio omnia opera gratiſſima Deo facit. 293
18. Deformitas & damna ex defectu bonæ intentionis. 294
19. S. Paſchaſij ſententia ad verba Hieremiæ de damnis impuræ intentionis, & vanæ gloriæ. 295
20. Doctrina S. Baſilij de damnis deprauatæ intentionis. 296
21. Quæ requirantur ad puram intentionem habendam. 297
22. De his, quæ præmij expectatione ſeruiunt Deo. 298
23. Perfectiſſima intentio ſolum Deum per ſe ipſum reſpicit & amat. ibid.
24. Qualis ſit pura intentio, ex S. Chryſoſtomo docetur. 300
25. Quid ſenſerit S. Bernardus de puritate intentionis & amoris. 301
26. Septem qualitates puriſſimæ intentionis. 302

DOCTRINA IV.

27. Qui aſſiduam Dei præſentiam habet, Angelis comparatur. 306
28. Quantum iuuet Dei præſentia puritatem animæ. 307
29. Obſtat defectibus & peccatis præſentia Dei. ibid.
30. Sententia S. Ambroſij de vtilitate habendi Deum præſentem aduerſus omnia vitia. 308
31. Omnium virtutum perfectionem promouet Dei præſentia. 309
32. Alia conſiderationes circa præſentiam Dei. 310
33. Quomodo Angelos cuſtodes noſtrorum fratrum revereri præſentes debeamus. 311

DOCTRINA V.

34. Multum refert in religioſa Communitate non niſi de rebus diuinis agere. 312
35. Diabolus loquitur per eos qui vana & falſa loquuntur, & qui ſint ſermones diaboli, mundi, carnis, & qui Dei? 313
36. Quàm noxij ſint Religioſis ſermones vani, & qui non ſunt de Deo, quomodo vitari debent? ibid.
37. Sermones ſæculares non ſunt audiendi. 314
38. Verba hominum non ſpiritualium, etiam ſi ſpeciem boni præferant, non ſunt facilè credenda. 315
39. Loquendum Religioſis de Deo. 316

DOCTRINA VI.

40. Magno animo ſeruiendum Deo. 318
41. De diuinis inſpirationibus, & an ſit peccatum ijs non reſpondere. ibid.
42. Liberaliſſimè debemus agere cum Deo in honore diuino ſolicitando, & gloria æterna generosè poſtulanda. 319
43. Magna opera & perfecta pro Deo efficienda. 320

DOCTRINA VII.

44. Excellenter operandum eſt, non ſolùm quoad ſubſtantiam operum, ſed quoad circunſtantias. 321
45. Quomodo iuuandi ſumus fide ad bene operandum. 322
46. Cum qua electione & diſcretione operandum eſt. 323
47. Cum conſtanti ſpiritus feruore exactè ſemper operandum. 324
48. Humilitas ad bene operandum commendatur, ex Hildeberto & S. Odone. 325

DOCTRINA VIII.

49. Cooperandum diligentiſſimè gratiæ Dei. ibid.
50. Congruum tempus impendendum eſt orationi, & rebus ſpiritualibus. 326
51. Stata tempora decernenda ſunt exercitijs ſpiritualibus. 327
52. Fructus ordinatæ vitæ, & diſtributi temporis ad exercitia ſpiritualia. 328

DOCTRI

DOCTRINA IX.

53. De viribus conſuetudinis ad facilitatem operandi. 329
54. Prauæ conſuetudines violenter exſcindendæ ſunt, & contrario rerum bonarum vſu excludendæ. Vbi agitur de bono conſuetudinis bono. 330

DOCTRINA X.

55. Aſtus dæmonis tentantis ſeruos Dei per exigua. 331
56. Cur dæmon tanti faciat noſtros minimos defectus. 332
57. Peſſimus dæmonis aſtus cùm leues noſtras culpas ſuadet. 333
58 Contra dæmonum artes ea, quæ minima ſunt, magnopere curanda. 334
59. Serui Dei quæ minima ſunt, magna reputant. ibid.
60. Fraus dæmonis vitia pro virtutibus perſuadentis. 335
61. Exigua etſi nihil referre videantur, non propterea ſunt contemnenda. ibid.
62. Doctrina deuoti Dauidis de Auguſta circa tentationes. 336
63. Quo pacto in tentationibus geri debeamus. 338
64. Patientia & alacritate vincendæ tentationes. ibid.
65. De certamine contra quotidiana vitia. 339
66. Notandæ dæmonum illuſiones. 340
67. Saluberrima S. Vincentij Ferrerij monita ad laqueos diaboli euadendum, & præueniendum tentationibus. 341

LIBER QVINTVS.

DOCTRINA I.

Cap. 1. Qvam ardua ſit victoria ſui per tria vota religioſa. 343
2. Quæ per tria religioſa vota relinquuntur, excellentiori modo acquiruntur. 344
3. Quanta libertas ſit vera obedientia? 345
4. Caſtitate & mortificatione voluptatum iucundior vita agitatur. 346
5. Conſiderantur alia circa tria vota religioſa. 347

DOCTRINA II.

6. Religioſorum murus paupertas. ibid.
7. Quanta ſit ſecuritas pauperum ſpiritu. 348
8. Sententia Guillermi Pariſienſis de Vallo paupertatis. 349
9. Quàm ſublimis & pretioſa ſit paupertas ſpiritus, & cauſa omnium virtutum. 350
10. Quàm locuples ſit paupertas ſpiritus. 351
11. Quàm diues cæleſtibus diuitijs paupertas voluntaria. 352
12. Duodecim vtilitates paupertatis iuxta numerum gemmarum muri cæleſtis Hieruſalem. 353
13. Exhortatio ad paupertatem ex Goffrido Abbate. 355
14. Quibus rebus paupertatem obſeruare oporteat. 356
15. Quomodo ſpiritus paupertatis debet retineri, ex Philotheo, ſeu Rogerio Londinenſi. 357
16. Quibus modis paupertatis obſeruatio violetur, ex Humberto. 358
17. Ex Regula S. Cæſarij commendatur paupertas. 359

DOCTRINA III.

18. Eximia paupertas, & humilitas Euangelicorum operariorum, ad exemplum S. Pauli. ibid.
19. Cauſa cur S. Paulus noluit accipere alimenta, ſed gratis miniſtrauit Euangelium? 361

DOCTRINA IV.

20. Caſtitatem tanquam cæleſte donum detulit Chriſtus Iesvs de cælo ad terram, vt redderet homines Angelos. 363
21. Admirationes & ſententiæ Patrum de caſtitatis excellentia. 364
22. Caſtitas quomodo excedat ſuo merito naturæ Angelicæ puritatem. 366
23. Singulari priuilegio caſti ſeruantur à multis Angelis. ibid.
24. Caſtitas eſt prædeſtinationis ſignum. 367
25. Sententia S. Odonis Cluniacenſis contra impudicos. 268
26. Caſtitas eſt ſanctitas corporis, & charitas animæ quæ ſimul debent eſſe. 369

27. Quanta

27. *Quanta cordis puritate caſtitas ſeruanda.* 370
28. *De cuſtodia ſenſuum exterioris hominis ad ſeruandam caſtitatem.* 371
29. *Egregia ſententia S.Iſidori Peluſiota de vitanda familiaritate fœminarum.* 372
30. *Conſtitutio S.Baſily de congreſſu fœminarum fugiendo.* 373
31. *Modus extra domum egrediendi.* 374
32. *Dum cum fœminis ſermo nectitur, teſtes requirantur.* ibid.
33. *Iuuanda eſt caſtitatis mortificatione, & macerationibus carnis, qua commendantur ex D.Theofrido.* 376
34. *Conſeruanda caſtitati prodeſt moderatio cibi.* 377
35. *Etiam cum ſæcularibus hoſpitibus ſeruanda abſtinentia.* 378
36 *Quantum conferat caſtitati & alys bonis anima, & corporis deuota benedictio.* 379
37 *Quo pacto in menſa geri debeat Religioſus, ex B.Dauide de Auguſta & S.Bonauentura.* 381
38. *Cæleſtes voluptates guſtant, qui per caſtitatem contemnunt terrenas.* ibid.

DOCTRINA V.

39. *Qvàm neceſſaria ſit modeſtia ſeruis Dei maximè operarÿs vineæ Domini.* 382
40. *Quatuor potiſſimis rebus modeſtiæ ratio habenda.* 383

DOCTRINA VI.

41. *Leges modeſtiæ S.Ignaty Patris noſtri.* 385

DOCTRINA VII.

42. *Commendatur locupletiùs modeſtia locutionis, ex S. Bonauentura.* 391
43. *Quo pacto cum ſæcularibus loquendum.* 392
44. *De modeſtia ſilentÿ.* 393
45. *De laqueis linguæ, & facilitate rumpendi ſilentÿ.* 394
46. *Noctu magis ſolicitè ſeruandum ſilentium.* ibid.

DOCTRINA VIII.

47. 48. *Prælati ſunt inſtrumenta Dei per quos nos dirigit, & prouidet; quapropter etiam malis eſt obtemperandum.* 395
48. *Verus obediens inſtar cadaueris nullum à ſe motum habere debet.* 396
49. *S. Paulus cæcus formam obediendi exhibuit, ex pulchra ſententia S. Bernardi circa obedientiam.* 397
50. *Dicta S.Baſilÿ, qui ſimplicitatem cæcæ obedientiæ commendant.* 399
51 *Aliorum Patrum ſententiæ quibus commendatur ſimplicitas ſancta obedientium.* ibid.
52. *Simplicitas obedientiæ quàm ſit Deo acceptabilis, multis hiſtorÿs oſtenditur.* 400
53. *Obedientia cæca Deum merè reſpicit.* 402
54. *Quàm vtile ſit hoc exercitium habenti Deum præſentem in ſuperioribus.* 403
55. *Quanta ſit prudentia ſimplicis obedientiæ optima ſemper facientis.* 405
56. *Obedientia cæteras virtutes & magna bona conciliat.* ibid.
57. *Nuceo baculo comparatur obedientia.* 406
58. *Litteræ nec mittendæ, nec recipiendæ ſine facultate Superiorum, & quam ſeuera obedientia priſcis fuit.* 408
59. *Qua conſtantia & fortitudine obediendum ſit.* 409
60. *Celeriter obediendum.* ibid.
61. *Non replicandum Superioribus, ex B.Theodoro Studita.* 411
62. *Non ſolùm Deo, & Superioribus obediendum eſt, ſed cuiuſuis hominis voluntatem potius quàm noſtram implendam.* ibid.
63 *Salutaria monita & praxis obedientiæ ex S. Bonauentura.* 412

DOCTRINA IX.

64. 65. *Superiori & Patri ſpirituali tanquam optimo animæ Medico aperienda eſt conſcientia.* 414
65. *Vt rectè gubernemur, neceſſe eſt patefacere Superiori conſcientiam propriam.* 415
66. *Conſcientia ſeriò, & ex animo manifeſtanda eſt Superiori.* 416
67. *Quàm gratum ſit Deo manifeſtare conſcientiam Superiori, & Patri ſpirituali.* 417
68. *Praxis manifeſtandæ conſcientiæ, ex S.Dorotheo.* 418
69. *Humilitas neceſſaria manifeſtando conſcientiam alteri.* ibid.
70. *Tunc maximè cùm tentatio inſtat, manifeſtanda conſcientia Medico ſpirituali.* 419

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTUS.

DOCTRINA I.

CAP. I. PAx & conſenſus cordium pendet ex conſenſu verborum. 421
2. Quomodo per verba dirimatur charitas, ex S. Bernardo, vbi multa contra detractores. 422
3. Ex Regula S. Pachomij, Baſilij, & alijs Monachalibus. 423
4. Notantur ſuſurrones, ex S. Gregorio, & B. Dauide de Auguſto. 424
5. Vnitas ſpiritus violatur ſæcularibus verbis multiloquio & tepore bonorum operum. 425
6. Contentiones vitandæ, ex Antiocho Monacho. 426

DOCTRINA II.

7. QVàm vtilis ſit vnio? ibid.
8. Quàm iucunda & læta ſit vnio animorum? 427
9. Sententia S. Baſilij de bono vnitatis. ibid.
10. Mortificatio eſt neceſſaria ad conſeruandam vnionem. 429
11. Innoxia vita maximè bonum exemplum iuuat vnionem. 430
12. Bonum exemplum promouet vnionem religioſam. ibid.
13. Aduerſus ſcandaloſos. 431
14. Charitas eſt vinculum membrorum Chriſti. 432
15. Miſericorditer ſunt toleranda & iuuanda fratrum imperfectiones & infirmitates. 433
16. Maximum præſidium conſeruandæ vnionis fraternæ, eſt non quærere quæ ſua ſunt, ex Antiocho Monacho. ibid.
17. Reprobantur amicitiæ particulares. 434
18. Quæ præſertim amicitiæ particulares eliminandæ ſunt. 435
19. Quis ſit amicus Religioſus. 419
20. Familiaritas ſæcularium poteſt obſtare vnioni religioſæ. Traditur quo pacto cum illis ſit agendum, ex S.P. Antiocho. ibid.
21. Pronuntiata Guigonis Carthuſiani pro charitate fratrum gratuita. 437
22. Coadiutores fratres quomodo communitatis concordiam iuuare poſſunt in ſuorum munerum adminiſtratione. 438
23. Ad vnionem fraternam non tam diligi quàm diligere curandum eſt. 439
24. Exemplum vnionis & charitatis fraternæ etiam in defunctos, ex Regula Eremitarum Fontis Auellani. ibid.
25. Exhortatio ad vnionem, ex P. Claudio Aquauiua. 440

DOCTRINA III.

26. QVàm ignominioſa res ſit Religioſis otium. 443
27. Otioſitas eſt cauſa maximorum malorum, ſicut labor bonorum. 445
28. Inter Præſidia aduerſus otioſitatem commendantur occupationes humilitatis & labor manuum, ex Dauide de Augusta, & Gerardo Zuphantenſi. 446
29. Quo pacto miniſtrandum & laborandum Religioſis. ibid.
30. Commendantur ſtudium & lectio ſacræ Scripturæ. 447
31. Lectio ſpiritualis quomodo cum fructu habenda ſit, ex Deuoto Gerardo. 448
32. Inutilia colloquia circumſcribenda ſunt, ex B. Antiocho. 449
33. Inutilia & ſæcularia negotia vitanda ſunt. ibid.
34. In illud attende tibi, ex Abbate B. Iſaia & Antiocho Monacho. 451
35. Multitudo occupationum etiam laudabilium poterit impedire profectum. 452

DOCTRINA IV.

36. QVanta ratio habenda eſt temporis bene & vtiliter occupandi. 453
37. Seruire Deo non eſt differendum, nec in dies procraſtinandum. 454

DOCTRINA V.

38. PRimum tepidorum genus. 455
39. Secundum tepidorum genus. 456
40. Tertium tepidorum genus. 457
41. Tepiditatis cauſa & periculum. 458
42. Aduerſus eos Religioſos, qui propter tepiditatem periculum vocationis ſubeunt. 459

Index Capitum.

43. *Doctrina S. Baſilij aduerſùs tepidos qui tentantur, vt Religionem relinquant.* 461
44. *Quartum tepidorum genus.* 462
45. *Quomodo errent à via ſalutis tepidi Religioſi.* ibid.
46. *Deficiunt à vocatione religioſa tepidi.* 464
47. *Finem vocationis religioſæ præſtituere ſemper nobis debemus.* 466
48. *Remedium tepiditatis eſt conſiderare mala ipſius.* 467
49. *Quid tepiditas, ſeu acedia, & quàm noxij eius effectus.* 468
50. *Cæleſti ſpe feruor eſt recreandus, tepor extinguendus.* 469
51. *Vt alamus cœleſtem ſpem ſpiritualia bona magni facienda ſunt.* 470
52. *Generoſa & humili confidentia diuini auxilij excutiendus eſt tepor.* 472

DOCTRINA VI.

53. *QVæ prudentia neceſſaria ſit pœnitentijs corporalibus.* 473
54. *Quid circa pœnitentias præſcripſerint Patres, Doctores, atque Conſtitutiones noſtræ?* 474
55. *Caro debet ſpiritui ſubijci. Proponitur prudentia S. Syndeticæ.* 475
56. *Quæ regula tenenda ſint circa macerationem carnis.* 476
57. *De Concilio ab alijs expetendo, ex B. Antiocho Laurenſi.* 477

DOCTRINA VII.

58. *ÆGrotantes non debent deſpicere ſtatum & laborem ſuum.* ibid.
59. *Quæ ſint ægrotantibus exercenda virtutes?* 478
60. *Admonitio ſalutaris ex Regula S. Baſilij.* 481
61. *Vtiles ægrotantibus conſiderationes maximè ex Guigone Carthuſiano.* 483
62. *De cura & charitate erga infirmos.* 484

DOCTRINA VIII.

63. *MInutiſſima Regulæ obſeruanda ſunt exemplo Rechabitarum.* 485
64. *Proponitur conſtantia, generalitas, ſimplicitas & reuerentia Rechabitarum erga ſuum inſtitutum.* 488
65. *Myſtica ſignificatio Rechab, & Ionadab pro regularum obſeruantia.* 489
66. *Aliqua bona quæ ſequuntur obſeruantiam regularum.* ibid.
67. *Noſtrum officium eſt obſeruatio regularum, quas inſtar amuſsis actionum noſtrarum habere debemus.* 490
68. *Amor erga Religionem ſuadet Regularum obſeruantia.* 491
69. & vlt. *Quàm pernicioſus poteſt eſſe neglectus regularum.* 492

IOANNIS

Digitized by Google

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

Doctrinæ Aſceticæ.

LIBER PRIMVS.

DOCTRINA I.

DE CHARITATE, & radice virtutum.

Radix ſanctæ vitæ charitas eſt, à cuius commendatione præcipuè Monachorum inſtitutiones exordium ſumunt.

CAPVT I.

Cant.1.11.

NARDVS *mea dedit odorem ſuum.* Chriſti bonus odor, & ſuauiſſima ſanctitatis fragrantia nequit non è ſanctis pectoribus exhalari,& procul ſentiri. Quis autam aliquam paradiſi non putet haurire. Quis vaporem diuinæ ſapientiæ,& odorem cœleſtis vitæ ſenſu non percipiet,ipſo initio religioſarum inſtitutionum S.Baſilij,Auguſtini, Cæſarij, & Ignatij; vbi iam videtur perflare ſpiritus quidam cœli, Spiritus ſanctus, inquam, charitatem perfundens tanquam aromaticam quandam exhalationem eorum, quæ poſtea dicuntur;ſicut enim pyxis, ſeu alabaſtrum pretioſo & nardino vnguento plenum, ſtatim ac retegitur, emittit fragrantiam: ſic antiqua illa religioſa inſtituta ſtatim ac aperiuntur,in ipſa ſua præfatione odorem ſancti Spiritus euaporare ſentiuntur. Et quemadmodum periti Medici virtutes herbarum ab odore cognoſcunt: ita etiam virtutes, quas Monachatus priſci inſtituta continent,prænoſci ex fragrantia poſſunt charitatis, quam ſtatim emittunt. Regulas & inſtitutiones ſuas inchoat S. Baſilius à commendatione charitatis; idem exordium habet Regula S. Auguſtini; ſimiliter & S. Cæſarij Arelatenſis: S. Benedictus etiam auſpicatur in Regula ſua inſtrumenta bonorum operum ab amore Dei, quos Patres imitatur ille vir Dei S.Ignatius,Parens noſter;charitate plenus,non potuit non ſtatim refundere id, quo redundabat. Et quemadmodum verba ſua afflatus quidam ſpiritus, ac charitatis erant; ita ſimiliter & ſcripta. Vix ſiquidem cœpit calamum mouere,cùm charitatem ſonuit,charitatem aſpirauit,charitatem requiſiuit,charitatem commendauit, charitatem ſuppoſuit, omnium ſuarum conſtitutionum fundamentum & radicem; internam requirens charitatis, vt ipſe ait, & amoris illius legem, quam ſanctus Spiritus ſcribere, & in cordibus imprimere ſolet, eamque potius, quàm vllas externas conſtitutiones Societatis inſtitutum ſeruaturam. Et quidem non immeritò charitatis commendationem præmittit, quippe quæ cæteras virtutes in ſtatutis ſequentibus præſcriptas, ipſa procreabit,& nutriet, tanquam omnium ſtirps & origo. *Vbi enim eſt charitas,* (inquit B.Laurentius Iuſtinianus) *ibi eſt bonorum operum fœcunditas, in illa tanquam in radice virtutes vniuerſæ inſerta ſunt. Viuunt prorſus quandiu in dilectionis radice ſubſiſtunt. Succide radicem,& repentè rami,fructus exſiccantur,& folia.* (De triumph. Chriſti agone cap.14.) Similiter S.Gregorius dixit: *Vt enim multi arboris rami ex vna radice procedunt: ſic multæ virtutes ex vna radice generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis,ſi non manet in radice charitatis.* (Homil.27.in Euang.) Quare & auctoritas antiquorum Patrum religioſæ vitæ Magiſtrorum, & reuerentia amantiſſimi, & ſanctiſſimi noſtri Parentis Ignatij, & ipſius charitatis dignitas nihil dicere prius iubet,quàm de charitate totius noſtri inſtituti cardine,& radice, cum qua expectari de Societate Ieſu poteſt,quod Oſeas dicit, & euentus oſtendit: *Iſraël germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* (Cap.14.) Quòd ſi charitatem commendaturi ſumus,ipſius fragrantia, quam exhalat, recreati, ab eadem eius ſuaueolentia auſpicabimur, de qua in Canticis Canticorum, iuxta S. Anſelmum dicitur, *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Itaque charitas,

ſecundùm Gregorium, radix eſt, & ſecundùm Anſelmum, non alterius herbæ, quàm nardi. Radix propter germen, & originem virtutum, nardus propter pretioſæ, & acris fragrantiæ exhalationem.

Comparatur charitas radici Nardi, & primùm de pondere eius agitur.

CAPVT II.

CONFERAMVS igitur, quod naturæ interpretes de radice Nardi narrant, & quod Theologi myſtici de charitate ſcribunt. Mirè vtroſque conſpirare videbimus, vt inde huius excellentiſſimæ virtutis natura demonſtretur. Naturales Philoſophi de Nardo hæc

Plin. lib. 12. cap. 12. habent: *Frutex eſt grauis, & craſſa radice, ſed breui, ac nigra, fragilique.* Eaſdem quinque conditiones radix poſſidet charitatis. Nonne grauis charitas erit, quæ omnibus præponderat virtutibus, & quam *pondus* dixit Auguſtinus? Vt meritò in Scriptura ſacra coarguantur propter leuitatem peccatores: nunc arundo, nunc ſtipulæ, nunc paleæ, nunc fœnum, nunc puluis reputati; de

Pſalm. 1. quibus Dauid ait, *Non ſic impy, non ſic, ſed tanquam puluis, quem proycit ventus a facie terræ.* Leuiſſimi ſunt, & tanquam nihil habentur ſine charitatis pondere. S. Auguſtinus propter defectum huius aureæ virtutis ita de ſe loquitur, *ab vno tunc auerſus, in multis euanui.* Eadem ratione

Pſalm. 57. de peccatoribus canit Dauid, *ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens*; cui conſentiens

Lib. 2. erud. hom. int. c. 46 Richardus dixit: *Verè autem in nihilum reputantur, qui perdiderunt verum eſſe, quibus profectò melius eſſet omnino non eſſe, quàm ſic eſſe.* Amittunt peccatores verum ac ſolidum eſſe, quoniam non amant illud quod verè eſt, & eſt quod eſt; illa potiùs diligentes, quæ pro nihilo reputantur, & in nihilum redigentur. Non plus valet homo, quàm eſt quod diligit; qui amat vana, & futilia bona mundi, vanus, leuis, & futilis eſt; qui amat æterna, & ſtabilia, conſtans, & ſtabilis eſt. Hoc charitas facit, cuius pondere pretioſiſſimi Deo & deſiderabiles ſumus ſuper aurum, & lapidem pretioſum; cuius pondere conſtantes ſumus, & firmi, & ſtabiles, & quieti; ſine illo tamen à leuiſſima qualibet raptamur aura, turbamur, mutamur, vexamur: hinc eſt, cur vel vno ſolo verbo audito, non modò pellantur aliqui loco ſuo, ſed mente. Cur qualibet aduerſitate ſtatim commoueamur? Cur tot & vaniſſimarum rerũ cupiditatibus diſtrahamur? Cur laudibus noſtris etiam mendaciſſimis efferamur? Defectus profectò ponderis hoc operatur, defectus ſoliditatis, defectus charitatis. Hæc eſt, quæ nos reddit in contumeliis conſtantes, in aduerſitatibus immotos, contra cupiditates fortes, contra proſperitates fundatos, & ſubſiſtentes. Sicut inordinata concupiſcentia peccati inſtabiles, leues, mobiles, vagos, & fugitiuos reddit, quorum exemplum Cain eſt profugus, & vagus, quod aptè expoſuit Hugo Vi-

In Allegat. Tilm. ctorinus. *Vagus, inquit, & profugus in terra homo propter peccatum ſuum a facie Domini proiectus ab intima contemplationis illius luce foras venit, eo quòd profundius ad terrena deſideria mentem inclinat, quo magis ſupernorum dulcedinem, quorum iam guſtum perdidit, incipit obliuiſci, ſicque fit vagus, & profugus ſuper terram. Vagus ſcilicet per inordinatam concupiſcentiam, profugus per peccatricem conſcientiam, cuius etiam voce illud aptè ſubiungitur: Quiſquis inuenerit me, occidet; quia mentem diuino deſertam auxilio, quæcumque tentatio inuenerit, ſubuertet. Cor autem hominis, quod prius amori diuino affixum, ſtabile perſiſtit, & vnum amando, vnum permanſit, poſtquam per deſideria terrena diffluere cœpit, quaſi in tot diuiſum eſt, quot ſunt ea, quæ concupiſcit. Ecce morbus hominis, cor ſcilicet inquietum, & fluctuans. Cauſa morbi amor mundi: remedium morbi amor Dei.* Hactenus Hugo. Ij enim, qui ſecundùm Apoſtolum ſunt in charitate radicati, & fundati, moueri ad quamlibet auram nequeunt; vnitos enim affectus habent, & omnem vim animæ concretam, & quaſi condenſatam in vna charitate, cuius propterea pondere ſubſiſtunt, & firmantur; ſicut enim charitas quoniam coagulat reliquas paſſiones animi, & in ſe vna reſumit, magnum pondus habet, & firmos, conſtantéſque ſeruat: ſic etiam quoniam cupiditas diſſipet, & ſcindat illas, & quaſi comminuit, & conterit, leues & inconſtantes reddit peccatores. Etenim cor humanum in tot diuiditur, quot concupiſcit, & amat. Cùm igitur peccator innumerarum rerum deſiderio diuidatur, totum eius cor quaſi in puluerem faceſſit, mille cupiditatibus deciſum, & quaſi molitum. Vnde Dauid dixit, quaſi puluerem rapi, & agitari. Charitas autem, quia ſolum Deum amat, ſolum deſiderat, integram ſeruat animam, & omnes eius partes, & affectus vnitos, & cum pondere ſuo ſtabiles. Hinc naſcitur ſtabilitas, æqualitas, & pax animi ſeruorum Dei; pondus enim charitatis habent, quo quia alij carent, velut ſtipula paſſim concutiuntur. Quare ſi tranquillitatem cordis, ſi conſtantiam mentis, ſi ſecuritatem animi, ſi maturitatem, & grauitatem morum deſideramus, à charitate hoc impetrabimus. Hæc nos ſolidat, & implet Deo, & pretioſos reddit. Ea enim differentia mihi videtur eſſe, & multo maior inter hominem, & hominem ratione charitatis, ac eſt inter inanem vtrem, & thecam auro plenam. Qui ſine charitate ſunt, quia in vanum acceperunt animam ſuam, velut inanes, & vacuæ ſtatuæ, aut tympana ſunt, ſine pondere vllo. Quod S. Paulus videtur notaſſe, dicens: *Si linguis hominum loquar, &* *1. Cor. 13.* *Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, inane ſcilicet, & vacuum.* poſtea addit: *Et ſi habuero omnem fidem, ita vt montem transferam, charitatẽ autem nõ habuero, nihil ſum.* Quid magis leue, & inane, quàm quod nihil eſt. Eos autem, qui charitate ſunt præditi, ipſa charitas implet, & animat ipſam animam, cuius vita eſt. Hoc officium charitatis eſt ſolidare, & omnem inanitatem excludere; Deus enim, qui per charitatem poſſidetur, vniuerſos implet animæ receſſus: charitas implet omnia, charitas ſolidat omnia, & animam, & virtutes ſuas. Rectè S. Gregorius dixit, *Quid-* *S. Gregor.* *quid præcipitur, de ſola charitate ſolidatur.*

Multa enim ſecum trahit, & comprehendit charitas; non eſt mirum, ſi ita ponderoſa, & pretioſa ſit, amplectitur Deum, comprehendit homines, totum mundum in ſinu ſuo complectitur.

Digitized by Google

Omnia in vna charitate ſunt, continet Deum, vt adoret; homines vt iuuet; mala mundi, vt compatiatur; bona vt congaudeat; iniurias vt ignoſcat; beneficia vt reddat; peccata vt lugeat; virtutes vt perficiat. Multa continet, multa concludit, multa comprehendit charitas, & noſtrum cor per illam; ideo quia plena, & ſolida, implet, & ſolidat nos. Quod Apoſtolus docens Epheſios, Epheſ. 3. 17. dixit, *in charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Penè omnia, quæ hactenus diximus, confirmat hæc ſententia Apoſtoli, qui charitatem ſubnotat eſſe radicem, quia germinat, pondus, quia fundat, eamque multa comprehendere, & implere, ſolidareque in omnem plenitudinem Dei.

Illa quoque ratione grauis apparebit charitas, quia pondus ipſum, quod habent aliæ virtutes, efficit ipſa. Ipſa eſt, quæ adiuncta momentaneis, & leuibus operibus, æternum gloriæ pondus, vt ait S. Paulus, operatur in nobis. Ipſa eſt, quæ ſuo pondere ſolidans, & implens cunctarum virtutum opera, plena facit. Hinc eſt, quod iuſſit Dominus S. Ioannem ſcribere ad Antiſtitem Eccle- Apocal 3. ſiæ Sardis: *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo*, nimirum propter defectum charitatis, à qua exciderat. *Ipſa propterea* (vt dixit Richar- De grad. charit. cap. 1. dus) *non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda eſt, eo quòd ab illa omnes accipiant, vt verè virtutes ſint. Hæc vita fidei, ſpei robur, & omnium intima vis, & medulla virtutum. Hæc quæ vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, exceſſus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus præualens, quæ ipſam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem. Nonne hæc eſt, quæ in Moyſe diuinæ iuſtitiæ, & potentiæ obſtans præualuit in fortitudine. Dimitte me,* inquit, *vt iraſcatur furor meus contra populum iſtum. Audis, dimitte, & Deum teneri non dubites, nec aliunde quàm amoris fortitudine.* Itaque ipſum Deum vrgere valuit pondus charitatis.

Deinde grauis eſt charitas, quatenus præponderat cæteris virtutibus excellentior, & pretioſior omnibus, pluſquam aurum præſtat metallis; tum quia pretium omnium virtutum illa eſt, tum quia ipſa, non ſolùm præ omnibus eſt, ſed pro omnibus: ideo charitas non æmulatur, quia pro miſericordia eſt: non agit perperam, quia pro iu- 1. Cor. 13. ſtitia eſt: non inflatur, quia pro humilitate eſt: non ambitioſa, quia pro temperantia eſt: non quærit quæ ſua ſunt, quia pro liberalitate eſt: non irritatur, quia pro manſuetudine eſt: non cogitat malum, quia pro fidelitate eſt: non gaudet ſuper iniquitate, quia pro pœnitentia eſt: in ſumma cùm dicat Apoſtolus, *charitas patiens eſt*, & iterum, *omnia ſuſtinet*, pro patientia eſt, quæ omnes virtutes fulcit, & nutrit. Quare meritò Cant. 8. 7. dixit Salomon, *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Sumamus igitur gratis tantam charitatis gratiam, imò tantas gratias, & auidè faciamus, Lib. 3. ep. 5. quod ſalutariter monet Goffridus Abbas. *Ad charitatem quæ operit multitudinem peccatorum,* Gregor. *quidquid ab illa ſeparat contemnentes, reuertamur, ſine qua cæteras virtutes habere damnabile eſt, & cum qua non habere venale.*

De pinguedine, & ſuauitate charitatis, Vera deuotio ex bonis operibus oſtenditur.

CAPVT III.

EST præterea Nardi radix craſſa, ſeu pinguis, ſic etiam & charitas, atque, vt S. Bonauentura ait, *illa perfectio eſt præ-* Bonauent. *eminentior, in qua radix charitatis eſt pinguior.* hoc idem deuotus Abbas VVoluero de charitate dixit: *Eſt*, inquit, *viuacioris ſucci iuxta interiorem* In Cant. 1. *mentis vigorem, quæ cæteris virtutibus effectum præbet ſanctitatis, dum ſine ea omnis virtus quaſi ſicca, & arida remaneat, cuius pinguedinem Pſalmiſta conſiderans, qui ſe ad Deum ſitienti deſiderio vigilare pronuntiabat. Sicut adipe*, inquit, *&* Pſalm. 62. *pinguedine repleatur anima mea.* Hæc ille. Succus enim virtutum, vigor ſpiritualis vitæ, pinguedo animæ, ſapor cordis, ſuauitas voluntatis, dulcedo affectuum charitas eſt. *Dilectionis dulcedine*, inquit Richardus Victorinus, *nihil iucundius inue-* Lib. 3 de Trinit. cap. 14. *nitur, nihil in quo animus amplius delectetur.* & alibi: *Amoris quoque eius guſtus adeò ſuauis eſt, vt non ſolùm mentem reficiat, ſed etiam corporis cibum obliuiſci faciat.* Charitas eſt, quæ & vitam ſpiritus lactat, & virtutes nutrit, & ſancta opera fouet, & cœleſti quadam dulcedine imbuit, & ſaturat animam. Hi ſunt duo præcipui effectus huius ſpiritualis pinguedinis, vnus eſt mulcere, & ſatiare animam, quod terreſtria deſideria nequeunt præſtare. Alter eſt virtutum opera nutrire, & impinguare, cùm perfectiùs, & fœcundiùs fiant imbuto charitate corde. Vtrumque S. Au- In Pſalm. 62. guſtinus complexus eſt, dicens: *Habet quandam pinguedinem anima noſtra. Eſt quadam ſaturitas pinguis ſapientia; ſapientia enim iſta animæ qui carent, marceſcunt, & omnino ita exiles fiunt, vt in omnibus bonis operibus citò deficiant. Quare citò deficiunt in omnibus bonis operibus? Quia non habent pinguedinem ſaturitatis ſuæ. Audi Apoſtolum dicentem, de pingui anima, præcipientem, vt quiſque bene operetur. Quid ait? Hilarem datorem diligit Deus. Pinguis anima vnde eſſet pinguis, niſi à Domino ſaturetur?* Oſtendit his verbis Auguſtinus. Primò animæ pinguedinem eſſe ſaturitatem, quam Deus efficit in anima, quàm non aliter efficit, niſi dum amatur per charitatem. Solus enim Deus immenſa cordis noſtri deſideria ſiſtit. Illi autem, qui per terrena cupiditatem diſtrahunt, ſemper famelici ſunt, & egeni, miſeri, & miſerabiles, nihil inueniunt proportionatum humano cordi, cùm ſolùm Deus illud implere poſſit. Deinde vult Auguſtinus, hanc pinguedinem, & ſaturitatem redundare in opera; neque enim ſanctitas ſolùm eſt ſuauis affectus etiam Dei, ſed laborioſus quoque effectus boni operis propter Deum; non eſt perfectio affici ſuauiter, ſed fortiter efficere; non tenera deuotio, ſed potiùs fortis actio, cuius maior ſemper ratio habenda eſt, quàm pinguis deuotionis, cui non eſt fidendum, dum laborem actionis laborioſum, & moleſtum habet. Nam cùm vera, & ex charitate eſt ſuauitas deuotionis, refunditur etiam in opus, & laborem actionis, quem condit,

Digitized by Google

& impinguat ; hanc enim differentiam obſeruauit Chryſoſtomus inter labores cauſa alicuius rei temporalis ſuſceptos , & eos qui virtutis gratia perferuntur , quoniam illos nulla præſens voluptas minuat ; hos tamen præſens quædam delectatio & ſuauitas condiat , & leniat. *[Hom 9 ad Rom.]* *In rebus*, ait, *huius ſæculi certantes quidem laborem ac dolorem, miſeriamque ſuſtinent ; corona verò & præmia poſtea accepta voluptatem demum apportant : hic vero ſecus. Nihil enim nobis minus iucunditatis afferunt certamina ipſa , quàm certaminum præmia.* Neque enim ſolùm Deus eſt ſuauis, ſed ſuauiſſimus , quippe cui redundet ſuauitas, vt ipſam aſperitatem ſuauefaciat , & difficultatem leniat virtutis. Hoc eſt, quod ſponſa dixit : *guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis* ; non dixit ſolùm ſuaue, ſed *ſuauiſſimum.* Rectè propterea Richardus de iis qui falſæ deuotionis ſuauitate delectantur , dixit. *[In Cant. 5.]* *Horum ſapor , etſi ſuauis ſit, ſed non eſt ſuauiſſimus , quia à ſponſo non eſt , ſed ab aduerſario. Suauiſſimus eſt, quem percipiunt boni, qui per cordis munditiam, ad veram bonitatis eius peruenerunt notitiam. Iſti ſuauiſſimum guttur eius prædicare poſſunt , quia experientia docente, dulcedinem eius guſtauerunt.* Deinde non ſolùm dixit ſponſa ſponſum ſuum deſiderabilem , ſed *totum deſiderabilem* ; non enim ex vna , aut aliquibus partibus ſolùm deſiderandus eſt Ieſus , non in vno , aut aliquibus temporibus concupiſcendus; ſed totus & vndique, & vſquequaque & vbique, non ſolùm in gloria per ſpem , ſed in cruce per imitationem ; non ſolùm in maieſtate ſua, ſed in humilitate noſtra ; non ſolùm adoratus ab Angelis , ſed conſputus à militibus ; non ſolùm decorem indutus , ſed veſtitus alba tunica, & irriſus ab Herode : non ſolùm glorioſus , ſed afflictus, flagellatus , crucifixus , quia non minus delectare ſolet , cùm illum conſideramus in gloria , quàm cùm imitamur in paſſione. Tunc iſta pinguedo, & ſuauitas veræ charitatis eſt, cùm internum vigorem præſtat animæ , cùm diffundit vires ad rectè operandum. Quòd ſi velimus ſcire , quando hoc faciet ? quando nimirum illuſtrat animam , quando maiorem Dei notitiam parit , vt propterea vocauerit illam S. Auguſtinus *pinguem ſapientiam.* Iſta ſuauitas eſt mel, quod fortiſſimus miles Ionathas guſtauit, cum quo eius oculi illuminati ſunt , roboratúſque ipſe eſt, vt hoſtes perſequeretur victor : illudque inuenit , non quæſiuit ; & inuenit, non in otio, & quiete , ſed in ipſo prælij labore , & conflictu.

Quàm compendioſa ſit charitas.

CAPVT IV.

TERTIA proprietas Nardinæ ſtirpis eſt breuem eſſe Quàm aptè congruat hoc charitati , indicauit Laurentius Iuſtinianus, ſic de hac virtute locutus. *[In ligno vitæ cap. 10.]* *Vnus eſt , qui quæritur, in quo omnia continentur. O amor ſuauis , ô lucrum mirabile , ô compendium ſingulare !* Sed illuſtrius teſtimonium Abbatis VVolueronis id declarabit, qui de charitate ſic ait. *[In Cant.]* *De ea ſcribitur , quòd Verbum abbreuiatum, & conſummatum Dominus faciet ſuper terram. Verbum conſummatum , & abbreuiatum charitas eſt , quia in ea omnium virtutum perfectio conſiſtit , & vna hæc dictio eſt huius ſanctæ vniuerſitatis concluſio. Conſummatum eſt hoc verbum charitas , quia plenitudo legis eſt dilectio, de qua dicit Pſalmiſta : Omnis conſummationis vidi finem , non finem , qui id quod eſt, non eſſe faciat : ſed qui id , quod non eſt, eſſe faciat, & ad perfectionem adducat ; abbreuiatum eſt , quia omnis legis præcepta in hoc vno inſtaurantur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet , & Prophetæ. Quàm breue verbum tribus conſtans ſyllabis, & ſeptem literis , ſed omnem continens plenitudinem ſanctitatis. Deus enim charitas eſt , qui eſt trinus in perſonarũ diſtinctione. Vnus in maieſtatis æqualitate, & ſeptiformis eſt Spiritus ſancti gratia, per quem ipſa charitas in Sanctorum diffunditur corda.* Hæc ille. Nec ſcio , quid aptius dici poterat. Igitur charitas breuis eſt , quia ſtatim attingit Deum, non per ambages , non per media, ſed per ſeipſam Deum reſpicit , in Deum propendet, Deum amplectitur. Charitas breuis eſt, quia non habet opus multis rationibus ; cui hæc vna pro omnibus, & ſuper omnes eſt, Deus vult hoc, Deo placebit hoc. Charitas breuis eſt, quæ non à longè ſpectat præmium ſui , ſicut de amore Dei dixit Bernardus. *[Serm. 83 in Cant.]* *Is per ſe ſufficit , is per ſe placet, & propter ſe, ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt amor. Præter ſe non requirit cauſam , non fructum : fructus eius, vſus eius. Amo, quia amo, amo, vt amem.* Quid preſſius , quid compendioſius ? Charitas breuis eſt, quia neſcit procraſtinare, neſcit prolongare, neſcit differre operari , & cùm alioqui magnum interuallum intercedat à ſermone ad opus, à verbis vſque ad facta , charitas citius faciet, quàm dicit ; *amor enim Dei*, ait Laurentius Iuſtinianus, *nunquam otioſus eſt, operatur magna, ſi eſt ; ſi autem operari renuit, amor non eſt.* *[De ligno vitæ cap. 3.]* Charitas breuis eſt , quia breuiter ad omnia reſpondebit omnia. Si quæras quem amet illum ? reſpondebit, in quo ſunt omnia, & omnia propter illum, qui omnia eſt. Si quæras quid velit facere? Omnia bona. Si quæras quid oderit? Omnia peccata. Si quæras quid contemnat ? Omnia mundi bona. Si quæras quid velit pati. Omnia tormenta propter Deum. Charitas breuis eſt , quæ omnes in vno contrahit , & reſumit affectus. *Amor* (inquit ſanctus Bernardus) *ſibi abundat ; amor vbi venerit, cæteros in ſe omnes traducit , & captiuat affectus ;* *[Serm 83. in Cant.]* *propterea quæ amat , amat , & aliud nouit nihil.* Charitas breuis eſt, quia in vno habet omnia, *cui nihil* (ait Richardus) *ſatisfacere poteſt præter vnum , ſicut & nihil ſapere , niſi propter vnum.* *[De grad violentæ charit.]* *Vnum amat, vnum diligit , vnum ſitit , vnum concupiſcit ; ad ipſum anhelat , in ipſum ſuſpirat , ex ipſo inardeſcit, in ipſo requieſcit. Solum eſt, in quo reficitur, ſolum ex quo ſatiatur. Nil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc vno condiatur. Quidquid vltro offerat, quidquid ſponte occurrat , citò reijcitur , ſubitò conculcatur, quidquid ſuo affectui non militat.* Hactenus Richardus.

***

Charitas

Digitized by Google

Charitas per patientiam, & laborem corporis animæ pulchritudinem auget.

Capvt V.

Illvd difficilius videbitur in pulcherrima hac virtute nigredinem inuenire, quam Nardi radix habere dicitur. Sed neque venuſta quædam nigredn deficit charitati, propter quam in Canticorum Canticis gloriatur ſponſa: *Nigra ſum, ſed formoſa.* Vnde ſanctus Bernardus dixit: *Charitas, humilitas nullius quidem coloris ſunt, ſed non nullius decoris.* Et alibi. *Fœlix nigredo, quæ mentis candorem parit.* Clariſſimè tamen VVoluero Abbas, qui alias conditiones charitatis dedit, iſtam quoque ſuppeditabit; cuius hæc verba ſunt. *Charitas quæ eſt radix omnium virtutum, perſecutionum, & aduerſitatum, omnium nigredinem libenter pro Deo, & fratrum ſuſtinet, de qua ſcriptum eſt: Charitas patiens eſt.* Hæc nigredo patientiæ decorat magis charitatem; imò cùm charitas perfectio ſit omnium virtutum, ipſam tamen perficit patientia, ipſam decorat aduerſitatum tolerantia, per quam amor probatur, amor roboratur, amor creſcit, amor mirabili quadam antiparaſtaſi intenditur. Vnde rectè dixit B. Laurentius Iuſtinianus. *Eſt & aliud quod vehementer excitat ad profectum charitatis, ſcilicet tentatio electorum: nàmque deſideria deprimuntur aduerſitate vt proficiant; ſicut ignis flatu premitur, vt creſcat, & vnde quaſi extingui creditur, inde roboratur; ſic nimirum cùm per tentationem humilitas in anima proficit, proſpera eſt ipſa aduerſitas, quæ mentem & charitate accendit, & ab electione cuſtodit.* Hæc ille. Patientia ſancti Stephani, quantum eius charitatem promouit, & decorauit! Sub nigra illa, & miſeranda perſecutionis cortice pulcherrimum, & lætum cor latebat. Ardens charitate pro inimicis orabat, delectatus cœleſti viſitatione cœlos apertos videbat. Omnis gloria eius ab intus. Exteriùs affligebatur ex illata miſeria; intrinſecus verò, quia creuerat charitas. *Afficiebatur* (inquit Richardus) *ex inolita miſericordia; gratulabatur ex inſpecta gloria. Ecce ſub vno, eodemque tempore videbat inferiùs vnde compateretur. Videbat ſuperiùs, vnde iucundaretur. Ecce quomodo de eodem pectore manabat pietas cum iucunditate, & iucunditas cum pietate. Ecce quomodo de eodem vaſe manabat oleum cum melle, oleum pietatis cum melle iucunditatis. Quæ, quæſo, eſt iſta in lapide iſto olei, & mellis impermixta confuſio, & inconfuſa permixtio. Miror, ſi non miraris, quomodo pugnator fortis ſub vno, eodemque momento ſugebat mel de petra (patientiæ) oleumque de ſaxo duriſſimo. Mira virtus patientiæ, & quis dignè penſet pretium huius petræ, quæ in tanta copia diſtillat oleum cum melle, quanta, quæſo, olei, & mellis copia deprehenditur. Vbi miſericordia, nulla malitia minuitur, vbi dulcedo, nullo dolore atteritur. Imò mirum in modum creſcit ex dolore delectatio, & ex paſſione compaſſio. Martyr ſanè cùm lapidaretur, magis miſerabatur inimicis ſuis, quàm membris ſuis.* Hæc Richardus. Hoc charitatis incrementum, patientia perſecutionis operata eſt. Quapropter meritò ſanctus Bernardus ait: *Non planè contemnenda eſt in Sanctis nigredo extera, quæ candorem operatur internum.*

Cant. 1. 5. Epiſt. 42. Serm. 25. in Cant. De ligno vitæ c. 14. De exterm. mali c. 14. Serm. 25. in Cant.

Quomodo ex toto corde, & anima ſit Deus diligendus, & miſericorditer proximus iuuandus?

Capvt VI.

Est denique Nardus fragilis. At, quo pacto congruere hoc poteſt charitati, quæ robuſtiſſima, & potentiſſima eſt? *Virtus omnipotens,* ait Richardus, *quæ ipſas miſerias facit potentes, dum conuertit in adiutorium quæ parata ſunt ad nocendum.* Rurſus: *Fortis eſt vt mors, imò morte fortior, quæ ipſam quoque mortem mori coëgit in morte Redemptoris. O inſuperabilis virtus charitatis, quæ ipſum quoque inſuperabilem ſuperaſti, & cui omnia ſubiecta ſunt, omnibus quodam modo ſubieciſti, dum victus amore Deus humiliauit ſemetipſum, formam ſerui accipiens.* Nihilominus cum tanta potentia delicata charitas eſt, tenera eſt, fragilis eſt; minimis rebus inciditur, & exiguo alterius rei, niſi ſolius IeſuChriſti, affectu infringitur. *Si enim,* ait idem Richardus, *ad aliquid affectum habemus, quod propter Deum non diligimus, profectò adulterinus affectus in tantum ſummæ charitatis conſtantiam frangit, vireſque eius imminuit, in quantum ad aliena deſideria animum trahit, vel impellit.* Ecce fragilitatem charitatis alioqui robuſtiſſimæ. Cur Deus qui humaniſſimus, vt ſic dixerim, eſt, & mitiſſimus, & parciſſimus ſui iuris exigendi, tam ſeuerè, & rigidè intimauit illam amoris legem: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, niſi quoniam licèt hæc non eſſet obligatio noſtra, ipſa rerum natura hoc poſtulabat, quia perfecta charitas neſcit permanere, niſi cum tanta fidelitate, ſtudio, firmitate, & conatu diligat. Non patitur Deus ſocium amoris in corde noſtro latere, non patitur remiſſionem, non obliuionem, non diuiſionem noſtri animi. Omnem noſtrum poſtulat affectum; omnes noſtras exigit cogitationes; omnem noſtram quærit memoriam; omnem noſtrum meretur conatum, & quia omnes vires exigit, poſtulat etiam omnem animam; & quia omnem animam requirit, quærit etiam totum cor. Nam, vt dixit idem Richardus, *Diligere ex corde, & diligere ex conſilio, & deliberatione. Diligere ex anima, eſt diligere ex deſiderio, & affectione. Illud ex ſtudio, iſtud pro voto. Diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex virtute, eſt omne ſtudium, omne deſiderium, omne exercitium in hoc vnum impendere.* Sæpè ad aliquid diligendum trahimur ex affectione, & tamen renitimur ex ratione. Et ſæpe multa ex propoſito deliberationis diligimus, quæ tamen per deſiderij appetitum minimè affectamus. In carnalibus itaque deſideriis, ſæpe prius eſt diligere ex anima, quàm diligere ex corde; in ſpiritualibus autem ſemper prius eſt diligere ex deliberatione, quàm ex affectatione. Nunquam enim ſpiritualia ex deſiderio diligimus, niſi ad eorum affectum cum magno ſtudio animum inflammemus. Si igitur Deum cupimus ex tota anima diligere,

De gradib. char. c. 1. Vbi ſuprà.

Digitized by Google

ligere, priùs ſatagamus diligere ex toto corde. In hoc ſit omnis noſtra cogitatio, ad hoc omnis noſtra delibetatio, circa hoc omnis noſtra meditatio, ſi volumus diligere ex toto deſiderio: ſed ſicut nunquam ex tota anima diligimus, niſi priùs toto corde diligimus, ſic nunquam tota virtute diligimus, niſi priùs tota anima diligamus.

Cæterùm & alia ratione charitas fragilis eſt, quam oportebit audire conſpicuis verbis VVolueronis. *In Cant.* *Charitas fragilis eſt* (inquit) *propter nimiam teneritudinem fraternæ compaſſionis, quia compellitur per viſcera miſericordiæ tribulari cum tribulantibus, infirmari cum infirmantibus, flere cum flentibus, dolere cum dolentibus, triſtari cum triſtantibus: ſcriptum eſt enim, Charitas patiens eſt, benigna eſt; tanta enim benignitatis dulcedine charitas affluit, vt omnem proximi neceſſitatem ſuam putet.* Verùm hæc fortis, & fœlix fragilitas eſt, per quam magis roboratur charitas; magis intenditur dilectio, magis creſcit Dei amor; quod optimè docuit B. Laurentius Iuſtinianus. *De ligno vitæ cap. 14.* *Quanto enim qui magis attigerit ad perfectionem charitatis, tanto magis per compaſſionem proximi pro ſalute ſe deſerit. Nam qui amare proximum negligit, profectò diligere Deum neſcit, & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, cùm in eius dilectionis gremio, proximi prius charitate laſamur. Amor Dei amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor Dei. Tunc enim ad ſummam perfectionem charitas mirabiliter ſurgit, cùm ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & quo benignius deſcendit ad ima, eo perfectius recurrit ad ſumma.* Non enim anguſtis terminis perfecta charitas continetur, omnes amat, omnes iuuat, omnes in ſinu ſuo fouet, &, vt Hildebertus ait, *Epiſt. 21.* *Ea nihil eſt diffuſius; par enim latitudo eſt & charitatis & mundi, charitas amplectitur quidquid Oceanus. Charitas in ſacrario dilectionis & amicum colligit in Deum, & inimicum propter Deum. Eadem diligere non deſinit, cùm diligi deſinitur; omnes habet præſentes, omnes affines, quibus non poteſt, obſequio ſubuenit, quæ vnam Rempublicam terram fecit & cœlum.* Tanta eſt charitas. Tanta eſt virtus iſta, cuius dignitas, licèt nondum pro dignitate ſit enarrata, procedemus nihilominus ad vſum charitatis commendandum in obſeruando religioſo inſtituto ſuauiùs, faciliùs, breuiùs, vtiliùs.

DOCTRINA II.

QVOMODO IVSTIS non ſit poſità lex.

Maxima eſt iuſtorum regula, & lex charitatis, quæ cæterarum legum onus excludit.

CAPVT VII.

1. Tim. 1. 9. LEx *iuſto non eſt poſita.* Apoſtolicæ, & cœleſtis vitæ leges ſcripturus ſanctus Ignatius, noſtri Ordinis Parens, primam omnium legem charitatis in principio cōſtitutionem nobis commendauit, tanquam reliquarum conſtitutionum, & omnium regularum ſummam præfigens; in qua vna velut breui ſummario cæteræ clauderentur: nam, vt VVoluero Abbas dixit, *Verbum abbreuiatum, & conſummatum charitas eſt, quia in ea omnium virtutum perfectio conſiſtit. Et vna hæc dictio eſt huius ſanctæ vniuerſitatis concluſio.* *Iu c. 1. Cant. v. 12.* Sciebat ſanctus Ignatius hoc charitatis priuilegium, & ipſa experientia didicerat, iuſtis, & ſeruis Dei non eſſe neceſſarias exteriùs ſonantes leges; ſed diuinæ bonitatis paternam curam, atque ex parte noſtra internam amoris diuini legem cæteras comprehendentem ad eos ſeruandum, & promouendum ſatis eſſe. Etenim Societas ipſa Ieſu ſine conſtitutionibus, ſine regulis, ſine ſtatutis ſcriptis, hac ſola intima amoris Dei lege, quam Spiritus ſanctus in ſeruorum ſuorum cordibus inſculpit, inſtituta fuit, approbata, promota, & aucta. Sicut enim Apoſtolorum Ordo, qui vera Religio fuit, nullis aliis legibus, & regulis conſtitit, quàm perfectæ charitatis; quemadmodum eximij Doctores affirmant: *Suar. tom. 3. de Relig. li. 3. c. 2. n. 10.* ſic noſter Apoſtolicus planè Ordo, qui ad exemplar Apoſtolorum inſtitutus, eorum vitam imitari conatur, aliquot ſimiliter annos ſola charitatis lege perſtitit obſeruantiſſimus, & ipſa dum manet, ſatis erit conſeruationi, & promotioni Ordinis noſtri, & qui eam perfectam habuerit, cæteras Societatis Ieſu conſtitutiones, quæ ad ſpiritualem inſtitutionem ſpectant, etiamſi ſcriptæ nunquam eſſent, vltro adimplebit. Hinc eſt, quod ſanctus Paulus, vnus ex Apoſtolica, & prima omnium Religione alumnus, dixit, *Lex iuſto non eſt poſita;* quippe in ſe didicerat, & in aliis Apoſtolis viderat, ſine lege ſcripta plus obſeruaſſe, quàm vlla lex præſcribere, & docere poſſet ſolo ſancti amoris præcepto, atque operatorio inſtinctu, ex quo non ſolùm nullum onus ſentiebant præceptorum, & legum; ſed vltrò faciebant quidquid præcipi ad Dei gloriam poſſet.

Verùm vt magis hæc conſtent, & appareat diuina prudentia S. Baſilij, S. Cæſarij, & ſancti Ignatij Patris noſtri, qui ſuas conſtitutiones incipiunt ex ipſo fine religioſæ vitæ, quæ eſt perfecta charitas, in eàque reſumunt omnes. Et denique vt commendemus ipſam charitatem religioſis omnibus inſtitutis neceſſariam, vt ſuauiùs, vt ſponte, vt lętè, vt integrè, & perfectè obſeruentur, huius loci expoſitiones afferemus. Prima omnium ſit deuotiſſimi Bernardi. *Bernard.* *Alia* (inquit) *eſt lex promulgata à ſpiritu ſeruitutis in timore, alia à ſpiritu libertatis data in ſuauitate. Nec ſub illa coguntur eſſe filij Dei, nec ſine iſta patiuntur. Vis audire, quia iuſtis non eſt lex poſita. Non accepiſtis, ait, ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. Vis audire, quòd tamen ſine lege charitatis non ſint? Sed accepiſtis, inquit, ſpiritum adoptionis filiorum. Denique vis audire iuſtum vtrumque de ſe fatentem, & quòd non ſit ſub lege, nec tamen ſit ſine lege? Factus ſum, inquit, ijs qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem; ijs qui ſine lege erant, quaſi ſine lege eſſem. Cùm ſine lege non eſſem; ſed in lege eſſem Chriſti. Vnde apertè non dicitur, Iuſti non habent legem, aut iuſti ſunt ſine lege; ſed iuſtis non eſt lex poſita, hoc eſt, non tanquam inuitis impoſita, ſed voluntarijs eo liberaliùs data, quo ſuauiùs inſpirata.* Hæc Bernardus, cui proxima eſt ſententia ſancti Thomæ, qui etiam prauos hæreticorum

ſenſus

ſenſus reiicit; abſit enim, quòd iuſti legem non ſeruent, aut non teneantur ſeruare: abſit, quòd hac ratione Apoſtolus dixiſſet, iuſto non eſſe legem poſitam, ſed quia illam nec timet, nec oneroſam ſentit iuſtus; *Supponendo*, inquit ſanctus Thomas, *quia quod imponitur alicui, imponitur ſicut onus; lex enim iuſtis non imponitur, ſicut onus, quia habitus eorum interior inclinat eos ad hoc, ad quod lex. Et ideo non eſt onus eis; ipſi ſibi ſunt lex.* Poſtea ſubdit. *Intentio bonorum debet eſſe, vt alios inducant ad virtutes. Quidam autem per ſe ſunt bene diſpoſiti ad virtutes; alij autem habent mentem bene diſpoſitam, ſed per alium, & de iſtis ſufficit paterna monitio, non correctiua.* Hæc Angelicus Doctor. Cuius doctrinæ non ignarus ſanctiſſimus Parens noſter Ignatius erexit ſine legibus ſcriptis nouam familiam religioſam, & aliquandiu gubernauit, & poſtquam leges nobis tulit, noluit ſub peccato obligare; quia putauit ſufficere ſancta exhortamenta, quibus iuuaremur, & duceremur in via diuini obſequij. Nam cùm indies excreſceret Religiò noſtra, & propter multitudinem non erat veriſimile omnes futuros per ſe diſpoſitos, ſed plures ſolùm habituros mentem bene diſpoſitam, vt per alium iuuarentur, & indigerent auxilio aliquo exterioris directionis, opus erat præſcribi etiam aliquas conſtitutiones; ſed ita vt potiſſima haberetur ratio internæ amoris legis, quaſi ſubſtantialis, & eſſentialis noſtro inſtituto. Idcirco in principio conſtitutionum, & in prima regula ſummarij, ſic præfatur, commendans potiſſimum ipſam charitatis legem quæ iuſtos onere omnium legum eximit. *Quamuis* (inquit) *ſumma ſapientia, & bonitas Dei Creatoris noſtri, ac Domini ſit, quæ conſeruatura eſt, gubernatura, atque promotura in ſuo ſancto ſeruitio hanc minimam Societatem* IESV, *vt eam dignata eſt inchoare; ex parte verò noſtra interna charitatis, & amoris illius lex, quam S. Spiritus ſcribere, & in cordibus imprimere ſolet, potius quã vlla externa cõſtitutiones, ad id adiutura ſit. Quia tamẽ ſuauis diſpoſitio diuina prouidẽtia ſuarum creaturarum cooperationem exigit, & quia Christi Domini noſtri Vicarius ita ſtatuit, & Sanctorum exempla, & ratio ipſa nos ita docet in Domino: neceſſarium eſſe arbitramur, conſtitutiones conſcribi, quæ iuuent ad melius in via incepta diuini obſequij procedendum, iuxta inſtituti noſtri rationem.* Itaque licèt perfecta charitas finis ſit religioſi inſtituti, eam tamen ſupponit noſter Parens ſanctus Ignatius primam noſtri Ordinis legem, & fundamentum, quam cæteræ conſtitutiones ſequantur, quas ideo ſcripſit, vt adiumentum, & memoriale eſſent eorum, quæ interior charitatis impulſus docebit ſeruos Christi, cum qua omnes docibiles Deo erimus, & nullum onus conſtitutionum ſentiemus. Iuſtis enim ratione bonæ eorum voluntatis per charitatem diſpoſitæ, & inclinatæ, non eſt lex poſita.

Ioc. 1. Com. v. 18.

Suar. tom. 3. de Relig. lib. 1. c. n. 10.

Ignatius.

Bernard.

Nulla grauis erit, nulla moleſta, nulla
intolerabilis, ſed vltrò facient,
quod præcipitur, & vltra id
quod præceptum eſt.

* * *

Iuſto non eſt lex poſita ratione charitatis, quatenus nullam moleſtiam legum, & inſtitutorum ſentiet.

CAPVT VIII.

HÆc præmittere volui, ne ſublimitatem religioſi inſtituti conſiderantes, & multa ardua carni, & ſanguini, quæ continet, timentes deficiamus, nec difficile, & intolerabile putemus onus. Nam lex iuſto non eſt poſita, nullum vnus iuſtus ſentiet, nullam illius vim timebit. Omnia aſpera charitas læuigabit, omnia grauia alleuiabit, omnia violenta molliet, omnia bona concupiſcet, ad omnes virtutes excitabit, omneſque docebit; ſine illa tamen moleſta omnia, difficilia, importabilia erunt; ideo neceſſatiſſima Religioſis, vt ſuaue Christi iugum ferant, & leue ſentiant Euangelij onus. *Sine ſpiritali charitate* (inquit ſanctus Hieronymus) *quæ vtique ſine humilitate, manſuetudine, patientia, iuſtitia, alijſque virtutibus non habetur, clauſtra ſunt tartara, & habitantes in eis, ſunt dæmones; cum charitate verò ſunt paradiſus in terra, & habitantes ſunt Angeli.* Non ergo moleſtum onus exiſtimemus ſtudium mortificationis continuum in omnibus rebus poſſibilibus, cupiditatem patiendi opprobria, & contemptus, renuntiationem honoris, commoditatem voluntatis, & propriæ adhuc animæ, eximiam paupertatem, & reliqua quæ altiſſimæ, & Apoſtolicæ perfectionis ſunt, & in noſtris conſtitutionibus, & regulis præſcribuntur. Non ſunt hæc amatoribus Dei ardua, non ſunt oneroſa; nullum his legis onus eſt poſitum, ſponte facient pluſquam lege vlla poſſent cogi. *Qui enim*, ait ſanctus Anſelmus, *ſponte facit ea quæ lex moraliter iubet, vel amplius, cur ei neceſſitas legis imponeretur? Libertate enim facit, non neceſſitate quod facit: iniuſtus verò, qui ſponte noluit bonum facere, cogendus eſt legis neceſſitate.* Philo ſimiliter dixit: *Quid enim opus eſt interdictione non aberraturis à iuſtitia? Quid præcepto niſi his, qui ſuapte natura procliues ſunt ad lapſum? Quid illa propria potentia peccato nulli obnoxij.* Igitur qui internam charitatis legem habent, nullam aliam extrinſecam timent, nullam recuſant; dum in medio cordis legem perfectionis retinent, ſub nulla eſſe putant graue, nulla ſupra iuſtum lex eſt, vt illum poſſit opprimere. Ipſe potiùs in illa eſt, imò ipſe ſibi lex eſt. Audiamus iterum ſanctum Anſelmum. *Iuſto autem non eſt lex poſita, id eſt, impoſita, vt ſupra illum ſit; in illa enim eſt potius, quàm ſub illa, qua non ſua vita viuit, cui coercendi lex imponitur. Iniuſtus verò ſub illa eſt, qua ſua vita viuit, cui coercendi lex imponitur. Vt enim ſic dicam, ipſam quodammodo legem viuit, qui cum delectatione iuſtitia iuſtè viuit, non proprio, aut tranſitorio, ſed communi, ac ſtabili gaudens bono. Sub lege autem quiſque viuit, in quantum peccator eſt, id eſt, in quantum à veteri homine non eſt immutatus; ſuam enim vitam viuit, & ideo lex ſupra illum eſt, quia qui eam non implet, infra illam eſt.* Quid ergo mirum, ſi eius onus ſentiat, ſi gemat, ſi opprimatur, ſi cogatur. Iuſtos autem nullo timore ſupplicij lex vrget,

In Regul.

Lib. de Pro iugu.

In epiſt. ad Tim. 1. c. 1.

non ſunt ſub illa; ideo grauari, & opprimi nequeunt, ſponte,& nulla coactione ad perfectionem eius feruntur. Iden alibi Apoſtolus dixit:
Gal.5.18. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Et iterum.
Rom.6.14. *Non eſtes ſub lege; ſed ſub gratia.* In iiſdem
Ezech 36. 27. adimpletur, quod per Ezechielem dicitur. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* ſcilicet non ſolùm ſeruantes legem, ſed ſuperantes. Vnde Chryſoſtomus
Chryſoſt. de iuſto,& charitate pleno, ſic loquitur. *Non diſcit à lege quæ gerenda ſunt, ſed intimè dictantem ac mouentem ſpiritum audit, eique obtemperat, ac propterea legis imperium, atque auctoritatem præuertit, eaque præſtat quæ lege præcipiuntur, etiamſi nullo legis præcepto compellatur.*

Priuilegium charitatis, per quam quod alij timent, iuſtus concupiſcit animo,& corpore.

CAPVT IX.

AGNOSCAMVS igitur priuilegium charitatis, per quam lex iuſtis noo imponitur, per quam, quod alij timent, iuſtus concupiſcit & amat; qua alia ratione
Pſ.118.20. Dauid dixit, *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas*; nimirum, qnia æſtoabat charitate, & zelo diuini amoris, qui depaſcebat illius cor,cuius ardore incenſus,totum Pſalmum illum compoſuerat, & crebrò oſtendit, dum ſi-
Pſ.11.53. milia ait: *Defectio tenuit me pro peccatoribus de-*
Pſ.118.20. *relinquentibus legem tuam.* Et poſtea. *Tempus faciendi Domine, diſſipauerunt legem tuam.* Qualiter ex boe zelo,& amore affectus fuerit, imme-
Ibid.v.117. diatè pòſt oſteodens,ſubdit. *Ideo dilexi mandata*
v 139. *tua ſuper aurum,& topacium.* Et poſtea. *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Quid inde ex tantæ charitatis zelo?
v.140. *Ignitum eloquium tuum vehemẽter, & ſeruus tuus dilexit illud.* Nec ſolùm conſtitit in anima hæc ſancta concupiſceoria, & amor mandatorum, quæ alij ſeruiliter timent; verùm vſque ad corporis artus refuſum oſtendit; non enim contentus Dauid anima, mente & corde concupiſcere mandata Dei, ipſis ſenſibus ea deſiderabat, ea ſpirabat, ea concupiſcebat. Eodem Pſalmo ait.
v.123. *Defecerunt oculi mei in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ*; ecce deſiderium oculo-
v.103. rum. Item, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia oris tuis ſuper mel ori meo*; ecce guſtum & ſapo-
v.54. rem mandatorum. Ruſus, *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*; ecce aurium complacentiam; neque tactus eſt
v.48. oblitus, dicens. *Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar in iuſtificationibus tuis.* Anne qui ita affectus erga legem eſt, impoſita illi lex tanquam onus poterit eſſe? Quid igitor nos poſſumus queri de difficultate vitæ religioſæ, & arduitate euangelici noſtri inſtituti, & ſpiritualiſſimæ regulæ? Nobis ſolùm iraſci poſſumus, de nobis queri, quòd non habeamus viuidam charitatem iuſtorum; ſiquidem cum illa noſtras diligeremus regulas, concupiſceremus deſiderare iuſtificationes earum; ſuper aurum,& lapidem pretioſum illas amaremus. Oculi noſtri, aures,lingua, manus illas ſpirarent,illas cuperent,illas ſeruarent. Hæc eſt libertas filiorum Dei, propter quam leges onus iuſti non ſentiunt, non quia non ligentur, ſed quia non timore,ſed amore leges colunt. Hac ratione, non tantùm liberi, ſed Principes ſunt, ſicut Ioannes Saresberienſis ait. *Princeps legis nexibus dicitur abſolu-* Lib.4.Polyc. c.2.
tus, non quia ei iniqua liceant, ſed quia is eſſe debet, qui non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ æquitatem colat. Et ſanctus Auguſtinus inquit. *Aliud eſt* Auguſt.
eſſe in lege, aliud ſub lege; qui eſt in lege, ſecundum legem agit; qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur: ille ergo liber eſt, iſte ſeruus.

Iuſto non eſt lex poſita, quatenus à charitate intus docetur, quod exteriùs à lege.

CAPVT X.

PRÆTER iſtud priuilegium eximendi iuſtos onere, & timore legis, vt propterea dicatur lex illis non imponi, aliud beneficium præſtat charitas; & maximum quidem, quòd ipſa per ſe ſufficiat, & omnes doceat virtutes, quæ per legem doceri poſſent. Idcirco lex iuſtis non imponitur, quia lege non indigent. Et hæc eſt altera ſancti Thomæ expoſitio, cui conſonat, quod OEcumenius ait, *Non igitur lege* OEcumen.
ei opus eſt ad rectè viuendum, qui rectè ex gratia viuit. Scient quidem iuſti per charitatem quid facere oporteat; nam omnes virtutes charitatem ſequuntur, & ipſa erit omnium ſummarium, totiúſque compendium perfectionis, & ſanctitatis nexus. Quod alio in loco docuit Apoſtolus, dicens. *Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti, &* Coloſſ 3.12.
dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem; humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobis metipſis, ſi quis aduersùs aliquem habet querelam; ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. Quaſi diceret, induite, & inuiſcerate vobis omnes virtutes, hoc facietis, ſi in vna habeatis omnes; inuiſcerate vobis charitatem, in qua omnes concurrunt. Propterea dixit VVolucro Abbas, In Cant.
charitatem eſſe omnium virtutum centrum; nam qui vnam charitatem habet, in hanc quaſi naturaliter cæteræ virtutes conueniunt, & conſiſtunt: & quemadmodum centrum principium eſt circuli, cùm ſine illo circumlineari non poſſit; ita ſine charitate cæterarum virtutum orbis, & chorus contineri nequit. In centro quoque omnes lineæ, quæ à circumferentia veniunt, vniuntur, & quaſi nexus & vinculum earum eſt; ita & charitas vinculum eſt totius perfectionis. nam per illam conſtringuntur omnia animi bona; ideo Chriſtus Dominus vocauit charitatem præceptum ſuum, non quia non ſint alia præcepta & ſua, ſed quia in charitate omnia reſumuntur: etenim qui charitatem ſeruauerit, omnia ſciet ſeruare, à qua velut fructus à radice omnium obſeruatio pullulabit. Hinc eſt illud ſancti Gregorij, *Omne mandatum de ſola dilectione eſt, &* Homil.27 in Euang.
omnia vnum præceptum ſunt, quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Quid inde ſequitur

Google

quitur, niſi quòd vna charitatis lex, vnum dilectionis mandatum, reliqua mandata nos doceat, & prudentiſſimos reddat, non qualicumque prudentia, ſed cœleſti, & diuina, quod Dauid de ſe videtur fateri, dicens. *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo.* Parum hæc ſapientia viſa illi; ideo ſtatim ſubdit. *Super omnes docentes me intellexi.* Parum & hoc; iterum ampliat, dicens, *Super ſenes intellexi.* Et antea dixerat. *Confitebor tibi in directione cordis*; quid enim aliud directio cordis, niſi charitas? Idcirco mox ſubdit. *In eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ.* Et meritò ſanctus Auguſtinus ait. *Charitas & ſupereminentiorem habet viam, & ſupereminet ſcientia.* Omnem humanam diſciplinam, & ſcientiam ſuperat doctrina charitatis; ipſa eſt Theologia illa ſublimis, & myſtica, cuius ſolùm Doctor eſt Spiritus ſanctus; ipſa cœleſti lumine erudit Sanctos; ipſa omnes perfectionis leges docet ſeruos Chriſti; ipſa ſuggerit, quod ad Dei gloriam oportet fieri; ipſa primos Societatis IESV Patres cùm nec conſtitutiones, nec regulas haberent, docuit, quod poſtea ſtatutis noſtris cauendum erat. Nondum obſtringebat noſtros vllum votum recuſandi dignitates, & Epiſcopatus; nihilominus omnibus reiecerunt viribus Epiſcopatum, Tergeſtinum P. Claudius Gaius, Labacenſem P. Iacobus Lainius, Viennenſem P. Petrus Caniſius, & Pater Nicolaus Bobadilla repugnans pariter Epiſcopali Cathedræ teſtatus eſt, ſe non ad amplitudinem, & honorem, ſed ad paupertatis humilitatem, obſcuramque potiùs vitam eſſe vocatum. Nulla item conſtitutio, nullum votum erat, vt electus è Societate Epiſcopus audiret conſilium Generalis Præpoſiti. Vltrò tamen, & doctus ab Spiritu ſancto Patriarcha Æthiopiæ Ioannes Nonius Barretus ad hoc ſe obſtrinxit; cùm enim Patriarchatum coactus iniit, mox ad ſanctum Ignatium ſcripſit, vt quia propter locorum diſtantiam conſulere eum non poterat, aliquem ſibi in India ſuo loco deſignaret, quo cum tractaret negotia maioris momenti, eiuſque auctoritatem conſiliumque ſequeretur; agebatur ſcilicet charitatis ſpiritu, eo præcipuè, qui Societatis proprius, & germanus eſt. Similiter & ſanctus Xauerius multa in India faciebat, non dum communicata cum ſancto Ignatio; eadem tamen erant, quæ ſanctus Ignatius in Europa diſponebat, eodem quippe charitatis ſpiritu, & eadem ſine ſcriptis legibus vterque docebatur. Prima enim Societatis lex ſpiritus & charitatis multa noſtros docuit, quæ humana ſapientia non putaret homini poſſibilia; multa prius obſeruarunt noſtri, quàm ordinarent, & idcirco ordinata poſtea ſunt, quia obſeruata priùs. Etenim Heroica quædam virtutum opera, quæ in noſtris conſtitutionibus ſtatuuntur, fortaſſe non ſtatuerentur, niſi antea docti Patres noſtri ſapientia illa diuini amoris ſublimi, & arcana fuiſſent re ipſa executi, & facto ipſo poſſibilia multis demonſtrarent. Itaque charitas ſapiens eſt, & ſine humano magiſtro multa poteſt diſcere, multa ſcit. Qui eam habent, docibiles ſunt à Deo, ſiue, vt Philo dixit, ſcholares Dei, docti ſupra hominum ſapientiam. *Cùm autem* (inquit) *Deus in animam indit noua germina per ſe docibilis ſapientiæ, quæ ex præceptoribus diſcimus contrahenda, circumſcribendaque ſunt ſubducentia ſe vltro & effluentia, ſcholarem enim Dei, ſiue familiarem, ſiue diſcipulum, ſeu quocumque alio libet hunc appellare nomine, impoſſibile eſt, tolerare præceptiunculas mortalium.* Hæc ille.

Pſ. 118. — Tract. 118. in Ioan. — Lib. de ſacrif. Abelis.

Iuſto non eſt lex poſita, non ſolùm quia vltrò faciet, quod leges præcipiunt, ſed quia vlteriùs plures & maiores virtutes exercet, quàm leges dictant.

CAPVT XI.

ALIO ſublimiori ſenſu dici poteſt, iuſto legem non eſſe poſitam ratione etiam charitatis, quia non ſolùm non eſt ſub lege, ſed ſupra legem. Quemadmodum Lactantius conſulit. *Vnuſquiſque quantum poteſt formet ſe ad verecundiam, pudoremque colat, caſtitatem conſcientia & mente teneatur, nec tantùm legibus publicis pareat, ſed ſit ſupra omnes leges, qui legem Dei ſequitur.* Supra omnes autem leges erit ſeruus Dei, tum quia vltrò faciet, & vlterius, quàm leges præſcribant, tum quia non ſolùm peccata, ſed occaſiones peccandi declinabit. *Idcirco lex*, inquit ſanctus Hieronymus, *Chriſtianis non eſt opus, qui ſunt iuſtificati per Chriſtum, qui didicerunt occaſiones etiam fugere delictorum. Nam, vt quid dicitur, Non occides, quibus iraſci non permittitur.* Tum quatenus virtutes legis eleuat charitas, & perficit, & in gradum ſublimiorem euehit; non enim operatur virtutes ſolùm naturales, ſed ſupernaturales eas facit. Nam morales, quas lex præcipit, ipſas diuinas, & theologales reddit. Hinc eſt, quod ſanctus Dauid in eo Pſalmo, quod de cuſtodia mandatorum, & legis compoſuit, vtitur ſæpe verbo *ſuperſperandi*, dicens, non ſolùm ſe ſperare, ſed ſuperſperare ex legis obſeruantia; quia nimirum opera propter quæ ſperare poterat, non erant ſolùm quæ iubebat lex, non virtutes vtcumque, & in ſuo genere, ſed ſuperiores, ſupernaturales, imò theologicas; ideo ſperabat ſupra id quod promiſſum erat operibus virtutum præſcriptarum in lege, cùm excellentiora ea faceret charitas. Dum enim omnia ex charitate faciebat Dauid, perficiebat illa, eleuans, & viuificans omnium virtutum actus; ideo ſuperſperabat. Quare qui ex amore Dei operatur, non diſcernens varias ſpecies virtutum, quæ imponuntur à lege, eas tranſcendit, & omnes in vna charitate vnit. Nam cùm diuerſiſſimæ ſint, vnam in omnibus charitatem exercet, omnia amore Dei cupiens, & faciens. Hoc quoque ſenſu charitas appellabitur meritò vinculum perfectionis, quia perficiendo virtutes, illas vnit, illas ligat, in ſe vnà ſeruat, & continet. Vnde ſanctus Anſelmus ait. *Charitatem quaſi nobilius ornamentum habete, quæ contineat, & ſuperornet omnia reliquarum virtutum inſignia. Superexcellit enim, & ſuperfulget omnibus alijs virtutibus, atque magis placet immortalis ſponſi conſpectibus.* Et poſtea. *Ligatur omnis virtutum perfectio, ne diſſoluta defluat, & dilabatur, ac diſpereat. Perfectionis vinculum eſt charitas,*

Lib. 6. c. 23. — Pſ. 118. — In epiſt. ad Coloſſ. c. 3.

quia omne bonum quod agimus, per hanc, ne pereat, ligatur. Itaque omnia animi bona ligat, perficit, & ſeruat iſte perfectionis nodus. *Hoc* (inquit Chryſoſtomus) *eſt, quod vult dicere S. Paulus: Illa nihil proſunt; diſſoluuntur enim illa omnia, niſi fiant cum charitate. Ipſa omnia illa conſtringit. Quodcumque bonum dixeris, ſi ea abſit nihil eſt, ſed diffluit. Et quomodo in naui, etiamſi magna ſint inſtrumenta, & non ſint quæ eam ſuccingant tabulata, nihil prodeſt: & in domo ſi non ſint contignationes, & in corpore etiam, ſi magna ſint oſſa, non ſint autem ligamenta, nihil iuuat. Cuiuſmodicumque enim quiſpiam bona habeat opera, & rectè facta, euaneſcunt omnia, niſi ſit charitas. Non dixit autem faſtigium, ſed quod eſt maius, vinculum; hoc enim eſt magis neceſſarium, quàm illud. Nam faſtigium quidem eſt intenſio perfectionis, vinculum autem eſt complexus, & comprehenſio eorum, quæ perfectionem efficiunt tanquam radix.* Supponunt S. Chryſoſtomus & Anſelmus, nullum opus eſſe fructiferum, & meritorium vitæ æternæ, niſi cum charitate factum; ſine illa autem ita perire, & diffluere, vt non fructificet in gloriam. Et quidem ſine habitu charitatis, qui aut idem eſt, quod habitualis gratia, aut ſine illa nunquam datur; veriſſimum, & incontrouerſum eſt. De charitate verò actuali idem affirmant multi Theologi, nimirum neceſſariam eſſe ad meritum æterni præmij. Quod licèt alij negent, ſufficit aliquos dubitaſſe, & plures ſanctos Patres contrarium indicaſſe. Sufficit, inquam, hoc, vt in re tanti momenti cautè agamus, & pleniora merita æternæ vitæ reddere conemur. Quamuis enim non pereant bona opera virtutum ſine actuali charitate facta, & ſolùm ſufficiant ad gloriæ meritum, quòd fiant ab eo, qui in gratia Dei eſt: indubitatum omnes habent, multo minus mereri, quàm cùm ex charitate Dei fiant; tunc enim eleuantur virtutes ad ſuperiorem gradum, ad virtutem omnium excellentiſſimam, ad ingentem meriti cumulum, qui minimè contemni debet, ſed curandum tam facili diligentia illud lucrari omnia ex amore Dei operando, & perficiendo, & meliora chariſmata æmulando.

Iuſtus per charitatem tranſcendit leges, in fine ipſarum legum conſtitutus; & quomodo charitas ſit finis, & medium præſtantiſſimum totius acquirendæ perfectionis.

Capvt XII.

Adhvc autem alia excellentiſſima proprietate excedit charitas communem viam, ratione cuius lex iuſto poſita, negari ſimiliter poteſt; quia non procedit ſemita lentiori præceptionum, & inſtitutionum humanarum, ſed tranſuolans illas in fine præceptorum, & legum collocatur. Idcirco dicitur finis præcepti charitas, & Dauid canit. *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Pſal.118. Vnde ſanctus Ambroſius ait. *Omnium virtutum maxima eſt charitas, hanc finem eſſe dixit, id eſt, perfectionis conſummationem omnium præceptorum: ſi tamen ex corde puro ſit, & bona conſcientia; vera enim charitas non poteſt malam vitam agere.* Etenim præcepta & leges media, & viæ ſunt ad charitatem, & perfectionem; ipſa autem charitas terminus, & finis, & conſummatio, & perfectio eſt. Ergo qui in charitate eſt, tranſcendit vſque ad finem legis; quare mediis præceptionum non indiget, *medicina nempe finis* (inquit ſanctus Chryſoſtomus) *ſanitas eſt. Itaque, cum adeſt ſanitas, curatione multa nihil opus eſt; ita etiam, ſi adſit charitas, præceptis non eſt opus.* Documenta vitæ ſpiritualis ſunt ſtudium mortificationis, maceratio corporis, deiectio ſui, contemptus mundi, inſtantia orandi, promptitudo obedientiæ, & alia huiuſmodi. Omnia hæc ſunt exercitia, & viæ, quæ ad perfectionem deducunt, in quibus aliquandiu exerceri debemus. Adſit verò charitas, adſit amor Chriſti, adſit voluntas placendi Deo, adſit deſiderium deſiderandi nihil niſi quod Deus vult, adſit conformatio noſtræ voluntatis cum diuina. Iam quaſi per compendium ad terminum peruenitur, & omnes alias vias celerrimè percurremus. Hoc eſt, quod ſanctus Paulus dixit de charitate: *Excellentiorem viam vobis demonſtro.* 1.Cor.12.31. Hæc via charitatis regia eſt, & excellentior, & compendioſior, quàm vllæ aliæ. Multas ſemitas perfectionis magiſtri ſpirituales docuerunt; alij aſperitates commendârunt, alij humiliationem, alij obedientiam, alij alias, ſinguli in ſenſu ſuo abundantes; & tutæ, & ſanctæ omnes illæ viæ ſunt. Verùm omnes ſuas periodos requirunt, nec ſingulæ, niſi cum aliis ſufficiunt; nec omnes omnibus æquè conueniunt; nec vni ſemper eadem via; verùm charitatis via, qua nihil volumus, niſi placere Deo, & quod Deus vult, regia eſt. nam conuenit omnibus, & ſingulis, & ſemper: compendioſa eſt, quia per illam vnam breui conſequemur, quod per multas alias diutiùs quærimus. Qui enim amat Deum, nihil volens, niſi quod Deus vult, hic mortificatus erit, quoniam id vult Deus; hic humilis erit, quia ſcit hoc placere Deo; hic obediens erit, quia noſcit hoc de nobis velle Deum; hic denique ſanctus breui erit, quia hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra, hæc via fuit Chriſti Ieſu, de quo in ſua Incarnatione dicitur, *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Pſal.18.6. Quomodo? alibi explicatur, cùm dicitur, *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus, volui & legem tuam in medio cordis mei.* Hebr.10.6. Quare ſicut alij commendant varia exercitia ſpiritualia, vt aliquas virtutes proponamus nobis, in quibus acquirendis totum animum, & conatum adhibeamus, quaſi illæ ſint, quæ plurimum conferent ad perfectionem comparandam. Ego puto ſtudium hoc charitatis conformandi nos cum voluntate diuina eſſe viam omnium vtiliſſimam, & breuiſſimam: nam per hoc medium reliqua media virtutum comparabuntur; & cùm ſit medium, quòd in ſubſtantia ſit. ipſe finis; nam perfectio in charitate, & faciendo quod Deus vult, conſiſtit, breuis & compendioſa erit via, cùm reipſa terminus ſit; hoc eſt, quod ex Græco verti poteſt illud: *Excellentiorem viam*, nimirum, *iuxta extremitatem viam, vobis demonſtro.* 1.Cor.12 31. Viam nimirum, quæ eſt iuxta terminum, via quæ eſt finis. Sciebat hoc idem Apoſtolus, ideo dixit alibi, *finis præcepti eſt charitas.* 1.Tim.1 5. Hoc itaque medium

Digitized by Google

dium eligamus, & præ aliis illi ſtudeamus, vt huic exercitio aſſueſcamus, & animo, & toto corde dicamus: Semper fiat, quod Deus vult; nihil volo, niſi quod vult Deus: ſi eſt voluntas diuina, rumpar, & peream potius, quàm illam omittam. Sufficit mihi, quòd Deus velit aliquid, vt illud & ego velim, illud faciam, illud feram, totus fiam oculus, totus animus, vt attendam, & velim, quid Deus velit de me, & id exequar. Hæc ſit noſtra occupatio in terra, quæ futura eſt in cœlis. In hoc puncto omnia alia exercitia reſumuntur. Et quantum diſtat finis à mediis, tanta differentia eſt huius medij perfectionis à reliquis. Propterea expeditius eſt, & ſimplicius, & ſuauius, & tutius, & permanentius, à quo nunquam oportebit ceſſare, & ſine incipientibus, ſiue proficientibus, ſiue perfectis vtile; eſt enim beneplacitum diuinum, velut Oceanus, in quo & ſcaphæ, & mediocria, & ingentia nauigia poſſunt vela dare, optimè dixit quidam Doctor. In hoc igitur ſpeciatim reliqua omnia huic exercitio cedunt, quòd illorum nullum integro totius vitæ decurſui ſufficientem potens ſit ſubminiſtrare praxim, ſed variari ea pro diuerſo ſtatu perfectionis animæ neceſſe ſit: dum alia inchoationi, progreſſui alia, alia denique fini inſeruiant; hoc tamen non minus ad inchoandum, quàm ad progrediendum, & ad finiendum omnimodè conducit; adeò vt non immeritò hanc voluntatem Dei pelagus quoddam ſpiritale nuncupauerim, in quo cuique pro nauis ſuæ onere vela dare liceat, vt & lintres debilium animarum inchoantium ad littus voluntatis exterioris fluctuent, & progredientium phaſeli vlteriùs in altum interioris voluntatis vela tendant; maximæ autem, & capaciſſimæ naues perfectorum ab omni terra procul remotæ, in vaſto Oceano voluntatis Dei eſſentialis ſpatientur: vtque hæc Dei voluntas mari, ſic propriæ voluntatis obſcuritas terræ poteſt æquiparari, & velut, qui in media terra conſtitutus eſt, mare nequit cernere: ita qui in mediis propriæ voluntatis tenebris latet, cœlicum hunc Oceanum nullatenus intueri valet; & quemadmodum quo vaſtior, ſpatioſiorque eſt terra, eo quoque ille à mari viſu eſt remotior; ſic ſe habet etiam in hac propria voluntate, quæ quo magis eſt intenſa, eo à voluntate Dei conſpicienda ſeiungit magis; rurſumque velut vbi à mari ſuperatur terra, ibi nil niſi mare cernere eſt; quaque menſura illa ſuperatur, eadem hoc cernitur; ita vbi primas obtinet voluntas Dei, illic ſola videtur: quatenusque propriæ voluntatis tenebras obruit, eatenus ipſa locum obtinet, clariſſiméque conſpicitur: demum veluti ſublata penitus omni terra, nil niſi mare remaneret; ita diſſipatis omnino propriæ voluntatis tenebris, nil præter voluntatem Dei datur intueri. Et quemadmodum, qui in medio mari, & pleno Oceano verſatur, nihil terræ videt; ſic qui perfectionis apicem adeptus eſt, & in profundum huius voluntatis penetrauit, abactis procul nubeculis, ſemper, vbique, & in omnibus hanc cœlitus rutilantem lucem contemplatur.

* * *

Io. Euſeb. Nieremb. doctr. Aſcet.

In Regula perfectionis.

Sententia B. Laurentij Iuſtiniani de charitatis lege.

Capvt XIII.

Satis, puto, explicauimus fructum quem immaculata charitatis lex germinat, & quantum alleuiet iugum Christi, & aliarum legum onus. Appendam nihilominus, quæ B. Laurentius Iuſtinianus de eadem charitatis lege ſcripſit. Deus pater (inquit) miſit filium ſuum natum de muliere, & factum ſub lege; vt per victimam ſui corporis, & legem charitatis, eos qui ſub lege erant, redimeret, ſibique in adoptionis filios aggregaret. Idem quoque vnigenitus condolens infirmitati hominum, cernenſque quod ex legibus naturæ, & literæ ſalutem conſequi minimè valebant æternam, charitatis legem inſtituit, quæ nedum gratiam conferret ad promerendum veniam, verùm etiam à morte æterna eriperet, atque ſe cuſtodientem diuina fruitione faceret eſſe beatum. O lex ſancta, & ſuaue mandatum gratiæ exuberatione refertum, per quod donantur debita, merita cumulantur, bene agendi ſubminiſtrantur vires, virtutes accreſcunt, infernus obſtruitur, & cœlorum regna panduntur. Præceptum quippe hoc Domini (quemadmodum Propheta commemorat) lucidum eſt in ſe, mentis illuminans oculos, atque onus eſt, non premens, ſed roborans, non mœſtificans, ſed lætum faciens, non faſtidiens, ſed inebrians, non mortificans, ſed coronans. Hinc eſt, quod huius mandati ac legis lator, inſtitutor & auctor, Dominus videlicet noſter Ieſus Chriſtus humanæ ſalutis deſiderio flagrans, vociferando aiebat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*, ſub faſce legalium mandatorum, *& ego reficiam vos*. Tollite iugum meum charitatis ſuper vos; & diſcite à me, qua regula, quo ordine, qua menſura Deum & proximum diligere debeatis, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Nempe tam ſuaue eſt, vt ſe baiulantem non permittat ſentire fatigationem: atque tam lene, vt de ſe oneratum portando ſuſtentet. Morte carnis quid acerbius? Et tamen de ea legimus ſcriptum; *Fortis eſt vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio.* Perferre vincula, carceres, aduſtiones lampadarum, diſtenſiones aculeorum, excoriationes corporum, inciſiones membrorum, exilium, opprobria, contumelias quis non horrendo pertimeſcat? Et nihilominus (ſacro perhibente eloquio) aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruere illam; quoniam lampades eius, quæ coruſcant in cordibus poſſidentium charitatem, ſunt lampades inextinguibilis ignis, ſancti, & æterni, atque flammarum erumpentium de camino ſupernæ ciuitatis Hieruſalem. Audi harum lampadarum incendio concrematum. *Quis* (inquit) *nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Et paucis interiectis intulit: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neque inſtantia, ne-*

Lib. de obedient. c. 3.

Matth. 11.

Cant. 8.

Rom. 8.

que futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, qua eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Hunc profectò charitatis ignem Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſuo ſecum duxit aduentu, quemadmodum ipſe fatetur, dicens, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* (Luc. 12.) Hoc quippe claruit, quando congregatis in vnum diſcipulis, & promiſſionem ſibi factam præſtolantibus veniente Spiritu ſancto, qui vtique charitas, amor, & ignis eſt, tanquam ignis in figura linguarum ſuper eoſdem apparuiſſe deſcribitur. Nempe per ignem, qui ſemper ſurſum tendit, ipſos in Dei dilectione vehementer accendit: verùm per linguarum ſpecies eos repleuit ſapientia, & omnium ſermone linguarum quatenus proximi charitate inflammati, electorum animas per diuerſarum nationum regiones vſquequaque diffuſas, Eccleſiæ reuocaret ad gremium. In his quippe duobus præceptis, dilectionis videlicet Dei, & proximi, tota lex gratiæ cognoſcitur eſſe innixa. Reſecauit ſiquidem ipſe gratiæ legiſlator numeroſitatem legalium mandatorum, & ſub his paucis compendioſè concluſit. Dum enim aliquando interrogaretur, quod mandatum eſſet maius in lege, ipſum ſic reſpondiſſe legimus. (Matth. 22.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus ſuis. Hoc eſt primum & maximum mandatum.* Secundum autem ſimile huic eſſe comprobauit, dicens: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; & intulit. *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Propheta.* Tantæ vtique efficaciæ, tantæque virtutis ſunt iſta duo charitatis præcepta ab ipſo Domino Ieſu commendata, atque exhibita, vt abſque illis nemo ſaluari, atque cum ipſis nullus valeat omnino damnari. Quàm verò opportunum ſit, quàm neceſſarium, quàmve vtile Deum amare, & proximum, clamat innata ratio, & lex ipſa naturæ: adeò vt nec infidelis ab hoc alienus ſit debito. Nempe ſi legem ſcriptam inſpicias, idipſum in ea intelliges eſſe præceptum. Porrò vtraque lex ex dilectione perficitur; quæ profectò in obedientiæ virtute fundatur. Cæterùm obedientiæ virtus, quæ ad mandatorum legalium exercitationem extenditur, nequaquam ſine dilectione completur; ſed neque charitatis affectus abſque gratiæ infuſione donatur. Quamobrem lex gratiæ, quæ per Chriſtum inſtituitur, vniuerſa præcepta complectitur, ſiue quæ naturaliter inſita ſunt homini, ſeu quæ per Moſem Hebræorum data ſunt populo.

Exhortatio ad charitatem religioſæ vitæ neceſſariam, ex B. Petro Damiano.

CAPVT XIV.

FINIO hanc tractationem cum exhortatione ad charitatem religioſo inſtituto neceſſariam, quam in calce tractatus de perfectione religioſa appoſuit B. Petrus Damianus. Fratres chariſſimi, omnes vos generaliter alloquor, omnes per id in quo omne flectitur genu, Chriſti nomen obteſtor. In fraterna charitate perſiſtite, in mutuo amoris ſtudio aduersùs antiqui hoſtis inſidias vnanimiter conſpirate. Tota ſanctæ operationis veſtræ machina in charitatis ſe vaſibus erigat: omne quod conſtruitis ædificium, ex viuis virtutum lapidibus ſinceræ dilectionis glutino coaleſcat. Arcam quippe, quæ octo animas inter cataclyſmi fluenta continuit, intrinſecus, & extrinſecus liniri bitumine vox diuina præcepit. Sancta ſcilicet Eccleſia, quæ ad reſurrectionis gloriam tendit, ſic intus, & extra bitumine linitur: vt & foris blandiatur in fraterna dulcedine, & intus cohæreat in dilecti mutua veritate. Quiſquis enim intus amat, ſed foris à fratribus morum inconſona aſperitate diſcordat, intrinſecus quidem bitumen habet, ſed extrinſecus non habet. Quiſquis verò ſe ſpecie tenus affabilem præbet, amicitiam ſimulat, ſed in cordis occulto veritatem amicitiæ non conſeruat, damnabiliter intus hiat, cùm forinſecus ſuperducti bituminis ſimulatione cohæreat. Quorum videlicet à diluuiali naufragio neuter eripitur, quia duplici charitatis bitumine, vt diuinitus præceptum eſt, non munitur. Qui autem ſe & foris præbet amabilem, & intus conſeruat amantem, foris cum ramis verbi fructus exhibet beneficij, intus altè radicem figit, quia medullitus diligit; hic profectò & intus & extra bitumine linitur, quia duplici charitatis glutino cum proximis fœderatur. Porrò autem, quia de lignis læuigatis, priùs fieri Arca præcipitur, & ſic deinceps vt bitumine liniatur; qualiter ligna veſtra læuigari debeant, & dolabro pœnitentiæ, ac diſciplinæ poliri, vtrumque ſuprà deſcripſimus: nunc vt compactæ fabricæ bitumen accedat, exigente rationis conſequentia ſuademus. Enim verò, quandiu mores hominum aſperi ſunt, & inculti, inaniter eis charitatis gluten apponitur, quoniam ab inuicem citò diſſiliunt, dum in eis politæ moralitatis æquata confœderatio non tenetur. Eſtote igitur læuigati per ſpiritalis exercitij diſciplinam, eſtote bituminati per charitatis fraternæ concordiam. Quæ tamen confœderatio congruere perfectè non poterit, niſi cùm Arca in cubitu conſummatur, ideſt, cum multis vnus Chriſti vice proponitur. Vnitas quippe facit, vt multa ſibimet inuicem congruant, vt diuerſæ hominum voluntates in compage charitatis, & communis ſpiritus vnanimitate concurrant. Quapropter chariſſimi, ſi cupitis inuicem in Chriſti charitate congruere, ei, qui vobis Chriſti vice præeſt, humili ex corde attentiùs obedite. Non inter vos ſit garrulus ille Cham, qui nudata parentis verenda denunciet, qui paternæ offenſionis obſcœna diuulget. Qui videlicet inter duos fratres medius, nec in primitiis numeretur Iſraëlitarum; nec locum mereatur in plenitudine gentium. Non ibi ſit, qui contempto Paſtore, mercenarium quærat, qui voces alienorum audiat, qui in odij fornace diſcordiæ malleos ludat, qui Regnum Iſraël per ſchiſmatis ſeminarium diuidat. Non eſt, inquit, nobis pars in Dauid, nec hæreditas in filio Iſai. Planè tandiu apes in communi mellificant, quandiu ſub vno Principe perſeuerant. Grues quoque iuxta vocabulum tandiu lineatim congruunt, quouſque vnam ſequendo, literarum vtrimque ordinem non confundant. Roma mox vt condita eſt, duos etiam fratres ſimul Reges habere non potuit: ideoque prima ſurgentis ſtructuræ mœnia parricidio dedicauit. In Rebeccæ concipientis vtero Iacob, & Eſaü, cùm nec dum præter ma-

terna

terna viſcera veſtes induunt, iam velut loricati bella committunt. Rector itaque fratres tanquam filios amplectatur, & foueat, vt & ipſi tanquam patri à filiis deferatur. Scitum quippe eſt illud oratoris Domitij. Cur ergo te, inquit, habeam vt Principem, cùm tu me non habeas in Senatorem? Non vt hæc ſpiritualibus ſint taxanda diſcipulis, ſed vt murmurationis occaſio tollatur infirmis. Omnes itaque diligat, vt iure ab omnibus diligatur. Sic igitur Paſtor, & oues, dux, & militum caterua vno ſpiritu confœderentur in exercitatione virtutum: vt charitas, quæ Deus eſt, indiuiduæ vnitatis in eis teneat Principatum. Hactenus ille.

DOCTRINA III.

DE PERFECTIONE, & eius deſiderio & conatu.

Commendatur ſtudium perfectionis ſpiritualis.

CAPVT XV.

Hebr. 6.

INTERMITTENTES *inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectiora feramur.* Poſt tot commendationes charitatis, opportunè iterum ſub perfectionis nomine, eandem cum ſancto Paulo virtutem commendabimus. Eos igitur alloquitur Apoſtolus, eos exhortatur, qui ratione religioſi inſtituti ad perfectionem tenentur, ne diu in limine, & principio vitæ ſpiritualis hæreamus, nec noſtræ ſolùm ſtudeamus ſaluti; ſed ad perfectiora, hoc eſt, vt plerique Patrum legunt, ad perfectionem feramur. quaſi diceret (Hugo Victorinus ait) *non ſemper immorari debetis in his quæ ad inchoationem pertinent, ſed ad perfectionem tendere.* Notantiſſimè enim declarauit ſanctus Ignatius Pater noſter finem noſtræ vitæ religioſæ eſſe ſaluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare; non tantùm dixit ſaluti vacare, ſed addidit, & perfectioni. Etenim ad curam ſalutis æternæ omnes tenentur ſæculares, & peccatores, imò pagani, & hæretici. Omnium hæc obligatio eſt. Illud autem magis proprium noſtræ profeſſionis ad perfectionem aſpirare; hoc peculiare voluimus, aut debuimus velle cùm religioſi ſtatus iugo collum ſummiſimus, cùm ſecura Chriſti veſtigia inſequi decreuimus, cùm Angelicæ vitæ amore arctiſſimis nos vltro conſtrinximus vinculis: hoc perfectionis bonum appetiuimus, hoc elegimus, hoc quæſiuimus. Equidem, quamuis certus eſſem de mea ſalute in ſæculo ex diuina aliqua, & euidenti Dei reuelatione; nihilominus ad Religionem aduolarem, nec vna nocte in ſæculo manerem, hunc theſaurum perfectionis quæſiturus, hoc cœleſte manna guſtaturus, hanc in valle lacrymarum beatitudinem prærepturus & regnum cœlorum in terris poſſeſſurus; licèt enim nullum periculum damnationis eſſet, licèt nullus teter inferni carcer inſtaret, nulla obſtaret Purgatorij mora, imò licèt nullum cœlum præparatum eſſet poſt hanc vitam, nulla gloria æterna promiſſa, nulla bonorum operum retributio expectanda à liberaliſſimo IESV; imò licèt ipſe dulcis IESVS pro nobis à cruce ſuſpenſus non eſſet, nec cœleſtis vitæ formam ſuo exemplo tradidiſſet, per ſe eſt deſiderabilis, & amabilis, & quærenda perfectio vitæ, non vtcumque, ſed auidè, & vehementer; quod Apoſtolus ſignificauit, dum dixit, *ad perfectionem feramur*; non dixit eamus, ſed *feramur*, hoc eſt, rapiamur, impetu proruamus, quaſi aliena, & ſupercœleſti vi acti. Videmus enim in rebus naturalibus, ea celeriùs moueri, quæ ab alio mouentur; lapis enim, cùm grauior ſit multò quàm auicula, quæ aërem penetrat; celeriùs tamen lapis impreſſa extrinſecus vi mouetur ſurſum, quàm innata leuitate deorſum concitatiſſima volucris. Nam hæc ſe mouet; lapis mouetur. In actibus quoque voluntatis videmus vehementiores motus eſſe, cùm ab obiecti bonitate trahimur, quàm cùm ex conſulta deliberatione intendimus. Tanta igitur eſt perfectionis præſtantia, tam appetenda, & quærenda, vt illam quæſituri potius deberemus peruolare, quàm currere; potius rapi, quàm accedere; potius raptim ferri, quàm ire.

In quæſt. ad Hebr.

2. Regum.

Duo igitur nobis ſunt in præſentiarum exponenda. Vnum, quid perfectio ſit, quantaque eius excellentia? Deinde modus illam conſequendi, & procedendi ad tantum bonum. Atque vt de priori dicamus, quid amplius erat opus, quàm audire nomen perfectionis, vt omnibus ad illam viribus concertaremus. Exemplo nobis ſunt omnes res naturales appetentes, & conantes ad ſuam perfectionem; totæ in hoc ſunt; hoc earum inclinatio, hoc pondus, hoc appetitus, hoc actio, hoc motus, hoc ſubſtantia, hoc vita. Similiter & artificiales idem monſtrant. Quantus labor ſtatuarij, aut pictoris, vt ad perfectionem imaginem deducat? Cur nos perfectionem omnium excellentiſſimæ creaturæ contemnimus, cùm maximè in noſtra facultate ſit per diuinam gratiam? Fingamus informe lignum, quod artifex cœpiſſet figurare, ſenſum aliquem habere; nonne cuperet perfici, & ad conſummationem ſimulachri opus inceptum deduci? Si haberet os, poſtularet ſuam perfectionem? Si habuiſſet manus vitales, ſe ipſum abſolueret; cùm tamen parum interſit eſſe in mundo, aut deeſſe aliquam ſtatuam. Nos autem cùm in noſtra manu ſit, & tanti referat perfectos eſſe, cur non auidè conamur perfici, cur non deſideramus? Saxum ab alto demiſſum, quanta vi ſuam perfectionem appetit, & quærit, tundens, & quatiens obuia quæque impedimenta; nos autem cur torpemus adiuti à Deo, extimulati exemplo Ieſu, expediti remotione obſtaculorum? Accedit quòd ea ſit perfectio animæ rationalis, quæ licèt non eſſet perfectio noſtra, appetenda, & quærenda foret; auſim dicere, vel cum detrimento, & deſtructione noſtri concupiſcere, & exquirere illam deberemus. Quid erit, cùm ſit perfectio, & ſalus, & pulchritudo, & fœlicitas animæ, cùm nos non deſtruat,

ſed ædificet; non noceat, ſed perficiat; non deformet, ſed venuſtet. Quid tandem eſt hoc bonum? quæ perfectio rationalis naturæ? Deo coniungi, Deo adhærere, imò Deum miro modo eſſe.

Quomodo in charitate ſit perfectio vitæ ſpiritualis.

Capvt XVI.

2.2.q.184. art.1. Hoc optimis rationibus explicuit ſanctus Thomas. Quælibet enim res tunc perfecta cenſetur, cùm ſuum attingit finem, & ſe copulat illi, qui rerum eſt vltima perfectio; finis autem creaturæ præditæ ratione Deus eſt. Quare tunc perficimur, cum Deo iungimur & ligamur. Hoc autem potiſſimum ad nos ſpectat Religioſos; ſic enim appellamur, quia religari, & retineri Deo peculiari titulo tenemur, quatenus ad perfectionem obſtringimur. Optimam hanc nominis rationem, cùm ſanctus Au-
2.2.q.81. guſtinus, & ſanctus Thomas commendent, non eſt cur nos contemnamus. Ligare illam rem dicimus, quam ita alteri rei adſtringimus, vt ei facultas adimatur aliò diuertendi. Religare autem, quam iterum eidem rei deuincimus, cum qua priùs coniuncta fuerat, & à qua deſiuens diſtare cœperat. Omnis autem res creata ante in Deo extitit, quàm in ſeipſa. Cùm verò à Deo per creationem proceſſit, quibuſdam quaſi paſſibus progreſſa, ſeſe ab eo remouiſſe videtur. Quare illæ quæ poſſunt, & capaces exiſtunt, rurſum ad Deum reuocandæ ſunt, & cum eo religandæ. Hæc perfectio noſtra, & peculiaris obligatio, atque ab hac religatione dicti ſumus Religioſi, vt vniti, vt inſeparabiles Deo maneamus. Rurſuſque exiſtamus in Deo, & quaſi Deus ſiamus, ſicut antequam eſſemus, nullibi niſi in Deo eramus.

2.2.q.184. art.1. Cæterùm, cùm hæc coniunctio, & adhæſio non fiat niſi medio amore, in charitate conſiſtit eſſentialiter perfectio noſtra, per quam ſimus vnus ſpiritus cum Deo, quemadmodum dixit ſanctus Paulus; & ſicut ſanctus Ioannes ſcripſit:
1.Ioan 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ideo Caſſianus dixit, *Non aliter ad illam veram perfectionem aſcendere poterimus, niſi quemadmodum nullius alterius rei, niſi noſtra ſalutis gratiâ, prior nos ille dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei, niſi ſui tantùm amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem ſtudendum nobis eſt, vt de timore ad ſpem, de ſpe ad charitatem Dei, vel ipſarum virtutum amore perfecto mentis conſcendamus ardore.* Verùm non quælibet charitas perfectio noſtra eſt. Nam, vt ait ſanctus Thomas, *In hac vita haberi poteſt perfectio charitatis dupliciter. Vno modo in quantum ab affectu hominis excluditur. Omne illud quod charitati contrariatur, ſicut eſt peccatum mortale, & ſine tali perfectione charitas eſſe non poteſt; vnde eſt de neceſſitate ſalutis. Alio modo in quantum ab affectu hominis non ſolùm illud, quod eſt charitati contrarium, ſed etiam omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum.* Et hanc dicit eſſe perfectionem, ad quam Religioſi tenemur aſpirare. Itaque perfectio noſtri ſtatus ea charitas eſt, quæ excludat omnem alium affectum, omnem aliam cupiditatem, niſi Dei. nam cùm Deum amare, quantum ipſe in ſe amabilis eſt, nequeamus: imò nec quantum amari à nobis poſſet, id facimus in hac vita. Illud quod magis poſſibile eſt, non amare aliam rem, niſi Deum, negare illi non debemus; & iam ſiquidem in Deum non poſſumus amore intendere, quantum meretur, ſaltem non extendamus amorem ad aliam rem, quæ nihil meretur. Igitur in tali charitate principaliter conſiſtit perfectio, accidentaliter tamen, & inſtrumentaliter in reliquis virtutibus, quæ ad charitatem perficiendam tendunt, & ex charitate perfecta exoriuntur, & animæ ornatum iuuant. De anima ſiquidem perfecta dicitur, *Aſtitit Regina à dextris tuis in ve-* Pſal.35.
ſtitu deaurato, circumdata varietate. quod appoſitè interpretatus Caſſiodorus ait. *In auro intelli-* Caſſiod.
gitur charitas; quod verò aureum eſt, totum de auro eſt: quod eſt deauratum, aurum habet, & aliud etiam eſt. Aſtitit Regina in veſtitu bonorũ operum deaurato, non aureo, ſola ne ſit charitas: ſed adſint cætera quæ charitas ornat. Ipſa, dico, circumamicta varietate meritorum. Et ſi ſit vnitas in charitate cum auro, id eſt, cum doctrina Apoſtolorum, & cocco, id eſt, confeſſione Martyrum; & gemmis, id eſt, puritate virginum; & purpura, id eſt, lamentis pœnitentium ornatur Regina. Vnde in veteri Teſtamento, cortina tabernaculi contexta ſunt de quatuor pretioſis coloribus, ſcilicet byſſo retorta, & cocco bis tincto, & hyacintho, & purpura.

Omnis concupiſcendi rationes ex ingenio, natura, & gratia in deſiderium perfectionis confluunt.

Capvt XVII.

Hæc dixi ſimpliciter, non exaggeranter, vt ſubſtantiam perfectionis clariùs agnoſcamus, & ſciamus quò concertaturi ſumus, in quem ſcopum conaturi, pro qua perfectione laboraturi, ſcilicet vt totis viribus impugnemus cupiditates noſtras, vt prauos euellamus, & deſtruamus affectus, vt nihil, niſi Deum concupiſcamus, & amemus, vt omnia ex rationis, & virtutis præſcripto operemur. Huc, huc collimare, huc contendere, huc conari debemus; hoc officium noſtrũ, hæc occupatio, hoc penſum, hic ſtatus, hæc obligatio, hæc profeſſio, & vita noſtra. Imò hæc dignitas, hic honor, hoc decus, hæ diuitiæ, hæc lætitia, hæc ſalus eſt, hoc opus, hoc deſiderium ſit. Propterea in Scriptura perfectionem inuenio ſignificatam per res omnium concupiſcibiles, & deſiderandas, nimirum per theſaurum, per Manna, per Regnum cœlorum; nam ſicut tres ſunt cupiditatum ſpecies, alia vitij, alia naturæ, alia gratiæ, dum per obiecta omnium in eminenti gradu explicatur perfectio, ſuper omnem cupiditatem concupiſcenda monſtratur. Quid ex vitio cupimus? diuitias. Ideo theſaurus dicitur perfectio, non tantùm ſignificans opes, ſed locupletiſſimas gazas. *Simile,* inquit Ieſus, *eſt Regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.* Quid magis natura noſtra appetit, Matth.13.
quàm

quàm cibum? Ideo *Manna* appellatur perfectio, non tantùm denotans communem eſcam, ſed delitiis plenam, & quæ pro omnibus ſit, vniuerſarum ſaporem continens. *Apoc. 2.* *Vincenti dabo manna abſconditum*, dixit Chriſtus ſancto Ioanni. Quid denique ex gratia deſideramus niſi cœlum, cœleſtemque beatitudinem? ideo Regnum cœlorum dicitur perfectio, non ſimpliciter beatitudinem denotans, ſed cum honorifico nomine, & ampliſſimo Regni titulo. *Regnum cœlorum intra vos eſt*, ait filius Dei: & in oratione quam nos docuit, iuſſit deprecari, *adueniat Regnum tuum*. Itaque omnes rationes cupiendi, omnes deſideriorum illecebræ, in vnam perfectionem confluunt. Ipſa theſaurus, ipſa immenſa opulentia, ipſa cœleſtis ambroſia, ipſa ſocietas cordis, ipſa dulcedo animæ, ipſa honorificentia noſtra, ipſa Regnum, ipſa fœlicitas, ipſa beatitudo anticipata, ipſa vndique ſanctè ſic concupiſcenda, vt omnem vitioſam cupiditatem in illam commutemus, & expiemus, quia theſaurus eſt. Omnem naturalem appetitum in illam transferamus, quia ſapidus, & dulcis cibus eſt. Omnem gratiæ ſanctam ſpem in illa auſpicemur: quia Regnum cœlorum eſt, & gloria quædam viæ. Nonne hîc ſunt omnes rationes cupiendi, aut amandi. Quidquid enim voluntas appetere poteſt aut vtile, aut iucundum, aut honeſtum & honorificum eſt, omnes has bonorum rationes perfectio comprehendit; quia vtilis eſt, ſignificatur nomine theſauri; quia iucunda, nomine manna; quia honeſta & honorifica, nomine Regni; quòd ſi vna ſolùm triplicis huius boni ratio totum cor noſtrum poſſidere poteſt, omnes ſimul, & ſupereminenti gradu ſingulæ, quid non facient.

Super omnia mundi bona deſideranda eſt perfectio, ipſiuſque deſiderium maximi faciendum.

CAPVT XVIII.

MVLTA dici poterant de pulchritudine, de præſtantia, & aliis perfectionis dotibus; ſed quia omnia eius bona nequeunt breui enarrari, his ſolùm tribus nominibus ſatis erit commendata, vt deſideria noſtra ad eam concupiſcendam, atque obtinendam prouocentur. Conſideremus igitur primùm perfectionis nomen, quam vocauit Chriſtus Ieſus theſaurum abſconditum in agro, *Matth. 13. 14.* & deſerto Religionis, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Verè quidem perfectio eſt theſaurus, & abſconditus. Theſaurus ob inenarrabiles diuitias cœli, quibus implet animam: abſconditus, quia ignoramus quantum bonum eius ſit; neque enim, ſi eam agnoſceremus, dubium eſt, quin vniuerſa pro illa conſequenda relinqueremus, & tanquam nihil dediſſe æſtimaremus; quomodo enim quod infinitum eſt, non computaretur gratis acceptum pro finito pretio etiam totius orbis. Sapiens autem *Sap. 7.* non ſolùm theſaurum, ſed infinitum theſaurum perfectionem dixit. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati. O fœlices huius theſauri diuitię, de quibus facimus amicum Deum; nam ſi terrenarũ diuitiarum maxima vtilitas habetur poſſe facere amicos de mammona iniquitatatis, quanto commodius, & fortunatius erit de theſauro bonitatis facere Deum amicum. Locupletiſſimus theſaurus eſt perfectio, quo non corporis diuitiæ, non corporis bona, ſed animæ continentur. Vbi charitatis aurum, vbi virtutum adamantes, vbi meritorum ſmaragdi, vbi Deus ipſe reperitur, & cùm Deus infinitus ſit, infinitum theſaurum meritò appellabimus, vbi is qui infinitus eſt, continetur. Multo enim maiora animæ bona prouidit Deus, quàm corpori, quanto excellit Rex vili mancipio. Quis ſi decerneret muneribus aliquibus donare Regem, & ſeruum, non diſtribueret illa pro dignitate perſonæ? Quis niſi amens eſſet, non eligeret multo pretioſiora, quæ daret Regi, quàm mancipio? Quod de homine prudenti non præſumeremus, minus de Deo ſperare, blaſphemia eſſet. Corpus mancipium animæ eſt; animæ autem domina & regina; quanto igitur antecedit Rex vile mancipium, tanto maiora dona diſpoſuit Deus animæ, quàm corpori, etiam in hac vita. Ergo ſi bona temporalia, ſi theſauri materiales trahunt, & raptant poſt ſe auarorum corda; theſaurus ſpiritualis, theſaurus infinitus, quomodo non allicit, & inuitat nos. Cur his diuitiis non inhiamus? Cur non concupiſcimus? cur non quærimus? cur pro illis vniuerſam ſubſtantiam noſtram non prodigimus. Rectè ſanctus Paſchaſius dixit. *Lib. 7. in Matth.* *Vtendi, & poſſidendi theſauri huius poteſtas cum agro, non poteſt eſſe ſine pretio, quia cœleſtes diuitiæ non niſi damno ſæculi poſſidentur.* Pudeat nos, quot votis, quot anxietatibus mundani auent & quærunt exiguas opes terræ, & nos cœleſtem perfectionis theſaurum adhuc non deſideramus, cùm maximè deſiderabilis ſit. Hoc ſatis oſtendit ſanctus Anſelmus, qui per *theſaurum* non ipſam perfectionem, ſed cœleſte eius deſiderium intellexit. Quanta erit ipſa perfectio, cùm ipſius deſiderium theſaurus ſit, ac proinde concupiſcibile, & deſiderandum; quemadmodum Dauid de ſe ſic fatetur feciſſe: *Pſ. 118.* *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas.* Deſiderium perfectionis deſiderabile eſt; ipſa autem vltra omne deſiderium ſuperdeſideranda, & ſuperſperanda, quia ſuper aurum, & omnem lapidem pretioſum pretioſa eſt, & ſuper mel dulce dulcis. Tanto interuallo oportebat bona animi excellere bonis corporis, bona gratiæ bonis naturæ, bona ſpiritualia bonis materialibus. Etenim bona & diuitiæ terræ adhuc poſſeſſæ non ſatisfaciunt; idcirco nec ipſæ deſiderandæ ſunt: bona autem ſpiritus, non tantùm ipſa ſatiant, ſed ipſorum etiam deſideria recreant, implent, & ſatisfaciunt; quare non ſolùm ſunt ipſa deſiderabilia, non ſolùm ipſa theſaurus, ſed ipſorum deſiderium deſiderabile eſt, theſaurus eſt.

***

De ſuauitate perfectionis, quæ in rebus minutis conſiſtit.

Capvt XIX.

Hinc fit propter iſtam iucundam ſaturitatem perfectionis, nomine Manna ſignificatæ, quod cibus erat, & ſapidiſſimus, vt tanquam cibum eſuriamus perfectionem, & quia ſuauiſſima, appetamus. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, dixit filius Dei. Neque per iuſtitiam aliud voluit ſignificare, quàm perfectionem, quæ omnem iuſtitiam implet. Beati qui ſic deſiderant perfectionem, vt omnem appetitum naturæ ſuperent appetendo illam, qui famelici eius ſint eſurientes, & ſitientes ſimul. Non vnica naturæ appetitione contentus fuit dulcis Ieſus deſiderium perfectionis commendare; ſed per duas quæ omnibus ſunt vehementiores, famis nimirum, & ſitis illud declarauit. Quòd ſi honos & pudor aliquis in nobis eſt, pati uou debemus lentius appetere vitam animæ, quàm corporis, ſpiritualem refectionem, quàm corporalem, maximè cùm perfectio & ſpirituale nutrimentum animæ incomparabiliter ſuperet materiale. Perfectio enim eſt ſicut Manna Angelorum eſca, paratus panis de cœlo, omne delectamentum in ſe habens, omnem ſuauitatis ſaporem continens, deſeruiens
Sap.16. vniuſcuiuſque voluntati. Ad quod quiſque vellet conuertitur; hæc eſca ſpiritualis eſt, quæ ſatiat corda noſtra; quæ ſatisfacit deſiderio, reliqua temporalia exigua ſunt, bona egena, & miſera, quæ non ſiſtunt cupiditatem, ſed ſtimulant; quæ implent nos non aliquo bono, ſed curis, anxietatibus, perturbationibus, mœroribus, miſeriis, damnis, & malis multis. Nihilominus accidit nobis quod ingratis, & perfidis Iſraëlitis, qui ſuauiſſimum, & cœleſtem cibum faſtidie-
Num.21. runt, dicentes: *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Mirum eſt, quomodo potuerint appetere alium cibum, cùm Manna haberet illiuſmet cibi ſaporem, ſiquidem exhibebat illum guſtum, quem quiſque vellet. Neque placet hanc proprietatem exhibendi ſaporem pro comedentis voluntate ſolùm erga iuſtos habuiſſe, non erga iniquos, & ingratos Deo: (licèt hoc etiam perfectioni videatur conuenire; nam ſpiritualis vitæ ſuauitas non ſentitur ab omnibus, ſed peccatoribus eſt inperceptibilis, atque incredibilis.) Communia enim erant bonis, & malis beneficia illa Dei facta Iſraëli, & ſingillatim de hac proprietate Manna idem cenſuerunt, S. Gregorius Nazianzenus, & ſanctus Ioannes Chryſoſtomus. Quæ igitur fuit cauſa illius tædij? non certè ſapor: illum enim habebat quem quiſque volebat. Cauſa igitur fuit, quam Iſraëlitarum murmuratio indicat; leuitas, exilitas, & minutiæ ipſius Manna; quia leue, quia minutum erat; multi enim in cibo, & potu pluſquam ſaporem requirunt, nimirum odorem, colorem, figuram, quantitatem. Nos ſimiliter contemnimus perfectionem, quia conſtat multis minutiis; neque enim perfectus aliquis eſſe poteſt, ſine magna cura rerum minimarũ, & vitatione leuium culparum, ac inperfectionum, quamuis paruæ appareant; nobis autem, quia parum, quia leuia multa videntur, non minorem rem contemnimus, quàm profectum noſtrum, quàm gaudium Angelorum, quàm gloriam Dei, quàm ipſum Deum, qui in anima perfecta, & ſollicita de minimis gloriatur. Caueamus tamen, & timeamus pœnas, quas inflixit Dominus contemptoribus Manna. Etenim cùm miſericordia eius ſuper omnia opera eius ſit, rigidiſſimis ſuppliciis animaduertit in illos, qui deſiderarunt allia, cæpe, porros, ollas, & panem Ægypti. Primò accenſus in eos ignis Domini deuorauit plurimos ipſo in eſu coturnicum, quas deſiderauerant. Num.11. Poſtea cùm iterum habuerunt tædium Manna, ignitos ſerpentes immiſit Dominus, qui murmurantium artus depaſcerent. Num.21. Similis profectò pœna eſt contemnentium perfectionem; in ipſa enim poſſeſſione ſuorum terreſtrium, & carnalium deſideriorum excruciantur, & incendio nouarum cupiditatum exuruntur. Atque rabidi, & ſerpentini curarum, mœrorum & anxietarum morſus, & virus illos enecant, & lacerant. Quòd ſi nobis videntur Iſraëlitæ peruerſi, ingrati, ſtulti, & meritò puniti qui propter ſtultam illam, & ridiculam cauſam, cœleſtem, & mirandum cibum tædio habuerunt. Quid de nobis iudicare debemus? Siquidem non vmbram perfectionis, ſed ipſam perfectionem, & diuinum Manna leuioribus cauſis contemnimus, & faſtidimus; ſi non deſiderare illam damnandum eſt, quid merebitur, qui negligit?

Quomodo perfectio, quæ Regnum Dei eſt, excedat mundi regna.

Capvt XX.

Poſt hæc omnia, quem uou alliciet, & ad ſe trahet amplus, & magnificus titulus, quo filius Dei inſigniuit perfectionem, vocans illam Regnum cœlorum, cùm dixit, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Rom.14. Atque clariſſimè Apoſtolus; *non eſt enim Regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Hoc Regnum ipſe Ieſus dixit intra nos eſſe, quippe in corde noſtro per charitatis perfectionem continetur. Quare meritò Hugo Victorinus, cor ſanctum, pacatum, & perfectum vocauit Regnum cœlorum. *Vis* (inquit) *eſt quadam, quæ ſic de corde operatur, & retinet cor fluxum, & vanum, ne pereffluat in abyſſum exterminij. Vis iſta, ſeu violentia rapit Regnum cœlorum. nam Regnum cœlorum vim patitur. Nobile Regnum poſſidet, qui cor ſuum poſſidet; non regnat, qui in corde ſuo deditus ſeruitutibus vitiorum præſidet vrbibus, & turbis populorum. Solus is regnat, qui depoſito cordis imperio ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum, & exteriorum.* Lib. 3. de anima cap.12. Similiter ſanctus Bonauentura ſcripſit: *Tunc Regnum Dei in animam venit perpetuo ſolio ſtabilitum, quando in tantum virtus ardentis amoris præualet in ſpiritu, vt non ſolùm inordinationes interiorum ſenſuum velociſſima inſurrectione viriliter comprimens, domina totius Regni ſpiritualis appareat, ſed cum virtute ipſius amoris omnia acta*

indicio

iudicio rationis præſentantur, vt illud quod plus dilecto placere decreuerit, ſemper in omni actu exerceat. Vbi eſt ambitio noſtra, vbi cupiditas, vbi amor proprius, ſi hunc honorem, hanc dignitatem, hanc maieſtatem, hoc Regnum, hanc gloriam, hanc raram, & admirabilem in valle lachrymarum beatitudinem non conamur præripere. Regnum Dei perfectio eſt, cur ad regnandum non attollimus animos. Regnum Dei perfectio eſt, quia per illam regnat anima, non ſubdita corporis, ſed domina. Regnum Dei perfectio eſt, quia per illam poſſidemus Deum, & Deus noſtra hæreditas, & noſtrum regnum eſt. Regnum Dei perfectio eſt, quia per illam etiam Deus regnat in nobis, & iucundius in cordibus perfectorum ſedet, quàm in ſydereis cœlis: nam perfecti, pulchriores, & perfectiores ſunt cœli, vbi Deus reſidet. Regnum Dei perfectio eſt, quia per illam guſtamus beatitudinem Regni cœlorum. Tantùm regnum, imò tot regna, cur non appetimus. Si omnibus innatus eſt amor beatitudinis, perfectio beatitudo eſt anticipata in hac vita, quam tot cordibus concupiſcere debemus, quot dicitur modis Regnum Dei. O fœlices qui huius regni Reges ſunt, cuius comparatione regna temporalia nihil fœlicitatis addunt, nihil ſunt. Conferamus Dauid Regem, & Eliſeum pauperem, non propterea fœlicior Dauid cum magno terræ regno, quàm Eliſeus ſine vllo terræ palmo. Cur? Quia Eliſeus Regnum ſpirituale perfectionis poſſedit, quo ſi Dauid caruiſſet, infœlicior eſſet paupere Eliſeo; neque tamen fœlicior illo fuit, licèt imperium temporale habuerit, quo tamen Eliſeus caruit. *Nec minus*, ait Ambroſius, *Beatus Eliſeus quàm Dauid, cùm alter Regibus ſubditus, alter regali poteſtate præditus, propheticæ ſanctificationis haud disparem ſine adeptí gratiam. Quid enim deeſt ei, qui illud bonum poſſidet, habet ſibi ſemper comitem, ſociamque virtutem? In quo ſtatu non potentiſſimus? In qua paupertate non diues? In qua generis ignobilitate non clarus? In quo ocio non laborioſus? In qua debilitate non vegetus? In qua infirmitate non fortis? In qua ſomni quiete non feriatus, quem etiam quieſcentem virtus propria non relinquit? In qua ſolitudine non ſtipatus, quem vita beata circundat, quem veſtit gratia, quem gloria amictus illuſtrat? Non minus etiam otioſus, quàm cùm operatur Beatus, nec minus dormiens, quam vigilans glorioſus: quia non minus dormiens, quam cùm vigilat incolumis & ſanus eſt. Quando autem feriatus videri poteſt, cuius mens ſemper operatur. Quando autem ſolus, qui cum illo ſemper bonus eſt, de quo ait Propheta: Replebimur in bonis domus tua? Quando abiectus, cuius conuerſatio eſt in cœlo? Quando non decorus, qui ad illius decori, & ſolius boni ſe conformat ſimilitudinem: qui etiamſi membris ſolutus ſit, tamen mente ſe erigat? Et tanquam ille, qui cithara canere ſolitus, ſi eam diſſipatam reſolutis neruis, & confractam viderit, & vſum eius interruptum, abyciat eum, atque eius numeros non requirat, ſed voce ipſe ſe mulceat: ita & iſte citharam corporis vitioſam iacere patietur, cor de ſe oblectabit, bona conſcientia recordatione mulcebit, diuinis oraculis & ſcriptis Propheticis alleuiabit, ſuaue illud, & iucundum animo tenens, mente complectens, cui nihil triſte poſſit accidere, cùm ſemper ei diuina præſentia aſpiret gratia, & ipſe ſibi aſſit ſumma animi tranquillitate perfuſus.*

Lib. 1. de Iacob. & vita beata.

Hæc igitur eſt perfectio tota deſiderabilis, ad quam ferri nos hortatur Apoſtolus, quam licèt aptis ſimilitudinibus conati ſimus commendare, nihil, puto, magnum de ea explicuimus; adhuc latet, adhuc abſconſa manet, mirum eſt ea quibus comparatam vidimus à Chriſto Domino non appellari ſimpliciter, ſed cum adiectione reconditæ ſuæ excellentiæ. Theſaurus dicitur, ſed *abſconditus* additur; Manna dicitur, ſed *abſconditum* adiicitur. Regnum Dei, ſiue cœlorum, dicitur etiam abſconditum, quippe dicatur intra nos eſſe, non hoc viſibile cœlum, ſed abſconditum, & inuiſibile regnum cordis. Cur omnia dicuntur abſcondita, niſi quoniam præſtantia perfectionis poſt omnem comparationem adhuc abſconſa, & ignota videatur. Deinde, quia intus eſt, non in exterioribus rebus quærenda Demum ob inexplicabilem dulcedinem, & ſuauitatem ſuam, vt de illa verè dicatur, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te. Vbi nam? cum theſauro abſcondito, cum Manna abſcondito, cum Regno cœlorum abſcondito quoque, & intra nos inuiſibili.

Quot deſiderijs ad perfectionem currendum ſit.

CAPVT XXI.

NVNC videamus, quo impetu debeamus ad perfectionem ferri? Et quidem ſecundùm Auguſtinum anima graditur, ſcandit, & volat; nam habet pedes, & ſcalas, & pennas. Quo igitur ex his modis ad perfectionem properabimus? non eſt opus hoc rogare; nam quæ omnibus modis appetenda eſt, omnibus etiam viis eſt quærenda. Ad illam & pergere, & aſcendere, & volare debemus. Pergit, ſeu ambulat anima deſideriis, aſcendit oratione, volat mortificatione: his tribus modis ferri ad perfectionem oportet, vehementer deſiderando illam, inceſſanter deprecando, & generosè operando, & mortificando nos. In primis per deſideria procedimus; pedes enim animæ iuxta ſanctum Auguſtinum, affectus ſunt, deſideria greſſus, cùm ardua & difficilis ſit perfectio ſine magna voluntate, & auido deſiderio, deficiemus in eius conſecutione; quare oportet acribus deſideriis æſtuare, inhiare, aſpirare ad illam. Quemadmodum ſanctus Dauid de ſe dicit. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.* Non loquitur de ore corporis, non de ſpiritu, & halitu materiali, ſed de Spiritu ſancto, de ſpiritu vitæ cœleſtis, & de illo ore, de quo Apoſtolus dixit, *Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthy, cor noſtrum dilatatum eſt. Os animæ hians, deſiderium eſt.* Idem Dauid beatum prædicat virum propter hæc deſideria, qui in mandatis Dei cupit nimis. *Quid eſt* (Richardus ait) *velle nimis, niſi plus velle, quàm poſſe?* Hoc autem deſiderare eſt. Similiter filius Dei Beatos pronunciauit, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. *Non nobis* (ait Hieronymus) *ſufficit*

Pſal. 118.

2. Cor. 6.

Lib. 1. in Matth. ad cap. 5.

velle iuſtitiam, niſi iuſtitia patiamur famem, vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitia opera intelligamus. Hi qui ſic deſiderant perfectionem, vt eſuriant, ſatiabuntur quidem obtinentes ipſam perfectionem, poſſidentes Deum: ſed nihilominus dulcis illa eſuries manebit, & iucunda illa deſideria procedent; ſic enim in mandatis Dei cupiunt nimis, ſic deſiderant iuſtificationes Dei, vt cupiant plus deſiderare, vt etiam ſatiati dulciter eſuriant, vt etiam poſſidentes actiùs concupiſcant poſſidere, optent amare. Ipſa Sapientia, quo nomine intelligitur perfectio, dicit, Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient. *O Bone*
De gradib. charit. c. 2. *Deus*, Richardus exclamat, *quem amare edere eſt, quomodo amantes te ſic reficis, vt magis eſuriant, niſi quia tu ſimul cibus es, & eſuris, & qui te non guſtauit, te prorſus eſurire neſcit; ad hoc ergo cibas, vt eſurire facias.* Et rurſus. *Non potuit ſatiari deſiderio, qui nihil deſiderare concupiuit; fames enim animæ deſiderium eſt. Sic verò Deum amans anima amore non ſatiatur, quia Deus amor eſt, quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit, vt nullus ſit finis amoris. Vides igitur, quemadmodum inſuperabilis eſt charitas, omnia ſuperans, ita & inſatiabilis, omnia vorans, & ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis delitiys amplius in deſiderijs exardeſcit, quod etſi dentur ad plenitudinem, nunquam tamen ad ſatietatem.*

Quantum iuuet oratio conſequutionem perfectionis.

Capvt XXII.

Itaqve deſideriis optanda perfectio eſt, deſideriis quærenda, deſideriis apprehēdenda, deſideriis retinēda, deſideriis amplianda: ſed adhuc nil amplius fiet, quàm gradi, nondum ad perfectionem feremur. Si nihil vlterius, quàm quod deſiderando fit, procederemus, ad ſummum graderemur, non egrederemur, non aſcenderemus, multo minus peruolaremus. Oportet autem ſic gradi, vt egrediamur, quemadmodum ſanctas animas alloquitur Salomon. *Egredimini filiæ Sion. Sic gradiamini,*
In Cant. inquit iterum Richardus, *vt à vobis ipſis egrediamini. Gradiūtur enim aliqui, ſed non egrediuntur, quia nunc procedūt, nunc retrocedūt, nunc remiſſè, nunc diſtortè incedunt,* &c. *Hi autem omnes, etſi gradiantur, intra ſe tamen remanent, quia priſtinos mores, & imperfectionem inolitam, atque torporem, non relinquunt, vt emendatis in omnibus, & mundatis oculis cordis egrediantur.* Quare vt egrediamur è nobis, oportet leuare ſe ſupra ſe, & per ſanctas orationes aſcendere, implorando diuinum auxilium. Quid aliud ſignificat ſcala Iacob, per quam aſcendebant Angeli, & cui pronus innitebatur Dominus; niſi quòd orantibus, hoc eſt, aſcendentibus mente ad cœlum puris, & innocentibus Angelorum inſtar pronus & attentus eum ſua gratia Deus ſit, & eorum expectet amplexus, quibus occurrere, quibus vniri, à quibus ligari, & quos perficere cupit. Perfectio ſiquidem in hac vnione charitatis, & amplexu amoris, atque, vt ſic dicam, religatione cum Deo conſiſtit. Ad hoc autem orationes maximè iuuant, quandoquidem preces ex ardenti corde prolatæ, quia Deum ligant, ſunt vitta illa, de quibus dicitur, *ſicut vitta coccinea labra tua*, dum precatur ſancta anima. Quapropter orationem feruidam Deum ligare, & vulnerare, & incendere, diſerta oratione interpretatur Gilbertus, nimirum ait. *Ea labra ligant, & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur. Concepta in corde charitas; quaſi igni flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit. Calor de excelſo miſſus in corde, germanum labijs præſtat colorem. Quid enim aliud ſibi vult, quòd coccinea dicuntur, niſi quòd in hoc flammea demonſtrantur, eo quòd coccus igneo rubet colore? Labia hæc iam non altaris carbone purgari indigent, & exteriori igne aduri; ipſa enim de interiori ignis flamma iam flammea ſunt, & conceptum viſceribus de excelſo ignem alijs ſeminant. Salutarem vtique diſſeminant ſcientiam, legem igneam, quam Dominus venit mittere in terram? Benè coccinea labia, quæ hunc ignem non ſolùm in terram, ſed etiam in cœlum mittunt. Denique & ipſum cœli Dominum ſuccendunt; ideo coccinea labia commendat, quòd ibi coccinea ſunt, quòd ibi calentia videntur, quòd illa flammea ſentit, & in mutuam amplius charitatem ſuccendunt. Mira res. Ignis ipſe eſt, & noſtris tamen inardeſcit ſcintillis. Quid mi? Et gladius eſt verbum Dei, & tamen vulneratur. Vulneraſti,* inquit, *cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. Vulneratur oculo, labio inflammatur etiam, & ligatur. Ideo vitta comparatur. Sed charitas vulnus eſt, vitta coccus. Vides quàm acuta, quàm tenax, quàm ignea eſt charitas? Talibus inhærendo vtere labijs, tenaci velut vitta vinculo memoriæ cordi tuo dilectum aſtringe, agglutina, ſuccende illum, ſuccenſo affectu.* Hæc ille.

Sed & Zacharias Propheta prædixit quantum orationes, & preces iuuent conſequendam perfectionem, & quomodo conuertant homines in Angelos per hanc ſcalam aſcendentes. *In die illa,* Zach. 12.
inquit, *proteget Dominus habitatores Ieruſalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quaſi Dauid, & domus Dauid, quaſi Dei, ſicut Angelus Domini in conſpectu eorum.* Hoc eſt, tepidi, & ignaui, & non valde curantes offenſas Dei, ſic proficient, vt diligentiores deinceps ſint, & grati Deo ſicut Dauid. Ij verò qui feruidi fuerint, ſolliciti & ſerui Dei ſicut Dauid ampliùs proficient, & fient, ſicut filius Dei, aut tanquam Angelus cœli. Vnde hæc tam mirandus profectus? *Effundam* (inquit) *ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me.*

Quod plurimum iuuabit conſequutionem perfectionis eſt mortificatio.

Capvt XXIII.

Oportet tamen aſcendere, non vtcumque, ſed celeri volatu orationi iungendo mortificationem. Oratio enim quam mortificatio non ſociat, ſine pennis eſt.
Deſide

Deſideriis gradimur, oratione aſcendimus, mor-
tificatione tamen volabimus in profectu noſtro,
& perfectionis conſecutione. tunc anima, vt Ri-
chardus inquit, ſe in ſe totam perſtringens, non
iam aſcenſoriis gradibus, vel paſſibus vtitur, ſed
inopinatis ruptibus, vel exceſſibus fertur, vo-
lans, non vadens. Opera ſunt neceſſaria. Exerceri
plus iuuat, quàm ſolùm meditari. Et quemad-
modum aliæ artes, non ita doctrina, ſicut exerci-
tio diſcuntur, ſimiliter perfectio operibus magis,
quàm meditationibus obtinetur, vincendo ſe
magis, quàm fruendo Deo; non ſolùm opran-
do deſideriis, non ſolùm ſperando oratione, ſed
quærendo, & pulſandò mortificatione. Quare ſi
volumus citò ad perfectioοem ferri, non per-
mittamus nos ferri noſtris cupiditatibus. Tunc
quippe non gradiemur, non curremus ſolùm,
ſed peruulabimus cùm vim nobis facientes ope-
re ipſo progrediemur. Theſaurus perfectio eſt,
manna eſt, Regnum cœlorum eſt, omnia iſta no-
mioa mortificationem requirunt, vt obtineri per-
fectio poſſit. Theſaurus perfectio eſt, ſed the-
ſaurum iſtum ſecundùm Apoſtolum habemus
in vaſis fictilibus corporum noſtrorum, quæ
contundere neceſſe eſt, vt illo fruamur. Manna
quoque perfectio eſt, ſed hoc vincenti ſolùm
promiſit Christus, quia neceſſe eſt vincere nos,
Iud 7. quemadmodum Gedeon comploſis lagenis,
confractis hydriis fictilibus, contuſis noſtris cor-
poribus, vt iſte theſaurus lucis, quæ perfectio eſt,
appareat, Regnum etiam cœlorum perfectio eſt;
ſed Regnum quod vim patitur, & violenti ra-
piunt illud. non dixit Chriſtus, deſiderantes ra-
piunt, non dixit, orantes ſolùm rapiunt, ſed *vio-
lenti rapiunt.* qui mortificati ſunt, qui validè
ſibi inferunt vim, hi obtinent Regnum Dei, licèt
arduum, licèt ſublime: ad illud vſque non gra-
diuntur, ſed volant. Hinc eſt, ſanctum Spiritum
in columbæ, & ignis ſpecie apparuiſſe, vt effe-
ctus ſignificaret ſuos, eos nimirum per ſuam
gratiam columbinis alis peruolare, qui ſe purga-
rent igne mortificationis. Eadem cauſa currus
quoque, & equi ignei Prophetæ Eliæ non cu-
currerunt, ſed volarunt, aërem penetrantes, vt
in cœlum raperent ſanctum virum. Hinc etiam
ſibilus ille auræ tenuis, in quo erat Dominus, ei-
dem Prophetæ apparens, venit proximè poſt
3.Reg.19. ignem. Perfectio eſt aura tenuis, mortificatio
ignis, quia poſt hanc ſtatim apparet Deus in per-
fectæ animæ ſuauitate, & pace. Itaque deſide-
ria inuent orationem, oratio mortificationem,
vt hæc vincat, atque obtineat, & vincenti de-
tur Manna, & violentus rapiat Regnum cœlo-
rum. Iudas Machabæus toties vicit, quoties ora-
uit, in vltimo ſolùm prælio vbi non legitur oraſ-
ſe, legitur cecidiſſe.

---

*An vehemens, & efficax deſiderium
perfectionis remittat pœnas pec-
catorum inſtar ſecundi
Baptiſmatis.*

Capvt XXIV.

ANTE tractationem ſequentem de obliga-
tione perfectionis, alia hîc prærogatiua
ipſius perfectionis interſerenda eſt, ad commen-
dationem ſanctiſſimæ cupiditatis illam conſe-
quendi. Adeò excelſa res, adeò digna, adeò gra-
ta Deo perfectio eſt, vt ipſios ſolum deſiderium,
ſi verum, & efficax ſit, cùm adſtringit ſe Reli-
gioſus ad perfectam vitam comparandam per
renuntiationem ſæculi, omnium mereatur re-
miſſionem peccatorum. Hinc eſt illa excellentia,
& priuilegium religioſæ profeſſionis, per quam
aboleri omnia peccata inculcant Patres, & Scho-
laſtici admittunt; ac propterea ſecundus Ba-
ptiſmus appellatur. Neque enim tantam præro-
gatiuam haberet religioſus ſtatus ex natura ſua,
niſi includeret deſiderium, propoſitum, & obli-
gationem aliquam procurandæ vitæ perfectæ.
Neque hoc vtcumque, ſed cum holocauſto ſui
in omnibus rebus; hinc meretur ingreſſus Re-
ligionis omnium peccatorum relaxationem, hinc
ſecundum Baptiſma, & ſecunda regeneratio di-
citur. Sanctus Bernardus dixit, *meruiſſe Mona-* In lib. de præ-
ſterialem diſciplinam hunc prærogatiuam, vt ſe- cept. & di-
cundum Baptiſmu nuncupetur. Idem nomen dedit ſpenſat.
ſanctus Hieronymus, cùm conſolatur Paulam
de obitu Bleſillæ, & in cohortatione ad Deme-
triadem. Sic ſanctus Damaſcenus ait, *diuinum* De profeſſ.
hunc profeſſionem peccatum propulſare, atque in- relig.
*corruptionis per diuinum Baptiſma nobis conceſſu
ſociam, atque opitulatricem eſſe perſpectum habe-
mus.* Et S. Odo Cluniacenſis Abbas ſcribit: *Ea-* Lib. collat. 2.
*dem datur gratia in monachico habitu, qua & in
albis Baptiſmi.* Eadem ratione B. Petrus Damia-
nus in opuſculo aduerſùs Epiſcopum Mona-
chos ad ſæculum reuocantem, dixit, *monaſticæ
vitæ propoſitum ſecundum eſſe Baptiſmum.* Au-
thentica de Monachis ſimiliter dixit. *Monacha-
tus omnem maculam abſtergit.* Eundem Goffri-
dus Abbas Vindocinenſis nunc ſtolam, nunc
habitum ſecundæ regenerationis vocat. Beatus
Theodorus Studita etiam ſcripſit in teſtamento
ſuo. *Profiteor inſuper & habitum monaſticum
ſublime quiddam præſtanſque, & Angelicum ha-
beri, quo accuratè degendo, ac mirum in ad leges
monaſticas diuini magnique Baſilij exigendo, non
dimidiatim obeundo, quod plerique faciunt, qua-
dam repudiantes, cuncta expientur noxia.* Hinc
ſanctus Thomas in opuſculo de perfectione vi-
tæ ſpiritualis dixit. *Religioſus ſtatus non ſolùm
perfectionem charitatis, ſed etiam perfectionem
pœnitentiæ continet, in tantum, quòd nulla ſunt
peccata tam grauia, pro quibus poſſit homini im-
poni pro ſatisfactione Religionis aſſumptio, quaſi
Religionis ſtatu omnem ſatisfactionem tranſcen-
dente.* Huic Patrum ſenſo conſonant multa ora-
cula de cœlo. Ioannes Subdiaconus ſcribit. *Fuit* Libell. de
quidam magnus inter præuidentes, hic affirmabat, contempt.
dicens, quia virtutem quam vidi ſtare ſuper Ba- c. 9.
*ptiſma, vidi etiam ſuper veſtimentum Monachi,
quando accipit habitum ſpiritualem.* Tum inſul-
tantibus Diabolis aduerſùs Beatum Antonium,
& quæ in ſæculo patrarat errata obiectantibus,
Angeli ſancti reſponderunt non debere eos à
natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Chriſti
eſſent bonitate ſopita. Si qua autem ſcirent ex
eo tempore, quo eſſet factus Monachus, & Deo
ſe conſecraſſet, licere proferri. Quibus verbis il-
lud ſanè Angeli ſignificarunt, omnia peccata ea
die, qua Deo conſecramur, obliterari. Quod &
Simeoni, & Ioanni, ſanctiſſimis adoleſcentibus
profeſſuris, à quodam ex fratribus clariſſimè

dictum eſt, vt Leontius Cyprius narrat. *Beati eſtis* (inquit,) *quoniam cras regenerabimini, & mundi efficiemini, ſicut nati eſtis ab omni peccato, perinde ac ſi ipſo die eſſetis baptizati.* Viſique ſunt iis diebus, quibus induto monaſtico habitu vota nuncuparunt, ſplendidiſſimis coronis, & magno lumine diuinitus circumdati, vt idem auctor refert. Adde his ea quæ Beato Anſelmo Cantuarienſi cœlitus reuelata legimus, *Peccata nimirum, quæ antea Osbertus Monachus fecerat, in ipſa profeſſione deleta inueniſſe antiquum ſerpentem.*

Arbitror hanc prærogatiuam non competere iis, qui religioſis vinculis ſe adſtringunt, niſi ardenti pariter accingantur deſiderio ad perfectionem obtinendam. *Tum, quoniam ſic poſſunt intelligi,* (vt ſanctus Antoninus ait) *quædam aliæ viſiones, de quibus Religioſi, qui mortui ſunt, reuelauerunt ſe eſſe in Purgatorio, etiam pro peccatis in ſæculo factis.* [3.p. tit. 16. c. 3. §. 3.] Tum quoniam ſi huius priuilegij rationes à Patribus, & Scholaſticis traditas perpendamus, inueniemus propoſitum hoc includere. Audiamus primùm ſanctiſſimum Bernardum. *Audire* (inquit) *& hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt ſecundum Baptiſma nuncupetur. Arbitror, ob perfectam mundi abrenuntiationem, & ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quæ præminens vniuerſis vitæ humanæ generibus huiuſcemodi conuerſatio profeſſores, & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit, immo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto, inſtar Baptiſmi. Et quaſi denique ſecundò baptizamur, dum per id, quòd mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, rurſum Chriſtum induimus complantati denuo ſimilitudini mortis eius. Sed & quomodo in Baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in Regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in Sacti huius ſecunda quadam regeneratione propoſiti, de tenebris æquè non vnius originalis, ſed multorum actualium delictorum in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apoſtoli: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* [De præc. & diſp.] Hæc Bernardus. Similiter ſanctus Hieronymus, cum Paulam de Bleſillæ felici obitu conſolatur. *Re vera* (inquit) *ſi ſæculare deſiderium, & quòd Deus à ſuis auertat delicias huius vitæ, cogitantem mors immatura rapuiſſet, plangenda erat. Nunc verò cùm propitio Chriſto ante quatuor ferme menſes, ſecundo quodammodo propoſiti ſit Baptiſmo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo, ſemper monaſterium cogitarit, non vereris ne tibi Saluator dicat: Iraſceris Paula; quia filia tua facta eſt filia mea?* [Epiſt. 25.] Eandem vim habet etiam illa eiuſdem Hieronymi cohortatio ad Demetriadem. *Nunc,* inquit, *quia ſæculum reliquiſti, & ſecundo poſt Baptiſmum gradu iniſti pactum cum aduerſario tuo, dicens ei: Renuncio tibi Diabole, & ſæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, ſerua fœdus quod pepigiſti.* [Epiſt. 8.] Itaque & Bernardus, & Hieronymus includunt ſanctum propoſitum, vel pactum perfectionis; nimirum, in hoc religioſæ profeſſionis ſecundo Baptiſmate. Angelicus verò Doctor æquè arctè loquitur. *Rationabiliter dici poteſt, quòd per ingreſſum Religionis aliquis conſequatur remiſſionem peccatorum omnium. Si enim aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis, ſecundum illud Danielis,* [2. 2. q. 189. a. 3.] [Cap. 4.] *Peccata tua eleemoſynis redime, multo magis ſatisfactioni pro omnibus peccatis ſufficit, quod aliquis ſe totaliter diuinis obſequijs mancipet per Religionis ingreſſum, quæ excedit omne genus ſatisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in Decretis trigeſima tertia quæſtione, Canone Admonente. Sicut etiam holocauſtum excedit ſacrificium,* vt Gregorius dicit *ſuper Ezechielem.* [Hom 20. à medio.] *Vnde legitur in vitis Patrum, quòd eamdem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati.* Hæc ſanctus Thomas. Quid autem eſt totaliter ſe diuinis obſequiis mancipare, prout loquitur ſanctus Doctor, quid non ſolùm ſacrificium, ſed holocauſtum ſui facere, niſi omnino ſe vni Deo conſecrare, & ſe accingere ad perfectionem cum magna eius conſequendæ cupiditate: amittet autem hoc priuilegium, quicumque eam contempſerit.

Denique ad omnem torporem excutiendum erit magnum operæ pretium memorare quod ſanctus Antoninus cenſuit hanc remiſſionem peccatorum, & ſecundùm religioſæ profeſſionis baptiſma iis, qui à primo feruore deficiunt, non prodeſſe; exiſtimat enim ſub conditione remitti peccata per profeſſionem religioſam. *Hoc tamen eſt,* inquit, *ſub hac conditione, vel modo, vt ſi ſuperuiuant, ſatisfaciant. Quòd ſi fecerint, bene quidem; ſi autem non ſatisfaciant, ſed ſunt negligentes, in carcere Purgatorij ſatisfacient.* [3. p. tit. 16. c. 3. § 3.] Hæc ille. Adiicit mox, *Si ante negligentiam mortuus fuerit Religioſus, tametſi ſatisfaciendi tempus non habuerit, nihil in altera vita ſatisfaciendum eſſe pro antiquis ſæculi peccatis. Tanti eſt ſolicitudo, & feruor, adeò nocens eſt deſidia & ſeper, adeò ſalutaris eſt cupiditas perfectionis.* Hinc meritò ſcriptor antiquiſſimus vitæ ſancti Pachomij dixit. *Sicut nihil abeſt hominibus ſæculo deditis, ſi ſe tradiderint Monachorum inſtitutis: ita nihil vtilitatis affert Monachis profeſſio venerabilis, ſi negligẽtes exiſtunt: ſed neque oratio paterna, nec condeſcenſio eos poterit adiuuare torpentes.* [In vita S. Pachom. interprete Dionyſio exiguo.] Sententiam ſancti Antonini priùs videtur habuiſſe B. Antiochus, qui in homilia octogeſima ſeptima exhortans ad feruorem Monachos, ait: *Planè prioris vitæ peccata quæ benignitate Domini indulta ſunt, redibunt de integro, ſiquidem ſupino quodam animi deſidebimus veterno: vt enim aurum exploratum igni & perpurgatum, ſi minus accuratè tractetur, ſtrigioſitatem contrahit, & aſperitatem: ita & ſtudioſus virtutis, ſi vel vnam horulam deſederit, otioſus mox à feruore gratiæ refrixit, & in veſtigio ſe illi inſeruit muſca peccati, quæ exinaniuit ſpiritualis opificij ſuaueolentiam.*

* * *

DO

DOCTRINA IV.

DE TENDENTIA AD perfectionem Religioſis neceſſaria.

Obligatio Religioſorum ad procurandam perfectionem.

CAPVT XXV.

Matth. 5.

ESTOTE *ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Inter multa quæ dixit amabiliſſimus Ieſus omni ſuauitate, humanitate, & amore plena, iſtud eſt, cùm ſine inuidia vlla filiationis ſuæ naturalis, & cum magno deſiderio noſtri bnni ſtimulatus iubet, quod non ampliùs expectare, aut ambire vltrà poteramus, vt eſſemus ſcilicet perfecti, ſicut Pater ſuus, & noſter cœleſtis perfectus eſt, vincendo hac ſua benignitate omnes ſpes,& ambitiones noſtras. Quid affabilius, quàm iſta monitio, quid beneuolentius, quid honorificentius nobis? id quod non auderemus cupere, ipſe filius Dei vltrò conſulit, & hortatur. Id quo ſublimius nihil, fœlicius nihil, vtilius nihil facere valemus, affabiliſſimus Ieſus præcipit. Sed ea eſt noſtra peruicacia, vt contemnamus hanc Ieſu Chriſti humanitatem,& beneuolentiam, qua nos ad perfectionem patris ſui admittit & inuitat. Ea eſt animi noſtri vilitas, & abiectio, vt ad hanc dignitatem, atque ingenuitatem non aſpiremus, cùm maximè ad eam ſtimulemur ſalutari,& ſuauiſſima voce filij Dei,& maximè iuuabimur omnipotēti manu eius ipſius, qui tam ſalutare conſilium dedit. Verùm quoniam ſic degener,& ſordidus, & ſeruilis animus noſter eſt, qui neque affabilitate Ieſu,neque dignitate perfectionis conuincatur, vt generosè inſurgat ad hunc honorem: cogamus nunc nos, vrgeamus vt ſaltem metu aliquo trahamur, qui vltrò non aduolamus. Si affabilitas Chriſti non perſuadet nos, ſuadeat obligatio noſtra, ſuadeat timor: hanc enim miſericordiam Dei inter innumeras alias Religioſi conſecuti ſumus, vt omnibus modis, omnibus viis, & vndequaque teneamur probi, & perfecti eſſe & amore, & timore. Et quia Deus vult, & quia nos volumus, vt Deo placeamus, & vt non diſpliceamus, vt ſeruiamus illi, & vt non offendamus, quia conſilio Ieſu Chriſti inuitamur, & quia profeſſione noſtra obligati ſumus aſpirare ad perfectionem. Hoc igitur oſtendam ex priſcis Patribus, & Doctoribus Theologis, quomodo Religioſi teneamur contendere ad perfectionem; ita vt ſi contenti ſimus ſola præceptorum, & votorum obſeruantia, & inſuper nihil curemus de conſiliis, & perfectione, obligationi noſtræ non ſatisfacere dicā, ſed peccare & delinquere, rationeſque colligam, quibus ad hoc affirmandum ducuntur.

Dicta aliquorum Patrum, & Doctorum myſticorum, Scholaſticorum, atque Moralium circa obligationem Religioſi tendendi ad perfectionem.

CAPVT XXVI.

ET quidem ſanctus Hieronymus clariſſimis dixit verbis peccare. Nam ad Heliodorum ſcribit: *Monachum in patria ſua perfectum eſſe non poſſe; perfectum autem eſſe nolle, relinquere eſt.* Epiſt. ad Heliod. Vbi oportet notare ſeuerius verbum quo eſt vſus, non dixit ſolùm peccare, ſed delinquere. Delictum autem non vocatur communiter leuis culpa, ſed grandior; ferè enim vix vllus audiens delictum dubitare ſolet, an ſit mortalis, vel venialis culpa, ſed ſupponit mortalem. Similiter Caſſianus probans perfectionem eſſe paucorum, ex illa Chriſti Domini ſententia. *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſane qui inueniunt eam*, dicit. Lib 4. inſtit. cap. 38. *Conſiderate de paucis & electis effectam, & ne exemplo, ac tempore multitudinis refrigeſcas. Viue vt pauci, vt cum paucis merearis inueniri in Regno Dei. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. &, Puſillus eſt grex cui complacuit Patri hæreditatem dare. Itaque non leue noueris eſſe peccatum perfectionem profeſſum quempiam ea quæ ſunt imperfecta ſectari.* Conſentit S. Odo Cluniacenſis libro collationum primo, vbi dicit: *Illos gehenna deuorat, qui in habitu religionis negligenter viuunt.* Seuerius loquitur ſanctus Cæſarius. Hom. 25. *Venire quidem ad Eremum ſumma perfectio eſt, non perfectè in Eremo viuere, ſumma damnatio eſt.* Eadem habet Euſebius Emiſſenus hom. 4. de Epiphania, dicens: *Animalia, quæ poſſeſſio efficiuntur ſæculi, non poſſunt effici regnū Dei. ideoque fratres videte vocationem veſtrā, venire quidem ſic ad Eremum, ſumma perfectio eſt: non perfectè in Eremo viuere ſumma damnatio.* Idem videntur ſentire ij Patres, qui Religionis ingreſſum ſecundum Baptiſma vocant, & remiſſionem peccatorum illi adnectunt, quorum aliquos nuper commemorauimus. In eodem ſenſu eſt D. Iuo Carnotenſis in Pannomiæ prologo quinto capite, vbi ait. *Prima admonitio non intentat pœnam, ſi quis poſt eam non eat, ſed præmium ſibi acquieſcentibus pollicetur. Vnde Dominus in Euangelio: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Ecce lectio iſta euangelica in voluntate hominis perfectionem ponens, non cogit, non minas intentat, ſicut nec illa, quæ ſpadones laudans, quòd ſe caſtrauere propter regnum cœlorum, ſubiaſert, qui poteſt capere capiat. Attamen cùm ad perfectionem voto ſe adſtrinxerit quis, vel gradum quem nullus abſque continentia virtute aſcendere debet, aſcenderit, eam ſit neceſſarium & pœnale ſi non teneatur, quod ante hanc aſcenſionem fuerat voluntarium: vnde & Dominus dicit: Nemo mittens manum ad aratrum, & retroſpiciens, aptus eſt regno Dei. Poterat enim & ante aſcenſionem eſſe inferior, non tamen ſe deterior; poſt deſcenſionem verò inferior eſt, & deterior.* Hæc ille, qui ſupponit per vota religioſa voueri perfectionem,

ac proinde teneri ad illam. Sed ad Doctorum ſuffragia gradiamur.

2.2.q.186. art.2. Sanctus Thomas diſertiſſimis verbis ait. *Ipſa perfectio charitatis eſt finis ſtatus Religionis; ſtatus autem Religionis eſt quædam diſciplina, vel exercitium ad perfectionem perueniendi, ad quam quidem peruenire nituatur exercitijs diuerſis, ſicut etiam Medicus ad ſanandum vti poteſt diuerſis pradicamentis: manifeſtum eſt autem, quòd ille, qui operatur ad finem, non ex neceſſitate conuenit, quòd iam aſſecutus ſit finem, ſed requiritur quòd per aliquam viam tendat ad finem: & ideo ille, qui ſtatum Religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, vt habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc quòd illa impleat, quæ ad perfectionem charitatis conſequuntur; tenetur autem vt ad ea implenda intendat, contra quod facit contemnens; vnde non peccat, ſi ea prætermittat, ſed ſi ea contemnat.* Poteſt confirmari hæc ſancti Thomæ ſententia ex dicto Saluatoris, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei.* Non dixit Ieſus, nemo mittens manum ad aratrum, & retrahens illam, ſed ſolùm ait, *reſpiciens retro*; quia quod excludit hîc ab aptitudine Regni cœlorum, non eſt executionis defectus, ſed intentionis. Nam deficere in executione eorum, quæ ad perfectionem pertinent, cùm conſilia ſint, & non præcepta, non eſt graue. At deficere ab intentione perfectionis, cùm hæc faciat noſtrum ſtatum, & ad illam obligemur, hoc quidem potiùs peccatum videtur. Arctiùs loquitur ſanctus Thomas in commentariis ad Epiſtolas S. Pauli, vbi dicit eſſe præceptum tendendi ad perfectionem, & neceſſarium, nimirum ſaluti Religioſi.

In 1. Cor. 13. in fin. Verba ſancti Doctoris ſunt. *Boni debēt habere in ſe ipſis æmulationem perfectionis, vnde Apoſtolus dicit: Perfecti eſtote, id eſt, ſemper tendatis ad perfectionem; non eſt autem hoc quod hîc dicit præceptum, ſcilicet quòd homo ſit perfectus, ſed hoc quòd ſemper tendat ad perfectionem, & hoc eſt neceſſarium, quia qui non ſtudet ad proficiendum, eſt in periculo deficiendi. Videmus enim quòd niſi remiges conentur aſcendere nauim, ſemper deſcendit, & ideo Dominus dixit Matthæi 6. Eſtote perfecti.* Hæc ille. Gerſon quoque in induſtria quarta de myſtica Theologia practica dixit, teneri ſe extendere ad perfectionem ſub pœna damni præſentis, & futuri, vbi ait. *Vox multorum eſt, ſufficit mihi vita communis, ſi cum infimis ſaluari potero, ſatis eſt. Nolo merita Apoſtolorum, nolo volare per ſumma; incedere per planiora contentus ſum. Sed viderint hi, quòd iam imperfectio eſt, nolle eſſe perfectam. In via enim Dei, non progredi, regredi eſt. Damnatur inſuper ſeruus piger qui talentum ſeruare contentus, illud in fœnus non tradidit. Faciamus hoc perſpicuum in exemplo familiari: habet aliquis prapotens, nobiliſque paterfamilias plures filios, quemlibet aptiſſimum ad ampliandum honeſtè rem familiarem induſtria ſua. Vnus illorum alijs laborantibus ſedet in domo piger, & iners, nihil curans, dummodo nihil ſordidè viuat; nihil altum, nihil præclarum, vel dignum ingenio ſuo, aut paterna nobilitate recogitet, dicit, ſufficere bona iam ſibi habita, & qualicumque vita vti. Euocat autem pater eum ad actus ſublimiores, & arduos, monet, ſtimulat; quis non facilè viderit, quomodo hic filius ſi obaudit, nec obedit, odioſus erit patri? Sic ſimiliter ponitur apud Patrem cœleſtem his quos trahit ad chariſmata meliora, ad actus diuiniores, dum torpeſcunt inhærentes in infimis, nec ad perfectionem ſemet extendentes.* Hactenus Gerſon. Iſtam igitur exhortationem Patris cœleſtis, qua nos excitat ad chariſmata meliora, & ad perfectionem diuinam per filium ſuum naturalem, ne contemnamus, nec degeneres ſimus.

Atqui ex modernis Doctoribus producam duo teſtimonia magnorum virorum, quorum doctrinæ, & ſanctimoniæ præſtantia antiquitatem compenſauit. Vnus eſt ſeruus Dei, & doctiſſimus vir, Pater Thomas Sanchez, qui ſic ait. *Peccat quoque mortaliter Religioſus contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem, ſi ſeruans regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religioſæ, neque finem per illam intentum.* Lib.6.c.5. n.10. Vbi confirmat, quod ſanctus Thomas dixit, eſſe præceptum tendendi ad perfectionem, quod per ſanctum Matthæum explicuit Chriſtus ſuis diſcipulis. Notanda quoque eſt grauiſſima cenſura eiuſdem Patris Thomæ Sanchez, qui putat eſſe mortale, nolle attingere perfectionē, licèt ſeruet Religioſus omnes regulas. Imò eadem eſt eius ratio, licèt nollet facere venialia; ſi nihilominus ad perfectionem aſſurgere non vellet. Alter eſt P. Suarius, quo nemo in hac materia locutus eſt minus ſtrictè, & ſcrupuloſè. Nihilominus ait: *Vix poteſt moraliter contingere, vt homo etiam ſæcularis habeat firmum propoſitum nunquam peccandi mortaliter, quin conſequenter nonnulla opera ſupererogationis faciat, & habeat formale, vel virtuale propoſitum illa faciendi; quia ſicut ſubſtantia creata non poteſt ſine omnibus accidentibus conſeruari: ita nec ſubſtantia charitatis, & amicitia Dei poteſt ſine aliquibus operibus, quæ ſint extra ſubſtantiam eius, exiſtere. Ergo ſeruata proportione non poteſt Religioſus habere firmum propoſitum ſeruandi omnia ad charitatem, & perfectionem eius neceſſaria in tali ſtatu, quin paratus ſit multa in particulari agere bona, & honeſta, quæ præcepta non ſunt; quia non poſſunt moraliter hæc ab illis ſeiungi.* Tom 4. de Relig. lib. 1. c.4. n.12. Doctores ſcholaſticos plurimos referre poſſum, quorum concors ſententia in hoc eſt teneri Religioſum intendere in profectum perfectionis, qui ſi ſolùm velit ſeruare præcepta, & vota, nihil ampliùs ſtudens ſeruare conſilia, hunc peccare. Nolo hîc definire aliquid de grauitate huius peccati, donec rationes proponam, quibus putant in hoc peccari. Primùm dicam fundamenta Patrum, & Authorum myſticorum. Deinde ſubiiciam rationes Scholaſticorum, vt ex pondere ipſarum vnuſquiſque formet conſcientiam, & in ſenſu ſuo abundet. Non dubito tamen, quin omnes efficaciſſimæ ſint, vt pigritiam omnem deponamus, & meminerimus eius quod Dionyſius Rikelius dixit: *Cùm tam periculoſiſſimum, tamque damnabiliſſimum ſit eſſe in Ordine, & regulam Ordinis non ſeruare, meritò Religioſi qui ſtant, cauere debent ne cadant.* Lib. de reformat. clauſtralium.

Ratio

Ratio Patrum, cur Religioſi teneantur ad perfectionis curam.

Capvt XXVII.

Ratio Patrum, & Magiſtrorum ſpiritualium, propter quam putant eſſe mortale peccatum, non contendere Religioſum ad perfectionem contentum, quòd vota, & præcepta non violet, eſt, quia Religioſus vouit progreſſum ad perfectionem: namque eo ipſo, quòd vouerit media ad perfectionem, dicunt vouiſſe virtualiter ipſam perfectionem. quam ſententiam videtur ſupponere D. Iuo Carnotenſis *in ſuo decreto*, & S. Petrus Damianus, qui libro de perfectione Monachorum ſcribit: *Sub profeſſione monaſtica ſcandere perfectionis excelſa promiſimus.* Inuenio eſſe ſancti Bernardi, qui Religioſos allocutus, ait. *Altiſſima eſt profeſſio veſtra, cælos tranſit, par Angelis eſt, Angelica ſimilis puritati. Non enim ſolum vouiſtis omnem ſanctitatem, ſed omnis ſanctitatis perfectionem, & omnis conſummationis finem. Non eſt veſtrùm circa communia præcepta languere. Neque hoc ſolum attendere quid præcipiat Deus, ſed quid velit probantes quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Aliorum eſt enim Deo ſeruire, veſtrùm adhærere. Aliorum eſt credere, ſcire, amare, reuereri; veſtrùm eſt ſapere, intelligere, cognoſcere, frui. Magnum eſt hoc. Arduum eſt hoc, ſed omnipotens & bonus eſt, qui in vobis eſt pius promiſſor, fidelis redditur, & indefeſſus adiutor.* Sed fortaſſe clariùs ſanctus Hieronymus exhortans Heliodorum ad perfectionem, vbi differentiæ rationem inter ſæculares, & Religioſos reddens, oſtendit, cur hi teneantur ad perfectionem, non ita illi, dicens. *Forſitan dicturus es. Quid ergo, quicumque in ciuitate ſunt, Chriſtiani non ſunt? non eſt tibi eadem cauſa, quæ cæteris, Dominum auſculta, dicentem. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cùm derelicta militia te caſtraſti propter Regna cælorum, quid aliud quàm perfectam ſequutus es vitam? Perfectus autem ſeruus Chriſti nihil præter Chriſtum habet, aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt. Et ſi perfectus non eſt, cùm ſe perfectum fore Deo pollicitus ſit, antè mentitus eſt; os autem quod mentitur, occidit animam.* Et mox: *Dominum feſelliſti, ſi perfectus non es.* Hoc autem non Rhetoricè dixit Hieronymus, nam Doctores, qui ad ſcholæ rigidam trutinam ponderant omnia, idem dixerunt. *Apud Azor.* Sanctus Antoninus, Aſtenſis, Angelus, Syluester, Tabiena, imò Scholaſticorum Coriphæus ſanctus Thomas, aiunt Religioſum eſſe mendacem, ſi ab intentione perfectionis voluntatem, & animam reuocet. Syluester vocat eos tranſgreſſores, ſicut & ſanctus Thomas. Quòd ſi quis relinquat exteriorem Religionis habitum, qui ſignum ſolum eſt noſtri ſtatus, tranſgreſſor, & apoſtata habetur, quid erit, exuere animum ſubſtantia, & eſſentia noſtræ profeſſionis, quæ eſt ſtudium perfectionis. Conſonat huic Patrum ſenſui ratio Patris Thomæ Sanchez, cur peccet mortaliter Religioſus non intendens attingere perfectionem, quia alioqui fruſtrà apponeret media cum intentione repugnanti fini, ad quem talia media ordinantur. At Pater Iacobus Aluarez, clariſſimè ſequitur ſancti Hieronymi ſententiam; imò in aliquibus Religionibus videtur exprimi votum perfectionis, vt in Benedictina, & Carthuſiana, vbi qui profitetur, promittit conuerſionem morum. Neque me pœnitebit huius vtiliſſimæ obligationis. nam, vt dixit ſanctus Auguſtinus, *non eſt gratulanda libertas qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur.* Et mox, *Non te vouiſſe pœniteat, imò gaude iam tibi ſic non licere, quod non tuo detrimento licuiſſet; fœlix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.*

Aliorum ratio, cur teneatur Religioſus coronari ad perfectionem.

Capvt XXVIII.

Huic proxima, aut eadem, aut conſequens eſt illorum ratio, qui ratione ſui ſtatus, & officij dicunt teneri Religioſum ad perfectionis progreſſum: peccare autem, ſi eam non curent; quis enim artifex hoc ipſo quòd profiteatur ex contractu, aut conuentione alia publica aliquam artem, non tenetur opus artis rectè facere; quòd ſi nihil faceret, aut vitioſa omnia, accuſaretur ab omnibus. Cur altiſſimum perfectionis opus nos qui eam authoritate publica profitemur, deſpicimus, aut prorſus relinquimus, cui non videbitur hoc abſurdum? Quotuſquiſque eſt, qui in ſuo ſtatu, in ſuo ordine, in ſua arte nolit excellere? Et impunè manebimus nos in altiſſimo ſtatu viles, in cœleſti ordine prophani, in arte virtutis ſæculares. Neque paululum laborare audebimus pro Regno cœleſti, cùm infatigati laborent alij pro vili miniſterio? *Faber ferrarius* (ait Eccleſiaſticus) *ſedens iuxta incudem, & conſiderans opus ferri: vapor ignis vrit carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innouat aurem eius, & contra ſimilitudinem vaſis oculus eius cor ſuum dabit in conſummationem operum, & vigilia ſua ornabit imperfectionem.* Pudeat nos minus & mollius curare inæſtimabile perfectionis opus, quàm faber ferrarius lebetem. *Cap. 39.*

Religioſus non tendens ad perfectionem, ſimulator & mendax, & hypocrita eſt, iuxta ſanctum Thomam, & alios Doctores.

Capvt XXIX.

Dicam iam rationes, quas ex variis ſcholæ authoribus collegi, omnes tamen inuenio à ſancto Thoma inſinuatas. Prima eſt propter abominandam hypocriſim, quòd decipiamus mundum, qui nos putat virtutis ſtudioſos, ſi eam non curemus, & ſolùm velimus malos non eſſe, ſine intentione tamen

ad

ad perfectionem tendendi. Hoc autem mendacium eſt, hoc ſimulatio, quemadmodum docet ſanctus Thomas in ea quæſtione, in qua quærit, vtrùm Religioſi, & Prælati ſint in ſtatu perfectionis, ibi in ſecundo argumento ſic obiicit.
[*2.2.q.184 art.4.ad 2.*] *Si ergo omnes Religioſi, & Prælati ſunt in ſtatu perfectionis, ſequeretur, quòd quicumque illorum non ſunt perfecti, ſint in peccato mortali, tanquam ſimulatores & mendaces.* nimirum in re ſpirituali, & grauiſſima. Ad quod argumentum ita reſpondet. *Homines ſtatum perfectionis aſſumunt, non quaſi profitentes ſe ipſos perfectos eſſe, ſed profitentes ſe ad perfectionem tendere. Vnde & Apoſtolus dicit, non, quòd iam comprehenderim, aut*
[*Philip 3.*] *iam perfectus ſim; ſequor autem, ſi quo modo comprehendam.* Et poſtea ſubdit. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Vnde non committit aliquis mendacium, vel ſimulationem ex hoc, quòd aliquis non eſt perfectus, qui ſtatum perfectionis aſſumit; ſed ex eo quòd ab intentione perfectionis animum reuocat.* Hæc ſanctus Doctor, qui non negat hoc vltimum eſſe peccatum mortale grauis ſimulationis, & mendacij; imò id
[*Verb.Religio.*] expreſſè affirmat Ioannes Tabienſis, qui ait, *Ex eo ſolùm, quòd Religioſi deponant intentionem perfectionem proſequendi, tales eſſe in contemptu, & poni à ſancto Thoma in ſtatu peccati mortalis, tanquam mendaces, & ſimulatores facto, eſt clarum.* Hæc ille. Similiter Syluester, & Caietanus,
[*Tom.4. de Relig.lib.1. cap.4.n.1.*] imò P. Suarez fatetur, ſic ſenſiſſe Diuum Thomam. Cæterùm hanc ſimulationem rei grauis, eſſe facile concedunt multi, cùm propter ſtatum noſtrum, & hanc præſumptam intentionem tendendi ad perfectionem, ſancti, & conſecrati Deo habeamur, plurimis ſummorum Pontificum priuilegiis donati, pluribus oneribus exempti, colimur à ſæcularibus, & tanquam res ſacræ, ſi nos violenta manu offendant, ſacrilegi ſunt, & excommunicati. Nonne hoc abſurdum videtur, & valde contra rationem, vt id mentiatur, & ſimulet aliquis, propter quod ſacrum quid habetur, & alij ſacrilegi. Itaque non manet hoc in opinione ſolùm, non ſolùm in fraude intellectus, ſed tranſit ad opus, & inienriam. Accedit quòd hoc titulo relinquant nobis fideles ſubſtantias ſuas: quas vt dent nobis, qui ſumus extranei, negant ſuis fratribus carnalibus, & cognatis, & è ſuo proprio victu, & commodo auferunt, atque videtur quoddam genus iniuſtitiæ ali alienis ſumptibus eo titulo quo caremus: nam ſi aliquis falſo titulo accipit eleemnſynam, peccat. Nobiſne qui veritatem, & iuſtitiam profitemur, licebit falſis, & iniuſtis titulis iuſtitiam, & virtutem fingentes ſpoliare homines. Nec excuſatio eſt, quòd liceat non prodere nos, nec tenemur noſtram imperfectionem publicare; nam propterea magis tenemur illam declinare, & ad perfectioοem conari. Non tenemur dicere imperfectos eſſe, ſed tenemur proinde perfectos fieri. Notanda quoque eſt ſententia Syluestri, dum de conuerſis negligentibus loquitur. *Magis* (inquit) *ſunt in ſtatu periculoſo, quando circa exercitia corporalia ſunt notabiliter negligentes, quia in dicto ordine ad hoc recipiuntur, & hac ratione licet eis eleemoſynas Ordinis in ſuos vſus conuertere, quia ſeruiunt ſeruientibus populo.* Cur non & ij, qui ſeruiunt populo, ſcrupulum habere debent, ſi ei non ſeruiant propter indignitatem ſuæ vitæ, & remiſſionem, quem nec ſuis precibus, nec exemplo, nec doctrina ſolida, & ſalutari iuuant.

Ex multorum ſententia Religioſus tenetur tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue.

CAPVT XXX.

SVNT nonnulli, quorum ſententiam refert Pater Azor, & eam ipſam habet S. Thomas *in Commentarijs Epiſtolæ* [*Cap.53.*]
ſecundæ ad Corinthios, qui putant ratione periculi labendi in mortale, peccare illum Religioſum, qui tantùm vult ſeruare præcepta, & vota, & nihil amplius curet; *quia peccet*, inquiunt, *ſi ſolùm velit ea præſtare quæ debet, eo quòd nemini liceat apud ſe firmè decernere, nihil aliud efficere, niſi id quod ratione ſui muneris, & officij debet. Hæc enim voluntas præterquam quòd euangelicis conſiliis aditum præcludit, hominem quoque ipſum periculo exponit, quo faciliùs diuinas leges, iura, & præcepta prærumpat.* Hæc illi. Imò ipſe Pater Azor, licèt alia ratione ſuum placitum confirmet, non audet huiuſmodi periculum negare, dicens. *Reuera, qui talia decernunt, ac ſtatuunt, non raro ſe huic periculo, & diſcrimini opponunt. Quare diffitendum non eſt huiuſmodi Religioſum periclitari, ſi ab abſtinentijs, & ieiunijs deſiſtat, ac ceſſet, (nimirum quæ obligationem non inducunt) ſi ſe prophanis negotiis implicet. Si paſſim ſilentium contra regulam infringat; ſi nihil ſtudij, curæ, diligentiæ in rerum ſpiritualium meditatione ponat. Si frequenter ſui inſtituti regulas (nempe etiam cùm non obligant ad culpam) & ſuperiorum conſilia prætermittat. Si nunquam in rerum cœleſtium contemplationem, & ſalutarem librorum lectionem ſtudium conferat. Si cogitationes, & affectus animi non reprimat, ſi ſenſus corporis non moderetur, ac temperet, ſi nihil curet corpus caſtigandum, carnem macerandam.* Deinde hæc ſententia eſt expreſſa P. Thomæ
Sanchez, qui licèt putet per propoſitum mittendi conſilia non obligantia non peccare Religio- [*Lib.6 ſum. c.5.n.9.*]
ſum mortaliter contra præceptum tendendi ad perfectionem. Addit tamen, *peccabit aliunde mortaliter ob periculum tranſgreſſionis votorum,* [*Tom 4. de Relig.l.1.c.4. n.12.& 14.*]
& defectus perſeuerantiæ. Idem cenſuit P. Suarez agens de cuſtodia regularum non obligantium ſub mortali. Et quidem omnes Doctores concedunt per multa peccata venialia poſſe aliquem venire in ſtatum peccati mortalis, cùm eius periculo ſe expoſuit, negligendo vitare culpas veniales, & nullam eorum curam habendo. Cùm igitur talis Religioſus in ſimili ſtatu ſit, cauere debet, ne ad hoc veniat, ne mortale hoc fiat, quod Religioſus non minus debet formidare, quàm ſæcularis, cùm maiora à Deo beneficia acceperit, maiora inſtrumenta virtutis, maiora auxilia in Religione, maiorem doctrinam. Caueat ne ſi adhuc infrugifer permaneat, tribulus imperfectionum germinans maledictum mereatur, de quo ſanctus Paulus ait. *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, proferens autem* [*Hebr.6.*]
ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.

Nonnulli

Nonnulli cenſent teneri Religioſum tendere ad perfectionem, ne obfirmet animum contra Spiritus ſancti inſpirationes.

Capvt XXXI.

IOannes Azor vel ſola ratione obfirmati animi contra Dei conſilia dicit peccare illum Religioſum, qui contentus eſt obſeruatione præceptorum, & nolet amplius procedere. Hoc penè eſt idem, quod Pater Valentia dixit, velle talem illa voluntate contrariari Spiritui ſācto, idcirco peccare: & Caietanus ſimiliter dicit, per hoc animi propoſitum faciendi nullum in perfectione proceſſum, aditus intercludi, & obicem poni Spiritui ſancto. Eandem quoque rationem inuenio in ſancto Thoma. (2.2.q.186. art.1. ad 2.) Nonne talis Religioſus magnam iniuriam contra Spiritum ſanctum committit, & contriſtabit illum conſolatorem noſtrum, qui ad inuidiam concupiſcit, qui ſcilicet zelo zelans gloriam diuinam incendere nos cupit, inflammare, vrere, vt ſanctis proficiendi deſideriis ardeamus. Nos autem quid faciemus illa voluntate frigeſcentis charitatis, niſi eius conatui & bonæ, beneplacenti, & perfectæ voluntati repugnare, & firmari, ſicut dixit ſanctus Thomas, contra ſpiritualem profectum, & fontem illum igneum diuinorum donorum exſiccare, & fœcundam cœleſtium chariſmatum bonitatem Dei, quaſi ſterilem reddere, de qua iniuria queritur Dominus per Dauidem, dicentem: (Pſal 34.) *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.* Mala quidem retribuimus pro bonis, cùm poſt tot beneficia Dei, quot Religioſus accepit, nihil boni vult facere, niſi ſolùm non facere mala: quod quidem iam eſt malefacere. nam ſi ſanctus Iacobus dicit, (Cap 4.) *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Quanto magis peccatum incurret Religioſus qui & ſcit, & tenetur, & pollicitus eſt bonum facere.

Sic tenetur Religioſus tendere ad perfectionem, vt ſi contemnat illam, peccet mortaliter.

Capvt XXXII.

RAtione contemptus videtur aliquibus putaſſe ſanctus Thomas Monachum peccare, qui nolit perfectioni incumbere. (2.2.q.186. art.1.&3.) Et quidem nemo eſt inficiatus Religioſum verè contemnentem intendere ad perfectionem peccare mortaliter: imò id poſitiuè aſſirmant Caietanus, Syluester, Tabiena, Pater Sà, Pater Azor, Pater Valentia, & innumeri alij. Sed explicatione opus habet, quid ſit contēmnere, tum ne ſcrupulis aliquem irretiamus, tum ne ignorantiæ cauſa, conſcientias relaxemus; vtrumque enim periculoſum eſt, neque veritas indiget exaggeratione, neque tamen minuenda eſt. Quare è meo cerebro dicere nihil vellem, ſed ex grauiſſimorum Doctorum iudicio, & doctrina; & quidem moderata eſt, matura, & prudens, quam doctiſſimus P. Valentia de hoc argumento ſcripſit. (To 3 diſp. 10. q.4.p.4.) Iuxta quem non opus eſt hîc intelligere contemptum, vt ſit mortalis iudicium quo aliquis Religioſus exiſtimaret opera ſupererogationis & conſilij ex genere ſuo parum, vel nihil valere; nam hoc plus eſt, quàm contemptus. nam eſt iudicium erroneum; eſt, inquam, hæreſis. Neque contemptum opus eſt hîc intelligere, cùm aliquis ægrè ferret, aut dedignaretur ſe ita eſſe à Deo ſubiectum, vt ab eo conſilia acciperet, atque ita animo auerſaretur conſilia. nam hoc eſſet ſuperbia luciferina, & abominandum peccatum. Sicut etiam ſi quis parui æſtimaret ipſum diuinum cōſilium, prout à Deo proficiſcitur, hic contemptus eſſet, etiam in ſæculari, graue crimen mortiferum. Minus multo ſufficit Religioſo vt dicatur contemnere ea, quæ ad perfectionem tendunt, ac proinde peccare mortaliter, nimirum, ſi parui æſtimaret opera conſilij, ſolum attendendo genus ſuum, & naturam illorum ſecundùm ſe. Hoc (inquit P. Valentia) in Religioſo quidem non dubito quin eſſet mortale. Nam præter deformitatem irreuerentiæ, & irreligioſitatis alia cerneretur in Religioſo ſic contemnente, conſiſtens nimirum in eo quòd is qui peculiariter eſt obligatus ad procurandam perfectionem, tanquam ſuæ vitæ finem, vilipendit ea, quæ ſunt perfectionis, & pertinent ad ſuum finem. Ab hoc autem ſtatim abhorret recta ratio. Hæc ſententia moderata eſt & lenis; nam Sylueſter, Ioannes Tabienſis, & multi alij, nihil amplius requirunt, vt dicatur Religioſus contemnere perfectionem, & eſſe in peccato mortali quàm ceſſare ab eius intentione, hoc eſt, nolle ex quacumque cauſa fiat. Idcirco ſignanter aduertunt, & cum iis Corduba, (In regul. S. Franciſci.) aliud eſſe contemnere, aliud peccare ex contemptu, & ſufficere ad peccatum contemnere perfectionem per ceſſationem eius intentionis. *Aliud eſt* (inquit Sylueſter) *contemnere, aliud peccare ex contemptu, quia ad ſecundum requiritur, quod quis agat contra legem, ex hoc quòd ei ſubijci non vult. Ad primum verò ſufficit non æſtimare, vel appretiare. Vnde perfectionem contemnit, qui ad eam tendere non intendit, licèt talis non peccet ex contemptu, ſed ex negligentia, vel cupiditate, & huiuſmodi.* Quid clarius? & quidem hæc mihi videtur eſſe mens ſancti Thomæ. Etenim idcirco dixit Religioſum contemnentem perfectionem peccare, quia peccatum eius non poſuit in re & opere, ſed in animo, non in defectu executionis, ſed intentionis intendendi ad perfectionem, non quòd relinquat eſſe perfectum, ſed quòd nolit eſſe non intendens ad ea, quæ perfectionis ſunt. Idcirco vſus eſt verbo *contemnens.* *Nam non tenetur,* inquit, *ad hoc, quòd illa impleat quæ ad perfectionem charitatis conſequuntur; tenetur autem, vt ad ea implenda intendat, contra quod facit contēnens.* (2.2.q.186. art.2.) Hoc eſt ſi in animo ſuo ſtatuat non intendere ad perfectionem, quod quidem fit negligens, & non curans illam, quod contemnere eſt, ſicut ſanctus Hieronymus dixit: *Vbi non eſt honor, ibi contemptus eſt.* Rurſus in reſponſione ad primum ait ſanctus Thomas: *Religioſus non eſt tranſgreſſor profeſſionis, ſi non ſit perfectus, ſed ſolùm ſi contemnat ad perfectionem tendere.* Quòd ſi aliud intelligeret Sanctus, diminutè procede-

ad perfectionem tendeodl. Hoc autem mendacium eſt, hoc ſimulatio, quemadmodum docet ſanctus Thomas in ea quæſtione, in qua quærit, vtrùm Religioſi, & Prælati ſint in ſtatu perfectionis, ibi in ſecundo argumento ſic obiicit.

2.2.q.184. art.4.ad 2.

Si ergo omnes Religioſi, & Prælati ſunt in ſtatu perfectionis, ſequeretur, quòd quicumque illorum non ſunt perfecti, ſint in peccato mortali, tanquam ſimulatores & mendaces. nimirum in re ſpirituali, & grauiſſima. Ad quod argumentum ita reſpondet. *Homines ſtatum perfectionis aſſumunt, non quaſi profitentes ſe ipſos perfectos eſſe, ſed profitentes ſe ad perfectionem tendere. Vnde & Apoſtolus dicit, non, quòd iam comprehenderim, aut iam perfectus ſim; ſequor autem, ſi quo modo comprehendam.*

Philip 3.

Et poſtea ſubdit. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Vnde non committit aliquis mendacium, vel ſimulationem ex hoc, quòd aliquis non eſt perfectus, qui ſtatum perfectionis aſſumit; ſed ex eo quòd ab intentione perfectionis animum reuocat.* Hæc ſanctus Doctor, qui non negat hoc vltimum eſſe peccatum mortale grauis ſimulationis, & mendacij; imò id expreſsè affirmat Ioannes Tabienſis, qui ait,

Verb. Religio.

Ex eo ſolùm, quòd Religioſi deponant intentionem perfectionem proſequendi, tales eſſe in contemptu, & poni à ſancto Thoma in ſtatu peccati mortalis, tanquam mendaces, & ſimulatores facto, eſt clarum. Hæc ille. Similiter Syluester, & Caietanus, imò P. Suarez fatetur, ſic ſenſiſſe Diuum Thomam.

Tom.4. de Relig.lib.1. cap.4.n.5.

Cæterùm hanc ſimulationem rei grauis, eſſe facile concedunt multi, cùm propter ſtatum noſtrum, & hanc præſumptam intentionem tendendi ad perfectionem, ſancti, & conſecrati Deo habeamur, plurimis ſummorum Pontificum priuilegiis donati, pluribus oneribus exempti, colimur à ſæcularibus, & tanquam res ſacræ, ſi nos violenta manu offendant, ſacrilegi ſunt, & excommunicati. Nonne hoc abſurdum videtur, & valde contra rationem, vt id mentiatur, & ſimulet aliquis, propter quod ſacrum quid habetur, & alij ſacrilegi. Itaque non manet hoc in opinione ſolùm, non ſolùm in fraude intellectus, ſed tranſit ad opus, & iniuriam. Accedit quòd hoc titulo relinquant nobis fideles ſubſtantias ſuas: quas vt dent nobis, qui ſumus extranei, negant ſuis fratribus carnalibus, & cognatis, & è ſuo proprio victu, & commodo auferunt, atque videtur quoddam genus iniuſtitiæ ali alienis ſumptibus eo titulo quo caremus: nam ſi aliquis falſo titulo accipit eleemoſynam, peccat. Nobiſne qui veritatem, & iuſtitiam profitemur, licebit falſis, & iniuſtis titulis iuſtitiam, & virtutem fingentes ſpoliare homines. Nec excuſatio eſt, quòd liceat non prodere nos, nec tenemur noſtram imperfectionem publicare; nam propterea magis tenemur illam declinare, & ad perfectionem conari. Non tenemur dicere imperfectos eſſe, ſed tenemur proinde perfectos fieri: Notanda quoque eſt ſententia Syluestri, dum de conuerſis negligentibus loquitur. *Magis* (inquit) *ſunt in ſtatu periculoſo, quando circa exercitia corporalia ſunt notabiliter negligentes, quia in dicto ordine ad hoc recipiuntur, & hac ratione licet eis eleemoſynas Ordinis in ſuos vſus conuertere, quia ſeruiunt ſeruientibus populo.* Cur non & ij, qui ſeruiunt populo, ſcrupulum habere debent, ſi ei non ſeruiant propter indignitatem ſuæ vitæ, & remiſſionem, quem nec ſuis precibus, nec exemplo, nec doctrina ſolida, & ſalutari iuuant.

Ex multorum ſententia Religioſus tenetur tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue.

CAPVT XXX.

SVNT nonnulli, quorum ſententiam refert Pater Azor, & eam ipſam habet S. Thomas *in Commentarijs Epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios*, qui putant ratione periculi labendi in mortale, peccare illum Religioſum, qui tantùm vult ſeruare præcepta, & vota, & nihil amplius curet; *quia peccat*, inquiunt, *ſi ſolùm velit ea præſtare quæ debet, eo quòd nemini liceat apud ſe firmè decernere, nihil aliud efficere, niſi id quod ratione ſui muneris, & officij debet. Hæc enim voluntas præterquam quòd euangelicis conſiliis aditum præcludit, hominem quoque ipſum periculo exponit, quo faciliùs diuinas leges, iura, & præcepta prærumpat.* Hæc illi. Imò ipſe Pater Azor, licèt alia ratione ſuum placitum confirmet, non audet huiuſmodi periculum negare, dicens. *Reuera, qui talia decernunt, ac ſtatuunt, non rarò ſe huic periculo, & diſcrimini opponunt. Quare diffitendum non eſt huiuſmodi Religioſum periclitari, ſi ab abſtinentijs, & ieiunijs deſiſtat, ac ceſſet, (nimirum quæ obligationem non inducunt) ſi ſe prophanis negotiis implicet. Si paſſim ſilentium contra regulam infringat; ſi nihil ſtudij, curæ, diligentiæ in rerum ſpiritualium meditatione ponat. Si frequenter ſui inſtituti regulas (nempe etiam cùm non obligant ad culpam) & ſuperiorum conſilia prætermittat. Si nunquam in rerum cæleſtium contemplationem, & ſalutarem librorum lectionem ſtudium conferat. Si cogitationes, & affectus animi non reprimat, ſi ſenſus corporis non moderetur, ac temperet, ſi nihil curet corpus caſtigandum, carnem macerandam.*

Cap.53.

Deinde hæc ſententia eſt expreſſa P. Thomæ Sanchez, qui licèt putet per propoſitum mittendi conſilia non obligantia non peccare Religioſum mortaliter contra præceptum tendendi ad perfectionem. Addit tamen, *peccabit aliunde mortaliter ob periculum tranſgreſſionis votorum, & defectus perſeuerantiæ.*

Lib.6 ſum. c.5.n.9.

Tom 4. de Relig.l.1.c.4. n.12.& 14.

Idem cenſuit P. Suarez agens de cuſtodia regularum non obligantium ſub mortali. Et quidem omnes Doctores concedunt per multa peccata venialia poſſe aliquem venire in ſtatum peccati mortalis, cùm eius periculo ſe expoſuit, negligendo vitare culpas veniales, & nullam eorum curam habendo. Cùm igitur talis Religioſus in ſimili ſtatu ſit, cauere debet, ne ad hoc veniat, ne mortale hoc fiat, quod Religioſus non minus debet formidare, quàm ſæcularis, cùm maiora à Deo beneficia acceperit, maiora inſtrumenta virtutis, maiora auxilia in Religione, maiorem doctrinam. Caueat ne ſi adhuc infrugifer permaneat, tribulos imperfectionum germinans maledictum mereatur, de quo ſanctus Paulus ait. *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Hebr.6.

Nonnulli

Nonnulli cenſent teneri Religioſum tendere ad perfectionem, ne obſirmet animum contra Spiritus ſancti inſpirationes.

CAPVT XXXI.

IOANNES Azor vel ſola ratione obſirmati animi contra Dei conſilia dicit peccare illum Religioſum, qui contentus eſt obſeruatione præceptorum, & nolet ampliùs procedere. Hoc penè eſt idem, quod Pater Valentia dixit, velle talem illa voluntate contrariari Spiritui ſãcto, idcirco peccare: & Caietanus ſimiliter dicit, per hoc animi propoſitum faciendi nullum in perfectione proceſſum, aditus intercludi, & obicem poni Spiritui ſancto. Eandem quoque rationem inuenio in ſancto Thoma. (2.2.q.186. art.1. ad 2.) Nonne talis Religioſus magnam iniuriam contra Spiritum ſanctum committit, & contriſtabit illum conſolatorem noſtrum, qui ad inuidiam concupiſcit, qui ſcilicet zelo zelans gloriam diuinam incendere nos cupit, inflammare, vrere, vt ſanctis proficiendi deſideriis ardeamus Nos autem quid faciemus illa voluntate frigeſcentis charitatis, niſi eius conatui & bonæ, beneplacenti, & perfectæ voluntati repugnare, & firmati, ſicut dixit ſanctus Thomas, contra ſpiritualem profectum, & fontem illum igneum diuinorum donorum exſiccare, & fœcundam cœleſtium chariſmatum bonitatem Dei, quaſi ſterilem reddere, de qua iniuria queritur Dominus per Dauidem, dicentem: (Pſal 34.) *Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.* Mala quidem retribuimus pro bonis, cùm poſt tot beneficia Dei, quot Religioſus accepit, nihil boni vult facere, niſi ſolùm non facere mala: quod quidem iam eſt malefacere. nam ſi ſanctus Iacobus dicit, (Cap 4.) *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Quanto magis peccatum incurret Religioſus qui & ſcit, & tenetur, & pollicitus eſt bonum facere.

Sic tenetur Religioſus tendere ad perfectionem, vt ſi contemnat illam, peccet mortaliter.

CAPVT XXXII.

RATIONE contemptus videtur aliquibus putaſſe ſanctus Thomas Monachum peccare, (2.2.q.186. art.1.& 9.) qui nolit perfectioni incumbere. Et quidem nemo eſt inficiatus Religioſum verè contemnentem intendere ad perfectionem peccare mortaliter: imò id poſitiuè affirmant Caietanus, Syluester, Tabiena, Pater Sà, Pater Azor, Pater Valentia, & innumeri alij. Sed explicatione opus habet, quid ſit contẽmnere, tum ne ſcrupulis aliquem irretiamus, tum ne ignorantiæ cauſa, conſcientias relaxemus; vtrumque enim pericoloſum eſt, neque veritas indiget exaggeratione, neque tamen minuenda eſt. Quare è meo cerebro dicere nihil vellem, ſed ex grauiſſimorum Doctorum iudicio, & doctrina; & quidem moderata eſt, matura, & prudens, quam doctiſſimus P. Valentia de hoc argumento ſcripſit. (To 3 diſp.10. q.4.p.4) Iuxta quem non opus eſt hîc intelligere contemptum, vt ſit mortalis iudicium quo aliquis Religioſus exiſtimaret opera ſupererogationis & conſilij ex genere ſuo parum, vel nihil valere; nam hoc plus eſt, quàm contemptus. nam eſt iudicium erroneum; eſt, inquam, hæreſis. Neque contemptum opus eſt hîc intelligere, cùm aliquis ægrè ferret, aut dedignaretur ſe ita eſſe à Deo ſubiectum, vt ab eo conſilia acciperet, atque ita animo auerſaretur conſilia. nam hoc eſſet ſuperbia luciferina, & abominandum peccatum. Sicut etiam ſi quis parui æſtimaret ipſum diuinum cõſilium, prout à Deo proficiſcitur, hic contemptus eſſet, etiam in ſæculari, graue crimen mortiferum. Minus multo ſufficit Religioſo vt dicatur contemnere ea, quæ ad perfectionem tendunt, ac proinde peccare mortaliter, nimirum, ſi parui æſtimaret opera conſilij, ſolum attendendo genus ſuum, & naturam illorum ſecundùm ſe. Hoc (inquit P. Valentia) in Religioſo quidem non dubito quin eſſet mortale. Nam præter deformitatem irreuerentiæ, & irreligioſitatis alia cerneretur in Religioſo ſic contemnente, conſiſtens nimirum in eo quòd is qui peculiariter eſt obligatus ad procurandam perfectionem, tanquam ſuæ vitæ finem, vilipendit ea, quæ ſunt perfectionis, & pertinent ad ſuum finem. Ab hoc autem ſtatim abhorret recta ratio. Hæc ſententia moderata eſt & lenis; nam Syluester, Ioannes Tabienſis, & multi alij, nihil amplius requirunt, vt dicatur Religioſus contemnere perfectionem, & eſſe in peccato mortali quàm ceſſare ab eius intentione, hoc eſt, nolle ex quacumque cauſa fiat. Idcirco ſignanter aduertunt, & cum iis Corduba, aliud eſſe contemnere, (In regul. S. Franciſci.) aliud peccare ex contemptu, & ſufficere ad peccatum contemnere perfectionem per ceſſationem eius intentionis. (*Aliud eſt*, inquit Sylueſter) *contemnere, aliud peccare ex contemptu, quia ad ſecundum requiritur, quod quis agat contra legem, ex hoc quòd ei ſubijci non vult. Ad primum verò ſufficit non aſtimare, vel appretiare. Vnde perfectionem contemnit, qui ad eam tendere non intendit, licèt talis non peccet ex contemptu, ſed ex negligentia, vel cupiditate, & huiuſmodi.* Quid clarius? & quidem hæc mihi videtur eſſe mens ſancti Thomæ. Etenim idcirco dixit Religioſum contemnentem perfectionem peccare, quia peccatum eius non poſuit in re & opere, ſed in animo, non in defectu executionis, ſed intentionis intendendi ad perfectionem, non quòd relinquat eſſe perfectum, ſed quòd nolit eſſe non intendens ad ea, quæ perfectionis ſunt. Idcirco vſus eſt verbo *contemnens*. *Nam non tenetur*, inquit, (2.2.q.186. art.2.) *ad hoc, quòd illa impleat quæ ad perfectionem charitatis conſequuntur; tenetur autem, vt ad ea implenda intendat, contra quod facit contẽnens.* Hoc eſt ſi in animo ſuo ſtatuat non intendere ad perfectionem, quod quidem fit negligens, & non curans illam, quod contemnere eſt, ſicut ſanctus Hieronymus dixit; *Vbi non eſt honor, ibi contemptus eſt.* Rurſus in reſponſione ad primum ait ſanctus Thomas: *Religioſus non eſt tranſgreſſor profeſſionis, ſi non ſit perfectus, ſed ſolùm ſi contemnat ad perfectionem tendere.* Quòd ſi aliud intelligeret Sanctus, diminutè procede-

tet, non explicando, quid eſſet dicendum, cùm Religioſus ſolùm nollet intendere; neque definiret quod in eo articulo quærit, vbi non diſputar, vtrùm Religioſus teneatur æſtimare, & non contemnere perfectionem, ſed vtrùm teneatur ad omnia conſilia perfectionis. Et reſpondet teneri non ad habendum perfectionem, ſed ad tendendum ad illam. Huius autem obligationis vt tranſgreſſor ſit, non eſt opus aliud, quàm quòd nolit tendere. Sicut autem ad aliarum obligationum defectum non eſt neceſſarius formalis contemptus, ſed ſufficit nolle illas implere; ſimiliter in hac fiet. Ad tranſgreſſionem obligationis quis vnquam quæſiuit alium contemptum, quàm contrà facere, ſi obligatio operis erat; aut contrà velle, ſi obligatio erat voluntatis, & intentionis. Quare cùm ſanctus Thomas obligationem Religioſi non poſuerit in ipſo opere, & executione perfectionis, ſed in voluntate, & animo tendendi ad perfectionem, non eſt neceſſarius alius contemptus, vt dicatur tranſgredi hanc obligationem, quàm contrà velle, hoc eſt, nolle intendere ad tendendum in perfectionem, Tum etiam cùm dicat ſanctus Thomas *contra quod facis contemnens*, non maiorem contemptionem voluit ſignificare, quàm nolitionem; nam vt contra illam obligationem intendendi ad ea quæ perfectionis ſunt, faciat, ſatis eſt, ſi nolit tendere ad illa, nec requiritur, vt alio modo contemnat perfectionem. Præterea videtur aliter loquendum de ſæculari, quàm de Religioſo. Sed ſæcularis ſi contemptum formalem perfectionis haberet, peccaret, quamuis non habeat obligationem tendendi ad perfectionem. Ergo vt Religioſus peccet, minus requiritur, & ſufficit quòd non aliter contemnat, quàm nollens ad illam tendere. Accedit, rationes aliquas, quas ex ſancto Thoma attulimus, probare, mortalè eſſe hoc ſolùm, quòd Religioſus nolit intendere ad progreſſum perfectionis, præſertim illa, quam habet in Commentariis Epiſtolæ ad Corinthios, ratione ſcilicet periculi; quapropter dicit, neceſſarium eſſe, & præceptum tendere ad perfectionem. Tum altera ratione mendacij, & ſimulationis in re graui; quare ſanctus Thomas videtur in hac fuiſſe ſententia, vt abſque alio contemptu ſufficiat ſimpliciter nolle tendere ad perfectionem, vt Religioſus ſit in ſtatu æternæ damnationis.

Aliæ rationes, propter quas tenetur Religioſus tendere ad perfectionem.

CAPVT XXXIII.

VERVM licèt diſtinguamus inter contemnere perfectionem, & nolle illam aſſequi, quòd illud eſſet peccatum mortale, hoc tamen ſecundùm ſe tantummodo veniale. Nihilominus ex alio capite eſſet etiam hoc mortale, non ratione ſui, ſed ratione periculi contemnendi perfectionem. Ideo P. Thomas Sanchez dixit, eum, qui nollet ſeruare alias regulas, vel ſtatuta Religionis, niſi quæ obligarent ſub

Lib. 6. c. 4. n. 18.

peccato mortali, peccare mortaliter, non quòd regulas contemneret, ſed *quia*, inquit, *hic probabiliſſimo contemnendi regulas periculo expoſitus eſſet*. Eadem cauſa videtur de eo qui nolit tendere ad ea quæ perfectionis ſunt. Præterea idem P. Thomas Sanchez docet, & probat aliorum teſtimonio mortale eſſe, & æquiualere contemptui tranſgredi leges, etiam quæ non obligant, ſi intendat quis contrariari fini illius legis, aut regulæ. At in hac voluntate mera non volendi tendere ad perfectionem, contrariatur fini omnium regularum, & totius vitæ religioſæ. Ergo mortale videtur, & æquiualebit contemptui. Hæc ille.

Addam denique aliam rationem ex eodem P. Thoma Sanchez, ratione ſcilicet ſcandali, & damni, quod talis Religioſus inferet ſuæ Religioni, *Quia* (inquit) *Religioſus tenetur ſub mortali taliter viuere, vt non ſit grauiter Religioni ſuæ pernicioſus inducendo alios Religioſos ſuo prauo exemplo ad nimis relaxatam regulam: & præterea perturbando ſuam Religionem, adeò vt valde expediat ſuæ Religioni eum expellere. Sed hæc damna inferret habens eam intentionem.* nimirum non ſeruandi regulas, niſi quæ obligant ſub mortali. Deinde ſubdit, & confirmatur, *quaſi Religioſus nollet vnquam ſeruare ſilentium, nec orare, nec modeſtè incedere, & ingrederetur omnium Religioſorum cubicula, & ſimilia Religionis ſtatuta tranſgrederetur, eo quòd ſingula ad culpam per ſe non obligant, abſque dubio perturbaret grauiter totam Religionem, & ſe in eo ſtatu conſtitueret, vt oporteret tanquam incorrigibilem eum expellere; ergo tenetur ſub mortali eum animum deponere. Et confirmatur, quia ſemel expulſus tenetur ita mores ſuos corrigere, vt iterum admittatur, ſi admiſſionis ſpes eſt.* Hactenus ille.

Ibidem c. 4. n. 18.

Quæ ſint certiora ex omnium ſententia circa obligationem Religioſiorum perfectionis procurandæ.

CAPVT XXXIV.

CLAVDO hanc tractationem, aliquot aſſertiones ſtatuens, quæ certiores ſunt. *Prima* eſt omnium Doctorum aſſerentium, Religioſum teneri, & obligatum eſſe ad tendendum in perfectionem. *Secunda* eſt, Religioſum qui non intendit perfectionem, ſed contentus eſt ſola præceptorum, & votorum obſeruantia, quæ obligant ſub mortali, nihil ampliùs volens proficere, peccare in hoc, & ſuæ obligationi non ſatisfacere, & hæc etiam eſt ſententia omniũ. *Tertia* eſt, Religioſum verè contemnentem perfectionem, peccare mortaliter, in hoc etiam omnes conſpirant. *Quarta*, & certiſſima eſt, teneri ſaltem omnes Religioſos ad ea media perfectionis, quæ in ſingulorum regulis, & conſtitutionibus præſcribuntur. Tamen in Societate IESV videtur abſolutè poſſe dici teneri abſolutè ad perfectionem procurandam ſuos Religioſos. Tum, quia per ſuas regulas, & conſtitutiones abſoluta, & abſolutiſſima perfectio præſcribitur. Tum, quia ipſa ratio ſui inſtituti ſine magna perfectione

fectione obſeruati nequit, vt iuuentur proximi, ſiquidem Epiſcopi ratione ſui muneris, vt plebem iuuent, tenentur ad perfectionem. Vnde quia ſimile eſt inſtitutum Societatis Epiſcopali muneri, ſaltem ad tendendum ad perfectionem tenebuntur eius Religioſi cum maiori obligatione, quàm Monachales. *Quinta* eſt. Rationes illæ Patrum, & ſancti Thomæ, nimirum ratione periculi, & ratione ſimulationis, & mendacij, & ratione voti impliciti, probare ex ſe videntur Religioſum peccare mortaliter, quamuis non contemnat perfectionem ex eo ſolùm, quòd eſſet à perfectionis intentione. Fateor nihilominus, Doctores nonnullos voluiſſe ſolius ratione præcepti tendendi ad perfectionem excuſare talem Religioſum, dum non contemnat perfectionem, peccato graui, non tamen aliquo. nam omnes penè concedunt peccare. Differentia ſolùm eſt, quòd quidam dicunt grauiter peccare; alij leuiùs ex vi illius præcepti, niſi adſit contemptus; ijdem verò non excuſant, propter alias rationes. Exempli cauſa, P. Thomas Sanchez, & P. Suarez, qui ratione periculi dicunt peccatum eſſe mortale: addit P. Thomas Sanchez, ratione contrarietatis finis religioſi.

Miror quoque multos non examinaſſe radicem huius præcepti, ſcilicet obligationem huius tendentiæ ad perfectionem, & demum huius etiam obligationis radicem. Nam non poteſt peccare Religioſus ceſſando ab intendendo in perfectionis profectum, niſi quia obligatus ſit tendere ad perfectionem. Hæc autem obligatio fortaſſe non videbitur rei leuis, ſed grauis, & magni momenti, qualis eſt tendentia ad perfectionem, ratione cuius tot priuilegia habent Religioſi, & ſunt in ſtatu perfectionis, & coluntur à ſæcularibus, & ſancti, & ſacri habentur, & ſacrilegum eſt illos offendere. Deinde ſi radix huius obligationis eſt, quam ſignificarunt aliqui Patres, & Doctores ſpirituales ratione voti impliciti, & fortaſſe alia non ita expedita facilè inuenietur, quis dubitaret eſſe obligationem, grauem nimirum voti. Votum autem non minus obligat, ſi ſit implicitum, quàm explicitum. Idcirco Sacerdotes ſæculares non minus tenentur ſeruare caſtitatem ratione voti impliciti, quàm Religioſi conuerſi ratione expliciti. Hoc igitur votum tendendi ad perfectionem libenter aſſererem, & cum ſancto Auguſtino me conſolarer, cuius dictum mihi ſapidè inculco. *Non te vouiſſe pœniteat, imò gaude iam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. fœlix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.* Eadem cauſa facilè in id veniam, quòd Religioſus independenter ab hoc voto ſub peccato mortali teneatur tendere ad perfectionem. Tum, quia aliæ rationes per ſe huc impellunt. Tum, quia inde videor conſtringi magis, vt adhæream, & ſeruiam Deo. Et iterum cum ſancto Auguſtino dicam: *Non eſt gratulanda libertas qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur.* Hæc fœlicitas noſtri ſtatus, hic honos Religionis, teneri ad perfectionem, hæc margarita, pro qua vniuerſa dare debemus. Rectè ſanctus Bernardus ait: *Quæ eſt iſta, quæſo, fratres mei chariſſimi, tam pretioſa margarita, pro qua vniuerſa dare debemus, ideſt, nos metipſos, quia totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit vt poſſimus eam habere. Nonne hæc Religio, ſancta, pura, & immaculata, in qua homo viuit purius, ca-*

Epiſt. 45.

Ibid.

Hom. de marg.

dit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copioſiùs.

Qualis debeat eſſe Religioſus, cuius definitio traditur ex ſancto Ioanne Climacho.

Capvt XXXV.

CÆTERVM nec ad alia tranſgredi oportebit, quàm normam aliquam perfectionis religioſæ exhibeamus, vt qualis eſſe debeat diſcat Religioſus, idque pro viribus conetur. Hoc patebit ex Monachi definitionibus, quas religioſiſſimus Pater ſanctus Ioannes Climachus tradidit; quinque enim Religioſi deſcriptiones ſtatuit, quas Dionyſius Rikelius ſic explicuit. *Prima* definitio eſt hæc. Monachus eſt, qui ſolùm quæ Dei ſunt agit, cogitat, loquitur, Chriſto vnitus omni tempore, loco & negotio. Hæc deſcriptio datur de Monacho, inquit Dionyſius, ſecundùm completam monaſticæ vitæ perfectionem; quia ad hoc ordinatur, & tendit inſtitutio regularis, atque profeſſio Monachalis, vt Monachus quantum poſſibile eſt in hac vita, tranſcendat & deſerat vniuerſa carnalia tranſitoria, & mundana, omnes ſuas actiones, cogitationes, affectiones, & locutiones ſecundùm legem diuinam, & regulæ ſuæ, aut ſtatutorum tenorem dirigens, & diſponens; ſicque ſolùm quæ Dei ſunt, ideſt, quæ Deo ſunt placita ac diuina, agit, cogitat, loquitur, Chriſto vnitus actualiter, aut ſaltem habitualiter in omni loco, tempore atque negotio; quoniam taliter ſe habendo non peccat: & quamuis venialia, non tamen mortalia, conuerſationi ſuæ miſcentur. Denique quamuis non ſit poſſibile fragilitati humanæ in vita præſenti actualiter Deo vniri in omni loco, tempore, & negotio, propter inſtabilitatem cordis humani; ad hoc tamen quotidie conari, & tendere debet Monachus, vt, auxiliante gratia Dei, in omni loco, tempore, & negotio actualiter intentus, & vnitus ſit Deo, quantum poſſibile eſt per meditationem, contemplationem, & dilectionem Dei, & rerum diuinarum, ſpiritualium, atque cœleſtium diſtractionibus, & euagationibus ſuæ mentis viriliter, ac ſolicitè reſiſtendo, præſertim tempore orationis ac diuini officij: mentem quoque ſuam vbique, & in omni actu frequenter ad Deum leuando, per meditationem, aſpirationem, compunctionem, & orationem internam, tam in menſa, quàm in via ac lecto, & labore, ſtudio, atque colloquio; & ad hoc debet ſibi conſuetudinem optimã facere, qua adepta, erit ſibi hoc ipſum valde facile, & iucundum, imò dulciſſimum; hoc quippe agendo, ſentiet ſæpe intrinſecus ſuauiſſimam conſolationem à Deo, ſaluberrimamque compunctionem, & feruidam inflammationem in eo. Vt autem ad hanc conſuetudinem ſanctam perueniat, pro continuo adiutorio gratiæ Dei creatorem ſuum inſtanter exoret. Præterea *ſecunda* deſcriptio Monachi à Climacho poſita hæc eſt. Monachus eſt violentia naturæ indeſinens, & cuſtodia ſenſuum indeficiens.

lib. de reform. Clauſtralium art. 3.

In qua deſcriptione abſtractum ponitur pro concreto, vt ſit ſenſus: Monachus eſt violentator indeſinens ſui ipſius. Cùm enim dicat Saluator: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, ideſt, qui ſibi ipſis ſalubrem violentiam inferunt, ſuperando inordinatos affectus, & vincendo ſeipſos, Regnum cœleſte merentur. Arcta namque eſt via, anguſtaque porta, quæ ducit ad vitam beatam. Hinc conſtat, quòd quanto Monachus præ cæteris magis abnegauit ſeipſum, ac propriæ voluntati renuntiauit, tanto plus tenetur ſuperare naturam ſuam in omnibus, proprias libertates, & concupiſcentias abiiciendo, omnemque iram, impatiētiam, pigritiam, vanam lætitiam, animoſitatem, & carnalitatem penitus euellendo, quod eſt in principio non parum difficile, ſed tempore procedente, & Deo auxiliante fit facile. Inſuper dicitur Monachus cuſtodia ſenſuum indeficiens, ideſt, indeficiens cuſtos ſenſuum ſuorum interiorum, & exteriorum, oculos, aures, guſtum, tactum, olfactum iugiter refrænando, & gubernando, ne per eos hauriat animæ mortem: inutiles quoque imaginationes, ac phantaſticas apprehenſiones, & occupationes vitando. Amplius *tertia* deſcriptio eſt: Monachus eſt ſanctificatum corpus, expurgatum os, & illuminata mens. In qua deſcriptione ponitur pars pro toto, vt ſit ſenſus: Monachus eſt homo habens corpus diuino cultui conſecratum, & à carnalibus inquinamentis mundatum; habens etiam os à verbis illicitis purum ac ſancto ſilentio decoratum, mentem quoque illuminatam à Deo ad contemplandum cœleſtia, & æterna. *Quarta* deſcriptio eſt: Monachus eſt mœrens, ac dolens anima indeſinenti mortis memoria. In qua rurſus deſcriptione ponitur principalis pars hominis pro homine ipſo. Ad Monachum equidem pertinet eſſe in quotidiano mœrore, & dolore. *Primò* propter ſui ipſius, & aliorum peccata, vt non ſolùm ſua, ſed & totius mundi mala deplangat, & pro omnium ſalnatione ſæpiſſimè ac fideliſſimè deprecetur. *Secundò*, deſiderio Regni cœleſtis, vt cum Pſalmiſta decantet, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Itemque, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Atque cum Paulo Apoſtolo, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* *Tertiò* ex compaſſione Chriſti, omnia quæ Chriſtus pro noſtra ſalute fecit, & pertulit, cordialiter reuoluendo. Interdum verò, qui veriſſimè Monachus eſt, lachrymatur ex abundantia ſpiritalis lætitiæ, & ex incomparabili, atque dulciſſima complacentia Dei, quia ſupergratioſiſſimus, & ſuperamœniſſimus Deus complacet ſibi in contemplatione theorica, qua rapitur ad ſuperna. Debet autem Monachus vitæ huius breuitatem & mortem inceſſabiliter propinquantem indeſinenter perpendere. Poſtremò *quinta* deſcriptio eſt: Monachus eſt ordo, & conſiſtentia incorporalium in corpore materiali, & ſordido conſummatus. Vbi rurſus abſtractum & ſubſtantiuum concretiuè, & adiectiuè ſumendum eſt, vtpute ordo pro ordinatus, conſiſtentia pro conſiſtens, vt ſit ſenſus: Monachus eſt ordo, & conſiſtentia incorporalium, ideſt, homo ordinatus, & conſiſtens inſtar Angelorum in corpore materiali ac ſordido; quia in carne non carnaliter, ſed ſpiritualiter viuere debet, atque Angelicam ducere vitam in terris, laudibus, orationibus, & contemplationibus Dei iugiter inſiſtendo, vt illud Apoſtuli dicere queat: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Hæc de diſcriptionibus Monachi tetigi, non ſecundùm ſcholaſticam ſubtilitatem, ſed ſecundùm Monaſticam ſimplicitatem, vt ad Monachalis vitæ perfectionem quilibet Religioſus fideliter properet.

Matth. 11.

Verùm & ipſum Monachi nomen ſatis deſcripſit ſui ſtatus perfectionem, quod ſatis notant quæ in geſtis primi, atque ſanctiſſimi Niſſeni Concilij trecentorum decem & octo Epiſcoporum ſcribuntur, & partim in Decreto *cauſa* 16. *quæſt.* 1. continentur. Sic etenim in geſtis illius Synodi legitur. *Placuit omnibus reſidentibus in ſancta Synodo Niſſena, vt Monachorum conuerſatio ab omnibus diſcrepet, diſcreta ſit, & abſtracta. Monachus* enim Græcè, Latinè dicitur *ſingularis.* Vnde Monachum per omnia oportet ſingulariter agere, ideſt, ab omnibus exterioribus ſeipſum abſtrahere, cunctiſque abdicatis ſoli Deo viuere, intendere, & vacare, vt Gloſſæ teſtantur. Inſuper Eugenius Papa in generali Concilio, *Placuit*, inquit, *communi noſtro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de monaſterio nefandiſſimo auſu præſumat exire, nec quibuſcumque ſe negotijs implicare. Sit clauſtro ſuo contentus: quoniam ſicut piſcis ſine aqua caret vita; ita ſine monaſterio Monachus.* Sedeat itaque ſolitarius, & taceat, quoniam mundo mortuus eſt, Deo autem viuit. Agnoſcat nomen ſuum. Μόνος ſiquidem Græcè, Latinè dicitur *vnus*, & ἄχος Græcè, Latinè dicitur *triſtis*. Vnde dicitur Monachus, id eſt, vnus triſtis. Sedeat igitur triſtis, & officio ſuo vacet. Hinc ſecundùm Hieronymum, officium Monachi eſt lugere, nimirum propria, & aliorum peccata. Ampliùs Alexander Papa II. ſic ait: *Iuxta Chalcedonenſis optimi tenorem Concilij Monachos ad normam ſancti Benedicti intra clauſtrum morari præcipimus, vicos, & ciuitates peragrare prohibemus, quatenus vtique iuxta regula ſua cenſuram ab omnibus abſoluti, & ab omni proprietate totaliter expediti, Deo conſcientia pura vacent. Hinc in ſacro Chalcedonenſi Concilio legitur: Monachos placet nobis quieti operam dare, ieiunia obſeruare, orationibuſque vacare, & nulla ſæculari actione ſe implicare, imò vtique à ſe cuncta abdicare terrena. Porrò quàm præceptoriè hæc dicantur, conſtat ex eo quòd ex eo ſubditur. Prætereuntibus verò hæc, decernimus extra communionem eſſe, ne nomen Domini blaſphemetur.*

Quàm periculoſa ſit vita Religioſorum negligenter viuentium, & ad perfectionem non tendentium, ex Dionyſio Rikelio.

CAPVT XXXVI.

OPeræ pretium quoque erit monere Religioſos ſui ſtatus periculum, ſi perfectionis conatum omittant, vt vel hinc obligationem ſuam agnoſcant, & ſatisfacere ſolicitè curent. Nam, vt inquit Dionyſius Carthuſianus: *Quanto quis perfectius viuere obligatus, tanto vitioſior eſt conuerſatio eius, ſi, vt tenetur, viuere non conetur;* Lib. de Reform. Clauſt. art 6.

ſi que

Digitized by Google

ſicque de die in diem magis ac magis in anima excœcatur, induratur, totuſque inſenſibilis ad diuina, & carnalis efficitur, in tantum, vt nec propria ſentiat, vel attendat, neque æternæ damnationis pericula ſibi quotidie propinquantia expaueſcat, ſed vanè & intimoratè ſe habet: & hoc iuſto Dei contingit iudicio. Quoniam peccata non ſolùm ſunt peccata, ſed etiam pœna peccati; præcedenti namque peccato meremur cadere in ſequens, quando de præcedenti peccato ſtatim non pœnitemus. Ideo ait Gregorius: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo mox pondere trahit ad aliud.* Itaque quanto Religioſi, & Monachi altioris & perfectioris ſunt Ordinis, tanto grauioribus multipliciotibuſque quotidie inuoluuntur peccatis, ſi ad obſeruantiam regularem non fuerint diligentes. Meritò ergo fatetur ſanctus Auguſtinus: *Sicut non vidi meliores his qui in clauſtris profecerunt, ita non vidi deteriores his qui in clauſtris virtuosè ſe habere non ſtuduerunt.* Imò, vt rurſus Hieronymus in regula ſua teſtatur: *Sine ſpiritali charitate, quæ ſine humilitate, manſuetudine, patientia, iuſtitia alijſque virtutibus non habetur, clauſtra ſunt tartara, & habitantes in eis ſunt Dæmones, cùm charitate verò ſunt paradiſus in terris, & habitatores ſunt Angeli.* Præterea Religioſi ad caſtitatem, paupertatem, & obedientiam cum voto ſe obligant. Votum autem ſecùdùm S. Thomam magis obligat, quàm iuramentum, & maximè votum Monachorum. Monachi ergo, qui proprium habent, aut incontinenter, ſeu inobedienter viuunt, contra vota ſua quotidie enormiter peccant, & periuris peiores redduntur; imò in quolibet actu quo proprietate vtuntur, vel contra aliquod votorum ſuorum agunt, grauius crimen incurrunt, quàm ſit ipſum periurium; ſicut Doctores concorditer ſcribunt, videlicet ſanctus Thomas, Petrus de Tharentaſia, Alexander de Ales, & alij viri doctiſſimi, ac deuoti. Inſuper ſecundùm Auguſtinum, qui ad vitandum peccata venialia non extat ſolicitus, nequaquam diu eſſe ſine peccatis mortalibus poteſt. Nam & diuina ait Scriptura:

Eccleſiaſt. 27 *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua*, id eſt, mens, ſeu conſcientia tua per peccatum mortale repentè deiicietur. Quamuis autem multa contineantur in regulis, aut ſtatutis Religioſorum, ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti, ita vt ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo illorum fuerint negligentes, vt eſt obſeruatio ſilentij, ſurgere alacriter ad Matutinas, otioſitates vitare, inutiliter hinc inde diſcurrere, atque ſimilia. Verumtamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, non poteſt à mortali excuſari peccato. Propterea Religioſi deformati, in quibus parua, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſeruantia, qui carnaliter viuunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, otioſitati, & loquacitati vacantes, innumerabilia prorſus incidunt vitia, non venialia ſolùm, ſed & mortalia quoque; imò tota vita eorum eſt quaſi quoddam peccare continuum, præſertim quia & hæc ipſa bona quæ agere videntur, tam negligenter, irreuerenter, & tepidè, tam inordinatè, atque intepidè agunt, vt magis ſit offenſiuum Dei, quàm honorariuum, ac reconciliatiuum ipſius. Tales enim qui in fecibus ſuis iugiter manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui ſe in nullo emendant; immò de multis, quæ mortalia ſunt, nullam ſibi conſcientiam facere comprobantur? Porrò quàm vera ſint hæc, ex verbis Patrum ſanctorum facile eſt probare; dicit enim Abbas ille doctiſſimus Euſebius Emiſſenus *in Homilijs ſuis ad Monachos.* Ait quodam loco Beatus Apoſtolus: *Videte vocationem veſtram fratres.* Quapropter & nos dilectiſſimi videamus vocationem noſtram: non enim prodeſt ad locum hunc clauſtralem veniſſe ſi tales hîc ſumus, quales in ſæculo fuimus; nam, vt ait Scriptura, *Qui multa promittunt, neceſſe eſt vt multa repetantur ab eis.* Quid enim nobis habitatio clauſtralis prodeſt, quando tyrannico dominatu in nobis malitia regnat, quando ira ſuperequitat, quando maiorem metum in nobis humanus oculus, quàm diuinus, indicit, quando nos clauſtrales, qui extra mundum eſſe nos credimus, mundum intra nos per varias vanitates, & iniquitates clauſum tenemus? Ideoque videte vocationem veſtram fratres: venire quidem ad clauſtrum ſummæ perfectionis exordium eſt; ſed non perfectè in Monaſterio viuere ſumma damnatio eſt. Iterum ait: Habet hoc infœlix conſuetudo peccandi, vt quanto ampliùs quis peccauerit, tanto minus peccata ipſa intelligat, & tanto plus eum peccare delectet, vt eueniat illi, quod ait Propheta: *Non eſt Deus in conſpectu eius.* Auferuntur iudicia tua à facie eius. Etenim quando ſubrepit peccandi delectatio, ſtatim diem futuri iudicij abſcondit obliuio. E contra quanto quis ſolicitior circa ſe fuerit, tanto plus metuit, ſicut ait Scriptura, *Sapiens timendo declinat à malo.* Sapiens ergo in compunctione ſemper eſt, & in metu; & ſicut de præteritis malis pœnitet, ac ſuſpirat, ita de futuris periculis peruigili ſollicitudine contremiſcit. Rurſus teſtatur: Id profeſſio noſtra à nobis requirit, vt contra proprias concupiſcentias, & reprobas voluntates, & contra omnem animoſitatem, carnalitatem atque acediam iugiter repugnemus. Certumque eſt, quòd niſi quotidie hæc implere, vniuerſaſque paſſiones, & inobedientias quotidie viriliter eradicare conemur, multò peiores in clauſtro efficimur, quàm eramus in ſæculo, & fiunt nouiſſima noſtra peiora prioribus. Præterea ſanctus Cæſarius Præſul *in Homilijs ſuis* ad Monachos loquitur. Sicut nauis poſtea quàm de pelagi fluctibus euaſerit, ſi in portu ſentinata, ſeu cuſtodita non fuerit, de minutis guttis impletur ac mergitur; ſic & Monachus deuictis huius mundi criminibus, quaſi periculoſis fluctibus, cùm ad portum Monaſterij aduenerit, ſi ibi ſubrepentia minuta, & quotidiana peccata de animæ ſuæ ſentina exhaurire neglexerit, in ipſo portu Monaſterij crimen incurrit naufragij. Sed dicet aliquis: Quomodo poteſt anima à peccatis minutis & paruis quotidie emundari? Poteſt vtique orando, ieiunando, vigilando, veram humilitatem, veram charitatem, veramque obedientiam exhibendo. Iterum ait hic Sanctus. Cum ſumma humilitate & ingenti ſolicitudine admonemus, vt non ſolùm peccata criminalia caueamus, ſed & paruas negligentias quotidie quaſi venena Diaboli reſpuamus. Sunt enim nonnulli, qui poſt Religionis profeſſionem nimia ſecuritate ſoluuntur, & impletur in eis ſententia qua dicitur: *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus; nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo.*

Hoc eſt, melius tibi eſſet aut in ſæculo remanſiſſe, aut in monaſterio eſſe feruentem: nunc autem, quia & de ſæculo receſſiſti, & tamen ex negligentia tua ſpiritalem feruorem non apprehendiſti, tepidus factus, ex ore Domini euomeris. Inſuper dicit: Sicut gaudendum eſt de Monacho, qui ad Monaſterium veniens, manſuetudinem, humilitatem, patientiam, mitis humiliſque exhibuit; ita lugendum eſt de illo, qui corpore tantùm exiſſe videtur de ſæculo, corde autem in mundo manſiſſe probatur, quipro humilitate profert ſuperbiam, pro patientia iracundiam, pro obedientia contemptum, pro charitatis dulcedine venenum malitiæ. Talibus competit illa Beati Apoſtoli vera & multum timenda ſententia. *Melius illis fuerat non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem reuerti retrorſum.* Et rurſus. *Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Non eſt tamen de talibus deſperandum, quoniam potens eſt Deus ſcintillam compunctionis in eis accendere, omnemque ſæculi voluptatem, ac vanitatem quaſi ſpinas, tribuloſque malitiæ ſalubri igne conſumere. De quo igne loquitur Chriſtus: *Ignem veni mittere in terram.* Poſtremò teſtatur. Qui ſola capitalia cogitat, & contra ipſa tantùm pugnare contendit, atque de paruis peccatis paruam, aut nullam ſollicitudinem gerit, non minùs incurrit periculum, quàm ſi maiora committeret crimina. Non ergo parui pendamus peccata noſtra, quia minuta ſunt, ſed timeamus, quia multa ſunt. Nam & pluuiarum guttæ minutæ ſunt, ſed quoniam plures ſunt, flumina implent, domoſque ſubruunt, atque interdum impetu ſuo etiam montes trahunt. Hinc ſcriptum eſt: *Qui ſpernit modica, paulatim decidit.* Et iterum: *Delicta quis intelligit?* Quis enim dinumerare valet peccata, quæ quaſi parua, & nulla reputantur à nobis; cùm tamen Scriptura diuina grauiter nos pro illis puniendos teſtetur. Ideo iuxta Salomonis ſententiam, omni cuſtodia cuſtodiamus cor noſtrum, vt ſi minuta peccata ad integrum vitare non poſſumus, ſaltem tardiùs, & rariùs ab eis præueniamur: quotieſque victi fuerimus, purgare illa ſuſpiriis atque gemitibus, cum Dei adiutorio feſtinemus. Hinc ſanctus Pachomius *in Regula ſua* ait. Æſtimant Fratres, quòd traditiones quas didicerunt, humanæ ſint, & neſciunt, quia pro contemptu minimi mandati, magna negligentes pericula maneant.

Hactenus de perfectione communi religioſis omnibus inſtitutis diſſeruimus. Nunc ſpecialiùs de præſtantiſſima Religionum mendicantium vocatione agemus, quarum ex inſtituto perfectio ſalus animarum eſt.

* * *

DOCTRINA V.

DE PERFECTIONE Religionum Mendicantium circa animarum ſalutem.

Quàm perfectè Religiones Mendicantium imitentur Chriſtum in procuranda ſalute animarum; & quanti hoc ſtudium fecerit Dominus?

CAPVT XXXVII.

TV *autem vade, & annuntia Regnum Dei.* Munus Apoſtolicæ vitæ, perfecta imitatio filij Dei, conſummatio charitatis, excellentiſſimum omnium virtutum opus, zelus animarum eſt, & hoc vocatio noſtra eſt, ad hoc inſtituta eſt Societas Ieſu, vt diſcipulatum Chriſti quàm proximè repræſentaret in excellentiſſimo vitæ genere, & exacta imitatione ipſius Ieſu ductoris noſtri. Hoc ſemper noſtros ante oculos obuerſari debebat, vt in noſtri inſtituti vocatione affirmaremur, omnibuſque viribus ſalutem animarum quæreremus, atque ardentiſſimo diuinæ gloriæ zelo conflagraremus, intimis cordis noſtri medullis Deo, & hominibus pro ipſo Deo, & ſecundùm ipſum Deum traderemur, atque amaremus. Licèt enim in Eccleſia Dei, quæ in veſtitu deaurato circumdatur varietate, multa ſint inſtituta præclara, & laudabiles, ac tutiſſimæ ſpiritualis vitæ ſemitæ, illud eſt præſtantiſſimum omnium ſtudium, quod ſaluti animarum pariter cum propria perfectione vacat. Quemadmodum nobis clariſſimè præſcripſit Apoſtolicus noſter Patriarcha. *Finis*, inquit, *huius Societatis eſt, non ſolùm ſaluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere.* Vocatio quidem Apoſtolica, perfectaque Chriſti ſequela in hoc conſtat; nam cùm vocaret quemdam Dominus, dicens: *Sequere me.* Ille autem dixiſſet, *Domine permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Protulit Saluator mundi auream illam ſententiam; *ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Hoc eſt excellenti modo ſequi Chriſtum, cùm peccatores ad agnitionem veritatis trahuntur. Quapropter cùm ſit ſumma dignitas Chriſtiani, ſe quàm ſimillimum Chriſto efficere, illumque imitari, meritò ſancti Patres Chriſtianos omnes ad hanc animarum functionem propoſito Chriſti exemplo, veluti excellētiſſimarum actionum menſura perfectiſſima, vrgent vt iam non

Luc 9.

Reg. 2 ſum.

ſibi

ſibi ſuiſque commodis,& vtilitatibus,ſed proxi-ximorum ſaluti viuát. Optimè D. Ioannes Chryſoſt. in illa Apoſtoli verba: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Hac,* inquit, *perfecta charitatis regula eſt, hic certiſſimus terminus, hoc ſupremum omnium cacumen, quarere qua communem omnium comprehendant vtilitatem, quod ipſe Paulus ſignificans addidit, ſicut ego Chriſti. Nihil enim poteſt nos adeò imitatores Chriſti facere, vt proximorum cura.* Idem etiam Chryſoſtomus in Matthæum dixit: *Vt ſcias, quantum bonum ſit cum ſalute noſtra & alios lucrari, audi Prophetam ex perſona Dei dicentem: Qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum erit. Quid hoc eſt? Qui ab errore ad veritatē,* ait, *manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano me imitatur.* Denique D. Auguſtinus propoſito Chriſti exemplo ad charitatis vincula fidelium excitat animos; explicans enim locum Ioannis, *Omnis qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum,* ait. *Accipere calicem ſalutarem, & inuocare nomen Domini, hoc eſt ſatiari charitate, & ita ſatiari, vt non ſolùm non oderis fratrem, ſed paratus ſis meri pro fratre. Hanc charitatem docuit Chriſtus in cruce moriens. Hanc dicit Paulus, dicens: Ego libentiſſimè impendar pro animabus veſtris. Hanc imitatus eſt Stephanus, orans pro lapidantibus ipſum. Propter eos volebat Paulus viuere, pro quibus paratus erat mori. Et Petro dixit Chriſtus poſt reſurrectionem: Petre amas me? Paſce oues meas; quaſi dicat, hac eſt perfecta mei dilectio, vt pro fratribus facias, quod ego pro te feci. Qui non diligit fratrem ſuum, non eſt ex Deo. Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli.* Hæc Auguſtinus. Cumque nihil homini excellentius, aut glorioſius contingere poſſit, quàm ad haoc Chriſti imitationem, & ſimilitudinem pertingere, ac omnes præterea Chriſtianos imitatores Chriſti eſſe oporteat, idque eos & profeſſio, & nomen ipſum monet; multò verò exactiùs ſtrictiorique vinculo ad hoc aſtricti tenentur Religioſi, quorum inſtituta ita ex Chriſti vita deſumpta ſunt, vt pictores ſolent cùm vultum ex vultu exprimunt. Quare ſi horum paupertas ideo eſt perfecta, quia eius paupertatem imitantur, qui non habuit, vbi caput reclinaret, & caſtitas illius caſtitatem, qui fuit candor lucis æternæ, & obedientia quoque, quia ab illo deprompta eſt, qui factus eſt obediens vſque ad mortem; non dubium horum charitatem tanto fore perfectiorem, quanto plus ad illius exemplar acceſſerit, qui propter nimiam charitatem qua dilexit nos, venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret.

Hom. 15. in epiſt. ad Corinth.

Hom. 34. in Matth.

Quòd ſi perfecta Chriſti imitatio zelus animarum eſt, non ſolùm eſt vita, & ſtudium Apoſtolorum, ſed ipſius filij Dei. Quid autem perfectius, quàm vita Ieſu. Nonne gloriæ Dominus eligeret quod præſtantiſſimum erat? atque vt euidentiùs demonſtraret excellentiam huius ſtudij, priùs deſertum expertus, vitam ſolitariam reliquit, & actuoſam vtilioremque proximis aſſumpſit, in qua vſque ad mortem perdurans præſtantiam vitæ huius demonſtrauit. Inque ipſo diſceſſu ſuo nobis commendauit teneriimis, & plenis amore verbis, dicens, *Hoc eſt praceptum meum, vt diligatis inuicem.* Qua lege, qua fide hæc verba accipere debeamus, ex ſancto Chryſoſtomo diſcamus. *Nouiſſima* (inquit) *verba Chriſti ituri in cœlū ſunt iſta, nempe, Hoc eſt praceptum meum,* &c. *Conſiderate languentem in lecto hominem, in domo ſua iacentem, & maceratum agritudine, proximum morti, anhelantem iam animam inter dentes quodammodo habentem, qui fortè ſolicitus de aliqua re chara ſibi, quam multum diligit, veniat ſibi in mentem, & vocet haredes ſuos, & dicat: Rogo vos, facite hoc, teneat quodammodo violenter animam, nè antea exeat, quàm verba illa formentur, cùm illa verba nouiſſima dictauerit, efflat animam, tollitur cadauer in ſepulchrum. Haredes ipſius, quomodo meminerunt nouiſſima verba morientis? Quomodo ſi quis exiſtat qui dicat eis, Nolite facere; quid ergo illi dicant? Ergo non facio quod mihi pater efflans animam nouiſſimè mandauit? Quod vltimum ſonuit in aures meas proficiſcente hinc patre meo? Quanis alia verba aliter poſſum habere, nouiſſima verba me plus tenent, non eum vidi amplius, non audiui loquentem. Fratres cogitate viſceribus Chriſtianis, ſi haredibus ſunt tam dulcia, tam grata, tam magni ponderis verba patris ituri in ſepulchrum, haredibus Chriſti qualia debent eſſe verba nouiſſima.* Hactenus Chryſoſtomus.

Tom 9 in Canon. Ioan.

Cateras virtutes vincit zelus animarum.

Capvt XXXVIII.

Hic autem delectus filij Dei eam vitam ſibi, ſuiſque diſcipulis aſſumentis quæ in ſalute hominum procuranda occuparetur, non ſine ſumma ratione & conſilio fuit, propter eminentem ſcilicet huius ſtudij exceſſum ſuper reliquos virtutum actus. Hinc certè non caſu factum eſt, vt ille, qui fuit vocatus ad Apoſtolicum munus, cauſaretur opus illud tantæ pietatis & religioois, ac fuit ſepelire patrem mortuum, & nihilominus diſſuaſus fuit à Domino, vt Regnum Dei annuntians in proximorum ſalute ſtatim laboraret. Alter quoque qui ſequi Chriſtum cupiens, voluit priùs renunciare omnibus quæ poſſidebat, etiam fuit prohibitus. nam huic excellentiſſimo vitæ generi omnia poſtponenda ſunt, non ſolùm temporalia, ſed multa ſpiritualia, cùm ſuper omnes alias ſit virtutes. Illud autem maximè conſiderandum eſt, non ſolùm ne relinqueretur cura, & zelus proximos iuuandi prohibuiſſe Chriſtum tantæ illius pietatis, & religionis exercitium ſepeliendi patrem, verùm vt vel ſolùm non differretur. Cùm enim diſcipulus ille vtrumque potuiſſet explere, & ſepelire patrem, & annunciare regnum Dei; nihilominus quoniam maximo præſtet interuallo, & exceſſu, charitatis officium ſuper alia virtutum ſtudia, non ſolùm relinqui propter alias virtutes, ſed differri non debet. Itaque ſuper opera abſtinentiæ, auſteritatis, imò Religionis, hæc cura, & occupatio proximos ſaluandi eſt. At, quid mirum, ſi cætera bona huius vitæ temporalia, & ſpiritualia variarum virtutum officia propter hoc ſint relinquenda, cùm filius Dei cœlum, Angelos, & Patrem propter hominum ſalutem reliquerit. Diuus Paulus etiam cùm in cœlum tranſuectus eſſet, ſummo honori duxit ad terram, & vallem lachrymarum reſtitui, vt homines ad veritatis agnitionem adduceret.

Digitized by Google

adduceret. Vnde ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus dixit. *Audiuit ſanè ineffabilia verba, quæ non licet hominibus loqui. Deſcendit autem Paulus rurſus, non quòd dignus non eſſet conuerſatione tertij cœli, ſed vt guſtatis ſupercœleſtibus, & honoratus deſcendens Chriſtum prædicaret.* Tanti eſt zelus animarum, & labor charitatis in ſaluandis hominibus, vt ipſi cœlo præponi poſſit. ipſe Apoſtolus paratus erat ipſum quodammodo relinquere Chriſtum, illum quem mille votis concupiſcebat, illum quem mille cordibus exardebat amare, & vnire ſibi, dum fratres ſuos lucrifaceret, pro quibus anathema eſſe optabat.

Catech. 14.

Quomodo zelus animarum iuxta ſanctos Patres ſuperet aliarum virtutum actus, abſtinentias, aſperitates, & pœnitentias.

CAPVT XXXIX.

AVDSAMVS magis ſpecialiter, quomodo procurationem ſaluandi animas cæteris virtutibus, quantumuis excellentibus, anteponant Sancti. In primis abſtinentiæ virtutem, auſteritates, & pœnitentias longè ſuperat, imò nullam habent comparationem cum hac cura ſaluandi homines: parum autem hoc putabitur exaggeranter dictum, ſi audiamus quæ ſanctus Chryſoſtomus dicit. *Licèt*, inquit, *ieiunando, humi dormiendo corpus maceraueris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, ſed adhuc longè ab huiuſmodi abfueris imitatione. Propterea, inquit Paulus, Per omnia omnibus placebo. Siue præter legem aliquid, ſiue laborioſum, ſiue periculoſum facere oporteat, omnia in proximorum vtilitatem perpetior. Cùm igitur omnium diligentia ſupremus ſim, humilitate omnium abiectiſſimus effectus ſum. Etenim nullum valde magnum poteſt eſſe officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur, quod oſtendit, qui totum reddidit talentum, & ſupplicio affectus eſt, quoniam id non auxit. Tu igitur mi frater, quamuis fame conficiaris, quamuis humi iaceas, quamuis cinerem comedas, quamuis ſuper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.* Idem alibi ait. *Quid huic poterit æquiparari? quod neque ieiunium, neque humi peracta cubationes, neque peruigilia, neque aliud quippiam poteſt efficere, efficit fratris procurata ſalus. Cogita quàm multa tuum os frequenter peccauerit, quàm multa verba obſcœna protulerit, quàm multa conuitia, quàm multa maledicta euomerit, & omnino ſuſcipies collapſi curam. Nam hoc vno omnem illam delere maculam poteris. Et quid dico delere? facies vt ſit os tuum ſicut os Dei. Quid huic honori poſſit æquiparari? Non enim ego iſta polliceor, ipſe Deus hoc dixit: ſi vnumquempiam eduxeris* (inquit) *vt os meum erit os tuum, purum ſanctumque.* Hinc in libro octauo in vitis Patrum apud Roſvveidum oranti B. Paphnutio Abbati, qui in ſumma vitæ auſteritate, & multo maiore, quàm nunc in vllo religioſo Ordine ſeruetur, vitam eremiticam ſectabatur ſeparatus à conſortio hominum, diuinitus reuelatum eſt, eum non exceſſiſſe perfectionem cuiuſdam in ciuitate tibicinis, qui non ita pridem vacabat latrociniis, ebrietati, & ſcortationi; cùm autem accuratè examinaretur, quid nam vnquam ab eo rectè geſtum eſſet: hoc ſolùm inuenit, quòd cùm aliquando latronis vitam ageret, Chriſti virginem, cui erat à latronibus vitium afferendum, liberauit; & alteri formoſæ mulieri erranti in ſolitudine vim non intulerit, ſed trecentis aureis donatam dimiſerit, vt maritum cum liberis ob debita in carcerem coniectum liberaret. Si ergo hominem tam antea malum opera charitatis pauca æquarunt meritis tam ſancti Eremitæ in ſummo rigore ieiuniorum, & paupertatis, aliiſque carnis macerationibus vitam traducenti, quanto maiorem meritorum cumulum parient innumera opera charitatis ſpiritualis, quæ Religioſi mendicantes efficiunt.

Hom. 25. in in epiſt. 1. ad Cor.

Orat. 5. contra Iudæos.

Cap. 63.

Studium iuuandi proximum ſuperat omnes virtutes morales, & præſtantiſſima virtutis Religionis opera.

CAPVT XL.

QVID excellentius inter virtutes morales, quàm Religionis virtus ac præſtantiſſima diuini cultus officia? per hæc etiam non ita gloriatur Deus, non ita ditatur anima, ac per ſtudium iuuandi proximos, per opera nimirum, in quibus magis reſplendet Dei dilectio, & proximi propter Deum. Vnde ſanctus Thomas dixit. *Miſericordia cultui diuino præfertur, ſecundùm illud Oſeæ, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Poſtea eandem præſtantiam ſupra cultum diuinum confirmans, ait: Miſericordia qua ſubuenitur defectibus aliorum, eſt ſacrificium ei magis acceptum, vtpote propinquiùs vtilitatem proximorum inducens, ſecundùm illud: Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Imò ſpeciatim Pſalmodiæ antepoſuit ſanctus Gregorius minimum opus charitatis, ſeu miſericordiæ, ſcilicet eleemoſynam corporalem, vt noluerit occupari in Pſalmodia Diaconos, quo eleemoſynis vacarent. Quanto magis præponenda ſunt opera miſericordiæ ſpiritualis? Hæc opera ſiue eliciantur à propriis virtutibus, ſiue imperentur à diuerſis, præſtant Religioni imperatæ à ſimili virtute, cæteris paribus. Et idem S. Thom. in ſententiarum libro prætulit orationi, quæ opus Religionis eſt, eleemoſynam, cùm vtraque imperatur à virtute pœnitentiæ, ſcilicet in ratione ſatisfactionis. Quare licèt religionem imperet charitas, minus opus erit, quàm conuerſio peccatoris, imperata etiam à charitate. Licèt enim laudare hymnis Deum, Angelicum opus ſit, non habet comparationem cum zelo animarum, miſericordia ſpirituali, & conuerſione peccatorum, quæ diuinum opus eſt, iuxta ſanctum Dionyſium Areopagitam. Idem ſanctus Thomas alibi ſic fatetur. *Nobilior modus eſt prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationem, quàm per cantum, & ideo Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hæc à maioribus retrahantur.*

2. 2. q. 30. art. 4.
Oſeæ 6.

Hebr. vlt.

Lib. 4. reg. cap. 38.

In 4. diſt. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2.

2. 2. q. 91. art. 2. ad 3.

Aſſert

Affert ibidem locum ſancti Gregorij, quem integrum placet tranſcribere. Sanctus Gregorius Papa coram ſancti Petri corpore cum Epiſcopis omnibus, ac Romanis Preſbyteris reſidens, adſtantibus Diaconis, & cuncto clero, ſic dixit: In ſancta Romana Eccleſia, cui diuina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum eſt conſuetudo valde reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri Altaris miniſterium cantores eligantur, & in Diaconatus Ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium, eleemoſynarumque ſtudium vacare congruebat. Qua de re præſenti decreto inſtituto, vt in ſede hac ſacri Altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque euangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exoluantur; Pſalmos verò, ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, & per minores Ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema ſit. Ita habetur libro quarto Regiſtri, & epiſtola quadrageſimaquarta, & in quodam concilio, quod poſt librum duodecimum Regiſtri refertur, & in capite *Sancta*, diſtinctione nonageſima prima, quod decretum allegauit etiam ſanctus Thomas.

Cap.88. aliàs epiſt.44.

Quòd ſi propter eleemoſynas corporales ſacra Pſalmodia debet omitti, multò magis propter ſpirituales, vti ſunt, peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, conſolari mœſtos, ſacramenta adminiſtrare, libros pro defenſione ſanctæ Eccleſiæ, & alios ſimiles pro dilatanda diuina gloria conſcribere. Hîc commemorare libet morem illum feruidi P. Didaci Martinez, qui crebrò ſibi inculcabat chori exemptionem compenſandam labore pro animarum ſalute. Sæpiſſimè coram Deo prolixa meditabatur oratione ſecundam ſummatij regulam, ſibique identidem dictitabat interdiu: Didace, hominis religioſi eſt noſſe ſuum inſtitutum, obſeruare illud, & de ipſo rationem reddere mundo. Inſtitutum autem Societatis eſt, ſalus, ædificatio, & perfectio propria, ſimul & iuuare ſalutem, & perfectionem proximorum; idcirco cares choro, ſcito tuam obligationem, & huic debito fac ſatis omnibus tuis viribus.

Studium & labor iuuandi ſalutem proximorum, excedit contemplationem.

Capvt XLI.

At quid mirum ſi canticis, & orationibus vocalibus zelus animarum præponatur, cùm mentali orationi, diuinæque contemplationi multi illum Patres anteferant, aliquos ſanctus Thomas allegat in tractatu de perfectione vitæ ſpiritualis. Dicit ſanctus Gregorius in Paſtorali. *Sic Præſul actione præcipuus pra cunctis contemplatione ſuſpenſus, Rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam, in interiorum ſollicitudine non relinquens; ſed etſi detrimentum aliquod in dulcedine contemplationis patiuntur, propter exteriorum occupationem, qua proximis ſeruiunt, hoc ipſum perfectionem diuinæ dilectionis atteſtatur. Magis enim aliquem amare conuincitur, qui propter eius amorem iucunditate præſentiæ eius ad tempus carere deſiderat, in eius ſeruitijs occupatus, quàm ſi eius præſentia ſemper frui vellet.* Vnde Apoſtolus ad Romanos ſcribens, poſtquam dixerat, *Neque mors, neque vita ſeparabit me à charitate Dei*, poſtmodum ſubiungit, *optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, quod exponens Chryſoſtomus dicit in libro de compunctione cordis. *Iam enim totam eius mentem deuinxit amor Chriſti, vt etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat eſſe cum Chriſto, rurſus id ipſum, quia ita placeret Chriſto, contemneret.* Accedat ſanctus Bernardus, qui animarum ſolicitudinem in Epiſcopis, omnibus aliis Religioſæ vitæ anteponit virtutibus, tametſi in his qui iuuant proximos, plures ſint defectus, quàm in obſeruantibus clauſtrum. Sic Monachos ſuos alloquitur. *Fratres, reuereamur Epiſcopos, ſed vereamur labores eorum, ſi labores penſamus, non affectamus honores; agnoſcamus impares vires noſtras, nec delectet molles, & fœmineos humeros virorum ſupponere ſarcinis. Nec obſeruemus eos, ſed honoremus; inhumanè nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis; temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier manens in domo. Dico enim, ſi is qui in clauſtro eſt, eum qui verſatur in populo, interdum minus diſtrictè, minuſve circumſpectè ſe ſe agere deprehenderit, verbi gratia, in verbo, in cibo, in ſomno, in riſu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confeſtim proſiliat, ſed meminerit ſcriptum: Melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier; nam tu quidem, in tui cuſtodia vigilans benefacis, ſed qui iuuat multos, & melius facis, & virilius. Quod ſi implere non ſufficit abſque aliqua iniquitate, id eſt, abſque quadam inæqualitate vitæ, & conſeruationis ſuæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta ſunt contra geminam tentationem, qua ſæpe viri religioſi Epiſcoporum vel ambire gloriam, vel exceſſus temere iudicare, diabolicis inſtigationibus incitantur.* Hæc ſanctus Bernardus. Et quidem actio ſpiritualis circa ſalutem proximi, cæteris paribus, hoc eſt, ſuis debitis temporibus, & prudenter ſuſcepta, maioris meriti eſt, quàm contemplatio actualis: nam illud opus eſt excellentius, & perfectius, quod diuinius, & gratius Deo: & talis eſt illa actio, vt conſtat ex ſancto Dionyſio capite tertio de cœleſti Hierarchia, dicente, perfectionem eſſe ad Dei imitationem totis conatibus eniti, quod eſt præſtantius, atque omnibus diuinius Dei cooperatores fieri, & oſtẽdere diuinam in ſe ipſo actionem, ſecũdùm quod poſſibile eſt. Quod magis confirmat Suarius libro primo de varietate Religionum: *Quare excellentius, & perfectius eſt illud actionis genus, quàm contemplatio; obſeruandum quoque eſt contemplationem præpoſuiſſe Chriſtum non cuilibet actioni, ſed actioni, quæ ſolùm conſiſtebat in exteriori occupatione, & miniſterio, non tamen prædicationi, & doctrinæ, & conuerſioni peccatorum. Tum etiam illam comparaſſe vt partem, & propterea non antepoſuiſſe illi vitæ, & actioni, quæ quaſi totum eſt, continens in ſe contemplationem etiam, quæ neceſſariò præſupponitur ſuo miniſterio.* Sic & Bernardus præpoſuit meræ contemplationi hanc actionem, nihil amplius addens, dum dixit. *Tu quidem in tui cuſtodia vigilans benefacis, ſed qui iuuat multos, melius facis, & vtilius. Sic hoc exaggerauit, vt compararet meros contemplatiuos fœminis, & occupa-*

Cap 18. de perfect. vitæ ſpiri.

Cap. 9.

Serm. 12. in Cant.

Cap. 6. n. 22.

Serm. 12. in Cant.

tos in ſalute animarum viris , & fortibus militibus. Nec ſolùm ſimpliciter hoc genus actionis antetulit D. Gregorius contemplationi,ſed comparatione eius , quaſi imperfectam putauit contemplationem ; quod intelligendum eſt, cæteris paribus , dum nullum ſit periculum ſubſtantialis perfectionis ex eo quòd contemplatio deſeratur, licèt ſit detrimentum ſenſibilis deuotionis , & dulcedinis. Verba ſancti Gregorij ſunt hæc: *Sunt nonnulli qui magnis muneribus ditati , dum ſolius contemplationis ſtudijs inardeſcunt , parere vtilitati proximorum prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt , ſeceſſum ſpeculationis petunt , de quo ſi diſtrictè iudicentur , ex tantis proculdubio rei ſunt , quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt ; qua enim mente is qui proximis profuturus erubeſceret vtilitati cæterorum , ſecretum præponit ſuum , quando ipſe ſummi Patris vnigenitus , vt multis prodeſſet , de ſinu Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum.*

1 p. paſt. cap. 5.

Iuuare ſalutem proximi præſtantius eſt, quàm martyrium conſideratum ſecundùm propriam virtutis ſpeciem.

Capvt XLII.

2.2.q.124. art.3.

Neſcio an magis admirandum videatur , quod actum ex charitate docendi, & gubernandi ſubditos perfectiorem dixerit ſanctus Thomas , quàm actum martyrij conſideratum ſecũdùm propriam ſpeciem actus. Etenim hoc argumentum alicubi propooit : melius eſſe videtur aliis prodeſſe , quàm ſeipſum in bono conſeruare,quia bonum gentis melius eſt, quàm bonum vnius hominis , ſecundùm Philoſophum in Ethicis. Sed ille qui martyrium ſuſtinet,ſibi ſoli prodeſt ; ille autem qui docet , proficit multis : ergo actus docendi, & gubernaodi ſubditos eſt perfectior, quàm martyrij. Reſpondet ad hoc argumentum ſanctus Thomas. *Dicendum* (inquit) *ratio illa procedit de martyrio ſecundùm propriam ſpeciem actus , ex qua non habet excellentiam inter omnes actus virtutum, ſicut nec fortitudo eſt excellentior inter omnes virtutes.* Vbi fatetur illum actum charitatis præſtantiorem eſſe martyrio ſecundùm propriam ſpeciem. Illuſtriſſima tamen ſunt ſancti Chryſoſtomi verba. *Ponatur,*inquit , *quempiam ieiunare, & martyrium comprobare , ac cremari , alium verò ad ædificationem proximi martyrium differre , nec differre modò , ſed etiam abſque martyrio diſcedere ; vter igitur poſt hanc peregrinationem maior erit ? non eſt nobis multis in hoc loco rationibus opus , cùm Beatus Paulus magna voce ſententiam iam protulerit,dicens : Cupio diſſolui , & eſſe cum Chriſto, melius mihi autem in carne adhuc permanere propter vos.*

Hom.78. in c.24. Matth.

Studium iuuandi proximos excedit omnem gratiam miraculorum.

Capvt XLIII.

Tom.4. hom.14.

Qvid dicere amplius poſſumus , niſi cum eodem ſancto Chryſoſtomo etiam reſurrectioni mortuorum, ſignis, miraculis , & omnibus aliis gratiis zelum animarum præhabere. *Paulum,*inquit,*propterea admiramur non propter mortuos quos excitauit , nec propter leproſos quos mundauit,ſed quoniam dicebat: Quis infirmatur , & ego non infirmor ? nam etſi decies millia ſigna ad hæc adieceris , nihil dices, quod ei poſſis conferre : nam ipſe quoque dicit magnam ſibi repoſitam eſſe mercedem, non quoniam fecit ſigna, ſed quia infirmis fuit tanquam infirmus , &c. Et quando ſe præponit Apoſtolis , non dicit : Plura quàm ipſi feci ſigna , ſed , pluſquam ipſi laboraui.* Idem Chryſoſtomus alibi dicit præſtantius eſſe animæ mederi peccatis emortuæ, quàm cadauera excitare rurſus ad vitam.

Hom 4.

Lib.1. de præpar. in Cant. cap.44.

Audiamus quoque Richardum Victorinum, qui ſic ait. *Neſcio ſi poteſt homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere ; ignoro an poſſit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini conferre , quam vt eius miniſterio peruerſi homines in melius mutentur , vt de filijs diaboli filij Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur eſſe mortuos ſuſcitare ? Ergo ne maius erit ſuſcitare carnem iterum morituram,quàm animam in æternum victuram ? Ergo ne maius erit carnem reuocare ad gaudia mundi , quàm animæ reſtituere gaudia cœli ? Ergo ne maius erit reſtituere carni bona tranſeuntia iterum peritura , quàm animæ reddere bona æterna in æternum manſura ? O qualis dos , quanta dignitas , talem gratiam à Deo accipere ; non debuit Dei ſponſa à ſponſo ſuo dotem aliam accipere ; non decuit cœleſtem ſponſum ſponſæ ſuæ dotem aliam donare , quàm vt per adoptionis gratiam poſſit multos Deo filios gignere, & de filijs iræ , filijſque gehennæ , regni cœleſtis hæredes aſcribere.*

Idem confirmat S. Gregorius exemplo Lazari reſuſcitati , & Sauli conuerſi , in tertio Dialogor. lib. cap. decimoſeptimo , vbi ait : *Maius eſt miraculum prædicationis verbo , atque orationis ſolatio peccatorem conuertere , quàm carne mortuum reſuſcitare ; in iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura , in illo verò anima in æternum victura. Cùm enim propono duos , in quo horum exiſtimas maiori factum virtute miraculum ? Lazarum quippe quem iam fidelem credimus fuiſſe, in carne Dominus ſuſcitauit: Saulum verò reſuſcitauit in mente. Et quidem poſt reſurrectionem carnis de Lazari virtutibus tacetur. Nam poſt reſurrectionem animæ , capere noſtra infirmitas non valet, quanta in ſacro eloquio de Pauli virtutibus dicuntur. Quòd illa eius crudeliſſima cogitationes ad pietatis mollia conuerſa ſunt viſcera. Quòd mori cupit pro fratribus , in quorum prius morte gaudebat. Quòd plenus omnis ſcripturæ ſcientia nil ſe ſcire iudicat , niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum. Quòd pro Chriſto verbis libenter cæditur, quem gladijs inſequebatur. Quòd Apoſtolatus honore ſublimis eſt, ſed tamen ſponte fit paruulus*

lus in medio diſcipulorum. Quòd ad cœli tertij ſecreta ducitur, & tamen mentis oculum per compaſſionem reflectis ad diſpenſandum cubile coniugatorum, dicens: Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & vxor viro. Quòd admiſcetur in contemplatione cœtibus Angelorum, & tamen non aſpernatur cogitare, atque diſponere facta carnalium. Quòd gaudet infirmitatibus, ſibique in contumelijs placet. Quòd ei viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd totum iam extra carnem eſt hoc ipſum quod viuit in carne. Ecce qualiter viuit, qui ab inferno mente ad vitam pietatis rediyt. Minus eſt ergo quempiam in carne ſuſcitari, niſi fortè per viuificationem carnis ad vitam reducatur mentis.

Iuuare ſalutem animarum, præſtantiſſimum miſericordiæ opus, excedit incomparabiliter eleemoſynam.

Capvt XLIV.

Inde etiam venari poſſumus præſtantiam zeli animarum, ſpiritualiſque eleemoſynæ, ex quo commendatur in Scriptura corporalis miſericordia; hanc tamen tanto excedit illa, quanto ſpiritus excedit corpus. Vix vlla res plus commendata eſt in ſacris literis, quàm eleemoſyna, cui extinctio peccatorum, protectio Dei, & vita æterna promittitur. Quid grandius, quàm cùm dicitur, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, vbi operibus Religionis præponitur. Item cùm dicitur, *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.* Et alibi, *Ignem ardentem extinguit aqua*, &c. *Eleemoſyna reſiſtit peccatis, & Deus protector eſt eius qui reddit gratiam.* Et rurſus. *Eleemoſyna viri, quaſi ſignaculum cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem vnicuique caput ipſorum, & conuertet in interiores partes terræ.* Quaſi diceret, tanti Deus facit eleemoſynam hominis, vt apud ſe illam habeat tanquam rem pretioſiſſimam, & proinde ſigillatam, aut tanquam ſigillum ipſum, cùm nihil Reges pluris faciant ſuo regio ſigillo, ſic diligenter cuſtodiet Deus illam, ne pereat gratia hominis homini facta, quam non minus ac pupillam oculi ſui ſeruat, nec minoris facit. quo nihil commendatius dici poterat. Deinde cùm reſurget Deus, hoc eſt, cùm veniet ad iudicandum, portionem locupletiſſimam factæ miſericordiæ ſingulis retribuet, adeò vt conuertet retributionem in interiores partes terræ, in mortuos vſque ipſos: quia nimirum efficiet, vt ad eos perueniat reſuſcitans eos, & reſuſcitatis donans quod meruerant. Planè in Euangelio habemus, ita conſeruaturum Chriſtum in die iudicij eleemoſynas hominum, ita memorem futurum miſericordiæ, vt nullius alterius boni, aut mali operis videatur meminiſſe, quo abſoluat, aut damnet, totam illam æternitatis cauſam ad eleemoſynam reducens. Nulli denique virtuti plura priuilegia, pluréſque promiſſiones in Scriptura ſacra tribuuntur, quàm miſericordiæ, licèt corporali, cùm corpus iuuatur egentis; quod tamen Deus ſæpe vult affligere. Quid habebit miſericordia ſpiritualis cùm anima pro qua Chriſtus mortuus eſt, iuuatur. Plus enim quàm cœlum diſtat à terra, & pluſquam maius eſt cœlum, quàm terra, excedit zelus animarum præſtantiſſimæ, & priuilegiariæ virtuti eleemoſynæ.

Iob 12.

Eccleſ. 3.

Eccleſ. 17.

Doceat nos hoc etiam ſanctus Chryſoſtomus, qui ſic ait: *Nihil eſt omni, quod animæ poſſit æquiparari, nec vniuerſus quidem mundus. Itaque etſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficies, ſi vnam conuerteris animam*, &c. *Magnum ſanè, & laudabile eſt miſereri pauperum, ſed magis errantem ab errore reuocare.* Idem alibi. *Nam vt anima* (inquit) *corpore melior eſt, ita his qui indigentibus pecunias, & facultates ſuppeditant, maioribus præmijs digni ſunt hi, qui admonendo, & continuè docendo, in viam rectam ſupinos, & deſides inducunt, monſtrando eis virtutum diuinarum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam. Hæc omnia cùm ſcimus, præ omnibus alijs huius vitæ curis, de ſalute animarum loquamur proximi, eandem illis ſollicitudinem ingerentes. Magnæ enim bonitatis eſt animam, cui hæc continuò intonantur, poſſe reduci ex abyſſo malorum, in quorum medio verſamur, & compeſci ſeditionem quæ perpetuò animam noſtram infeſtat.*

In ep 2. ad Corinth. 3.

Hom. 3. in Geneſ.

Studium conuertendi animas, non ſolùm cæterarum virtutum opera, ſed alia charitatis opera etiam ſpiritualia excedit.

Capvt XLV.

Itaqve non ſolùm ſuper omnia virtutum opera, ſed ſuper omnia alia charitatis opera eſt viam ſalutis docere, & ad agnitionem diuinæ veritatis homines adducere. Quod vt dilucidiùs diſcamus, audiamus Angelicum Doctorem, qui tres gradus operum charitatis æſtimaturus diſtinguit, & hunc vltimum aliis præponit duobus. *Conſideratur*, inquit, *fraterna dilectionis perfectio ex affectu; quanto enim maiora bona proximis impendimus, tanto perfectior dilectio videtur. Sunt autem circa hoc tres gradus conſiderandi: ſunt enim quidam qui proximis obſequuntur in corporalibus bonis, puta qui veſtiunt nudos, paſcunt famelicos, & infirmis miniſtrant, & alia huiuſmodi faciunt, quæ ſibi Dominus reputat exhiberi. Sunt autem aliqui, qui ſpiritualia bona largiuntur, quæ tamen non excedunt conditionem humanam; ſicut qui docet ignorantem, conſulit dubitanti, & reuocat errantem, de quo commendatur Iob* cap. 4. *Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti, vacillantes confirmauerunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti. Sunt autem alij, qui ſpiritualia bona, & diuina ſupra naturam, & rationem exiſtentia proximis largiuntur, ſcilicet doctrinam diuinorum, manuductionem ad Deum, & ſpiritualem ſacramentorum communicationem. Et de his donis Apoſtolus mentionem facit epiſtola ad Galatas, dicens: Qui tribuit vobis ſpiritum, & operatur in vobis virtutes; & prima ad Theſſalonicenſes. Cùm ac-*

Opuſc. 18. cap. 14.

Matth. 25.

Cap. 3.

1. Theſſal. 2.

cepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, ecce accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed vt eſt vere verbum Dei. 2.Cor.11. *Et ſecunda ad Corinthios: Deſpondi vos vni viro*; & poſtmodum ſubdit. *Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis, aut aliud Euangelium, quod non recepiſtis, rectè pateremini. Huiuſmodi autem bonorum collatio ad ſingularem quandam perfectionem pertinet fraternæ dilectionis, quia per hæc bona homo vltimo fini coniungitur, in quo ſumma hominis perfectio conſiſtit, vnde ad hanc* Iob 37. *perfectionem oſtendendam dicitur. Nunquid noſti ſemitas nubium magnas, & perfectas ſcientias; per nubes autem, ſecundum Gregorium, ſancti Prædicatores intelliguntur. Habent autem iſtæ nubes ſemitas ſubtiliſſimas, ſcilicet prædicationis ſanctæ vias, & perfectas ſcientias, dum de ſuis meritis ſe nihil eſſe ſciunt, quia ea quæ proximis impendunt, ſupra ipſos exiſtunt. Additur autem ad hanc perfectionem, ſi huiuſmodi ſpiritualia bona non vni tantùm, vel duobus, ſed toti multitudini exhibeantur, quia etiam, ſecundùm Philoſophos, bonum gentis perfectius eſt, & diuinius, quam bonum* Epheſ.4. *vnius. Vnde Apoſtolus dicit Epheſiis. Alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti, ſcilicet totius Eccleſiæ.* Et prima ad 1.Cor.14. Corinth. dicit, *Quoniam æmulatores eſtis ſpirituum ad ædificationem Eccleſiæ, quærite vt abundetis.* Hæc eo libentiùs attuli, quatenus nos docebunt qualem charitatem, & zelum debeamus habere; qualis hactenus Societas Ieſu habuit in omnibus charitatis operibus, ſe demonſtrans Chriſti gloriæ fidelem; maximè in iis, quibus diuina communicantur proximis, & hoc ſe dilatando ad omnes, & ad omnia. Adeò ingenua, & nobiliſſima eſt hæc cura ſaluandi homines, & eo videtur multis aliis excellentior, quanto gloria Dei excedit noſtram, cùm per zelum animarum gloriam Dei quæramus: nam aliæ virtutes vtilitatem aliquam honeſtatis per ſe reſpiciunt; charitas autem Dei, & proximi diuinam gloriam, cuius ſatagere debemus, ſi ſerui fideles eſſe volumus.

Videtur operarios Societatis Ieſu, & aliarum Religionum mendicantium alloqui S. Chryſo- Hom.24 in Matth. ſtomus, cùm ſic ait. *Scitote, quia mercenarij ſumus conducti: ſi ergo mercenarij ſumus, cognoſcere debemus, quæ ſunt opera noſtra; mercenarius enim ſine opere non poteſt eſſe: opera autem noſtra ſunt opera iuſtitiæ, non vt agros noſtros colamus, & vineas: non vt diuitias congregemus, & acquiramus honores, ſed vt proximis proſimus. Et quamuis hæc ſine peccato facere poſſimus, tamen non ſunt opera noſtra, ſed diaria noſtra. Sicut ergo nemo ſic conducit mercenarium, vt hoc ſolum faciat, quòd manducet: ſic & nos ideo vocati non ſumus à Chriſto, vt hæc ſola operemur, quæ ad noſtrum pertinent vſum, ſed ad gloriam Dei. Et ſicut mercenarius, qui hoc ſolum facit, quòd manducat, ſine cauſa ambulat in domo: & ſic nos ſi ſola hæc fecimus, quæ ad noſtram pertinent vtilitatem, ſine cauſa viuimus ſuper terram. Et ſicut mercenarius prius aſpicit opus ſuum, deinde diaria ſua: ſic nos ſi mercenarij Chriſti ſumus, primùm debemus aſpicere, quæ ad gloriam Dei pertinent, proximique profectum, quia charitas, & verus amor erga Deum non quærunt quæ ſua ſunt, ſed ad libitum amati cuncta deſiderant perficere, deinde quæ ad noſtram vtilitatem.*

Nihil Deo gratius animarum zelo.

CAPVT XLVI.

MERITO igitur pari omnes Patres aſſenſu in hoc conſpirant, nihil Deo gratius eſſe, quàm animarum zelum, & ſollicitudinem ſaluandi homines. Beda, quem etiam ad idem probandum allegauit Albertus Magnus, ait. *Quænam ſublimior, & Deo gra-* Cap 26. Paradiſi. *tior conuerſatio eſſe poteſt, quàm eorum, qui quotidiano exercitio alios ad auctoris ſui gratiam ſtudent conuertere, & crebra animarum fidelium acquiſitione gaudium cœleſtis patriæ ſemper augere.* Prius Nazianzenus dixerat. *Nulla re perinde* Orat. in 5. lumina. *Deus delectatur, vt hominis emendatione, & ſalute, pro qua omnis ſermo eſt, atque myſterium.* Similiter ſanctus Gregorius Magnus. *Nullum* Lib.1 ſuper Ezech. homil.12. *quippe omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.* loquitur de zelo doctoris, & prædicatoris contra peccata, & vitia. Sicut & S. Chryſoſtomus: *Nulla res Deo gratior eſt,* Hom.79. in Matth. *quàm vt vniuerſam vitam ad commune commodum conferas.* Idem ait, *Nihil enim adeò gratum* Hom 40. in Gen. *eſt Deo, vt ſalus animarum.* Et alibi. *Nihil enim* Hom.3. *ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus, ſicut clamat Paulus, dicens: Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Sic etiam Abbas Berengoſius. *Omnipo-* Serm. de vno Confeſſ. *tenti Deo nullum ſacrificium tam gratum eſt, & tam charum, quemadmodum eſt zelus animarum.* Rurſus ſanctus Chryſoſtomus. *Quàm multa pro-* Orat. de B.Philogono. *pter hunc gregem paſſus ſit Chriſtus, homo factus eſt, ſerui formam aſſumpſit, conſputus eſt, alapis cæſus eſt, poſtremò ne mortem quidem recuſauit, & quidem ignominioſiſſimam. Quin & ipſum ſanguinem ſuum effudit. Itaque ſi quis voluerit illi commendatus eſſe, curam habeat ouium illius, publicam quærat vtilitatem fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat. Nullum enim officium hoc Deo charius eſt.*

Quomodo ſanctus Paulus, & alij Sancti omnibus rebus prætulerint iuuare proximos.

CAPVT XLVII.

MAXIMI quoque momenti erit facta Sanctorum producere poſt dicta: quo modo ipſi vtilitatem fratrum propriæ, imò omnibus attulerunt rebus. Præcipuum exemplum nobis exhibuit Apoſtolus, cuius zelum admiratus Chryſoſtomus ita efferueſcit ſpiritu, adeò alta admiratione tantæ charitatis ſuſpenditur, & abripitur animo, vt vix apud ſe ſit, vix ſeipſum capiat, præſertim cùm illud explicat, *Optabam anathema eſſe à Chriſto*; hoc eſt, inquit, carere æterna remuneratione, & Chriſti præſenti conſpectu pro fratribus meis, Hom.16.in epiſt.ad Rom. qui ſunt Iſraëlitæ. ſic illud exponit; & alibi. *Optabat,*

Optabat, inquit, *in gehennam mitti, & iudicium ſubire perpetuum pro eorum ſalute, à quibus fuerat ſape lapidatus, qui eum interficere contenderant, vt hi tantarum ei authores afflictionum per fidem corpori Chriſti iungerentur.* Quis ita dilexit Chriſtum? Si tamen hac dilectione, & amore maius eſt aliquid dicendum. Sed hęc verba ipſius Chryſoſt. audiamus. *Optabã enim ego ipſe anathe-*

Hom. 16. in epiſt. ad Rom. 19 tom. 4.

ma eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Quid ais, ô Paule? à Chriſto? illo, inquam, Chriſto, qui à te deſideratur? à quo te nec cœlorum regnum, nec gehenna ſeparabat, neque ea quæ cogitari poſſunt? nec alia totidem: ab hoc nunc precaris anathema eſſe? Quid accidit? num deſiderium illud excuſſiſti, ac depoſuiſti? Haudquaquam (inquit) ſed pro fratribus meis, nec id vtcumque volo, ſed opto, multumque deſidero, vt fratres mei ſalui fiant, optarim anathema eſſe: ergo ipſe, ipſe ego, qui omnium magiſter ſum effectus, qui merita infinita coegi; qui coronas infinitas expecto, qui ſic illum amo, vt meus erga illum amor mihi ſit rebus omnibus antiquior, qui quotidie propter illum vror; vnum enim per omnia conſiderabat; nempe quomodo pulchrum hunc amorem expleret. Et alibi

Serm. 4. in ep. ad Philip. 1.

ſuper verba Pauli. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Chriſti, coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto; multò magis melius, permanere autem in carne neceſſarium propter vos, & hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum.* Quæ verba exponens idem Chryſoſtomus ait: *Quid dicis Paule? cùm hinc abiens in ipſum cœlum migraturus ſis, atque cum Chriſto futurus? Ignoras quid eligere debeas? & non ſolum iſtud, ſed quod huius eſt vitæ, eligis, nempe vt in carne maneas. Quam ob rem? non acerbam vitam ducebas in vigilijs, in naufragijs, in fame, ac ſiti, ac nuditate, in curis, & ſollicitudinibus? Cùm infirmus eras; in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in ieiunijs; quinquies quadragenas plagas vna*

2. Cor. 6.

minus accepiſti, ter virgis es cæſus. Semel lapidatus, noctem, ac diem in profundo maris egiſti, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in falſis fratribus, & adhuc infœlicem hanc vitam deſideras? Si namque nihil tibi horum obtigiſſet, ſed quidquid agebas, cum voluptate etiam, & liberè patraſſes; nunquid oportebat incertitudinem futuri euentus metuentem ad portum quemdam confugere? Quis mercator nauem habens multis rerum copijs plenam, cùm liceat ad portum iam appellere, tutoque quieſcere, adhuc tamen in mari nauigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certare, cùm iam liceat coronari? Quis pugilum eliget denuo certamen ingreſſus de ſuo ipſius capite periclitari, cùm iam ſi vellet, coronam poſſet accipere? Quis eſt ille miles, qui cùm liceat iam cum celebritate, & trophæis à bello liberari, cumque Rege requieſcere in ipſis regijs palatijs, ſuſtineat adhuc in bello & ſudare, & in aciem collocari? Quomodo ergo

1. Cor. 2.

cupis & in hac vita conſiſtere, qui dicebas: Timeo ne dum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar? Et ſi ob nullam aliam cauſam, ob hanc certè liberationem deſiderare oportebat. Papæ! quis eſt hic Apoſtoli animus? nihil par illi vnquam vel fuit, vel erit: futura metiris, innumeris malis obnoxius es, & apud Chriſtum eſſe non vis? non (inquit) *quia quos lucrifeci, ſeruos expeditiores opere conſtituero, & ſolidiores; & vt agricolationem illam, quam plantaui, frugiferam reddam, à Chriſto volo exulare; non audiſti me, non quod mihi eſt vtile, ſed quæ ſunt proximorum quærentem? qui anathema eſſe volui à Chriſto pro fratribus, quomodo non multo amplius iſtud eligam, cùm mihi ipſi libenter ex mora, ac dilatione damnum inferam, quo aliqua poſſit illis obtingere ſalus.* Idem Sanctus varias charitatis formas, ac veluti perſonas in Apoſtolo recenſet, dicens. Nemo ita dilexit inimicos, nemo erga inſidiatores ſuos tam beneficus fuit, nullus pro afflictoribus ſuis tanta perpeſſus eſt; vt enim aliquis indulgentiſſimus pater afficitur erga filium phreneſi comprehenſum, cuius quanto magis conuitiis, ictibuſque pulſatur, tanto enim potiùs miſeratur, & deflet. Ita Paulus maiora addebat fomenta pietatis erga eos à quibus affligebatur: vnde pro eis, qui eum quinquies verberauerunt, qui eum catenis onerauerunt, qui ipſius ſitiebant cruorem, teſtimonium (inquit) illis perhibeo, quoniam æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. In quantum poterat, laborabat vmbram eis excuſationis aliquam obtendere, & quia ſermone illis fidem perſuadere non poterat ad orationes ſe conuertebat aſſiduas, dicens: Voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum ſit pro illis in ſalutem, quæ vtique omnia ſunt verba amantis, & valde eorum vtilitatibus prouidentis. Item: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et iterum, quoniam Corinthum fornicarium ab Eccleſiæ corpore ſeparabat, ait: *Ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas, non vt contriſtemini, ſed vt ſciatis, quoniam charitatem habeo abundantiùs in vos. Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus; his qui ſinè lege erant, factus ſum quaſi ſine lege eſſem: factus ſum infirmis infirmus. Quaſi vniuerſum mundum genuiſſet, ſic perturbabatur, ſic currebat, ſic omnes in Regnum Dei feſtinabat inducere, docendo, orando, minando, pollicendo per ſermonem, & per diſcipulos, per ſe ipſum conabatur erigere laborantes, ſtantes verò firmare, torpentes animare, humi iacentes attollere*, &c. *Pro vno ſeruulo Oneſimo ad Philemonem integram ſcribit epiſtolam omni affectu plenam. Millies ſe ipſum tradidit in mortem, & ait: Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris. Cumque ſublimis in omni conſiſteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Vt enim miſſum in ignem ferrum totum ignis efficitur; ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas, qui quaſi communis totius mundi eſſet pater, ita in amore omnium ipſos eorum imitabatur parentes, ac ſuperabat, & pecunias, & verba, & corpus, & animam pro his, quos diligebat, impendens.*

Hom. 3. de laudibus Pauli tom. 3.

Ad Rom. 10.

2. Cor. 2.

1. Cor. 9.

2. Cor. 2.

Aliorum quoque Sanctorum proferamus zelum ex eodem Chryſoſtomo, dicente: *Antiquis magnis, & generoſis illis viris, hæc maxima cura erat, vt ſumma cum diligentia aliorum vitam diſquirerent, & manifeſtè cognoſces nullum eorum vnquam ad propriam reſpexiſſe vtilitatem, ſed proximi vnumquemque. Quamobrem maiorem in modum claruerunt. Etenim Moyſes multa & magna operatus eſt miracula, ſed nihil tam magnum eum fecit, vt beata illa vox, quam ad Deum habuit,*

In 1. ad Cor. c. 10. hom. 25.

buit, cùm inquit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo. Huiuſmdi erat & Dauid, idcirco dicebat. Ego Paſtor peccaui, & ego maleſeci, & hi qui ouile ſunt, quid fecerunt? fiat manus tua ſuper me, & ſuper domum patris mei. Eodem modo Abraham non ſuam, ſed mulierum quæſiuit vtilitatem, ideo ſe periculis exponebat, & Deum pro his, qui nihil ipſi conferebant, deprecabatur. Illi quidem tantopere claruerunt: qui autem ſibi tantùm conſulunt, conſidera quantum acceperint detrimentum. Fratris igitur filius, cùm audiuit, Si tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam, optione accepta ſuam quæſiuit vtilitatem, quam non modò non inuenit, ſed ipſa quoque regio eſt incenſa; quæ autem Abrahæ obtigit, incolumis ſeruata eſt. Ad hæc Ionas non alijs, ſed ſibi ipſi proſpiciens, penè periclitatus eſt, & ciuitas conſeruata; ipſe verò agitatus, iactatus, & obrutus eſt fluctibus; ſed cùm multitudini ſaluti inuigilauit, ſuam inuenit. Ita & Iacob in omnibus proprium non quærens lucrum, plurimas lucratus eſt: Ioſeph autem fratrum ſtudens vtilitati, ſuam eſt conſequutus. Qui miſſus à Patre non dixit. Quid? non audiſti quòd pro viſionibus, & ſomnis diſcerpere me aggrediebantur, & ſomniorum, & amoris erga me tui pœnas dabam? quid non contra me molientur cùm in eorum ero poteſtate? Nihil huiuſmodi cauſatus eſt, nec cogitauit quidem, ſed rebus omnibus fratrum ſalutem præpoſuit: idcirco omnia poſtmodum bona adeptus eſt, quæ eum clariſſimum, glorioſiſſimúmque reddiderunt. Præterea Moyſes, nihil enim prohibet iterum eius meminiſſe, & contemplari, quomodo res ſuas contempſit, & alienas proſecutus eſt: Moyſes, inquam, in Regia domo educatus, cùm Chriſti opprobrium maiores Ægypijs theſauris diuitias arbitraretur, omnibus abiectis cum Hebræis malorum particeps eſſe non recuſauit. Quamobrem ipſe non ſolùm non ſeruiuit, ſed & ipſos à ſeruitute liberauit. Magna quidem hæc, & Angelo digna vita. Verùm Paulus maximè in hoc excelluit. Alij namque omnes ſuis omiſſis bonis, proximorum malis communicare non recuſarunt; Paulus autem longè maiora aggreſſus eſt. Non enim ſimpliciter voluit aliorum calamitatibus participare, ſed maximas ipſe ſubijt, vt cæteri bene haberent.

Sed cur non audiendus, quæ de ſeipſo Chryſoſtomus fatetur. *Vellem* (inquit) *ſi fieri poſſet, veſtris oculis oſtendere quam in vos habeo charitatem. Nihil enim eſt mihi vobis iucundius, & deſiderabilius, ne hæc ipſa quidem lux. Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret veſtras animas conuertere, adeò ipſa luce eſt mihi ſalus veſtra iucundior; quid enim me iuuant ſolares radij, quando, quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc eſt bona, quando apparet in lætitia.* Et paulo pòſt: *Implete gaudium meum, liceat vobis ſalutem aſſequi, me autem propter vos reddere rationem, vobis dari ſalutem, me verò accuſari, quòd meum munus non impleuerim. Non enim curo vt pro me ſalui ſitis, ſed vt ſalui ſitis quacumque ratione.* Et de ſancto Franciſco ſanctus Bo-

Cap. 5 in vita ſancti Franciſci. nauentura ſic ſcripſit. *Non ſe Chriſti reputabat amicum, niſi animas foueret, quas ille redemit: ſaluti animarum nihil præferendum eſſe ducebat,*

P. Ribadeneira lib. 5. c. 2. de eius vita. *eo màgis probans, quòd vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere.* Ac denique noſter Parens S. Ignatius aiebat, ſe, ſi quid ad animarum ſalutem pertineret, paratiſſimum eſſe nudis pedibus, cornibuſque onuſtum per plateas incedere, nullumque recuſare habitum, aut ridiculum, ac probroſum veſtimenti genus, quod eſſe vtile hominibus poſſet, quod re ipſa comprobauit, ſi quando ſeſe occaſio obtulit. Etenim contemptus huius, ac deſpicientiæ rerum omnium præ animarum lucro, eſt origo Dei amor, & proximi.

Summus gradus religioſæ vitæ eſt in animarum ſalute occupari docendo, & prædicando, quod perfectius eſt, quàm vita merè contemplatiua.

CAPVT XLVIII.

ITAQVE non magni ſolùm, ſed immenſi vocationem noſtram facere debemus, cùm ad præcipuam, & perfectam Chriſti Domini imitationem ad Apoſtolicam vitam, ad præſtantiora virtutum ſtudia, ad opera magis Deo grata, ad altiorem religioſæ vitæ gradum ſimus vocati. Etenim pro ſolatio noſtro, fouendoque noſtri inſtituti amore, excitando feruore ſpiritus dicam, quod Theologi ſentiunt, maximè Scholaſticorum coryphæus ſanctus Thomas circa Religionum perfectionem; eas ſcilicet præferunt, quæ animarum ſaluti procurandæ dedicantur docendo, & prædicando, non vni contemplationi inſiſtendo, ſed per actionem ſpiritualem, & zelum animarum communicando aliis contemplata. Hæc quippe ſententia eſt Angelici Doctoris: *Sicut maius eſt illuminare, quàm lucere ſolùm; ita maius eſt contemplata alijs tradere, quàm* *S. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6.* *ſolùm contemplari. Ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquiſſime ſunt perfectioni Epiſcoporum, ſicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs ſecundorum, vt ſanctus Dionyſius dicit ſeptimo capite de diuinis nominibus. Secundum autem gradum tenent illæ Religiones, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius eſt earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. In ſingulis autem horum graduum poteſt attendi præeminentia, ſecundùm quod vna Religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere, ſicut inter opera actiuæ vitæ potius eſt redimere captiuos, quàm recipere hoſpites. Et in operibus vitæ contemplatiuæ potior eſt oratio, quàm lectio. Poteſt ergo attendi præeminentia ſi vna earum ad plura horum ordinetur, quàm alia, vel ſi conuenientiora ſtatuta habeat ad finem propoſitum conſequendum.* Hæc omnia ſanctus Thomas. Et rurſus in tertia parte ait. *Vita actiua, ſecundùm quam aliquis prædicando, & docendo contemplata alijs* *3 p. q. 40. art. 1. ad 2.* *tradit, eſt perfectior, quàm vita, quæ ſolùm contemplatur, quia talis vita præſupponit abundantiam contemplationis; & ideo Chriſtus talem vitam elegit.* Idem ſanctus Thomas in quodam opuſculo ſic ait, *Ex prædictis igitur patere poteſt ſecun-* *Opuſc. 19.* *dùm quid vna Religio poſſit perfectior altera iudicari. Vltima enim rei perfectio in finis conſecutione conſiſtit. Vnde debet principaliter ex duobus Religionis perfectio iudicari. Primò ex hoc, ad quod Religio ordinatur, vt dicatur illa Religio eſſe eminentior,*

nentior,

Digitized by Google

tentior, quæ digniori actui dedicatur, vt ſic ſecundùm comparationem actiua, & contemplatiua vita in vtilitate, & dignitate accipiatur comparatio Religionum, quæ actiuæ, & quæ contemplatiuæ deputantur. Secundò ex comparatione Religionis ad executionem illius, ad quod eſt inſtituta; non enim ſufficit Religionem aliquam ad aliquid inſtitui, niſi ſit taliter ordinata obſeruationibus, & modis viuendi, quod ad ſuum finem ſine impedimento pertingat; ſicut ſi duæ Religiones ſunt inſtitutæ, ad contemplandum, illa per quam homini liberior contemplatio redditur, debet perfectior iudicari; ſed quia, vt dicit Auguſtinus, nemo poteſt nouam vitam inchoare, niſi veteris eum vitæ pœniteat, quælibet Religio per quam homo nouam vitam inchoat, quidam pœnitentiæ ſtatus eſt, vt homo à veteri vita purgetur, & hoc tertio modo poſſunt comparari Religiones, vt illa dicatur perfectior, quæ maiores auſteritates habet, ſicut in ieiunio, vel paupertate, vel alijs huiuſmodi, quia opera ſatisfactoria debent eſſe pœnalia; ſed primæ comparationes ſunt magis Religioni eſſentiales; & ideò ſecundùm eas eſt magis perfectio Religionis iudicanda, & præcipuè cùm perfectio vitæ magis conſiſtat in interiori iuſtitia, quàm in exteriori abſtinentia. Hactenus ille.

Loquatur etiam ſanctus Chryſoſtomus citatus ab eodem ſancto Thoma io alio opuſculo. *Si aliquem*, inquit, *mihi talem adducas Monachum, qualis, vt ſecundùm exaggerationem dicam, fuit Elias; tamen, quandiu ſolus eſt, ſi non perturbatur, neque grauiter peccat, quippe non habet quibus ſtimuletur, atque exaſperetur; non tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis, multorumque ferre peccata compulſus, immobilis perſeuerauit, & fortis.* Subdit Chryſoſtomus. *Si quis mihi proponeret optionem, vbi mallem placere, in officio ſacerdotali, an ſolitudine Monachorum, ſine comparatione eligerem illud quod priùs dixi.* Idem ait. *Si quis bene adminiſtrato ſacerdotio illius propoſiti, ſcilicet Monachalis, ſudores conferat, tantum eos diſtare reperiet, quantum inter priuatum & Regem.* Opuſc. 18.

Eòdem ſpectat Auguſtinus in epiſtola ad Valerium. *Cogitet Religioſa prudentia tua nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & leuius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; ſed nihil apud Deum miſerabilius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſt in hac vita, maximè hoc tempore, difficilius, & laborioſius, & pericu loſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.*

Hæc omnia teſtimonia ſaltem conuincunt Clericos religioſos, & alios Religioſos, qui incumbunt ſaluti animarum, eſſe in ſtatu maioris perfectionis, quàm cæteri contemplatiui. Nec obſtat, ſi dicas pertinere ad perfectionem declinare pericula; nam magis ſpectat ad perfectionem inſuperabiles eſſe periculis, quæ pro ſalute animarum neceſſe eſt viris ſanctis ſubire cum fiducia Dei. Tum etiam, quemadmodum in vna Religione contemplatiua diſtinxit ſanctus Thomas duo Religioſorum genera, vnum cœnobitarum ſcilicet, exercentium ſe ad perfectionem in ſocietate aliorum, & ſub obedientia: aliud ſolitariorum, qui quoniam peruenerunt ad perfectionem, permiſſi ſunt à ſuperioribus ſecedere in ſolitudinem, quia ſufficientes ſibi viſi ſunt abſque ſuperiorum cura, & vigilia; ita in eadem Religione mixta poſſet diſtingui duplex genus Religioſorum. Vnum eorum, qui in ſocietate aliorum manent, exercentes ſe ad perfectionem. Aliud eorum qui mittuntur ſoli extra cœnobia per diuerſas partes mundi ad dilatandum Euangelium, & propagandum Eccleſiam, quod genus vitæ perfectorum vtique eſt, quia debent non ſolùm ſufficere ſibi, ſed abundare vt ſufficiant aliis; nam non ſolùm carent ſuperiore, qui eos regat, ſed in multis occaſionibus, & tentationibus reperiuntur, & exponuntur ad maxima pericula, & labores, quod genus vitæ magis eſt perfectorum, & magis requirit perfectionem conſummatam, & abundantem, quàm vita ſolitaria. Hoc duplex genus vitæ in Societate Ieſu reperitur. Vnum in iis, qui ſe exercent tribus votis emiſſis; aliud cùm admittuntur ad profeſſionem quatuor votorum, quos iudicat Societas Ieſu perfectos, aptos ſcilicet, vt poſſint mitti ſoli à Romano Pontifice in quemcumque orbis terrarum angulum ad propagandam fidem Catholicam; quæ miſſio maiorem perfectionem requirit, quàm quies eremi, cuius vita ex genere ſuo eſt vita perfectorum. Ex quibus patet, non ex eo quod aliquando dixerit ſanctus Thomas, ſolitudinem eſſe perfectorum, præpoſuiſſe illam Religioni mixtæ: nam in Religione mixta miſſio Apoſtolica eſt etiam perfectorum, multo maiori iure, quàm ſolitaria vita, vt ſi compararentur operarij iſti Euangelici cum ſolitariis, maior io illis perfectio apparebit, vt conſtat ex verbis ſancti Ambroſij, in quibus clericos Regulares Societatis Ieſu, & alios operarios Religionum Mendicantium, videtur comparaſſe cum Monachis quamtumuis ſolitariis. *Hæc duo* (inquit) *in attentiore Chriſtianorum deuotione præſtantiora eſſe quis ambigat? Clericorum officia, & Monachorum inſtituta, iſta ad comitatem, & moralitatem diſciplina, illa ad abſtinentiam aſſuefacta, atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in ſecreto; ſpectatur iſta, illa abſconditur; ideo bonus Athleta ait, Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, dignus ſanè qui ſpectaretur ab Angelis, dum luctaretur, vt ad Chriſti brauium perueniret, cùm certaret, vt in terris vitam Angelorum inſtitueret, in cœlo nequitiam Angelorum repelleret; colluctabatur enim nequitijs ſpiritualibus, meritò mundus eum ſpectabat, vt mundus imitaretur. Hæc ergo vita in ſtadio, illa in ſpelunca; hæc aduersùs confuſionem ſeculi, illa aduersùs carnis appetentiam. Hæc ſubijciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior. Hæc ſe ipſam regens, illa ſemetipſam coërcens. Vtraque tamen ſe abnegans, vt fiat Chriſti, quia perfectis dictum eſt: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Et infrà. *Hæc ergo dimicat, illa verò ſe remouet; hæc illecebras vincit, illa refugit. Huic mundus triũphatur, illi exultat; huic mundus crucifigitur, vel ipſa mũdo, illi ignoratur, huic plura tentamenta, & ideo maior victoria, illi infrequentes lapſus, facilior cuſtodia.* S. Antonius quidem, & S. Benedictus poſtquam diu in ſolitudine fuerunt, cùm iam ſe validos, & ſolidioris virtutis ſenſerunt, vitam mixtam amplexati ſunt. Nam de ſancto Antonio refert Athanaſius deſcendiſſe aliquando in Alexandriam ad reſiſtendum

Lib. 3. ep. 25. ad Vercellenſes. §. hos ſequuntur.

dum

dum hæreticis, & nunquam ſe denegaſſe multitudini hominum ad ſe concurrentium, vt omnes doceret, omnibuſque benefaceret. Vnde effectum eſt, vt poſt eius doctrinam omnes diaboli paterent inſidiæ. Quid plura? totius orbis homines ad illum confluebant, nullus ſe fruſtrà illuc veniſſe conqueſtus eſt, omnibus delectabile, atque iucundum laboris commercium fuit.

Lib. 3. Dial. cap. 8. De ſancto autem Benedicto refert S. Gregorius, non ſolùm plura monaſteria ædificaſſe, & inſtituiſſe, ac docuiſſe (quod ſine magna actione non fit,) ſed etiam poſtea in monte Caſſino idolorum templum euertiſſe, & oppidanos, ac incolas Chriſtianis præceptis imbuiſſe. Eſt ergo hoc genus vitæ ex ſe perfectius.

Meritò quoque eos, qui zelo animarum incenſi, earum ſalutem procurant, ſuamque aliis charitatem communicant, comparauit ſanctus Gregorius, non quibuſuis Angelis, ſed Cherubim, & Seraphim. *Sunt* (inquit) *nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni ſunt, vt Cherubim iure nominentur. Quia enim Cherubim plenitudo ſcientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis eſt charitas: omnes qui Dei, & proximi charitate cæteris amplius pleni ſunt, meritorum ſuorum ſortem inter Cherubim numeros perceperunt: & ſunt nonnulli qui ſuperne contemplationis facibus accenſi, in ſolo conditoris ſui deſiderio anhelant: nihil iam in hoc mundo cupiunt, ſolo æternitatis amore paſcuntur, terrena quæque abyciunt, temporalia cuncta mente tranſcendunt, amant, & ardent, atque in ipſo ſuo ardore requieſcunt: amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt: hi inter Seraphim numerum ſortem ſuæ vocationis acceperunt.*

Quid opus eſt plura adducere, cùm non tantùm hæc fuerit vita filij Dei, ſed cum delectu, & optione ab ipſo prælata ſibi, illam exercendo, deque eadem gratulatus dixit per Dauidem, *Pſal. 15.* *Funes ceciderunt mihi; in præclaris etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum*, ad noſcendum ſcilicet, eligendum, antehabendum illud genus vitæ quod præſtantius, & glorioſius Deo eſſet. Quænam iſta vita niſi mixta, quam egit filius *Ibid.* Dei; & in eodem Pſalmo explicuit, dicens. *Dominus pars hæreditatis meæ, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* In quibus verbis duæ vitæ mixtæ partes ſignificantur, Deus, & proximus, contemplatio Dei, actio pro proximo. Idcirco non ait Dominus, hæreditas mea; ſed *pars hæreditatis meæ.* Nam alia pars, proximi erant, vt in *Pſalm. 2.* alio loco promiſit æternus Pater, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, in cuius ſpe promiſit. Dixit filius: Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi; duplicis itaque hæreditatis, ſiue duarum partium ſuæ hæreditati meminit Chriſtus Ieſus per huius Pſalmi verba: vna Deus ipſe quo nunquam caruit, idcirco de præſenti ait Dominus, *pars hæreditatis meæ.* Altera proximi erant, qua caruit aliquando & actione, atque labore vindicanda ſibi erat. Ideo de hac loquitur de futuro, dicens: Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Hanc igitur hæreditatem, & rationem vitæ laborioſæ pro ſalute hominum fœliciſſimam, & optimam ratus filius Dei præclaram dixit. De cuius delectu gratias Deo agit, benedicens illi, qui tribuit ſibi intellectum; illius noſcendæ, præhabendæ, magnificiendæ.

Denique quamuis Eremitæ plurimum poſſint iuuare Eccleſiam orationibus ſuis; ſed hoc ſatis non eſt, nam oportet re ipſa agere, & curare. Nec Apoſtoli eſſent perfectiores, ſi nihil agerent, ſed ſolùm ſecederent ad Eremum, vt continuis lachrymis, & inſtantibus orationibus diu noctuque pro ſalute mundi orarent. Ipſe Chriſtus, cuius orationes efficaciſſimæ erant, non fuit contentus ſola oratione. Nec enim ſola oratione adminiſtrantur Sacramenta, docentur proximi, cumque diuinæ prouidentiæ ritus ſit per alios homines iuuare alios, non ſatis eſt orare, ſed laborare etiam. Narrabo quæ Theodoretus & Nicephorus, ſcribunt de ſanctis viris Eulogio, & Protogene. Eulogius autem erat præſtantior ſanctitate, inter eos, qui ablegati fuerant à Valente Arriano in Thebaidem, quò cùm peruenniſſent, & reperirent plurimos idololatras, ſtatuerunt pro viribus conuerſionem, & ſalutem eorum procurare: ad hoc pacti ſunt Eulogius, & Protogenes, vt Eulogius inceſſanter oraret pro illis, cuius cauſa ſeceſſit in ſecretum locum, diu noctuque orans. At Protogenes intenderat doctrinæ, & actioni, qui tam feruidè laborauit, vt conuerteret plurimos, & ipſe creuit tot meritis, & humilitate, vt iam omnium iudicio antecelleret ſanctitatem Eulogij, quod meritò indicarum cenſuit Theodoretus: adeò præſtantius eſt iuuare immediatè proximos labore, ac ſudore noſtro etiam, quàm ſolùm oratione. Præterea viri mixti charitate feruentes, non minus iuuant proximos oratione, quàm ſolitarij; & inſuper addunt actionem, & laborem. nam feruidiùs orant occaſione præſenti, & inſtanti periculo proximorum, quod ad oculum vident. nam calamitates præſentes fortiùs mouent. Deinde non minus efficaciores ſunt eius preces, quatenus non ſolùm ſunt generales, ſed ſpeciales pro hac, & pro illa neceſſitate animæ, quam vident pereuntem, & interdum valde continuæ ſunt, non minus actioni inſtantes, quàm orationi per vias, per plateas, cùm circumeunt ad iuuandos proximos; orant Deum, antequam incipiant actionem, & in ipſa actione, & poſt ipſam actionem feruentiores gratias agunt, cùm videant & velut manibus tangant admirandam miſericordiam, & bonitatem Dei.

Theod. lib. 4. hiſt. cap. 16. Niceph. lib. 11. c. 13.

Quare vtplurimum maioris multo meriti eſt vita occupata in procuranda hominum ſalute facto ipſo, & opere, quàm ſolitaria. Quod nonnullis Eremitis de ſua viuendi ratione nonnihil præſumentibus oſtendit Dominus, vt accidit cuidam contemplatiuo cum ſancto Gregorio, & alij cum ſancto Ignatio, Patre noſtro; nam hiſtoriæ noſtræ ſic produnt. Prope Baſſanum Anachoreta quidam viuebat, Antonius nomine, magna virtutis, & ſanctitatis opinione, qui cùm S. Ignatium curioſiùs obſeruat, nec quicquam ſingulare in veſtitu à communi Clericorum habitu diuerſum videt, moreſque faciles, & ſine vlla eremiticæ ſpeciei ſignificatione, vitæ ſolitariæ norma animi eius metiens ſanctitatem, ſtatuit nihil ſingulare in eo ineſſe, nihil quod admiratione admodum dignum videretur, ideoque contènere apud ſe cœpit, ac parui facere; ſed ſimplici hominis menti nequaquam permittit Deus errorem diutiùs inſidere. Nam ſolito vehementiùs

tiùs oranti reuelare dignatus eſt Dominus, quem ipſe parui faceret Apoſtolico ſpiritu plenum eſſe, & ad multorum ſalutem vas electionis electum. Ex quo ſuam ille temeritatem dolenter accuſans, ſanctum Ignatium ac ſocios ſtudioſè deinde colere, atque obſeruare inſtituit.

Præfulgentiſſima aureola inter cæteros Sanctos, & Angelos emicabunt in gloria ij, qui zelo animarum viam ſalutis docent, & iuuant proximos.

Capvt XLIX.

Hanc eminentiam Religioſorum Mendicantium, eorum ſcilicet, qui zelo animarum flagrantes in earum ſalute procuranda deſudant, docentes homines, & ad agnitionem veritatis adducentes, demonſtrabit etiam ſpecialis gloriæ aureola, qua inter alios Beatos refulgebunt, qua quidem alij, quantumuis ſanctiſſimi, carebunt, cuius figuram menſa panum propoſitionis exhibuit. *Facies*, inquit, *& menſam de lignis Setim habentem duos cubitus longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum, & ſemiſſem, & inaurabis eam auro puriſſimo, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam alteram coronam aureolam.*

Exod. 25.

Ex hoc loco Scholaſtici vltra eſſentiale gloriæ præmium, aliquibus Beatis addendam eſſe, propter eximias victorias, ſpecialem coronam, quam *Aureolam* vocant, eamque triplicem vnanimi conſenſu aſſignant, Virginibus vnam, Martyribus alteram, Doctoribus cœleſtis doctrinæ tertiam: nam, vt inquit S. Thomas, *Aureola eſt quoddam priuilegiatum præmium, priuilegiatæ victoriæ reſpondens. Et ideo ſecundùm priuilegiatas victorias in tribus pugnis, quæ cuilibet homini imminent, tres aureolæ ſumuntur. In pugna enim quæ eſt contra carnem, ille potiſſimam victoriam obtinet, qui à delectabilibus venereis, quæ ſunt præcipua in hoc genere, omnino abſtinet, cuiuſmodi eſt virgo; & ideo virginitati aureola debetur. In pugna verò, quæ contra mundum pugnatur, illa eſt præcipua victoria, cùm amando perſecutionem vſque ad mortem ſuſtinemus: vnde & Martyribus, qui in iſta pugna victoriam obtinent, ſecunda aureola debetur. In pugna verò, quæ contra Diabolum pugnatur, illa eſt præcipua victoria, cùm aliquis hoſtem non ſolùm à ſe, ſed etiam à cordibus aliorum remouet, quod fit per doctrinam & prædicationem: & ideo Doctoribus, & Prædicatoribus tertia aureola debetur. Quidam verò diſtinguunt tres aureolas ſecundùm tres vires animæ, vt dicantur tres aureolæ reſpondere potiſſimis trium virium animæ actibus. Potiſſimus enim actus rationalis eſt veritatem fidei, etiam in alios diffundere, & huic actui debetur Doctorum aureola. Iraſcibilis verò actus potiſſimus eſt, etiam mortem propter Chriſtum ſuperare. Et huic actui debetur aureola Martyrum; concupiſcibilis verò actus potiſſimus eſt à maximis delectabilibus carnis abſtinere penitus; & huic debetur aureola Virginum. Alij verò aureolas tres diſtinguunt, ſecundùm ea, quibus Chriſto nobiliſſimè conformamur. Ipſe enim mediator fuit inter Patrem, & mundum. Fuit ergo Doctor ſecundùm quòd veritatem, quam à Patre acceperat, mũdo manifeſtauit. Fuit autem Martyr, ſecundùm quòd à mundo perſecutionem ſuſtinuit. Fuit verò Virgo, in quantum puritatem in ſe ipſo ſeruauit. Et ideo Doctores, Martyres, & Virgines ei perfectiſſimè conformantur: vnde talibus debetur aureola.* Hæc ſanctus Doctor annotauit. Ex quibus conſiderari poteſt decor eius coronæ, & pulchritudo aureolæ, quæ zelatoribus ſalutis animarum, & in eorum doctrina deſudantibus debetur. Nequit non glorioſiſſima eſſe. Nam facta aureolarum inter ſe comparatione, ſi eas conſideremus ex parte eorum, de quibus eſt pugna, ſic aureola docentium populos, & ad veritatis agnitionem adducentium, inquit ſanctus Thomas, inter omnes eſt potior, quia huiuſmodi pugna verſatur circa intelligibilia; aliæ verò pugnę circa ſenſibiles paſſiones: non eſt iis colluctatio aduerſùs carnem, & ſanguinem, ſed aduerſùs poteſtates tenebrarũ, aduerſùs Dæmonũ exercitus. Deinde vis animæ, cùm hęc aureola reſpõdet nobilior cæteris, quanto excedit ratio appetitum. Tãdem id in quo Prædicatores, & Cõmunicatores cœleſtis doctrinæ imitantur filium Dei, nobiliſſimum officium eſt, ad quod miſſus fuit, docendi nimirum mundum, & ſaluandi peccatores; quamuis enim decuit, vt virgo eſſet filius Dei, non venit in mundum, vt virgo eſſet, ſed vt ſaluaret homines, & viam ſalutis doceret.

In addit. ad 3. p. q. 96. art. 11.

Hanc ſingularem coronam additam iis, qui zelo gloriæ Dei docent, & iuuant peccatores, multa ſacræ Scripturæ & Patrum teſtimonia confirmant. Sponſus ſic ait. *Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius.* His verbis duplicatam coronam promitti operariis vineæ Domini S. Anſelmus exponit. *His*, inquit, *qui cuſtodiunt fructus eius, vt ſancti Paſtores, qui prouident, ne ſancti ſubditi amittant fructus æternitatis, ſunt ducenti argentei, id eſt, duplex pretium. Ducenti enim duplex eſt ad centũ: cuſtodes autem ſanctæ Eccleſiæ duplex pretiũ Deo offerunt, quia eſſe immaculatos Deo obſeruãt, & alios lucrantur, & ideo duplici præmio remunerantur.* Hoc duplex præmium duplici notabatur corona menſæ propoſitionis, quibus duo regna ſignificari Ruſbrochius ſcripſit. Gloſſa quoque ait. Oſtendit quid ſingularis præmij Doctoribus eius diſponat, quod ſanctus Thomas ſic confirmat. *Doctores habebunt ſingulare præmium. & hoc vocamus Aureolam. Propterea exhortatur ſanctus Petrus, paſcere, & iuuare proximos. Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt regnum Dei, &c. Et cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam: ſicut etiam cùm diſcipulos ſuos, & à ſe conuerſos vocat Paulus, gaudiũ, & coronam ſuam. Eandem multis videtur appellaſſe idem Apoſtolus ſupereminentem magnitudinem virtutis Dei. Inde Gloſſa laudata à S. Thoma adiecit; quoddam incrementum gloriæ habebunt ſancti Doctores vltra illud quod communiter omnes habent: idipſum indicauit Dominus, dum pronuntiat; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum Tanta quippe gloria operarij Euangelici fulgebunt, vt magni propterea vocentur, præfulgebunt quidem laureola ſua inter ſanctos pœnitentes. inter Stylitas, inter contemplatiuos, inter anachoretas, inter ipſos Angelos, qui omnes aureolæ dotes non poſſidebunt, ne-*

Digitized by Google

quæ præfulgenti huiuſmodi emicabunt ſerto, cuius ſplendoris magnitudinem ſic Angelus quidam explicuit Danieli. Qui docti fuerunt, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Theodotion. ſic vertit. *Intelligentes fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & à iuſtis multis quaſi ſtellæ in ſæcula, & vltrà.* quam lectionem ſequitur Theodoretus, & memorans hoc loco Hieronymus: *Iuxta Theodotionem* (ait) *ſignificatur hoc loco quòd docti ſimilitudinem cœli habeant, & abſque doctrina iuſti ſtellarum fulgori comparantur, tantumque ſit inter eruditam ſanctitatem, & ſanctam ruſticitatem, quantum cœlum diſtat, & ſtellæ.* Rurſus in epiſtola ad Paulinam. *Daniel in fine ſacratiſſimæ viſionis ait, iuſtos fulgere ſicut ſtellas, & intelligentes, id eſt, Doctores, quaſi firmamentum. Vides quantum inter ſe diſtent iuſta ruſticitas, & docta iuſtitia. Alij ſtellis, alij cœlo comparantur?* Hæc ille. Adeò egregiam, & præfulgentiſſimam coronam obtenturos Doctores æternæ ſalutis cenſuit S. Hieronymus, adeò præſigni emicabunt gloriæ laurea, adeò ſingulari, ſuperque adiecta gaudij donabuntur aureola. Neque mirum in æterna gloria excellenti hoc emineant gaudio ſuper reliquas beatas animas, & Angelos, cùm toties gaudere Angelos fecerint, dum conuertunt peccatores, cùm gaudium ſit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Menſa cui panes propoſitionis imponebantur, eos, qui iuuant proximos, denotat.

CAPVT L.

MERSTO igitur ſuper auream coronam altera corona aureola iubetur imponi propoſitionis menſæ; nam Apoſtolicorum virorum, Doctorum vitæ, & Prædicatorum verbi Dei, idoneum præmonſtrabat typum; quoniam hi viri panem euangelicæ doctrinæ continent, exinde in cæteros diſtribuendum. Quatuor pedibus conſtabat menſa, quatuor quippe virtutes, quæ cæterarum ſunt cardines, ſupponere debet operarius euangelicus: nam niſi caſtitate, & omni temperantia illuceat, niſi fortitudine præualeat, niſi prudentia polleat, niſi iuſtitia illuſtretur, has in alios refundere virtutes nequibit, qui ipſis deſtituitur: ex lignis Setim erat imputribilibus, vt perſeuerantia intaminatæ virtutis notaretur: habebat quoque in longitudine duos cubitos, in latitudine cubitum, in altitudine cubitum, & ſemiſſem. *Longitudo*, inquit Petrus Cellenſis, *actionem, latitudo dilectionem, altitudo deſignat ſpem, ſeu contemplationem. Duos cubitos habet actio, munditiam, & innocentiam, vnde Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas; in tribulatione earum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Item, ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes. Vnum cubitum habet latitudo, quia charitas vna eſt, & perfecta. Altitudo vnum & ſemiſſem propter vnitatem ſpei cœleſtis, & initium contemplationis.* Siue, vt Rusbrochius ait: *Latitudo cubitum habet, & ſemiſſem. Siquidem Dei intra nos operatio, cum virtutibus cunctis perfectum efficiunt cubitum: at qui nos in actionibus noſtris minus longos, & in cunctis virtutibus deficere nos ſentimus: quis eſt cubitus dimidius, quem perficere non valemus. Quanto enim magis amamus, tanto plus amare tenemur: quòque plures efficimus virtutes, tanto ad plures agendas colendaſque virtutes, obligati ſumus. Amor enim in ſuis actibus nunquam ſedari, aut pacatus, vel contentus reddi poteſt, eo quòd maius ſentiat debitum, quàm vt poſſit eſſe ſoluendo, maximè cùm noua perſolutio nouum efficiat debitum, & amor ratione exercitatus, maiorem exigat amorem, & plura charitatis opera, quàm vllus præſtare queat. Et hæc ratio eſt, cur charitas ſemper in hac vita creſcere, & augeri poſſit: eáque de cauſa dicimus ſemper cum Propheta. Et dixi, nunc cœpi, nunc boni quippiam facere inſtituimus.*

Lib. 2. Myſtic. expoſit. Tabern.

Labrum aureum inerat per circuitum menſæ, & ipſi labro corona. *Nam qui habet*, (Abbas Cellenſis ait) *immunda labia, nec habet labia ſacerdotis, quæ cuſtodiunt ſcientiam, non pertinet ad menſam, donec vnus Seraphin forcipe de altari tangat labia eius; non labia, ſed labium & labrum aureum fit in menſa Scripturæ diuinæ, quia non recipit hæreſes, & ſchiſmata, quæ garriunt Patre filium, & Filio minorem Spiritum ſanctum. Aſſerit autem Scriptura diuina, vnitatem Trinitatis, & Trinitatem vnitatis, dicens: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt. Item, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma. Aureo itaque labio plenitudinem ferculorum, & ſummam dapum concordi prædicatione menſa eructans, non inflatione buccæ, & labiorum diſtentione vtitur loquens grandia, & magnificans labia ſua. Quanto enim ſenſu altiora ſunt diuina eloquia, tanto voce modeſtiora, & prolatione ſuppreſſa. Agni enim ſunt voces, qui clamauit, neque audita eſt vox eius in plateis. Quidquid ergo eloquium ſonat diuinum, & vnum eſt fidei vnitate, & aureum ſenſus profunditate. Vnum ne dilanietur errore ſchiſmatico: aureum, ne vileſcat ſermone nudo, & ruſtico. Per circuitum; ne agere credatur de tranſitorio bono: Æternum intellige, & iocundum per labium.* Hæc ille. Aliter tamen, ſed commodiſſimè Rusbrochius, qui etiam coronam interraſilem, quę labio inerat, explanauit. *Labium aureum*, inquit, *charitatis noſtra aſcenſus eſt. Semper enim charitas inſtar ignis ardentis, ſurſum nititur. Et corona aurea ad labium adiuncta, amorem & reuerentiam ſignificat erga Deum, quæ cunctis actibus bonis ipſi oblatis ei exhibentur. Charitas enim ſua ipſius merces, & præmium eſt, & actibus ſuis coronatur, ac exornatur. Eſt verò corona quatuor alta digitos. Si quidem charitas cum ſuis actibus vnum eſt, & ſemper ad Dei aſpiratur honorem: atque ea re continet, ſiue retinet omnia, nec quicquam ei poteſt excidere. Quidquid verò id eſt, in quo nos ipſos inordinatè quærimus, ac ſpectamus, id omne excidit nobis, eiuſque iacturam nos facere neceſſe eſt, eo quòd ſupra coronam aureā Deo oblatū non eſt. Ad hæc, corona iſta interraſilis erat, id eſt, interpolata cælaturis & plano: hoc eſt, partim cælata, partim plana. Erant autē, vt aiunt Hebræi, cælaturæ illæ quaſi imagines Regū, & tot ſunt ibi factæ imagines, quot futuri erāt Reges, in Ieruſalem à Dauid vſque ad Sedeciam: id quod ex diuina reuelatione, ita factū eſſe oportet, quādo corona hæc multis annis antequā Dauid naſceretur, in eremo facta fuit. Docemur*

Cap. 17. in tabern. fœder.

autem

autem iſtis charitatem illam, quam aduerſus Deum gerimus, quam coronam noſtram eſſe diximus, primo Rege noſtro Chriſto IESV, ac deinde cæteris Regibus omnibus, qui per paſſionem, & mortem eius ex ipſo naſcuntur, inſculptam ac cælatam eſſe debere. Iſtos namque Reges omnes, eorumque nomina & actus, ceu dignum patre æterno ſacrificium ipſemet in charitatis ſuæ corona geſtauit. In quo nos eum imitari debemus, ſicque corona noſtra Regum omnium, ad ipſius regnum pertinentium formis, ſeu imaginibus pulchrè decorata erit. Sciendum tamen eſt, charitatis noſtræ coronam in ſummis actionibus ſuis, vbi quaſi ad æternæ illius, quæ Deus ipſe eſt, charitatis vnionem ſeſe adiungit, planam & formis vacuam eſſe, eo quòd nullam iſthic imaginem tolerare queat. Quo facit hoc, quod coronæ menſæ: Iudaicæ partim cælata, partim plana fuit, eodemque ſpectat, quod corona aureola maiori huic coronæ impoſita fuit. Vbi enim amor noſter ſupra omnes actiones ſuas in æterna charitatis Dei ardore, ac incendio conflagrat, & colliqueſcit, ibi gaudium, ſiue amare illius maximum, ac ſuauiſſimum eſt: in ipſáque amoris noſtri annihilatione coronam aureolam accipimus, vbi Deus agit, noſque id ſentimus, ac patimur. Quomodo autem corona minor maiori impoſita fuerit, non eſt diuinis litteris annotatum: iisdemque quemadmodum nudus amor noſter ſupra actuoſum amorem noſtrum in Dei charitate conflagret, & velut annihiletur, neque dici, neque ſcribi poteſt; ſed qui ſublimiter amant, ſentire id poſſunt.

Proprietates auri congruunt charitati, & vitæ feruidæ Apoſtolicorum virorum.

CAPVT LI.

AVRVM etiam quo tota tegebatur menſa, charitatem commendat, & alias Apoſtolicorum virorum dotes iuxta huius præſtantiſſimi metalli vires, & proprietates; aurum enim cæteris pretioſius metallum eſt: vnica quippe valet auri vncia, quantum argenti duodecim, aut libra integra, rerumque omnium ponderoſiſſima eſt: ſic ſtudium charitatis, & vita Apoſtolorum mixta pretioſior, & excellentior eſt; quæque grandius æternæ gloriæ pondus operatur. Tum materia auri facillima, & ductilis, quia omnibus accommodari oportet, qui omnium ſalutem quærit, quos facilitate morum, & affabilitate, & patientia lucrabitur. Exemplo ſit Apoſtolus, qui ait: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifaciam; charitas enim patiens eſt, benigna eſt.* Item, *ſcio abundare, ſcio & penuriam pati.* Idem exhortatur: *Exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in ieiunijs multis.* Ductilis quoque eſt, quoniam charitas ad omnes ſe extendit, & ad omnia, ad egenos, & ad egena, humiles, & humilia, vt omnes Chriſto venetur, & ob hoc nulli parcat humilitatis officio, & paupertatis neceſſitati; verùm cùm hac facilitate miram aurum conſtantiam ſeruat, & nulli cedit, ne ſuæ materiæ amittat pretium; nec enim contrahere nobis mores peccatorum debemus, quibus omnibus omnia fieri oportet. Inde omnes, imò obinde magis perficiendi ſumus. *Auro*, inquiunt naturæ exploratores, *rerum vni nihil igne deperit, tutò etiam in incendijs, rogiſque durante materia, quinimo quo ſæpius arſit, proficit ad bonitatem.* (Ex Plinio.) Sic eſt; nec prauorum exemplo, nec conuerſatione mundi, nec laborum tribulatione à charitate Chriſti ſeparari debet operarius Dominicæ vineæ, ad exemplum vtrique Apoſtoli; fortis quippe eſt, vt mors, dilectio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Deinde in cæteris metallis manus ſordeſcunt decidua materia, in auro nequaquam. Non rubigo vlla, non ærugo, non aliud ex ipſo quod conſumat bonitatem, minuatve pondus. Charitas enim vndique limpida eſt. Nulli nocet, nullum offendit. Ij enim qui pro animarum ſalute laborant, ſic illuſtres debent eſſe ſanctimonia, ſic in ſe mortificati, vt neminem prauo exemplo lædant, nemini ſint noxij. Quid plura? Electrum natiuum, quod auri eſt ſpecies puriſſima perfectiſſimaque, venena deprehendit: nam diſcurrunt in calicibus arcus cœleſtibus ſimiles cum igneo ſtridore, & gemina ratione prædicunt, venena calice contineri, colore nimirum & ſtridore. Oportet quidem venenum peccati, vt impugnetur, fraudeſque dæmonum, quæ diuerſæ & multiplices ſunt, multis modis deprehendere. Optimè ſanctus Athanaſius dixit: *Diuerſa eorum, & partita nequitia eſt. Quidam enim ad ſummam nocendi verticem peruenere; alij ex comparatione peiorum videntur eſſe leniores, atque omnes pro poſſibilitate virium diuerſa contra ſingulas cauſas ſumpſere certamina. Ideo neceſſarium eſt donum ſpirituum diſcernendorum à Deo petere, vt poſſimus tam fraudes eorum, quam ſtudia prætendentes aduerſus diſparem pugnam vnicum crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto docebat; non enim ignoramus aſtutias Sathanæ.* (In vita S. Antonij.) Denique autem plurimis modis pollet in remediis, vulneratiſque & infantibus ſalutariter applicatur. Hoc potiſſimum officium eſt prædicatorum, & quorumcumque ſalutem proximorum quærentium ſalutarem medicinam peccatoribus præſtare, eorum vulnera curare, ſanoſque ad Chriſti obſequium reddere. Hæc vita mixta, & charitas ſalutaris Apoſtolicorum virorum, ſicut aurum inter metalla præſtantiſſima, pretioſiſſimaque.

***

DOCTRINA VI.

DE PERFECTIONE vitæ mixtæ, & animarum zelo.

Expenditur locus Canticorum de præſtantia vitæ mixtæ.

CAPVT LII.

HÆc omnia confirmat dulcis illa, & tenera poſtulatio ſponſi, ſic ſponſam requirentis. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* In quibus verbis vita mixta ex contemplatione, & actione, qualem profitetur Societas noſtra, ſicut & cæteræ ſanctiſſimæ Mendicantium familiæ, poſtulatur, & præfertur tanquam omnium perfectior, & quales futuros oporteat eſſe, qui eam ſunt profeſſuri, docemur, charitatiſque, ac zeli animarum vis atque natura commendatur. Quapropter ſingulas huius ſententiæ particulas operæ pretium erit ſcrutari. In primis perfectam Chriſti imitationem non eſſe ſolùm in vita ſolitaria, & contemplatiua, ſed in actione quoque pro ſalute animarum, vt ex ſancto Chryſoſtomo iam diximus, notant illa verba, cùm ſignaculum ſuum, hoc eſt, imitationem ſuam, non in ſolo corde per interiorem contemplationem, ſed in brachio pariter per exteriorem actionem requirat ſponſus ſanctam ſibi imprimere animam, ſi verè ſponſum diligere vult; vnde ſanctus Gregorius dixit: *In corde ſunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo, & ſuper brachium ſponſæ dilectus, vt ſignaculum ponitur, quia in ſancta anima, quantum ab eo diligatur & voluntate, & actione deſignatur. Signum quippe ſancta mens interiùs, & exteriùs Chriſtum portat: quia, dum in eius meditationibus aſſiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non ceſſat, quo eius dilecta eſſe dubitari non debeat. De quo ſigno ipſe ſponſus diſcipulis ſuis aiebat: In hoc cognoſcent omnes, quia verè mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Conſentit Theodoreti ſententia. *Cor*, inquit, *appellat animæ vim contemplatiuam, brachium verò actiuam. Quamobrem & ſacerdotibus à populo brachium dexterum, & pectuſculum ſeparatur. Vult ergo Saluator noſter, vt eum pro ſignaculo in contemplationibus, & in actionibus noſtris habeamus, & notam ipſius in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt numiſmata regia, non adulterina, ſed regiam imaginem præferentia.* Itaque ſi perfectus amor Dei in nobis eſt, in hoc imitari Chriſtum debemus, vt proximum quoque amemus, benefaciamuſque. Quomodo enim Deum amabimus, ſi quos Deus amat, non amamus; ſi perire relinquimus eos, quos ſuo ſanguine filius Dei redemit, ideò cauſam reddens ſponſus, cur non ſolùm ſuper cor, ſed ſuper brachium ſignari per imitationem poſtulet, ſubdit, *quia fortis eſt, vt mors dilectio; dura ſicut infernus æmulatio.* Siue, vt Septuaginta legunt, *durus ſicut infernus zelus.* quaſi diceret, quoniam charitas, & verus amor Dei validus eſt, & fortiſſimus, non debet dilecta mea contenta manere, niſi in actionem prorumpat, niſi ſaluet fratres, & conſeruos ſuos; non debet contenta eſſe, quòd ipſa ſolùm me diligat, ſed cupiet, & curabit, vt omnes me diligant. Quapropter ad laborandum, & procurandam totius mundi ſalutem exiliet, quemadmodum ego feci. Hoc autem eſt ponere me vt ſignaculum, non ſolùm ſuper cor per amorem mei ſolius, ſed ſuper brachium etiam per amorem proximorum ad eorum ſubſidium ſe extendendo; lampades enim charitatis ſunt lampades ignis, atque flammarum. Ignis autem præ omnibus elementis actiuus eſt, qui omnia aſſimilare ſibi conatur ſemper, non ſolùm in ſe lucens, ſed alia in ſe conuertens.

Cant. 8.

Quanta mortificatio, & virtus neceſſaria eſt ijs, qui cum peccatoribus agunt, vt eos conuertant.

CAPVT LIII.

CVR autem morti comparatur fortitudo dilectionis? Credo ob mortificationem & perfectionem vitæ omnino neceſſariam iis, qui Apoſtolorum imitantur munus. *Bene proculdubio*, inquit ſanctus Gregorius, *fortis vt mors, dilectio eſſe dicitur, quia dum per dilectionem à vitijs mortificamur, quod mors agit in ſenſibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli, qui ſic diligunt Deum, vt omnia viſibilia negligant, & dum in æterna mente tendunt, ad omnia temporalia penè inſenſibiles fiunt. In his nimirum vt mors dilectio fortis exiſtit, quia ſicut mors exteriores corporis ſenſus ab omni proprio, & naturali appetitu interficit; ſic dilectio in talibus viris omnia terrena deſideria contemnere, mentem alias intentam compellit. Huiuſmodi mortuis, & viuis dicebat Apoſtolus, mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Ad Coloſſ. 3. 3. *Hi proculdubio vitam ſuam cum Chriſto abſcondunt, quia dum omnia quæ videmus poſtponunt, in his quæ non videmus, in beatitudine ſcilicet Chriſti, veraciter, & ſecretè viuunt. Quia enim falſam vitam deſpiciunt, quæ viſibiliter apparet in vera vita ſe abſcondunt, quæ non niſi inuiſibilibus oculis ſe manifeſtat.* Huiuſmodi debent eſſe coadiutores Chriſti Ieſu in ſalute animarum iuuanda, qui pluſquam alij perfectionis, & mortificationis ſatagere tenentur, tum vt aliis poſſint prodeſſe, tum ne alij queant ſibi obeſſe; niſi enim probi, & perfecti ipſi ſint, improbos nequaquam conuertent, & periculum ſubibunt, ne ab improbis deprauentur. Vnde ſanctus Thomas veriſſimè dixit. *Manifeſtum eſt autem maiorem perfectionem requiri ad hoc, quod* Opuſc. 18. c. 17.

ali

aliquis perfectionem alijs tribuat, quàm ad hoc quòd aliquis in ſe ipſo perfectus ſit. Sicut maius eſt poſſe facere aliquem talem, quàm eſſe talem, & omnis cauſa potior eſt ſuo effectu. Hi operarij, & miniſtri Ieſu, non vtcumque, non è clauſtro, & ſolitudine procurant ſalutem hominum, ſed inter ipſos homines peccatores, & ſceleſtos, quibus cum agere neceſſe eſt. Idcirco opus habent magna virtute, vt mundi vitiis, & peſſimis profanorum moribus repugnent, atque inter peruerſos boni ſeruentur. Maior autem virtus ignis requiritur, vt conſeruetur cùm ningit hyeme, quàm in ęſtu Solis. Ideo dixit ſanctus Chryſoſtomus. *Si aliquem mihi talem adducas Monachum, qualis, vt ſecundùm exaggerationem dicam, fuit Elias, tamen quandiu ſolus eſt, ſi non perturbatur, neque grauiter peccat, quippe non habet quibus ſtimuletur, atque exaſperetur; non tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis, multorumque ferre peccata compulſus, immobilis perſeuerauit & fortis.* Commentatus hæc verba S. Thomas inquit. *Maioris virtutis eſt illæſum ſe conſeruare, vbi plura pericula imminent.* Vnde, & ante hæc verba dicit Chryſoſtomus: *Cùm aliquis fuerit in medijs fluctibus, & de tempeſtate nauem liberare potuerit; tunc meritò teſtimonium perfecti gubernatoris ab omnibus promeretur. Sic etiam dici poſſet, quòd ille qui inter malos bene conuerſatur, maioris virtutis eſſe oſtenditur, quàm qui bene conuerſatur inter homines bonos. Vnde in laudem Iob dicitur, quod aſpectu, & auditu iuſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.*

Lib. 6. ſui Dialog. vt citatur à S.Thom.

Opuſc. 18. c. 10.

2. Petr. 2.

Itaque validam, duram, adamantinam ardentiſſimamque virtutem, & charitatem poſſidere debent, qui inter contraria innumera aduerſùs exercitus vitiorum pugnant, vt meritò ſubiecerit Salomoo. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Qui diuina*, inquit Philo Carpathius, *charitate vallati ſunt, atque muniti, etſi vi tentationum ſæpe premuntur, & diaboli inſidijs ac mundi turbinibus, velut ingruentium imbrium, atque fluuiorum impetu, quatiuntur, nunquam tamen euelli, nuſquam expugnari poſſunt; ſed inuictam ſemper, atque inconcuſſam vim amoris tuentur illæſi, diuina gratia protegente. Cùm enim alas ſponſæ, veluti flammarum ignis, eſſe dixit, ardore Spiritus ſancti accenſam animam nullis aquis, hoc eſt, perturbationibus, & viribus populorum, atque preſſuris, non modò extingui, ſed ne quidem vinci poſſe declarat, adeò vi cœleſtis amoris in Deo ipſo roboratur, & creſcit. Hic enim cœleſtis ignis non aquarum fluctibus, non fluuiorum impetu, non vllo ventorum turbine extingui poteſt, quin flatibus aduerſis in dies magis ac magis accenditur, inflammaturque vehementiùs, nec vlla quamuis maxima rerum iniuria lædi poteſt; ſcriptum eſt enim: Quicumque audierit verba hæc, & fecerit, comparabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper firmam petram; deſcendit enim pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, in eamque impetum fecere, nec ipſa tamen corruit. Fundata enim erat ſupra petram. Hoc igitur igne ſalutari, qui conſumit, nec abſumitur, qui ardet, nec amburit, inflammat, nec lædit, conflagremus oportet, de quo Saluator dixit: Ego veni mittere ignem in genus humanum, & quid volo, niſi vt ardeant?* Zelus autem non incongruè comparatur inferno, de quo per Abacuc dicitur, *Dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors non adimpletur.* Huiuſmodi debet eſſe verus zelus, auidus animarum, & dilatatus, extendens ſe ad omnes inſatiabiliter.

Abacuc 2.

Additur, *lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, ſiue, vt alij dicunt, *carbones eius.* Septuaginta autem legunt, *alæ eius, alæ ignis*; creſcit quippe, & attollitur charitatis perfectio per exercitium, & laborem adiuuandi proximos. Etenim, qui in hac vita fideliter deſudat pro gloria Chriſti, omnium virtutum cultu iuuatur, & in dies perficitur, multos habens fomites, & igniaria ſuæ maioris perfectionis. Hoc nobis videtur ſignificare zelator ille ſanctus Elias, qui igneo curru rapi meruit. tunc ſcilicet cùm factus fuit eius ſpiritus duplex in diſcipulo Eliſeo, non quia duplo maiorem haberet Eliſeus Spiritum, quàm Elias, ſed potiùs, quia per communicationem in Eliſeo ſui ſpiritus, duplicans eſt in Elia, ſicut ſanctus Ambroſius exponit; etenim virtutem quam aliis præſtamus, in nobis duplicamus. Meritò ſiquidem cùm peteret Eliſeus ab Elia ſpiritum eius ſibi communicare, dixit, *fiat in me ſpiritus tuus duplex.* Quemadmodum enim in igne idem eſt communicari, & creſcere; ſic qui adiuuat proximos, quo magis per charitatem communicatur, magis eius charitas creſcit. Sic de reliquis virtutibus, quæ ſunt velut charitatis lampades, hoc ipſo quòd communicantur, duplicantur, & hoc ipſo quòd duplicantur, augentur, & procedunt: ſic fulgebunt iuſti in omnibus ſuis virtutibus, ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrentes: congruè quoque, quod vulgata dixit, *lampades*, vertunt alij *alas ignis*, quippe qui proximorum ſalutem ex charitate curat, non tantùm procedet in ſuo profectu, ſed peruolabit, & affectibus ſanctis flagrans in cœlum aſcendet; ſic etiam Elias in curru igneo non per terram currit, ſed ſublatus in æthera conuolauit.

Quæ ſit maior perfectio in hac vita, vnio & contemplatio paſſiua, an actiua.

CAPVT LIV.

DICAM, quod maius eſt, ipſam gratiam cōtēplationis in viris huiuſmodi actiuis per hanc ſpiritualis miſericordiæ ſublimem, imò diuinam actionem creſcere. Neque enim vlli magis contemplatiui fuerunt, quàm occupati in animarum ſalute: ſanctus Ioannes Euangeliſta, ſanctus Paulus, ſanctus Herotheus, ſanctus Dionyſius, ſanctus Franciſcus, & noſtris ferme temporibus gratia contemplationis excelluerunt, ſanctus Ignatius, ſanctus Franciſcus Xauerius, ſancta Thereſia, Pater Balthaſar Aluarez; ſunt multi alij, qui quamuis non patiantur diuina, nec ſpirituali quiete, atque fruitione illa Dei extatica corripiantur; non propterea carent æqualis, & fortaſſe maioris meriti contemplatione, amantes Deum, & proximum cum conatu ſuo, & labore ex Dei gratia. Quamuis enim communiter præferatur tanquam ſumma

perfectio ſtatus ille in quo aliquis fruitur potius,
quàm operatur, & agitur pluſquam agat; non
diſplicet mihi ſententia extatici viri Gregorij Lo-
pez, qui licèt vnionem, ac fruitionem illam ex-
pertus, paſſuſque diuina fuerit: nihilominus
præferebat ſtatum agendi, & laborandi, aman-
do ſemper Deum, & proximum, laborando in
hoc diu noctuque; cumque ſtatum ſibi prælegit,
dicebatque hoc ſibi à Deo commendatum exer-
citium tanquam præſtantius, & nunquam illud
relicturum pro vlla fruitione, & quiete, quoad
in ſe poſſibile fuiſſet. Neque ego intelligere
poſſum illud eſſe perfectius, & melius in hac
vita, quòd minoris meriti eſſet, ac proinde mi-
nus Deo placeret: non autem videbatur illi ha-
bere æquale meritum frui, ac laborare amando;
hinc dicebat ſeruus Dei, quamuis bonum, &
magnum eſſet conſequi illam quietem, & paſ-
ſiuam vnionem; maius tamen meritum, & per-
fectionem non ita eſſe in otio illo, ſicut cùm ani-
ma ex parte ſua laborat omnibus ſuis viribus,
conando amare Deum ſuum perfectiori actu,
atque modo, qui ipſi animæ ſit poſſibilis; hoc
enim eſt operari, non frui: illud autem frui, non
operari. Anima autē quæ perfectè diligit Deum,
nihil amplius dare Deo poteſt, quàm quod hoc
modo dat; neque Deus aliud ab illa petit, ex hoc
enim pendet lex, & Prophetæ. Accedit perfe-
ctionem huius vitæ in noſtra poteſtate eſſe cum
diuina gratia; pati autem ab alio liberum nobis
non eſt, ſed ſolùm agere; Deus quoque, cùm
legem perfectionis promulgauit, conatum no-
ſtrarum virium requiſiuit, dicens: *Diliges Do-
minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex to-
ta anima tua, & ex tota mente tua, & ex omni-
bus viribus tuis.* Fruitio igitur illa, & vnio paſſi-
ua potius dici debet alterius vitæ gratia, quàm
præſentis. Quare ſicut non eſſet perfectior is, qui
in hac vita alias dotes gloriæ haberet potiſſi-
mum, nimirum impaſſibilitatem, agilitatem,
claritatem, penetrabilitatem, quàm is qui ſine il-
lis toto cordis conatu, & fundo Deum, & pro-
ximum inſtanter, & conſtanter amans excelleret:
ſic etiam non erit magis perfectus ſecundùm
ſtatum viæ, & huius vitæ ille, qui alium animæ
fauorem accepit expectantem ad alteram vitam,
quàm is qui totis viribus præamat Deum, & pro-
ximum, & laborat vt plus amet. Hæc autem
perfectio promptiùs naſcitur, probatur, & efe-
ſcit, agendo, & laborando, ipſoque effectu exe-
quendo, quod affectus ſolicitat. Et hæc perfectio
fuit multorum Apoſtolicorum virorum noſtræ
Societatis in hoc genere contemplationis, &
vnionis actiuæ præſtantiſſimi, quamuis neque
paſſiua minus frequens inueniatur, quàm in ſo-
litariis; ipſa externa opera ſunt veluti faſces, qui-
bus internum inflammant affectum, cuius actio,
& intenſio amandi Deum eſt perfectio viæ.

*Quàm liberalis gratiarum, & ſpiritua-
lium bonorum ſit Deus erga eos, qui iu-
uant ſalutem animarum.*

CAPVT LV.

SPECTAT quoque ad diuinam proui-
dentiam profectus, atque maior perfectio
illius, qui charitate ſollicitus, aliorum etiam ſa-
lutem procurat. Quanta enim ſedulitate alienum
profectum quærit, tanto maiori prouidentia
ipſius perfectionem Deus præparat, cùm in hoc
etiam cauſam ſuam agat, fidelem ſeruum aptio-
rem reddens deſideratiſſimo miniſterio, & gra-
tiſſimo ſibi. In liberales eleemoſynarum, & miſe-
ricordiæ corporalis liberalior Deus eſt de bonis
temporalibus. Cur non etiam erga liberales in
ſpirituali miſericordia liberaliſſimus erit bono-
rum ſpiritualium. De corporali miſericordia di-
citur. *Qui dat pauperi, non indigebit; qui deſpi-* Prou.28.
cit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. Item alij
diuidunt propria, & ditiores fiunt. Alij rapiunt
non ſua; & ſemper in egeſtate ſunt. *Anima quæ* Prou.11.
*benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quo-
que inebriabitur*; is nimirum, qui benefacit pro-
ximo, multis à Deo impinguabitur muneribus,
& diuitiis; & qui inebriat, larga bonorum com-
municatione alios reficiens, inebriabitur etiam
bonis omnibus copioſè à Deo ditatus. Eccleſia-
ſticus quoque ait. *Gratia ſicut paradiſus in bene-* Eccli 40.
dictionibus, & miſericordia in ſæculum permanet;
hoc eſt, beneficentia, & eleemoſyna eſt in bene-
dictionibus ſimilis paradiſo, quia ſicut hortus
ille à Deo benedictus omni fructuum genere
abundabat, habens etiam arborem vitæ: ita ſi-
militer beneficentia multiplici Dei benedictione
gratiſſimos proferet fructus varios, atque im-
mortales. Quemadmodum enim diues aliquis
homo noſcens aliquem ſeruum fidelem, qui be-
ne, & vtiliter diſpendat, & adminiſtret res ſuas,
plura illi committit, & tradit adminiſtranda; ſic
Deus ſe habet cum miſericordibus, & eleemoſy-
nas facientibus, quibus tanquam bonos diſpen-
ſatores bonorum, plura illis diſpenſanda tradit.
Quòd ſi hæc cura Dei, vt eleemoſynarius nun-
quam indigeat propter miſericordiam factam
corpori, quod debet affligi: quid fieri iuſtum
erit cum viris Apoſtolicis, & bonorum ſpiritua-
lium eleemoſynariis, qui animas reficiunt, & ab
inferis, ſeu, quod peius eſt, à peccatis extrahunt.

*Zelus animarum ineſtimabilis eſt virtus
propter dignitatem & excel-
lentiam animæ.*

CAPVT LVI.

TANDEM ſubiecit Salomon, *Si dederit* Cant.8.
*homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro
dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Se-
ptuaginta verò legunt, *Si dederit vir omnem vi-
tam ſuam in charitate, contemptu contemnent eum.*
Significatur hîc pretium ineſtimabile perfectæ
charitatis, cùm ſcilicet Deum diligimus, & pro-
ximum propter Deum pariter diligimus, & iuua-
mus, & lucramur animas peccatorum. Pro hoc
charitatis perfectæ opere omnem ſubſtantiam
noſtram, omnem vitam profundere duci non
debet graue, ſed tanquam nihil reputandum
eſt. Quod certè reputabit, qui incomparabilem
animarum excellentiam, & pretium æſtimaue-
rit, qui infinitum valorem ſanguinis filij Dei pro
eis profuſi conſiderauerit, qui quantum dilige-
re Deum, & pro Chriſto facere tenemur, rectè
perpen

Digitized by Google

perpenderit. Hæc ſunt quæ conſiderata exeitabunt in nobis fortiſſimam vt mortem dilectionem,& validum, ac durum inferni inſtar zelum inæſtimabilem, incomparabilem, cùm per illum lucremur animas, quæ inæſtimabilis, atque incomparabilis ſunt pretij. Nihil enim in mundo excellentius eſt ſpirituali creatura rationis compote, & capace glorificandi creatorem, ad hoc ſcilicet nata, & eum ſimilitudine ipſius creatoris decora & admiranda; quam dignitatem in anima demiratus ſanctus Bernardus animam ipſam his verbis alloquitur. *Intellige dignitatem tuam nobilis creatura, quoniam non ſolum inſignita es Dei imagine, verùm etiam decorata ſimilitudine.* Et infrà. *Quid maius his tibi facere potuit, quàm vt ad ſimilitudinem ſuam conderet factor tuus. Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in te ipſa agnoſce.* In quo verò præcipuè hæc hominis ad Deum imago conſiſtat, luculenter etiam declarat idem Bernardus. *Conſidera* (inquit) *nobilitatem tuam, quòd ſicut Deus vbique eſt totus, omnia viuificans, omnia mouens, & gubernans: & ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit, ita tu ſecundùm modum tuum, es, viuis, & ſapis: & ſicut in Deo tres ſunt perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; ſic tu habes tres vires, ſcilicet intellectum, memoriam, & voluntatem.* Ex diuina quippe imagine homini à Deo impreſſa, facile eſt videre, quantum honoris, ac dignitatis in ipſum prouenìat; ideò enim Deus homini imaginem ſuam impreſſit, vt illum ad ſuæ authoritatis, maieſtatis, ac diuinitatis, non ſolùm ſimilitudinem, ſed & participationem promoueret; quo igitur dignitas hominis altiùs aſcendere poterit? Sed nunc ſingula expendamus. Primum fecit Deus hominem ad imaginem ſuam, vt eum ad ſummam dignitatem, excellentiamque eueheret, & ſic non ſolùm res omnes corporales eum venerentur. vt qui tam expreſſam, & illuſtrem Dei, omnium Conditoris, & Dominatoris imaginem in ſe gereret. Sic Deus dixit Noë; *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli*, &c. Et ne cœli, atque aſtra inſeruire homini, aut etiam Angeli miniſtrare ei dedignarentur. Denique ne Dæmones hominem lædere auderent, neve propter hominis rebellionem aduersùs Deum omnes creaturæ in ipſum inſurgerent, ſua hominem imagine Deus inſignite, & munite voluit. Non ſolùm igitur ob hanc cauſam, ſed etiam vt ipſe non eſſet ſui iuris, & poſſeſſionis, ſed potiùs vt clarè agnoſceretur hominem eſſe quid Dei proprium, & peculiare, obſignauit eum ſigillo ſuæ imaginis, tam altè, ac tenaciter impreſſæ, vt ſalua hominis natura, ſignaculum illud auferri nullo modo poſſet. Hoc igitur geſtat imaginem Dei, vt filius ſui Patris, cui debet amorem, ac pietatem, vt mancipium Domini ſui, quem timere, ac revereri debet; vt miles ſui Ducis, & Imperatoris, cui fidem, & obedientiam præſtare oportet. Denique vt miniſter, & diſpenſator bonorum heri, & Domini ſui, cui rectum vſum creaturarum, quæ diſpenſationi eius commiſſæ ſunt, exhibere debet.

Cap. 67. de inter. domo.

Cap. 67.

Geneſ. 9.

Deinde quemadmodum, quia nullum animalium ſimile inueniebatur Adæ, cum quo ſocietatem, & amicitiam, ac familiaritatem habere poſſet, creauit Deus Euam tanquam eius ſociam; ita creatis rebus omnibus corporeis, cùm nulla eſſet Dei ſimilis, & cum qua Deus familiaritatem & ſocietatem inire poſſet, fecit hominem ſibi ſimilem, vt eſſet quem Deus amaret, & à quo viciſſim amaretur amore amicitiæ. Et de aliis quidem rebus cùm eas Deus à ſe factas cerneret, approbaſſe eas dicitur. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* De homine autem multo aliter locutus eſt Deus per Salomonem, dicens: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Tertia cauſa, quare homo factus eſt ad imaginem Dei, illa eſt, vt poſſet eſſe homo æternitatis, infinitatis, & diuinitatis quodammodo capax, nullumque eſſet tantum bonum, vt non id auderet homo petere à Deo, & imperatorum ſe à Deo ſperaret. Quemadmodum igitur vas rotunda figura præditum non poteſt omni ex parte repleri, niſi à corpore ſimiliter rotundo; ita nec animus hominis ad imaginem Dei factus, niſi à ſolo Deo, cuius ſimilis eſt, repleri, & ſatiari poteſt. Ac denique, quemadmodum Rex condita à ſe ciuitate, in medio eius loco celebri, imaginem ſuam collocat ex materia quapiam eximia, & pretioſa confectam, & manifeſtum ſit omnibus eam intuentibus, quis fuerit eius ciuitatis conditor: ita Deus, fabricato à ſe mundo, effigiem ſuam poſuit in medio eius, id eſt, in homine, qui eſt medium quoddam inter res à Deo conditas, vt ex eius aſpecta dignitate, in aperto, & manifeſto ſit omnibus, qualis fuerit huius mundi fabricator, & opifex. Hæc omnia excellentiam animarum ſecundùm ſuam naturam demonſtrant.

Geneſ. 1.

Prouerb. 8.

Quàm inæſtimabilis ſit vna anima poſtquam pro ea ſanguis Chriſti effuſus eſt.

CAPVT LVII.

QVANTA autem dignitas accedit animæ ex æſtimatione Dei, qui ſuum filium pro vita noſtrarum animarum tradidit morti, quanto pretio facta eſt æſtimatio animæ ex cruore, & vita infinita Chriſti Ieſu? Vt iam anima & pro ſua dignitate, & pro ſumma Dei dignatione inæſtimabiliter æſtimanda ſit. nam, vt S. Chryſoſtomus ait, *Ipſe cùm Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit carnem, & omnia alia humana ſuſtinuit, & crucem quoque ſuſcepit, niſi, vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat, dicens: Chriſtus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictus. Si igitur ipſe, qui Deus eſt ineffabilis eſſentia, ob miſericordiam ineffabilem, hæc omnia propter nos, & ſalutem noſtram ſuſcepit, cur non & nos erga fratres iuſti ſimus, agnoſcentéſque eos, vt membra noſtra, & eripientes ex Diaboli faucibus, in viam veritatis inducimus.* Sed & apertiùs Paulus, dignitatem, de qua tractamus, commendauit, his verbis. *Empti enim eſtis pretio magno.* Hoc autem pretium magnum eſt ipſe Chriſtus. *Totus* (vt ait Bernardus) *nobis datus, totus in noſtros vſus expenſus.* Verè enim nullus vnquam homo ad ſeruiendum traditus, ita illi proprius fuit, ac verbum illud æternum, pro vniuerſis

To. 1. in Gen. hom. 4.

1. Cor. 6.

Serm 3. de circumciſ.

uerſis hominibus tributus, conceſſus,& donatus fuit. Vnde Paulus, *qui dedit ſemetipſum pro nobis.* Quare hoc emptionis genus, quo ſuam Chriſtus dedit animam, & talem animam, ſuumque corpus, ac inſuper diuinam perſonam, ſatis declarant, quanto æſtimauerit pretio ſalutem animarum, & quanti fecerit hanc ſuæ diuinitatis præclaram effigiem. Siquidem imaginem quam Deus fecit per creationem, Chriſtus Dominus polit, & ornat, imò & reficit per redemptionem, ac denique abſoluit, & conſummat per glorificationem. Magna eſt propterea dignitas animarum, cum tantopere à Deo æſtimentur, & honorentur. Quæ meritò conſiderans ſanctus Bernardus, clamat. *Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis ſic quæſiti, in qua ſi gloriari voluerit, non erit inſipiens: non quòd aliquid eſſe videatur tanquam à ſeipſo, ſed quòd tanti eum fecerit ipſe, à quo creatus eſt. omnes enim diuitiæ, omnis gloria mundi,& quidquid in eo conſpicitur,minus eſt hac gloria, imò neque eſt aliquid in comparatione eius.* Hæc Bernardus. Idem etiam,nec minus doctè,prædictas animæ dignitates complectens exclamans, inquit. *O anima Dei inſignita imagine, decorata ſimilitudine, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* Et infrà. *Totus quidem iſte mundus ad vnius animæ pretium æſtimari non poteſt: non enim pro toto mundo animam ſuam Deus dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo eſt, animæ pretium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit. Nonne Dei filius cùm eſſet in ſinu Patris, à regalibus ſedibus pro ea deſcendit, vt eam à poteſtate Diaboli liberaret. Fleuit ipſam, nec ſolùm fleuit,ſed etiam morti ſe obtulit,vt pretioſi ſanguinis ſui pretio eam redimeret. Aſpice mortalis,pro te datur hoſtia talis. Agnoſce homo, quàm nobilis eſt anima tua, & quàm grauia fuerint eius vulnera,* &c.

Serm. 1. de Aduentu.

Cap. 3. meditat.

In cap. 1. epiſt. ad Corinth.

Egregiè etiam Chryſoſtomus. *Nihil eſt enim, quod animæ poſſis æquiparari, nec vniuerſus quidem mundus.* Hanc igitur animæ nobilitatem, ſiue ſplendorem, ſanguine Chriſti expiatæ, cùm ſemel S. Catharinæ Senenſi datum diuinitus eſſet animo intueri, ita exarſit zelo animarum, vt diceret: Tanta eſt animarum dignitas,& pulchritudo, vt ad eas lucrandas nullus par labor eſſe poſſit; idque glorioſiſſimis factis à ſe in hunc finem geſtis,maximiſque laboribus, periculiſque ſuſceptis, ita eſſe,vt dicebat,opere ipſo oſtendit. Quare non mirum ſi Deus ita arctè hominibus proximorum ſalutis curam commendet, ac in Eccleſia eius ſponſa, non ob aliam cauſam certiſſimo conſtat Hierarchiam vniuerſam, vt ſunt ſacerdotia, bona,dignitates, neque ad alium finem, quàm ad animas Deo, vitæque æternæ lucrandas eſſe inſtitutam. Neque verò in oculis Domini omnium bonorum temporalium, ac regnorum euerſionem tanti eſſe, quanti vnius animæ amiſſio ſit, quæ in deſerto errare ſinatur; nec omni conatu, omniumque bonorum, ac vitæ ipſius diſpendio ad ouile reuocetur. Quòd ſi vnius animæ pretio vniuerſis orbis comparari nequit, ac ex alia parte in tot animarum millia, vt ex typo orbis terrarum conſtat, oculos conuertamus,quæ luce Euangelica deſtituta in æternum pereunt(ita vt meritò Chriſtus cum clamore valido lamentatus ſit, quando ſeminis parabolam prædicauit, in qua ex quatuor diuini ſeminis partibus, tres in Dæmonum prædam cedere vidit:) quid ergo ſupereſt viris Religioſis, niſi vt lachrymas, Chriſtique conatus imitentur, ac non ſolùm impenſiſſimè Dominum meſſis exorent, vt mittat diuinitus operarios in meſſem ſuam, ſed etiam vt relicta vna oue,quæ Eccleſiæ anguſtum Regnum repræſentat,nonaginta alias in deſerto infidelitatis aberrantes, ſedulò quærant. Quæ omnia bene ponderauit Thomas à Ieſu in opere ſuo de conuerſione omnium gentium;quod utiliter legetur. Hinc meritò S.Franciſcus Xauier in hæc verba ad noſtros in Europa commorantes ſcripſit. *Mihi verò perſæpe venit in mentem,circum Europæ Academias, ac præcipuè Pariſienſium curſare, ac inſani ritu paſſim vociferari, eóſque qui doctrina plus habent, quàm charitatis, his compellere verbis. Heu quàm ingens animarum numerus veſtro vitio excluſus cœlo deturbatur ad inferos.* Nec mirum,virum piiſſimum ita tot animarum pereuntium zelo angi,ac ſtimulari, cùm & ſalus paucorum hominum adeò pretioſa ſit Chriſto, vt ſi oporteret iterum pro eis pati, id libentiſſimè faceret: quemadmodum Carpo ſignificauit reuelatione quadam, quam ſanctus Dionyſius Areopagita veram exiſtimauit. Cùm ergo viri pij & religioſi tot millibus opem ferre poſſint, quomodo in vtramque aurem dormientes torpeſcere poſſunt in ſalute proximorum procuranda? Profectò non videntur ſententiæ Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri ſubſcribere, qui proximos ab interitu ſempiterno, cùm poſſint, & ex fraterna charitate teneantur, non vindicant. Ferant igitur opem quicumque Dei amantes, & hominum ſalutis ſtudioſi apud benignum Redemptorem haberi volunt, & quibus poſſunt modis, ſacrificiis, lachrymis, tum conſilio, opera, ſudoribus, & ſanguine ipſo, ſi opus ſit, chariſſimam Chriſto Ieſu hominum ſalutem proſequantur.

De conditione zeli diuini.

CAPVT LVIII.

PRÆTEREA verus Dei amator nihil auidius cupit, quàm amare Deum, quantum eſt infinitè amabilis. Et iam cùm cor ſuum exiguum agnoſcit immenſæ comparatum bonitati, omnes creaturas cupit amare, quem ipſe amat;atque ineſtimabile ſuper omnia æſtimabilia mundi reputat, ſi per ſe alius amet ipſum illum, quem auidiſſimè cupit ab omnibus amari. Diuerſiſſimus eſt zelus diuinus ab humano zelo. Zelus humanus totus in hoc eſt,ne alius concupiſcat, & amet ſuum amatum. Ratio eſt, quia omnis decor humanus limitatus eſt, nec ſufficiens, vt ſatis faciat integrè pluribus. Pulchritudo autem diuina infinita eſt, & à pluribus infinitè,& integrè amabilis,atque cùm ſufficiens ſit omnium dilectioni, & ita ſufficiens ſit, vt à nemine diligatur, quantum diligi eſt digna. is qui eius viuido amore tactus eſt, nihil optatius habet,quàm vt alij reſarciant,quòd ſibi ſcit deeſſe. Hinc gaudet ſi multi ſint Dei amatores, & curat vt ſint, nihilque æſtimabilius ſibi pu-

tat

Digitized by Google

tat poſſe accidere, quàm ſi aliquis ampliùs Deum amaſſet.

Quàm vtilis ſit propriæ ſaluti, & ſignum prædeſtinationis, zelus animarum.

CAPVT LIX.

DEINDE inæſtimabilis ſuper omnem ſubſtantiam noſtram dici poteſt hæc charitas proximi, propter multas quas comparat vtilitates habentibus illam. Nam, vt ſæpe ſignificat ſanctus Chryſoſtomus, tam vtilis eſt, vt ſine illa inutiles ſimus, & omnia nobis quaſi inutilia ſint; quare noſtræ vtilitatis præſtantiſſimum inſtrumentum eſt. *Ita enim* (inquit) *tibi vtilitatem comparabis, ſi proximi inuigilabis vtilitati. Itaque ſi piger in fratris cura fueris, intellige nulla te prorſus ratione ſalutem conſecuturum. Igitur tua ipſius gratia proximi tui rebus adſit: ſufficientia itaque ſunt, quæ iam diximus, quòd perſuadeant, nulla alia ratione vtilitatem nos inuenire poſſe. Quòd ſi hoc à confeſſis exemplis cognoſcere volueris, conſidera ſi quando domum aliquam exuri contingat, inde nonnulli ex vicinis ſibi cauentes minimè ſe periculis obycians, ſed domi incluſi timeant, ne quis ingrediatur, qui aliquid ex rebus ſuis auferat, quantam iacturam facient? Etenim ignis quoque eos comprehendet; & omnes eorum comburet facultates. Ita qui proximi vtilitatem non reſpexerunt, ſuam perdiderunt. Siquidem Deus cùm inuicem omnes colligare vellet, talem rebus neceſſitatem impoſuit, vt in proximi vtilitate alterius etiam colligata ſit, & vniuerſus mundus hoc pacto conſtitutus eſt. Propterea ſi in mari tempeſtate exorta gubernator omiſſa multorum ſalute, ſuam tantum quæreret, & ſeipſum & alios quàm primum obrueret: & vniuſcuiuſque artis, ſi ſua tantùm quæratur vtilitas, nunquam neque vita conſtaret, neque ars, quæ ſui ipſius quæreret vtilitatem: propterea agricola non tantum frumentum ſeminat, quantum ſibi ſat ſit, nam iam pridem & alios, & ſe perdidiſſet; ſed quod multis ſufficiat, terræ mandat. Et miles, non vt ſuæ duntaxat conſulat ſaluti, ſe periculis obycit, ſed vt ciuitates in ſecuritate conſtituat. Et mercator non eas tantùm merces tranſportat, quæ ſibi ipſi ſatis ſint, ſed multis alijs. Quod ſi quis hoc in loco diceret non alterius, ſed ſuam vnumquemque conſiderare vtilitatem, & idcirco ita facere, vt pecunias ſibi, & ſecuritatem, & gloriam comparet, atque ita dum ſuam quærit, proximi quoque quærere vtilitatem. Idem ego dico, hoc eſt, quod iam dudum audire volebam, & hac gratia omnem hunc ſermonem fecimus, vt oſtenderemus tunc ſibi vnumquemque conſulere, cùm proximo conſulit. Nam cùm aliter homines proximi commodum non eſſent curaturi, niſi in hac conſtituti neceſſitate, propterea ita Deus ea coniunxit, & non permittit, vt in propriam priùs quiſquam veniat vtilitatem, niſi per alienam tranſeat. Hoc igitur humanum eſt, vt hoc pacto proximo vſui ſimus. Verùm oportet non hinc, ſed diuina voluntate ad hoc adduci. Siquidem nemo ſalutem conſequi poteſt, niſi ita ſe habeat. Sed quamuis ſummam complectaris Philoſophiam, proximi autem iacturam contempſeris, nullam apud Deum fiduciam habere poteris. Vnde de hoc conſtat? ex Beati Pauli verbis: Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Vides quantum à nobis Paulus requirit. At qui paſcit, non ſuam, ſed proximi quærit vtilitatem: ſed non ſufficit hoc, inquit, cum charitate hoc fieri vult, & miſericordia plurima. Propterea legem hanc ſtatuit Deus, vt nos in vinculum charitatis adduceret.*

Alibi ait idem Chryſoſtomus: *Quod prius rogauimus, idem & nunc rogamus, vt fratres veſtros reducatis ad ſalutem, multam ſolicitudinem habeatis pro membris neglectis: propter vos enim tantum laborem ſuſcipimus, non vt vulgari more loquamur, neque vt plauſum, ſtrepitumque referamus, ſed vt auulſos ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat, nihil mihi eſt cum eo negotij, vtinam contingat mihi mea ipſius negotia rectè gerere. Nemo ſuum ipſius negotium rectè gerere poteſt, neglecta proximi ſalute: propter hoc & Paulus ait: Nemo quòd ſuum eſt, quærat, ſed quiſque quod alterius, ſciens, quòd ſua cuiuſque vtilitas in proximi vtilitate ſita eſt. Sanus es tu, ſed oculus tuus infirmatur, hoc eſt, eſt ægrotus. Itaque ſi verè ſollicitus fueris pro ægro, tanto magis dolebis, & imitaberis in hoc quoque Beatum illum, qui dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non vror? Etenim ſi cùm duos obolos dederimus, paulum inſumpſerimus in pauperes, gaudemus: ſi poterimus animas ſeruare, quanto maiorem voluptatis fructum capiemus? Quantum autem in futuro ſæculo recipiemus gaudium? nam ibi quoque quotics conueniemus, multam capiemus voluptatem ex congreſſu reminiſcentes beneficiorum, quæ viciſſim in alios præſtitimus. Deinde cùm illos conſpexerimus ad tribunal illud metuendum, multa fiduciæ participes erimus.* Super Geneſim quoque dicit Chryſoſtomus: *Operam date vt pia ſemina in eis* (loquitur de Arrianis) *plantentur, & roborentur: volo enim, & precor omnes vos in Doctorum ordine eſſe; & non ſolùm auditores noſtrorum eſſe dictorum, ſed & alijs doctrinam noſtram afferre, piſcarique errantes, vt ij redeant in viam veritatis; ſicut & Paulus inquit: Vnus alterum ædificet, & cum timore, & tremore ſalutem veſtram operemini. Sic Deus noſtram multitudinem augebit, & vos vberiùs ſuperna fruemini gratia, magnum membrorum veſtrorum curam gerentes. Neque enim Deus vult, vt Chriſtianus ſe ipſo tantùm contentus ſit, ſed vt alios ædificet, non per doctrinam ſolùm, ſed & per vitam, & conuerſationem.*

Orat. 3. in Iudæos.

Homil 8 in Geneſ.

Quid autem vtilius nobis cùm per procurationem alienæ ſalutis noſtram operemur ſecuriùs, ſitque velut ſignum noſtræ ſalutis, prædeſtinationiſque argumentum. Vnde idem ſanctus Chryſoſtomus ait: *Ne omittamus proponere eis,* (hoc eſt, Gentilibus) *doctrinas Scripturarum; ſed omne impendamus ſtudium, vt ab errore liberati, ad veritatem reducantur. Nam licèt in erroribus deprehenſi ſint, cognati tamen noſtri ſunt, & congruit, vt magnam*

Homil. 3. in Geneſ.

eorum curam habeamus, nunquam torpeſcentes, ſed ſumma diligentia facientes ea quæ in nobis ſunt; vtilem eis medicinam adhibemus, ſi fortè vel tardè ad veram ſanitatem redeant: nihil enim ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus. Talem igitur habentes Dominum, tam miſericordem, tam benignum, tam manſuetum cùm noſtræ, tum fratrum noſtrorum curam geramus ſalutis: nam & hoc noſtræ ſalutis argumentum erit, & occaſio, ſi non ſolùm pro nobis ipſis ſolliciti, ſed & proximo vtiles fuerimus, ipſum ad viam veritatis manu ducentes. Quid reſtat, niſi vt auidi huius vtilitatis nullam omittamus occaſionem iuuandi fratres noſtros, nullam delegemus, aut remittamus alteri, nullam in excuſationem admittamus; hoc etiam conſilium audiamus ab aureo ore, & ignito corde Chryſoſtomi ſic dicentis. *Imitare Samaritanum illum, qui in Euangelio tantam erga vulneratum præſtitit ſollicitudinem. Etenim illic præteriit Leuita, præteriit Phariſæus, ac neuter deflexit ad iacentem, ſed inclementer, crudeliterque, relicto ſeminece, abierunt. Samaritanus autem quiſpiam, qui nulla ex parte illi coniunctus erat, non prætercurrit, ſed miſertus eſt accurrens, inſtillauit oleum & vinum, impoſuit aſino, duxit ad diuerſorium, pecuniam partim dedit præſentem, partim pollicitus eſt pro eius, qui nihil ad ipſum pertinebat, curatione, nec dixit apud ſeſe: Quæ mihi cura eſt iſtius? Samaritanus ſum, nihil mihi cum illo, procul abſumus à ciuitate, & ille ne ingredi poteſt. Ne dixeris apud te metipſum: Homo ſum mundanus, uxorem, & liberos habeo, & iſta Sacerdotum ſunt, iſta Monachorum: neque enim Samaritanus ille hæc dicebat, vbi nunc Sacerdotes? vbi nunc Phariſæi? vbi Iudæorum Doctores? ſed perinde quaſi venatum quempiam maximum nactus eſſet, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cùm videris aliquem curatione egentem vel corporis, vel animi, ne dicito apud temetipſum: Quare ille, & ille eum non curauerunt; ſed à morbo libera; ne petas ab illis cauſam negligentiæ. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud te metipſum: Quare ille, aut ille hoc non ſuſtulerunt, ſed feſtinas ante alios rapere: itidem & de fratribus collapſis cogita, putatoque te theſaurum reperiſſe, nimirum occaſionem illis medendi. Etenim, ſi inſtillaueris illis velut oleum ſermonis doctrinam, ſi obligaueris humanitate, temperantiáque vulneratum ſi ſanaueris, ille te faciet ditiorem quouis theſauro. Qui enim eduxerit pretioſum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit ille.*

Hom. 3. in Ind.

***

Ad imitationem primorum Patrum feruidè laborare debemus in procuranda ſalute animarum.

CAPVT LX.

NOLO hinc ad alia tranſcurrere, quin commemorem quo fructu, & laude apud Deum, & homines primi Societatis inſtitutores in animarum ſalute, & cultu Eccleſiæ laborauerint; ad imitationem Apoſtolorum, quorum veſtigia inſequi conati, hoc dulce onus nobis impoſuerunt, vt perſimili ardore laboremus, ne tantæ nobilitatis degeneres fiamus. Profectò vnus ſanctus Franciſcus Xauerius compenſauit omnia hæreticorum damna; de hoc tanto viro ſcribit Thomas Bozius: *Auſim dicere tot linguarum gentes per tot ſæcula ab vniuerſis hæreticis haud fuiſſe hæreſi pollutas, è quot linguarum gentibus ipſe Xauerius aliquo Chriſtianæ virtutis, ac pietatis lumine multos illuſtrauit.* Et infrà: *Vniuerſi hæretici ab Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutione per tot ſæcula, per annos mille quingentos, & amplius, haud traduxere ad hæreſes ſuas tot gẽtes, aut idololatras, aut alioquin à Chriſti cultu alienas, quot vnus Xauerius ad cultum Chriſti annis vndecim.* Hæc quaſi teſſera, Societatis Ieſu fructificatio, & vtilitas Eccleſiæ. Sic illam ſignificauit Theodorus Petreius Carthuſianus, dicens, *ſanctiſſimam illam, atque orbi terrarum per multiplices fructus editos notiſſimam hominum diuino cultui mancipatorum Societatem*; & Gregorius XV. epiſtola ad Carolum Epiſcopum Virdunenſem, vbi facultatem concedit vt depoſito Epiſcopatu Societatem Ieſu ingrederetur, ait: *Proficiſcero ad eam ſacra militia Societatem Chriſtiani nominis propagatione, & hæreticorum excidiis clariſſimam.* Ibidem vocat ſanctum Ignatium, & Xauerium, Chriſtiani imperii propagatores. Epiſcopus Albergatus ſcripſit ad Gregorium XV. loquens de ſancto Ignatio. *Beatus iſte eam Societatem Eccleſiæ Catholicæ peperit, quæ velut murum ſe opponit vniuerſæ impietati pro domo Dei. Teſtis oculatus loquor, & ſceleris arguerer ſi tacerem, pugnauit ſanguine, pugnatque adhuc conſtantiſſimè.* Nicolaus Lambeccarius in oratione Conſiſtoriali ait: *In Ignatio quidem oſtendis Deus quantum ei curæ ſit Eccleſiæ ſecuritas.* Ioannes Ciampolus in reſpõſione Gregorii XV. *Ignatius animum gerens mundo maiorem, & vltra vnius aui terminos opera ſua pietatis extendens, legionem in Eccleſia Dei fortiſſimam conſcripſit, quæ vitam pro diuini cultus incremento paciſcens in Romani Pontificis verba iurauit.* Concilium Tarraconenſe anno 1602. S. Ignatium vocat ſpiritum ſalutis, quem Eccleſiæ peperit, quo tempore Lutherus tanquam hydra Lernea de puteo abyſſi emerſerat; accommodat illi viſum Apocalypſis de Angelo habente pedes ſimiles columnarum ignearum, quorum alterum extendiſſe (ait) in mare per gentium conuerſionem, alterũ in terram per doctrinam ſalutarem. Molanus in Martyrologio ſcribit obiiſſe poſtrema Iulii Beatiſſimum

Lib. 6. de ſignis Eccl. c. 3.

Epiſt. ad Theod. Epiſc. Cirtnenſem.

Igna

Ignatium, cuius omnia conſilia, & ſtudia ſpectabant ad conſeruandam, reuocandam, & multiplicandam fidei Catholicæ ſinceritatem. Quid dicam quantum ex ipſis viris Societatis IESV illuſtrata ſit Eccleſia, veriſſimè ait Epiſcopus Albergatus io teſtimonio ad Gregorium XV. Glorioſiſſimum cenſeo B. Ignatium, qui choros Confeſſorum, Doctorum, & Martyrum Eccleſiæ peperit. Mirum quoque eſt quæ de fructu Societatis IESV viuente adhuc ſancto Ignatio ſcripſerit Bruno Loher Carthuſianus, in epiſtola ad ſanctum Ignatium, & Patres Societatis ſic inquit. *Miſſi ſunt cum ampliſſima Sedis Apoſtolica poteſtate ſacerdotes non pauci è veſtris viri grauiſſimi, ac honeſtiſſimi; primò quidem ad præcipuos quoſdam Chriſtianæ Reipublicæ magnates, ac ciuitates; deinde & alij in Aſiam, Africam, Arabiam, Perſidem, Babyloniam illam veterem, vbi perplures reperti ſunt Iudæi, quorum maiores olim cum Eſdra ſcriba in Iudæam reuerti noluerunt. Itemque Indiam Meridionalem, & Orientalem, & Americam, maximas orbis partes, magna ex parte hactenus nobis, ne auditu quidem, vel lectu cognitas Hiſpanorum, & Luſitanorum diffi illimis nauigationibus noſtra memoria repertas, vti hodieque eorumdem opera innumeræ maris inſulæ & ampliſſimæ regiones inueniuntur, tam immani vaſtitate, ac magnitudine, vt nullum earum exitum, aut terminum aſſequi poſſint. Quibus in locis veſtræ ſodalitatis Patres ingentem, & incredibilem animarum fecere fructum, nec facere deſinunt, infideles & Iudæos ad fidem conuertendo, integra oppida, & regna baptizando, peccatores ad pœnitentiam reuocando, pios in gratia confirmando, & conſolando: iuuentutem tam apud Ethnicos, quàm Chriſtianos, optimis literis, ſolida eruditione, ſanctiſque moribus imbuendo, additis etiam plurimis, ſtupendiſque prodigijs ac miraculis, præſertim apud infideles; adeò vt infatigabili veſtro labore, induſtria, feruore docendi, concionandi, hortandi, aſſiduitate, caſtiſque & candidis moribus, diuina vobis opitulante gratia effectum ſit, vt nedum in noſtra Europa, ſed etiam in alijs iam memoratis regionibus, religio, cultuſque vnius veri Dei, veraque pietas reflorere, increſcere, & quotidianis incrementis, longè, latéque mirificè propagari videatur. Nam & ſub Turcico Imperio, & tributo, puta Hieroſolymis, Conſtantinopoli, atque in Cypro ſtudiorum collegia auxilio Iulij Tertij Pontificis Maximi inſtituere conati eſtis. Accedit huc, quòd iam paulo antè attigi, frequens inſigniumque per veſtros fit miraculorum operatio, quibus omnipotens Deus veſtræ integritati præbet teſtimonium, quale certè nullum adhuc apud noſtros Euangelicos vidimus, licèt ſuam vbique buccis crepitantibus fidem iactitent. Complures enim apud Indos Chriſtianæ Religionis expertes ſimul, atque fidei noſtræ ex animo acceſſerint morbis quibuſlibet, aut alijs corporis calamitatibus grauati confidunt ſe illico ſanatum iri, ſi ſalutari tingi lauacro, aut Miſſæ ſacrum auſcultare liceat, nec ſua ſpe, & expectatione fruſtrantur, mox ſanitatis obtento beneficio. Atque etiam paruuli in ſcholis ab ijſdem inſtituti ex ſuggeſtu concionantur, & ad gratiæ vitam ſumma pietate eos reuocant, ex quibus ipſi vitæ mortalis initia ſumpſerunt. Denique ne quid vobis deſit vlla gratia, quidam ex veſtro ordine pro Chriſti fide libenter ſanguinem ſuum ſuderunt, ab Ethnicis neci dati. Interim apud illas Barbaras gentes augeſcit in dies Religio Chriſtiana, & fidei iugo colla ſubmittunt homines hominibus noſtri orbis incogniti. Dumque inter nos tepeſcit charitas, & increſcunt hæreſum, aliorumque portenta vitiorum, Chriſtus commigrat ad gentes, vt planè verendum, maximéque formidandum ſit, ne ob malefacta noſtra à Chriſto penitus relinquamur, & Regnum Dei nobis ablatum detur gentibus facientibus fructum illius. Ita enim per ſuos amicos crebro nobis comminatus eſt Deus. Et ſiquidem ob flagitia, & errata noſtra vnquam relinquendi ſumus à Deo, iam vel maximè id timendum eſt, quando vſque eò omnis excreuit impietas, vt vix poſſit vltrà progredi. Vnum dumtaxat ſupereſt, quod nobis melioris ſpei fiduciam ingerit, veſtra nimirum ſodalitatis noua iſthæc præclaraque profeſſio, & nunquam ſatis laudatum vitæ inſtitutum. Cùm enim certis probemus experimentis fructus optimos è vobis prodire, non ambigimus ex Chriſti ſpiritu profectum eſſe, quod aggreſſi eſtis, prorſuſque nobis perſuademus fore, vt per veſtros quandoque Chriſti Eccleſia in melius reformetur, maximè cùm id vobis imprimis curæ ſit, vt quoad eius fieri poteſt, omnes ad veram pietatem prouehatis. Neque tamen hæc ita à vobis geruntur, vt verbis magna promittatis, factis parum præſtetis, vt noſtri Euangelici, quibus ſemper in ore eſt Euangelium, cùm vita eorum cum Euangelio pugnet è diametro, ſed vos ipſos ante omnia in omni virtutis genere grauiter exercetis, vigetque inter vos viuifica mortificationis ſtudium, propriam præſertim erga prompta obediētia profligandam voluntatem quæ ſola malorum cauſa eſt.* Hæc ille. Cui conſentiens Ioannes Ciampolus dixit: *In reſponſione Gregorij XV. compertum eſt cæleſtem duorum hominum* (ſcilicet Ignatij, & Xauerij) *charitate vaſtiſſimo coerceri non potuiſſe vnius orbis ambitu, quem vniuerſum multis ſæculorum ætatibus non audax Romanorum fortitudo peragrare vicarijs, neque curioſa Græcorum ſapientia illuſtrare literis potuere.*

Suffragia quoque Summorum Pontificum, & ſancti Caroli Borromei audiamus. Gregorius III. in diplomate Bullato, quo Mediolanenſe Collegium rogatu ſancti Caroli Cardinalis, exigendum Societati IESV monaſterio Braidenſi fundat, & prædiis quibuſdam auget anno primo ſui Pontificatus, rationes afferens, quibus ad id faciendum inducatur, hæc habet. *Solicito conſiderans animo Carolus Cardinalis, quantum Reipublicæ Chriſtianæ afferre conſueuerint vtilitatem, Collegia dilectorum filiorum Preſbyterorum Societatis IESV optimè in pluribus Chriſtiani orbis partibus ſanctiſſimè, & piè inſtituta; ipſi enim nullam prætermittentes occaſionem, qua in proximum charitatem ſuam exercere valeant, per totum terrarum orbem diſperſi, neque ſacculum, neque peram aſſumentes, & afflati ſpiritu, qui dat cuncta bona timentibus eum, non ſolùm hic per totius Italiæ oras, verùm etiam ab Aquilone ad Auſtrum retia tendentes, & iam non piſcium, ſed hominum piſcatores effecti eius ductu, qui ſumma charitas, & bonitas eſt, quotidie non ceſſant miniſterium ſuum adimplere fideles, infideles in vias, & ſemitas rectas adducendo, ac populos vbique diſperſos, tam exemplo boni operis,*

quàm doctrina conformando. Tantumque in eis inualuit proximi charitas, vt ad Indos, & Regiones incognitas ſecederent, & per martyrij palmam infideles ad Chriſti fidem reuocare non dubitauerint, ita vt meritò cum exultatione referre poſſint: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum, &c. Pius Quintus ex Dominicana familia ait in Bulla quadam de noſtris Patribus. Non contenti terrarum finibus vſque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrarunt, atque eorum aliquos, ita Domini amor perſtrinxit, vt etiam proprij ſanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, martyrio voluntario ſe ſuppoſuerint, perque eorum ſpiritualia exercitia etiam regna ipſa fidem Chriſti agnouerunt. Quæ, quæſo, poſt Apoſtolos vita per omnia ſimilior Apoſtolis fuit, quàm ſancti Franciſci Xauerij, qui genuina ſancti Ignatij proles fuit, & idea propoſita profeſſis Societatis Ieſu, quem imitati ſunt multi ſanctiſſimi homines eiuſdem Societatis, Apoſtolicus ille vir Gaſpar Barzeus, glorioſiſſimus Martyr, Gonzalus Sylueira, Thaumaturgus ille ſecundus, Ioſephus Anchieta, ſanctiſſimus, & pauperrimus Patriarcha Andreas Ouiedus, & innumeri alij ex eadem familia, vt propterea honorificentiſſimum nomen in tota Luſitania obtinuerint, cùm ob ſimilitudinem vitæ, Apoſtoli communiter vocẽtur Patres noſtræ Societatis, accommodato ſibi hoc glorioſiſſimo nomine. Idcirco & in aliis Regionibus etiam aliqui ſancti viri Societatis Ieſu *Apoſtoli* agnominantur. S. Xauerius Apoſtolus Orientis ab omnibus appellatur. Nicolaus Zambecarus in oratione Conſiſtoriali non dubitauit dicere, *Ad Apoſtolorum gloriam extulit illum Deus.* Item. *Profectò Xauerius nihil minus magnis Apoſtolis affirmari poſſit.* Sic etiam ſanctiſſimi viri, Ioſeph Ancheta velut Apoſtolus Braſiliæ, Andreas Ouiedus Æthiopiæ, Matthæus Riccius Sinarum, Petrus Caniſius Germaniæ prædicantur, vt meritò dixerint Patres Barnabitæ in epiſtola ad Societatem, ex filiis ſancti Ignatij. Nouam Eccleſiam primæ illi Apoſtolicæ æmulam nouos Apoſtolos extitiſſe. Sed & alios viros eiuſdem Societatis veros Apoſtolos dixit eximius Doctor Petrus à Nauarra, vbi de Societate Ieſu
Lib.2. de reſtit.c.3 n.60. loquitur. *Exemplo*, inquit, *Ducis Ieſu, vt multos fratres in gloriam adducant, mortem non dubitant oppetere, & vt veri Apoſtoli pro Euangelij prædicatione, per paſſiones conſummati intelligentes ſe meliorem habere reſurrectionem, & manentem ſubſtantiam. Quorum ſanctiſſimorum hominum egregiam virtutem, & eximiam in omni genere vel ſapientiam, vel pietatem non proſequimur: nam neque id agimus modò, neque oportere exiſtimamus eorum laudem noſtris indignis vocibus efferre, quæ non vno in loco, vario & obſcuro ſermone aliquorum, ſed omnium clariſſima, & vna voce toto orbe perfertur.* Hæc ille. Quæ commemorare modeſtiam religioſam non puduit, vt bonum antiquorum Patrum nomen & egregia agnoſcentes poſteri facta, & conſeruent illud, & imitentur iſta; quod ſpero.

Fructus quidem Societatis Ieſu non minuendos eſſe in Eccleſia, ſed augendos, aliquando
Cap 40. vita ſua. Ribera lib 4. c.5. de vita S Thereſia. ſancta Thereſia à Ieſu prædixit, quæ ſic loquitur de Societate Ieſu, teſte Franciſco Ribera eiuſdem vitæ ſcriptore. *Manens quadam vice in oratio ſe cum magna recollectione, ſuauitate, & quiete videbar eſſe circumdata ab Angelis, & valde vicina Deo cœpi orare ſuam maieſtatem pro Eccleſia. Fuit mihi indicatus magnus profectus quem debebat facere quadam Religio temporibus vltimis, & fortitudo cum qua debebat ſuſtentare fidem.* Porrò Ribera notat hæc ipſa verba tunc Sanctæ Thereſiæ à Chriſto dicta de Societate Ieſu, vti ea vertit Martinus Martinez. Pag 307.
Si verò ipſa ſcires quas hi futuris ſæculis Eccleſiæ laboranti modò ſuppetias ſint laturi, &c. Hanc ſibi ait viſionem etiam ſæpiùs oblatam, etſi verò in illa Thereſiæ vita, quæ typis edita circumfertur, ſuo hæc familia ſingillatim non indicetur nomine, in ipſo tamen authographo, & in omnibus quos videre contigit, calamo exaratis libris illius nomen apertè proditum eſt. Hæc quidem Redemptoris Ieſu verba rurſus repetit; non Cap 40.
tamen declarato Religionis ipſius nomine, quod tamen dici certiſſimum eſt, & ipſiuſmet Thereſiæ ex ore acceptum. Ita Martinus Martinez. Clariſſimè tamen Societatem Ieſu expreſſit alia ſanctiſſima fœmina imitatrix ſanctæ Thereſiæ, cui poſt communionem ita locutus eſt Chriſtus. *O filia, quantum mihi places, cùm communicas. Conſidera nullum aliud leuamentum ex hominibus mihi eſſe niſi iſtud. Idcirco manſi in Euchariſtia, in qua ſunt paradiſi mea. Hic habeo clauſas delicias meas, hìc habeo flores animarum, quæ cum amore me ſuſcipiunt. Deplora pro me obliuionem hominum. Nam cùm manſiſſem in pane, vt me recipiant, vix eſt, qui velit. Quidam recedunt per timorem; alij per amorem rerum terrenarum, & denique omnes excuſantur, & manet irritum beneficium meum propter defectum ſuſcipientium illud, vt vix inueniam, qui me velit admittere. Et ideo illum qui me recipit, habeo hic in corde meo, ne recedat à me. Hei, quia non reperio, qui leuet, & recreet amorem meum. Si aliqui ſunt, ſunt Religioſi Societatis, hi qui liberaliter diſpenſant, & miniſtrant ſacramenta. Hi ſunt, qui feſtum Dei agunt mihi, & recreant amorem cordis mei. At tanta eſt malitia mundi, & virtus adeò eſt humiliata, vt quoniam me delectent, perſequantur illos omnes. Verùm parum hoc refert, quia illos habeo cuſtoditos in diuinitate mea.* Hanc reuelationem manu ſeruæ Dei ſcriptam ipſe legi; habuit illam in quodam Collegio Societatis; nec tamen propterea negatur, quin aliæ Religiones etiam ſummopere placeant Deo, & compenſent exercitiis ſuis obliuionem ſæcularium, & delectent diuinum cor.

Poſſent ad imitationem noſtram narrari hîc ſingularia facta Patrum noſtrorũ, niſi caput hoc produxiſſem; nam innumeri in Societate fuerunt feruentiſſimi viri, qui nec vitæ ſuæ pepercerunt pro animarum ſalute; certè præterire non oportet feruorem P. Franciſci Roderici Luſitani. Vtroque pede impeditus erat, neque erecto corpore conſiſtere valens, & niſi iumento portatus incapax prodeundi extra domum, ad ſuggeſtum hominum brachiis ferebatur. Domi autem vix furculis ligneis (quas nos *muletas* dicimus) moueri poterat. Nihilominus pro charitatis ſuæ feruore mitti ad Indos inſtantèr flagitabat. Et quamuis ab aliis ſuperioribus repulſam paſſus fuit; ſic enim faciendum videbatur: nihilominus, vt rem nouit ſanctus Ignatius, facultatem illi conceſſit proficiſcendi in Indiam. Mirum viſu quanta lætitia hominum humeris ad nauim

depor

deportatus. Ipſe Franciſcus ſuam ſortem miratus, Vellem, inquit, harum ſuncularum, pedumque effigiem in ſempiternum monumentum relinquere in Luſitania, ne quis deſperet aſſequi, quod ego obtinui, vt claudi, cæci, manci ſcirent ſibi fore remedium in hac piſcina, nec ab ea repelli alios, quàm quos propria voluntas ſiogit repulſos. Neque fruſtrà accidit profectio Roderici. concionibus, ſollicitudine, ardore, fructu celebris fuit per omnem Orientem. Iucundum narratu eſt, quod ipſi contigit, cùm adiit Saracenos Moſambici, vt lucem Euangelij illis communicaret: nam cùm in diſputationibus vrgeret Mahumetanos, illi pedum vitium Roderico obiiciebant cum riſu, quibus ipſe tempeſtiuè reſpondit: Videte obſecro vter deformior, ego ne pedibus dumtaxat orbus, an veſter Mahumetes, qui legem vobis tulit ſine pedibus & ſine capite. Deinde quantum charitatis facinus Martyribus æquauit. P. Ioannem Gonzalium videns hominem peccatorem ſine ſenſu, & abſque peccatorum confeſſione animam acturum, obtulit inter celebrandum vitam propriam Domino, pro anima eius miſeri, & id obtinuit: atque peracto ſacrificio certus diuinæ acceptationis rediit ad hominem, inuenit cum vſu mentis, & quod plus, cum deteſtatione ſuorum ſcelerum; audit eius confeſſionem, atque impertita abſolutione, domum Ioannes regreſſus lethali morbo corripitur, breuique inflammatam charitate animam reddidit in ſuauiſſimum holocauſtum Domino. Hæc feruoris exempla ſat ſunt, vt ruborem tepidis iniiciant; nunc de oratione agemus, cuius præſidio feruor & zelus animarum iuuatur.

DOCTRINA VII.

DE ORATIONE. neceſſaria operariis Euangelicis.

Actio zeli Sancti ex oratione debet promanare.

CAPVT LXI.

Pſalm.140. DIRIGATVR *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Vita Apoſtolica, & quam Theologi vocant mixtam, atque noſtra Societas profitetur, non propterea quòd in labore, & ſolicitudine iuuandi proximos in medio nationis prauæ occupetur, otium contemplationis relinquit, ſed vtrumque ſtudium orationis, & actionis complexa perfectiſſimam Chriſti Domini vitam imitatur. *Neque enim* (inquit ſanctus Gregorius) Lib.6.mor. cap.17. *perfectus Prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium operanda negligit, vel propter operationis inſtantiam, contemplanda poſtponit.* Et paulo pòſt. *Hinc eſt, quòd humani generis Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis ſtudium in nocte pernoctat; vt perfectis videlicet Prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore ſpeculationis funditus deſerant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; ſed quieti contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.* Nun ergo ſolùm actio, ſed oratio noſtrum inſtitutum eſt, neque exteriùs ſolùm operatione, ſed interiùs oratione Deum colere debemus. Quemadmodum in templo Salomonis gratiſſimum Deo thymiama ſuper altare aureum intra ſancta ipſa incendebatur. Et extra ſancta ſacrificium agni veſpertinum offerebatur ſuper altare holocauſtorum. Sic nos incenſum orationum intra ſancta puri pectoris Deo offerre debemus, atque exteriori in actione ſacrificia gratiſſima præparare, multos ad agnitionem veritatis, & innocentiam vitæ adducendo, tanquam agnos iam mundos, qui lupi priùs, & monſtra vitiorum erant, offerentes, vt dicere cum Dauid poſſimus. *Dirigatur oratio* Pſalm.140. *ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*; quippe ſi oratio noſtra dirigeretur ſicut incenſum & thymiama in conſpectu Dei, nimirum intra ipſa ſancta oblatum, exterior actio & eleuatio manuum, per quam eleuationem intelligit ſanctus Hilarius perfectionem operum, erit ſicut ſacrificium veſpertinum agni, quod extra ſancta fiebat: nam actio noſtra ab oratione dependet; ſunt quippe opera charitatis ſacrificia externa, & veſpertina, quibus interior cordis incenſio, atque ardor præcedere debet; neque vllus dies nobis eſt prætereundus ſine contemplatione, & actione nullus ſine incenſo, & ſine ſacrificij oblatione, nullus ſine interiori ardentis cordis oratione, & externa ſoliciti laboris operatione; ſed inſtar cœleſtium ſpirituum noſſe Deum, & curare homines noſtra ſit occupatio. Etenim vita noſtra Angelica eſt, Apoſtolica eſt, diuina eſt, quatenus & Angelorum, & Apoſtolorum, & Ieſu filij Dei, vita fuit duo hæc coniungere, contemplari Deum, & hominum animas curare. Hinc Chriſtus Dominus, & Apoſtoli quantumuis occupatiſſimi orationem commendarunt verbis; re autem ipſa, & exemplo excoluerunt. Hoc autem ad commendationem orationis, vt dixit Vmbertus, poſſe ſufficere videtur, quod Saluator ad orandum tantopere monuit: & circa orationem tam diligenter inſtruxit; etiam ipſemet orationi frequenter intentus fuit. Admonitiones ipſius ad orandum multa habemus in Euangelio. *Petite, & dabitur vobis, vigilate in omni tempore, orantes, vigilate, & orate, petite, & accipietis.* Apoſtoli etiam diuinitus educti multum monebant ad orandum. *Orationibus inſtantes, ſine intermiſſione orate. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo. Triſtatur aliquis veſtrûm, oret. Vigilate in orationibus.* Vix eſt aliquod opus, ad quod ita diligenter inſtruxerit Saluator Docuit enim quid orandum, quando, & vbi, & qua neceſſitate, & quo fine. Quid orandum docuit, dicens: *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Item cùm Dominicam orationem, docuit. Quando orandum, cùm dicebat & parabolam ad illos: *Quomodo oportet ſemper orare, & non deficere.* Vbi orandum, cùm dixit, *Cùm oraueris, intra in*

cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito. Qua neceſſitate orandum, eùm monuit, *Orate ne intretis in tentationem.* Quo fine, eùm conſulit, *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ.* Noluit Saluator nos negligenter addiſcere, quod adeò voluit diligenter docere. Verecundum eſt diſcipulis Chriſti ignorare, quod magiſter eorum diligentiſſimè docuit verbo & exemplo; nam ipſe Saluator frequenter orationi intentus fuit. De eius oratione dicitur, *Dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.* Diluculo valde ſurgens, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat. In illis diebus exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. *Factus in agonia, prolixiùs orabat: Pater dimitte illis, &c. Pater ſaluifica me in hac hora.* Apoſtoli etiam ab eo edocti multum inſtiterunt orationi. Erant omnes perſeuerantes in oratione; ipſi dixerunt: *Nos orationi inſtantes erimus.* Legitur de Iacobo Alphæi, quòd ex aſſiduitate orandi contraxerat in genibus ſuis duritiam camelorum. Bartholomęus centies in die, & centies in nocte ante Deum genua flectebat. Verecũdum eſt diſcipulis Chriſti illud opus tardò facere, quod magiſter eorum tantopere frequentauit. Paulus etiam non contentus propriis orationibus, alios pro ſe orare rogabat. *Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* Ipſe in orationibus aliorum multam ſpem habebat, dicens: *Scio, quòd hoc mihi proueniet ad ſalutem per veſtram orationem.*

Ij plus tenentur orare, qui plus exteriùs occupantur pro ſalute animarum.

CAPVT LXII.

TANTO igitur magis tenemur orationi nos tradere, quanto exteriùs cum proximis occupamur; neque enim ab exacto contemplationis excuſamur ſtudio, quòd in medio populorum vitam agamus. Propterea potiùs excedere in ipſa contemplatione contemplatiuos debemus, quatenus ſolidiùs in amore Dei radicati poſſimus, qui mundi procellis patemus, & in alios refundere contemplata teneamur. Hanc contemplationis abundantiam eorum, qui ſoliciti ſunt ſalutis animarum ſupra eos, qui ſimplici contemplationi ſe ſactant, obſeruauit ſanctus Thomas, & ante eum ſanctus Gregorius, ex illa Regij Prophetę ſententia, *Memoriam abundantia ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt.* quod intelligunt de viris perfectis genus vitæ mixtum ſequentibus, qui ex vi contemplationis, qua veluti paſcuntur ſuaui diuinarum rerum memoria, poſtea ex nimia plenitudine eructant aliis contemplata in prædicatione, & doctrina, & quidem copia contemplatiuæ gratiæ per eructandi verbum ſatis ſignificatur; neque enim niſi qui plenus eſt, dicitur eructare.

2.2 q.188. art.6. Pſalm.140.

Sed & per Iſaiam Dominus iis, qui pro animarum ſalute diuerſas orbis peragrant regiones; & propterea vocantur filij aduenæ, donum orationis, ac contemplationis pollicetur. *Et filios aduenæ,* inquit, *qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos, omnem cuſtodientem ſabbatum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum. Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ; holocauſta eorum, & victimæ eorum placebant mihi ſuper altari meo, quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Idem Iſaias de Apoſtolicis viris miratus eorum contemplationem, dixit. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas;* quoniam alis, vt inquit ſanctus Ambroſius, gratiæ ſpiritualis acceptis ferantur ad cœleſtia ſublimi contemplationis volatu. In Apocalypſi quoque eos quos propoſuit nobis Ioannes cum phialis aureis plenis odoramentorum, quæ dixit eſſe orationes Sanctorum, propoſuit pariter cum cithatis in manibus, quæ heroicas denotarent actiones, & ſignificant tam pretioſas orationes eorum eſſe, qui actiones pariter excellentes haberent, nimirum homines vitæ mixtæ aſſeclas Apoſtolorum, qui actione, & ſimul oratione præſtarent. *Cithara* namque, inquit Richardus, *quæ pulſibus manuum ſuauiter ſonant, aptè opera bona figurant, quæ ſuis effectibus, quaſi quibuſdam ſonis proximos ad cœleſtem patriam excitant, & inuitant. Phialæ, quæ ſunt latæ, & lucidæ, Sanctorum corda ſignificant, per ſapientiam lucida, per charitatem dilatata. Quæ non inconuenienter propter ſplendorem contemplationis dicuntur aureæ, & propter redundantiam deuotarum orationum odoramentorum plenæ. Odoramenta enim orationes, quia quemadmodum odoramẽta ſurſum aſcendunt, ita orationes ad præſentiam diuinitatis pertingunt. Sic ergo perfecti citharas habent, quia Deo ſua opera aſcribunt, & phialas, quia orationes offerunt.*

Iſai 56. Iſai 60. Apoc.5. In Apoc.

Ratio autem, cùr viri occupati in ſalute proximorum gratia contemplationis excellant, ſicut ſanctus Paulus, S. Ioannes Euangeliſta, ſanctus Dionyſius, & recentibus temporibus ſanctus Ignatius, & ſancta Thereſia, eſt, quoniam Deus largiſſimè locupletat illos ſua gratia, quos ſcit acceptis donis pro aliorum bono vſuros. Sicut prudens paterfamilias plura tradit adminiſtranda illi ſeruo, quem nouit traditis vſurum ad vtilitatem ſuam, eamque nutricem delicatiùs ali prouidet, cui chariſſimum filium lactandum dedit. Altera ratio eſt, quoniam viri Apoſtolici, non ſolùm affectu, ſed effectu, & opere diligunt proximum: hoc iuuat maximè illuſtrationem mentis, & ſapientiam præſtat diuinam, ſicut ſanctus Gregorius conſiderauit in iis diſcipulis, qui caſtellum Emaus adibant. *Deum,* inquit, *quem in Scriptura ſacra expoſitione non cognouerunt, in panis fractione cognoſcunt; audiendo ergo præcepta Dei, illuminati non ſunt, faciendo illuminati ſunt, quia ſcriptum eſt: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*

Hom 23. in Euang.

Qui ergo vult audita intelligere, feſtinet ea,
quæ iam audire potuit, opere implere.
Ecce Dominus non eſt cognitus,
dum loqueretur, & dignatus
eſt cognoſci, dum
paſcitur.

Cur

Digitized by Google

Cur maius orationis ſtudium neceſſarium ſit ijs, qui in ſalute animarum occupantur.

Caput LXIII.

NVnc aliquot diſpiciamus cauſas ex ſanctis Patribus, cur maior contemplationis gratia, & orationis ſtudium neceſſarium ſit iis, qui in actione ſalutari adiuuandi proximos occupantur. Beati Proſperi prima ratio eſt, vt alios ſcilicet incendere poſſint; ſic ait. *Hoc ſpecialiter Doctor Eccleſiaſticus elaboret, quò fiant, qui audiunt cum ſuis diſputationibus meliores, non vana aſſentatione fautores; lachrymas quas vult à ſuis auditoribus fundi, ipſe primitus fundat, & ſic eos compunctione ſui cordis accendat.*

Lib. 1. de vita contempl. cap. 23.

Secunda ratio eſt ſancti Gregorij, vt docibilis Deo ſe præbeat, qui aliorum Doctor eſt futurus; explicans illa verba, *Et circuibat Bethel, & Galgal, & Maſphath, & iudicabat Iſraelem in ſupradictis locis*, ſic inquit: *Quidquid Doctor ſubditis proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, vt doctrina ſacri eloquij, aut ex reuelatione interna contemplationis. Quibus profectò verbis oſtenditur, non tantum qua Doctor perfectus agat, ſed etiam quia perfectus non ſit, ſi agere hæc non poſſit. Nam ſi ſolum bonorum exempla nouerit, aut ſi ſacra Scriptura etiam quis eruditus ſit, & contemplationis reuelatione caruerit, in ordine prædicationis vir perfectus non erit.* Et paulo pòſt. *Bene ergo dicitur, & iudicabat Iſraelem in prædictis locis: nam non ſolum in Bethel & Galgal, ſed etiam in Maſphath, [e]t qui ad perfectionem prædicationis innititur, dum per humilitatem exempla maiorum ſequitur, dum per ſtudium ſacri eloquij eruditione fulcitur, curet omnino neceſſe eſt, vt puritate mentis, ea quæ diſponenda ſunt, contemplando cognoſcat, Dei namque debet eſſe docibilis, qui ſuſcepto Prædicationis officio docere homines cupit.*

[L]ib. 3. exp. [in] 1. Reg. cap. 7

Tertiam quoque rationem ex eodem ſancto Doctore poſſumus accipere, ne ſcilicet profectus, & perfectio eorum deficiat, qui alios perfecturi ſunt; quare vt ſe reparent, & calorem charitatis confoueant, orationis indigent forna[c]e, ad feruorem ſemper ſe reſtituentes. Vnde ſanctus Gregorius dixit. *Sine enim in virtutibus, ſiue in doctrina, quid aliud ſunt ſancti viri, quam flumina, quæ terram cordis carnalium aridam rigant? Sed ſiue in operatione, quam faciunt, ſeu in doctrina verbis citiùs ſiccarentur, niſi per intentionem cordis ſemper ſolicitè ad locum, de quo exeunt, redirent. Si enim introrſus ad cor non redeant, ac ſe ſe in amore conditoris, deſideriorum vinculis non aſtringant, & manus ab eo, quod agebat, deficit; lingua ab eo quod loquebatur areſcit: ſed intus ſemper per amorem redeunt, & hoc quod in publico operantes, atque loquentes fundunt, in ſecreto ſuo de fonte amoris hauriunt; amando enim diſcunt, quod loquendo proferunt. Ad locum ergo de quo exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant, quia aquam ſapientiæ inde ſemper hauriunt, vnde oritur, ne cùm cucurrerit, exſiccetur.* Hinc eſt, cur vectes quibus portabatur arca, & deſignabantur Prædicatores, iuſſit Deus fieri de lignis Setim, vt Petrus Cellenſis obſeruauit, dicens. *Quare namque de lignis Setim fiunt vectes, niſi vt Doctorum vita ſit imputribilis, per caſtitatem; fama ſuauis, per ſanctam conuerſationem; habitus humilis, per propriam ſui abiectionem; lingua modeſta, per grauitatem; mens docta, per aſſiduam Scripturarum meditationem? Qui enim vectes, ideſt, Prædicatores, de lignis Setim, ideſt, caſti & humiles arcam fœderis portare debent? Qualis namque paterfamilias, tales & domeſtici eius. Vt enim ſermones cognati ſunt his rebus de quibus loquimur; ſic mores concordare debent ſermonibus, quibus loquimur. Sit tua electa conuerſatio, vt ſit recta prædicatio, immò ſtudioſius ſatage bene viuere, quam facundè loqui. Auro quoque operiendi ſunt vectes, vt ſapientiam loquatur inter perfectos, vt bono exemplo reluceant inter improbos, vt conuerſationem ſuam inter gentes habeant bonam.*

[Ho]m. 5. in Ezech.

Quarta cauſa eſt, vt laborem actionis hilariùs ferant ſuaui contemplationis vſu. Sanctus Bernardus. *Prædicatores* (ait) *ſumpto contemplationis, & orationis guſtu, tanto valentius ad animarum lucra conquirenda egrediuntur.* In Cant.

Quinta ratio eſt ſublimis Doctoris Auguſtini, videlicet, vt in oratione impetrent Apoſtolici viri actionis ſuæ fructum. *Agat* (inquit Auguſtinus) *noſter iſte eloquens, cùm & iuſta, & ſancta, & bona dicit (neque alia debet dicere;) agat ergo quantum poteſt, cum iſta dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hæc ſe poſſe, ſi potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum, quàm oratorum facultate non dubitet, vt orando pro ſe, ac pro illis, quos eſt allocuturus, ſit orator, antequam doctor. Ipſa hora iam vt dicat accedens, priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam ſitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat.* Sanctæ Catherinæ Senenſi ſolitæ Deum orare pro iis qui in peccato mortali erant, dixit Dominus, *Rogo te, vt pro his me roges.*

Lib. 4. de doctr. Chriſtiana c. 15.

Sexta eſt ratio, vt pro dignitate exerceatur prædicationis munus, vt diuina potius, quàm humana, ſeria, non futilia dicantur, quod Abulenſis admonuit, dicens, ieiunium Chriſti neceſſarium fuiſſe ad inſtructionem Prædicatorum; voluit enim Chriſtus ex operibus ſuis oſtendere quid in Prædicatore præcedere debet, antequam prædicet, vt dignè prædicare poſſit; ſecundùm illud, *Cœpit Ieſus facere, & docere*, id eſt, priùs facere ea, quæ habet facere bonus Prædicator, & poſtea prędicare ea, quæ debet dicere verus Doctor. Appoſitè pro grauitate ſermonis & digno verbi Dei vſu, conſiderauit Petrus Cellenſis, cur vectes ligneos inducendos per arcæ circulos, vt portaretur in eis, iuſſit Deus auro tegi. *Auro* (inquit) *operiendi, quia arca circumtecta eſt ex omni parte, auro. Inconſonum quidem eſt, ſi auro Dei lignum tuum inferas nudum; ſenſu humano profunda myſteriorum diſcutiens, & claue lignea venerabilium theſaurorum oſtium aureum reſoluens. Certè res Dei, ſermonibus diuinis explicandæ ſunt: & non eſt nemus Ariſtotelicum plantandum iuxta altare, vt fidei ſacramenta obumbremus infinitis, & ſuperfluis inquiſitionibus, quæ non ſunt vtiles, niſi ad ſubuerſionem audientium. Inducendi ſunt per circulos, qui ſunt in arcæ lateribus, ne (ſicut dictum eſt) calamus lingua philoſophicis intingatur atramentis, ſed tantùm Euange-*

Super Matth. 4 q. 10.

Act. 1.

Lib. 1. expoſ. Tabernac.

Euangelicis. Non dogmatizet in Eccleſia Prædicator, ſecundum errores hæreticorum, vel ſecundum ſeductiones Philoſophorum, quorum aquæ furtiuæ dulces ſunt, & panis abſconditus ſuauior. In Euangelio ſenſu vtatur euangelico, non circulos extorquens, & extrahens de lateribus arcæ, ſed vectes inducens per circulos, qui ſunt in lateribus arcæ, vt non ad ſenſum ſuum inclinet Dei verbum, ſed ad Euangelium inflectat, & ſermonem, & ſenſum, vt portetur in eis. Glorificate (ait Apoſtolus) *& portate Deum in corpore veſtro: porta arcam, vt obedias Euangelio; porta arcam vt annunties Regnum Dei.* Idem in altero libro ait. *Scriptura quaſi matrona quædam grauis, & grandæua, licèt ſtibio, purpura & ſerico recuſet ornare genas ſuas rubentes ſatis naturali vigore, & decore; tamen illis Philoſophorum ſtudijs, & doctrinis quæ tantummodo in facie verborum gloriantur, nequaquam inferior inuenitur. Senſu namque maieſtas eius venuſtior, numeroſa ſententiarum compactio validior, intellectus vtilior, fructus vberior, lectio modeſtior. Hæc tam habitum, quàm vitium meretricum reſpuit, vt amplius placeat nucleus ſub cortice, quàm mendax fucus in vertice. Inaurata itaque, quia & facie pulchra, & ſenſu eſt bona.* Et ſubdit. *Quanto enim ſenſu altiora ſunt diuina eloquia, tanto voce modeſtiora & prolatione ſuppreſſa. Agni enim ſunt voces qui clamauit, neque audita eſt vox eius in plateis. Quidquid ergo eloquium ſonat diuinum, & vnum eſt fidei vnitate, & aureum ſenſus profunditate. Vnum ne dilanietur errore ſchiſmatico; aureum ne vileſcat ſermone nudo, & ruſtico.*

Lib. 2. [margin note beside "ait. Scriptura quaſi matrona"]

Commendatur omnibus orationis ſtudium.

CAPVT LXIV.

HÆc ſunt quæ dulce nobis imponunt orationis onus præter eas cauſas, quæ aliis Religioſis communes ſunt, quas breui commemorare iuuabit, vt noſtri inſtituti ſpecialis neceſſitas communi obligationi annexa, magis nos ſtimulet & vegeat huic nos ſtudio tradere, eas Vmbertus ſic collegit. *Licèt omnes frequenter debeant orationi intendere, tamen Religioſi amplius, iuxta illud quod legitur. Cornelius vir religioſus deprecans Deum. Semper habent Religioſi, & magnam orandi neceſſitatem, & magnam opportunitatem. Magnam neceſſitatem, quia vehementiùs tentantur, ideo vigilare, & orare debent, ne per conſenſum intrent in tentationem. Item maiora bona habent, ideo largitorem debent rogare pro eorum cuſtodia. Citò enim amitterentur, niſi ab eo cuſtodirentur. Item arduum eſt valde, quod habent facere, ſcilicet ſemitam tenere, & vſque ad mortem in ea perſeuerare. Difficilius eſt tenere ſemitam, quàm viam publicam. Vnde viro religioſo multum eſt neceſſarium Dei adiutorium, & frequenter in oratione implorandum. frequenter debet dicere illud Pſalmi: Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Præterea Religioſus, qui non habet proprium, corporales eleemoſynas non poteſt facere, ſicut diues. Ideo ſicut diues, qui non poteſt multum orare, eleemoſynis hoc recompenſat: ſic Religioſus defectus eleemoſynarum corporalium orationibus debet recompenſare, vt ſic impleat illud, omni petenti retribue. Item de eleemoſynis viuunt Religioſi, & orationes eorum multum petuntur, & in ſuffragijs eorum magna fiducia habetur; ideo oportet eos multum orare, ne ab eis homines decipiantur. Item habent magnam opportunitatem orandi, quia à negotijs ſæcularibus magis ſunt expediti, & propter loci congruitatem, & propter ſanctam ſocietatem.*

Lib. 6. erud. Relig p 4. cap 9. [margin note beside "dere, eas Vmbertus ſic collegit"]

Ex aliquibus Patribus commendatur oratio.

CAPVT LXV.

ACCEDERE poſſunt communis orationis neceſſitas, vtilitas, laudes, quibus prædicatur à Patribus. Sanctus Auguſtinus ait. *Oratio eſt animæ ſanctæ præſidium, Angelo bono ſolatium, diabolo ſupplicium, gratum Deo obſequium, & pœnitentia, ac Religionis laus tota, perfecta gloria, ſpes certa, ſanitas incorrupta.* Sancti Gregorij Niſſeni verba ſunt: *Oratio corporum robur eſt, abundantia domus, recta legum ac iuris in ciuitate conſtitutio, Regni vires, belli trophæum, pacis ſecuritas, diſſidentium conciliatio, coniunctorum conſeruatio. Oratio virginitatis ſigillum eſt, matrimonij fides, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium ſalus, eiuſdem cum Angelis honoris conditio, præſentium fructus, futurorum repræſentatio.* Sanctus Chryſoſtomus inquit. *Magna arma ſunt preces, magna ſecuritas, magnus theſaurus, magnus portus, refugij locus. Oratio enim colloquium eſt cum Deo. Quod vt ſcias, audi Prophetam dicentem: Iucundum ſit Deo eloquium meum; hoc eſt, ſermo meus appareat Deo.* Et alio in loco. *Quis non obſtupeſcat, & admiretur, tantam beneuolentiam erga nos Dei, vt mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraque vota apud ipſum deponamus? Nam verè profectò cum Deo confabulamur quoties vacamus deprecationi, per quam ſimul & Angelis copulamur, & ſocietatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videremur. Angelorum enim opus eſt deprecatio, ſuperans interim etiam illorum dignitatem, ſi tamen maius eſt Angelorum dignitate, colloquium miſcere cum Deo. Atqui quòd id ſublimius ſit, ipſi nos docent, multo quidem cum tremore vota ſua offerentes.* Et poſtea. *Cùm fiteamur deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim ac radicem vitæ frugiferæ, non eſt quòd quiſquam verbis illis Domini: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, abutatur ad excuſationem ſuæ ſocordiæ. Neque enim ſola temperantia poteſt hominis ſalutem adferre, ſi cætera deſint bona, neque cura pauperum, neque benignitas, neque quicquam aliorum, quæ cum virtute geruntur, ſed oportet vt omnia ſimul concurrant in animas noſtras. Cæterùm precatio, ſeu radix, & baſis omnibus cæteris ſubſternitur.* Hinc in omnibus religioſis cœtibus ſeuerè pro oratione cautum ſic præſcripſit ſanctus Baſilius in animaduerſionibus Regulatium: *Si quis integra corporis valetudine orationes facere*

Ad Prob. [margin note beside "Sanctus Auguſtinus ait"]

Lib. de orac. [margin note beside "Sancti Gregorij Niſſeni"]

Hom. 30. in Gen. [margin note beside "Sanctus Chryſoſtomus inquit"]

Lib. 1. de orando Deũ. [margin note beside "Et alio in loco"]

cere

Digitized by Google

cere neglexerit, excuſans excuſationes in peccatis; hic à reliquorum ſocietate ſegregator, aut hebdomadam vnam ieiunato.

Eximium documentum vt orationi nos tradamus.

Capvt LXVI.

Itaqve & tanti boni titulo & communi religioſi ſtatus obligatione, ſpecialiori tamen, & ſtrictiori noſtræ Religionis, etſi in multis exterioribus occupationibus multum interiori orationis quieti vacare debemus, quantumqne poſſimus ſurripere nos inutilibus rebus, vt Deo nos tradamus, curam ſemper habentes interni noſtri cordis cultus, eoque magis, quanto ſcilicet maiori periculo diſtrahendi nos patemus, nobis competit ad id conari, quod ſalutariter conſulit Dionyſius Richelius, his verbis: *Si optabilem cunctis vitæ ſpiritualis perfectionem habere deſideras, ſi viriliter ipſam aggredi affectas, debes te ipſum abſtrahere à societatibus, & familiaritatibus nocinis, & ab omnibus hominibus propoſitum tuum impedientibus, & breuiter à cunctis mortalibus quantum poſſibile eſt ex voto tuæ profeſſionis, ſalua ſemper obedientia humili, & prompta ſuperiorum, ſemper captans opportunitatem vbi & quando locum poſſis reperire quietis, & contemplationis carpere ſecreta ſilentia, præſentiſque ſæculi vitare naufragia, & perturbationes mundi fugere perſtrepentis. Omni tempore puritati cordis debes principaliter ſtudere, vt videlicet continuè velut clauſis carnalibus ſenſibus in temetipſum conuertaris, & cordis oſtia à formis ſenſibilium, & imaginationibus terrenorum, quantum poſſibile eſt, habeas diligenter obſerata. Puritas namque cordis inter omnia exercitia ſpiritualia quodammodo tanquam quædam finalis intentio, ac laborum omnium retributio (quam in hac vita miles Chriſti emeritus recipere conſueuit) ſibi vendicat principatum. Affectum tuum cum omni diligentia abſoluas ab his omnibus quæ libertatem ipſius impedire poſſent, & ab omni re poſſibilitatem habente alligandi, & tenendi ipſum affectum ad inhærendum, iuxta illud: Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, nulluſque egrediatur oſtium domus ſuæ die Sabbathi, & ſabbatizabit populus. In ſemetipſo namque eſſe, eſt diſperſiones cordis ſui, & affectiones ad vnum verum, & ſimpliciſſimum bonum recolligere, & collectas ſeruare. Sabbathizare verò, eſt ab omni affectione carnali animam inficiente, & à curis mundanis ipſam detrahentibus abſolutum eſſe, & in pace cordis ſui tanquam in portu ſilentij, in amore, & fruitione conditoris ſuauiter quieſcere. Super omnia autem alia hic tibi ſit principalis ſemper conatus, vt animum tuum iugiter ſurſum in contemplatione diuinorum eleuatum habeas, vt diuinis rebus ac Deo mens ſemper inhæreat, & derelicta fragilitate terrena ad ſuperna iugiter transferatur. Quidquid autem ab his diuerſum eſt, quamuis magnum videatur, ſicut corporis caſtigatio, ieiunium, vel vigilia, & ſimilia virtutum exercitia, quaſi quædam adiumenta ſecundaria, & inferiora iudicanda ſunt, & tantum*

Lib. de iord. orl. art. 29.

Io. Euſeb. Nieremb. doctr. Aſcet.

expedientia, quantum ad cordis proficiunt puritatem.

Oratio comparatur aromatibus.

Capvt LXVII.

Cæterum dignitas & præſtantia orationis ex ſe merebatur omne noſtri cordis ſtudium. Nam ſi arcanas diuinæ Scripturæ ſignificationes ſcrutemur, ſub fragrantia ſuauiſſimi odoris repræſentant orationis gratiam, & hæc in phialis aureis, atque in altari aureo, vt eius commendetur pretium. In Apocalypſi Beati Ioannis dicitur, *Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Tria hîc reperimus, quæ maximè commendabunt orationis ſtudium. Primum, eſſe odoramentum. Secundum, in auro offerri. Tertium, per digniſſimos miniſtros Beatos illos ciues: quæ ſingillatim conſiderare operæ pretium erit. In primis magna quidem orationis commendatio, eſſe Deo, & cœleſti ciuitati gratiſſimum thymiama, & inſtar ſuauiſſimi aromatis totum cœlum ſuauitatis ſuæ fragrantia replens. Vnde meritò dixit Vmbertus, *Valde grata eſt oratio deuota cœleſti curiæ, quam quaſi quadam redolentia delectat.* David quoque ait: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* nimirum ſicut thymiama pretioſiſſimum. Eadem ratione ſponſa ait: *Vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris.* Sponſus ſimiliter dixit: *Meſſui myrrham cum aromatibus meis*, mortificationem nimirum cum oratione, quæ inſeparabiliter ſociari debent, ſicut in adolendo thymiamate contingebat, ſiquidem eodem tempore adolebatur thymiama, quo iuge ſacrificium offerebatur; quoniam ſine mortificatione repræſentata in agni immolatione, non debet eſſe oratio ſignificata in aduſtione thymiamatis. Neque hic ſuauiſſimus orationis odor poteſt inutilis animæ eſſe; multas nobis à Deo benedictiones comparat Iſaac, vt ſenſit fragrantiam veſtimentorum Iacob benedixit illi, dicens. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & ſeruiant tibi populi, & adorent te Tribus. Eſto dominus fratrum tuorum.* Sic Deus cùm ardentis orationis fragrantiam ſentit, benedicit animæ deuotæ, impletque rore gratiarum, & bonorum corporalium pinguedine, quatenus ſpiritum iuuare poſſint, dominamque illam conſtituit corporis fratris ſui maioris natu, vt caro ſubdita rationi in omnibus virtutibus fœlici procedat curſu.

Apocal. 5.

Lib. 6. p. 4. c. 3.

Pſal. 102.

Cant. 4.

Cant. 5.

Geneſ. 27.

Valor orationis auro comparatur.

CAPVT LXVIII.

OSTENDITVR quoque orationis valor, cùm non niſi in auro miniſtretur, & offeratur Domino; etenim phialæ fuerunt aureæ, quæ odoramentorum orationum plenæ erant, & altare quoque aureum fuit, & de lignis ſetim, in quo incenſum, ſeu thymiama cremabatur, vt doceremur non minus præſtare pretium orationis feruidæ, & charitate plenæ, quàm aurum excellit reliquis metallis, & rebus materialibus. Quare ſicut omnia ſæcularium vota, omnes cogitationes, omnes labores, totum denique animum, totam vitam cupiditas auri occupat: ſic etiam religioſorum, & ſpiritualium virorum vota omnia, affectus, cogitationes, conatus, mens, vita orationem ſpirare, inhiareque deberent. Oratio ſit noſtra auaritia, noſtra concupiſcentia; pro oratione ſint noſtri conatus; circa orationem ſit noſter affectus; de oratione ſit noſtra cogitatio, cum oratione ſit noſtra operatio. Pudeat nos minoris facere pretioſitatem orationis cœleſtem, quàm mundani viliſſimum valorem auri. Cur illi tanti faciunt hoc metallum, niſi quia per illud omnia bona terræ poſſidere poſſunt. Eadem ratio eſt orationis magni faciendæ, quoniam per illam omnia bona cœli comparare poſſumus, omnes virtutes, omnia dona ſancti Spiritus, omnia chariſmata, omnia Dei beneficia, imò omnia bona terræ melius orando, quàm auro ipſo obtinentur. Quare eamdem habet oratio rationem æſtimationis, ac aurum, cùm multo fœliciùs, & certiùs, & ſecuriùs præſtet nobis commoda huius vitæ ſine ſuis periculis, vt vel hoc pacto noſtra auaritia intercepta conuincatur; & inſuper præſtat oratio bona omnia ſpiritualia, & cœleſtia, quæ vt ſignificaret ſanctus Laurentius Iuſtinianus, non ceſſat mul-
De diſcipl. monaſt. c.18. tis eam elogiis commendare. *Oratio* (inquit) *eſt beatiſſima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, internuntrix mundi, ſalus hominum, charitatis mater, caſtitatis robur, iuſtitiæ regula, prudentiæ ſpeculum, ſanctitatis decus, ſcientiæ lumen, ſapientiæ cellarium, domeſtica Dei, fiducia animæ, medicamentum puſillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mœſtorum conſolatio, impugnatorum impenetrabile ſcutum, ſecretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clauis, honeſtatis prauia, obedientiæ plenitudo, ſecuritatis fons, Angelorum imitatrix, iuſtorum exultatio, temperantiæ magiſtra, pacis pelagus, dæmonum fugatrix, quieſcentium refugium, conſcientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, amoris incentiuum, porta cœli, petitionum nuntia, auxiliatrix ſtrenua, mediatrix præcipua, & cœleſtium ſacramentorum reſeratrix optima. In ea nil ſordidum, nil curuum, nihil reperitur coinquinatum, & cùm tota ſit pulchra, & omnium donorum fœcunda, ſemper hilarem, ſemper iucundumſui exhibet dilectorem.*

Altare aureum eſt ſtudioſus orationis.

CAPVT LXIX.

Exod. 30. QVOD ſi attentiùs conſideremus altare ipſum thymiamatis, quale fieri Dominus iuſſerit, non leuiter demonſtrabit, quam maximi apud eum fiat id cuius vmbra tantùm apparatum poſtulauerit. *Facies quoque*, inquit, *altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, ideſt, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipſo procedent: veſtieſque illud auro puriſſimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum & cornua: facieſque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & inaurabis, poneſque altare contra velum, quod ante arcam pendet teſtimonij coram Propitiatorio quo tegitur teſtimonium, vbi loquar tibi, & adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuaue fragrans manè.* In tot partium, & figurarum ſignificationibus perfectio eorum deſcribitur, qui orationis ſtudioſi ſunt, ſiue quia tales viros oratio requirat, ſiue quia tales efficiat vſus orationis. Magnum huius exercitij encomium eſt, cùm tam eximia perfectione oratio digna ſit, aut dignos faciat. Quanta autem hæc perfectio ſit, inſinuauit Venerabilis Beda. *Altare hoc* (inquit) *ſignificat perfectorum vitam, qui quaſi in vicinia oraculi ſunt poſiti, quia deſertis infimis delectationibus, de ſolo Regni cœleſtis ingreſſu curam omnem impendunt. Vnde bene in hoc altari non carnes animalium, ſed ſola incendebantur thymiamata, quia tales non adhuc peccata carnis, & illecebras cogitationum in ſe mactare opus habent, ſed tantùm ferè orationum ſpiritualium, & cœleſtium deſideriorum odoramenta per ignem interni amoris in conſpectu ſui conditoris offerunt.* Huiuſmodi perfectiſſimos viros reddit oratio, vt altare dignum fiant in conſpectu Dei. Ligna ſetim ſignificant pulchritudinem virtutum imputribilem, ne vitio aliquo corrumpantur, erat etiam quadratum ob firmitudinem & conſtantiam, vt nihil vitium orationis ſeparare valeat à charitate Chriſti. Deauratum totum erat ob fulgorem charitatis; æquè longum, & latum cubitu vno ob æquanimitatem, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis. Duos cubitos ſurrigebatur in altum ob amorem Dei, & proximi. Et quia tum mente, tum corpore effertur in cœleſtia,
ſicut Dauid cùm dixit. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Pſalm. 83.
Quatuor cornua ex altari procedentia, ſunt quatuor virtutes aliarum omnium matrices, ex ipſo cordis ſinu cum vſu orandi emanantes. Craticula eſt cor huiuſmodi viri perfecti, in quo aromata orationum, & ſanctorum deſideriorum Deo incenduntur. In quibus ſi quid ſit cineris terreni, decidit vt purior reddatur oratio, purior laus Dei, puriora deſideria. Corona aurea quid aptius poterit ſignificare, niſi eximiam tot meritis coronam in cœlo præparatam. Annuli aurei, & vectes quibus portabatur, altare eſt obedientiæ promptitudo, donaque ſancti Spiritus, quibus facilè mouetur

uctur talis vir ad heroica virtutum opera, quæ ſupra humanam virtutem ſunt.

Angeli & Chriſtus repræſentant Deo Patri noſtras orationes.

Capvt LXX.

Neqve ſolùm oratio tanquam gratiſſimum Deo odoramentum in pretioſiſſimo vaſe, & altari miniſtratur, ſed per magnos miniſtros; cùm enim cœleſtes ſpiritus perſpectam habeant Dei voluntatem, quantum miſericordi, & omnipotenti Domino placeant orationes miſerorum, ipſi ſe nobis orantibus intromittunt, eaſque in cœlum efferentes, offerunt Regi ſæculorum, vt quoquo modo participes fiant eius rei quam Domino, & Imperatori ſuo, ſciunt gratiſſimam eſſe; & ſiquidem authores orationum noſtrarum non ſint, lætantur vel ſolùm eſſe fautores, gaudentque miniſtri eſſe eius donarij, quod nos damus: atque cùm non emittant ſuſpiria, nec lachrymas, ſolantur ſe quòd videant, quòd deferant, & per manus ſuas præſententur in cœlis. Quamuis enim beatæ illæ mentes iugiter Deum contemplantur, & æternè cum diuina maieſtate loquantur; ſic tamen auidæ ſunt orationum, vt non contenti ſua contemplatione, & viſione Dei clara, atque ardentiſſimo amore, noſtras etiam quærunt orationes, noſtras preces, noſtros affectus, vt vel hoc poſſint obſequio conſortes eorum ſe facere propter incredibilem voluptatem, quam noſcunt
1 Paral. 28. 18. creatorem omnium ex iis habere. Hinc Salomon duos Cherubin addidit in altari thymiamatis, qui altare velarent. Hinc cœleſtia illa animalia apud ſanctum Ioannem, aliique cœleſtes ciues habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, offerentes
Apoc. 8. nimirum eas Domino. Rurſus dicitur, *Alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Vnde Vrbanus IV. dixit. *Hæc eſt ara templi ſancti tui, quod ſum ego, iuxta quam ſtat Angelus ad cuſtodiam deputatus, habens thuribulum aureum in manu ſua, vt cum incenſo multo orationes coram te Domine fuſas cum lachrymis repræſentet.* Angelus Raphaël id ſe feciſſe cum ſancto Tobia fatetur, dicens illi;
Tob. 12. 12. *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.*
Act. 10. Cornelius quoque cùm deprecabatur, videbat Angelum Dei introëuntem ad ſe, & dicentem ſibi: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam, in conſpectu Dei.* Ideo ſanctus
Ser. de Virg. Ephrem dicit, *Deſideria orationem familiare cum Deo colloquium. Omnis enim oratio ſancta & pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfectè Deum deſiderantium, magna cum lætitia, fiduciáque multa ipſum etiam cœlum iugiter penetrat. In ipſa Angeli, atque Archangeli exultant, & coram throno ſancti, & excelſi vniuerſorum Domini illam ſtatuunt.* Et ſanctus Bernardus. *Attendite Principes veſtros, cùm ſtatis ad* In Cant. Ser. 8.
orandum, vel pſallendum, & ſtate eum reuerentia, & diſciplina, & gloriamini, quia Angeli veſtri quotidie vident faciem Patris. Nimirum miſſi in miniſterium propter nos, qui hæreditatem capimus ſalutis, deuotionem noſtram in ſuperna ferunt, referunt gratiam, vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium, vt in ore infantium, & lactentium perficiatur laus. Quid excellentius hoc orationis affabili epulo, in quo Angeli ſunt miniſtri, Deus conuiua, & nos commenſales.

Maiorem autem dignitatem orationis ſubnotauit Dauid per incenſi, ſeu ſuauiſſimi thymiamatis oblationem, quoniam Pontifex illud offerebat; noſtras namque orationes tanquam redolens thymiama non dedignatur Chriſtus Ieſus Sacerdos in æternum Patri ſuo præſentare; hoc quidē maius eſt, quàm per Angelos offerri. Hinc colligere poſſumus, quales orationes debeamus fundere, quæ dignæ ſint per manus filij Dei ad Patrem venire; ne quid ſordidum, non imperfectum, neque frigidum habeant indignum diuinis manibus, & oculis. Quid ſi Chriſtus tanti facit noſtras orationes, vt non dedignetur eas repræſentare Patri, nos cur orandi ſtudium non magnifaciemus? Optimè ſanctus Bernardus dixit. *Nemo veſtrûm parui pendat orationem ſuam; dico enim vobis, quia is, quem oramus, non parui pendit eam: prius quàm egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe eam ſcribi iubet in libro ſuo: & vnum è duobus indubitanter ſperare poſſumus, quia aut dabit, quod petimus, aut quod nobis nouit vtilius.*

DOCTRINA VIII.

DE ORATIONE.

Thymiamati comparatur oratio.

Capvt LXXI.

Oſtendit quoque excellentiam orationis, quod de eius typo incenſo, ſeu thymiamate dixit Dominus ad Moyſem. *Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* Quibus aliis verbis commendare poterat ſanctiſſimum orandi exercitium, cùm non alio nomine vmbram orationis appellaret, quàm eo titulo, quo ipſe Deus grandius vocatur, & dignius maieſtate, atque infinitate ſua, qui Sanctus Sanctorum ſupremo concelebratur elogio. Iuſſit quoque confici thymiama ex quatuor aromatibus pretioſis, & diligenter fieri, & purum, & ſanctificatione digniſſimum. Denique ait, *talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* Hîc meritò reprehenduntur illi, qui pro rebus ſolùm temporalibus orant, preceſque quas pro æterna ſalute, pro cœleſtibus bonis, pro Dei gloria fundere debēt, impendunt fruſtrà pro iis quibus potiùs læduntur. Neque Dauid ſignifi- Exod 30.

Digitized by Google

cauit ſolùm præſtantiam orationis, per incenſi, ſeu thymiamatis oblationem. Sed eius qualitates etiam, ſicut ſeruus Dei deuotus Card. Robertus Bellarminus contemplatur. Qualitates enim bonæ orationis declarantur ſimilitudine thymiamatis, quod offerebatur in templo ex præcepto Dei

Exod. 30. manè, & veſperi. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea ſicut incenſum, ideſt, hoc primum peto, vt per gratiam tuam oratio mea dirigatur ad te ad modum thymiamatis. Porrò thymiama habebat qualitates iſtas. Primò cõſtabat ex quatuor generibus aromatum, thure, galbano, onyche, ſtacte, vt ſanctus Hilarius monet; hinc efficiebatur odor ſuauiſſimus. Secundò, offerebatur in templi parte nobiliſſima & interiore, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, vbi erant tabulæ teſtamenti, & altare aureum. Tertiò offerebatur per ſummum Sacerdotem. Quartò, ponebatur ſuper ignem, & inde excitabatur fumus rectà ſurſum aſcendens. Quatuor aromata ſunt quatuor virtutes, fides, fiducia, charitas, & humilitas. Ex his componitur oratio Deo gratiſſima. Templum Dei eſt homo. Vos eſtis (inquit Apoſto-*

1. Cor 6. *lus) templum Dei; ſed pars interior eſt anima, in cuius mente eſt lex Domini digito Dei ſcripta. Et in cuius voluntate eſt altare aureum, cor videlicet mundum, & ornatum gratia Dei. Summus Sacerdos eſt Chriſtus, per illum enim vt Aduocatum noſtrum ſemper orare debemus, & ideo ſingulas preces concludimus per Dominum noſtrum Ieſum. Denique ignis, qui fumum ſuauiſſimum, & directè ſurſum aſcendentem excitat, & feruor deſiderij: ſed in rectà aſcenſione notatur recta intentio, & iugis attentio; qui enim orant vt videantur ab hominibus, illi aura temporali detorquent incenſum, vt non rectà aſcendat. Illi etiam qui euagationes mentis habent, non dirigunt orationem, vt debent: euagationes enim veluti flatus ventorum diſtrahunt, & diſſipant fumum orationis, vt non rectà ſurſum aſcendat: & quia valde difficile eſt liberari ab omni euagatione mentis, ideo Propheta huius rei propriè meminit, dicens: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Poſſunt quoque per quatuor aromata, quibus thymiama componebatur, fructus quatuor orationis intelligi, quibus & gratiſſima Deo & vtilis atque neceſſaria nobis eſt. Hi ſunt, illuminatio, oblectatio, impetratio, vnio cum Deo, propter quæ nihil nobis magis neceſſarium eſſe quàm orationem conclamant Sancti.* Hactenus ille doctiſſimus interpres.

Illuminat orationis ſtudium.

CAPVT LXXII.

NVNC ſingularius diſpiciamus cauſas tantæ neceſſitatis, & ſunt quatuor illi orationis fructus, atque vtilitates. *Prima* eſt, quòd per orationem illuminemur, qui in vmbra mortis ſedebamus. Pleni omnes ſumus cæcitate, &, quod peius eſt, infecti quadam iudicij peruerſitate, vt bonum malum, & malum bonum dicamus, contemnentes quæ æſtimanda ſunt, æſtimantes contemnenda, cœleſtibus terreſtria, æternis momentanea; ſpiritualibus carnalia, ſalutaribus noxia præferentes, cuius deplorati mali vnicum remedium oratio eſt; ſine oratione cœci, ſtulti, amentes, furioſi, peruerſi ſumus, & dicere cum Iſaia poſſumus, *Palpauimus* Iſai 59.

ſicut cæci parietem; & quaſi abſque oculis attrectauimus, impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Et apud Iob. *Palpabunt* Cap. 12.

quaſi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet quaſi ebrios. Oratio autem ſenſum hominis reſtituit nobis, & illuſtrat mentem. nam, vt dixit Vmbertus, *Oratione Spiritus ſanctus inuocatur, qui intellectum ad diuina illuminat, & affectum in Deum inflammat.* Quod expertus Dauid dixit, *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Hanc illuminandi vim denotant præcipua elogia, quibus orationem commendat Simon de Caſſia. *Oratio eſt in corpore incorporea operatio, aſpectus immotus animæ, in fide aſpiciens eum, qui omnia eſt: irreuerberatus animæ oculus pro tempore ſuæ durationis. Ordo rationalis creaturæ, cùm ſe ſtudio ad ſuperiorem ſubordinat. Conſiſtentia rationalis animæ ante Deum, allocutio inaudita perſtrepens aures Dei. Suauis clamor in ſenſu cordis, negatio dum agitur omnium corporalium motionum, reſtrictio ſenſuum, obliuio ſui, atque omnis viſibilis creaturæ præter Deum. Portus peruagantis ſpiritus collectio ad ſe ipſum. Repræſentatio inexceptuata in conſpectu æterni iudicis, dijudicatio ſui ipſius ad æternam mortem, priuatio, & inconfidentia omnis propriæ actionis etiam altè pollentis, in dictis mentalibus in ſe, in Deo, cui aſſiſtitur, ſucceſſiua & orbiculata intentio. Præuentio diuini aduentus, iudicium ante iudicium, verum animæ ſpeculum, & luminare ſplendidiſſimum, lux inuiſibilis ad inuiſibilem actionem, vmbra refrigerans malis ardoribus æſtuatum, iactatio ſui ipſius in Deum, nil aueri quærens, niſi quod ei diſplicet, & facit petentis iacturam; aut conferri, niſi diuinæ voluntati gratum, & poſtulanti ad vtile cedat.*

Iucunditas cœleſtis conuerſationis.

CAPVT LXXIII.

ALTERA orationis vtilitas, & neceſſitas eſt, quoniam cœleſtia guſtare, ſpiritualibuſque aſſueſcere nos faciat, vt terrenis deſueſcamus, & ingratia nobis ſint, inſipidaque videantur tranſitoria, vt ſic ad cœleſtia æternaque diſponamur. *Oratio*, Caſſiodorus ait, *ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mundat à vitijs, ſubleuat ad cœleſtia, reddit cor capacius, & dignius ad accipienda bona ſpiritualia.* Etenim non ſolùm hoc nobis beneficium præſtat oratio, quòd noſtrum intellectum illuſtret, reformetque iudicium, ſed voluntatem quoque ſuaue facit ad bonum illam conuertens, & inclinans. Hinc Eccle-

Eccl. 35. ſiaſticus dixit, *Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur, & deprecatio illius vſque ad nubes propinquabit.* Sanctus Bernardus conſiderans illa Dauidis verba, *Delectare in Domino, & dabit*

Serm. 5 de Quadrag. *tibi petitiones cordis tui. Quid, ô Propheta,* inquit, *quòd tam abſolutè mones delectari in Domino, ac ſi ad manum nobis ſit huiuſmodi delectatio? Delectationem cibi, ſomni, & quietis, & cæterorum quæ in terra ſunt, nouimus; Deus autem quam delectationem habeat, vt in eo delectemur? Fratres mei ſæculares hoc dicere poſſunt, vos non poteſtis. Quis enim veſtrùm eſt, qui non ſæpe expertus ſit, conſcientiæ bonæ delectationem? qui non guſtauerit*

ſaporem

ſuperem caſtitatis, humilitatis, charitatis? Non eſt hæc delectatio potus, neque cibi, aut ſimilis cuiuſlibet rei; delectatio tamen eſt, & maior omnibus illis; diuina enim eſt, & non carnalis delectatio, & cùm in his delectamur, planè delectamur in Domino. Quanta autem delectatio ſit hæc, inde coniici poteſt, quòd legamus multos Sanctos integras noctes, imò plures dies, & noctes, in oratione continuaſſe: qui autem oratione carent, alacritate & viribus ſpiritualibus deſtituuntur, atque in acediæ triſtitiam incurrunt, ſegnes & velut enerues ad omnia virtutis opera. Meritò dixit ſanctus Chryſoſtomus. *Si quis dicat animæ neruos eſſe deprecationem, mea quidem ſententia, verum dixerit; quemadmodum enim corpus neruis cohæret, currit, viuit, ſtat, & compactum eſt adeò, vt ſi neruos incideris, vniuerſam corporis harmoniam diſſolueris: itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant, & compinguntur, ac pietatis curſum facilè peragunt. Quòd ſi te ipſum deſtitueris precatione, perinde feceris, ac ſi piſcem ex aquis extraxeris. Vt enim piſci vita eſt aqua, ita tibi deprecatio; per hanc datur velut ex aquis ſubuolare, cœlumque tranſcendere.*

Neceſſitates ſpirituales exigunt orandi exercitium.

Capvt LXXIV.

Tertia orationis neceſſitas tanta eſt, quantæ ſunt noſtræ neceſſitates; nam licèt corporales ſint innumeræ, has excedunt ſpirituales, multo ſiquidem magis inopem, nudam, & imbellem peccatum Adæ reliquit animam noſtram, quàm corpus; quæ tamen in oratione dicatur, remediumque omnium indigentiarum conſequitur, non ſolùm quia talis naturæ eſt, vt vſu ſuo noſtrum intellectum, & voluntatem roboret, ac reformet, vt diximus. Sed quia impetrat à Deo auxilia, & dona ſancti Spiritus, vt vltra id quod exercitium eius natura ſua confert, plura bona diuinitus comparemus, obtinentes quod à miſericordi, & liberali Domino petimus humiliter. Rectè hoc conſiderauit

Lib. 6. p. 4. c. 3. Iob 41.

Vmbertus. *Oratio*, inquit, *neceſſaria eſt valde, & competens loco in quo ſumus; vbi pugnam habemus cum eo, de quo ſcriptum eſt: Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Ideo frequenter habemus neceſſe orando Dei auxilium inuocare. Cùm ſimus in valle miſeriæ, neceſſe habemus ad Dei miſericordiam orando frequenter recurrere. Tria ſolent eſſe cauſa clamandi hominibus, ſcilicet ignis, aqua, & hoſtes. Hæc tria quaſi ſingulis diebus incitare nos debent, vt ad Deum in oratione clamemus. Vix eſt dies, in quo domus conſcientiæ noſtra non ſuccendatur igne infernali, ſcilicet igne concupiſcentiæ prauæ. Vnde neceſſe habemus ad aquam diuinæ gratiæ, & ad aquam lachrymarum recurrere. Ignis iſte aliquando cùm ex vna parte extinguitur, ex altera accenditur. Et ipſa enim aqua lachrymarum, vnde extingui debuit, quandoque vires ſumit; vt cùm aliquis vanè gloriatur de hoc quod pro peccatis ſuis lachrymatur. Item vix eſt dies in qua homines non ſentiant fluctus malarum cogitationum ſuper caput cordis, vt propter hoc neceſſe habeant clamare illud: Domine ſalua nos, perimus. Vix eſt etiam dies, in qua hoſtes ſuos non videant ad portam caſtra ſui, vt cùm verba mala in ore habent, vel fatuas mulieres vident.* Et infrà. *Vltimò, refugium eſt oratio. Cùm alia remedia deſunt, remedium orationis non deeſt. Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus. Virtus orationis valet omni tempore & omni loco, & omni ſtatu. Orare enim poſſumus & hyeme, & æſtate, in ſereno, & pluuiali tempore, nocte, & die, feſtiuis diebus, & non feſtiuis. In infirmitate, & ſanitate: in iuuentute, & in ſenectute, ſtando, & eundo, in domo, & extra domum. Multum eſt amandum tale officium, quod non recipit impedimentum.* Rectè ſanctus Bernardus ait: *Oro vos fratres, vt ſemper habentis ad manum tutiſſimum orationis refugium.* In medit. c. 6. medio. *Nemo veſtrûm paruipendat orationem ſuam; vt ipſe, ad quem orat, non parui pendat. Priuſquam exeat de ore veſtro, ſcribi eam iubet in libro ſuo: & vnum ex duobus indubitanter ſperare poſſumus, quòd vel dabit quod petimus, vel quod nobis nouit vtilius. Nos enim quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed miſeretur ille ſuper ignorantia noſtra, & orationem benignè ſuſcipiens quod omnino nobis non eſt vtile, aut non tam citò dare neceſſe eſt, minimè tribuit. Oratio tamen infructuoſa non erit, quandoquidem de re tanta cura eſt Deo tuo, vt quoties quæris, quod tibi inutile eſt, non te audiat, ſed mutet illud vtiliori dono.* Optima comparatione hanc diuini auxilij neceſſitatem explicuit ſanctus Auguſtinus. *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè mortificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non poteſt viuere.* De natur. & grat. Sic etiam S. Chryſoſtomus ait: *Arbitror cunctis eſſe manifeſtum, quòd ſimpliciter impoſſibile ſit abſque precationis præſidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ curſum peragere.* Lib. 1. de orando Deo. *Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, niſi continenter ſupplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur hominibus.* Idem ait. *Si dæmones nos conſpexerint deprecatione communitos, illico reſiliunt, non aliter quàm prædones ac facinoroſi vbi conſpiciunt militis gladium in caput ſuum vibrari. Quòd ſi contingat aliquem eſſe nudum precationis præſidio, hic auulſus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur.* Sanctus Auguſtinus rurſus dicit: *Vera pietate homines Dei aeream poteſtatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando eijciunt, non placando: omnes tentationes eius vincunt orando, non ipſam, ſed ſuum Deum aduerſus ipſam. Non enim aliquem vincit, aut ſubiugat, niſi ſocietate peccati.* Lib. 1. de ciuitat. Dei. Optimè quoque neceſſitatē orationis propter neceſſitates noſtras conſiderans Galfridus, ad orationem feruidam exemplo nos prouocat Danielis, & authoritate Euangelij: *Oportet ſemper orare, & nunquā deficere.* In alleg. Tilm. *Si hoc fidelibus vniuerſis ex Dominica eſt admonitione ſectandum, ſpecialiter tamen monaſticæ profeſſioni neſcitur conuenire: ea ſiquidem Danielis perſona ſignificatur & nomine. Vir enim deſideriorum, vir etiam orationum eſt. Et bene ſemper orat, qui bene ſemper optat ſine intermiſſione. Efficacius enim apud Deum vota, quàm verba clamant. Et continua cordis affectio iugis oratio eſt. Felix Daniel, aduerſus quem occaſio*

H 3 nulla,

Digitized by Google

nulla, niſi de lege Dei potuit inueniri. Felix qui maluit periculum mortis incurrere, quàm ab oratione ceſſare. Quanto magis nos, quibus imminet mors diſſimulantibus, orantibus promittitur vita, ſemper orare conuenit. Quid enim! Offendit in via iumentum cui inſides, aut fortè qua veheris periclitatur nauicula, nunquid non diuinum protinus inclamas auxilium? Ceſſet oratio, quotiens deeſt neceſſitas, quotiens nullum tibi imminet periculum, grauius etiam ipſa corporis morte periculum. Sed ſi neſcis: Militia eſt vita hominis ſuper terram, & continua colluctatio aduerſus nequitias ſpirituales. Neque aliud fortè diſcrimen grauius poteſt, aut periculoſius inueniri, quam diſſimulatio ipſa periculi. Nunquam igitur deeſt orandi neceſſitas, vbi nunquam eſt vera ſecuritas.

Salutare propterea monitum Abbatis Ioannis accipiamus. *Sicut vir videns feras fugit, ſcanditque in arborem: ita cùm veniunt praua cogitationes, fuge per orationem ad Dominum, & ſaluaberis; nam ſicut aqua extinguit ignem, ita oratio extinguit tentationes.*

Eximium orationis priuilegium, coniungere nos Deo.

CAPVT LXXV.

QVARTVM orationis bonum eſt, quatenus in illa Deum complectimur, fontique omnium bonorum adſtringimur, & Chriſto vnimur, & cum Domino omnium loquimur, in quo ſummus honor eſt, & ſumma vtilitas noſtra. De honore hæc dicit Chryſoſtomus. *Lib. 1. de orand. Deo.* *Quiſquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduè frui, is mortuus eſt, & vita carens, experſque ſana mentis. Nam hoc ipſum euidentiſſimum eſt amentia argumentum, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi ſtudium, nec hoc habere perſuaſum, quod animæ mors ſit, non prouolui ad Dei genua. Quin inſuper quòd oporteat quauis morte triſtius exiſtimare, ſi quis deprecatione priuatur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus, qui maluerit mori, quàm triduo dumtaxat arceri ab orando.* De vtilitate idem Chryſoſtomus in Pſalmum ſeptimum. *Deo*, inquit, *magna cura eſt, vt in virtute creſcamus. Nihil autem æquè facit in virtute creſcere, atque cum Deo aſſiduè verſari, & colloqui, eique perpetuò gratias agere, & pſallere.* Et ruſus: *Lib. 1. de orand. Deo.* *Si qui cum Cæſare miſcent ſermones, familiariterque cum eo verſantur, non poſſunt eſſe pauperes: multo minus fieri poteſt, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes animas habeant mortales. Nam mors animæ eſt impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo conſequitur, animæ vitam eſſe Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porrò vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum animis noſtris recondit.* Cùm enim Deus ſit omnium bonorum origo, qui eum amplectitur, omnia bona pariter ſuſcipit. Vnde non immeritò ſanctus Ioannes Climacus, multa orationis bona, eximioſque effectus recenſuit poſtquam ipſam dixerat vnitionem cum Deo eſſe. *Gradu 28.* *Oratio*, ait, *in qualitate quidem ſua coniunctio, atque vnitio eſt, hominis videlicet, & Dei: ſecundum verò conſtantia mundi, ornatus collectio, reconciliatio Dei, lachrymarum mater, earumque item filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpoſitus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum miniſtra, profectus inuiſibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, deſperationis amputatio, ſpei & fidei demonſtratio, triſtitia ſolutio, monachorum diuitia, ſolitariorum theſaurus, iræ minutio, ſpeculum profectus, menſurarum indicium, ſtatus inſinuatio, futurorum reuelatio, clementiæ ſignificatio*

Quatuor orandi modi ex Apoſtolo Paulo.

CAPVT LXXVI.

CVR non etiam per quatuor thymiamatis aromata, quatuor orationis ſpecies ab Apoſtolo traditæ ſignificari poſſent, de quibus ſanctus Bernardus dixit. *Serm. de quatuor orand. modo.* *Quatuor mihi videtur modos orandi Apoſtolus dicere: volo primò fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. Sunt enim quos adhuc peccati conſcientia terret, & cruciat, quos in cœno peccati iacentes ſpiritus veritatis irradians excitat, erubeſcere faciens, & timere gehennæ incendium: propter immanitatem criminum, & defectum meritorum. Dumque timent ante Deum vacui apparere, non audentes per ſe accedere, ſtudent per alios ſupplicare; vt dicimus: Sancte Petre ora pro nobis, & huiuſmodi. Maximè autem illud eſt obſecratio manifeſta, per paſſionem tuam libera nos Domine. Alius verò accepta continendi virtute, ſecurius accedit, veniam quærens de præteritis. Eſt autem oratio, quaſi oris ratio; quia iam ore ſuo loquitur cum Deo ſuo. Quòd ſi miſericordiam ſuam conſecutus es, perſeuerans in lamentis pœnitentia accepta fiducia indulgentia, accede iam ad poſtulationes, vt ſecurè tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conſeruis tuis audeas petere quod oportet. Tantum caue, ne aut poſtules non poſtulanda, aut ea tepidè quæras, quæ toto ſunt affectu, & omni deſiderio poſtulanda. Porrò ad quartum orationis genus, quod eſt gratiarum actio, paucos attingere credo; quod quanto rarius, tanto pretioſius. Multam enim gratiam inuenit apud Deum, qui exaudit quandoque antequam inuocetur, & teſtimonium perhibet ſpiritus hominis ſpiritui quem habet à Deo; quoniam exauditum eſt deſiderium eius, ita vt certus iam non orare, ſed gratias agere poſſit. Prima igitur quæ eſt obſecratio, verecundo fiat affectu. Secunda quæ propriè dicitur oratio, puro affectu. Tertia, ſcilicet poſtulatio cum ampla fiducia latitudine. Nam quarta deuotione debet eſſe plena, & delicijs affluens.* Quatuor etiam ſpecies orationis priùs nominatæ, quas tangit Apoſtolus, determinantur in libro de vita ſolitaria, his verbis. *Apud Bern. in medio.* *Poſtulatio eſt circa obtinenda temporalia, & neceſſaria vitæ huius, in qua Deus approbans bonam voluntatem, facit tamen, quod melius iudicat, & dat libenter ſe his qui poſtulant. Ad poſtulationem pertinet petere tranquillitatem pacis, ſanitatem corporis, temperiem aeris,*

&

& ſimilia. Obſecratio eſt in exercitijs ſpiritualibus anxia ad Deum inſtantia. Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia locutio. Gratiarum actio eſt intellectu & cognitione gratiæ Dei bonæ voluntatis indeficiens, & irreflexa intentio. In poſtulationibus piè, ac fideliter eſt orandum, ſed non eſt illis pertinaciter inhærendum; quia nos neſcimus, ſed Pater noſter, qui in cœlis eſt, ſi quid in temporalibus iſtis neceſſe eſt nobis. Obſecrationibus inſiſtendum eſt, ſed in omni humilitate, & patientia; quia non afferunt fructum niſi in patientia. In eodem libro dicitur: *Nonnunquam ſine labore petens accipit, quærens inuenit, & pulſanti aperitur, & conſolationes ac ſuauitates orationis inuenire tandem meretur labor obſecrationis. Nonnunquam etiam puræ orationis affectus, & bona illius affectionis ſuauitas non inuenitur; ſed inuenit eum petentem, & quaſi neſcientem gratia præuenit: & tanquam genus ſeruorum ſuſcipitur in menſa filiorum, cùm rudis & adhuc inſipiens animus in eum aſſumit orandi affectum, qui pro merito ſanctitatis reddi ſolet meritis perfectorum. Quod cùm fit, ideo agitur, vt velut in iudicium ſuum negligenti non liceat neſcire quid negligat, & vt prouocatio charitatis amorem in eo gratiæ vltrò ſe offerentis accendat. In quo proh dolor! multi falluntur; quia cùm paſcuntur pane filiorum, iam ſe eſſe filios arbitrantur: & deficientes, vnde proficere debuerant, ex viſitante gratia euaneſcunt à conſcientia ſua, arbitrantes ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſint.*

Iugis oratio decet Apoſtolicos viros, & occupatos in procuranda ſalute animarum.

CAPVT LXXVII.

NVNC adiiciamus, orandi ſtudium neceſſarium eſſe iis, qui in ſalute animarum occupantur, non vtcumque, ſed annuum, & menſtruum, & hebdomadarium, & quotidianum, & horarium, & inſtantaneum, atque, vt ſemel dicam, continuum, atque ſimultaneum cum actione: nam Apoſtolis, qui occupatiſſimi futuri erant in totius orbis conuerſione, & peragratione, dixit Dominus. *Oportet ſemper orare, & non deficere*; quare neceſſe eſt copulare actionem cum oratione, ſicut Dauid coniunxit, qui eleuationem manuum *ſacrificium veſpertinum* vocauit. *Sacrificium*, quia cum interiori orationis cultu opus religioſum redditur, & tantumdem orationis, addidit *veſpertinum*, quia vſque ad extremum diei, hoc eſt, toto die, orare debemus, etiam dum alia agimus, Deum præſentem adducendo, cum Deo loquendo, licèt inter homines, laborando pro Dei gloria, & hominum ſalute. Idem Dauid, vt denotaret ſemper orandum, præ-
Pſal. 54. cipua diei tempora alibi expreſſit. *Veſpere*, inquit, *& manè, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Et iterum, *Septies in die laudem dixi tibi. Septies* autem in Scriptura ingentem, &, vt ſic dicam, innumerum numerum deſignat. Pontificem quoque Hebræorum iuſſit
Exod. 30. Dominus, *Vret thymiama ſempiternum*, quia odoramentum orationis in noſtris debet cordibus ſemper retineri. Quamuis incenſum, ſeu thymiama bis ſolùm in die adoleretur per totum diem, & noctem odor illius perſeuerabat. Sic etiam quamuis longiores orationis moras, & otium manè, & veſperè dumtaxat conſumamus, tamen per totum diem, & in ipſis diurnis occupationibus remanere debet aliqua Dei præſentia. Sicut faciebat ille, qui dixit, *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Sic fecit Moyſes,
de quo Philo ait. *Mentem, ſermonemque diuidens, eodem tempore; mente quidem ſecretò Deum orabat, vt calamitatem auerteret, quæ humano conſilio vitari non poſſet; ſermone verò vociferantes confirmabat, & conſolabatur.* In vita Moyſis. Quod ſatis ſignificat ſacer textus. Nam cùm murmuraret populus propter egreſſionem ab Ægypto, cùm Pharaonis exercitus ſuper illos inſtaret, intentus Moyſes placandis, & conſolandis Hebræis dicebat ad populum. *Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie. Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vſque in ſempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Statim additur: *Dixitque Dominus ad Moyſem: Quid clamas ad me?* Quia nimirum dum populum exteriùs alloquebatur, cum Deo ſimul interiùs loquebatur, & orabat. Sic & Angeli faciunt, de quibus ſanctus Bernardus ait: *Quæ ſunt ſanctorum Angelorum via? Profectò illa, quas vnigenitus enarrauit, dicens: Videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis.* In Pſal. Qui habitat ſer. 11. *Aſcenſio igitur, & deſcenſio via illorum. Aſcenſio propter ſe: deſcenſio, vel potiùs condeſcenſio, propter nos. Sic beati illi ſpiritus aſcendunt per contemplationem Dei; deſcendunt per compaſſionem tui, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Aſcendunt ad vultum eius, deſcendunt ad nutum eius. Quoniam Angelis ſuis mandauit de te. Nec tamen vel deſcendendo viſione gloriæ fraudantur, quia ſemper vident faciem Patris.* Et alio loco, Angelorum eſſe ait ad homines miniſteriis deſcendere, & nequaquam à Dei conſideratione ſeparari. Neque enim talis aliqua viciſſitudo in eorum aſcenſionibus, & deſcenſionibus eſt: ſimul & mittuntur in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, & aſſiſtunt vultui maieſtatis, Deo miſericorditer prouidente, vt & nobis ſit conſolatio, & eis tribulatio nulla. Alioquin quando æquanimiter paterentur ab illo vultu gloriæ, in quem ſemper proſpicere deſiderant, propter nos vel ad modicum ſeparari. Denique ipſam audi in Euangelio veritatem. *Angeli eorum*, ait (haud dubium quin paruulorum) *in cœlis ſemper vident faciem Patris, ſic videlicet paruulorum cuſtodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine ſua.* Hanc Angelicam ſimilitudinem flagitans ſponſus ab anima ſancta, dicebat: *Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſupra brachium tuum.* Quæ verba Caſſiodorus ſic exponit. *Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, hoc eſt, habeto me ſemper in memoria tua; & pone me vt ſignaculum ſupra brachium tuum, id eſt, habeto me ſemper, per iugem meditationem in actione tua præſentem.* Id perquam ſtudioſè fecit Diuus Au-
guſtinus; ſic enim ait: *Ex quo te didici, manes in memoria, & ibi te inuenio, cùm reminiſcor tui, & delector in te. Hæ ſunt ſanctæ delitiæ meæ.* Lib. 10. conf. c. 24.

Actio quippe noſtra ſpiritu deuotionis,& oratione deſtitura magnum meritum , & perfectionem amittit ; nam,vt optimè dixit Hugo Victo-
In Alleg. Tim. rinus , ad illud Pauli , *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt,&c. Viſibilis actio quaſi corpus eſt ; interior deuotio quaſi ſpiritus. Actio per deuotionem viuit ,ſicut per animam corpus. Deuotio autem actionem viuificat,ſicut anima corpus. Omnis enim actio , quæ ſine deuotione eſt , mortua eſt. Viſibilis igitur actio quaſi viuit , & inuiſibilis deuotio ipſa eſt vita. Quod autem viuit,hoc moritur: ſed quod vita eſt , ipſum non moritur : quia actio tranſitoria ſicut ex tempore initium habet , ita etiam finitur in tempore. Pietatis autem voluntas ex tempore inchoat ,ſed non finitur in tempore.*

Omnes noſtras actiones debet comitari Chriſti Domini memoria , vt bene accidant.

Capvt LXXVIII.

SPonsa cùm non ſatis charitati ſuæ eſſet , ſponſo, diuiniſque conſolationibus in contemplatione frui , aliorum volens ſalutem curare , atque egredi à contemplationis otio ad actionis ſolicitudinem , non ſe propterea duxit ab ſponſi ſocietate ſeparandam, ſed vnà cum illo non ſecus ac ſi in mera con-
Cant 7. templatione maneret , ait. *Veni dilecte mi ,egrediamur in agrum , commoremur in villis. Manè ſurgamus ad vineas, videamus , ſi floruit vinea , ſi flores fructus parturiunt , ſi floruerunt mala punica.* Quid ſolicitius , quid actuoſius, quàm hæc egreſſio ad agrum , ad mundum, inquam , vniuerſum , ad barbaras gentes quaquauerſum diſperſas , vt Euangelij perfunderentur luce , ad commorandum in villis nationum infidelium, quæ ad inſtar villarum , nullis ſunt circumdatæ muris diuinorum præceptorum. Et hoc manè; in quo magna ſolicitudo , diligentia,&,vt ſic dicam , actuoſitas ſignificatur. Ad videndum , ſi floruit vinea,ad prouidendum incipientibus, qui rectè per flores intelliguntur ; florere enim pœnitentium eſt. nam dum eos anteactæ vitæ pœnitet , ſpem de ſe præbent eius deinceps melius inſtituendæ. Hoc autem eſt florere , antequam fructus videantur ; ad videndum quoque,ſi flores fructus parturiunt , hoc eſt,ad prouidendum proficientibus , qui iam poſtquam peccata defleuere, fructum bonorum operum incipiunt exhibere. Ad videndum denique ſi floruerunt mala punica ,id eſt , ad prouidendum etiam perfectis , ſi fructum floridum,& maturum proferant. Ad hæc omnia,ad tanta negotia , non ait ſponſa, *Egrediar*,ſed vocans ſponſum , inquit, *Egrediamur* , quia in aliorum ſalute occupatur , non ſolus,ſed vnà cum Chriſto in labore ſuo præſente, & per Dei præſentiam ſibi comitante ſe egreditur ad occupationes , ac ſi in orationis remaneret ſeceſſu. Fœlicitabit hæc Dei memoria , iugiſque oratio miniſteria noſtra ; ideo Machabæi fortiſſimi , & inuicti , quia ſimul orabant , & pugna-
1. Mach. 15. bant,de quibus dicitur: *Iudas,& qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congreſſi ſunt , manu quidem pugnantes , ſed Dominum cordibus orantes,proſtrauerunt non minus triginta quinque millia,præſentia Dei magnificè delectati.* Nehemias quoque priuſquam exterritus reſponderet Artaxerxi Regi , interiùs Deum orauit , & fortunatum ſuorum verborum exitum obtinuit , mittimus tunc rete ad manum dexteram , cùm labori noſtro orationem adiicimus. Per hanc præſentiam Dei cuſtoditur cor inter pericula : deauratur intus & foris arca Dei , ſeruaturque cum lege, cum fide , cum virtutibus , cum charitate, non inanis relinquitur , vt fiat inimici ſpelunca. Optimè Petrus Cellenſis dixit. *Cor hominis eſt arca,aut Dei, aut Diaboli:vt autem ſit arca Dei, & menſuram arcæ teneat , & materiam , materia ſit imputribilis , vt lignum vitæ ; menſura æqualis,vt virtus temperantia. Virtutes itaque, quæ ſolæ ſub Sole non marceſcunt , vel putreſcunt,arcam noſtri cordis compingant ; vt & depoſitum Dei in ea non corrumpatur propter incorruptionem arcæ, & Religionis propoſitum ſemel ſuſceptum non deſeratur per virtutem conſtantiæ. Alterum Deo, alterum ſibi paret homo : Deo exhibebat cuſtodiam ſui depoſiti , quod eſt gratia : dignitati ſuæ ſtabilimentum fidei retineat;quia variari non debet imago Dei,leui huius mundi iactura. Arca,nec fracta ſit , nec vacua. Si plena eſſet,ſed fracta arca damnum timeres : ſi integra,ſed vacua,inaniter ab ea ſubſidium ſperares. Denique cùm fuerit ſana , & plena arca,clauſa ſit & ſignata : clauſa, ne mures intrent ; ſignata , ne fures aperiant. Claue ſeretur & reſeretur ; Dæmonibus ſeretur,amicis,& famelicis reſeretur. Attende,ô anima , vt ſit arca tua ſana fide , plena charitate ,clauſa humilitate , ſignata ſtabilitate , reſerata confeſſione , & gratiarum actione.*

Orationes iaculatoriæ frequentandæ.

Capvt LXXIX.

SEd quamuis iugis Dei præſentia,atque oratio aſſidua totos dies occupare nos debeat , acrioribus interdum orationibus excitare animum , & quaſi pungere debemus, quemadmodum cum magno ſui profectus fructu Patres antiqui ſunt vſi. Et ſanctus Augu-
ſtinus teſtatur. *Dicuntur* (inquit) *fratres in Ægy-* Epiſt 121. c.10.
*pto crebras quidem habere orationes , ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas,ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt,per productiores moras euaneſcat,atque hebetetur intentio.*Locupletiùs ſanctus Chry-
ſoſtomus dixit , *Si per interualla crebris precatio-* Hom. 4. de fide Ana.
nibus te ipſum accendas , non dabis occaſionem diabolo,aut vllum ad tuas cogitationes aditum. Et quemadmodum in apparando prandio , quoties calida,potu opus eſt,ſi aqua parum caleat, ad focum admotā recalfacimus ; ita & hic faciendum eſt,& os noſtrum ad precationes quaſi ad prunas admouendum , vt hoc pacto mens ad pietatem rurſum accendatur. Et paulò pòſt. *Ingemiſce amarè , in memoriam reuoca peccata tua , ſuſpice in cœlum, dic in mente : Miſerere mei Deus ; & abſoluiſti precationem. Qui enim dicit : Miſerere,confeſſionem offert,& peccatum ſuum agnoſcit. Qui dicit, Miſerere mei , remiſſionem delictorum accepit. Qui dicit . Miſerere mei Deus, Regnum cœlorum obtinuit.*

obtinuit. Quem enim Deus miſeretur, non à pœna ſolùm libe rat, ſed futurorum etiam bonorum poſſeſſione dignatur. Et rurſus ad Populum concionatus: *Oportet orantem neque longos extendere ſermones,& iugiter orare. Breues enim & frequentes orationes fieri Chriſtus, & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. Nam ſi ſermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapſus multam ſubrependi diabolo facultatem dederis,& ſupplantandi, & cogitationem abducendi ad hæc quæ dicuntur. Si verò continuas, & crebras orationes facias, totumque tempus interpolans frequentia, facilè poteris modeſtiam exhibere, & ipſas orationes cum multa facies ſolertia.* Caſſianus quoque de antiquis Patribus locutus: *Vtilius*, inquit, *cenſent breues quidem orationes, ſed creberrimas fieri; illud quidem vt frequentiùs Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere poſſimus: hoc verò, vt inſidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis, tunc præcipuè, cùm oramus, inſiſtit, ſuccincta breuitate vitemus.* Deinde ſingulis horis lentiùs Deo immorari debemus, quemadmodum noſter ſanctiſſimus Patriarcha Ignatius feciſſe proditur. In præcipuis ſaltem actionibus excuſari ab orando non debemus, vt, ſicut ait ſanctus Hieronymus, *egredientes de hoſpitio armet oratio; regredientibus de platea occurrat: ſeſſione prius corpuſculum ne requieſcat, quàm illa animum paſcat.*

Lib. 2. inſt. Monach.

Orandum longiùs manè & noctè, atque ſtatis diebus.

Capvt LXXX.

NEqve tamen hoc tollit magnoperè vtiles eſſe longas orationis moras; ſaltem matutino tempore, & nocturno diutiùs vacare Deo oportebit. nam, vt ſanctus Chryſoſtomus, inquit, *Armis nobis opus eſt: magna armatura oratio: opus eſt ventis a puppi, opus omnia diſcere, vt diei ſpatium abſque naufragijs, & vulneribus tranſigamus. Multi namque per dies ſingulos ſcopulis, & frequenter illiditur ſcapha, atque ſubmergitur; propterea nobis opus eſt oratione, matutina præſertim, & nocturna.* Similiter S. Cyprianus monuit. *Manè orandum eſt, vt Reſurrectio Domini matutina oratione celebretur: quod olim Spiritus ſanctus deſignabat in Pſalmis, dicens: Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam, manè aſſiſtam tibi, & contemplabor te.* Et iterum per Prophetam loquitur Dominus. *Diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum Deum noſtrum. Recedente item Sole, ac die ceſſante, neceſſariò rurſum orandum eſt: nam quia Chriſtus Sol verus, & dies eſt verus, Sole & die ſaeculi recedente, quando oramus & petimus, vt ſuper nos lux denuo veniat, Chriſti precamur aduentum lucis æternæ gratiam præbiturum.* Præcipuè in oratione matutina muniendi ad totum diem ſumus, Deoque primitias noſtri cordis oblaturi, quemadmodum ſanctus Ambroſius dixit. *Graue eſt, ſi te otioſum in ſtratis radius Solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos ſomnolento adhuc corpore depreſſos. Arguit nos tanti temporis ſpatium ſine vllius deuotionis munere, ac ſacrificij ſpiritualis oblatione feriata tranſmiſſum. An neſcis, ô homo, quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas. Quotidiana tibi meſſis, quotidianus eſt fructus.*

Hom. 41. ad Populum.

De orat. Dominic.

Serm. 19.

Exempla virorum valde occupatorum, qui largiter orationi vacarunt.

Capvt LXXXI.

NVnc aliquibus exemplis hominum noſtræ Societatis inexcuſabile monſtrabimus exercitium orandi, etiam occupatis hominibus, qui valde ſe poterunt orationi tradere, quantumuis operentur in vinea Domini; atque, vt relinquam principes noſtri Ordinis, quorum in oratione ſtudium mirandum fuit, P. Franciſcus Onofrius media ſurgens nocte ſeptem continenter horas in oratione perſtabat. Similiter P. Gonxalus de Lyra duas, aut tres dumtaxat horas quieti indulgebat, reliquum vſque ad manè tempus flexis genibus in oratione pernoctabat. Seruus Dei P. Ferdinandus Montoy, media quoque ſurgens nocte vſque ad ingreſſum diei, quinque, aut ſex horis Deo vacabat, qui meruit à Chriſto Domino doceri orare. Quadam nocte, cùm adeſſet prope altare maius, correptus ſomno, vidit Chriſtum affabiliter dicentem: Volo te docere nimis facilem orationis modum, & nimium vtilem: Exerce te in laudibus Patris mei æterni, quod mihi vti filio ſuo valde placet; præcipuè gratias age pro beneficio Euchariſtiæ; ipſe enim dedit vobis. infixa ſemper habuit cordi hæc verba, & magnam conſolationem quotidie accipiebat, quoties celebrans dicebat: Domine ſancte Pater. Noluit tamen exerceri in illo orationis genere, donec confirmaretur à P. Ioanne Sebaſtiano Prouinciali, diuiſerat dies hebdomadæ ad laudandum Patrem æternum pro diuerſis laudum rationibus, ſemperque in ore ferebat, Diligamus ardenter æternum Patrem. Feruentiſſimus P. Didacus Martinez idem & plus temporis orando conſecrabat, cùm inter Indos occupatiſſimus ageret, noctes tranſigebat in agris Deo vacans. Viſus ſæpiſſimè eſt Indis & Hiſpanis ſuper cacumina ingentium arborum elatus, medioque aëre detentus, & mira circumfuſus luce, ignitiſque columnis adſtantibus ad caput eius. Idem Pater ita ſe aſſuefecit iterare interdiu actus amoris diuini pro orationibus iaculatoriis, vt quotidie ad tria, aut quatuor millia compleret. Prolixis quoque horarum moris orationem trahebat Ludouicus à Ponte, vt ex curioſis, ſeu deuotis inſidiis, obſeruatus in qualibet noctis hora orare, in Eccleſia ſemper comprehenſus, ſemperque cogitationibus ſanctis mentem reficiebat, vt meritò medulla ſui cerebri incorrupta videatur diuinitus ſeruata. Quàm liberaliter cum Deo ageret B. Franciſcus Borgia notum eſt, quantum poterat orationis otio ſe tradebat, etiam negotiatus inter homines, dum alij loquebantur, ipſe ad ſecretum cordis cum Deo ſuo ſe colligebat. Accidit aliquando Madriti dum in theda cum viris quibuſdam Principibus Hiſpaniæ veheretur, turbatos & territos caſu equos præcipitem arripuiſſe curſum, & cæteris inde

proſilientibus ſolnm ipſum B. Franciſcum reſediſſe immotum abſque ſenſu tantæ turbationis, &, quod mirificentius, ignarum totius rei; ſic inter loquendum profundè ſe receperat ad ſui cordis penetralia, vt cum creatore ſuo conuerſaretur. Atqui & coadiutores temporales, quantumuis Marthæ occupationibus intentos, contemplationi pariter traditos videmus. Frater Alphonſus Rodericus præter longas vnius orationis moras, totum diem, & vbique orabat. Similiter & Frater Alphonſus Catrillus, qui nunquam ab humili, & amatorio Dei reſpectu ceſſabat, ſic aſſuetus orando, vt Medicis conſulentibus aliquantulum diſtrahi, ne caput affligeret; reſpondit laborioſiùs ſibi fore paululum à conſideratione diuina auertere mentem, ita vt in Societate ſic ageret ac Paulus in eremo. Demum, vt alter Paulus Anachoreta, & Ioannes Abbas inuentus eſt genibus flexis orans obiiſſe; ſicut enim vixit orando, ſic & obiit. Sunt præterea aliqui feruidi operarij noſtræ Religionis, qui vltra quotidianam orationem, vnum hebdomodæ diem integrum orandi otio deſignant. Deinde per ſingulos menſes ſaltem biduum. Poſt ſemeſtre conſuetudo eſt generalis iis, qui vota ſunt renouaturi, priùs per triduum orationi, & exercitiis ſpiritualibus vacare; annua quoque exercitiorum ſpiritualium noſtri Patris ſancti Ignatij vacatio octo dierum ſolemnis omnibus eſt, & ſtricto iure obſeruata, & obſeruanda quidem quibuſcumque viris ſpiritualibus.

Hoc igitur orationis viatico muniendi ſunt Apoſtolici viri, vt ſonum cœleſtis verbi in omnem terram deportent, & gloriam Dei vbique perquirant, de quo iam agere incipiemus.

DOCTRINA IX.

DE CONDITIONIBVS operarij Euangelici.

Equi diuinæ gloriæ ſunt viri Apoſtolici.

CAPVT LXXXII.

[Zach. 10.] VISITAVIT *Dominus exercituum gregem ſuum, domum Iuda, & poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.* Gloria Apoſtolici inſtituti, vnde magis commendari potuit, quàm ex gloria Dei, in quam intentos eſſe totos nos, cuius auidos, & ſitientes, in qua deſudare, pro qua concertare, quam quærere, ad quam anhelare totis viribus, & in omnem terram exeuntes, debemus. nam cùm ratio Ordinis noſtri non ſit tantùm perfectioni propriæ vacare, ſed ſaluti pariter, & perfectioni proximorum, totum mundum complecti charitas noſtra debet. Quare non patriæ, non loco vni, non angulo alicui religioſi clauſtri continere nos oportet, ſed accincti ſemper & parati vſque in fines orbis terræ, quæſituri ſumus maiorem Dei honorem, non aliter ac Apoſtoli in lege gratiæ, & Prophetæ in lege ſcripta, qui obliti ſui, & totius propriæ commoditatis, & honoris, ſolùm gloriam diuinam intuentes iam in patria, iam inter extraneos, iam peregrini, iam incolę, iam exules, iam captiui, iam humiles, iam contempti, iam nudi, iam famelici, aliorum ſaluti inſeruierunt. Quotieſcumque enim miſericorditer voluit Pater miſericordiarum, & Dominus exercituum Iſraël, & Iuda gregem ſuum viſitare, poſuit quoſdam viros eximios, vt Eliam, Iſaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, tanquam generoſos, & bellicoa equos gloriæ ſuæ, qui nomen Dei portarent, & in hoc militantis Eccleſiæ bello defenderent aduersùs vitia, & infidelitatem, & infernum ipſum; cùm autem non vnum populum, ſed omne genus humanum viſitauit Oriens ex alto, poſuit tunc Apoſtolos, quos ſancti Patres vocant equos gloriæ Dei, qui nomen, & fidem Chriſti in omnem terram deferrent, & promulgarent, maius Dei obſequium, & gloriam diuinam vnicè, & auidè quærentes. Denique in his vltimis, & miſeris temporibus, in quibus infernæ phalanges multiplicatæ ſunt, & innumeræ hæreticorum cohortes aduersùs Eccleſiam ſanctam inſurrexere, nouique orbes inuenti ſunt expugnandi pro Chriſto, poſuit ſanctum Ignatium, Patrem noſtrum, & ſocios ſuos, & filios, ſanctum Franciſcum Xauerium, Petrum Fabrum, Claudium Gaium, Petrum Caniſium, Gaſparem Barceum, Andream Ouiedum, & ſexcentos alios Apoſtolicos viros Societatis IESV; quaſi equos gloriæ ſuæ, qui nomen Chriſti defenderent, & in fines orbis terræ proferrent; hinc eſt, quod in noſtris conſtitutionibus præſcribitur. *Noſtra vocationis* [Reg. 3 ſum.] *eſt diuerſa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur.* Omnes enim filios ſuos voluit ſanctus Ignatius ponere tanquam equos gloriæ Dei, quemadmodum ſancti Apoſtoli fuerunt, vt in omnem terram gloriam Dei portemus, & quæramus. Quid dignius, quid excellentius, non ſolùm eſſe vt abiectum iumẽtum apud Deum, ſed vt generoſus equus gloriæ diuinæ, vt per nos ſemper vincat & triumphet Chriſtus. Mirè enim ſacra Scriptura ſibi conſentit, & prophetica oracula Apoſtolicis confirmantur. Sic Ioannes Apoſtolus exhibuit nobis Chriſtum in illo equo ſuæ gloriæ, quem proſpexit Zacharias. *Et vidi* (ait ſanctus Ioannes) *& ecce* [Apoc. 6.] *equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Hic equus albus eſt equus gloriæ diuinæ in bello, de quo Zacharias loquitur, & ſunt ſecundùm S. Irenęum, & Aretbâ viri Apoſtolici, caſti, innocentes, ſancti, feruidi, qui omnem terram peragrare præſtò ſunt, maius Dei obſequium & animarum ſalutem ſemper intuendo, & quærendo, per quos Chriſtus in hominum triumphat cordibus. quod ſanctus Cyrillus Alexandrinus ſic confirmat. *Quin enim per Græcorum diſperſiones diuini diſcipuli tanquam equi quidam fuerint* [In Zach. c. 10.] *aduersùs eorum loquacitatem, & Deo exoſam fallaciam, tantùm non hinnientes, quis dubitet, cum Chriſtus de Beato Paulo dicat ad Ananiam: Vade, quoniam vas electionis mihi eſt iſte, vt portet* [Act. 9.] *nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael; & Abacuc, quaſi Dominum noſtrum, Ieſum* [Abac. 3.]

ſum Chriſtum alloquens, quoniam aſcendens ſuper equos tuos, & equitatio tua ſalus. Cæterùm cùm Scripturæ ſanctæ ſignificent ſub hoc nomine equi, viros Apoſtolicos, zelatores diuini honoris, hanc vnicam intentionem habentes, hunc animum quærendi dumtaxat Deum, & eius gloriam; idonea profectò ſimilitudo erit, quæ nos oſtendat, quo pacto gloria Dei quærenda ſit, qua magnanimitate, qua velocitate, qua fidelitate, qua obedientia, qua fortitudine: hæ ſunt generoſi, & bellici equi dotes, quas imitari debemus, vt per nos Chriſtus vincat præliator, & triumphet victor.

Quàm arduum, & glorioſum, & vtile ſit diuinam gloriam vnicè quærere.

Capvt LXXXIII.

Prius tamen conſiderare operæ pretium erit, cur ſanctus Propheta Zacharias pluraliter priùs locutus, ſtatim dicat ſingulariter, *equum.* Non dixit, poſuit eos tanquam equos, ſed *tanquam equum.* Equidem eadem ratione puto factum, ac alius Propheta
Thren. 3. dixit. *Bonus eſt Dominus ſpectantibus in ſe animæ quærenti illum. Adnotandum,* inquit ſanctus Ber-
Serm. 15. nardus, *quòd ſperantes quidem in eo pluraliter dixit, quod hoc videatur commune multorum; quærentem verò eum ſingulariter, quòd ſingularis ſit puritatis ſingularis gratiæ, ſingularis perfectionis, non modo nihil ſperare niſi ab eo, ſed nihil quærere, niſi eum; quod ſi bonus illis, quanto magis iſtis.* Idem quod in Ieremiæ verbis notauit ſanctus Bernardus, de Zacharia dici poteſt, non dixit pluraliter *equos,* ſed ſingulariter *equum gloriæ ſuæ.* Quoniam ſingularis ſanctitatis, ſingularis puritatis, ſingularis perfectionis eſt vnicè vnam Dei gloriam quærere, vel cum iactura proprij honoris, & commoditatis & voluntatis. *Pauci profectò ſunt, qui ſincerè, & verè ſolum Dei honorem ſolicitant, ſed ex his paucis oportet nos fieri. Quid enim glorioſius nobis, quàm vnam Dei gloriam quærere? Quomodo nobis glorioſum non erit, quod fuit ipſi filio Dei, in cuius nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ, & omnis lingua confitetur, quòd Dominus Ieſus Chriſtus eſt ad gloriam Dei Patris, Amen.* Sic Origenes legit. Inde noſtra gloria venit; in hoc gloriari humiliter licebit, de gloria ipſa Dei, quæ glorioſos etiam reddit quærentes ipſam. Quare ſanctus Cyrillus legit, *poſuit eos tanquam equum decorum, ſeu glorioſum.* Is enim qui ſolum gloriam diuinam intuetur, cupit, quærit, non modò gloriam Deo comparat, ſed ſe facit eius participem; non ſolùm eſt equus gloriæ Dei, ſed equus glorioſus, vt poſſit dicere etiam in hac vita illud Apoſtoli,
1. Cor. 3. *Gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Etenim qui purò ſpiritu, qui illuminato corde, qui ſyncera intentione gloriam dumtaxat Dei in omnibus actibus reſpicit, & attendit, fit einſdem gloriæ Dei particeps, quaſi in ipſam transformaretur; ſic glorioſus, ſic illuſtris, ſic ſpiritualis, ſic totus ſpiritus, & Angelus, non homo apparebit coram ipſis Ange-

lis, & hominibus. *Sicut enim* (ait Magnus Baſilius) *quæ iuxta floridos colores poſita ſunt, à ſplendore promanante colorantur & ipſa: ſic qui euidenter tendit oculos in ſpiritum, illius gloria quodammodo transformatur, vt fiat illuſtrior, dum veritate à ſpiritu promanante, ceu luce cor illuminatur, & hoc eſt transformari à gloria ſpiritus ad propriam gloriam.* De hac gloria gloriari licet, & oportet, quæ in Domino eſt, & à Domino.
Quapropter ſanctus Bernardus dixit. *Si gloriandum* Serm. 13. in Cant.
eſt, Paulus me docuit vnde, & in quo. Gloria, inquit, *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Securus glorior, ſi teſte conſcientia de gloria conditoris nihil mihi vſurpo. Securus planè: quia iam non contra Dominum, ſed in Domino. Hæc nobis gloriatio non ſolum non prohibetur, ſed & ſuadetur, cùm dicitur: Gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non vultis? Reuera gloriari in ſolo Deo, non niſi à ſolo Deo eſt. Nec mediocris iſta gloria, quippe tam vera, quàm de veritate, & in veritate; tam rara, vt vix vel paucitas perfectorum perfectè glorietur in ea.*

Deinde quid lucroſius nobis poteſt accidere? qui enim ſolùm Dei gloriam quærit, & operatur in omnibus operibus ſuis, & cordis motibus, innumeris cumulatur meritis. Quidquid facit, quidquid loquitur, quidquid cogitat, quidquid deſiderat, meritum eſt, gloria eſt, cœlum eſt. De quo dici poterit, quod Moyſes populo dixit, *Quemcumque locum calcaueris pes veſter, veſter erit.* Pes animæ affectus eſt, per quem tantum cœlum lucratur, quantum cupit, qui nihil niſi honorem Dei cupit, omnes actus æternæ vitæ dignos faciens; quidquid vult meritum eſt, gloria eſt, Deus eſt. Contrà verò, ſi diuinam gloriam non quæramus, maximam meritorum iacturam patiemur, & noſtra opera, ſi per ea non intendamus in Deum, velut ſtercora reputabuntur, noſque conſpurcabunt. Hoc eſt, quod per Mala-
chiam dicitur, *Si nolueritis ponere ſuper cor, vt* Malach. 2.
detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis, quoniam non poſuiſtis ſuper cor. Ecce ego proyciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum, ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum. Deinde quanta ignominia, & pudor erit relinquere diuinam gloriam pro noſtra opinione; contemnere diuinum beneplacitum pro no-
ſtra voluntate? Oſeas ait. *Confuſio Ephraim ca-* Oſea 10.
piet, & confundetur Iſrael in voluntate ſua.

Quanta animi magnitudine gloria Dei debeat quæri.

Capvt LXXXIV.

Nvnc videamus quo pacto infinitum hoc diuinæ gloriæ bonum, hoc Sanctorum propoſitum hæc Angelorum occupatio, hoc iuſtorum deſiderium, hæc deſideriorum coronis, imò hæc corona, & gloria noſtra deſideranda, & quærenda eſt. Et ne recedamus à propoſita equi ſimilitudine, quam ipſe Spiritus ſanctus commendauit per Zacha-

riam Prophetam, & diſcipulum dilectum, proprietates generoſi, & cataphracti equi oſtendent nobis conditiones diſcipulorum Chriſti, & eorum qui Apoſtolicam imitationem profitentur. In primis laudatur in generoſo & bellico equo animoſitas, & audacia, quam nobis ſic pulchrè deſcripſit ipſe Deus in libro Iob. *Gloria narium eius terror, terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus feruens, & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit: Vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Perſimili audacia, ſimili fortitudine, ſimili ſpiritu bellum Dei gerere debent, qui eius portant nomen, qui equi ſunt gloriæ diuinæ. Sanctimonia vitæ ſuæ, & zelus diuini honoris, debet terrere inimicos crucis Chriſti, & vt Elias ipſos mundi potentes Achab, & Iezabel perterrefacere. Terreſtria omnia peſſundent, conculcent, & deſpiciant; ſicut Eliſæus diuitias Naamam contempſit; exultant audacter, quemadmodum filius ipſe Dei, qui exultauit vt gigas, hoc eſt, fortiſſimè, & confidentiſſimè; nec timent mortem, nec gladios eorum, quos potiùs terrore debent innocentia vitæ, veluti Iſaias, Hieremias, Ioannes Baptiſta, & Paulus, qui in occurſum occurrit Neroni armato inhumanitate, & potentia mundi. Feruentes, & frementes ſorbent labores, & dura quæque & arida, tanquam ſuauem potionem; non minas timent, non pericula fugiunt: imò vbi audierint maiores labores pro Chriſto tolerandos, ardentiùs appetunt difficiliorem hanc prouinciam. Generoſum & magnum hunc animum ſanctus Propheta Amos oſtendit; erat ignobilis, & ruſticus homo, ſed electus à Deo in equum gloriæ ſuæ, relictis ouibus, & patria, irruit feruens inter armatos hoſtes; Iſraëliticum regnum penetrauit vſque ad Bethel, vbi præcipua ſedes abominandæ idololatriæ erat, ibi obiurgauit idolorum cultores, ibi minas Dei aduerſùs perfidos Iſraëlitas promulgauit, vt totus Iſraël tremefactus expauerit. Amaſias Sacerdos miſit ad Ieroboam ſecundum huius nominis Regem Iſraëlis, hoc nuntium. *Reuelauit contra te Amos in medio domus Iſrael: non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius.* Vnus homo erat & pauper, & aſpectu vilis, & aduena: verùm tanta animi virtute cauſam diuinæ gloriæ egit, vt duo regna Iſraëlis, & Iuda, tum Idumæos, & Moabitas, & Amonitas, & Tyrios, & Sidonios, & Damaſcenos terruerit rugitu ſuo leonino. Sed mirum quanta humilitate deprimebat ſe extenuans legationem ſuam, & vilem ſtatus ſui conditionem publicabat. *Non ſum* (inquit) *Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros.* Etenim ſorores ſunt magnanimitas, & humilitas ſeruorum Dei. Quid vltrà? repulſus ab Amaſia, viriliter reſtitit. Iugiter vapulans perſeuerauit, inſidiis, & conuitiis notatus nihil timuit, non proinde ceſſauit. *Nam magnanimus*, vt inquit ſanctus Cyrillus, *in calamitate maiorem ſumit ſpiritum, & triumphans ratio, tunc vehementiùs roboratur.* Quid tandem nec mortem horruit, quam illi intulit filius Amaſiæ qui fuſte illum ſecundùm tempora feriendo occidit, quòd ipſum de inſidiis duarum iuuencarum ex auro ſuggillaſſet.

Cap. 39.

Amos 7.

Lib. 1. Apol. c. 21. Epiphan. in vita Amos.

Eandem fortitudinem nos docuit ſanctus Ezechiel, cui dixit Dominus, quod nobis dictum putemus. *Omnis quippe domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem, vt ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exaſperans eſt.* Mirum profectò, qua conſtantia, qua animi virtute gloriam Dei quæſiuit, & miniſterium ſuum perfecit; vinctus erat & mutus, non tamen proinde prædicationem, & prophetiam abſoluit, ſed quod verbis non poterat, aptis ſignis exprimebat, iam deſcribens in latere ciuitatem Hieruſalem, & obſidionem eius futuram; iam ſumens ſartaginem ferream, & ponens eam in murum ferreum inter ſe, & ciuitatem, iam aliis modis; quidquid dicere non valebat, nutibus, & operibus ſignificantiùs declarabat. Ezech. 3. Ezech. 4.

Hanc fortitudinem animi in ſe imitetur Prædicator, vt non minus efficiat quàm dicat. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum. Quid eſt, quòd huic equo*, inquit ſanctus Gregorius, *Dominus ſe prius dare fortitudinem, & poſtmodum collo eius hinnitum circundare aſſerit? Hinnitu enim vox prædicationis exprimitur. Verus autem quiſque Prædicator antè fortitudinem, & poſt hinnitum accipit; quia cùm in ſe prius vitia extinxerit, tunc pro erudiendis aliis ad vocem prædicationis venit. Equus iſte habet fortitudinem; quia aduerſa conſtanter tolerat. Habet hinnitum, quia ad ſuperna blandiens vocat. Huic equo Dominus & fortitudinem, & hinnitum ſe dare teſtatur: quia in Prædicatore eius, niſi & vita, & ſermo conuenerint, nequaquam virtus perfectionis apparebit. Non enim multum prodeſt ſi ſublimis vita operatione ſuffultus ſit, ſi tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare quod ſentit, vel quid prodeſt bene loquendo alios accendere, ſi ſemetipſum indicat, malè viuendo torpuiſſe? Quia ergo in Prædicatore neceſſe eſt, vt ad perfectionem vtraque conueniant, equo ſuo dominus & cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu vocis fortitudinem miniſtrat actionis. Et notandum cur hinnitus qui interius, nimirum per guttur ducitur, equi collo circumdari, id eſt, quaſi per gyrum trahi exterius dicatur: quia videlicet prædicationis vox de internis emanat, ſed extra circumdat. Nam quo alios ad bene viuendum ſuſcitat, eo ad bene agendum, & opera prædicantis ligat: ne extra ſermonem actio tranſeat, ne voci vita contradicat. Collo ergo equi hinnitus circumducitur: quia ne ad peruerſa opera prodeat, ſuis vocibus etiam vita prædicantis obſidetur. Hinc eſt enim, quòd potenter dimicantibus in munere torques datur; vt quia ſigna virtutum geſtant, maiora ſemper exerceant, & debilitatis crimen incurrere metuant, dum in ſemetipſis iam fortitudinis eſt præmium quod oſtentant. Vnde rectè in laude Sapientiæ auditori cuilibet per Salomonem dicitur. Coronam gratiarum accipies capiti tuo, & torquem auream collo tuo.* Lib. 31. Mor. c. 11. Eccleſ. 2.

Quanta

Quanta obedientia, abnegatio, & humilitas neceſſaria ſit viris Apoſtolicis.

Capvt LXXXV.

Altera equi laus cum tanta magnitudine, & ferocia eſt mira obedientia; nihil propria voluntate facit, ſed omnia ad inſidẽtis nutum quaqua verſum flexibilis. Sic nos nihil propriæ voluntatis retinere debemus, ſed ad nutum diuinæ inſpirationis, aut ſuperiorum pareamus ſtatim, quemadmodum Rom.2. in Cant. Prophetæ, & Apoſtoli. *Equus* (inquit Origenes) *& equitatus Dei, & Chriſti ſunt Apoſtoli, & anima ſancta ſeſſor eſt verbum Dei, cuius illa frenum ſuſcipiunt, vt quocumque voluerit flectat eas. Ita vt ad omnia bona non à ſe, ſed à voluntate ſeſſoris ducantur, & reducantur, atque à malo refrenentur.* In multis imitari poſſumus obedientiam Prophetarum, qui etiam ante Euangelium fuerunt equi gloriæ diuinæ, ſed tanquam iumenta apud Deum ad omnem obedientiam, & eximiæ patientiæ experimenta prompti pro Dei honore, quos Deus mirè in mortificatione inſtituit, & omnimoda ſui abnegatione, tanquam optimus Magiſter ſpiritus in iis rebus illos exercens, & mortificans, quas duriores illis nouerat. Scit Deus quantum referat equos ſuos procuratores ſuæ gloriæ, coadiutores ſuos in ſalute animarum, abnegatos, & obedientes eſſe; idcirco ſingulari ſtudio eorum voluntatem infringebat. Illuſtris profectò mortificatio honoris accidit Prophetæ Oſeæ, quam ipſe patientiſſimè pro Dei gloria pertulit, qui ſicut primus omnium prophetauit contra populum Dei, primitias quoque patientiæ debuit exhibere: iuſſit illum Dominus rem ſatis arduam, & magni illi dedecoris; nimirum ducere vxorem inſignem meretricem, mulierem fornicationum, quod maximi pudoris, & ignominiæ fuit homini caſto, ſtudioſo virtutis, & parentis nobilitate noto. Nihilominus ſanctus vir, ſilens & patiens paruit Domino. Prudentes detrahebant illi; populus tanquam apoſtatam notabat; prouerbium, & fabula omnibus erat: ipſe tamen heroica obedientia, & humilitate, nihil niſi voluntatem Domini reſpiciens, & cupiens, per multos annos conſtantiſſimus mortificationem illam tulit.

Cæterùm ſanctus Ezechiel Propheta per quot experimenta mortificationis, & obedientiæ probatus equus diuinæ gloriæ fuit? Iuſſit eum Deus talia facere, vt propterea à cognatis conijceretur in vincula tanquam amens, & lunaticus. Deinde ipſe Dominus vſu linguæ illum Ezech. 3. priuauit, mutum eum reddens, *Et linguam*, inquit, *tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus.* Deinde iubetur ſiniſtro latere decumbens iacere numero dierum trecentorum, & nonaginta, vt in tam longo dierum interuallo non liceret illi conuerti ab vno latere in aliud. Mox poſt arduam hanc pœnitentiam iubetur alios quadraginta dies iacere ſuper latus dextrum eodem modo. Maior adhuc mortificatio videtur ſequens; per illos trecentos & nonaginta dies iuſſit illum Dominus miram, & inauditam abſtinentiæ legem ſeruare, non tantùm in exiguitate victus, ſed in qualitate; dumtaxat enim comedebat ſemel ſingulis diebus, & tantùm decem vncias inſipidiſſimi panis, quem vt inſipidior, & horridior eſſet, non ex frumento ſolùm, ſed ex fabis, hordeo, lente, milio, & vicia permixtis confici Deus iuſſit. Tum in clibano non coqui, ſed ſub cinere, vt acerbiùs ſaperet. Nec in hoc conſiſtit mortificatio, ſed addidit Dominus, quod horret audiri: Et ſtercore quod egreditur de homine operies illud. Et poſtea cùm indulgentior fuit Dominus Ezechieli, commutauit ſtercus humanum pro bouino. *Ecce* (inquit) *dedi tibi fimum boum pro ſtercoribus humanis, & facies panem tuum in eo.* Ezech. 4. Deinde potus ſobrietas nimia fuit, vt ſitim non extingueret. Admiranda prorſus mortificatio & pœnitentia, & patientia ſancti huius Prophetæ, qui totum hunc rigorem ſeruauit. Adiecit quoque Dominus aliud experimẽtum patientiæ quo per imaginem quandam ſtultitiæ ſanctum exerceret Prophetam, iubens illum radi ſibi caput & barbam. Mox cùm ſubita morte vxoris auferret Ezechieli deſiderabile ſuorum oculorum, præcepit illi ne coniugem defleret.

Similiter Iſaias, & Ieremias Prophetæ arduis, & moleſtis mortificationibus exerciti à Domino fuerunt. Iſaiam, cùm vir magnæ auctoritatis eſſet, & regio ſanguine, atque cognatione illuſtriſſimus, iuſſit nudum, & excalceatum, tanquam ſi amens eſſet, incedere, mille vulgi, & imprudentum, & maleuolorum conuitia atque iniqua iudicia ſuſtinentem. Ieremias quoque iuſſu Domini pluſquam vndecim annos onuſtus vinculis, & catenis, quæ collum eius magnopere affligebant, publicè incedebat; cùm Deus elegiſſet hos ſanctos viros, vt quadrigæ eſſent ſuæ gloriæ, & honoris, eos præſertim mortificauit in proprio honore; hoc ſtudio mirè exercuit Hieremiam, & Ezechielem, qui contraria prophetaſſe viſi, auctoritatem ſanctimoniæ, & prophetiæ periclitati notabantur ab omnibus, & ridebantur. Etenim Hieremias exiſtens Hieroſolymis prædicebat Regem Sedeciam captiuum ducendum Babylonem. Exechiel autem, qui in captiuitate erat, affirmabat non viſurum Regem Iuda Babylonem. has prædictiones veras quidem, ſed quæ videbantur contrarias diſpoſuit Dominus, vt magna inde ſanctis Prophetis contemnendi honoris occaſio accideret, cùm vterque interim exiſtimaretur, non ſpiritu Dei agi, ſed mendacij; nam vterque dicere vera non videbatur credibile; quare vterque mendax habebatur, re tamen ipſa, & euentu vtriuſque prophetiæ veriſſima fuit: nam Rex Iuda, captiuus ductus fuit Babylonem, non tamen vidit Babylonem, quia excæcatus fuit. Multis aliis exemplis oſtendi poſſet quanto ſtudio voluerit Deus ſuæ gloriæ procuratores obedientes, & humiles continere, ne efferrentur miniſterij dignitate, & fructu, cùm nihil magis impediat gloriam diuinam, quàm ſibi placere propriam. Vnde ſanctus Gregorius dixit. *Equus iſte & fortis, & ſub freno eſt.* Lib 31. Mor. c.14. *Ne ergo prematur aduerſis, habet vim fortitudinis: ne eleuetur proſperis, habet pondus deſuper inſidentis. Decurrunt quippe tempora, ſed idcirco iuſtum trahere non valent, quia leuare non poſſunt. Illos nimirum trahunt, quos leuant: irata deijciunt, quos blanda ſuſtollunt. Vir autem bene Deo ſubditus ſcit inter tranſeuntia ſtare; ſcit inter lapſus decurrentium temporum mentis greſ-*

ſum figere: ſcit nec ad ſubiecta ſe erigere, nec ad obiecta trepidare. Plerumque autem, quia exerceri ſe vtilius contritionis ſuæ laboribus nouit, in aduerſis hilareſcit, quia dum conſtanter pro veritate tolerat, augeri ſibi virtutis meritum lætatur. Hinc eſt, quod tunc Apoſtolos exultaſſe legimus, cùm pro Chriſto illos contigit flagella toleraſſe, ſicut ſcriptum eſt: Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Hinc Paulus cùm duris in Macedonia fuiſſet perſecutionibus preſſus, in eo quòd ſe afflictum inſinuat, etiam iucundatum demonſtrat, dicens: Nam cùm veniſſemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra. Ac ſi apertè diceret, quia ſpiritus requiem habuit, dum per profectum animæ, perſecutionum ſupplicia caro tolerauit.

Et quidem Dominus ad humilitatis, & aduerſarum rerum amorem inclinare Prophetas per tot probationes voluit, vt ſuæ voluntati obedientiores eſſent; neque enim repugnat perfectæ obedientiæ inclinatio, & voluntas ſe humiliandi. Nam, vt alibi idem ſanctus Gregorius notauit:

Lib. 35. Mor. c. 10. *Quia nonnunquam nobis huius mundi proſpera, nonnunquam verò iubentur aduerſa, ſciendum ſummopere eſt, quòd obedientia aliquando, ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt; aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima. Nam cum huius mundi ſucceſſus præcipitur, cùm locus ſuperior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc etiam ex proprio deſiderio anhelat. Neque enim ſe ſub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ proſpera libidini propriæ ambitionis ſeruit. Rurſum cùm mundi deſpectus præcipitur, cùm probra adipiſci, & contumeliæ iubentur, niſi ex ipſo animus hæc appetat, obedientiæ ſibi meritum minuit, quia ad ea quæ in hac vita deſpecta ſunt, inuitus, nolenſque deſcendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cùm mentem ad ſuſcipienda probra huius ſæculi, nequaquam ex parte aliqua etiam ſua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduerſis ex ſuo aliquid habere, & rurſum in proſperis ex ſuo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in aduerſis tanto ſit glorioſior, quanto diuino ordini, etiam ex deſiderio iungitur, & in proſperis tanto ſit verior, quanto à præſenti ipſa, quam diuinitus percipit, gloria funditus ex mente ſeparatur. Sed hoc virtutis pondus meliùs oſtendimus, ſi cæleſtis patriæ duorum hominum facta memoremus. Moyſes namque cùm in deſerto oues paſceret, Domino per Angelum in igne loquente, vocatus eſt, vt eripiendæ omni Iſraelitarum multitudini præeſſet. Sed quia apud ſe mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: Obſecro Domine, non ſum eloquens: ab heri enim, & nudiuſtertius ex quo cœpiſti loqui ad ſeruum tuum, tardioris, & impeditioris linguæ ſum factus. Et ſe poſtpoſito, alium depoſcit, dicens: Mitte quem miſſurus es. Ecce cum authore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis poteſtatem ſuſcipiat, elinguem ſe eſſe cauſatur. Paulus quoque diuinitus fuerat, vt in Hieruſalem debuiſſet aſcendere, admonitus, ſicut ipſe Galatis dicit. Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendit Hieroſolymam, aſſumpto Barnaba, & Tito, aſcendit autem ſecundum reuelationem. Iſque in itinere cùm Prophetam Agabum reperiſſet, quanta ſe aduerſitas in Hieroſolymis maneret, audiuit. Scriptum quippe eſt, quod idem Agabus zonam Pauli ſuis pedibus inſerens dixit: Virum cuius hæc zona eſt, ſic allegabunt in Hieruſalem. A Paulo autem protinus reſpondetur: Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Ieſu, neque enim pretioſiorem facio animam meam, quam me. Præceptione igitur reuelationis Hieroſolymam pergens aduerſa cognoſcit, & tamen hæc libenter appetit; audit quæ timeat, ſed ad hæc ardentior anhelat. Moyſes itaque ad proſpera de ſuo nihil habet; quia precibus renititur, ne Iſraelitica plebi præferatur. Paulus ad aduerſa etiam ex ſuo voto ducitur; quia malorum imminentium cognitionem percipit, ſed deuotione ſpiritus etiam ad acriora ferueſcit. Ille præſentis poteſtatis gloriam Deo volente iubente declinare; iſte Deo aſpera, & dura diſponente, ſe ſtuduit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtrorumque ducum infracta virtute inſtituimur, vt ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis huius ſæculi ex ſola iuſſione, aduerſis autem etiam ex deuotione militemus.*

Cæterùm ſella per quam præliator Chriſtus inſidet equis gloriæ ſuæ Apoſtolicis viris à ſe regendis, ſcilicet obedientibus iuſtitia & innocentia vitæ eſt, quemadmodum Dauid dixit, *Iuſtitia, & iudicium, præparatio ſedis tuæ.* Pſal. 88. Hoc apparatu pugnantem filium Dei vidit ſanctus Ioannes. *Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus,* Apocal. xi. *& qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicat, & pugnat;* iuſtitia enim & innocentia vitæ iuuant maximè obedientiam.

Quàm fideliter gloria Dei quærenda ſit.

CAPVT LXXXVI.

FIDELITAS quoque magna eſt dos generoſi equi; incredibilis quippe amor, & fides aliquorum equorum fuit erga ſuos dominos. Nullum alium inſidere ſibi patiebantur, imò neque dominum alij equo inſidere niſi ſibi. Equus illius Regis, qui omnem Orientem vicit, hanc fidem erga ſuum dominum ſeruauit, vt ſolum illum portaret, ſolum Alexandrum ſeſſorem ferebat, & cùm ſemel in prælio vulneratus eſſet, non permiſit Alexandrum in alterum inſilire equum. Sed ſaucius, & ſanguinolentus, eum vitæ diſcrimine illi voluit ſeruire. Erubeſcamus quòd maior fidelitas ſit brutorum, animalium erga nos, quàm noſtra erga Deum; non alium Dominum patiamur, niſi Dominum Ieſum, & gloriam eius; Ieſus ſolùm dominetur, Ieſus ſolùm inſideat noſtris cordibus; quemcumque alium motum, & affectum niſi de gloria Dei, & exaltatione Ieſu repellamus, & ſuccutiamus è nobis. Fideles ſimus Domino noſtro Ieſu. Ieſus vnicè in nobis ſedeat, in nobis regnet, in nobis vincat; non voluntas noſtra, non voluptas, non commoditas, non honor, non gloria; nam in hoc maximè perfidi Deo erimus, qui gloriam ſuam ſibi chariſſimam ſicut alteri non dat, minus valet, vt alter vſurpet; *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam;* gloria Dei eſt, quidquid homo glorioſum fecit.

fecit. Fideliſſimi in hoc ſimus glorificatori, & Domino noſtro, largitori omnium bonorum, auctori omnium virtutum. Audiamus Diuum Bernardum, quid de hac fidelitate nos doceat. *Mirabilem te apparere, & contemptilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius indico.* Serm. 13. in Cant. *Fidelis reuera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non exeunte ex te, tamen tranſeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Tunc iuxta Prophetam proycis auaritiam ex calumnia, & excutis manus tuas ab omni munere. Tunc iuxta mandatum Domini lux tua lucet coram hominibus, ad glorificandum non te, ſed Patrem, qui in cælis eſt. Sed & imitator Pauli, fideliumque Prædicatorum, non prædicantium ſemetipſos, æquè nec tu quæ tua ſunt quæris, ſed quæ Ieſu Chriſti. Quamobrem audies & tu: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Ioſeph cum domum, & omnia bona Ægyptij domini ſui ſibi credita ſciret, dominam non ignorantie exceptam: & ob hoc non acquieuit contingere. Non eſt, inquit, ex omnibus bonis domini mei, quod non in mea poteſtate ſit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es. Mulierem nouerat gloriam eſſe viri, & iniquum ſibi iudicauit vice contraria ingloriam facere eum, qui ſe fecerat glorioſum. Aduertit homo Dei ſapientia prudens, virum vxorem fortiter tanquam propriam zelare gloriam, ſibique ipſi retinuiſſe ſeruandam, non alij credidiſſe, & manum ad non conceſſum extendere non præſumpſit. Quid ergo. Homo zelat gloriam ſuam, & Deum audet velle fraudare de ſua quaſi non zelantem. Sed audi, quid dicat. Gloriam, inquit, meam alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis Domine, quid dabis nobis? Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit mihi. Gratanter ſuſcipio quod relinquis, & relinquo quod retines. Sic placet, ſic mea intereſſe non dubito. Abiuro gloriam prorſus, ne fortè ſi vſurpauero non conceſſum, perdam meritò & oblatum. Pacem volo, pacem deſidero, & nihil amplius. Cui non ſufficit pax, non ſufficis tu. Tu es enim pax noſtra, qui feciſti vtraque vnum. Hoc mihi neceſſarium, hoc ſatis eſt, reconciliari tibi, reconciliari mihi. Nam ex quo poſuiſti me contrarium tibi, factus ſum etiam mihi metipſi grauis. Cautus ſum, nec ingratus fore beneficio datæ pacis, nec ſacrilegus inuaſor gloriæ tuæ. Tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata, mecum bene agitur, ſi pacem habuero. Golia proſtrato lætatus eſt populus pace recepta, ſed Dauid ſingulariter extitit glorioſus. Ioſue, Iephthe, Gedeon, Sanſon, Iudith quoque quamquam fœmina, glorioſè in diebus ſuis triumpharunt de hoſtibus, ſed pace cum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicauit in gloria. Iudas Machabæus multis & ipſe inclytus victorijs, cùm frequenter exultanti populo, pacem fortiter pugnando tribuiſſet, nunquid gloriam quandoque eſt partitus alicui? Denique & facta eſt, inquit, non gloria, ſed lætitia magna in populo. Quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quo minus & ipſe debeat gloriari ſingulariter? Solus cuncta creauit, ſolus de hoſte triumphauit, ſolus captiuos liberauit: & ſocium habebit in gloria? Et brachium, inquit, meum auxiliatum eſt mihi. Item, Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Quid mihi ergo cum victoria, ſi nec in prælio fui? Impudentiſſimè mihi arrogo vel gloriam abſque victoria, vel victoriam ſine pugna. Sed ſuſcipite montes pacem populo, pacem ſuſcipite nobis, non gloriam, ipſi ſoli eam ſeruantes qui ſolus & pugnauit, & vicit. Ita quæſo, ita ſit gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. At verò non bonæ, ſed planè iniquæ voluntatis eſt, qui nequaquam pace contentus, ſuperbo oculo, & inſatiabili corde inquietus anhelas, & ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens.*

Sciendum tamen eſt non hoc ſolummodo, ſed multis aliis poſſe infidelitas accidere erga gloriam Dei; nam quamuis nullum quæramus honorem, nec gloriam propriam, propter aliquam tamen commoditatem, aut guſtum noſtrum defraudare Deum ſua gloria poſſumus, negligendo ea facere, quæ ad Dei honorem ſpectant, ne aliquem temporalium cõmoditatum vſum amittamus. Hoc quoque ſceleſtum, & iniurioſum Deo eſt: nam cùm ex bonis temporalibus maior omnium honos habeatur. Si propter honorem, & gloriam noſtram gloria Dei prætermitti non debet, quanto minus propter minora bona vtilitatis & delectationis, ſcilicet propter ſtercora, & ſordes, in quibus cum brutis volutabimur. Deinde propter honorem & gloriam propriam poteſt diuina dupliciter violari. Primò, quando ipſam gloriam Dei vſurpamus, & gloriamur vanè de virtutum actibus, quaſi non eſſent ex gratia Dei, & hoc eſt vitium tartareum, crimen Luciferinum, ſcelus Dæmoniacum. Alio modo infideles erimus gloriæ Dei, non ob vanam gloriam, nec ambitionem, aut vſurpationem eius, quod Deo debetur, ſcilicet cùm relinquimus ea facere, quæ ad gloriam Dei attinent, ne noſtra reputatio defraudetur, aut honos minuatur, cum humiliari nolumus, quamuis ex illa actione, quæ coniuncta eſt cum humiliatione noſtra, magna Dei gloria oritura ſit, in quo peccauit Ionas Propheta, haud fideliter Deo ſeruiens, ſiquidem timore mundani honoris, ne falſus Propheta haberetur, noluit Niniuitis prædicare ſubuerſionem vrbis ſuæ, veritus, quod accidit, ne commotus miſericors Dominus pœnitentia Niniuitarum ſententiam mutaret, & ſua prædictio falſa crederetur. Pereat tamen honos noſter, pereat gloria, pereat commoditas, pereat vita, pereamus omnino, vt gloria Dei viuat.

Quàm velociter res diuinæ gloriæ peragenda ſit.

CAPVT LXXXVII.

COMMENDATVR quoque equus à velocitate, quam etiam in ſeruis Dei, in equis gloriæ ſuæ requirit Chriſtus: idcirco equus albus erat ille, in quo Dominus gloriæ inſidebat, quoniam albi equi celeritate cæteris excellere creduntur, vbi enim gloria Dei interuenit, quid V. Turnebum lib 24. c. 31. expectandum eſt, niſi celeriùs ceruo, celeriùs aquilis, celerius fulmine, illam perficere, tanquam auidi, & famelici ſummi huius boni. Præuidit Iſaias diligentiam, & ſtrenuitatem Apoſtolicorum hominum, & miratus ait. *Qui ſunt iſti,* Iſaia 60. *qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* nimirum *Apoſtoli*, inquit Rupertus, *volantes*

Digitized by Google

volantes ad prædicationem Euangelij, ſeu celerrimè per orbem diſcurrentes, qui bene nubes vocantur ob euangelicam doctrinã, quæ refrigerat, & fœcundat. Diſcere poſſumus ex auiditate & celeritate cœleſtium ſpirituum, quos tamen in ſacerdotali miniſterio verbi Dei, & ſalutis animarum excellimus, eoque celeriùs voluntatem Dei exequi debemus, quo proximiùs, & ſenſibiliùs animarũ ſanctificatio & ſalus à noſtra opera pendet. In Angelis non aliud excellentius inuenit Dauid propter quod ad benedicendum Deo illos prouocaret, quàm promptitudo exequendæ voluntatis diuinæ. *Be-* Pſal. 102. *nedicite*, inquit, *Domino omnes Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius.* Non inuitauit Angelos ad laudes diuinas, quia nobiliſſimi natura, quia ſine fece corporis, quia ſpirituales, & intellectuales, & pulcherrimæ creaturæ ſunt, quia præſtantiſſimas alias dotes habent, quoniam totum hoc minus eſt, quàm velox, & parata eorum voluntas faciendi diuinam voluntatem. Ad hoc potentes ſunt, ad hoc multa valent virtute, huius tam auidi, tam famelici ſunt, vt celerrimè impleant diuina iuſſa; vt iterum iubeantur, præmium reputantes vnius legationis, ſi ad aliam mittantur. Hæc faciunt Angeli, cùm per ſua miniſteria non fiant magis grati Deo, cùm nec maiorem gratiam, nec meritum, nec gloriam adepturi ſint, & cùm eorum miniſterium non ita attingat immediatè ſalutem animarum, quæ gloria Dei eſt. Quanto igitur promptiùs, quanto agiliùs nos diuinam voluntatem perficere, & gloriam curare tenemur, cùm maiorem ſubinde gratiam, maiora merita conſecuturi ſimus, cùm gratiores proinde Deo extiterimus, cùm denique opus noſtri ſacerdotij excellentius ſit Angelico miniſterio. Quippe nomen Dei coram omnibus gentibus portamus, & ſalus hominum perficitur noſtro miniſterio, prædicatione, & opera. Hanc excellentiam noſtri muneris agnoſcunt, & reuerentur ipſi Angeli, licèt glorioſi ſint, & nos in iſta degamus valle lachrymarum. Hinc eſt, quòd non permiſit Angelus adorari à Ioanne Apoſtolo ob excellentiam prædicationis Ieſu Chriſti, cuius teſtimonium coram Gentibus exhibebat. Hanc cauſam reddidit Ioanni cadenti ante pe-
Apoc. 19. des eius, vt adoraret eum, *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu*; & cùm humilis Ioannes rurſus voluiſſet adorare Angelum, eadem excuſatione
Apoc. 22. reſtitit, dicens: *Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum*, nimirum prædicantium Ieſum, & habentium illius teſtimonium; nam,
Apoc. 19. vt idem Angelus explicuit, *teſtimonium Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ.* Per Prophetas intelligens Prædicatores, & operarios vineæ Domini. Ergo ſi Angeli celeritate fulminis implent diuinam voluntatem, & curant eius gloriam, quod videtur
Pſal. 103. ſignificare Dauid, dicens: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Nos qua velocitate diuinum honorem operaturi ſumus, cùm noſtrum miniſterium honorificentius, & glorioſius Deo ſit. Chriſtus dixit Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi*; nam, quod celerius eſt igne vrenti, & fulmine, ſola eſt lux quæ ſubitò magnum ſpatium percurrit, & momento protenditur; quæque prius apparet, quàm calor, & aduſtio ignis ſequatur. Fulmen ſiquidem quantumuis celere ſit interuallum temporis, & ſuam moram conſumit in curſu: lux autem momento excurrit quocumque poteſt. Hoc diſcrimen deberet intercedere inter promptitudinem noſtram, & agilitatem Angelicam, ratione, & comparatione habita excellentioris noſtri miniſterij, & ſacerdotij, vt quod Angeli in tempore, nos in momento, in ictu oculi exequamur. At quia noſtra fragilitas, & infirmitas naturæ ad hoc venire nequit; promptitudo tamen voluntatis diuino amore incenſo, potentiſſima; & attentiſſima ſit diuinæ procurandæ gloriæ, & in ipſo opere quantum in nobis ſit, efficaces ſimus, & impigri. Exemplum nobis fuit Apoſtolorum magiſtra, & Angelorum Regina, quæ abiit in montana cum feſtinatione. Cauſa tantæ celeritatis erat, quia ab eius præſentia ſalus & ſanctificatio pueruli Ioannis pendebat. Aduentum quoque filij Dei pro ſalute hominum ſacra nobis repræſentat
Scriptura celerem, & velocem, atque ſimilem Cant. 2.
fugienti capreæ hinnuloque ceruorum ſalientem in montibus, tranſilientem colles. Et Dauid ait,
Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo Pſal. 18.
cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. Hinc etiam fit elegiſſe Dominum eos Apoſtolos, qui promptè, & celeriter illum ſequerentur, qui relictis retibus, relicto telonio, relictis patribus è veſtigio irent poſt vocantem Ieſum: hinc etiam Dominus negauit cuidam facultatem ſepeliendi parentem ſuum, ne vel tantiſper mo-
raretur. Eliſæus quoque ſtatim relictis bobus 3. Reg. 19.
cucurrit poſt Eliam vocantem. Quòd ſi primus ingreſſus Apoſtolici muneris tam celer, tam velox debuit eſſe, eius progreſſum, & exercitium quanta celeritate operari oportet eos, qui veterani ſunt, qui tenentur iam perfecti eſſe, qui iam diu ſæculi tenebris ſe expedierunt.

Quanta patientia neceſſaria ſit viris Apoſtolicis.

CAPVT LXXXVIII.

NEQVE minima equorum gloria patientia eſt, etenim generoſus equus, armato onuſtus milite, tanquam ſi liber, & exoneratus eſſet, geſtit, & exultat, neque famelicus, & inſomnis animum, & generoſam ſuam ferociam deponit. Oportet quoque, & neceſſe eſt multa pati pro honore Dei; & quid dulcius, quàm pro gloria Ieſu amara guſtare, ardua perpeti? Apoſtoli quidem velut generoſi equi gloriæ Dei, ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Pati neceſſe eſt, tum iacturam propriæ gloriæ, commoditatis, voluptatis: tum perſecutiones mundi, tum quandoque ipſum ſuſtinere Deum. Intrinſecus, & extrinſecus neceſſaria patientia eſt, vt fideliter honorem Dei curemus, & ſuam Dominus gloriam de nobis confidat. *Ecce ex-*
coxi te, per Iſaiam dicit, *ſed non quaſi argentum,* Cap. 48.
elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer, & gloriam meam alteri non dabo; non alteri, ſed huic tradit Deus, & confidit ſuam gloriam procurandam, qui tribulationum, & patientiæ igni excoctus,

&

& probatus, nihil laboris parcit. Sanctus Paulus, qui Apoſtolicæ ſedulitatis documenta dedit, dedit & patientiæ, 2. Cor. 11. *Fidelis gloria Dei miniſter in laboribus multis, & carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter*, à Iudæis, ſic ipſe fatetur, *quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis caſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore, & ærumna, in inſidijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quapropter aptè ſanctus Chryſoſtomus patientiam vocauit Apoſtolorum characterem.

Homil. 25. in 2. ad Cor. Quemadmodum enim generoſi equi charactere, & nota aliqua inſigniuntur: ſic Apoſtolici viri diuinæ gloriæ equi, patientiæ, & perſecutionum charactere nobilitatur. Ita Paulus qui Apoſtolico officio excelluit, excelluit quoque patientia, & inuictus inter pericula, & hoſtes generoſitatem ſuam oſtendit; & quoniam eximia forma fuit Apoſtolici muneris imitanda nobis; eiuſdem patientiam, & ex patientia victorias, quas Chriſtus obtinuit in hoc equo ſuæ gloriæ, vincens in illo, vt in nobis vinceres, proferam ex ſancto Chryſoſtomo.

Vbi ſuprà. *Quaſi flamma, inquit, inextinguibilis ignis, ſi in mare lapſa, multis opprimentibus fluctibus mergitur, & iterum fulgida aſcendit: ſic ſanè & Beatus Paulus, nunc quidem periclitans obſcurabat, nunc pericula tranſiens clarior redibat patiendo victor. Iſta eſt enim verè fulgida victoria, hoc Eccleſiæ trophæum: ſic diabolus configitur nobis malè afflictis; nobis enim afflictis capitur, & patitur ipſe, quod nos pati voluit, id quod & Paulo contigit. Nam quo magis Satan pericula multiplicabat, hoc magis vincebatur: non enim vnum genus tentationum adornabat, ſed multa & varia. Nam alia laborem, alia timorem, alia triſtitiam, alia dolorem, alia curam, alia confuſionem, alia omnia ſimul habebant: at tamen in omnibus vincebat, & quaſi miles vnus habens totum orbem militantem contra ſe, in medijs hoſtium verſetur agminibus, nihilque graue patiatur: ita & Paulus. Solus inter Barbaros, inter Gentes, vbique terrarum, vbique marium apparebat, & inuictus manebat. Et quaſi flamma in calamos, & fœnum incidens in ſuam naturam, quæ vruntur transfert: ſic & iſte omnes inuadens, omnia ad veritatem transferebat, ſicut torrens, qui omnia corripit, & impedimenta reuellit: & ſicut Athleta quidam, ipſe luctans, currens, & pugilem agens, vel miles muros oppugnans, in campo prælians, & in nauibus belligerans: ita omne genus pugnæ tractabat, & ignem inſpirabat, & omnibus inacceſſus erat, vno corpore orbem comprehendens, vna lingua omnes euertens. Non ſic multa tuba in Hierichuntinorum ciuitatis lapides irruebant, & deſtruebant illos, vt illius vox reſonans diabolica in humum trahebat ſubſidia, & aduerſarios ad ſe transferebat, & quando collegit captiuorum multitudinem, ipſe illos iterum armauit, & ſuum exercitum facere cœpit, perque illos mirè vincebat. Dauid Goliath vno ſolo lapide deijciebat: at ſi Pauli præclara opera ſcrutatus fueris, pueri fuerit opus illud, & quantum inter militem, ac paſtorem diſtat, tantum videbis diſcrimen. Hic enim non lapidem mittens deiecit Goliath, ſed ſolùm loquens omnem diaboli deſtruxit flammam: ſicut leo rugiens, & flammam de lingua emittens, ita omnibus intolerabilis: & vbique aſſiliebat continuo, currebat ad hos, veniebat ad illos, aſſiſtebat illis, irrumpebat ad alios, inſiliens vento velocior, & quaſi vnam domum, vel nauem vnam, totum orbem gubernans, eos qui mergebantur, ſurſum trahens, & qui turbabantur, ac cadebant confirmans, nautis imperans, in puppi ſedens, proram obſeruans, rudentes extendens, remum apprehendens, velum trahens, in cœlum ſuſpiciens, omnia ipſe exiſtens, & nauta, & gubernator, & proræ director, & velum, & nauem, & omnia ferens, vt omnium mala ſoluat. Conſidera autem: ſuſtinuit naufragium, vt naufragium totius orbis auferret: noctem ac diem in profundo fuit, vt à profundo erroris extraheret: in moleſtijs fuit, vt laborantes refocillaret: verbera ſuſtinuit, vt à Diabolo percuſſos ſanaret: in carceribus conuerſatus eſt, vt in carcere, & tenebris ſedentes, in lucem produceret: in mortibus ſæpe, vt à grauibus mortibus liberaret. Quinquies quadraginta minus vna accepit, vt illos hæc facientes à Diaboli flagello liberaret. Virgis caſus eſt, vt ſub virgam, & baculum Chriſti mitteret. Lapidatus eſt, vt ab inſenſibilibus lapidibus liberaret. In ſolitudine fuit, vt à ſolitudine liberaret. In itineribus, vt ſiſteret errantes, & viam in cœlum ferentem aperiret. In ciuitatibus periclitatus eſt, vt ſupremam ciuitatem oſtenderet. In fame & ſiti, vt auferret grauiorem famem. In nuditate, vt turpiter agentes ſtola Chriſti indueret. In commotione turbæ, vt à circunſtantia dæmonum abduceret. Arſit, vt extingueret ignea tela Diaboli. Per feneſtram de muro demiſſus eſt, vt eos qui humi erant, inde ſurſum tranſmitteret. Adhuc igitur loquemur, neque ſcientes ea, quæ ſcilicet Paulus paſſus eſt, adhuc pecuniarum recordabimur? Adhuc vxoris, & ciuitatis, libertatiſque, illum hanc vitam millies contemnere videntes? Martyr ſemel moritur: at beatus ille vno corpore, & vna anima tot pericula ſuſtinuit, quæ poterant etiam adamantinam animam conturbare: & quæ ſcilicet omnes tot corporibus ſancti, paſſi ſunt, hæc ille in vno omnia tulit, in orbem quaſi in ſtadium ingreſſus, & omnibus veſtibus exutus, adeò fortis ſtat. Cognoſcebat enim pugnantes ſecum Dæmones. Ideo & clarus ſtatim ab initio apparuit, ab ipſa repaguli porta, & vſque ad finem perſeuerauit, imò & proximè brauium maior fuit perſecutio.*

Glorioſiſſimum eſt pati pro Dei gloria, & animarum ſalute.

CAPVT LXXXIX.

ADDO ad amorem, & deuotionem patientiæ, non ſolùm neceſſariam fuiſſe equis diuinæ gloriæ, ſcilicet Apoſtolis, ſed honorificam, & dignitatem iis eſſe, quod ex eodem S. Paulo confirmo, qui ſuis damnis, & infirmitatibus gloriabatur, ac tantùm non ſuperbiebat. Et ad Epheſios ſcribens, vt authori-

tatem ſuam commendaret, impetraturus propterea ab illis quod poſcebat. *Obſecro*, inquit, *vos ego vinctus in Chriſto.* (Epheſ. 4.) Quid hoc verbo dixerit, non capiet qui ſpiritu Chriſti caret. Non vile aliquid dixit, ſed magnificum, & grandius quàm humana ſapientia conſequetur. Quapropter audiamus iterum Chryſoſtomum, qui diuina excelluit. (Hom 8 ad Epheſ.) *Vinctum eſſe propter Chriſtum illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe. Si quis Chriſtum diligit, is nouit quid ſit quod dico. Si quis erga Dominum inſanit, vt ita dicam, & ardet, is nouit, quæ ſit vinculorum virtus. Hic vtique prius habebit, optione data, vincula ferre propter Chriſtum, quàm cælos inhabitare. Quouis auro ſplendidiores, quouis diademate reguli illuſtriores manus has illis oſtendit. Non enim caput ita ſplendidum reddit impoſita corona margaritis conſpicua, vt catena ferrea, quæ propter Chriſtum fertur. Tum videlicet ipſis regijs illuſtrior erat carcer, ipſo etiam cælo. Quid dico regijs? Vinctum enim habebat Chriſti. Si quis Chriſtum diligit, is nouit hanc dignitatem, hanc intelligit virtutem, agnoſcit quantum ſit illud, quod humano generi largitus eſt Deus, vinctum ligari pro eo: iſtud forſan illuſtrius etiam eſt, quàm ſedere ad dexteram ipſius, honeſtius, quàm ſedere ſuper duodecim thronos. Et quid dicam de humanis? Pudet diuitias, & auream munditiem huiuſmodi conferre vinculis. De magnis itaque illis quid dicam? Etiamſi nullam haberet mercedem res iſta; hoc tamen ſolum magnum eſt præmium, hoc multa retributio, quòd iſta mala propter dilectum feruntur. Nouerunt iſtud etiam qui non Deum, ſed homines diligunt, qui videlicet maiore voluptate mala patiuntur propter dilectos, quàm ſi honore ab illis afficerentur. Hac conſcire ſibi ſancti tantummodo cœtus, hoc eſt, Apoſtolorum fuerit. Audi quippe quid Beatus Lucas dicat. Quoniam reuerſi ſunt, inquit, gaudentes à conſpectu concilij, eo quòd digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Alijs quidem ridiculum videtur, quòd opprobrijs affici, dignitatem, & honorem, contumeliam ferre, gaudium eſſe dicimus. Chriſti verò deſiderium non ignorantibus, omnium iſtud fœliciſſimum habitum eſt. Quòd ſi quis mihi vel vniuerſi cœli, vel huius catenæ copiam, & optionem largitus eſſet, catenam hanc ego planè elegiſſem. Deinde ſi aut mihi cum Angelis ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vinctum, carcerem vtique præoptaſſem. Ad hæc, ſi quis me aut in numerum & ordinem collocaſſet cæleſtium potentiarum, earum etiam, quæ prope ſunt thronum Dei: aut talem ligatum feciſſet, talis vtique ligatus eſſe voluiſſem.*

Adeò bonum, & glorioſum eſt pati pro Chriſto, etiam cùm alia gloria Dei non expectatur, imò tùm impeditus erat Paulus ne gentes conuerteret, & Deum glorificaret. Quid erit pati pro Deo, & pro hominum ſalute, hoc eſt, vt Deus glorificetur hac maiori gloria ſua. Quid erit pati pro Dei gloria, pro conuerſione peccatorum, hoc ſanè ſuper omnem gloriam & dignitatem eſt. Nam ſi pati ſimpliciter pro Deo glorioſius eſt Chryſoſtomo, quàm ipſa gloria cœlorum; quàm glorioſum erit, cùm inde maior gloria Dei augetur procurata ſalute animarum; licèt enim cauſa vinculorum Diui Pauli fuerit, quia Euangelium prædicauit, quod magnopere quidem glorioſum, & optabile eſt. Sed abſque dubio optabilius eſt, cùm non tantùm patimur, quia animarum ſaluti operam dederimus, ſed vt demus. Nam quamuis valde glorioſum ſit pati pro Deo, & deſiderabile Sanctis, hoc ipſum tantum bonum poſtponendum eſt ſaluti proximorum; hæc enim non ſolùm eſt gloria Dei, ſed maior gloria, quàm in omnibus reſpicere ad imitationem Patris noſtri ſancti Ignatij debemus. Et ſicut fecit ſanctus Paulus, qui licèt auidus patiendi pro Chriſto, aliquando tamen pro eodem Chriſto fugit paſſionem, quod conſiderans ſanctus Gregorius vtiles ſanctæ prudentiæ regulas præſcripſit, & digniſſimas, vt hìc tranſcribam. *Quid eſt*, inquit, *quòd equus iſte Paulus modò ſponte armatos cuneos impetit, & modò ſe ab armatis hoſtibus quaſi trepidus abſcondit; niſi hoc quòd neceſſe eſt in eius artificioſa virtute diſcamus aduerſariorum pugnam, & conſtanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare? Neceſſe quippe eſt, vt per omne quod agimus, in mentis trutina poſitum hinc pondus, illinc fructum noſtri laboris æſtimemus; & cùm pondus fructum ſuperat, laborem quiſque innoxiè declinet: dummodo ſe in alijs exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cùm verò ſubſequenti quantitate fructuum menſura laboris aut æquatur, aut vincitur, labor non ſine graui culpa declinatur. Vnde Prædicator ſanctus, cùm Damaſci valde obſtinatas mentes perſequentium cerneret, eorum noluit aduerſitati confligere: quia & ſemetipſum quem profuturum multis nouerat, vidit poſſe deficere, & aut nullis ſe ibi, aut paucis prodeſſe: ſeceſſum ergo à certamine petijt, & pugnaturum felicius ad alia ſe bella ſeruauit. Non enim loco virtus, ſed locus virtuti defuit: & idcirco fortiſſimus miles ab obſidionis anguſtia, certaminis campum quæſiuit. Vbi autem ſubiuganda Regi proprio multa aduerſariorum colla conſpexit, ſubire bellum, vel cum morte non timuit: ſicut ipſe cùm Hieroſolymam pergeret, cumque diſcipuli paſſione illius per prophetiam præſcita prohiberent, ſibimetipſi atteſtatur, dicens: Ego non ſolùm alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Domini Ieſu. Neque enim facio animam meam pretioſiorem, quàm me. Qui igitur hìc hoſtiles cuneos etiam præſcita paſſione ſua imperterritus petijt, illic de diſpenſatione fuiſſe edocuit, non de timore quod fugit. Quà in re penſandum eſt, quia ille labores quoſdam per diſpenſationis iudicium laudabiliter declinat, qui pro Deo maiores alios fortiter tolerat. Nam ſæpe ab hominibus timor debilis cauta diſpenſatio vocatur, & quaſi prudenter impetum declinaſſe ſe aſſerunt, cùm fugientes turpiter in tergo feriuntur. Vnde neceſſe eſt, vt in cauſa Dei, cùm res diſpenſationis agitur, metus cordis ſubtiliſſima libratione penſetur: ne per infirmitatem timor ſurrepat, & ſeſe per diſpenſationis imaginem, rationem confingat, ne culpa ſe prudentium nominet. ianque nec ad pœnitentiam animus redeat, quando hoc quod iniquè perpetrat, virtutem vocat. Reſtat igitur, vt in dubijs quiſque deprehenſus, cùm quælibet ſibi aduerſitas imminet, prius intra ſemetipſum contra formidinem, & præcipitationem pugnet: quatenus nec formidoloſè ſe ſubtrahat, nec præcipitanter opponat.* (Lib. 31. Mor. c. 14.)

Quamuis autem iuxta has ſanctæ prudentiæ leges expediat, aliquando excuſare laborem, ſemper tamen affectandus eſt pro boni ſui magnitudi

gnitudine, maximè cùm inde ſalus animarum, & iſta maior Dei gloria expectatur, ad quem ſalutarem laborem ita exhortatur Chriſtus, cùm ſemel apparuit ſanctæ Brigittæ. *Laborate viriliter, & ferto ouibus indigentibus auxilium. Ego iuro in humanitate mea, quæ eſt in Patre, & Pater in me, & per Deitatem, quæ eſt in ſpiritu meo, & ſpiritus in ea. Et idem ſpiritus in me, & ego in eo, & hi tres vnus Deus in tribus perſonis, quòd quicumque laborauerint, & portauerint oues meas mecum, occurram eis in media via ad ſuccurrendum, & dabo eis ſtipendium pretioſiſſimum, id eſt, me ipſum in gaudium ſempiternum.* Adeò gratum Deo opus, adeò glorioſum iſte labor eſt. Quædam fideliſſima ſerua Dei, dum in Bachanalibus celebrarentur quadraginta horæ pro annuo more in domo noſtra Profeſſa Toletana, cupida ſcire, quid in Quadrageſima poſſet facere, quod Deo magnopere placeret, ooſtrum remplum adibat. In medio penè itinere, vbi tamen ianuam eius iam proſpiciebat, miro ecſtaſi arrepta immobilis manſit; interea vidit clariſſimum luminis globum è remplo prodire, directùmque ad eam medium ſcindi luminoſis ad eius cor radiis coniectis. Tunc ſubitò in remplo eo ipſo angulo, quo ſolebat, elatam ſe vidit, rotumque illud luminis iubar in ſanctiſſimum Sacramentum, quod patens aderat, receptum, clariſſimáque audiuit voce à Chriſto Saluatore noſtro prolata, reſponſum diuini beneplaciti, hoc modo. *Totus labor tibi; tota vtilitas proximo; tota gloria mihi.* Significatum ita eſt ſeruis Dei, patientiam, & laborem neceſſarium eſſe, & gratiſſimum diuinæ maieſtati, cùm in labore vtilitas proximi, & gloria Dei quæritur.

Lib. 1. c. 59.

Proponitur S. Pauli exemplum.

Capvt XC.

Placet ad commendationem patientiæ, ad feruidæ charitatis incitamentum, ad normam diuinæ gloriæ vnicæ quærendæ, ad magnitudinem animi Apoſtolicis viris neceſſariam, proponi rurſus exemplum ſancti Pauli, prout eleganter deſcripſit illud ſanctus Chryſoſtomus; Corinthiis ſcribens inquit. *Placeo mihi in periculis, & infirmitatibus meis; itaque eùm inter medias inimicorum verſaretur inſidias, ouans tamen de omni eorum impugnatione referebat victorias: & vbique caſus verberibus, affectus iniuriis, atque maledictis, quaſi triumphales pompas ageret, crebra trophæa strueret, orabat, gratiaſque referebat Deo, dicens: Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos. Itaque ad confuſiones, & iniurias quas ob prædicandum Chriſtum ſuſtinebat, magis quàm ad honorum oblectamenta preparabat, mortem potius, quàm vitam appetens, paupertatem, quàm opulentiam, & multò amplius laborem deſiderans, quàm alij, requiem poſt laborem, ac mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem, ſtudioſius pro inimicis orans, quàm alij aduerſus inimicos.* Et poſtea: *Non dico, quia nihil præſentium deſiderabat, ſed nec ipſorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas vrbes, gentes, exercitus, prouincias, pecunias, poteſtates; hæc enim ille quaſi arenam vilia reputabat: ſed ea ipſa penè, quæ promittuntur in cœlis, & tunc eius ardentem amorem in Chriſtum videbis: hic ſiquidem præ illius dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus eſt dignitatem, neque quicquam horum ſimile concupiuit. Quod enim erat maius, omnibus Chriſti amore fruebatur: cùm hoc beatiorem ſe cunctis putabat, ſine hoc autem neque dominationum, neque principatuum ſocius eſſe cupiebat, ſed cum hac dilectione magis eſſe extremus optabat, imò etiam ex numero punitorum, quàm ſine hac inter ſummos, & honore ſublimes; hoc enim erat illi maximum, & ſingulare tormentum, ab hac charitate diſcedere, hæc illi erat gehenna, hæc ſola pœna, hæc intoleranda ſupplicia: ſicut etiam perfrui charitate Chriſti, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præſentia, hoc futurum, hoc Regnum, hoc promiſſio, hoc bona videbantur innumera; præter hoc verò nihil in triſtium parte ponebat. Horum enim, quæ habentur, nihil aſperum, nihil etiam ſuaue reputabat; ſic deſpiciebat vniuerſa, quæ cernimus, vt ſolet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipſos ac populos ſpirantes furorem, velut eſſe quoſdam culices exiſtimabat. Mortem verò & cruciatus, & mille ſupplicia quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret. Tunc enim, tunc amplectebatur libentèr, & decorabatur vinctus catenis magis, quàm diademate coronatus; etenim coarctatus carcere habuabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat, & vulnera, quàm alij brauia diripiunt, & dolores non minus, quàm præmia diligebat, eùm ipſos vtique dolores duceret præmiorum.*

Hom. 2. de laud. Pauli.

Ex noſtra Societate habuit âliquos imitatores Apoſtolus, qui iocredibiles labores pro gloria Dei, & animarum ſalute paſſi ſunt, vnum ſaltem proferam qui magnitudine animi & ſaxea, vt ita dicam, conſtantia io perferendis, aggrediendiſque pro Chriſto & animabus periculis, imò damnis eximium ſe præbuit, vt domeſtico aliquo & recenti exemplo alliciamur ad gloriam Dei, & animarum ſalutem, per omnem patientiam, & ferrea cum contumacia, vt ſic dicam, auidè quærendam. Antonius Andrada in animum induxit (ſic zelo animarum æſtuabat) regnum Tibet, ſiue Cathaium quærere. Innumera vitæ diſcrimina ſubiit tum ex gente illa barbara, quòd explorator crederetur, tum ex ipſo aſperrimo itinere, vt ad ſingulos ferè greſſus inſtaret mors importuno periculo. Primum aſcendit altiſſimas, & difficiles rupes, vt ad vnius cacumen nondum pertingerer duobus diebus, & duabus noctibus iter agens, per tam anguſtos tramites, vt ſolum vnum pedem caperent, & opus eſſet pedem ante pedem mittendo incedere, manibus ſaxa apprehendentibus, ne dilaberentur. Idem enim eſſet pedem non commodè figere, ac præcipitari. Deſcenſus porrò difficilior, cùm plerumque careret adiutorio manuum, & velut per ſcalam opus eſſet deſcendere. Sed hic labor adhuc leuis, quia communis cum Ethnicis, qui illum ſubiere ſimul, vt monſtra quędam adorarent, plus moleſtum Patri fuit tartareæ vociferationes infidelium tonando laudes falſorum

Deorum, quibus quaſi contendendo Antonius ſuperare conabatur pluribus maledictionibus, & inuitationibus Angelorum, vt laudarent verum Deum, reſtaurando iniuriam illam. hoc ſolatium blaſphemiarum habebat; itineris verò laſſitudinem tollebat confuſio ex ſuperſtitione Gentilium: nam quod illi ob falſos Deos tolerauere, ob verum Deum ferre moleſtè puderet. Ad hæc: cœlum tam incommodum paſſus, vt fluuium Gangem tranſiret non per põtem alium, niſi ex copia niuium incredibili modo ſtructum ex præcipitio montium congelatorum, & præ pondere decidentium inopinato, vt non rarò ſepeliant obuios viatores. Poſt hæc, poſt viginti dies itineris reſtabant aliæ ingentes rupes, vbi nec arbor, nec vicus aliquis erat, niſi montes niuium; duobus ſolùm anni menſibus iter illac poterat inſtitui, & tam difficulter, vt ſolum ſubſidium ad id eſſet commeatus farinæ hordei toſti, quam diluentes ſumunt abſque beneficio vllo ignis, qui nec frigori pellendo, nec condiendo pulmento iuuare poſſet, cùm ligna non ferret tellus, imò qua parte retegebatur diffluxa niue, etſi temperarentur moleſtiæ, non pericula; nam terra ipſa tam nociuos interdum vapores emittit, vt viros integræ valetudinis repentè interimat; ne igitur impediretur iter à Gentilibus, vt Pater ſuſpicabatur, ante tempus decreuit illud deſertum niueum tranſire, ſperans in Deo, cuius Legatus erat. Aſſumptis igitur comitibus duobus adoleſcentibus Chriſtianis, & quodam ruſtico, qui dux eſſet itineris, aggreſſus eſt intempeſtiuam expeditionem; ſed licèt duce ſuo breui careret, quoniam regredi maluit; non ille ſpe, & voluntate ſua deſtitit, tametſi minis etiam interminata morte, Gentiles ad id miſſi in ipſo itinere deterrere curarent, incredibiles labores pertulit, ſed ſuſtentatus continuo ferè miraculo, ne præ frigore periret, ſæpe ſubmergebatur in niue vſque ad humeros aliquando opus erat natare per niueum illud æquor. nam hoc pacto minus ſubmergebatur; per aliquot noctes nix ipſa lectum fuit. Interdum ningente cœlo, ad interualla opus erat ſtragulum, quo ſe tegebat, excutere, ne ſepeliretur niuibus. In facie, manibus, & pedibus, omnino ſenſu, & tactu caruit præ frigore, vt iſtum quo amiſit fructum vnius digiti non ſentiret. Pedes tam ſtupidos habuit, & tumefactos, vt poſtea adurendo illos ad ignem nihil ſentiret. Ad hæc accedit faſtidium, & abominatio ſtomachi pluſquam in vlla ægritudine; opus erat violentiſſimè cogi ad cibum, aquam appetebat inter tot frigora præ ſiccitate ex nimio labore, ſed ea vti non poterat, niſi cùm Sol radiabat aliquando; tunc parum niuis in catino obiiciebat, vt liquefieret, alioqui fruſta niuis comedebat. Demum viſum amiſit, vt non diſcerneret res, nec iter reliquum, cuius tantùm indicia hactenus retinuerat ex eminentia, & ſitu ſcopulorum, vt vltrà ire non poſſet, ſed opus fuit eoſdem labores, & greſſus partim repetere iam penè deficiente commeatu: in omnibus tamen ſeruauit illum mirabiliter prouidentia nominis, & demum eius pertinacem zelum, & ardorem, quo niues ſuperabat, perduxit ad optatum locum, vbi non minus illi fauit apud Regem indulta facultate per regium diploma ad promulgandum Euangelium. Illud quoque mirandum, quod ipſe dicebat, nunquam maiore animo, & viribus fuiſſe, quàm in importunitate illa tot laborum, & vicinia mortis. At omnia vincit amor Dei inuincibilis patientia armatus. Hæc ſatis de conditionibus Apoſtolicorum virorum, de perfectione vitæ eorum, atque inſtituti ſui fine; nunc de mediis etiam diſſeremus quibus conſequendus eſt.

DOCTRINA X.

DE VITA COMMVNI.

Ratio vitæ communis electa fuit à Chriſto Domino, quam ſanctus Ignatius eſt imitatus.

CAPVT XCI.

IVSTIFICATA *eſt ſapientia à filijs ſuis.* [Matth. 11.] Sicut finis & ordo Societatis IESV ad Apoſtolorum exemplar, eorumque vitæ formam inſtitutus eſt ab Apoſtolico, & feruentiſſimo Dei ſeruo ſancto Ignatio, Patre noſtro, ita & huius Religionis media ſimilia quoque oportebat eſſe iis, quibus Apoſtoli, & Apoſtolorum Magiſter, Cbriſtus Ieſus eſt vſus; inter quæ eſt ratio communis vitæ, non nimis rigida, & auſtera in iis, quæ eum ſæcularibus, & peccatoribus aditum, & commercium liberum impedire poſſent, vt in victu, & potu, & veſtitu. Quapropter filius Dei elegit ſibi, & diſcipulis ſuis vitam communem, præferens, & ſeligens illam tanquam commodiorem, ac magis opportunam lucrandis proximorum animabus, quod certè magni, & maximi momenti putari debet, cùm hanc vitam, & pro hoc fine in ſua perſona, & ſuo collegio ſacrauerit filius Dei, & auſteriorem extrinſecam reliquerit, quaſi optione facta præſtantiorem vtilioremque poſt experientiam alterius eligens; quemadmodum ſanctus Cbryſoſtomus obſeruauit, loquens de vita communi Chriſti Domini ait: *Idcirco ſtatim à teneris vnguiculis diſpenſatione diuina duriter vixit Ioannes Baptiſta, ad hoc, vt ad credendum verbis ſuis populi ducerentur. Sed cuius nam rei gratia, inquies, hoc ipſe iter viuendi ingreſſus Chriſtus non eſt? imò verò hanc quoque viam ipſe confecit, cùm quadraginta diebus ieiunauerit, & circumierit, ita docens, vt non haberet vbi caput reclinaret. Sed tamen etiam aliter id ipſum præparauit, vt faciliùs omnes lucrifaceret. Idem enim erat, aut etiam maius teſtimonio eius, qui duriſſima diſciplina viuendi fuerat vſus approbari, quàm ipſum ieiunare, atque duriter viuere. Præterea præter vitæ ſanctimoniam nihil aliud magni Ioannes oſtendit. Nullum enim ait ſignum Ioannes fecit. Chriſtus verò ſignorum, atque miraculorum teſtimonio claruit. Illam autem aliam viuendi viam, quæ ieiunio claros effecit, Ioanni omnino poſtea demiſit; ipſe verò publicanorũ, atque peccatorũ menſas elegit, vt publicanos, & peccatores ſaluaret.* [Hom 18. in Matth.] Hãc electionem

ctionem vitæ communis,& minus in ſpecie exterioris auſteræ in Chriſto Domino totius perfectionis ſpeculo, eo maioris faciendá puto, quatenus minorem ſanctitatis ſpecié præfert, minuſque perfecta in cortice & ſuperficie appareat. Nihilominus ille ipſe, qui ideam ſanctitatis, totiuſque perfectionis ſe exhibuit, atque venit ad demonſtrandum nobis in ſua vita tanquam in tabula depictam, ſummæ ſanctitudinis formam, quod certè non faceret Chriſtus, niſi pro fine conuertendi peccatores magnum inſtrumentum eſſet hæc vitæ communitas, & quamuis obmurmurarent Iudæi, nihilominus iuſtificatam eſſe ſuam electionem, & ſapienter conſultam aſſeuerauit. Nam cùm retuliſſet calumnias eius gentis, quæ aduersùs communem eius vitam effutiebat, dicens: *Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Addit ipſe Saluator, *& iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis*; quaſi diceret: Nihilominus poſt tot calumnias & contumelias iuſtificatum fuit, & prudentiſſimum cenſeo conſilium vitæ communis, quod licèt profani non velint approbare, qui tamen prudentes ſunt, & filij ſapientiæ propter vtilitatem peccatorum inde venientem, iuſtum illud, & prudens dicunt, & inuentum eſſe ſalutare diuinæ Sapientiæ, & beneuolæ prouidentiæ, quæ ſtudioſam valde in hoc ſe declarauit procurandæ viis, & modis omnibus ſalutis hominum, nihilque quod ad illam conduceret, intentatum reliquerit, quantumuis ab impiis deriſa, contempta, & exſibilata ſit. Nouerat hæc omnia ſanctus Ignatius, Parens noſter, filius quidem ſapientiæ, & ſic iuſtificatum cenſuit diuinam Sapientiam, vt ſuis quoque præſcripſerit communem vitam, eodem prorſus fine, quo illam ſibi, & Apoſtolis elegit Chriſtus pro maiori gloria Dei. *Ratio viuendi in exterioribus*, inquit ſanctus Ignatius, *iuſtas ob cauſas, maius Dei obſequium ſemper intuendo, communis eſt: nec vllas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet: ſed illas aſſumere quiuis poterit, quæ ſibi videbuntur cum approbatione ſuperioris ad maiorem ſui ſpiritus profectum conuenire, & quas propter eundem finem ſuperiores eis poterunt imponere.* Tota hæc regula nullam imperfectionem continet, ſed imitationem Chriſti exactam, & prudentiſſimum conſultum pro maiori perfectione, & gloria Dei ſecundùm inſtituti noſtri rationem, vt commodiùs lucremur animas ad exemplar filij Dei, de quo Druthmarus ait: *Dominus ſumens à publicanis corporalem cibum, vt eis ſpiritualem traderet, ideo laxiùs viuebat*, nimirum communi vita.

Quomodo Ieſus Chriſtus habuit rationem vitæ communis?

Caput XCII.

SED operæ pretium erit explanare amplius hoc ipſum, quomodo vita Chriſti fuerit communis, vt noſtram ad eius amuſſim conformemus. In primis Patres, & Scholaſtici in hoc conſpirant, qui rationem vitæ Chriſti moderatam, & communem dixerunt, & negarunt auſteram; vt expreſsè negat ſanctus Thomas, qui ait: *Congruum erat Incarnationis fini, vt Chriſtus non ageret ſolitariam vitam, ſed cum hominibus conuerſaretur. Qui autem cum aliquibus conuerſatur, conuenientiſſimum eſt, vt ſe eis in conuerſatione conformet, ſecundùm illud Apoſtoli: Omnibus omnia factus ſum*; & ideo conuenientiſſimum fuit, vt Chriſtus in cibo, & potu communiter ſe, ſicut alij, haberet. Vnde Auguſtinus dicit contra Fauſtum quòd *Ioannes dictus eſt, non manducans, neque bibens, quia illo victu quo Iudæi vtebantur, non vtebatur. Hoc ergo niſi Dominus vteretur, non in eius comparatione manducans, bibenſque diceretur.* His rationibus negat ſanctus Thomas Chriſto Domino auſteram vitam. Idem in Matthæum, *Dupliciter*, inquit, *homines attrahuntur ad bonam vitam; quidam enim per ſpeciem ſanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus, & Ioannes diuiſerunt ſibi duas vias. Ioannes, imò Dominus per Ioannem elegit ſibi viam auſteritatis, per ſe elegit viam lenitatis.* Aduertit Adamus Tannerus, hæc eſſe notanda diligenter pro inſtitutis diuerſis Religionum, ne per quamdam κακοζηλίαν vnum cum altero malè commiſceatur. Abulenſis non ſolùm affirmat Chriſtum Dominum non habuiſſe vitam auſteram, ſed probare debuiſſe eligere non auſteram, ſed communem, & mediocrem, & conformem aliis hominibus, cuius inter alia hanc cauſam reddit. *Propter alios quos conuertebat, quia interdum homines verbis alliciebat, interdum operibus conuerſando cum eis, & ſic manducabat aliquando cum peccatoribus, & publicanis, vt ſic eos ad ſe traheret. Nam in domo Matthæi manducauit Chriſtus cum publicanis, & murmurantibus de hoc Phariſæis dixit: Non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus, quaſi dicat quòd manducando cum illis ſanabat eos à languoribus peccati, quod non faceret ſeruando auſteritatem.* Conſentiunt Albertus Magnus, Caietanus, Gagneius, Ianſenius, Titelmanus, Suarius, Tannerus, & alij Scholaſtici, & Scripturarij, aut in tertiam partem quæſtione quarta, aut in caput Matthæi vndecimum, & Lucæ nonum, qui citant Irenæum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Titum Boſtrenſem, Theophylactum, Euthymium, & alios.

3.p. q.40. — 1.Cor 9. — Cap.11. — Quæſt 43. in c.11. Matth. — Art.2.

Ex communitate victus, & potus, ſequitur etiam veſtitum Ieſu Chriſti fuiſſe communem: nam horrida, & rigida veſtis non erat conueniens communi cibo, & potui, nec conuiuiis, in quibus Chriſtus Dominus non rarò inuentus, vt meliùs lucrifaceret eos quibus conuiuebat. Planè Ioannes Baptiſta, ſi accederet cum veſte ſua aſpera, & rigida ex pilis Camelorum ad conuiuia, & nuptias, quemadmodum Chriſtus ſcandalo potiùs fuiſſet; non ita Chriſtus. nam, vt inquit Paſchaſius Rathertus de vita communi Chriſti: *Venit filius hominis habitum lætitiæ habens.* Itaque in veſtitu pariter ratione viuendi in perſona ſua tenuit Chriſtus communem; quod etiam expreſsè ſanctus Thomas dicit: *Chriſtus*, inquit, *in victu communem vitam duxit ſecundùm modum aliorum quibus conuiuebat. Quod confirmans in reſponſione ad ſecundam ait: Et conuiuebat, & conuerſabatur non ſolùm cum pauperrimis, ſed cum honeſtis hominibus; quare ve-*

In Matth.11 — 3 p. q 40. art.3.

ſtitus Chriſti non erat omnino alienus ab illis. Veſtitus enim Chriſti honeſtus fuit, ſed ſapiens paupertatem,& licèt vilis eſſet reſpectu veſtium aulicolorum, & mollium hominum: at non adeò, vt non in pretio aliquo fuiſſet militibus crucifixoribus. Quare quod ex Chryſoſtomo,& Iſidoro Peluſiota contrà citatur, non contradicit dictis; fateor enim pauperem & pauperis fuiſſe Chriſti veſtem, ſed nihilominus honeſtam, vt non diſſonaret adeſſe cum illa epulis, & nuptiis, quemadmodum diſſonaret Ioannes Baptiſta; non enim obſtat veſtitum eſſe communem, ſicut nec vitam quominus ſimul ſit pauper, in quo vt in aliis, ſanctus Ignatius voluit Societatem Ieſu imitari Chriſtum, qui in ſexta parte conſtitutionum

6.p.conſt. c.2.§.15.

de veſtitu in particulari admonet, *vt honeſtus ſit, & ad vſum loci accommodatus, & profeſſioni paupertatis non repugnans, & humilitatis, ac ſummiſſionis indicia præbens.* Et poſtea.

§.16.

In ijs, ait, *qua ad rationem victus, ſomni, ac vſus reliquarum rerum vita neceſſariarum, vel conuenientium ſpectant, quamuis communis ille ſit, minimèque diuerſa ab eo quod Medicus illius loci, in quo viuitur, indicabit; ita vt quòd quiſque ſibi inde ſubtraxerit ex deuotione, non ex obligatione ſubtrahat; habenda tamen ſemper erit ratio humilitatis, paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis, qua ſemper nobis in Domino ob oculos verſari debet.*

Redeo ad Chriſti veſtitum, non erat rigidus, & horridus, ſicut fuit veſtitus ſancti Ioannis Baptiſtæ, ex pilis camelorum, & pellicea zona. Erat ergo ſicut alij veſtitus, qui in more erant apud Iudæos, nam Euangeliſtæ aduertiſſent aliam ſingularitatem, ſicut notarunt tunicam fuiſſe inconſutilem. Conſtat etiam ex Euangelio non ſimplicem veſtem habuiſſe. Nam S.Ioannes ait.

Ioan 13.

Ponit veſtimenta ſua, non omnia, quia non manſit nudus omnino ad lauandum pedes diſcipulorum; quare vt minimum tria erant.

Ioan 19.

Milites quoque diuiſerunt inter ſe veſtimenta, & ſuper tunicam inconſutilem miſerunt ſortem, quæ lanea erat & contexta iuxta conſuetudinem illius populi,

In 3.p.diſp. 28.ſect.3.

& fortaſſe, vt Suarez ex S. Iſidoro Peluſiota notat, vulgaris veſtis erat qua vtebantur pauperes Galilæorum: at nihilominus non indigna, vt propterea cum honeſtis hominibus non facilè conuerſaretur. Aliqui dicunt Chriſtum, & Apoſtolos palliatos inceſſiſſe, pro communi tamen eius temporis philoſophantium more.

Cæterùm & alia ratione conuenit Societati Ieſu honeſtus, quamuis pauper veſtitus, non tamen omnino vilis; quemadmodum vtuntur aliæ ſanctiſſimæ Religiones auſteritatem externam profeſſæ: nam eſt Religio non Monachorum, ſed Clericorum, quibus ob dignitatem ſui Ordinis honeſtus decet, ſicut dedecet ornatior ob modeſtiam, & ſanctitatem, quam præſeferre debent Sacerdotes; de quorum veſtitu optimè cautum eſt canone decimoſexto Synodi Nicenæ ſecundæ; vbi inter alia dicitur. *A ſuperioribus enim vſque temporibus omnis vir ſacerdotalis, cum moderato, & honeſto indumento verſabatur.* Quare nequaquam reprehendi poſſunt Patres Societatis Ieſu, quòd vtantur communi veſte. Concilium Gangrenſe, cùm loqueretur de Clericis, ait canone duodecimo. *Si quis virorum putauerit ſancto propoſito, id eſt, continentia conuenire, vt pallio vtatur tanquam ex eo iuſtitiam habiturus, & reprehendat, vel iudicet alios, qui cum reuerentia byrrhis vtantur, aut alia veſte communi, quæ in vſu eſt, anathema ſit.*

Quomodo ad perfectionem pertineat vita communis in Chriſto, & Apoſtolis.

Capvt XCIII.

QVOD autem veſtitus communis iuuet ad lucrandos proximos, ſatis probatur ex Chryſoſtomo libro tertio contra vituperatores monaſticæ vitæ, & exemplo ſunt Patres noſtræ Societatis Ieſu, qui inter Sinas, & alias gentes à noſtro orbe exules communi earum veſtitu vſi, vberrimos fructus pariunt in animarum ſalute; imò in Europa proprium habitum non rarò deponunt, vt familiariori amictu aliquos Deo venentur. multis hoc hiſtoriis probari poſſet. Sat erit memorare, quæ de Alphonſo Barreto, feruentiſſimo adoleſcente, ſcripſit Nicolaus Godinus de rebus Abyſſinorum. Viliſ- Lib.2.c.3.
ſimo enim baiulorum amictu indutus Barretus omnes Vliſiponis baiulos erudiuit in doctrina Chriſtiana, miros alios fructus in illorum animabus operatus hoc ſtratagemate. Demum vt Sacerdotem concubinarium conuerteret, mutata etiam communiori veſte in eius famulatum ſe dedit ad omnia miniſteria domus.

Neque verò dici debet vitam communem Chriſti non fuiſſe, niſi condeſcenſionis opus, atque ad perfectionem minimè expectare, neque proinde imitandam. Nam duplex condeſcenſio eſt. Vna eſt mera condeſcenſio, quatenus noſtræ infirmitati ſolùm condeſcendit Chriſtus, vt conſolaretur nos, qualis fuit pauor, tædium, triſtitia, deprecatio tranſeundi à ſe calicis, quæ ad perfectionem vitæ non attinent, nec proinde ſunt imitanda. Altera condeſcenſio eſt, cum ſalutis aliquorum gratia, vt ſaluentur homines, iis ſe accommodauit, omnia omnibus factus; hoc certè ad perfectionem eius vitæ pertinet, quæ in ſaluandis hominibus occupatur; atque ideo in hoc prorſus imitandus eſt, laudabiliter ſanè, & vtiliter. Chriſtus enim condeſcendit Iudæis, ſalutis eorum gratia, vt eos lucrifaceret, quemadmodum ſanctus Chryſoſtomus dixit. Igitur viros illos, qui idem cum Chriſto inſtitutum vitæ habent iuuandi proximos, decebit in hoc imitari Chriſtum, vt iuuent, vt lucri faciant peccatores, condeſcendēdo illis. Quare ſanctus Bonauentura ad partem perfectionis euangelicæ dicit per- Apol.paup. reſponſ.1.c.3.
tinere condeſcenſionem cum proximis ſecundùm legem iuſtitiæ, & miſericordiæ, amoris ſigna, & beneficia. Cur non erit perfectio illius, qui iuuat proximos imitari Chriſtum in ratione viuendi, qua ipſe iudicauit meliùs iuuandos fore, conformando ſe, & accommodando illis; de quo ait Chryſoſtomus. *Id enim maximè di-* Hom. 38 in Matth.
gnum, atque gratum Deo eſt, quod imbecillitati humanæ accommodatum ad ſalutem noſtram pertinet. Deinde aduertendum eſt alios actus puræ condeſcenſionis, & non imitandos, non fuiſſe ordinarios in Chriſto: nam non debebat plerumque aſſumere quod imperfectius erat: at vita communis conſuetudinem, & frequentiam, & diuturnitatem notat. Quare omnino perfectio

in

in Chriſto fuit,& perfectionem aliquam imitandam propoſuit; mirificum eſſet ſi non aſſumeret Chriſtus Dominus perfectiorem rationem viuendi; imò ſingulariter obſeruandum eſt, ex duobus viuendi modis, vno auſtero, altero communi, elegiſſe ſibi Chriſtum communem rationem viuendi, & auſteram reliquiſſe ſeruo ſuo Ioanni. Nec dicendum eſt perfectiorem rationem viuendi fuiſſe Ioanni, quàm Chriſto. Quin

Hom. 38. in Matth.

potiùs rectè Chryſoſtomus notauit, *non vtcumque elegiſſe Chriſtum vitam communem, ſed poſtquam aliquando cepiſſet vitam auſteram, cùm in deſerto quadraginta dies ieiunauit, vt appareat maior ratio delectus. Illam autem*, inquit, *viuendi viam quæ ieiunio claros efficit, Ioanni omnino poſtea dimiſit; ipſe verò publicanorum, atque peccatorum menſas elegit, vt publicanos, & peccatores ſaluaret.* Notandum eſt verbum quo ſanctus Chryſoſtomus, ſanctus Thomas, & alij dicunt, instituiſſe ſibi Chriſtum vitam communem. Nam *elegit*, dicunt, quaſi melius quiddam. Igitur perfectio vitæ Chriſti etiam in vita communi ſplendet, quam imitari perfectio erit illis, qui ſimilem vitæ finem, & per eadem media, atque Chriſtus inſtituit; nam licèt opera puræ condeſcenſionis non fuerint à Chriſto facta, vt omnes imitaremur illa, ſed vt conſolaretur noſtram infirmitatem; at ipſa condeſcenſio maximè imitanda eſt, quia perfectius, & quid ſublimius eſt quanto charitas illam magis requirit; quemadmodum Auguſtinus citatus à ſancto Bonauentura inquit, ſublimius, quia miſericordius:

Cap. 1. Apol.

ſubdit Bonauentura; *quod ideo dicit, quia ipſa condeſcenſio Chriſti qua membris ſuis condeſcendebat infirmis, & imperfectis ex ſublimitate procedebat perfectiſſima charitatis.* Nam, vt idem

Cap. 3.

Doctor ait: *Illa perfectio eſt præeminentior, in qua radix charitatis eſt pinguior, ſublimitas operationis excelſior, fraterna ædificationis fructus vberior.* Quæ autem operatio excelſior, quàm ſalus peccatorum? Tum Chriſtus elegit vitam communem, vt commendaret charitatem, quia, inquit Abulenſis, multi putarent, in auſteritate vitæ eſſe ſummam perfectionem; Chriſtus tamen volebat oſtendere, eſſe in charitate omnem perfectionem. Cur igitur non erit perfectio vita communis propter ipſam charitatem.

Notandum quoque eſt quomodo S. Bonauent. locutus fuerit adhuc de actibus puræ condeſcenſionis. *In his*, inquit, *quæ condeſcenſionis ſunt, & infirmorum in quantum loquimur ad actum extrinſecum.* Ergo ſi accideret fieri ab aliquo interiùs ſimili fine, & intentione, & charitate qua Chriſtus fecit, non erit iuxta Bonauenturam infirmorum, ſed perfectiſſimorum. Quanto magis ad perfectos ſpectabit imitari Chriſtum in vita communi, quæ æquo iure dici nequit opus condeſcenſionis, ſicut pauere, & timere; nec illam negauit ſanctus Bonauentura imitandam ab his, qui per eadem media ac Chriſtus, adiuturi erant proximos. Imò idem ſanctus Do-

Lib. 12. Mor. cap. 8.

ctor affert verba ſancti Gregorij quibus monſtrat iuſtos imitari condeſcenſionem Chriſti. Quin ipſe ex propria ſententia exhibuit nobis Paulum imitantem condeſcenſionem Chriſti, & Chriſtum iubentem Diſcipulos imitari condeſcenſionem ſuam, vt nihil amplius deſideretur. *Perfe-*

Reſp. 2. c. 2.

ctionis, inquit Bonauentura, *præcipuus ſectator Apoſtolus non ſolùm imitabilem ſe præbet in auſteritate vitæ, verùm etiam pia apud proximos condeſcenſione, ad Corinthios dicens: Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Hanc condeſcenſionis ædificatoria formam Diſcipulis ad prædicandum miſſis Dominus dedit, cùm ait: In eadem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; & mox: huiuſmodi fuit eis à Domino viuendi forma præſcripta tam piè, quàm prouidè, vt & alijs condeſcenderent, & iniunctum ſibi laborem viriliter tolerarent.* Quid clarius.

Quantum verò condeſcenſio hæc vitæ communis præſtet iuuandis proximis ad imitationem vitæ Chriſti, qui manducabat cum peccatoribus, ex vitis multorum virorum Apoſtolicorum conſtat, quod iam inſinuaui. Referam ſolùm, quæ Horatius Turſelinus ſcripſit de ſancto Franciſco

Lib. 2. eius vita c. 3.

Xauerio: *Illa tempeſtate Luſitani Goæ ob Luſitanarum mulierum inopiam alienigenarum erant amoribus implicati. Pleraque Sionia atque Peguana, nonnulla ab Iapona, Sinisve. Quippe hæ Indis fœminis ſpecie corporis, & decore habitus longè præſtant. Eas ferme Luſitani, quia coniugio non dignabantur, in delicijs habebant. Ergo Xauerius tanto huic malo obuiam eundum ratus ſumma ope expedire illorum animos cepit. Primum igitur eos omni obſequio demereri. Inde vt quiſque obuius erat hilari vultu eum rogare, vt Sacerdotem cibi egentem conuiuio exciperet familiari. Annuente illo menſa pariter accumbebat; ſuper cœnam, vel à cœna orabat hoſpitem, ſuos vt liberos accerſi iuberet, mox patris iuſſu prodibant parui filij, quos Franciſcus manibus ſublatos collo ſuo admonebat, grates Deo agens, qui tales ei pueros ſpem ſtirpis dediſſet, & ſimul honeſtam eis, ſanctamque vitam expoſcebat precibus. Subinde temeritatis in alio foret, quod illius ſanctitatis facilè ſuſtinebat, puerorum matrem acciri deſiderabat; accitam benignè alloqui, hoſpiti eius commendare formam, nuptijs viam muniens eam vtique egregia eſſe indole, ac ſpecie, vt Luſitana poſſet videri, liberos ex ea genitos, hauddubiè Luſitano homine dignos.* Quæ igitur res connubium moraretur? quam coniugem expeteret illa meliorem? Proinde ne cunctarentur filiorum famæ, talis fœminæ pudori conſulere. Nec ſalubria dicta in irritum cadebant. Franciſci vox, & authoritas, haud ægrè eos impellebat ad pellices ſibi matrimonio iungendas ipſomet inſpectante. Quòd ſi quem nactus eſſet, qui ex Inda muliere ac deformi filios matri ſimiles haberet, indignabundus exclamabat: Deus bone, quid hoc eſt monſtri? Diabolum domi alis? Eum iſto portento conſuetudinem habes? Hinc ſuſcipere liberos petes? Me audi. Iſtut monſtrum, aut prodigium ex templo tectis eiice, & te dignam coniugem quære. Ita ille amandata pellice ducebat vxorem. Nec ſinebat Franciſcus quantum in ipſo erat nigras ancillas à Luſitanis in matrimonium duci, ſed albas, minimèque deformes, vt ſcilicet adulteriis abſtinerent, ſua quiſque vxore contenti. Interim verò ad ſtudium pietatis, Chriſtianæque vitæ omnium animos pellicere, atque inſtituere non deſiſtebat. Nec fruſtrà id fuit, cœleſtis hæc diſciplina adeò ciuium, incolarumque formauit mores, vt alia quædam videretur eſſe Goæ facies, quàm paulo antè fuerat. Ob magnam quoque vtilitatem vitæ communis laudas,

dat Chryſoſtomus ſancti cuiuſdam iuuenis viuendi rationem. *Et quod eſt*, ait, *mirabilius, exteriori quidem cultu nihil à cæteris differre videbatur, non enim agreſtibus, vel incomptis erat moribus, non coma negligentia, non amictus vilitate nobilis, ſed erat communis habitu, voce, aſpectu, & cæteris omnibus. Quibus ex rebus factum eſt, vt facilius plurimos contubernalium intra retia ſua includeret, cùm haberet intrinſecus incredibilem latentem ſapientiam.* *Lib. 3. contra vitup. monaſt. vit.*

Cum vita communi componi poſſunt multæ auſteritates.

Capvt XCIV.

Advertendvm tamen eſt, vitam communem ſolùm in exterioribus præſcripſiſſe nobis ſanctum Ignatium; nam in interiori raram & ſingularem vitam debent agere Apoſtolici viri, eximiam mortificationem, & paupertatem colentes. Ipſe Chriſtus, qui vitam communem elegit, aliquoties etiam auſteritate fuit vſus. Quid rigidius, quàm ieiunium quadraginta dierum, quod ſeruauit Dominus, non tantùm vt approbaret ſuo exemplo vitam auſteram, ſed vt doceret qualis debeat eſſe vita communis, vt licèt communis exteriùs ſit, ſuis etiam adornetur auſteritatibus, maximè in ſecreto. Nec eſt mihi omnino abſurdum in reliquo ſpatio temporis, quo rationem vitæ communem oſtentauit Chriſtus, occultis aliquibus corporis macerationibus ſe afflixiſſe. Bredembachius & Valentia ſcribunt Chriſtum Dominum aſpero cilicio fuiſſe vſum. Caietanus probabile exiſtimat habuiſſe Saluatorem aſperam ſubuculam, ad exemplum paſtorum & Prædicatorum. Lytanus, qui citat S. Chryſoſtomum, dicit inconſutilem illam tunicam aſperam fuiſſe, qualis eſt ſacens, aut cilicium reticulato opere. Singularior eſt exiſtimatio Agellij aſſerentis cilicium, ſiue ſaccum impoſitum Chriſto Domino ad lumbos dum crucifigeretur; id certum dici in perſona filij Dei: *Operui in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi, & poſui veſtimentum meum cilicium.* Et alibi: *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam.* Sunt etiam, qui ad Saluatorem mundi referant illud: *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Plauſibilius eſt ieiuniis ſæpenumero fuiſſe vſum. Itaque poſſunt componi, & debent cum ratione viuendi exteriùs communi multæ aſperitates occultæ. Exemplo ſint plures heroici viri ex Societate Ieſu, qui in vita coram aliis communi ſibi rigidiſſimi fuerunt, ſanctus Franciſcus Xauerius, & Borgia, Andreas Ouiedus, Gaſpar Baræus, Ioſephus Anchieta, Balthaſar Aluarez, Gonzalus Sylueira, Bernardinus Realinus, Ioannes Fernandez, Franciſcus Lupus, Ioannes Barretus, venerabilis ob eximiam ſanctitatem Frater Alphonſus Rodericus, & ſuper hos, & multos alios ſanctiſſimus Patriarcha Ignatius, vt præ nimia eius auſteritate interna confeſſarius eius, vir eximiæ ſanctitatis, Iacobus Eguia, diceret, non vi naturæ, ſed miraculo viuere; & ſancto Ignatio mortuo vitalibus diſſecti corporis inſpectis nobiliſſimi pro miraculo non leui habuerunt Medici, eum tamdiu potuiſſe viuere, præſertim hilari ſemper eodemque vultu exequentem Præpoſiti Generalis officia: nam ſtomachus præ abſtinentia, & ſobrietate, diuturnáque ſiccitate mirè contractus apparuit, & iecur ita obduratum, & aridum, vt penè lapideſceret. Et in hepatis vena quæ Porta dicitur, lapides tres ſeſe inueniſſe teſtatur Realdus Columbus, egregius ea tempeſtate ſector, in ſuo de Anatomia libro. Talis eſt vita Societatis Ieſu, communis quidem, ſed ſuis quoque macerationibus culta, non ſolùm voluntariis, ſed ex vi ſui inſtituti, & regulæ, vt notat Franciſcus Suarez. Itaque non ſolùm in vita communi imitatur Chriſtum, ſed in auſteritatibus etiam. Quoniam diuerſum valde eſt vitam ducere communem, & placidam; nam cum vita communi componi poteſt vita laborioſa & ardua. *Lib. 1. de inſt. Societ. c. 9. art. 4.*

Imò, quia ſatis ex ſe laboribus ornata eſt vita Apoſtolicorum hominum, oportebat iuxta ſanctum Bonauenturam eſſe communem in cibo, & potu, qui non ſolùm cenſuit conuenientem eſſe operariis euangelicis vitam communem, vt faciliùs lucrentur alios condeſcendendo illis, ſed ne ipſi deficiant in laboribus, & ne aliis oneroſi ſint. Verba ſancti Bonauenturæ hæc ſunt. *Quia enim diſcipuli pauperes erant, & laborioſis prædicationis exponebantur incurſibus. Ne pro penuria, & difficultate laboris in ſe ipſis deficerent, vel pro difformitate victus oneroſi redderentur ſuſcipientibus ipſos, huiuſmodi fuit eis à Domino viuendi forma præſcripta tam piè, quàm prouidè, vt & aliis condeſcenderent, & iniunctum ſibi laborem viriliter tolerare valerent.* Quare vita huiuſmodi communis in operariis euangelicis non eſt condeſcenſio infirmitatis, ſed neceſſitatis, & charitatis, & conuenientiæ. Accedit, quod ſanctus Baſilius monet, non eſſe abſtinentiis labefactandum corpus, ſed ſeruandum vegetum ad labores, ad imitationem vitæ Chriſti, & Apoſtolorum, ad quos neceſſaria eſt moderatio auſteritatis, & loquens de D. Paulo inquit. *Quòd ſi in eo ille fuiſſet, vt corporis vires immoderatione eneruaret, nunquam profectò ex illis, quæ geſſit ad coronam illam, quam poſtea adeptus eſt, perueniſſet. Quamobrem præclarè is facere exiſtimandus eſt, qui cum Domini, & diſcipulorum, atque adeò Apoſtolorum ipſius, & animi virtutes & corporis exercitationes ſibi imitandas propoſuerit, haudquaquam otio marcere corpus ſinit, ſed in optimis illud aſſiduè officiis continet. Cùm enim animi munus ſit de rebus bonis ea ſeligere quæcumque corporis etiam opera conficiuntur, corporis eſt, exequi ea quæ recta animus iudicarit, cui ſi ad exequendum vires defecerint, mancum quodammodo, atque inchoatum relinqui officium neceſſe eſt, quippe quod in ſola voluntate tanquam compreſſum iaceat, veluti germen aliquod, quod in ſinu terræ delitescens comprimitur, in eáque occultus marceſcit, neque in eorum vſum foras ſe dat, quorum cauſa creatum eſt à natura.* Deinde cùm obiecíſſet ſibi ieiunium Chriſti, reſpondet. *At enim illud tu quoque animaduertito, Dominum, itemque Moyſem, & Heliam, hoc ſemel tantùm feciſſe, reliquo autem toto vitæ tempore, quòd in regendo corpore eam, quam par erat perpetuò diſciplina moderationem adhibuerint, idque otio languere nunquam ſinerint, ſed vſque in laboribus, aſſiduiſque exercitationibus* *Reſp. 2. c. 2.* *Cap. 5. conſt. Monaſt.*

continue

continuerint, ſicque auxiliari opera corporis animæ virtutes illuſtriores reddiderunt, dum omnibus ſuis partibus abſoluendæ ſpirituali ſuæ conuerſationi operatoriam eiuſmodi, & actiuam vitam, ceu ſigillum, ac clauſulam adiecerunt. Vbi Scholiaſtes in margine adnotauit loqui de actiua vita, quæ ex plenitudine contemplationis deriuatur, ſicut doctrina, & prædicatio, ad quam dicit ita pertinere moderari corpus, vt illi poſſit ſeruire. Totum hoc caput Baſilij confirmat inſtitutum, & diſcretionem Societatis Ieſu in ratione pœnitentiarum, & vtilitate vitæ communis, & moderatæ, ad quam diſcretionem & moderationem exhortatur, non vt opus condeſcenſionis, ſed perfectionis etiam conſummatæ.

Cùm vita communi componuntur multi labores.

CAPVT XCV.

CVM vita igitur communi componitur vita valde ardua, & laborioſa ob accidentes paſſiones, neceſſitates, & iniurias, quas operarios euangelicos neceſſe eſt pati, quorum vita multis eſt iniuriis, multiſque laboribus expoſita. Dico paſſionibus expoſitam, quia aliud eſt agere, aliod pati; illud eſt in poteſtate hominis, hoc autem minimè, ſed ad Dei prouidentiam, vel permiſſionem ſpectat, præſertim quando paſſiones, vel iniuriæ, ab aliis hominibus ſuſtinendæ ſunt. Quapropter non eſt in poteſtate hominis imitari Chriſtum io actuali (vt ſic dicam) exercitio eiuſmodi paſſionum, vel iniuriarum, ſed in hoc ſolùm, vt cùm oportuerit, ſe illis Deo auxiliante exponat, & propter illa non formidet in aliis operibus miniſtrare Chriſto, & conſequenter quando Deus illa permiſerit patienter ſuſtinere. Hinc conſtabit, qualem vitæ rationem Chriſtus Dominus ſeruauerit: quam planè imitata eſt Societas Ieſu, non ſolùm in exteriore ratione viuendi communi; ſed etiam in ea vitæ auſteritate, quam ipſe amplexus eſt, ab eius veſtigiis non recedit: nam in primis cum hoc genere vitæ perfectam paupertatem coniungi, vt poſtea rurſus dicemus. nam in Domibus Profeſſorum paupertatem in particulari, & in communi obſeruat; in Collegiis autem ſtudiorum eam retinet quæ illi tempori, & occupationi maximè eſt accommodata, &, quod caput eſt, in vſu paupertatis, quoad ſingulas perſonas maximum rigorem obſeruat. In Miſſionibus autē, & Peregrinationibus pro animarū ſalute, quoad fieri poſſit emendicato viuere debet. Deinde in laboribus pro ſalute proximi ſuſcipiendis plurimum Chriſtum imitatur, nulli enim labori parcere debet, vt illum finem aſſequatur. Vnde in quarta parte conſtitutionum in declaratione proœmij ratio redditur, propter quam expedit iuuenes in Societate admittere, qui & vita, & moribus ab ea bene inſtituantur, & conuenienter educentur. *Tum* (dicitur ibi) *propter magnos labores quos eius inſtitutum exigit, tum propter magnam ſui ipſorum abnegationem.* Hinc tandem fit, vt etiam in ſuſtinendis iniuriis, doloribus, aut paſſionibus Chriſtum etiam imitari debeat, vt luculenter in examine & in vndecima regula ſummarij edicitur. *Cap. 4. §. 44.* Nam actualis occaſio hæc patiendi non eſt poſita in patientis voluntate. Attamen præparatio, & animus ea ſuſtinendi neceſſarius omnino eſt eis, qui vitam ſuam huic miniſterio, & labori conſecrarunt, quia fieri non poteſt quin quamplures occaſiones ſe offerant talia patiendi eis, qui pro dignitate Euangelium prædicant, tum inter fideles, tum inter Barbaros, Gentiles, & hæreticos. Quod non ſolùm in Chriſto, & Apoſtolis, & in aliis Prædicatoribus euangelicis, ſed etiam in ipſa Societate experientia tum præterita, tum præſenti compertum eſt: ac propterea in eius conſtitutionibus ſæpe commendatur ſui ipſorum abnegatio, & omnium rerum temporalium contemptus, & deſiderium patiendi cum Chriſto; quoniam nihil magis neceſſarium eſt ad liberam, & efficacem Euangelij prædicationem, qua de cauſa dictum eſt in Bulla prima Iulij III. non eſſe aliquos in hac Societate admittendos, niſi poſt diuturnas, & diligentiſſimas probationes, quia reuera hoc inſtitutum omnino humiles, & prudentes in Chriſto, & in Chriſtianæ vitæ puritate, ac literis conſpicuos exigit. Alia præter hæc dabit Suarez, luculentiſſimè de vita communi Societatis Ieſu, cuius ſententiam hîc inſeruimus. *Certè vita Apoſtolica nexum ſibi odium mundi habuit, & quemadmodum Chriſtus Dominus author Apoſtolici Collegij dixit, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, ipſumque priorem à mundo habitum odio; ſic etiam ſeruidorum, & zelantium gloriam Dei hominum vita tanquam hæredum Apoſtolorum, ſimiles quoque contumelias, & perſecutiones hæreditabit, quod maximè arduum, & difficile eſt.*

Quid enim grandioris meriti, & difficilioris patientiæ, quàm in honore, & nomine lædi, & non vlciſci, ſed tacere. Quippe ea quæ honorem, & famam lædunt, multo grauiora ſunt viris ingenuis, & honeſtis, quàm acerba mors, quam ſuſtinere multi mallent potius, quàm nominis ſui periculum, famæque iacturam pati, adeò vt multi Theologi, & periti iuris docuerint quibuſdam in caſibus ſine vllo peccato alterum occidi poſſe ob defenſionem proprij honoris, & ad euadendum aliquam grauem contumeliam. Et quidem ſanctus Paulus, licèt ab Spiritu diuino confortaretur, ſic queritur, *Non volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt* *1. Cor. 8.* *in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere;* quaſi diceret, vt interpretatur Remigius Rhemenſis, *In tantum,* inquiens, *ſumus grauati preſſuris, vt odio haberemus vitam præſentem, vt vellemus potius mori, quàm viuere.* S. Thomas ſic explicat. *Conſtat enim, quòd inter alia viuere magis deſideratur; quando ergo eſt tanta perſecutio, vt & ipſa vita reddatur tædioſa, manifeſtum eſt, quod eſt ſupra virtutem naturæ, & hoc eſt, quod dicit, ita vt tæderet non etiam viuere.* Propheta quoque Helias optabat potius mortē, quàm moleſtias perſecutionis, quam patiebatur à Iezabel. Nonne hi labores virorum Apoſtolicorum pro Dei gloria patientium, ſuperabunt quamlibet arctitudinem, eorumque vitam arduam reddunt, & meritis pleniſſimam, non ſolùm auſteritatibus, ſed ipſi martyrio æqualem, vt illis poſſit dici, quod ſanctus Ioannes Climachus. *Noli citius* *Gradu 4.* *currere, neque eleueris facile, cùm enarrari audis*

ſolitariorum Patrum vitas: tu enim protomartyris militia incedis. Multi pro Dei gloria afflicti, etiamſi naturali morte extincti non ſint, computantur inter Martyres, ſicut ſanctus Fœlix Nolanus, & ſanctus Marcellus. Sãctus Chryſoſtomus oratione de ſancto Euſtathio vocat illum Martyrem, qui tamen occiſus pro Chriſto non fuit, ſed naturali morte perfunctus, ſolùm quia exi-

In Pſ. 127. lium paſſus eſt. Sanctus Auguſtinus, alium ſanctum Fœlicem pronuntiat Martyrem, qui nec cæſus à tyrannis fuit. Similiter ſanctus Ambro-

Serm 69. ſius appellat ſanctum Euſebium Vercellenſem Martyrem, qui naturali morte obiit, & pacificè, ſolùm quòd cruciatus fuiſſet antea; idem Martyr in Martyrologio ſcribitur. Eodem modo ſan-

Epiſt. 50. & epiſt. 16. ctus Cyprianus Martyres cognominat Moſem, & Maximum, & cæteros pro fide afflictos; citra mortem tamen inter alia inquit. *Nutantem multorum fidem martyrij veſtri veritate ſoliditatis verè Euangelij teſtes, & verè Martyres Chriſti.* Et pòſt. *Martyria veſtra exempla feciſtis.* Sanctus Paulinus etiam epiſtola ſecunda ad Victricium, viuum Martyrem eum appellat, quòd ſolùm paſſus, non mortuus fuiſſet. Et in vita Barlaam, & Ioſaphat, ſanctus Damaſcenus ſcribit, Religioſos animo, ac voluntate Martyres effectos, ea gloria quam Martyres obtinent, minimè carere. Quod præcipuè verum erit in his, qui iuxta ſignum bonorum traditum à ſancto Bernardo, plura quàm alij bona faciunt, & plura quàm alij mala patiuntur, & minores fauores, & laudes, & applauſos referunt humanos. Multa autem patiuntur veri operarij Societatis IESV, qui inter tot Barbarorum nationes ſolent acerbiſſimè ſæpe cædi, & affligi, vt nuper inter Sinas afflicti, & pridem teſtatus eſt Dieghus Payua, Theologus Luſitanus, libro de origine Societatis, qui ait: *Infinitum quidem eſſet numerande percenſere, quot huius ſodalitatis viri in hoc docendi Euangelij, atque Indicos homines ab impietate anocandi munere verberibus caſi fuerint, quot vinculis obſtricti, quot in carceres miſerè contruſi, quot inedia ferè conſumpti, quot denique ob Chriſti nomen varijs cruciatuum generibus interierint.* Dicam hoc verè, tot labores, & pericula aliquos tuliſſe pro fide tuenda, & propaganda, vt verè Martyres dici poſſint. Licèt ex ægritudine, & morte communi ſublati. Pater Martinus Gutierrez in cuſtodia ex morbo deceſſit, quem tamen ſancta Thereſia vidit in cœlo aureola Martyris ornatum, plurima antea ab hæreticis tolerauit; & quidem iuxta S. Thomam, verè Martyr fuit, licèt cõmuni morte functus ex morbo. Secundùm grauiſſimos quoque Theologos, & Patrem Enricum, & alios, imò iuxta Eccleſiæ ſenſum, quæ ſanctum Fœlicem pacificè morientem pro Martyre celebrat, quia ab oſoribus fidei mortis periculum ſubiit, licèt ab illo miraculosè ereptus. Martyr etiam nuncupari poterit ſanctus Franciſcus Xauerius, ſi verum eſt, quod de illo prodit

Lib 11 hiſt. Orlandinus: *Fama Goa fuit Alphonſo Neronia Prorege Xauerium priuſquam Meacum attingeret, quòd in idola grauiter eſſet inuectus, ſemel, atque iterum varijs in oppidis ad necem raptum, ſed ex ipſa ceruici intenta ſecuri mirabiliter ereptum. Tantam enim, tamque horribilem exortam ſubitò tempeſtatem, & eum extremam eiuſque perniciem minitari, quaſi ſumptis armis cœlum videretur, ac terra perterritis omnibus ſibi quiſque conſuleret, & parricidas illos iam ad inferendam cædem paratos tanto piaculo prohiberet.* Idem dici poteſt de Apoſtolico viro Andrea Ouiedo, cui poſtquam Adamas Imperator Æthiopiæ manus in illum iniecerat, occiſurus omnino, niſi diuinitus factum vt pugionem non inueniret, poſtquam bis eo genere exilij damnauit, vt niſi per miraculum ſeruaretur, periret fame, aut latronum inſidiis; tandem accidit, quod Godinus

Lib. 3. hiſt. Abaſſ c. 7. narrat. *Imperator*, inquit, *enſem amens liberat è vagina, furiosè petit innoxium collum quod Andreas brachijs prius in modum crucis ad pectus conformatis, tantiſper inflexerat, & percutere contanti aptarat. Verùm ictu irrito cadit ferrum è manu Tyranni, omnibus, qui aderant, vehementer ſtupentibus.* continuos deinceps labores, & pericula vitæ tulit. Idem Ouiedus, miraculosè ſeruatus, vſquequo in ſumma paupertate, & ſanctimonia obiit. Recentia pericula vitæ, & alias incommoditates aliquorum Patrum in Europa, quòd aliquorum nobilium, & magnatum pellices auerterent, à prauo amore recenſere poſſem. Duntaxat narrabo, quod Catholicus Rex Philippus Quartus conſcius veritatis publicaſſe dicitur. Certant flagitium, & virtus de magnitudine. Hiſtoria hæc eſt, quemadmodum in Philippica aula prolata fuit. Monita, & vitam Concionatorum ex Societate IESV impatientiùs ferens quidam Paſtor animarum in magno honore conſtitutus, & qui ex officio erat moniturus cæteros, accerſiuit in domum ſuam Patrem quemdam, & cum meretrice ad facinus iam docta, & ſuaſa ab ipſo Præſule, incluſit in cubiculo, vt clariſſimæ, & puriſſimæ tubæ euangelicæ vocem turpi ſcelere contaminaret, vt iam deinceps ſine pondere ſanctæ vitæ leuia effutiſſe illum, nec grauia ſe committere videretur per excuſationem ſimilis flagitij. Certatum vtrinque. Meretrix omni laſciuiæ arte, omnibus tentat modis caſtiſſimum illum virum. Experta eſt, non hominem fuiſſe, crederet ſimulachrum, aut cadauer, niſi oratio hominis ſpiritum ſuaderet. nam perſuaſit pœnitentiam mulieri; neque vnquam magis concionandi officio pro roſtris functus eſt, quàm in proſtibulo, neque ſcio vtrùm maius eſſet proprium corpus ſeruaſſe, quàm alienam animam lucratum fuiſſe. Vtrumque tamen obtinuit ſanctitas illius viri. Interim Præſul ille actum de fama, & conſtantia Ieſuitæ illius credens, oſtium reſerat: ſed concionatorem eumdem ſemper fuiſſe, & fœminam diuerſam inuenit, ex meretrice pudicam, & ferè concionantem, quippe pudicitiam concionatoris illius prædicans, Angelicum, & ſanctiſſimum virum eſſe tonabat. Verùm, quoniam à libidine in crudelitatem tranſitus ex facili fit, ſæuiit Antiſtes ille ferinum vltra modum, & præ rabie mutilat virilia integerrimi illius viri, cuius integritatem magis publicabat ſciſſio illa; vt denique exanguis relictus bonus Pater dediſſet ſpiritum, qui moriens oſtendit habuiſſe illum, non fuiſſe.

* * *

Cum a

Digitized by Google

Cum vita communi componitur eximia paupertas.

Capvt XCVI.

Denique vita communis taram paupertatem colere poteſt; Chriſtus enim Magiſter noſter, & ſummæ paupertatis idea, hanc virtutem cum communitate vitæ compoſuit, quemadmodum ſanctus Thomas obſeruauit, dicens: *Communi vita vti, quantum ad victum, & veſtitum, poteſt aliquis, non ſolùm diuitias poſſidendo, ſed etiam à mulieribus, & diuitibus neceſſaria accipiendo. Quod etiam circa Chriſtum factum eſt. Dicitur enim quòd mulieres* (Luc. 8.) *quædam ſequebantur Chriſtum, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis; vt enim Hieronymus dicit contra Vigilantium, conſuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus ſuis miniſtrarent.* Noſter Patriarcha ſanctus Ignatius, eximiam quoque paupertatem in vita communi commendauit, & prouiſit ad imitationem omnimodam filij Dei; neque detractores noſtræ Religionis auſi negare ſunt ad exemplar eſſe paupertatis Apoſtolorum, quam poſt multas preces, & illuſtrationes diuinas ordinauit ſanctus Ignatius. Quadraginta dies ipſos continuos, (vt coniectura fiat de reliquis rebus circa paupertatem ordinatis,) in ardenti precatione, deliberationeque conſumpſit, quemadmodum Nicolaus Orlandinus ſcribit, (Lib. 10.) vt vnum illud tutò, & ſine errore decerneret, liceret ne Profeſſorum Domibus, quæ totæ liberali hominum miſericordia victitant, ſacras ædes, vel modicis cum prouentibus poſſidere, vt haberent ſaltem, vnde neceſſarios ſumptus in inſtrumentum templi, cæteroſque ſacros vſus ſuppeditarent. Extant etiamnum commentarij quidam poſt eius mortem reperti, in quibus per quadraginta dies habitum animæ ſuæ, varioſque ſenſus manu ſua perſcripſit, diuino ſanè inſtinctu, vt incredibilium propè donorum, quæ largiſſimè ex immenſo diuinitatis fonte hauriebat, & diligentiſſimè recondebat, ſpecies ad poſteros aliqua emanaret. In iis elucet ad viuum expreſſa viri ſanctitas, admirabilitaſque diuinæ liberalitatis in ſeruum ſuum, & quanti ponderis eſſe oporteat relictas ab eo conſtitutiones, ac leges in iis ſeſe (quamuis id non ageret) ſuo quaſi penicillo depinxit, vt qualis in precatione ſiue matutina, ſiue veſpertina, qualis in comparando animo ad rem diuinam, qualis in ipſa re diuina, & ſecundùm rem diuinam eſſet in actione gratiarum ad exemplum, ac diſciplinam ſui filij intuerentur. Hîc luce clariùs apparet quanta ei eſſet cum diuina mente coniunctio, quanta communicatio in expendendis, ac pertractandis ſingulis ferme conſtitutionum locis, præſertim quæ ad paupertatem ſpectabant, quanta vis lachrymarum, quantus imber, quàm affluens, quamque redundans diuinarum ſuauitatum copia, quam cùm humani pectoris anguſtiæ non ſatis caperent, erumpebat frequenter in corpus magno eius ſæpe languore, magnoque labore, vt in ipſa ſacrificatione, nonnunquam intercluſa voce, cùm facultas liberè reſpirandi non eſſet proloqui omnino verbum, ac pronuntiare non poſſet, quoad tanta illa diuinæ dulcedinis copia vbertaſque remitteret. Interdumque fiebat, vt preces inter ſacrificia tantis ardoribus æſtuaret, vt omnes partes corporis exardeſcerent, venæque omnes manifeſta cordis palpitatione micarent; interdum verò etiam pilus capitis inhorreſceret. In iis, inquam, commentariis cerni licet quàm crebris, quamque perpetuis à Deo ſplendoribus mens eius illuſtraretur, dum eius pectori mens illapſa diuina cum eo ſeſe admirabili quadam ratione, & incredibili iucunditate communicat. Cuius illapſu, communicationeque plurimæ in eius animo, maximæque notitiæ de Dei natura, & perſonarum Trinitate fiebant, vt etiam earum proceſſiones, proprietates, operationes, & ea quæ præcipi ab homine, ſine doctrinæ præſidio, & diſciplina non poſſunt, & ſiue magiſtro, vel ſtudio, ſiue expreſſis earum rerum in eius mente notionibus, ſiue etiam viſis obiectis extrinſecus patefierent. Quæ tot, tantæque notitiæ cum incredibili iucunditate coniunctæ, non ad exigui temporis fructum, ſed ad dies ſæpe complures hærere eius pectori conſueuerant, vt quocumque ingrederetur, eæ comites ſequerentur; cum eoque ſiue in cubiculo, ſiue in cœnatione, ſiue apud ſuos, ſiue apud alienos ſemper habitarent, & quodammodo pernoctarent; quarum æſtu, magnitudineque ſic abſorbebatur, & à ſe ipſe peregrinabatur, interdum vt ſimilis eſſet homini qui corpore terras coleret, mente cœlum. Quod ad paupertatem ſpectat, ex illis commentariis (quamquam perdifficile eſt conſeruare ſpiritum eorum lingua Latina) adducam quid altero, & vigeſimo die notarit. Sabbato (inquit) quintum ſacrum de Trinitate, in precatione conſueta cùm initio non multum adeſſet poſt dimidium, ſat multum præſtò fuit pietatis, iucunditatiſque animæ cum aliquo obiectu, & ſpecie lucidæ claritatis. Dum altare componitur occurrente menti Ieſu motus ad eum ſequendum: cùm penitus exiſtimarem, quòd ipſe ſit Dux, caputque Societatis; id eſt omnium argumentorum maximum, cur paupertas, & nuditas ſumma eſſet aſſumenda, quanquam aliæ quoque rationes, quas in electionibus adhibueram, eòdem ſpectabant. Atque hæc cogitatio commouebat me ad pietatem, & lachrymas, atque etiam ad conſtantiam, vt quamuis in ſacro huius diei, vel in aliis non affluerent lachrymæ, videretur hîc ſenſus, fore ſatis tentationum, & moleſtiarum tempore ad conſtantiam obtinendam. Inter has cogitationes cùm progrederer, & ſacras inducerem veſtes, creſcebat pius ſenſus, & videbatur hæc planè eſſe confirmatio decreti: quamuis aliæ conſultationes abeſſent: & videbatur confirmatio eſſe quodammodo à ſanctiſſima Trinitate, (hoc enim ſanctus Ignatius cupiebat adeſſe ſibi potiſſimum ab auguſtiſſima Trinitate ſenſum aliquem, vnde intelligeret accepta illi eſſe quæ ipſe de paupertate decerneret) cùm ita ſe communicaret filius, quia recordabar eius temporis quo Pater me apud filium collocauit. Poſt indutas ſacras veſtes, cùm ſe mihi magis, magiſque nomen Iesv imprimeret; & ita ego eſſem corroboratus, & confirmatus, in omnem euentum erumpebat noua vis lachrymarum, atque ſingultuum, ſacro iam ingreſſo multum co-

mitabatur gratiæ, ac pij ſenſus cum quieta, longáque lachrymatione. In proceſſu varij adfuere motus in decreti confirmationem. Cumque diuinum ſacramentum ſuſtinerem manibus, ſubiit internum colloquium, & commotio vehemens nunquam Dominum deſerendi, quidquid ſe obiiceret ſuperfundente ſe noua dulcedine ſpiritus, ac nouis motibus. Permanſitque ſenſus ille ingens cum impulſu ad lachrymas etiam poſt ſacrum, totoque die, quoties ſubiret IESV memoria, recurrebat menti deuotio, & confirmatio. Huius potiſſimum dici placuit ſenſus adſcribere, quamuis in aliis admirabiliora legantur dona luminum cœleſtium, atque ſuauitatum, quod hîc clariùs explicatur, quid maximè ad perfectam paupertatem beatiſſimum virum impulerit.

DOCTRINA XI.

DE ASPERITATIBVS & pœnitentiis.

Pœnitentiarum, & auſteritatum laus, vtilitas, & neceſſitas.

CAPVT XCVII.

NVNC illud conſideremus, cur ſtata, & præſcripta pœnitentiæ opera non definiat noſtra regula, non certè, vt paucæ fiant, ſed vt plures, vt poſtmodum explanabimus. Laudo in primis, & commendo, & exhortor ad hæc opera, ad imitationem quidem primorum inſtitutorum, ac maiorum noſtrorum, & pro vſu hactenus vigenti in noſtra Religione. Neque enim verus, & fidelis Dei ſeruus quieſcere poteſt, quin aliquid pro dilecto ſuo patiatur;

Lib.6.ep.47. &, vt inquit ſanctus Petrus Damianus, *Nunc ſancta Eccleſia in pacis otio vtitur, quo dudum vtebatur in bello. Nam & Apoſtolus iterum dicit, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Et alibi, Sancti ludibria, & verbera experti. Porrò dum manus carnificis nunc ab infligendo Martyribus verbere ceſſat; quid obeſt, ſi ſancta deuotio ipſa ſibimet, vnde ſanctis Martyribus particeps fieri mercatur, exhibeat? Nam cùm ſponte me proprijs manibus ante conſpectum Dei verbero, deuotionis ingenuæ deſiderium, ſi carnifex accurreret, promptus oſtendo. Quia ſi pro amore Chriſti tam dulcis eſt mihi pœna, cùm deeſt; quo ſuſciperetur animo, ſi perſecutor offerret? Vellem pro Chriſto ſubire martyrium, non habeo, ceſſante ſtudio, facultatem: ipſe me verberibus atterens oſtendo ſaltem feruentis animi voluntatem. Enim verò ſi me perſecutor allideret, ipſe me verberarem, quia verberandum me vltroneus exhiberem. Nam ſi ſolerter Scriptura diſcutitur, ipſe Rex Martyrum Chriſtus non ſolùm à Iuda, ſed etiam à Patre, & a ſemetipſo quoque traditus inuenitur. Nam de Patre dicit Apoſtolus, Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. De Filio autem alibi, Qui dilexit,* inquit, *me, & tradidit ſeipſum pro me. Siue ergo me propria manus affligat, ſiue carnifex ictum infligat, ego ſpecialiter huius examinationis auctor exiſto, qui me ad examinandum vltroneus offero. Præterea, quia tympanum eſt pellis arida, ille, iuxta Prophetam, in tympano Dominum veraciter laudat, qui confectum ieiunio corpus per diſciplinam verberat. Dicit enim Pſalmiſta, Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Carnem ſiquidem, & ſpiritum ſcopo, qui me deliquiſſe per carnem, & ſpiritum recognoſco. Iſtum correptionum, illam cum cæteris afflictionibus etiam percuſſione virgarum, vt quia læta me caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Lorica eſt homo indutus ad carnem, ferreis membra diuerſa circulis ambit, mittit cum labore metanœas, allidit in pauimentum crebriùs palmas; vt quid hæc, & his ſimilia, niſi vt dum per hæc corpus affligitur, anima refrigerium procuretur. Quodcumque enim illud eſt, per quod caro pœnitentiæ cauſa laceratur, atque procellitur, per hoc homo procul dubio contracti reatus ſqualore purgatur.* Accedunt his multæ auſteritatum vtilitates. Sanctus Ephrem agens de ieiunio, ſub quo omnis corporalis pœnitentia intelligi ſolet, ſic ait: *Ieiunium eſt vehiculum ad cœlum, ieiunium Prophetas ſuſcitat, legiſlatores ſapientiam docet. Ieiunium bona animæ cuſtodia, & ſecurum corporis cohabitator. Ieiunium ſtrenuis militibus telum, athletiſque exercitium. Ieiunium tentationes retundit, ad pietatem inungit. Ieiunium ignis virtutem extinxit, ora leonum obturauit, orationes in cœlum dirigit. Ieiunium mater eſt ſanctitatis, iuuentutis diſciplina, ornamentum ſenibus.* Dico quoque cum ſancto Baſilio, & Ambroſio libro de Elia, & ieiunio. *Quod eſt ieiunium, niſi ſubſtantia, & imago cœ-* Cap 3. *leſtis, ieiunium refectio animæ, cibus mentis eſt, ieiunium vita eſt Angelorum, ieiunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis. Hoc ad Deum citiùs gradu peruenitur.*

Pœnitentiæ potiſſimum neceſſariæ ſunt ijs, qui ſalutem animarum quærunt, & vitam mixtam agunt.

CAPVT XCVIII.

DEINDE prædicationis cauſa nonnullis ſpecialibus rationibus neceſſariæ ſunt Apoſtolicis viris, & operariis vineæ, Domini pœnitentiæ.

Prima ratio eſt, ne quis confuſionem illam ſuſtineat quòd fecerit contra quam docuerit. *Annon*, inquit Hieronymus, *ſumma confuſio, &* In Mich. *ignominia eſt, Ieſum crucifixum, magiſtrum pauperem, atque eſurientem, fartis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolùm ſermonem eorum imitemur, ſed conuerſationem quoque, & abſtinentiam amplectamur.* Idem in epiſtola quadam ad Nepo- Epiſt.2. tianum. *Non confundant*, inquit, *opera tua ſermonem*

monem tuum, ne cùm in Eccleſia loquens, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo quæ dicis ipſe non facis? Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiunijs diſputat. accuſare auaritiam & latro poteſt; Sacerdos Chriſti os, mens, manuſque concordent.

Secunda ratio eſt, vt ſe ipſum magis perficiat Prædicator, ne cùm aliis prædicauerit, ipſe reprobus efficiatur; perfectiores quippe debent eſſe Prædicatores, quàm quiuis alterius profeſſionis Religioſi. Propterea ſanctus Iſidorus Pe-
(Lib. 2. epiſt. 184.) luſiota dixit, eos, qui Sacerdotum munere funguntur, ſanctiores, ac puriores illis eſſe oportet, qui ad montes ſe contulerunt. Si quidem illi, & ſui & plebis; hi autem ſui duntaxat curam gerunt. Hinc Chriſtus ante prædicationem ieiunij, & pœnitentiæ cauſa in deſertum eſt du-
(ſuper Matth. 4 q. 10.) ctus. Et, vt inquit Abulenſis, *ieiunium hoc Chriſti neceſſarium fuit ad inſtructionem Prædicatorum: voluit enim Chriſtus ex operibus ſuis oſtendere, quid in prædicatore præcedere debet, antequam prædicet, vt dignè prædicare poſſit, ſecun-*
(Act. 1.) *dùm illud Actorum; Cœpit Ieſus facere, & docere, id eſt, prius facere ea, quæ habet facere bonus Prædicator, & poſtea prædicare ea, quæ debet dicere verus Doctor.* Similiter ſanctus Tho-
(3. p. q. 41. art. 3 ad 1.) mas. *Nullus debet aſſumere prædicationis officium, niſi prius fuerit purgatus, & virtute perfectus, ſicut & de Chriſto dicitur, quòd cœpit Ieſus facere, & docere; & ideo Chriſtus ſtatim poſt Baptiſmum auſteritatem vitæ aſſumpſit, vt doceret, poſt carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium tranſire. Neque ſolùm ante prædicationis munus exercendus eſt Prædicator aliquibus pœnitentijs, ſed in ipſa officij functione, non debet earum obliuiſci, ad exemplar*
(1. Cor. 9.) *ſancti Pauli, ſic de ſe fatentis: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Supra quem locum ſanctus Thomas ait. *Tangit auſteritatem vitæ, & implet facto, quod docet verbo, ne ſe damnet ore proprio.* S. Auguſtinus verò, *Suo timore*, inquit, *nos terruit Apoſtolus; quid enim faciet agnus, vbi aries timet, & tremit.* Et ſanctus Chryſoſtomus. *Si Paulus hoc timuit, qui tam multos docuit, & timuit poſtquam prædicauit, & factus eſt Angelus, & totius orbis defenſionem ſuſcepit, & patrocinium, quid nos dixerimus? Ne enim*, inquit, *exiſtimetis, quoniam credidiſtis, hoc vobis ſufficere ad ſalutem. Nam ſi mihi prædicaſſe, docuiſſe, innumerabiles adduxiſſe, non ſatis eſt ad ſalutem, niſi quoque meæ actiones ſint huiuſmodi, vt in eas nulla cadat reprehenſio longè minus vobis.*

Tertia ratio eſt, vt efficaciam verbis ſuis addat, cum exemplo ſimul ac voce perſuadendo; nam, vt inquit ſanctus Bernardus, ſermo viuus & efficax exemplum operis eſt, plurimum faciens ſuadibile, quod monſtratur factibile. Tum vt mouendis audientium voluntatibus impetret gratiam. *Oratio*, inquit idem ſanctus Bernardus, *virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio ieiunium ſanctificat.*

Ratione contemplationis neceſſariæ ijs, qui vitam mixtam agunt, neceſſarius quoque eſt rigor ijs, qui ſaluti animarum incumbunt.

Capvt XCIX.

QVARTA ratio erit ratione ipſius vitæ mixtæ virorum Apoſtolicorum, quatenus excellere in oratione debent, vt contemplanda aliis tradant. Maceratio autem ſui, & mortificatio ſic iuuat orationis ſtudium, ipſamque contemplationem, vt ſine mortificatione nulla contemplatio, nullus ardor zeli, nullus amor Dei & proximi conſtans erit. Optimè
Richardus Victorinus dixit voluntatem noſtram (De contempl.)
nunquam perfectè deſiderio bonorum cœleſtium inflammari poſſe, nec intellectum noſtrum rerum diuinarum contemplatione plenè poſſe illuſtrari & purgari, niſi diligentes ſimus in reprimendis commodis, & cupiditatibus corporis, etiam licitis, & neceſſariis. Sanctus Baſilius ho-
milia in illa Pſalmiſtæ verba, *Nunquid confite-* (Pſalm. 29.)
bitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam? Quomodo, inquit, *terreſtris homo, ac carneus confitebitur tibi Deo? Quomodo item annunciabit veritatem is, qui diſciplinis nullam dedit operam, & in tanta carnis mole, ſuam ipſius mentem oppreſſam tenet? Iure itaque meam extenuo, ac macero carnem, nec meo ſanguini parco, qui in carnem coagulari ſolet, ne mihi vel ad confeſſionem, vel ad veritatis cognitionem ſit impedimento.* S. Gregorius etiam interpretatus illa verba Iob, vbi de
ſapientia agitur, *Non inuenitur in terra ſuauiter* (Iob 28.)
viuentium, ſic ait. *Qui huius vitæ voluptatibus paſcitur, ab æterna ſapientia intellectu ſeparatur.*
Et ſanctus Hieronymus, *Pulchrè*, inquit, *dicitur* (Epiſt. ad Nepotianum.)
apud Græcos, Pinguis venter, tenuem non gignit mentem. Idem alibi ſic inquit. *Galenus, vel doctiſſimus Galeni interpres ait, eos quorum vita, & ars ſagina eſt, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe; animaſque ita nimis ſanguine, & adipibus, quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleſte, ſed ſemper de carnalibus eructare, ventris ingluuiem cogitare.*

Accedit quòd ij, qui in ſolitudine ſibi vacarunt per rigorem, & auſteritatem ad contemplationis aſcendunt gratiam. Neque ſola illis quies, & ſolitudo ſine corporali afflictione partocinari potuerunt; hi autem qui in medio populorum ſunt, quomodo ſine eodem mortificationis adminiculo ad ſimilem gratiam orationis peruenire valebunt. De ſancto Machario Alexandrino ſcribens Palladius, *His exercitationibus corporis*, inquit, *ad tantam Macarius peruenerat contemplationem, vt in ea ſæpiùs noctem integram cum die tranſierit.* De Polychronio quoque ſcri-
bit Theodoretus. *Mortificabat ſe aſpero cilicio,* (Cap. 24.)
vilique, & nullius pretij habitu, ſicque inopem vitam agebat, vt nec neceſſarium ſemper haberet nutrimentum, ac totam noctem vigil in precibus ſtans, conſumebat. Ad augendam quoque mortificationem, habebat in cella grandem truncum ex quercu, quem die, noctuque imponebat humeris, & ſic in oratione perſiſtebat. Paupertatem tanto

L 3 ſtudio

ſtudio coluit, vt exiſtimaret, quouis regno magis expetendam. Et tandem ſubdit. *His aliiſque id genus exercitys in extremam vſque ætatem vſurpatis, ad tantam rerum diuinarum notitiam, & memoriam venit, vt mentem à contemplatione diuellere non poſſet.* Itaque pluribus, & potioribus rationibus tenentur viri Apoſtolici Prædicatores, & Confeſſores, ad mortificationis etiam corporalis ſtudium, vt ſcilicet ſe iuuent, & ſua iuuent miniſteria.

2.2. q.47. art.1. Tres cauſas ieiunij, & affligendi corporis adduxit ſanctus Thomas. Prima, ad concupiſcentias carnis reprimendas. Secunda, ad hoc vt mens liberiùs eleuetur ad ſublimia contemplanda. Tertia, ad ſatisfaciendum pro peccatis. Vltra hæc tria, quæ communia ſunt vitam contemplatiuam gentibus, tenentur ij, qui in vita mixta, ſaluteque animarum occupantur, ſuam carnem macerare, ne confuſionem illam patiantur, quòd diuerſa quàm dixerint, fecerint. Tum, vt exemplo perſuadeant, vt impetrent à Deo gratiam pro ſis, quorum ſalutem quærunt, atque vt ſua iuuent miniſteria, vt ſecuritatem ſibi comparet aduerſus pericula conuerſationis humanæ. Deinde propter eas ipſas cauſas macerādi corporis, cõmunes aliis Religioſis contemplatiuis, quas aſſignauit ſanctus Thomas, potiori ad hoc tenentur iure: nam magis mortificatos affectus habere debent, quàm ij, qui cum hominibus non conuerſantur, cum iſtis occaſionis ſubtractio defectum mortificationis poſſit ſupplere. Maiorem quoque gratiam contemplationis habere oportet, cùm ex abundantia contemplationis miniſteria ſua debeant procedere, contemplata aliis tradendo, & maior virtus requiritur in eo qui alios effecturus eſt perfectos, quàm in eo qui ſolùm ſtudet eſſe perfectus. Denique maiorem purgationem peccatorum, puritatemque animi requirunt, quoniam ſtrictiùs Deo debent vniri; ſicut enim inſtrumentum, vt opus artificioſè operetur, coniunctum debet eſſe, & vnitum artifici: ſic viri Apoſtolici tanquam inſtrumenta Dei in prouidendis electis vniri intimè Deo debent, vt ſalutem animarum operentur.

Idcirco flagellis ter ſe quotidie verberabat atrociter ſeruus Dei Andreas Ouiedus. Idem multorum dierum ieiunia, contentus pane ſolùm & aqua producebat. In Æthiopia quæ ipſi donabantur, pauperibus diſtribuebat, radices dumtaxat amaras ipſe comedebat. Simili charitate, & abſtinentia Apoſtolicus, & fortiſſimus Chriſti Martyr Alphonſus de Caſtro quadrageſimalem abſtinentiam toto anno ſeruabat, piſce aquâ cocto ſimplici, ſine ſale, & oleo. Nunc abſtinentia ſcimus aliquos eminere, qui proprium victum Indis pauperibus largientes, ipſi ſolùm radicibus herbarum aluntur, magnos licèt perferant labores. Pater Ægidius Gonzalez geſtabat tribulorum agreſtium cilicium, quod inuentum cruentum, & fractis aculeis tribulorum. Frater Gaſpar Pereira ſpinea corona caput ſuum lacerabat, quam identidem renouabat. Pater Ioannes Ruicius ſilicem magnum duodecim librarum, & angulosum ſupponebat tergori, dum cubabat, faſſus iis qui mitiorem cubitum admonebant, plus commodi animæ habuiſſe ex illo ſaxo acuto, quàm valetudinis detrimentum poſſet accidere. Pater Didacus Martinez per triginta annos ignorauit lectum. Simile odium blandæ quietis fuit Patri Ioanni Sebaſtiano. Pater Didacus Sotus, quem ſatis noui, bis ad minus quotidie flagellabatur, continuiſque ciliciis macerabatur: dum ægrotaret extremo morbo, octo ante obitum horas inuenta illi ſunt duo cilicia ferrea, adeò conſtringentia carnes, & armata ſpiculis, vt opus eſſet frangi, quo poſſent extrahi. Pater Petrus Rodericus adhuc eo ipſo die quo obiit, per dimidiam horam crudeliter ſe flagellauit; idem temporis ſpatium ſingulis diebus conſumpſerat eodem ſui ſupplicio. Pater Michaël Turrianus poſt exactos octoginta & tres annos, ſub mediam noctem ſurgebat ad orandum; deinde crudeliſſimis flagris ſe bonus ſenex laniabat, & crebris per annum ieiuniis macerabat; monentibus in tanto ſenio imprudentem fore rigorem illum vitæ, reſpondebat: Nunquam fui nouitius; oportet me mortificare, & mortificari ab omnibus. Pater Ioannes Romerus ter quotidie cædebatur flagris, cilicino ſacco carnem ſuam continuò affligebat, cadauer totum liuidum, & nigricans inuentum præ aſpera corporis ſui tractatione. Non fuerunt iſtæ auſteritates indiſcretæ, aut inconſideratæ; quoniam eas obedientia direxit, præterquam quòd is qui conſiderat quanta inconſideratè egerit aduerſùs Deum, non conſiderat aliquando quod agat contra ſe. Simili auſteritate ſecum vſus Pater Gabriel Logronius: accidit aliquando, cùm diutiùs crudeliſſimis flagris ſe laceraret, vt Chriſtus Dominus illi apparens affabiliter compeſceret, dicens: Sat eſt Gabriel, ſat eſt. Longum eſſet enarrare, quid alij operarij vineæ Domini, & contemplatiui viri, tum in Societate noſtra, tum extrà fecerint, vt carnem ſuam macerarent.

De auſteritatibus, & pœnitentijs non eſt præſumendum, cùm eis ſolis non ſtet perfectio, & multa ſint præſtantiora virtutis opera.

CAPVT C.

POST tantam nihilominus auſteritatis, & pœnitentiarum vtilitatem, poteſt periculum in illis eſſe, tum ſi aliis operibus melioribus præferantur, tum ſi occaſio fiant alicuius damni, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis, defectus ſcilicet humilitatis, aut notabilis valetudinis, & vitæ. Ideo non regula mortua, ſed viua ſuperiorum præſcribi pœnitentias vnicuique ſalutares. Conſultiſſimum fuit in Societate noſtra, quoniam maioribus, & excellentioribus ſalutis animarum operibus dicata eſt, quibus nemo reddi minus aptus debet auſteritatis exceſſu, & ex alia parte plures pœnitentias neceſſitas proximorum, ipſaque excellentia noſtri inſtituti, & ſalutis animarum ſumere compellunt. Et quidem ſanctus Paulus, prout multi Patres exponunt, hoc admonuit Timotheum, ne præſtantiora pietatis ſtudia, & charitatis officia propter rigorem, atque auſteritates corporales prætermitteret, dicens: 1. Tim. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis, pietas autem ad omnia.* Qui locus ſicut minimè adducendus eſt, vt parui fiant pœnitentiæ, & auſteritates,

cùm

cùm ex multis aliis Scripturę locis,& Sanctorum dictis, & vſu commendatiſſimæ ſint, tanquam vtiliſſimæ, & neceſſariæ,& Deo gratæ. Sic etiam meritò afferetur à multis ſanctis viris, ne maioris meriti opera, & charitas Dei,& proximi propter illas minuantur. Nec putetur in eis ſtare perfectio,ſed in dilecti one Dei,& proximi, vt ſanctus Thomas docuit, cuius comparatione poteſt dici ad modicum vtile, quod alioqui vtiliſſimum eſt. Et in hunc ſenſum multi Sancti interpretantur Apoſtolum. S.Anſelmus ait: *Moneo,vt eſſe ſtudeas mente pius erga Deum, & proximum, quia corporalis exercitatio, quæ eſt in ieiuniis, & vigilijs,ac labore manuum, atque multimoda corporis afflictione in qua te fatigas, ad modicum vtilis eſt,* ideſt, *parum vtilitatis habet reſpectu magnæ vtilitatis quam habet pietas religioſæ mentis: nam illa corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia vtilis eſt, quia omni bono ſtudet, habens promiſſionem vitæ,quæ nunc eſt, & futuræ, quia Deus pijs promiſit vitam quam habent in hoc ſeculo animæ iuſtorum, vel ſubſidia temporalia, & vitam futuræ beatitudinis, dicens: Quærite primum Regnum Dei,& iuſtitiam eius,& hæc omnia adijcientur vobis. Et per Salomonem dicens de ſapientia. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria. Dextera eiuis vitam perennem; ſiniſtra verò vitam præſentem deſignat. Vel exercete ad pietatem, ideſt, ad compaſſionem proximorum, & ad opera miſericordiæ. Pietas eſt ad omnia vtilis, quia & in futuro, & præſenti ſæculo prodeſt, dans temporalia & æterna remedia.* S. Bruno abſtinentiæ,& ieiunij magnus licèt patronus, ita ait ad dictum locum Pauli. *Corporalis exercitatio per ieiunia vtilis quidem, ſed reſpectu pietatis ad modicum valet.* Et mox. *Ideo de afflictione corporis Timotheum ſic quodammodo arguit, quia nouerat eum adeò ieiunare, & à potu vini ſe abſtinere, quòd ſtomachus eius ideo debilitaretur; quare præcipit illi in ſequentibus vti vino, quæ pietas eſt (quia propterea aptus erat muneri ſuo Epiſcopali circa animarum ſalutem) habens promiſſionem vitæ æternæ, quæ nunc eſt, ideſt, vitationem mali, & augmentum iuſtitiæ, in iucūdis ſuis fratribus, quæ in hac vita licet habere, habet etiam promiſſionem futuræ,& perpetuæ vitæ. Hic autē ſermo quem dicit intēdere pietati, nec ita corpus affligere, vt impediatur pietas, fidelis eſt, & eſt dignus omni acceptione, quia confortato corpore fouetur pietas vtilis ad omnia. Quare in perſonis, quæ laborant in Eccleſia pro ſalute animarum, minor ratio habenda eſt afflictionum, ſalua ſalute propria, quàm operum pietatis, & miſericordiæ ſpiritualis, ne hæc impediantur.* Caſſianus collatione prima ait. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem, quæ ſine dubio charitas intelligitur, ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Quæ ergo dicitur ad modicum eſſe vtilis, manifeſtè pronuntiatur, nec per omne tempus exerceri poſſe, nec ſummam perfectionis per ſe ſolam laboranti conferre. Modicum quippe ad vtrumque referri poteſt, ideſt, vel ad breuitatem temporis, quòd ſcilicet homini, tam in præſenti, quam in futuro, exercitatio corporalis coæterna eſſe non poſſit, vel certè ad paruitatem vtilitatis, quæ de carnali exercitatione conquiritur, eo quòd afflictio corporalis initia quædam profectus, non ipſam profectionem pariat charitatis, quæ promiſſionem habet vitæ præſentis, & futuræ.* Addo librum de duplici Martyrio, qui ſancto Cypriano inſcribitur. *Non locus,* inquit, *deſertus, non ſaccus pro veſte, legumen pro cibo, neque ieiunia Monachum abſoluunt. Hic videas quoſdam ex illis faciliimè vinci delitijs impatientiores iniuriarum, appetentiores vindictæ, quàm quemuis alium mediæ ex plebe. Quid cauſa eſt? quoniam corpus exercuerunt magis, quàm animum, cùm B. Paulus doceat quòd corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt. Non hæc dixerim, quòd improbandi ſint, qui talibus modis corpus caſtigant ſuum, & in ſeruitutem redigunt, ſed quòd Sathanas mille inſtructus artibus nonnunquam illudit incautis, transfigurans ſe in Angelum lucis, & eiuſmodi corporum exercitamentis inducit illis falſam ſanctimoniæ perſuaſionem, cumque intus madeant ſpiritualibus vitijs, & ſibi, & alijs habentur pij.*

Sanctus Bernardus eundem Apoſtoli locum eodem ſenſu intelligens, Apologia ad Guilielmum Abbatem eos Religioſos perſtringit, qui ieiuniis maioribus addicti, & abſtinentiis, vilique, & attrita tunica induti detrahebant aliis Religioſis, quòd vterentur melioribus veſtibus, ac pellibus, & carnibus veſcerentur, & tria, vel quatuor pulmentaria vno die admitterent. *Attendite,* inquit, *in regulam Dei, cui vtique non diſſonat inſtitutio ſancti Benedicti, Regnum Dei intra vos eſt, hoc eſt, non exteriùs in veſtimentis, aut alimentis corporis; ſed in virtutibus interioris hominis. Vnde Apoſtolus, Regnum Dei non eſt eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. De corporalibus itaque obſeruantijs fratribus calumniam ſtruitis, & quæ maiora ſunt, regulæ ſpiritualia inſtituta relinquitis. Magna abuſio tunicati, & elati abhorremus pellicias, tanquam non melior ſit pellibus inuoluta humilitas, quàm tunicata ſuperbia. Repleti deinde ventrem faba, mentem ſuperbia, cibos damnamus ſaginatos; quaſi non melius ſit exigua ſagimine ad vſum veſci, quàm ventoſo legumine vſque ad ructum exſaturari; præcipuè cùm Eſau non de carne, ſed de lente ſit reprehenſus, & de ligno Adam, non de carne damnatus. E contra verò Elias innoxiè carnem comederit, Abraham gratiſſimè carnibus Angelos pauerit, de ipſis ſua fieri ſacrificia Deus præceperit.* Et infrà. *Quanto ſpiritus corpore melior eſt, tanto ſpiritualis, quàm corporalis exercitatio fructuoſior. Tu ergo, cùm de horum obſeruatione elatus alijs eadem non obſeruantibus derogas, non te magis transgreſſorem regulæ indicas? cuius licèt minima quædam teneas, meliora deuitas, de quibus Paulus: Æmulamini* (ait) *chariſmata meliora. Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipſum extollis, perdis humilitatem; in quo alios deprimis, charitatem, quæ ſunt chariſmata meliora. Tu ſi tuum corpus multis, ac nimis laboribus atteris, ac regularibus aſperitatibus mortificas membra tua, bene facis. Sed quid ſi ille, quem ſimiliter non laborantem dijudicas, modicum quidem habeat de hac, quæ ad modicum vtilis, corporali videlicet exercitatione; amplius autem, quàm tu de illa, quæ ad omnia valet, ideſt, pietate.* Eundem Pauli locum explanans ſanctus Thomas in commentariis, *Exercitatio,* inquit, *ieiunij, & huiuſmodi in ſua natura non ſunt bona, ſed pœnalia, & ſi homo non peccaſſet, nihil horum fuiſſet, ſed ſunt bona medicinalia in quantum reprimunt concupiſcentias: ergo iſtud modicum ſunt vtilia, quia tantum*

Caſſio. Luc. 17. Rom. 14. 3. Reg 19.

tantùm ad morbum peccati carnalis, non ſpiritualis, quia aliquando propter abſtinentiam homo in iracundiam, inanem gloriam, & huiuſmodi incurrit. Præfert ergo abſtinentiæ pietatem, & accipitur hic vtroque modo pro cultu Dei, & miſericordia. Caietanus quoque ait: *Secundum genus proprium corporalis exercitatio in ieiunijs, abſtinentijs, peregrinationibus, cilicijs, & huiuſmodi ad modicum vtilis eſt; quia tantùm valet ad domandum corpus proprium: pietas autem ad omnia vtilis eſt, id eſt, officia pietatis erga Eccleſiæ membra, & cultus erga Patremfamilias domus, quæ eſt Eccleſia, ſunt vtilia ad omnia tam ſpiritualia,* &c. Rectè proinde ſanctus Thomas, perfectionem Religionum negauit metiendam ex rigore, pœnitentia, & arctitudine obſeruantiarum. *Arctitudo obſeruantiarum*, inquit ſanctus

2. 2. q. 188. art. 6. ad 3. Doctor, *non eſt illud quod præcipuè in Religione commendatur, vt B. Antonius dicit, & ideo non eſt potior Religio ex hoc quòd habet arctiores obſeruantias, ſed ex hoc quòd ex maiori diſcretione ſunt eius obſeruantiæ ordinatæ ad finem Religio-*

In 4. diſt. 38. q. 2. n. 17. *nis.* Paludanus quoque ait, *Arctior dicitur Religio non quæ maioris auſteritatis, ſed quæ eſt perfectioris, & maioris meriti.* Hinc meritò monet

Epiſt. 41. ad Celantiam c. 6. ſanctus Hieronymus: *Caue ne ſi ieiunare, aut abſtinere cœperis, te putes eſſe iam ſanctam; hæc enim virtus adiumentum eſt, non perfectio ſanctitatis.* Hinc ſanctus Franciſcus, teſte Bonauentu-

Cap. 6. ra in eius vita, ſæpe dicebat fratribus, *de omni eo, quod peccator poteſt, nemo ſibi debet iniquo applauſu blandiri; peccator, ait, ieiunare poteſt, orare, plangere, carnemque propriam macerare, hoc ſolum non poteſt, Domino ſuo ſcilicet eſſe fidelis.*

Tepiditas pœnitentiarum nullius prætextu regulæ excuſanda eſt.

Capvt CI.

DEINDE, ſi determinata pœnitentiæ opera præſcripſiſſet regula, cùm moderata deberet eſſe generaliter pro omnibus lata, poſſent ſe multi excuſare, ne plus facerent; qui tamen plus poſſent, & prætextu adimpletæ regulæ tepiditatem ſuam tueri, contra quam excuſationem egregiam præterire ſententiam ſcriptam à ſancto Petro Damiano, haud operæ pretium erit, cùm opportunè tepidis occurrerit, noſque ad feruida extimulabit ſupererogationis opera. In tractatu de perfectione Monachorum, ſic ait: *Sancta regula, quaſi ampla quædam, capax, & ſpatioſa domus, facta eſt ad omnia genera hominum capienda, pueros videlicet, & ſenes; fortes, & debiles; delitioſos, & multimoda morum inæqualitate diuerſos. Non ergo debemus vana noſmetipſos ſecuritate decipere, nec omnem clementiam regulæ noſtris quaſi licenter vſibus arrogare. Licèt enim via publica cunctis itinerantibus pateat, indiſcretus ille viator eſt, qui totam occupare diuaricatis greſſibus tentat. Singulorum totus eſt fons, qui in medio profluit; ſed inſolenter agit, qui totum vendicare proprijs vſibus concupiſcit. Ita nimirum & de remiſſione ſanctæ Regulæ dicimus, & hortamur, vt vnuſquiſque frater, qui de ſua eſt ſollicitus, ad poſſibilitatis ſuæ conſcientiam redeat: & de remiſſione regulæ; non tam quod licet, quàm quod neceſſitas poſtulat, in proprios vſus aſſumat. Aliud quippe, quod ex auctoritate præcipitur; aliud quod miſericorditer indulgetur. Sed quod præcipitur, non ſine peccato negligitur; quod autem indultum eſt, bonum eſt, ſi dimittitur; non malum eſt, ſi completur.* Et infrà. *Sed quàm elegantius eſt, omnia vitiorum portenta feſtinanter elidere, ad virtutum culmen æſtuanti deſiderio feſtinare, quam ſub torpore deſidiæ in ſola ſuſcepti Ordinis ſecuritate dormire.* Ac ſi promulgator ſanctæ Regulæ ſuis auditoribus dicat: Suſcipientes quidem quod indulgeo, non peccatis; ſed non ſuſcipientes, mercedem habetis; admiſſa ſiquidem miſericordia non incurritis pœnam, ſed propter Deum dimiſſa pertingitis ad coronam: & hæc quidem ſpeciali crimine non depreſſi; alioquin quiſquis ſe meminit illicitè perpetraſſe, verſa nunc vice debet à licitis abſtinere: & qui cõmiſit ſuperbè prohibita, debet nunc humiliter abdicare conceſſa. Plerique enim molliter, ſuauiterque viuentes, ſi aliquando ſuadentur, vt quamtumlibet, vel parum ſaltem arctioris viæ arripiant inſtitutum, mox ratiocinium ſibi defenſionis obtendunt; dum quiſpiam eorum ſic ait: Viuo, inquit, vt iubeor, dum rebus conceſſis vtor; legis meæ mandata conſeruo: deinde vt tanquam victor de ſuperiori contendere videatur, in audaciam proſilit: numquid, inquiens, regula ab his, & huiuſmodi licentiam tollit? Numquid non mihi hæc, & illa concedit? Verùm quiſquis iſta contendit, inter voluntatem, neceſſitatemque Scriptoris diſcernere necdum didicit; & alia ſecundùm indulgentiam permittit, alia ſecundùm imperium præcipi non cognouit. Hic itaque in deſerto moriturus eſt, quia dum in carnis ſuæ voluptatibus ignobiliter habitat, ad obtinendam ſui iuris terram per laborum certamina non deſudat: ſiue cum Rubenitis, & Gaditis, antequam Iordanem tranſeat, figitur; atque ideo terram lactis, & mellis poſſidere poſt triumphum cum aliis tribubus non meretur, intentionis ſuæ terminum poſuit: & quia adhuc in expeditione poſitus iam domi ſe habitare credit, ad hæreditatis ſuæ funiculum, vbi vera eſt requies, & ſecura tranquillitas, non attingit.

Non poteſt eſſe perfectior regula noſtra circa auſteritates.

Capvt CII.

NOS vtique excuſationem vllam prætexere nequimus: nam regula noſtra minimè conſtrinxit pœnitentiarum campum; nullum deſignauit mortificationis terminum, ſed latiſſimum macerãdi ſe ſpatium reliquit pro cuiuſque neceſſitate, commiſſa arbitrio ſuperiorum, pœnitentiarum lege. Quare perfectiſſima eſt conſtitutio Societatis noſtræ circa auſteritates. Imò puto in hac cauſa nullam alicuius Religionis eſſe perfectiorem regulam; nam in primis, non ſolùm vtitur pœnitentiis. At ex vi ſuæ regulæ non tantùm habet illas, ſed tot, vt plures non deberet habere: nam debet

habere

habere quotquot requitantur ad maius Dei obſequium, & maiorem ſpiritus cuiuſque Religioſi profectum. Verba regulæ ſunt. *Sed illas ſcilicet pœnitentias, & corporis afflictiones aſſumere quiuis poterit, quæ ſibi videbuntur (cum approbatione Superioris) ad maiorem ſui ſpiritus profectum conuenire, & quas propter eundem finem Superiores eis poterunt imponere.* Vbi Pa-
Lib. 1. de inſt. Soc. c. 9. n. 4. ter Suarez probat, debitum hoc eſſe ex vi regulæ, non tantùm licentiam. Eadem conſtitutio paulo antè dixerat: *Maius Dei obſequium ſemper intuendo.* Quid, quæſo, amplius pœnitentiæ debet requiri, quàm quæ neceſſaria ſit, non modò ad perfectionem vitæ, ſed ad vitam perfectiorem, & ſpiritualiſſimam. Porrò vita quam conſtitutiones Societatis IESV requirunt in ſuis Religioſis, tam perfecta eſt, vt amplius deſiderari nequeat, vt ex ſummario conſtitutionum faciliùs videri poteſt. Tantum propterea ſpiritus in ſuis exiſtimauit, & prudenter quidem ſanctus Ignatius, vt iudicaret maiorem curam futuram eſſe ſuperioribus, vt temperarent ardorem pœnitentiarum, quàm vt obligarent ad illas, & quidem ób ſingulare Dei beneficium ita accidiſſe video, & Pater Suarez teſtatur, multiſque hoc hiſtoriis inſignium Societatis virorum probare poſſem. B. Ludouicus Gonzaga, qui abſtinentiæ, & aliis pœnitentiis addictiſſimus fuit, vt ſcribunt Ribadeneira, & Virgilius Cepari in eius
Part. 2. c. 5. vita reprehenſus, cur non temperaret illas, & obtemperaret tot aliis, & ſanctiſſimis Patribus Societatis, qui illud idem monuerant. Reſpondit inclinatum ſæpe fuiſſe, vt eos audiret ob magnam ipſorum ſanctimoniam, ſed reuocatum ſtatim, cùm animaduertit eos ipſos erga ſe non ſeruaſſe illum modum & prudentiam quam monebant, & ſe malle imitari eorum opera, quàm audire verba.

Præterea ex conſtitutione Societatis IESV circa abnegationem ſui ipſius, vbi dicitur: *Maius ac impenſius ſtudium cuiuſque ſit quærere in Domino maiorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus quoad poterit mortificationem.* Licèt loquatur de mortificatione interiori, tenentur tamen exinde Religioſi Societatis nulli parcere mortificationi, & pœnitentiæ exteriori, qua iuuari interior poſſit; omiſſio enim macerationis exterioris, cùm conueniens, aut neceſſaria eſt, redundat in detrimentum mortificationis interioris; cui nullo modo, ſed totis viribus debent inſiſtere Patres Societatis IESV ex ſua regula.

Deinde etiam perfectio Societatis IESV, quatenus ad obſeruantiam pœnitentiarum, inde pro-
2. 2. q. 188. art. 2. bari poteſt quòd iuxta ſanctum Thomam perfectio Religionis non eſt ſumenda ex quantitate exercitij, ſed ex diſcretione. Sic & ſanctus Antonius pœnitentiis prætulit diſcretionem in pœnitentiis. Nam, vt inquit Doctor Angelicus: *Prætulit diſcretionem per quam aliquis omnia moderatur & ieiunijs, & vigilijs*, &c. At Societas IESV habet pro regula quod ſanctus Antonius, & ſanctus Thomas iudicarunt perfectius; nam commiſſa eſt prudentiæ, & moderationi Superioris ratio pœnitentiarum, & hoc non vtcumque; ſed pro maiori cuiuſque profectu & Dei obſequio, vt conſtat ex regula citata; ergo perfectiſſimè habetur ratio pœnitentiarum, in regola, & praxi Societatis IESV, plena in hac parte

conſilij, & ſanctitatis, vt ex ſententiis Patrum antiquorum, quos allegant Pater Suarez, & Ribadeneira, videri poteſt. Sanctus Baſilius interrogatione decimanona ex fuſioribus quæ erat, qui modus ſeruari in continentia debet? Reſpondet: *In vitijs quidem animi vnus continentiæ modus eſt ſumma earum rerum, quæ ad peſtiferam voluptatem ferunt, à nobis alienatio. In cibis autem quemadmodum alijs alij neceſſarij ſunt, pro ætate ſcilicet cuiuſque, ac ſtudijs, hique appoſitè ad corporis cuiuſque habitudinem diſtincti. Ita quoque diuerſa ſunt vſus illorum modus ratioque, quo fit, vt nequaquam omnes vni, & eidem regulæ ſubijci poſſint. Et ideo hanc iuſtam diſtributionem, ſeu conuenientem accommodationem Prælato committit, qui prouidere debet, vt nulli deſit, quod neceſſitas petit, neque aliquid immoderatum alicui tribuatur*, afferens illud *Actorum: Diuidebantur omnia ſingulis, prout* Act. 4.
vnicuique opus erat. Eadem regulam ferè ſcribit Auguſtinus. nam capite ſecundo ſuæ regulæ ſic inquit. *Diſtribuatur vnicuique veſtrûm à Præpoſito veſtro victus, & tegumentum, non tamen omnibus æqualiter, quia non æqualiter prævaletis omnes, ſed potiùs vnicuique, ſicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum.* Et
poſtea: *Carnem veſtram domate* (inquit) *ieiu-* Cap. 12.
nijs, & abſtinentia eſca, & potus quantum valetudo permittit. Hinc author ſermonum ad fra- Serm. 25. ad
tres in Eremo, fratres introducit interrogantes: fratres.
Nunquid in via noſtra ſemper ieiunare debemus? Et reſpondet: *O fratres mei legem, recepiſtis, & audiſtis frequenter inter cætera, quòd carnem veſtram dometis abſtinentia eſca, & potus, quantum valetudo permittit; nolo enim me ipſum ligare, nolui onera veſtra portare, ſed hoc ſolum ſuper vos ponere, vt ieiunetis, & abſtineatis, quantum Deo fauente poteſtis.* Denique eiuſdem regulæ ſancti Auguſtini interpretes, & eiuſdem familiæ alumni. Ex Eremitis Ambroſius Corio-
lanus, ex Canonicis Regularibus Trullo libro Com. 21.
quarto, in eamdem regulam intellexerunt Au- Cap 7.
guſtinum ſumma diſcretione pollentem, non præcepiſſe in regula determinata ieiunia, ſed prudenti arbitrio iuxta vniuſcuiuſque vires definienda reliquiſſe. Vnde idem Auguſtinus multa quæ ad ſimilem prudentiam pertinent circa ciborum vſum in eadem regula proſequitur vſque ad regulam decimamoctauam, in qua de veſtitu ſic inquit. *Non ſit notabilis habitus veſter; nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus.* Sanctus Benedictus etiam in capite quadrageſimo ſuæ regulæ, *Vnuſquiſque*, inquit, *proprium donum habet ex Deo; vnus ſic, alius verò ſic. Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis menſura victus aliorum ſtatuitur.* Quæ verba accommodatè ad noſtrum propoſitum expoſuit Turrecre-
matà in expoſitione regulæ. Eodem modo Tract. 105.
Caſſianus libro quinto de inſtitutis renuntian-
tium, *Super ieiuniorum*, inquit, *modo, haud po-* Cap. 5.
teſt facilè vniformis regula cuſtodiri, quia nec robur vnum cunctis corporibus ineſt, nec ſicut cæteræ virtutes ſolius rigore parantur. quod latè
proſequitur. Palladius etiam refert regulam ab Cap 38
Angelo B. Pachomio reuelatam, cuius vnum caput erat. *Concede vnicuique, vt comedat, & bibat pro ratione virium, & pro viribus comedentium, eis quoque manda opera, quæ proportione conueniant, ac reſpondeant, & nec ieiunare pro-*

bibe, neque comedere; ſiquidem fortibus fortia opera; imbecilla autem, & leuia his, qui imbecilliores ſunt, conueniunt. Denique Euſebius Cap. 1. libro oono de Præparatione Euan gelica, de Eſſenis loquens, quos dixit Suarez cum Hieronymo, Epiphanio, & aliis in Eccleſia fuiſſe ex primis Religioſis, (qui ſub Mario Alexandriæ floruerunt) inter alias regulas inſtituti eorum in præſeoti materia hanc ait ſeruaſſe. Cibus & potus vitæ neceſſitate menſuratur.

Ratio autem generalis huius inſtituti Societatis IESV eſt, quæ ex medio temperaotiæ, & ſimilium virtutum moralium ſumitur. Non eſt enim (vt aiunt) medium rei, ſed rationis; & ideo non eſt vnum reſpectu omnium, ſed io vnoquoque conſideratur per proportionem ad inteotum finem conſiderata perſonæ, ſeu ſubiecti qualitate, & aliis circunſtantiis. Vnde re- Lib. 2. regiſt. cap. 31. ctè dixit ſanctus Gregorius. *Cùm non pluſquam neceſſe eſt ſeruitur corpori, ſed ſola eius infirmitas reficitur, vt ad vſum exercendæ virtutis habeatur, tunc veraciter ex charitate conuiuia prodeunt. Hæc ſi vos in veſtris conuiuiis agitis, abſtinentium, fateor, magiſtri eſtis.* Multa ſimilia latè proſequitur Baſilius ſermone de vera virginitate, vbi pro regula circa abſtinentiam ſeruandam ſtatuit, vt tanta ſit, quanta ad virtutis acquiſitionem confert. Et ſubdit: *Integram ſe in hac parte, atque inuiolabilem ſancta Virgo cautè ſeruabit, corpuſque vt ſeruire queat animæ, in his quæ ſunt neceſſaria victui, moderabitur prudenter, ac reget; neque enim expedit, dum nimis obſeruat, ne guſtus voluptate rapiatur, mananteſque ex ventre voluptates per ciborum abſtinentiam frænare pergit, contrà ita corpus atterere, vt inualidum iam inutileque reddatur.* Et poſtea ſubiungit: *Sicut in gula intemperantiam declinare graue, ac periculoſum eſt, ita per nimiam abſtinentiam corpus atterere, omni profectò ratione caret, neque enim abſtinere à voluptatibus gulæ per ſe expetendum eſt, ſed quia ad virtutis acquiſitionem confert, quòd ſi illud, cuius gratia ciborum abſtinentiam elegimus, per immoderatam negligamus inediam, contra ac inſtituimus, agimus; nam fracto, contritoque inſtrumento, nec Deo inhærere per lectionis, & orationis ſtudium poſſumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Igitur & corporis cura neceſſariò habenda eſt, non ipſius gratia, ſed vt ſeruatio illius ad Philoſophiæ ſtudia vti poſſumus.* Quibus verbis nulla poſſunt eſſe aptiora ad mentem, & ſpiritum ſancti Ignatij explicandum. Multaque eiuſmodi habet idem Baſilius in conſtitutionibus Mo- Cap. 5. naſticis, vbi inter alia hanc regulam ſtatuit. *Continens ventris moderatio ea præſtantiſſima iudicanda eſt, quam vires corporis cuiuſque definiunt.* quod latè proſequitur. Alia ad idem confirmandum ſumi poſſunt ex Caſſiano collatione Cap. 2. ſecunda. Non omittam etiam, quod Caietanus 2. 2 q. 147. ex mente D. Thomæ obſeruauit, regulam temperantiæ eſſe neceſſitatem vitæ præſentis quoad duo, ſcilicet conuenientem ſuſtentationem naturæ quantum adeſſe, & quantum ad poteſtatem exercendi debita virtutis opera. Vnde, *Si quis* (inquit) *tenetur ad aliquod opus, vel liberale, puta ad legendum, prædicandum, cantandum, vel mechanicum, puta ad ædificandum, fodiendum, &c. Abſtinentia impediens potentiam ad hæc non eſt actus virtutis.* quæ ſententia ad omnes afflictiones corporis applicari poteſt. Cùm ergo medium non ſit vnum & idem in hac materia pro omnibus perſonis, meritò Societas IESV ooluit vnam, & eamdem regulam pro omnibus ſuis ſubditis æqualiter ſtatuere, ſed vitæ regulæ quæ eſt ſuperior, id commiſit. Nec verò propterea improbauit ſanctus Ignatius conſuetudinem aliarum Religionum, in quibus huiuſmodi auſteritates per generales regulas ſtatutæ ſunt; nam in eis ſanctè, & prudenter id fieri potuit, quia licèt non ab omnibus æqualiter poſſint obſeruari, poſſunt tamen à pluribus, ac regulariter diſpenſationes eſſent in paucioribus. In Societate autem non ita eſſe poterat, ſed potiùs oportuiſſet generalem regulam, ſi ſtatuenda eſſet, nimium eſſe moderatam, propter ſpecialem rationem in ea inuentam; tum ob magnos labores mentis, & corporis in doctrina, prædicatione, & miſſionibus; tum vt ratio communis vitæ ſeruaretur ad imitationem Chriſti, quæ eſt ſpecialis ratio eiuſdem conſtitutionis, quam vitam communem in cibo, & potu propter labores doctrinæ, & prædicationis neceſſariam cenſuit Chriſtus in ſuis Diſcipulis, vt aduertit S. Bonauentura, atque ob eamdem cauſam conſulit Diuus Baſilius, moderationem auſteritatum, vt Chriſti & Apoſtolorum vitam, poſſimus imitari.

Porrò vtilitates huius regulæ Societatis IESV non paucæ repertæ ſunt.

Prima eſt, quoniam pœnitentia Societatis, non tantùm pœnitentia erit, ſed etiam obedientia, & humilitas; nam hæ duæ virtutes maximè exercentur, dum aliquis Superiori ſuo aperit quidquid in hoc genere & facit, & deſiderat, & eius arbitrio paret, vel moderando, vel augendo pœnitentiæ opera iuxta Superioris voluntatem; quod fuit conſilium omnium antiquorum Patrum ſpiritualium, vt videre licet in Baſilio, Caſſiano, & Benedicto in ſua regula, Baſil. conſt. vbi habet illa verba: *Quod vnuſquiſque offerre* Mon. c. 20 & *voluerit* (*ſcilicet voluntaria abſtinentia*) *Abbati* reg. 45. fuſ. *manifeſtet, & cum eius benedictione, & volunta-* Caſſ. col. 4. *te faciat; nam quod ſine licentia Patris ſpiritua-* c. 20. Bened. *lis fit, præſumptioni, & vanæ gloriæ tribuitur, non* c. 49. reg. *mercedi.*

Secunda vtilitas eſt, quia hoc modo vniuſcuiuſque vtilitati corporali, & ſpirituali, meliùs prouideri poteſt: nam conſtitutio ſcripta complecti noo poteſt, quæ vnumquemque ſigillatim attingeret, vt dixit Baſilius, qui mate- Sup. & c. riam hanc latè, & eleganter proſequitur, & ideo licèt ex aliis circunſtantiis præſtet legibus ſcriptis, quàm iudiciis hominum, gubernari homines, vt communiter traditur cum Diuo Thoma: attamen ex ſuo genere melior eſt animata 1. 2 q. 95. regula, quàm inanimata, vt dicitur io Autheo- art. 1. rica de Conſulibus, & indicat Ariſtoteles, præ- Auth. de conſul. § omnibus. ſertim, vbi animata regula facilè coouenire poteſt, & vbi magnum periculum imminet, ſi Ariſt. 3 Polit. c. 12. & 5 Eth. c. 4. pro omnibus vna regula tradatur, & maius ſi vniuſcuiuſque arbitrio relinquatur. Vnde Abbas Plato, vt apud Palladium in hiſtoria Sanctorum refert ſanctus Theodorus io eius vita, ſic aiebat. *Corporis afflictiones, humi cubationes, vigiliæ, & huiuſmodi per ſe laudabilia eſſe concedet aliquis; ſed nihil tamen expedit, imo verè, & ruinæ cauſam illi eſſe affirmamus; qui ſuo ar-*

bitrio

Digitized by Google

bitrio in his faciendis vtitur, niſi eius, qui præeſt, ductu regula dirigatur.

Tertiò hinc factum credimus, vt eum effectu maius ſit in Societate pœnitentiæ exercitium, quàm ſi certa aliqua regula fuiſſet præſcripta, quæ fini eius, & tantæ perſonarum varietati eſſet proportionata; nam omnes appetunt, regulariter loquor, facere quantum poſſunt, & plures etiam, pluſquam poſſunt; Superior autem, vel Confeſſor, ſingulorum deſideria moderatur; vnde etiam fit, vt apud Deum longè maior ſit pœnitentia, quàm exteriùs appareat, quod non parum etiam ad noſtram humilitatem iuuat.

Hæc penè excerpta ſunt ex doctiſſimo Patre Suarez, cuius libenter verba inteximus, & *3. p. t. 2. diſputat. 28, ſect. 3.* ornamus iis ſcripta noſtra. Poteſt videri in tertia parte, vbi de vita communi Chriſti agit, quam imitatur Societas ſine iactura muneris Apoſtolici. Apoſtoli autem non habuerunt determinatas auſteritates omnibus communes, ſed quiſque pro ductu Spiritus ſancti neceſſarias ſibi ſumebat, quos etiam imitantur Patres Societatis, & regulam viuam ſuæ pœnitentiæ Superiorem habent, qui eſt velut quædam inſpiratio viſibilis. Hæc in præſentiarum ſatis de exteriorum pœnitentiarum lege; tranſeamus ad internam.

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

Doctrinæ Aſceticæ.

LIBER SECVNDVS.

DOCTRINA I.

DE PVRIFICANDA conſcientia, maximè per confeſſionem.

Ratio habenda purificandæ conſcientiæ.

CAPVT I.

Hier 31.21. STATVE *tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* Religioſa vita quid eſt, niſi directio cordis per concupiſcentiarum pondus inflexi, & deprauati? Quid niſi progreſſus in via recta ſalutis? Quid niſi ſtatus pœnitentiæ? Quid niſi perfecta purificatio animæ? nam licèt totus chriſtianiſmus, ſicut ſanctus Macharius ait, circa puritatem laboret, maximè ſtatus religioſus debet in hoc deſudare, vt mundum, & rectum cor Deo ſeruet, atque in rectiſſima cœleſtis Regni via ſine offendiculo incedat. Ad hoc non niſi per pœnitentiam, & amaritudinem peruenitur, totiuſque anteactæ vitæ expurgationem, & præſentis continuam purificationem. Purgatio autem vitæ, & purificatio animæ per peccatorum confeſſionem, & exactum culparum omnium ſcrutinium, & amaram conſiderationem fit, quemadmodum Hieremias Propheta conſuluit ſtatuere nobis ſpeculam conſiderationis, atque confeſſionis, & ponere amaritudines doloris, & ſatisfactionis, vt ita dirigamus cor noſtrum in viam rectam. Quapropter oportuit etiam in religioſis inſtitutionibus prouideri, quid in hac parte agendum ſit? Quomodo circa puritatem animi, & directionem mundi cordis laborare debeamus? Et pulchra quidem in ſummario noſtrarum conſtitutionum præſcribuntur documenta circa ſacramentorum, præſertim Confeſſionis, examinandæque conſcientiæ vſum, quæ operæ pretium erit hîc tranſcribere, deinde conſiderare ſingula; ſic in ſummario reſcribitur: Ipſo initio ſui in Societatem ingreſſus, debet quiſque generalem totius vitæ confeſſionem apud aliquem ſacerdotem à ſuperiore aſſignatum facere, & poſt eam ſacratiſſimum Chriſti Domini noſtri corpus ſumere: & ſic ſexto quoque menſe eodem modo generaliter, ab vltima incboando confitebitur. Et omnes tam profeſſi, quàm formati coadiutores ſemel ſingulis annis parati eſſe debebunt ad confeſſionem generalem, quæ ab vltima generali inchoëtur, ei, quem ſuperior ſibi ſubſtituerit, faciendam. Vtantur quotidie omnes conſcientiæ ſuæ examinatiooe conſueta. Si ſacerdotes non fuerint, confiteantur oportet, & ſanctiſſimum ſacramentum Euchariſtiæ ſumant octauo quoque die, & vnus omnium ſit confeſſarius à ſuperiore conſtitutus: quod ſi fieri nón poterit, quiſque certè ſuum ſtabilem habeat confeſſarium, cui ipſius conſcientia prorſus aperta ſit. Qui autem alij, quàm ſuo confeſſario deſignato confiteretur, debet poſtmodum (quantum recordari poterit) eidem ſuo confeſſario totam ſuam conſcientiam aperire, vt nihil ignorando, quod ad eam pertineat, meliùs in Domino poſſit eamdem iuuare. Tria hîc nobis commendat ſanctus Ignatius Pater noſter, confeſſionis, examinis conſcientiæ, atque communionis Dominici corporis vſum, quæ omnia agnouit Olympiodorus in Hieremiæ verbis. Sic enim interpretatur illud, ſtatue tibi ſpeculam, ſiue, vt Septuaginta legunt, ſiſte te ipſam Sion, dicens, *Surge à peccati lapſu, tuas res diligenter examina, eſto tui iudex, teque ipſam proba.* Surrectio à peccato fit per confeſſionem: examen conſcientiæ apertè demonſtratur: iudicium, & probatio ſui ipſius eſt propter Euchariſtiæ ſumptionem.

Quod confeſſionem attinet, oportet ſtatim ac mundus relinquitur, per religioſam vitam, ſtatumque pœnitentiæ, & cœlorum Regnum firmiter decernitur quæri, generali peccatorum confeſſione, & dolore mores priſtinos mutare. Idcirco Symmachus legit: *Pone tibi tranſmutationes, quoniam in alios prorſus viros, imò non in viros, ſed in Angelos mutari debent, qui Religionis clauſtra incolunt.* Oportet priùs deſtruere peccata, vt ædificemus virtutes. Machabæi prius quàm repararent tēplum Domini, & ſancta Hieruſalem

Digitized by Google

ruſalem vicerunt hoſtes ſuos, duce Iuda, qui ioterpretatur confeſſio. *Surrexit Iudas pro Mathathia*, inquit Scriptura. Mathathias donum Dei ſignificat. Vnde Stephanus Cantuarienſis dixit. *Mortua ſiquidem gratia Dei per peccatum in homine, non eſt aliud remedium niſi bellatrix confeſſio. Cognouit Iudas, & exiuit obuiam Apollonio. Apollonius miraculum, ſiue mirabilis dicitur, & ſignificat mundum. Nam mundani caſus vire iuſto ſunt in miraculum, & ſtuporem. Vnde Babylon dicitur miraculum, poſita eſt mihi in miraculum. Item mundus mirabilis eſt, qui quaſi præſtigiator phantaſmata mouet. Iudas ergo primò exiuit contra Apollonium: quia confitens primò pugnat contra mundum. Et reuera non eſt verè Iudas, niſi occurrat Apollonio; non eſt verè Iudith, niſi amputet caput Holofernis. Ille occidit Apollonium, qui poteſt dicere: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Gladius Apollonij, miſeria, vel proſperitas eſt mundi. Iudas pugnat cum gladio Apollonij, cùm confitens attendit, quanta ſit miſeria mundi, quàm breuis voluptas, & per talem conſiderationem cauet ſibi.*

Vſus generalis confeſſionis.

CAPVT II.

HANC igitur confeſſionem in prima conuerſione oportet eſſe generalem. *Statue*, inquit, *tibi ſpeculam*, vt non ſolùm recentia peccata, ſed remota, antiqua, quæque à longè iam diſtabant, peruideantur. Septuaginta legunt, *Statue te ipſam Sion.* Sion autem aceruus interpretatur, ſtatuenda quippe eſt multitudo, & aceruatio omnium peccatorum. *Dirige cor tuum*; iidem Septuaginta legunt, *Da cor tuum*; ne operias mala, ait Olympiodorus, ſed ea patefac per confeſſionem, & tunc planiùs, integriuſque datur, cùm omnia, quæ in corde, memoriáque retinentur, proferuntur. Fructus confeſſionis generalis multi ſunt, quos in exercitiis ſic attigit Noſter Parens ſanctus Ignatius. Ex confeſſione generali vltrò facta, inter alia pleraque percipiuntur tria hæc emolumenta. *Primum*, quòd tametſi, qui annis ſingulis ſaltem confitetur ſemel, ad generalem huiuſcemodi confeſſionem minimè obligetur: eam tamen facienti ipſi multo plus commodi, & meriti accedit, ob dolorem ſcilicet de peccatis, & malitiæ vitæ præteritæ, quem ita ſentit vehementiorem. *Secundum*, quoniam inſpecta, per ſpiritualem exercitationem, longè quàm antea manifeſtiùs natura, & malitia peccatorum, tanto ampliùs commodum, ac meritum percepturus eſt. *Tertium*, quia conſentaneum eſt, hominem ſic ritè confeſſum, atque diſpoſitum, multo meliùs ſe habere ad Euchariſtiæ ſumptionem, quæ maximè confert, & ad fugam peccati, & ad gratiæ receptæ conſeruationem, & augmentum.

Cæterùm in nouæ vitæ ingreſſu religioniſque aditu peculiari ratione generalis omnium peccatorum patefactio opportunior eſt, vt contra peccata aſſueta ſpiritualis tradatur informatio. Mirum eſt, veteres ob hanc eamdem cauſam accedentes ad Baptiſmum peccata ſua ſolitos confiteri, ſaltem ſecretò auriculari confeſſione, quamuis non ſacramentali. At omnes quotquot baptizabat ſanctus Ioannes, peccata publicè confitebantur. Vnde Tertullianus dixit, *Ingreſſuros Baptiſmum, orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus & peruigilijs orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, vt exponant etiam Baptiſmum Ioannis. Tinguebantur*, inquit, *confitentes delicta ſua. Nobis gratulandum eſt, ſi non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines noſtras.* Similiter ſanctus Gregorius Nazianzenus in oratione ad Catechumenos dixit. *Nec peccatum tuum confiteri graue ducas, ſciens quo pacto Ioannes baptizauerit, vt per huius vitæ pudorem, futuri ſæculi pudorem, ignominiamque fugias.* Hæc peccata non generatim, ſed ſigillatim expromebantur. Idcirco S. Baſilius, *quantacumque, & qualiacumque*, ait, *in Baptiſmo Ioannis explicata*; & Baptiſmo Chriſti abluendis dixit ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus; *Tempus præſens eſt tempus confeſſionis. Confiteare quæ perpetraſti, ſiue verbo, ſiue opere, ſiue noctu, ſiue interdiu. Confiteare tempore acceptabili, & in die ſalutis.* Ex veteri ritu ſanctus Thomas concludit, *Si baptizandi ex deuotione ſua confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda, non vt eis ſatisfactio imponeretur, ſed vt contra peccata aſſueta eis ſpiritualis informatio vitæ traderetur.* Hic itaque vſus peculiaris eſt, ſaltem per confeſſionem ſacramentalem explicandæ alteri conſcientiæ.

De Bap. c. 20. — Orat 40. — Serm. 1. de Bap. — 3. p. q. 68. art. 6.

Meditatio autem debet præcedere confeſſionem, vt dolorem peccatorum ingerat, & propoſitum bonum firmet; rectè quippe notauit ſanctus Thomas hîc poni pœnitentis inſtructionem. Iubemur quippe ſtatuere ſpeculam contemplationis, vt cum magna conſideratione, & fructu pari, confeſſio fiat. Curandum quoque eſt fieri confeſſionem cum amaritudine, & dolore animi atque afflictione carnis. *Pone tibi amaritudines*, nimirum contritionem, & amarorem cordis. Septuaginta legunt, *fac tibi pœnam*. Per rigidam nimirum corporis tractationem, &, vt Theodorus legit, *Sume de te ipſa ſupplicium*; qui enim Deum, creaturas omnes, & ſeipſum nouit per peccatum mortale offendiſſe; nonne ſi leui pro tali offenſa ſatisfactione contentus maneat, irriſiſſe potius, quàm ſatisfeciſſe debet ſe putare. Vbi enim agitur de honore Dei reſarciendo, de reparanda gratia Dei, de reconciliandis nobis cum Angelis, de domandis noſtris affectibus, non futiliter, non ridiculè agendum eſt. Quid amplius? *Da cor tuum in humeros*, ſicut Septuaginta legunt, *vt opere, & labore impleantur, quæ in corde decernuntur.* Theodoretus ſic interpretatur. *Impone tibi ipſi onus patientiæ. Permane in his quæ rectè prælegiſti.* Anonymus commentator Græcus, *Ne ſis*, inquit, *inconſtans in dogmatibus, te ipſam in peccando caſtiga, ſubige, & in ſeruitutem redige corpus tuum, totam mentis aciem ad opera confer.* Hoc enim eſt dare cor in humeros. Talis ſit dolor peccatorum, vt multas generet virtutes, vt humeri noſtri, & membra omnia noſtra pateant rationi, vt totus homo exterior conformetur interiori, atque exequamur quod Apoſtolus ait. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire munditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Rom. 6.

Confeſſione generali renouandæ ad ſtata tempora vires ſpirituales.

Capvt III.

Verum non ſufficit imbecillitati humanæ ſemel tantùm reformari, ſed ſæpiùs renouari, & in feruoris priſtini promptitudinem identidem reſtitui, quod ſanctus Ignatius prudentiſſimè præuenit. *Statue te ipſam Sion*, inquiunt Septuaginta, quoniam per repetitam renouationem noſmet ſtatuere debemus in id quod fuimus. In dies quippe langueſcit feruor ſpiritus, & ad ſtatos reaccendi dies debet per confeſſionem generalem, maius orationis otium, atque alia pietatis exercitia. Expreſſiùs hæc renouatio ſequentibus declaratur verbis, dum di-

Hier. 31. citur. *Dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: reuertere virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. Reuertere*, inquit Olympiodorus, *ad priora laudabilis vitæ inſtituta. Defle ſuper peccatis iam patratis, lamentum edens, beatitudine dignum.* Pro hac reformatione facit tota paraphraſis Chaldaica, quæ ſic ait. *Cœtus Iſrael recordare tibi operum Patrum tuorum rectorum, effunde preces, in amaritudine pone cor tuum. Contemplare opera, quæ feciſti, an recta ſint, cum tranſmigraueris in viam longinquam. Nunc autem conuertere cœtus Iſraël ad legem, & reuertere ad ciuitates has.* Oportet recordari, qui & quales fuimus, & quorum ſanctiſſimorum Patrum filij ſimus, ne degeneres fiamus; qualia opera illi fecerunt, qualia nos antea fecimus, & qualia nunc agimus; ne noſtra nouiſſima fiant deteriora prioribus, cùm ſemper procedere in meliora debeamus, quod non fiet, niſi identidem vires animi reparemus, & propoſita ſancta renouemus. Quapropter tunc maximè orationi vacandum eſt, & conſiderationi omnium operum noſtrorum, quàm imperfecta ſint, quàm procul à perfectionis deuiauerimus ſemita. Subdit Hieremias ad eandem renouationem nos exhortans. *Vſquequò delitijs diſſolueris filia vaga, quia creauit Dominus nouum ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* Septuaginta legunt: *Vſquequò conuerteris filia deſpecta; quoniam creauit Dominus ſalutem in plantatione noua. In ſalute circuibunt homines.* Etenim noua propoſita priſtinis debemus addere, nouas plantare virtutes, & antiqua pariter vitia reuellere, moreſque prauos extirpare, quibus velut radicibus obfirmatur vetus homo noſter, ne ad ſimilitudinem, & imitationem noui, & cœleſtis hominis renouetur. Aptè propterea Chaldæorum paraphraſis ait, *Quouſque tu te obfirmas, quo minus redeas, cœtus cuius auerſiones ſunt multæ. Quia ecce creauit Dominus nouum in terra; & populus domus Iſraël incumbet legi.* Quoniam iam deinceps poſt renouationem obſeruantiæ & regulæ tradere totos nos debemus.

Non variandus Confeſſarius.

Capvt IV.

Cæterum vt vtiliùs fiant confeſſiones, illud magnopere curandum, quod prouidentiſſimè commendatur in religioſis inſtitutionibus, vt idem ſemper confeſſarius ſit, cui integram patefaciamus conſcientiam, & totum cor noſtrum aperiamus. *Da cor tuum*, dixit Hieremias, iuxta Septuaginta, hoc eſt, vti Olympiodorus interpretatur, *ne operias mala, ſed ea patefac per confeſſionem.* Hier. 31. Eccleſiaſticus quoque ait, *Non confundaris confiteri peccata tua, & ne ſubycias te omni homini pro peccato.* Eccleſ. 4. 31. Exponenda quippe ſunt fideliter omnia peccata, non tantùm ad eorum remiſſionem, ſed emendationem; neque enim ſufficit ad ſalutem remitti nobis præteritas culpas, ſi committantur nouæ; quare vt præteritas relinquamus, & nouas caueamus, ſtatum ac firmum habere debemus confeſſarium, qui nos dirigat, & in melius promoueat: nam ſicut Salomon dixit, *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Prou. 28. Firmus hic confeſſarius ſit ex deſignatis, & electis à Præpoſitis, nec alius adeundus, *Ne ſubycias te omni homini pro peccato*, Eccleſiaſticus dixit. Eccli. 4. Quòd ſi morbo corporali affecti, non cuilibet Medico, ſed eximio tantùm ſe confidunt, cur negligentiùs ſpirituales infirmitates reuelandæ ſunt. Quid dicam, ſi qui communes, & leues defectus confiteantur ſolùm ſeni, prudenti, venerabili, & legitimo confeſſario; grauiora autem huic non patefaciant, ſed quærant alium iuuenem, inexpertum, & imperfectum, & illegitimum, quem prætextu neſcio quorum priuilegiorum legitimare velint. Tales quippe turam fortaſſe conſcientiam non habebunt: nam etſi legitimus iſte confeſſor poſſet fieri, grauiſſimi authores dicunt peccatum mortale eſſe duos confeſſarios habere, vnum cui leuia, alterum cui grauia confiteantur. Doctiſſimus Victoria dixit, *ſine dubio hoc eſſe ſacrilegium, & videtur magna fictio, & irridet confeſſorem faciens credere eum, quòd ipſe ſit probus.* Sum. verb. confeſſio n. 196. Alij authores ob enormem hypocriſim, & fictionem illud damnant. Quibus Syluester, & Emanuel Sà, ferunt opem. At quidquid ſit de fictione, alia ratio eſt, cuius cauſa à graui ſcelere excuſari ſæpe non poterit, conſueto, deſignato, & legitimo confeſſori non aperire omnia peccata, quatenus qui ſic confitetur, non obinde tollit omnem occaſionem, & fugit magis ſalutarem medicum, & certiorem emendationis viam. Vnde meritò Antoninus Diana, tom. 3. tract. 4. reſol. 132. qui alioqui minimè ſcrupuloſus eſt, ſed ſatis laxus, non auſus eſt infitiari per accidens, hoc poſſe eſſe peccatum mortale; quod mihi indubitatum eſt. Porrò ea, quæ aliis ex accidenti confeſſi ſumus, proprio poſtea, & conſueto confeſſario palam facere magnas habet vtilitates; incredibile enim eſt, quantum prodeſt in hoc humiliari, vt perſpectas habeat noſtras animas, qui nobis in Domino dirigit. Placet tandem hîc appendere, quoniam partim noſtris conſtitutionibus congruunt, quæ in ſtatutis Hugonis Cluniacenſis præſcribuntur circa confeſſionem Monachorum,

nachorum, quæ ſic commendatur. *Quoniam ex cauſa & frequentia confeſſionis, maximè ſalus prouenit animarum, & ex omiſſione nimius torpor & indeuotionis materia, & delinquendi auſus augetur, ſtatuimus & diligentiſſimè commonemus, vt ſemel ſaltem in hebdomada, quilibet confiteatur, hortante nos Apoſtolo, & dicente, Confitemini alterutrum peccata veſtra. Confeſſiones autem recipiat Prior, vel Superior, aut alij cuſtodes Ordinis, ſiue aliqui de Conuentu, quibus fuerit hac cura commiſſa, qui ſciant curare ſua vulnera, & aliena non detegere.* In Biblioth. Cartus. In ſtatutis quoque Abbatis Henrici hæc habentur: *In alijs caſibus non reſeruatis, ſeu peccatis, nullus frater Ordinis noſtri ſine noſtra ſucceſſorumque noſtrorum, aut ſuperiorum ipſorum fratrum cõmiſſione ſpeciali & licẽtia, excepto mortis articulo, præſumat alios eligere confeſſores, quàm à nobis ſucceſſoribuſque noſtris, aut ſuperioribus eorumdem, confeſſores, & pœnitentiarios in Monaſterijs & locis dicti Ordinis deputatos, & quia in confeſſione peccatorum qua impios iuſtificat, eiſque veniam donat, omnis ſpes miſericordia, gratia, & ſalutis conſiſtit, obſecrantes in Domino exhortamur omnes & ſingulos dicti Ordinis noſtri fratres, quatenus frequentius quàm potuerint ſpiritu deuoto ſtudeant confiteri confeſſoribus & pœnitentiarijs à nobis, noſtriſque ſucceſſoribus & ſuperioribus ipſorum conſtitutis*

Inſtituta religioſa pro Confeſſionis frequentia.

Capvt V.

Antequam hinc progrediamur, animaduertere oportebit, tantam eſſe perfectionem noſtræ regulæ, vt aliquibus nimis ardua, & oneroſa videatur, quoniam ſecundùm illam, & peccata eadem bis confiteri, & omnia peccata venialia teneamur explicare. Nam ſi priora peccata fuerunt mortalia, & planè abſoluta, intolerabile illis videtur. Imò imprudens illa iterum confiteri ordinario Sacerdoti; nam eſt iterum infamare ſe abſque neceſſitate: ſi autem fuerunt tantùm venialia, & illa ſunt ex regula neceſſariò repetenda, ſequitur teneri omnes de Societate, ex vi regulæ integrè confiteri de omnibus venialibus peccatis, & contra regulam agere, ſi aliquid omittant, quod videtur duriſſimum. Sequi hoc apparet ex dictis: nam ſi tenetur quis cùm alij, quàm ordinario Confeſſario confitetur, eadem apud Ordinarium repetere venialia priùs confeſſa, multo magis obligatus fuiſſet illa primò confiteri, ſi potuiſſet; ergo eadem ratione tenetur ſemper de omnibus venialibus confiteri.

Tom.4 de Relig. lib.8.c.4. Verumtamen, ſicut obſeruat Pater Suarez, ſimile noſtræ regulæ ſtatutum eſt in Ordine Carthuſiæ, & ſancti Hieronymi, idemque conſilium In Spec. p.2. c.3. inuenitur in ſancto Bonauentura in ſpeculo diſciplinæ, imò etiam ſumitur ex Benedicto XI. in Extrauaganti. Vbi præcepit Religioſis Confeſſoribus priuilegiatis, moneant ſuos pœnitentes, vt ſemel in anno confiteantur ſuis parochis integrè de toto anno, quia licèt hoc non ſit neceſſarium, eſt vtile. Multo autem maiori ratione expedit Religioſis non ſolùm propter maiorem pœnitentiam, & ſatisfactionem culpæ commiſſæ, ſed propter meliorem directionem in futurum, vt in noſtra regula ſignificatur. Directio enim & gubernatio in futurum multum pendet ex cognitione præteritorum, præſertim in ſpirituali, & interiori gubernatione; Confeſſores autem ordinarij ex vi ſui muneris habent curam ſpiritualis regiminis ſuorum pœnitentium, quorum vultus non agnoſcunt, niſi ex confeſſione eorum; ideoque optimum conſilium eſt, vt pœnitentes illis ſe omnino aperiant, vt ab eis adiuuari poſſint. Quapropter non eſt, cur hoc graue onus putetur, ſiue præcedẽtia peccata mortalia fuerint, ſiue venialia. Nam in vtroque genere multum iuuari poſſunt, & infamia nullius conſiderationis eſt; cùm ſecretum ſit ſummum, & per veram contritionem, & ſigna pœnitentiæ omnino recompenſentur, apud pium, & prudentem confeſſorem, qualem ſupponimus futurum eſſe eum, de quo loquimur. Et quamuis negari non poſſit, rem eſſe difficilem in materia morali; tamen conſiderare oportet, propterea rem non poni ſub neceſſitate præcepti, ſed conſilij quod de rebus arduis, & difficilioribus dari ſolet, poteſtque hæc difficultas, & propoſitum vincendi illam deſeruire, ne fortaſſe libertas illa confitendi alieno, vel extraneo confeſſori pariat etiam aliquam libertatem, vel facilitatem peccandi. Et ita reſponſum eſt ad priorem partem obiectionis. Ad alteram fatemur obligationem illam ex maiori perfectione, vt ratio illa bene probat. Neque enim ſanctus Ignatius cogitabat de conſcientia tantùm peccatorum mortalium, quando dicebat totam conſcientiam debere eſſe manifeſtam confeſſario, vt meliùs poſſit pœnitentem iuuare, loquitur enim de cõſcientia religioſa, quæ & à peccatis mortalibus eſſe debet longè aliena, moraliter, & regulariter loquendo; & iuuanda eſt, non ſolùm ad vitanda peccata mortalia, ſed etiam venialia, & ad virtutum augmentum. Eſt autem hæc integritas prudenti, & ſano modo intelligenda, quod ad venialia peccata pertinet; non enim neceſſe eſt etiam ſecundùm perfectionis regulam ſcrupuloſè ſingula confiteri, & de numero peccatorum, vel modo circunſtantiarum ſolicitum eſſe, id enim moleſtum eſſet potius, quàm vtile; ſed hoc ſolum dicimus ad illam regulam pertinere, vt nihil ex induſtria ob verecundiam, vel pudorem, aut timorem infamiæ taceatur, etiamſi leue videatur, & vt bona fide mediocrique diligentia facta, tota conſcientia ita manifeſtetur, prout ad maiorem confuſionem propriam, vel ad moralem, ac ſufficientem notitiam confeſſoris in ordine ad maiorem profectum ſatis eſſe videbitur. Atque eodem modo ſumendum eſt, quod dicitur de repetenda confeſſione alteri facta; ſi enim in ea nihil ſpeciale fuerit, ſatis erit de hoc ipſo certiorem reddere confeſſorem conſuetum. nam id ſatis eſt, vt intelligat totam conſcientiam ſibi eſſe manifeſtam, & ita poſſit ſecurus in illius regimine procedere. Denique non debet putari graue, quod vltrò accepimus voluntario Religionis ingreſſu; quare & iteratio tot confeſſionum generalium, quot fieri regula præſcribit, minimè oneroſa eſt, tum quia vltrò huic regulæ nos ſummiſimus; tum, quia eſt pro maiori, & notabili profectu ſpiritus. Vnde etiam S. Bonauentura monet Religioſum, In Regul. Nouitior.

vt

vt annuatim generaliter confiteatur; & Pontifex Benedictus XI. in Extrauaganti, *inter cunctos §.caterùm,de priuileg.* dixit,licèt non ſit neceſſarium, eſſe tamen ſalubre, ſaltem propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœoitentiæ pars; id ipſum eademque ratione teſtatus eſt ſanctus Auguſtinus cap. *quem pœnitet, de pœnitentia*,diſtinctione prima.

Utilia documenta ſancti Bonauenturæ circa confeſſionem Religioſorum.

Capvt VI.

Tanoͤem prætetire nolo,quæ circa Religioſorum confeſſioné præſcripſit ſanctus Bonauentura *in ſpeculo diſciplinæ.* Multa ibi iouenìemus, quæ noſtris congruant. conſtitutionibus, & alioquin vtilia. *Poſt Religio-*
Part.1.c.1. *nis*,ioquit, *ingreſſum, centinuè debent confeſſioni facienda vacare, & de omnibus, qua in ſeculo à pueritia commiſerunt, ad memoriam quantum peterunt ſtudioſa ſolicitudine reuocatis, generaliter cenfiteri. Malorum namque confeſſio, initium eſt bonorum. Ordinis ergo ſtatus reijcit res, atque*
Part.2.c.3. *reatus.* Poſtea ait, *de quotidianis offenſis,ſine quibus hac vita non ducitur, facienda erit confeſſio, de priuatis priuata, de publicis publica,& nihilominus quandoque priuata.* Attendendum de confeſſione priuata, quibus, quotiens, quando, & vbi fieri debeat, & quæ ſit circa eam nouis fratribus diſciplina ſeruanda. Debent ſuperiori, vel ſi ipſe ordinaoerit, inſtructori ſuo, & non alij, niſi in eius abſentia ei taotùm quem ſuperior, vel inſtructor, de Superioris aſſenſu eis duxerit aſſignandum, tribus vicibus in qualibet hebdomada, vel pluries ſecundùm quod neceſſe habuerint, in dicto ſibi tempore,& loco pro ſacramenti reuerentia cum diligentia confiteri. Nunquam eis placeat vicaria in confeſſione cooſeſſoris mutatio, vt nunc vni confiteantur,nunc alteri,quin potiùs, ſi quando id cogat neceſſitas, notabilia deinde ad principalem referant confeſſorem. Cauſa tamen deuotionis eadem pluribus poſſunt confiteri. Aliter nòn eſt conſcientiæ ordinatæ, ſeu puræ varios quærere confeſſores; ſit tamen ſalubriter, vt cui de peccatis præteritis ſemel geoeraliter quis eſt confeſſus, de quotidianis etiam confiteatur eidem, vel nouo, ſi hæſerit, curatori ſuorum denuo vuloerum perfectè aperiat corruptelam. Diſciplinam circa confeſſionem diſcretio, puritas,& reuerentia probant. Habeant diſcretionis cautelam, vt antequam ad confeſſionem accedant,diligenti ſuper confitendis conſideratione præhabita, offenſas priùs ſuas ſpeciales, deinde alias ſeriatim, & breuiter ſine culparum, & verborum replicatione inutili proſequentes, confeſſionem ſuam ſub prima;& vltima culpæ nominatione concludant. Aliqua tamen deuotioni interdum, vel conſcientiæ replicatio indulgetur. Sit & pura confeſſio; vt confiteatur ſimpliciter & deuotè ſine excuſatione, ſine accuſatione, ſine nominatione alterius, de qoibus conſcientiam habuerit remordentem. Nec ſpecialia paſſim ſub generalitate pertranſeant. Tentationes ſuas, & cogitatioocs malas nulla ratione occultent, noo contemnant modica, ne paulatim defluant ad maiora. In domo quam ſubintrans radius Solis illumioat, quantumcumque licèt fuerit præmundata, at homini nihilominus diligentiùs intuenti apparent; ſic & cor radiis gratiæ illuſtratum etiam minima videt, ac vitiorum laqueos ſubtili examinatione diſcernit. Quanto quis fuerit mente purgatior, tanto ſe ſordidiorem videbit, & maiores cauſas humilitatis inueniet. Deponeodæ tamen ſunt ſcrupuloſitates quædam ſuperfluæ, quæ conſcientiam in erroris confuſionem inducunt. Reuerentiam non ſolùm ioteriorem, verùm etiam exteriorem,decet confitentem habere,vt ſuo deferens confeſſori,ſe illi ſiue in eleuatiooe capitis, ſiue in alia corporis diſpoſitione (ſi commodè vitare poterit) non coæquet, ſed flexis genibus dum confitetur, nudato, ac dimiſſo capite, ſit humiliter coram eo. Rurſus in informatione Nouitiorum ſic conſulit. Sæpe confitere, ad mi- Cap.12.
nus ter in ſeptimana,& ſimpliciter ſicut Angelo, qui ſciret ſecreta cordis tui. Non adducas velamen excuſationis,vel alleuiationis, nec implices te,ita quòd Confeſſor oon intelligat quid dicas. Specifica ei quid feceris; hiſtorias autem, & facta aliorum nolite recitare. Singulos articulos, quos recolis te feciſſe à tempore quo nuper confeſſus es, dic breuiter, & purè; & noli longum tractatum texere cuiuſdam generalis,& affirmatæ confeſſionis,quia generatur tædium Confeſſori. Iſta enim omnia potes Deo in oratione quotidie confiteri,& defectus tuos ei exponere,quos feceris in ſingulis virtutibus, & de his quæ confiteris, ſtudeas te emeodare.

DOCTRINA II.

DE EXAMINANDA conſcientia.

Vſus ſcrutandæ conſcientiæ commendatur, maximè teſtimonijs Scripturæ.

Capvt VII.

Alterum remedium purificandi cordis commendatum à ſancto Ignatio,Patre noſtro,eſt quotidiana conſcientiæ diſcuſſio, bis quotidie peragenda, & generalis, & particularis,cum vtiliſſima illa cæremonia appogẽdi numerum defectuũ quam in libello exercitiorũ tradidit;hoc videtur indicare interpretatio
Syra. *Statue tibi ſpeculam,pone tibi ſigna,quia & defectus ſpeculandi ſunt,& aſſignandi.* Prudentia Hier 31.
ſpiritualis in hoc examine addiſcenda eſt,de qua ſanctus Gregorius dixit. Vniuſcuiuſque animam Ieremias admonet, dicens: *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines. Speculam quippe ſibi ſta-* Lib 3. Mor. c.31.
tuere,& ventura vitiorum certamina ex alta conſideratione præſoſcere, ſibique electi mens amaritudines

ritudines ponit,quando & in virtutum pace conſti-
tuta,dum mala inſidiantia conſpicit , ſecura quie-
ſcere non conſentit. Primò autem , ne mala quali-
bet ; ſecundo verò loco conſiderat , ne bona incautè
faciat:& poſtquam praua ſubegerit,ipſa etiam ſibi
ſubycere rectà contendit , ne ſi mentis dominium
tranſeant , in elationis culpam vertantur. Quia
enim,ſicut ſuperius dictum eſt,plerumque ex bonis
per incuria vitium mala naſcuntur , vigilanti ſtu-
dio contemplatur , quomodo ex doctrina arrogan-
tia, ex iuſtitia crudelitas , ex pietate remiſſio , ex
zelo ira, ex manſuetudine torpor oriatur. Cumque
bona hæc agit , quòd hi contra ſe hoſtes per hæc
exurgere valeant,conſpicit. Nam cùm adipiſcendis
doctrina ſtudijs elaborat , mentem ſollicitè contra
certamen arrogantiæ præparat.Cùm culpas delin-
quentium iuſtè vlciſci deſiderat , ſagaciſſimè caui-
cat , ne modum iuſtitia crudelitas vindicta tran-
ſcendat. Cum pietate frænare ſe nititur , ſolerter
proſpicit , ne qua diſciplinæ diſſolutione vincatur.
Cùm ſe recti zeli ſtimulis excitat,ſummopere pro-
uidet , ne pluſquam neceſſe eſt iræ ſe flamma ſuc-
cendat. Cum magna manſuetudinis tranquillitate
ſe temperat , vigilanter obſeruat , ne torpore fri-
geſcat. Hactenus ſanctos Gregorius. Multum ex
conſcientiæ examine ad puritatem ſpiritus pro-
feciſſe ſanctum Prophetam Dauidem , oſtendit.
Pſal 76. *Meditatus ſum*, inquit , *nocte cum corde meo , &*
exercitabar , & ſcopebam ſpiritum meum. Velut
enim ſcopis mundantur domus ; ſi hoc examine
domicilium,& ſacrarium Spiritus ſancti cor ho-
minis religioſi mundatur, ſiue,vt ſanctus Augu-
ſtinus interpretatur , ſcrutabatur Dauid animam
ſuam , vt inueniret , qoid in ea lateret, quemad-
modum ſcopis verritur , & agitatur domus , vt
Pſal. 118. drachma amiſſa inueniatur. Alibi ait , *Cogitaui*
vias meas , & conuerti pedes meos in teſtimonia
tua; oam diligenter examinando actiones ſuas,
quales nam eſſent mutauit vitam,& ad exactam
obſeruantiam diuinæ legis conuertit. Quanto
autem dolore, & cordis ſenſu hoc examen face-
ret , in Pſalmo ſexto fatetur. *Laboraui in gemitu*
meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum , la-
chrymis meis ſtratum meum rigabo. Id quo vte-
Pſal. 4. batur Dauid , conſulit etiam. *Quæ dicitis in cor-*
dibus veſtris , in cubilibus veſtris compungimini.
Thren. 3. Similiter & Hieremias ait : *Scrutemur vias no-*
ſtras , & quæramus,& reuertamur ad Dominum.
Eccleſ. 37. Eccleſiaſticus quoque. *Fili in vita tua,tenta ani-*
mam tuam,& ſi fuerit nequam,non des illi poteſta-
tem. Quaſi diceret,Explora,atque examina quo-
modo ſit affecta anima tua , quæ ſint ei propen-
ſiones,quæ deſideria,qui affectus,qui ſi proni ad
mala reperiantur,cohibere oportet,ne habeat fa-
cultatem faciendi quod vult, nec per prauos ha-
bitus acquirat vim, & poteſtatem , cui vix poſſi-
mus repugnare. Neque tam ſalutaris doctrinæ
immemor fuit Apoſtolus Galatas ſic hortatus;
Galat. 6. *Opus ſuum probet vnuſquiſque,& ſic in ſemetipſo*
tantùm gloriam habebit,& non in altero ; hoc eſt,
actus ſuos examinet, vt faciat rectè quod debet,
minimè autem alterius lapſus exploret, neque ſe
conferat cum illo. Si hæc fecerit,cùm opus ſuum
examinans videt eſſe bonum , in ſua tantùm
actione, quam Dei gratia perfecit , gaudium, &
gloriam habebit, non in caſu alterius , non extra
ſe quærer gloriam , vt ſe comparet , & præferat
aliis inferioribus. Corinthios quoque ſic monet:
1. Cor. 13. *Vos metipſos tentate, ſi eſtis in fide,ipſi vos proba-*
te. Idem ait : *quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus,* *1. Cor. 2.*
non vtique iudicaremur.

Patrum auctoritate ſcrutinium diligens
conſcientiæ ſuadetur.

CAPVT VIII.

NVNC ſanctos , & antiquos Patres conſu-
lamus , quomodo iſtud cordis ſcrutinium
commendent. Sanctus Antonius, prout in hiſto-
ria tripartita traditur , præcipiebat ſemetipſum
diſcutere,& ſecum ponere rationem eorum,quæ
geſſit diu,noctuque;ſi quid autem indecens age-
ret,conſcriberet,vt de cætero parceret in delicto,
ſemetipſum ſcilicet erubeſcens , ſi plurima ſui
delicta comperiſſet. Et apud Surium præcipie- *17. Ianuar. § iandem.*
bat Monachis , vt rationem diei , noctiſque fa-
cientes, ſi in ſe comprehendiſſent , peccare deſi-
ſterent,&c. Sanctus Baſilius etiam ſæpe hoc con-
ſilium inſinuat ; nam *in ſermone de abdicatione*
rerum, poſt medium. Quæ ſingulis (inquit) *diebus*
feceris opera,ea veſperi tecum ipſe commemora,&
cum his quæ feceris pridie conferto , vt melior in
dies exiſtas. Et ſermone de *Aſceſi, ſeu exercita-*
tione Monachi,inter alia cõſulit,quotidianas ſuas
& cogitationes,& actiones omnes diligẽter exa-
minare. Et ſermone primo *de inſtitutionibus Mo-*
nachorum,in fine. *Completo* (ait) *iam die,omnique*
opere tum corporis,tum ſpiritus abſoluto , præclarè
fiet, ſi diligenter vnuſquiſque , antequam cubitum
eat,cum animo ſuo conſciẽtiam ſuam exquirat,&c.
Et Ioannes Climacos quarto gradu de obediẽtia.
Optimus,inquit,*trapezita eſt,qui quotidie veſpere*
lucrum ac detrimentum omnino cõputat,quod ſcire
manifeſtiùs non poteſt, niſi in horis ſingulis, in ta-
bulis omnia denotet:nam cùm calculi ſingulis ho-
ris ponuntur , totius diei ratio poſtmodum clarius
agnoſcitur. Et paulo ſuperiùs refert de quodam
Religioſo. *Ad cuius latus cùm appenſum cingulo*
breuem libellum conſpicerem , didici eum quotidie
cogitationes ſuas in eo notare,haſque omnes nuncia-
re paſtori ſolitum:non ſolùm autem illum,ſed alios
quamplures id facere ibidem conſpexi : erat enim
(vt comperi) *Patris ſancti mandatum.* Chryſoſto-
mus etiam,circa illa verba, *Peccatum meum con-* *Hom 2. in Pſal.*
tra me eſt ſemper;conſulit, vt qui diurno tem-
pore, vel alio commodiore non potuerit , ſaltem
in ipſo lecto antequam ſomnus irrepat , exami-
net,quid boni fecerit, quidve mali admiſerit, &
gehennæ recordetur , vt metu affectus bonum
augeat, & malum auferat.

Sanctus Dorotheus rerum ſpiritualium ma-
giſter peritiſſimus , ſic ait. *Docuerunt enim ſæpe*
nos maiores noſtri , quo pacto purgemus nos ipſos,
per ſingulos dies, vt ſcilicet ad veſperam perſcru-
temur nobiſcum,quomodo trãſactam diem exegeri-
mus,& rurſum manè quomodo noctem,& ſic pæni-
tẽtiam agamus apud Deum,vt par eſt,in quo pec-
caſſe nos deprehenderimus. Sanè cum admodũ de-
linquamus, peccemuſque,obliuiſcamurque delicta,
& peccata noſtra,opus eſſet nobis in horas diligenti
cura, & examinatione , quo pacto ſcilicet ambule-
mus,id momenti,& tẽporis,& in quo deliquiſſemus.
Deberetque vnuſquiſque noſtrùm à ſeipſo, tanquã
iudex,rationẽ cuiuſlibet facti extorquere,& dicere:
Vt quid loquutus ſum infelix quæ fratrẽ meũ mor-
derẽt,& carperẽt? Vt quid fratrẽ aliquid faciẽtem
iudicaui? vt quid eũ contẽpſi? Vt quid murmuraui,

& loquutus de ipſo ſum? Cur coquum increpaui? Cur pudore illum affeci? Cur ergo imprudentiſſimus in me ipſo obmurmuraui, quod cibaria non bene decoxiſſet, artificioſè curaſſet? Dixit mihi cæremoniarum princeps, vel quiuis alius fratrum verbum, nec ferre potui, ac ſtatim aduersùs illum loquutus ſum verbum. Sicque per ſingulos dies agendum nobis eſſet diſcutiendum, & cognoſcendum, quo pacto ambulemus. Debet item quis à ſe exigere, vt noctem tranſierit, ſi videlicet & cum diligentia, & promptitudine ad vigilias ſurrexerit, ſi neglexit reſpondere excubitori, ſi contra ipſum in aliquo obmurmurauit.

Lib. de vita ſolitaria.

Idem docuit ſanctus Bernardus dicens: *Sedeat iudicans iuſtitia, ſtet rea, & ſe accuſans conſcientia: nemo te plus diligit, nemo te fideliùs iudicabit, manè præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem, & venturæ diei tibi indicito cautionem: veſpera præterita diei rationem exige, & ſuperuenientis noctis fac indictionem.*

In Regul. Nouitior.

Sanctus Bonauentura etiam, *Cùm pulſatur campanella ad menſam, vel ad comedendum, ſtes in ſilentio, & examina te ipſum quomodo in oratione, vel lectione, vel in ſeruitiis laboraſti.*

Lib de vita ſolitaria art. 24.

Tandem Dionyſius Rikelius ait: *Manè inquirat, quemadmodum nocturnum tempus exegerit, qua alacritate diuina perſoluerit: & item, qualiter inſtanter diem fructuosè decurrat, ſapienter inſtituat. Denique veſpere conſuendum, quomodo dies ipſe defluxit, quid agendorum omiſſum, quid etiam omittendorum commiſſum, quid profecerit, quantumcumque proficere potuerit, ſed neglexit, atque aduenienti ſe nocti præparet.* Hoc vtique modo Arſenium dixiſſe agnouimus, & ſcimus, quia ſi quis ita ſe inſtituens ordinet, iibit continuò de virtute in virtutem, videbitque inſuper Deum Deorum in Sion.

Commendatio examinis conſcientiæ, ex Thoma de Kempis.

CAPVT IX.

Cap. 9 exercit. ſpirit.

THOMAS de Kempis locupletiùs hoc commendat, & conſulit. *Sero iam facto*, inquit, *examinanda eſt conſcientia de ſtatu defectus hodierni, ſi ſolito pigrior, vel feruentior extitiſti. Non parcas tibi ipſi in defectibus corrigendis, ſed argue, quæ propria iniquitate commiſiſti. Tu reus es, tu hæc, & illa feciſti. Recogita quid in choro, quid in Miſſa, quid in conuentu, quid in menſa, quid foris, quid in cella hodie egiſti, vel omiſiſti. Quando totum emendabis? Quando ſatisfacies Deo, & Angelis eius, & hominibus. Debitores omnium; & ad ſoluenda debita peccatorum, vix vnum habes integrum nummum. Quis eſt iſte nummus? Confeſſio oris ex vera contritione cordis. Loquere ergo cum Propheta, pro venia impetranda: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, in tempore opportuno. Siquidem tempus magis opportunum ad recollectionem cordis, variis occupationibus per diem diſtracti, videtur eſſe hora Completorij, ad quietem ſanctæ vocationis pro ſerenatione conſcientiæ purgandæ deputata. Væ illi, qui hanc horam negligenter præterit, & de die in diem, de hora in horam locutiones protrahit, & ſtatum cordis, moreſque & actus vix ſemel in die examinat, quod omni hora facere neceſſarium foret. Quamuis enim tu negligas intima tua diſcutere, Deus tamen nil patietur inultum abire. Vſque ad minimum namque quadrantem exiget talentum tibi commiſſum. Dedit ſiquidem vnicuique ſenſus, & legem vitæ, ac diſciplinæ conſtituit ad bene agendum, & ad meliora ſemper proficiendum; nullum verò tempus otioſè, vanéque conſumendum. Ad te ipſum vel ſerò reuertere, miſer homo, totus deditus externis, qui ignoras, quando veniet Dominus, & quàm velox tibi inſtat exitus mortis.*

Cap. 10.

Rurſus ait: *Quoniam igitur iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui; ideo diligentiùs perſcrutanda eſt quotidiana conuerſatio in ſpeciali. Stultus odit increpationes, vanus non curat, ſuperbus ſe excuſat, piger diſſimulat, diſſolutus irridet: ſapiens vero vias ſuas conſiderat, præterita retractat, futura præcogitat. Vitia exhorret, Scripturas amat, precibus inſudat. Doce ſapientem, & amabit te. Securus in bonis ambula, ſi mala non lateant. Capitulum culparum ergo tibi noueris diligentiſſimè eſſe ſeruandum. Multi computant pecunias, & expenſas rerum, pauci conſcientiam, & negligentias temporum diſcutiunt; ideoque magis deficiunt, quàm proficiunt. Loquuntur bona, & non faciunt: deteſtantur mala in aliis, ſe ipſos autem negligunt in multis. Tu verò aliter inſtitutus es. Et ſi verè proficere velis, omni veſpere te diſcutere non omittas. Quod ſi feceris, renouaberis ſpiritu mentis, & pacem habebit tabernaculum tuum. Securè dormies, & non erit qui exterreat quieſcentem in Chriſto. Mirum valde, & tremendum nimis, quòd quis audeat ire dormitum, aliquo graui delicloo ccupatus, nec compunctus, neque confeſſus. Proh dolor! plures percepi in ſua malitia, & peccatorum ſacibus, ſubita morte extinctos, & omni amicorum ſolatio deſtitutos. Ad cauendum ergo deteſtabilem negligentiam in examinatione conſcientiæ propriæ, de omni verbo, & opere iudicium tibi hora congruenti ſtatue, & rationem villicationis tuæ à te ipſo exige ſtrictè. Serue male, & piger, dic qualiter hunc diem expendiſti? Ecce notaui, quòd hodie ſuſcitatus, non ſtatim alacriter ſurrexiſti; pigritaſti in lecto, vix ad vltimum ſignum te erexiſti, & poſt alios tardior veniſti. Non cantaſti fortiter, nec attendiſti diligenter. Vana retractaſti, & præ inopia deuotionis etiam dormitaſti. Acceleraſti ad finem, & ad lectum, & hoc mihi valde eſt ſuſpectum; quia ſicut imparatus chorum intraſti, sic indrnotus exiſti. Verba multa prompſiſti, parum fructum retuliſti. Tardè etiam hodie ad opus acceſſiſti, acedioſè laboraſti. Locutus es inutilia, interrogaſti curioſè, indicaſti ſuſpicioſè, riſiſti ſæpe diſſolutè, detraxiſti, commotus fuiſti. Corde, & oculis euagatus es in choro, in menſa, & modicum ad lecta attendiſti. Sæcularia verba cautè auſcultaſti, verba Chriſti & Sanctorum dicta malè retinuiſti. De cibo, & potu cogitaſti, & auidè comediſti. Gauiſus es de melioribus ferculis, deſideraſti ampliùs, de vilioribus murmuraſti. Non fuiſti patiens in modico defectu, nec continens à meliori; ſed magis tibi, quàm fra-*

tri aſſidenti id adaptaſti. Quaſiniſti te in paruis, & maiora (ſcilices fidelitatem, & charitatem) perdidiſti. Negligenter horas legiſti, ſine deuotione, ſine debita attentione, & ſine diſtincta prolatione verborum. Vide, vbi corruiſti, & deſine ſuperbire, & gloriari de bonis à Deo perceptis. Gemens deplora interioris hominis ſtatum, multis paſſionibus implicatum. Scrutare abſcondita, ſi ira, ſi inuidia, ſi concupiſcentia, ſi auaritia, ſi impatientia, aut triſtitia, te monit, & ſuperauit. Nec ſolùm de malis peractis inueſtigandum eſt, ſed etiam de bonis neglectis perquirendum. Si beneficia Dei cum gratiarum actione cogitaſti; ſi pro amicis, & aduerſarÿs oraſti, ſi reuerentiam Prælato, & minoribus fratribus dulcedinem charitatis exhibuiſti. Si infirmis, & tentatis compaſſus fuiſti; ſi petenti auxilium, ſi mœrenti ſolatium impendiſti. Si denique honorem Dei ſimpliciter, & purè quaſiuiſti; ſi humanam laudem ſtrenuè vitaſti. Si propriam voluntatem promptè abnegaſti; ſi te nulli prætuliſti. Si patienter correctiones accepiſti; ſi pœnitentiam iniunctam humiliter impleſti. Si nemini moleſtus fuiſti; ſi laſus clementer indulſiſti; ſi ab iniurato veniam poſtulaſti. Si deuotè celebraſti; ſi attentè cantaſti; ſi pertinax non fuiſti. Si ad humilia opera feſtinaſti; ſi contemptus non contraxiſti. Si malum pro malo reddere non cogitaſti, ſed in bono malum vincere ſtuduiſti. His ſacris ſcrutinÿs mens tua inuigilet: iſtis ſe frequenter diſcutias, increpet, & emundet; vt gratiam cautè conſerues, amiſſam recuperes, & ad ſpiritualem profectum vehementiùs inciteris; deflens omne malum, quod hac die perpetraſti.

Ratione demonſtratur vtilitas examinandæ conſcientiæ.

CAPVT X.

NVNC ratione demonſtremus commoda explorandæ conſcientiæ, & ſpiritualem methodum tradamus ex ſpiritualiſſimo Magiſtro accommodatam inſtituto noſtræ Religionis, vt examinationem iſtam cum vberiori peragamus fructu. Quoniam igitur nihil vtilius eſt homini qui viam religioſæ perfectionis ingreditur, nihil ad profectum continuum faciendum congruum magis, quàm diligens, & frequētata ſui ipſius, totiuſque ſimul inſtituti religioſi diſcuſſio, qua identidem circumſpiciat in omnes vocationis ſuæ partes inquirens, & quid profecerit hactenus, proficiatve, vel proficiendum etiamnum reliquum habeat; præcipuum ſtudium Religioſi cuiuſuis eò ſpectare debet, vt ſeſe in examine tali quàm diligentiſſimè exerceat. Id verò vt commodiùs fiat, plurimùm oportebit ea, quæ ſequūtur capita, accuratiùs expendere. Primò, quanta re vera ſit vtilitas, neceſſitaſque huius examinis diligentioris. Secundò, circa quid verſari debeat eiuſmodi examen, ſiue quàm latè ſeſe extendere oporteat, quáque multa complecti. Tertiò, quis ſit modus in eo, vt ritè ac pleniſſimè fiat obſeruādus. Quartò, qua demum ratione fructus, quàm ampliſſimus ex facto iam examine colligendus. Singula igitur exactiùs iam conſideremus. Quoad vtilitatem & neceſſitatē ad omnem religioſum profectum diligentis examinis, non aliunde melius hoc, faciliuſque intelligi poterit, quàm ex ipſa ſtatus & ſtudij perfectionis conſideratione. Quàm enim pulchrum coram Deo, & Sāctis omnibus ſtudium eiuſmodi perfectionis? Quàm vtile, & ſalutare? Quàm Religioſo neceſſarium, qui etiam votis ſe ad ſtatum conſectandæ perfectionis obſtrinxit, quique tot nominibus aliis ad omnem perfectionem ſectandam obligatur. Atque ſine diligenti examine fruſtrà ſtudium hoc, ſtatumve talem profitetur. Examen diligens maximo ad id eſt adiumento. Ratio horum eſt, quia fundamentum omnis ſtudij huius, cognitio ſui ipſius, & defectuum ſuorum eſt. Vnicum autem medium ad cognitionem hanc diligens eſt examen. Fundamentum, inquam, omnis ſerij ſtudij ad perfectionem, cognitio eſt ſui ipſius. A defectuum enim, emendatione incipiat ſtudium id neceſſe eſt. Is terminus à quo Sancti huius motus; eſt enim ſtudium perfectionis quaſi motus quidam ſanctus ac ſpiritualis, quo ex nobis & omni veteris Adę contagione egreſſi, tranſimus in nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt: imò in Deum ipſum charitate perfecta. At egredi ex ſe, & emendare defectus ſuos, penitus nemo poteſt, niſi qui ſe penitus, defectuſque ſuos notos habeat. Nam primò abſque eo neſciet vllus, quid fugere & emendare debeat. Secundò neſciet cōſequēter, quomodo. Quoniam ſicut non appetitur bonum niſi cognitione appreheuſum, ita nec declinatur voluntate malum, niſi notum. Nihil enim poteſt eſſe in voluntate, quod ab intellectu ei non obiiciatur. Inde homo, vel maximè ægrotus, ſi ægrum ſe non credat, ſed ſanum iudicet, medicinam nullam quærit, imò refugit vt phreneticus: ita vel ſtultiſſimus quiſque, ſi ſe ſapientem credat, nulla conſilia ſapientiorum ſectatur: ita vel pauperrimus, qui ſe ſat diuitem cenſet, aut ſibi ſufficere ſe exiſtimat, nunquam manum ad ſtipem emendicandam porrigit. Ita in ſtadio currens, vel quoduis iter faciens, qui ſe ad metam perueniſſe autumat; quantumuis longè adhuc ab ea remotus, omnem tamen ſollicitudinem curſus vlteriorem deponit. Idemque iudicium eſt in omni ſimili rerum progreſſu. Ita ergo & in perfectionis profeſſione, qui non integrè cognoſcit ſe adhuc infirmum admodum, inſipientem in multis, pauperem & mendicum, & longè à meta, ſeu culmine virtutum diſtantem, nunquam ſeriò operam dabit, vt ad meliora progrediatur. Deinde neſciet prorſus quomodo defectus emēdare valeat, quoniam qui ambulat in ignorantia ſui ipſius ac defectuum ſuorum, eo ipſo in tenebris ambulat; omnis enim ignorantia tenebræ ſunt quædam, vt omnis cognitio ſpiritualis lux in Domino. Qui autem in tenebris ambulat, via pręſertim impedita, & mille laqueis & erroribus, imò labyrinthis obnoxia (qualis eſt via ad perfectionem) fieri non poteſt, vt ſine offenſione ambulet. Tum defectus noſtri, morbi quidam ſunt animæ, vt languores varij corporis; nos Medicorum inſtar. At Medicus, qui ſingulos morbos non intimè perſpectos habet, & iam in particularibus ſuis infirmis, nunquam eos ritè curabit; quin etiā ſępe exaſperabit magis. Nā ſi eū, qui cholica laborat, ſi pleuritide, vel calculo vexari exiſtimet, erronea certè remedia adhibebit. Quod enim ignorat, medicina non curat, ita in ſimilibus. Denique

ad iſta omnia vnicum remedium eſſe diligens examen,& quidem vtiliſſimum,ipſa ratio docet, ipſa experientia, ipſa item natura ſpiritualium morborum Multi animorum morbi latentes admodum ſunt, multi ignoti & neglecti, vel quia ſpecie boni alicuius latuati, vel quia cum plurimis nobis communes (quoniam mundus totus in maligno eſt poſitus,)vel quia amore proprio, qui nobis intimè inſitus eſt,armari ac defeoſi, & quaſi anguis in herba tecti,vel ſimilibus tenebris inuoluti. Hinc tantæ tenebræ in mundo etiam inter Chriſtianos, etiam ſæpe inter Religioſos. Hinc celebre illud,& maximi ſemper factum ab antiquis, *NOSCE TE IPSVM*, quaſi totius ſapientiæ priocipium. Hinc etiam ſanctiſſimi quique hoc vnicum orare à Deo ſoliti: Norim te, norim me, etiam poſt longiſſimam virtutum exercitationem. Atqui examen propriũ eſt ſtudiũ cognitionis,huius inquiſitio eſt,venatio eſt, in hoc exercitij genere, quæ etiam latentes feras haſce, & ſecretiſſimis latebris reconditas educit in lucem. Itaque valde neceſſarium eſt homini religioſo diligens examen ſui. Certè ſi omne perfectionis ſtudium à cognitione ſui incipit; cognitio verò ſui nonniſi per examen diligens acquiritur, eadem & æqualis omnino obligatio ac neceſſitas nobis eſt impoſita diligentis examinis,quæ qualiſque nobis perfectionis ipſius incumbit.

Latiſſimè patet examen Religioſi.

Capvt XI.

IGitvr ad exequendum vberiori cum fructu examen conſcientiæ, ante omnia deponenda eſt affectio quędam, & tacita opinio, communis quidem plurimorum, ſed erronea tota, ac quaſi puerilis,ſatisfactum eſſe examini vbi ij defectus innuenti fuerint, qui expreſsè peccata ſint vel mortalia, vel venialia,& materia confeſſionis. Puerile hoc totum in omnibus,qui ſtudium perfectionis profitentur. An non ſtultus peregrinus ille, qui in itinere poſitus hoc ſolum attendat atque examinet, vtrùm errore aliquo per deuia retroceſſerit, de progreſſu nihil,vel parum ſollicitus. Aut qui altiſſimi montis cacumen propoſitum babens, in quo omnia bona ſibi recondita norit, hoc ſolum in medio poſitus circunſpiciat, ne fortè retrorſum lapſus ſit, labaturve, nihil curans aſcenſum vlteriorem? Certè talis ad metam deſtinatam nunquam perueoiet. Ita profectò puerile videri debet in via ac ſtudio perfectionis(quam in Religione profitemur) in ſolo peccatorum examine conquieſcere. Talia enim qui inquirit, illud ſolum inquirit, an fortè retro lapſus ſit, non quo vſque progreſſus, aut progreſſurus. Fuga enim peccatorum infimus gradus ad perfectionem eſt (ac fortè vix etiam gradus, quia in ſolo termino à quo diuini huius motus hærere videtur,) totaque ſic etiamnum virtutum perfectarum altitudo ſupereſt conſectanda. Certiſſimum itaque Religioſo eſſe debet illud,examina noſtra longè longiùs proſpicere debere, præſertim particularia. Id quod etiam ex ipſo libello exercitiorum ſpiritualium S. P. N. Ignatij patet, vbi examinis huius vis verſari notatur circa totam diſpoſitionem ſui (in ſtatu ſcilicet ſpirituali,) nec ſolùm circa peccata, ſed etiam circa vitia quæuis. At in ſtatu perfectionis vitium eſt quodcũque à perfectione ipſa deficit, licèt alioquin peccatum non videatur. Idcirco ibidem etiam ad additiones meditationum, licèt minutiſſimas neglectas applicandum docetur, quæ tamen nullius peccati propriè ſunt materia. Sed longè id etiam clariùs fit ex communi omnium examinum Societatis vſu,ac fine. Eò enim ea tendere debent,ſi perfecta ſint,vt exactiſſima quædam omnium conſtitutionum, regularum, ordinationum, inſtitutionum, ac totius denique inſtituti Societatis executio, atque actuatio per totam Societatem in omnibus, & ſingulis eius membris eliciatur, ac producatur. Atqui nihil eorum omnium ex genere ſuo peccati obligationem, ne venialis quidem,inducit,niſi materia ipſa talis ſit, quæ ex ſe peccati vinculum contineat, qualia ſunt vota & ſimilia. Manifeſtè hoc in ipſis conſtitutionibus explicatur parte ſexta capitis quinti. *Fixum itaque ac certum eſſe debet Religioſo in poſterum, induſtriam examinis ſui non ſolùm circa ea verſari debere,quæ neceſſariò videantur confitenda,ſed circa ſui totius plenam cognitionem,quod ad ſtatum perfectionis attinet, & circa omnes omnino defectus, qui in tota inſtituti noſtri latitudine occurrere potuere. Nec antè ſiſtat,nec exiſtimet ſe conſecutam finem exercitij huius,quàm in particulari penitus cognouerit,quantum adhuc abſit,quantumve ſibi deſit ab illo exactiſſimo ſtudio perfectionis,quod decimaquinta ſummarij regula requiritur,his verbis: Omnes conſtanti animo incumbamus,vt nihil perfectionis quod diuina gratia conſequi poſſimus, in abſoluta omnium conſtitutionum obſeruatione, noſtrique inſtituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus.* Nimirum hoc eſt diligentis cuiuſuis patrisfamilias officium ac ſtudium, qui ſciam rei familiaris ſuæ curam gerit.Non ſolùm is circumſpicit, ne quid fortè fortunarum ſuarum furto ipſi auferatur, ſed & omnes latebras œconomiæ ſuæ excutit,atque exquirit,vt videat quid hîc,quid ibi deſit,quid augeri poſſit hîc,quid ibi acceſcere, vt vbique & vndique prouideat. Talis enim diteſcit demum,ac notabile facultatum ſuarum incremẽtum facit.Hoc illud exercitium, quod in Prouerbiis ſub typo mulieris fortis ani- Prouerb. 31.
mæ cuiuſuis religioſæ commendatur, vt quærat lanam & linum, & operetur conſilio manuum ſuarũ,facta quaſi nauis inſtitoris,de longè portãs panem ſuum. Neceſſe enim certè eſt in tam multiplicibus œconomiæ ſpiritualis anfractibus in tanta virtutum plurimarum,ac maximarum,quæ propoſitæ nobis ſunt congerie, multo conſilio, diſcuſſione, & inquiſitione vtamur (quæ omnia examen diligens præſtat,) vt quàm maximum fructum faciamus.

Optima ratio examinandi ſe.

Capvt XII.

MAteriam quidem copioſiſſimam examinis propoſitam habemus; omnes enim defectus, omnes moras,& ceſſationes inueſtigare debemus in ſtudio perfectionis,

nis, iuxta inſtitutum noſtrum admiſſas, idque eo
fine, vt exequamur omnia, totam, inquam, ſphæ-
ram actiuitatis noſtræ impleamus iuxta gratiam
vocationis nobis conceſſam. Atque hîc iam ſu-
bitò duplex caput ſe offert rerum examinanda-
rum, vt duplex eſt genus occupationum quas
inſtitutum noſtrum à nobis requirit. Nam &
propriæ ſaluti ac perfectioni debemus incumbe-
re, & impensè ſimul proximorum ſalutem atque
perfectionem procurare. Primùm igitur quan-
tum quiſque abſit à culmine perfectionis ſibi pro-
poſitæ inquirat. Deinde quantum à plena illa
cura ac diligentia, quam proximis debet ex ra-
tione inſtituti noſtri. In primo capite perſo-
nales defectus ſunt examinandi. Hic triplicem
ordinem examinis faciamus. Vt enim qui in iti-
nere quouis eſt poſitus, tripliciter deficere po-
teſt, vel quia per deuia aberrans longiùs etiam
recedit à termino, ac retrogreditur, vel quia in
ipſa via hinc inde moratur, nec progreditur, ſed
ceſſat, vel quia à commeatu neceſſario, omnique
perfectionis apparatu malè inſtructus eſt, vnde
progredi, aut ſatis celeriter, aut quantum neceſſe
foret, non poſſit; ita ſimile quid etiam in via per-
fectionis vſu venit. Primi generis defectus ſunt
peccata omnia quocumque nomine cenſeantur.
In his enim omnibus tanquam in deuiis quibuſ-
dam relapſus quidam, ac retroceſſiones ſunt à
perfectione, quibus lõgiùs à culmine quod quæ-
rimus abducimur. Examinabis ergo qui ſint eius
generis defectus, in quibus hæreas, quantum in
acedia, in iracundia, in animi elatione, in ſenſua-
litatibus, &c. pecces. Vbi etiam ipſas radices
paſſionum inquiras diligentiùs, vt te penitus per-
ſpectum habeas.

Defectus ſecundi generis ſunt in ipſa virtu-
tum ſolidarum, ac perfectiſſimarum, quas inſti-
tuti noſtri ratio à nobis requirit, conſideratione.
Nimirum non ſolùm quàm longè quandoque
retro labamur inquirendum eſt, ſed etiam vel
maximè diſpiciendum erit, quantum nobis viæ
reſtet, quamque longè abſimus ab omni perfe-
ctione virtutum ſolidarum, quas in nobis inſti-
tutum noſtrum poſtulat. In iis enim omnibus,
dum non contendimus ad altiora, quaſi moræ
quædam admittuntur, ac ceſſationes in via per-
fectionis. Examina ergo quàm longè abſis ab il-
lo continuo ſtudio abnegationis ac mortificatio-
nis, quod in omnibus & ſingulis rebus à nobis
requiritur regula duodecima ſummarij, quoad
omnino fieri poterit, ideſt, quoad diſcretio ſan-
cta id permittit, vt ne vel alia interim maiora bo-
na impediantur, vel diu durare non poſſit noſtra
mortificatio. Tum, quàm longè abſis ab illa ſin-
cera intentione diuini obſequij, non ſolùm circa
vitæ tuæ totius ſtatum, ſed etiam circa res omnes
particulares, de qua regula decimaſeptima ſum-
marij, quodque ibidem iubemur, vt exuto amo-
re omnium creaturarum affectum vniuerſum in
ipſarum creatorem, & in vnum Deum Domi-
num noſtrum conuertamus, omnia in ipſo &
propter ipſum diligendo. Quantumque ab illa
humilitate & charitate, de qua eadẽ regula allata.
Reg.12. & 17. ſum. Quantum à perfectione paupertatis, diligendo
eam vt matrem, tibique perſuadendo, quæ vi-
Reg.24. Reg.25. liſſima ſunt, tribuenda tibi eſſe, in vſu nihil ac-
cipiendo, nec mutuo quidem, nihil diſpenſando,
ac ne quidem eleemoſynas admittendo, vel in
Reg.26. ſpeciem compenſationis. Denique in animi præ-
paratione ad mendicandum etiam oſtiatim, ſi
vel neceſſitas, vel obedientia id poſtulat, & ſi-
milia. Tum etiam quantum ab illo ſtudio caſti- Reg.14.
tatis ac ſenſuum cuſtodia, quo etiam Angelicam Reg.18.
puritatem & corporis & mentis munditia æmu-
lari debemus, portaſque omnes ſenſuum occlu-
ſas, præcipuè oculorum, aurium, & linguæ pec-
catis habere. Quantum ab illa perfectiſſima obe- Reg.29.
dientia, tam quoad perfectam, ac veram abne-
gationem propriæ voluntatis ac iudicij, qua pe-
nitus nos tanquam iudicio ac voluntati Chriſti Reg.31.32.
ſubiicere iudicio ſuperioris iubemur regulis no- 33 ſum.
ſtris, quàm quoad executionem; quia promptè
in aggrediendo, integrè in perficiendo, fortiter
in proſequendo, & continuando, & cum humi-
litate debita non repugnando, non contradicen-
do, &c. omnia facere docemur. Denique quan- Reg 32.
tum ab omni aliarum virtutum ſtudio abſis, quæ & 34.
in ſummario conſtitutionum tanquam ab omni-
bus ſectandæ præſcribuntur. In hoc enim ſum-
mario tanquam in breui quodam compendio,
omnis virtutum doctrina, quæ inſtituto noſtro
maximè propria ſit, breuiter & dilucidè ex-
plicatur.

Denique tertij generis defectus ſunt in omni-
bus iis omiſſionibus, quæ circa ipſa media So-
cietatis noſtræ, quibus ea ad omnem perfectio-
nem conſequendam nos inſtruit, admittantur.
Media enim omnia proficiendi, quaſi commea-
tus nobis loco, & vt adiumenta ſpiritualis huius
vitæ adiuncta ſunt, & quidem ea & plurima &
efficaciſſima. Examinandum eſt quomodo ha-
ctenus vſus ſis, & vtaris iis adiumentis & exerci-
tiis pietatis, quæ quotidiana nobis eſſe debent
meditatione, Miſſæ ſacrificio, examine tam ge-
nerali, quàm particulari, oratione vocali, ſpiri-
tualium librorum lectione, regularum, ac Supe-
riorum noſtrorum directione, & ſi quæ ſunt alia
ſimilia. Quomodo iis quæ ſingulis ferè ſepti-
manis, vel ſæpiùs recurrere debent, confeſſione,
communione, ſacra exhortatione, vel conferen-
tiis ſpiritualibus ſuo tempore habitis, concione
templi noſtri, & ſi quæ alia talia. Quomodo de-
nique iis, quæ paulò tardiùs reſumuntur, gene-
rali confeſſione, votorum renouatione, conſcien-
tiæ manifeſtatione, Præfecti rerum ſpiritualium
inſtructione, Prouincialium viſitatione, exerci-
tiis ſpiritualibus ſubinde repetitis, & ſi quæ alia
ſimilia, vbi omnes etiam regulas officiorum tuo-
rum particulares expendas, vt penitus cognoſcas,
quantum à culmine inſtituti abſis, vel deficias.
Portò in omnibus ac ſingulis hiſce non illud ſo-
lùm examinandum eſt, an ea ſuis temporibus
facias, & an omnia facias; ſed etiam, an bene, &
iuxta inſtitutum Societatis: imò verò etiam, an
ſatis intellexeris in ſingulis his, vbi ſit neruus,
& vis potiſſima auxilij ſpiritualis, & vtrùm ſcias
elicere ex ſingulis auxiliorum, quod in his pro-
ponitur. Fortè enim etiam ea in re non parui ha-
ctenus ſunt tui defectus, ita vt præſtes quidem
ſingula, & omnia, ſed etiam abſque debito fru-
ctu. Exempli gratia de meditatione loquendo,
vtrùm attenderis, non in rerum multarum con-
ſideratione fructum eius eſſe poſitum, ſed in af-
fectus applicatione, & vtrùm eo modo reuera ipſa
ſis vſus, an ſecus? Ita in examine, vtrùm obſer-
naueris, non tam in ſola cognitione defectuum,
quàm in propoſito actuali emendationis pro-
prium eius eſſe vſum; ita de reliquis. Contin-

gunt enim in eo etiam genere non tari defectus incautis, quales quandoque pueris ſolent, qui videntes nucibus veſci alios, ſed nucleum ipſum latentem ignorantes, putamina rodunt; non ſine nauſea, quàm loco refectionis inde hauſiunt inſcitia ſua.

Circa zelum animarum quæ ſint examinanda.

Capvt XIII.

AD alterum inſtituti noſtri caput ac partem, examen etiam conuertendum eſt, ad ea, inquam, quæ proximorum ſunt. Fac autem ex eo etiam capite triplicem examinis ordinem. Vt enim negotiator quiuis triplici ex capite deficere poteſt, quominus lucrum faciat quàm maximum, vel quia mercatus ipſos, ſiue nundinas negligat, occaſiones ſcilicet, ac locum lucrandi; vel quia non omnes eas tractet merces, quas tractare nundinando poſſet; vel quia non omnia talenta ac facultates ſuas negotiationi applicet, quas fructuosè poſſet. Ita ſimile quid etiam in negotiatione iſta noſtra ſpirituali contingit; verè enim nos negotiatores eſſe, il-
Luc.19. lud Domini præceptum demõſtrat. *Negotiamini dum venio.* Tot autem mercatus habemus commoditates, quot animos proximorum nobis propoſitos. Tot genera mercium ſpiritualium, quot vel opera bona ſunt, ad quæ incitare proximum poſſumus, vel vitia, à quibus eum auocare, vel exercitia ſupererogationis ac perfectionis, in quibus eum perficere. Tot denique quaſi talenta, quot media in Societate efficaciſſima ad proximos iuuandos. Circa ſingula ergo iſta te examinare debes, & quantum hactenus defeceris, inquirere. In primo genere circumſpice quo vſque ſe extendat facultas tua cum proximis agendi, (nec enim ingerere te ſine facultate debes) tum quàm multos ſæpe neglexeris ex his quos ſæpe adiuuare potuiſſes. Proximi certè nomen latiſſimè patet, nullum excludens hominem, qui cùm egeat opera noſtra ſpirituali, iuuari à nobis occaſione data poſſit, vt patet ex illa Samaritani parabola, qua ipſe Dominus proximi nomen
Luc.10. nobis expoſuit. Non inde excluditur Samaritanus, non Iudæus, Tartarus, Gentilis, Hæreticus, non Chriſtianus, & hîc non Eccleſiaſticus, ſiue Prælatus, ſiue inferioris Ordinis Clericus, ſiue Religioſus, non ſæcularis, ſiue in dignitate poſitus, ſiue nobilis, communis, ſiue ciuis, plebeius, ſeu ruſticus, non ſexus, non ætas, non vlla conditio. Totus denique mundus proximus noſter eſt, & qui à nobis iuuandus ſit, quatenus per occaſionem, quamuis ita nobis obiicitur, & quaſi propè ſit, vt opera noſtra ipſi ad ſalutem, vel vtilis eſſe poſſit, vel neceſſaria, prout Iudæus ille à latronibus malè moleſtatus Samaritano fuit. Quantæ verò nundinæ iſtæ? Has igitur ſic ſtudiosè, ac longè, latéque circumſpice, vt ne quid te in iis prætereat, quod ad rem facere poſſit. Et primò quidem inquire, ſi quos particulariter ex officio tibi commiſſos habeas, quorum ſaluti ac perfectioni debeas proſpicere, & qui hi ſint, quotve & quales; puta ſi ſuperior ſis, ſi Præfectus ſtudioſorum ſeminariorum, conuictorum, congregationum, ſi Magiſter in claſſe quauis, ſi confeſſarius certis deſtinatus, vel aliquorum, qui ordinariè ad te venire ſoleant; ſi Doctor etiam ſubditorum Collegij, aut familiæ cuiuſuis in temporalibus, &c. Conſidera ſecundò, ſi quos non quidem in particulari, ſed generatim habeas commendatos, qui etiam illi, qualeſve ſint. Si concionator ſis loci alicuius, quàm multi ij ſunt, quamque varij, qui te audire ſoleant: ſi in miſſione aliqua verſeris, qui illi & quales ſint, qui eò pertineant. Si conuerſationi publicæ expoſitus, qui illi ſint, & quales, in quorum conſpectu verſeris, aut quibus cum agere ſoleas. In abſentes quoque oculos conuerte, latéque circumſpice, quo vſque vel per internuncios quoſuis, vel per litteras te extendere circumquaque poſſis ad notos quoſuis, aut quauis occaſione familiares, quique illi & quales ſint, qui opera tua in ſpiritualibus promoueri queant. Denique attende etiam quàm multi ſint circumquaque, quos licèt per te ipſum nequeas, ne litteris quidem, compellare; per alios tamen varios ipſis coniunctiores tentare poſſis, vt in ſpiritu promoueas.
Sic enim Samaritanus ille dum ipſemet ampliùs attendere proximo non valeret, per ſtabolarium eius curam geſſit. Hæc, inquam, omnia examinabis attentiùs, idque eo fine, vt ita cognoſcas, & plurimas & ingentes omiſſiones tuas, in quibus hucuſque fuiſti, quas in poſterum emendare ſtude; infiniti autem fortè ea ratione, facilè ſe tibi obiicient proximorum tuorum, quos reuera potueris aliqua ratione ad meliora ſtimulare, quorum tamen fortaſſe vix decimam partem hactenus curaſti. Fortè enim cùm ex officio habeat tibi commendatos plurimos; tu tamen vix paucis ſolis te impendis, vel parti ſolùm vni alicui, idque magis ex humano aliquo affectu, quàm ſincero animarum zelo. Fortè ſiquidem talibus intendis; interim tamen neglexiſti reliquos omnes, quos generatim tantùm tibi habuiſti propoſitos, vel etiã abſentes. Fortè de aliis per alios iuuandis, nunquam ne cogitaſti quidem. Iam hac ratione inuentis tot occaſionibus ſpiritualium nundinarum, quas hactenus fortè maiori ex parte neglexiſti, particulariter etiam deſpice, quàm variæ merces ſpirituales in his ſimul tibi propoſitæ fuerint, quas æquè neglexeris etiam in his nundinis, ſeu perſonis, quibus hactenus intendiſti.

Examina igitur te iam ſecundò circa omnem eam ſalutem, perfectionemvè, ad quam potuiſſes, poſſeſvè excitare proximos, eos quibus cum agere te conuenit. Inquire quoties neglexeris, quos ab vno aliquo peccato, puta luxuria, vel ſimili auocaueris, ſimul etiam à pluribus aliis auocare potuiſſes, ac ſedulò monere, ab ebrietatibus, vſuris, detractionibus, profuſione etiam abſtinendum, & ita de reliquis. Fortè in eo genere toties negligens fuiſti, nunquam conſiderans tecum ipſe, quibus maximè peccatis obnoxij ſint ij, qui vel te audiunt concionatorem, ſi concionator ſis, vel tibi confitentur, ſi confeſſarius, vel tuæ curæ commiſſi ſunt; ſi Superior, Præfectus, Magiſter ſis, vel etiam te monentem libenter audirent; ſi conuerſationi expoſitus ſis, & ita de reliquis. Itaque fortè multa peccata publica paſſim ſunt in loco, vbi verſaris, puta blaſphemiæ, periuriæ, inimicitiæ, veneficia, furto-

rum violationes, ebrietates, & ſimilia, de quibus abolendis, ne cogitaſti quidem, ne dum media exquiſiueris, cùm potuiſſes aliquid proficere. Ita multa fortè priuata in tuis pœnitentibus, ſubditis, auditoribus, &c. quæ nunquam curaſti. Similiter inquire quoties negligas ad plura bona opera idoneos ſtimulare, ad orationes frequentiores, ad ieiunia, ad pœnitentiæ opera maiora, ad eleemoſynas, ad opera miſericordiæ, tam ſpiritualia, quàm corporalia copioſiora. Ita ad lectionem librorum ſpiritualium, ad frequentationem Sacramentorum, ad piam liberorum educationem, vel ſubditorum curationem. Fortè non rarò potuiſſes efficere vt congregationes piæ inſtituerentur, pauperes alerentur, iuuarentur hoſpitalia, incarcerati, infirmi, damnati ad mortem, pupilli, orphani, viduæ, puellæ, pauperes indotatæ, &c. Domus pauperum ſtudioſorum, integræ familiæ Clericorum, vel Religioſorum, integræ ſcholæ externorum puerorum, integri pagi, vel oppida dominorum, ac ſubditi, & ſimilia, & neglexiſti. Fortè etiam hodie talia præſtare poſſes varia, & negligis. Denique quoniam etiam ad perfectionem proximorum impensè debes incumbere particulatim, & illud examinabis, an non ſæpe Deus tibi obtulerit homines etiam Religioni idoneos, quos tamen penitus neglexeris diligere ad Dei vocationem intelligendam, &c. Hinc demum ad tertium progrediar membrum, vt talenta, quibus tibi negotiandum fuit ad lucrum Deo in proximis ferendum, examines, qualiter applicaris. Examinabis igitur omnia ea media, quibus ex inſtituto noſtro iuuari proximis ſolet, quomodo te in iis habueris. Fortè enim his quoque cùm pleriſque omnibus vti potuiſſes, vel vno aliquo ſolo, vel pauculis contentus fuiſti. Fortè etiam iis ipſis, quibus vſus es, longè negligentius vſus es, quàm propria eorum vis, & efficacia requirebat. His enim duobus modis contingere potuit in his te deficere. Vtrumque autem emendandum; omnino enim omnia, & ſingula ſua talenta vult applicari ad negotiationem Dominus; & bene, quoniam, qui quinque acceperat talenta, omnibus quinque negotiatus, alia quinque lucratus fuit, qui bina vtroque negotiatus, bina lucratus fuit, tertius propter vnicum ſolùm neglectum reprobatus fuit.

Examinanda ſunt media quibus iuuare proximos poſſimus.

Capvt XIV.

PORRO varia media in hoc genere habet Societas, eaque efficaciſſima, quæ omnia examinando debes percurrere. Media nimirum ſunt omnia, quibus gratiam à Deo proximis impetrare poſſumus ad meliora, nimirum orationes, & per nos ipſos factæ pro proximis, & procuratæ, vt ab aliis piis & Religioſis etiam fiant; oblationes variæ Deo factæ pro proximis & procuratæ eleemoſynarum, ieiuniorum, mortificationum, operum piorum quorumuis. In primis ſacrificium Miſſæ ſacroſanctum, Sacramentorum adminiſtrationes, maximè pœnitentiæ, & communionis. Media quoque ſunt omnia quibus cum proximis ipſis agere conuenit, & priuatim per mutuam piam conuerſationem cum proximo, & colloquia pia familiaria, per exercitia ſpiritualia tradita, per eas, quæ in ſacramento Pœnitentiæ fiunt, inſtructiones, per libellorum piorum, imaginum, præſertim quæ myſteria fidei continent, itemque Roſariorum commendationem, ac ſuppeditationem per litterarum piarum ad abſentes adhortationem, & publicè per conciones, per lectiones ſacras & in templis & in ſcholis, per Catechiſmi explicationem, per exemplum religioſæ conuerſationis, per ſcriptos cum facultate libros. Adde viſitationem hoſpitalium, carcerum, & triremium, infirmorum auxilia, damnatorum ad mortem, reconciliationes diſſidentium. Adde quæ per alios ferè fieri poſſunt noſtro inſtinctu, quò pertinent ſequentia. Miſſiones noſtrorum, ſcholæ ipſæ Societatis, & puerorum reformatio, ſeminaria, Domus pauperum, congregationes piæ erectæ, integræ familiæ religioſæ reformatæ, ſcholæ externorum adiutæ, & promotæ in pietate. Magiſtratus ſiue Eccleſiaſticus, ſiue politicus piè eruditus, vt vel publica auctoritate, vel priuata inſtitutione, bona promoueant, mala arceant. Pij denique quiuis ad aliorum etiam ſalutem procurandam excitati, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Quàm multa, inquam, ex his ſæpe neglexeris, quàm ipſa quibus vſus fuiſti, negligenter & perfunctoriè tractaueris, &c. Poſtremò cùm tam in ſalute & perfectione propria, quàm in aliena procuranda Societas & ſingula eius membra ſemper maiorem Dei gloriam ſpectare debeant, vt ſuper quam tanquam ſuper ſuum primum principium tota fundata eſt. Idcirco etiam in his quæ bene & laudabiliter, vel circa tuum, vel circa proximi profectum à te facta ſunt. Examinare ſemper te debes, num (vbi per obedientiam poteras) iis quæ ad minorem Dei gloriam cedunt, contentus fueris, neglectis iis, quæ ad maiorem eius gloriam cedere poterant. Hic enim inſignis & inſtituto noſtro planè contrarius error eſt, quo infinita maiora bona antepoſitis minoribus, à pleriſque negliguntur, dum contenti ſe gloriam Dei per hæc, vel illa miniſteria quærere, ad maiorem Dei gloriam non aſpirant per alia, quæ altioris, vniuerſalioris, & magis perpetui boni ſunt; contra ea, quæ paſſim B. P. N. in conſtitutionibus, potiſſimè autem parte ſeptima, capite ſecundo, nos docet.

Quæ pertineant ad examen fratrum coadiutorum temporalium,

Capvt XV.

COADIVTOR tamen temporalis non debet exiſtimare hanc ſecundam partem noſtri finis, quæ in procuratione ſalutis & perfectionis proximorum conſiſtit, ad ſe non pertinere. Hic enim inſtituto planè contrarius error eſſet, & qui à tam notabili parte noſtri finis alienum ſe exiſtimat, conſequenter etiam de mediis, quibus tam coadiutor temporalis, quàm quiuis alius de Societate illum procurare debet nihil laborauit: quare etiam multiplicis gra-

benedictionis Dei, quam in hunc finem zeloſè, vt oportet, incumbentibus communicare ſolet, expers erit. Et ſi fundatores Collegiorum, qui præter deuotam voluntatem ſolis tantùm reditibus Collegia iuuant, hoc ipſo proximi ſpirituale bonum promouent, quanto magis idem ſentiendum eſt de coadiutoribus, qui ſuo ſudore,&,vt ita dicam,vita & ſanguine partim mediatè, partim immediatè quoque ſaluti, & perfectioni proximorum inſeruiunt? Intelligere ergo coadiutores corporales debent,quinque omnino media eſſe, quibus tam ipſi, quàm quiuis alius de Societate ſalutem & perfectionem proximorum promouere poſſunt & debent. Primum eſt interior innocentia,& puritas vitæ coram oculis Dei conſentanea per omnia cum inſtituto.Hæc enim Deo oblata pro bono proximorum, copioſam & multiplicem eis gratiam impetrat. Secundum eſt oratio mentalis, & vocalis,ſimiliter oblata Deo, non tantùm pro ſeipſo, ſed etiam pro neceſſitatibus proximorum. Tertium eſt exemplum vitæ coram hominibus, quos quiſque & ſibi meretur, & iuuat proximos. Quartum eſt ſermo, & conuerſatio religioſa, prudens, & zeloſa, atque acceptabilis proximo,quæque cùm ad opera pietatis & deuotionis, & maximè ad frequentationem Sacramentorum iuxta regulam excitet. Quintum eſt exercitatio proprij vniuſcuiuſque officij iuxta regulas, cum charitate & deſiderio profectus proximorum, ad quem omnia omnino officia in Societate ordinantur, etiam coadiutorum,vt coci, cellarij, diſpenſatores,&c. Primum enim his omnibus officiis ſeruitur corporibus eorum, qui proximorum animas curant. Deinde hic ipſe labor corporalis pro ſpirituali proximorum bono Deo oblatus, plus ſæpe meretur apud ſuam diuinam maieſtatem in bonum ſpirituale proximorum, quàm conciones, & alia miniſteria. Quare non tantùm coadiutor temporalis, ſed quiſque etiam alius de Societate rectè examinare ſe debet, an his quinque mediis omnibus & ſingulis omni loco & tempore, maximè in recreatione, vbi multiplex occaſio fructus ſemper offertur, vbi poterat,& debebat,ſalutem & perfectionem proximorum promouerit. Inter proximos ſemper primo loco computando noſtros de Societate, quibus cum viuimus. Hos enim interiore ſanctitate vitæ coram Deo,oratione,exemplo,verbo,& conuerſatione, ac denique opere ipſo, & debita, atque cum inſtituto conformata exercitatione proprij vniuſcuiuſque officij promouere ad perfectionem, incredibiliter maioris obligationis & meriti eſt, quàm iuuare externos, ſiue ſæculares, ſiue Eccleſiaſticos, quod pauci ex noſtris conſiderant,vt deberent. Examinare prætetea coadiutores ſe debent in exercitatione ſui officij, num bonum temporale Collegij promouere conati fuerint, vti poterant,& debebant,ſtudendo parcimoniæ, & vitando prodigalitatem, vt pauperes Chriſti decet. Diſpenſator enim, coeus,ſacriſtanus, ſartor,præfectus pannorum, & reliqui ferè omnes, ſi verè diligentes, frugales,prouidi, & œconomici ſint in ſuo officio, ita rei domeſticæ conſulere poſſunt, vt ex iiſdem redditibus multo plures pro bono Societatis & proximi ali poſſint: ſicut contrà,ſi prodigales, profuſi, & neglectores boni communis ſint. Nouitij ſimiliter & ſcholaſtici perinde atque coadiutores temporales in ſupradictis quinque mediis proximum iuuandi,exactè ſe examinare debent. Et quidem ſcholaſtici in ſuo ſtudio (quod proprium eorum officium eſt) puritatem intentionis omnino examinare debent, ne quid humani affectus in ea ſe admiſceat, vti propriæ exiſtimationis, & excellentiæ ambitionis certorum officiorum per litteras,& doctrinam conſequendorum. Huiuſmodi enim intentionis totum eorum ſpiritum labefactant, & tandem ſæpe etiam in apoſtaſiam deſinunt. Quare omni conatu extirpandæ ſunt, & ſolius gloriæ Dei & vtilitatis ſuæ ac proximorum ſimplex, & puriſſima intentio procuranda cum ſolida & perfecta indifferentia ad quæcumque officia,quantumcumque humilia ea fuerint, etiam coadiutorum temporalium, ſi ita ſanctæ obedientiæ ad maiorem Dei gloriam, & eorum ac proximi bonum in Domino expedire videatur.

Optima methodus boni examinis in executione ad ipſam realem emendationem defectuum.

CAPVT XVI.

IN primis vt ſemel per otium totum hoc examen ſecum ipſe inſtituat Religioſus, non perfunctoriè percurrat ſingula, ſed ſtudioſè expendat, vt quàm pleniſſimè ſeipſum & totum religioſæ vocationis ſuæ ſtatum cognoſcat.Immenſam quandam ſyluam bonorum, ac ſegetem, quaſi ſponte nobis ſeſe offerentem aduertemus, circa quam excolendam noſtra debet induſtria occupari. Secundò contentus non ſit ſimpliciter feciſſe examen hoc, ſed pro ratione conditionis ſuæ, ipſe ſibi notet ſingula quæ occurrent propria,vt inde ſæpiùs & faciliùs renouare memoriam eorum queat, ac penitos infigere animo hanc ſui ipſius cognitionem, & imperfecti ſui quod videtur oculi. Quin etiam tempora ſibi certa conſtituta,quibus quæ hac ſibi ratione notauit, repetat animo, relegatque,ac recentem eorum memoriam habeat ſemper.exempli cauſa, ſingulis ſeptimanis minimum ſemel,idquè Dominicis,Sabbatiſve potiſſimùm, quoniam tum ferè pro tota ſeptimana rationes etiam in humanis reuideri, ac ſubduci ſolent. Quòd ſi etiam contigerit aliquando ſe de loco in locum migrare, vel officium mutare, etiam denuò exactè totum illud examen eorum, quæ ad proximos iuuandos deſpicienda diximus, iterabit, ſed potiſſimum eo tempore, quo ſpiritualia exercitia annuatim iteranda veniunt, ſimile quid ſibi diligentiùs repetendum ſtatuat. Tertiò, tum demum pergat ad emendationem, nec ante ſiſtat, quàm finem optatum totius huius induſtriæ conſecutus ſit, qui eſt,executio totius gratiæ vocationis noſtræ, ſiue actuario bonorum omnium ad propriam, aut aliorum ſalutem, ac perfectionem facientium, qui in potentia ſit inſtituti noſtri, ſiue, vt planiſſimè loquamur,vt totam ſphæram actiuitatis noſtræ expleamus. Potiſſima autem cura erit, vt quæ ad propriam ſalutem perfectionemve pertinent, exequatur Religioſus, maximè ſi qui lapſus ſint

primi

primi illius generis, quibus etiam longiùs à ſtudio perfectionis recedar, hoc eſt, peccata indubitata, tum quæ de proximis ſunt notata. Hic quoque primùm ea, quæ ad illos ſpectant, quibus ex officio omnem curam debet, exequatur, tum quæ ad reliquos, memor illius Pauli. [*1. Tim. 6.*] *Si quis ſuorum, maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Duo verò hîc ſedulò iotelligat obſeruanda. Primum quod ad perſonas attinet, nempe vt ſe ioxta illa tam ſeria D. Iacobi monita in hoc geoere intteniat: [*Iacob. 2.*] *Fratres nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ*, intendentes ſcilicet in eos, qui ioduti ſunt veſte præclara, in annulis aureis, & negligentes, & contemnentes eos, qui in ſordido habitu introeunt, verbi gratia, meodicos, ruſticos, plebeios, hoc eſt, nobilibus ſolùm, ac magnificis curandis incumbens, neglectis pauperioribus, etiam cùm ſe occaſio offert. Meritò enim ita timendum foret ab eo, quod ibidem apud Iacobum ſequitur, ea ratione fieri iudicium cogitationum iniquarum, nec legem ſeruare regalem, [*Rom. 1.*] *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Certè enim non ſine cauſa B. Paulus ſe & Græcis, & Barbaris, & ſapientibus, & ioſipientibus debitorem agnouit, non erubeſcens in eo Euangelium Chriſti, idem negat in Chriſto Ieſu differeotiam eſſe inter ſeruum, & liberum, Barbarum, & Schytam. [*Coloſſ. 3.*] Quod ad ipſa quoque bonorum genera, quæ in proximis procuramus, ſpectat, & eſt ſecundum ex duobus, quæ paulo antè obſeruanda diximus, vt ne quiſquam putet nimis exile, quod in proximis poſſit (dum maiora fortè deſint) vt cùm vel à peccatis abducat, vel ad meliora promoueat. Memor quomodo in eo genere B. P. N. S. Ignatius fuerit affectus; is enim cùm magno ſtudio inter alia, etiam meretriculas à turpi quæſtu abducere cooaretur, obiectumque ei eſſet, inanem eum laborem fore, cùm breui ad vomitum rediturae illæ viderentur, negauit propterea quicquam ſe remiſſurum, illam ſimul auream ſententiam ſubiungeos; ſi omnibus vitæ meæ curis, atque laboribus id poſſem efficere, vt vel vnam noctem peccato vacuam prætetire iſtarum aliqua velit, omnes quidem ego neruos contendam, vt vel illo tam exiguo tempore Deus ac Dominus noſter noo offendatur, etiamſi ſciam illam ſtatim ad iogenium redituram. Quartò, ad hæc penitus hîc perſuaſum habere debes id quod certiſſimum eſt, totam ſui cognitionem quam examina Societatis præſtant, ex ipſa natura non ſpeculatiuam eſſe cenſendam, ſed practicam, hoc eſt, quòd ex ipſa praxi finem habeat, nos ſiſtat in ſpeculatione. Parum ergo, imò minimum progreſſum te eſſe, intellige, ſi vbi cognoueris defectus tuos, ibi ſiſtas. Quin parum etiam erit, ſi præteritorum lapſuum confeſſionis propoſitum conceperis; pergendum enim omnino eſt ad emeodationem, & manus operi applicanda. Vt enim homini famelico parum prodeſſe poteſt, ſi oculis ſolùm videat menſas plenas, licèt eas regio apparatu inſtructas, & qoidem ſibi paratas intelligat, ſi manum applicare, ac ori admouere propoſita vel nolit, vel nequeat, quin minimum talis differat ab eo, qui ſe ſomniat conuiuari; ita hæc ipſa tanta cognouiſſe tantùm, & non etiam opere ipſo attentaſſe, minimum certè profuerit. Certè enim animæ etiam noſtræ cibus, & is vtique pretioſus eſſe debet, vt faciamus voluntatem Patris noſtri, qui in cœlis eſt. [*Ioan. 4.*] [*1. Theſſ. 4.*] Nec alia eſt Patris voluntas, quàm ſanctificatio noſtra. Quintò, quò quidem propriè pertinere videtur illa Iacobi admonitio. [*Cap. 1.*] *State autem factores verbi, & non auditores tantùm.* (dicamus nos, & non examinatores tantùm.) quia ſi quis eſt auditor verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, (examinis diligentis;) conſiderauit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit; qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit, & qui audit, & non facit, ſimilis eſt ſtulto ædificanti in arena, vt apud ſanctum Matthæum dicitur. [*Cap. 7.*] Sextò, manus ergo operi admouenda; iam inde ex ipſo examine ſerio ac ſolido propoſito emendationis concepto, & quidem animosè. Neque enim nos ſegniores reddere debet, quod infinitum quaſi chaos rerum optimarum nobis obiectum cognouerimus; quia vt ignis quanto maior lignorum ſtrues appoſita eſt, tanto animoſiùs ſerpit circùm circa; nec ante ſiſtit, quàm totam occupauerit: ita & ardor bonorum deſideriorum noſtrorum accendi, & inflammari, ipſa etiam materiæ copia debet magis, & tanto magis, quanto certiores ſumus; totum id quod elaboramus in eo genere, minimè propriis viribus noſtris inniti, ſed ſingulari gratia vocationis noſtræ, auxilioque diuino, nunquam non piis eiuſcemodi conatibus aſſentienti, quibus ne deſimus ex parte noſtra maximopere curandum eſt. Meminerimus quid eo in genere illa ſibi voluerit ſententia B. P. N. ſancti Ignatij perpaucos ac fortè vix vllum eſſe, qui perfectè intelligat quantum Deo volenti in eo operari, ipſe impedimento ſit, quantumque Deus in nobis efficeret, niſi à nobis ipſi impediretur. Denique nec difficilis quidem adeò erit emendatio, tali per examen, diligentia præmiſſa, ipſum enim examen non ſolùm quid deficiat oſtenſurum eſt, ſed & modum ſimul ac media varia emendationis omnem in partem ſuggeſturum.

DOCTRINA III.

DE PARTICVLARI conſcientiæ ſcrutinio.

Inſtituenda eſt particularis ſollicitudo alicuius vitij extirpandi.

CAPVT XVII.

PRÆTER examen generale aliud nobis commendatum à ſancto Ignatio Patre noſtro habemus, quod particulare vocauit, cùm aduersùs vnum vitium peculiaris inſtituitur lucta, donec illud proſternamus, aut pro vna comparanda virtute ſollicitudo ſin-

gularis gerittur; nam cùm vires & naturæ, & gratiæ finitas, & limitatas habeamus, & aduersùs omnia ſimul vitia, non ita efficaciter & validè digladiari queamus, ſeorſim oportet impugnare illa; quæ tamen peculiaris vnius vitij ſolicitudo non tollit, imò iuuat cæterorum curam. Hoc examen dixit doctiſſimus P. Franciſcus Suarez excogitatum à ſancto Ignatio, noſtri Ordinis Patriarcha. At non ita reor intelligendum, vt nullo innotuiſſet modo aliquibus priſcorum Patrum ſpecialius vitij vnius ſcrutinium, & diligentior impugnatio. Verba aliquorum dabo, vt partim hanc examinationem commendemus, partim indicemus, vtilem eius inſtituendæ ritum. Optimam autem methodum & praxim huius peculiaris ſcrutinij inuenit & docuit ſanctus Ignatius, qui priſca Patrum antiquorum documenta ſecutus eorum vſum perfecit. Eutropius Abbas, ſcribens ad Petrum Epiſcopum ait. *Vnuſquiſque vitium, quo maximè infeſtatur, exploret, & aduersùs illud arripiat principale certamen.* Hæc ille.

Sanctus Chryſoſtomus in vſu videtur habuiſſe hoc examen, nam homilia quadam in Ioannem
Hom. 82. ſic ait. *Diſcamus igitur, & vitia noſtra recenſentes, ea tempore corrigamus, & hoc menſe vnum, alio aliud, & ita ſubſequenter meliores efficiamur: & ſic tanquam per gradus quoſdam aſcendentes, per ſcalam Iacob ad cælum perueniemus. Etenim ſcala illa mihi per illam viſionem paulatim per virtutes aſcenſum ſignificare videntur, per quam à terra in cælum aſcendere nobis licet; non gradibus ſenſibilibus, ſed morum incremento, &*
Hom. 77. ad Populum. *correctione.* Alio tamen loco ſic ſcribit. *Quemque veſtrûm rogo, & ſi non antea, deinceps ſaltem, quem ſe plus alijs vexare defectum nouerit, hunc ex anima præcidere ſtudeat, & pia quadam cogitatione, quaſi ſpirituali vtens gladio ſemetipſum à vitio liberet. Idoneum enim nobis Dominus contulit ſenſum, & ſi parum velimus reſpicere, valentem quodque naſcens in nobis vitium ſuperare. Propterea Sanctorum quoque nobis omnium vitam, & conuerſationem per diuinas contextam Scripturas ſpiritus gratia reliquit, vt diſcentes, qualiter eamdem nobiſcum ſortiti naturam omnia virtutis obierunt officia, circa eius executionem minimè torpeamus.* Hactenus ſanctus Chryſoſtomus.
Hom. 12. in Geneſ. Idem alibi monet. *Scrutemur ſuam quiſque conſcientiam, & rationem examinemus, & conſideremus, quiduam in hac hebdomada probè actum ſit, quid in alia, & quale augmentum fecerimus ad ſequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* Luculenter eius diſcipulus Caſſianus hanc pu-
Collat. 5. c. 14. gnandi rationem declarauit. *Ita*, inquit, *nobis aduersùs vitia arripienda ſunt prælia, vt vnuſquiſque vitium, quo maximè infeſtatur, explorans aduersùs illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis, ac ſollicitudinem erga illius impugnationem, obſeruationemque defigens, aduersùs illud quotidiana ieiuniorum dirigens ſpicula, contra illud cunctis momentis cordis ſuſpiria, crebraque gemituum tela contorquēs aduersùs illud vigiliarum labores, ac meditationes ſui cordis impendens, indeſinentes quoque orationum fletus ad Dominum fundēs, & impugnationis ſuæ extinctionem ab illo ſpecialiter, ac iugiter poſcens. Impoſſibile namque eſt de qualibet paſſione triumphum quempiam promereri, priuſquam intellexerit, induſtria, vel labore proprio victoriam certaminis ſemet obtinere non poſſe; cùm tamen, vt valeat emendari, neceſſe ſit, cum die, noctuque in omni cura, & ſollicitudine permanere. Cumque ſe ab ea ſenſerit abſolutum, rurſum latebras ſui cordis ſimili intentione perluſtret, & excipiat ſibi, quàm inter reliquas perſpexerit diriorem, atque aduersùs eam ſpecialius omnia ſpiritus arma commoueat, & ita ſemper validioribus ſuperatis celerem de reſiduis habebit, facilemque victoriam, quia & mens triumphorum proceſſu redditur fortior, & infirmior pugna ſuccedens promptiorem ei prouentum faciet præliorum, vt fieri ſolet ab his, qui coram Regibus mundi huius omnigenis congredi beſtijs præmiorum contemplatione conſueuerunt, quod ſpectaculi genus vulgo παγκράτιον nuncupatur. Hi, inquam, feras, quaſcumque fortiores robore, vel feritatis rabie, conſpexerint diriores, aduersùs eas prima congreſſionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas, quæ minus terribiles, minuſque vehementes ſunt, exitu faciliore proſternunt. Ita & vitijs ſemper robuſtioribus ſuperatis, atque infirmioribus ſuccedentibus, parabitur nobis abſque vllo diſcrimine perfecta victoria.* Hæc ille.

Indicauit etiam ſanctus Baſilius in Regulis breuioribus, huius examinis vſum, vbi ait. *Quòd* Interrog. 289
qui ſemel pœnitentiam egerit, demùm idem peccatum commiſerit, hoc argumento eſt illum primam cauſam peccati illius funditus non extirpaſſe, à qua veluti à quadam radice alia eiuſdem generis pullulare neceſſe ſit. Nam quemadmodum ſi quis relicta radice ramos arboris alicuius velit exciſos, nihilominus radix manens alios ſimiles illis protrudit: ſic quoniam peccata ſunt quædam, quæ naſcendi principium in ſe ipſis non habent, ſed aliunde originem ducunt, neceſſe eſt prorſus, ſi quis eſſe ab illis liber velit, is vt cauſas primas peccatorum illorum ſtirpitus tollat. Veluti corrixatio, & inuidia non ex ſe ipſis naſcuntur, ſed à radice appetitus gloriæ pullulant. Qui enim humanam gloriam magni facit, is ex æmulatione ei obtrectat, quem in gloria eſſe animaduertit, aut à quo in ea ſuperari ſe videt, inuidet. Quocirca qui ſemel ſe ipſum inuidia contentioniſue condemnarit, is ſi in eadem ipſa denuo vitia relapſus ſit, vtique intelligat graui ſe ac penitus inſito cupiditatis gloriæ morbo, principe ſcilicet inuidiæ, æmulationiſue cauſa laborare. Nimirumque ipſum conuenit contraria ratione, nempe humilitatis exercitationibus (humilitatis autem exercitatio in rebus contemptioribus exercitatio eſt) gloriæ morbum curare: vt hoc modo affectionem illam humilis animi adeptus, deinceps in ea, quæ antè diximus eſſe cupiditatis gloriæ germina, non incidat: atque in ſingulis iſtiuſmodi peccatis ſimili modo.

Prudenter quoque Hugo Victorinus libro de amore, dixit: *Purgationis tuæ ſolicitus, primò neceſſe eſt, vt paſſiones quibus impugnaris, attendas. Deinde quæ ſint, quibus maximè fatigaris, inſpicias. Poſtremò per quæ inſtrumēta, quibus paſſionibus magis obuies, ſagaciter perquiras. Quibus inſpectis cōgruū inſtrumentū cuilibet paſſioni obijcias, & quæ magis impugnat, ferueutiori inſtantia vt ipſa obruatur, inſiſtas, nec ſic tamē extinctioni vnius paſſionis tota vehementia inſiſtendum eſt, vt ad cætera comprimenda inſtrumētum corporale deficiat.*

Eamdem ſpecialis vitij curam inſinuat Hildebertus Cœnomacenſis, dum ait: *Tu quoque te* Epiſt 32.
ipſam tempore deſueſces, & reſides concupiſcentiæ,

qua

Digitized by Google

qua ſimul expugnari non poſſunt, ſigillatim meliùs eludentur aduerſùs huiuſmodi latrunculos, manumque ſicariam; ſic vigilare neceſſe eſt filiam Chriſti, vt non dormiat, neque dormitet; ſic negligere cùm diſceſſerint, vt reditum formides; ſic pugnare cùm redierint, vt de victoria non deſperet.

Clariſſimè autem Gerardus Zutphanienſis dixit: *Ordinata acie procedas ad bellum. Debes enim vnum vitium arripere quod eſt tibi magis moleſtum, atque illud perſequi, donec deficiat, contra illud omnem intentionem mentis & conatum dirige.* *Lib. de reform. vir. animæ c. 41.*

Sententia Eutropij, & Bernardi de natura vitiorum, & peculiari eorum impugnatione.

Capvt XVIII.

OPORTET igitur cùm æqualibus quis infeſtatur vitiis, aduerſùs illud inſurgere, vnde plura euertantur; ad hoc autem naturam, colligationemque vitiorum neceſſe eſt noſſe, quam vnà cum aliis documentis ad hanc particularem examinationem pertinentibus ex Eutropio Abbate in ea, quam ſcripſit, epiſtola ad Petrum Epiſcopum, operæ pretium eſt ſubiicere. Octo ſunt vitia principalia, quę humanum genus infeſtant. *Primum*, Gaſtrimargia, quod ſonat ventris ingluuies. *Secundum*, Fornicatio. *Tertium*, Philargyria, id eſt, auaritia, ſiue amor pecuniæ. *Quartum*, Ira. *Quintum*, Triſtitia. *Sextum*, Acedia, id eſt, anxietas, ſiue tædium cordis. *Septimum*, Cenodoxia, id eſt, iactantia, ſeu vana gloria. *Octauum*, Superbia. Hæc igitur octo vitia, licèt diuerſos ortus, ac diſſimiles efficentias habeant; ſex tamen priora, id eſt, gaſtrimargia, fornicatio, philargyria, ira, triſtitia, acedia, quadam inter ſe cognatione, &, vt dixerim, concatenatione connexa ſunt, ita vt prioris exuberantia, ſequentium efficiatur exordium. Nam de abundantia gaſtrimargiæ, fornicationem; de fornicatione, philargyriam; de phylargyria, iram; de ira, triſtitiam; de triſtitia, acediam, neceſſe eſt pullulare. Ideoque ſimili contra hæc modo, atque eadem ratione pugnandum eſt, & præcedentium ſemper aduersùs ſequentes oportet nos inire certamen. Quamobrem, vt acedia vincatur, ſuperanda eſt triſtitia, vt triſtitia propellatur, ira extinguenda eſt, vt extinguatur ira, philargyria conculcanda, vt euellatur philargyria, fornicatio compeſcenda eſt, vt fornicatio ſubruatur, gaſtrimargiæ vitium eſt caſtigandum. Reſiduæ verò duæ, id eſt, cenodoxia & ſuperbia, ſiquidem ſimiliter illa, qua de ſuperioribus diximus ratione iunguntur, ita vt incrementum prioris ortus efficiatur alterius. Cenodoxiæ exuperantia ſuperbiæ fomitem parit. Nam illis ſex euulſis, hæc duo vehementiùs fructificant, & illis mortuis, viuaciùs iſtæ pullulant & ſuccreſcunt. Vnde & diuerſo modo ab his duobus impugnamur. In vnumquodque illorum ſex vitiorum tunc incidimus, cùm à præcedentibus illorum fuerimus eliſi. In his verò duobus etiam victores poſt triumphos periclitamur. Nam & iſta octo vitia, quæ commemorauimus, in quatuor coniugationes, & copulas diuiduntur. Gaſtrimargia namque & fornicatio peculiari conſortio fœderantur; ſimili modo philargyria cum ira. Triſtitia quoque, & acedia eadem copulatione iunguntur: cenodoxia quoque atque ſuperbia familiariter, & ipſa ſibi coniunguntur. Audiſti copulationes, audi nunc genera vitiorum. Gaſtrimargiæ genera ſunt tria. Primum, quod ante horam canonicam peturget Chriſtianum comedere. In hac peccauit Ionatham filius, Saul irrumpens iuramentum patris. Vnde nec victoriam meruit populus de inimicis habere. Secundum, ex quarumlibet eſcarum, vel potus ſuperfluitate. In qua peccauit populus Iſraëliticus, cùm fabricauit, ſicut ſcriptum eſt, *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*. *Exod. 32.* Tertium, quòd accuratiores, ac delicatiſſimos cibos deſideret. In hoc peccauerunt filij Heli, qui nòluerunt carnem coctam *1. Reg. 2.* accipere à populo, ſed crudam, vt diligentiùs ſibi præpararent. Ex his tribus generibus diuerſæ, & peſſimæ valetudines animæ procreantur. Nam de primo, ira illi, qui parare cibum debuit; de ſecunda, luxuriæ, ac libidinis aculei ſuſcitantur: tertia autem, inextricabiles philargyriæ laqueos nectit ceruicibus captiuorum. Fornicationis genera tria ſunt. Primum, cogitatio eſt, de quo Dominus ita in Euangelio dicit. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*, &c. *Matth. 5.* Secundum, quod per commixtionem ſexus vtriuſque perficitur. Tertium, abſque fœminæ tactu, quod Apoſtolus immunditiam nuncupat. Quæ tria ſic ſunt *Galat. 4.* à nobis pari obſeruatione cauenda, ne à Regno Chriſti vnum quodlibet horum nos deterreat, & excludat. Philargyriæ genera ſunt tria. Primum, quod expoliari non ſinit hominem facultatibus ſuperfluis. In hoc peccauerunt Ananias & Sapphira. *Act. 5.* Secundum, quòd ea, quæ à nobis diſperſa ſunt indigentibus, cum maiori cupiditate perſuadet reſumere. In hanc culpam incidit Iudas, qui Dominum vendidit. Tertium, quòd ea, quæ antè non poſſedimus, infrunitè deſiderari, vel adquiri compellimur; in hac peccauit Giezi. Iræ genera ſunt tria. Vnum, quod exardeſcit intrinſecus, & præ indignatione non valet loqui. Aliud, quod in verbum, & opus, effectumque prorumpit. Tertium, quod per dies, & tempora reſeruatur. Triſtitiæ genera ſunt duo, vnum, quod ira deſinente de illato damno, vel deſiderio præpedito generatur. Aliud, quod de rationabili mentis anxietate, ſeu deſperatione deſcendit. Acediæ genera ſunt duo. Vnum quod ad ſomnum præcipitat æſtuantes. Aliud, quod nec bonum facere, nec audire, delectat. Iſta eiicit Monachum de cella ſua. Cenodoxia, licèt multiplex, ac multiformis eſt, & in diuerſas ſpecies diuiditur; genera tamen eius ſunt duo. Primum, quòd pro carnalibus, ac manifeſtis extollimur rebus. Secundum, quòd pro ſpiritualibus, & occultis deſideriis vanæ laudis inflãmamur. Superbiæ genera ſunt duo. Primum, carnale. Secundum, ſpirituale, quod etiam pernicioſius eſt. Illos namque ſpecialiùs impugnat, quos in quibuſdam virtutibus profeciſſe reperit. Audiſti genera, & coniunctionem atque concatenationem. Audi nunc, quales habeant filias, quæ de eis naſcuntur. De gaſtrimargia namque naſcũtur, comeſſationes, ebrietates. De fornicatione, turpiloquia, ſcurrilitates, ludicra, ac ſtultiloquia. De philargyria mẽdaciũ, fraudatio, periuria, turpis lucri appetitus, falſa teſtimonia, violẽtia, inhumanitas, ac rapacitas. De ira, homicidia,

clamor, & indignatio. De triſtitia, rancor, puſillanimitas, amaritudo, deſperatio. De acedia, otioſitas, ſomnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, inſtabilitas mentis, & corporis, verboſitas, & curioſitas. De cenodoxia, contentiones, hæreſes, iactantia, ac præſumptio nouitatum. De ſuperbia contemptus, inuidia, inobedientia, blaſphemia, murmuratio, atque detractio. Hæc igitur octo vitia, cùm hominum genus impulſent, non tamen vno modo impetunt cunctos. In alio namque ſpiritus fornicationum locum obtinet principalem; in alio ſuperequitat furor. In alio cenodoxia vindicat tyrannidem, in alio arcem ſuperbia tenet. Et cùm conſtet omnes ab omnibus impugnari, diuerſo tamen modo, & ordine ſinguli laboramus. Quamobrem ita nobis aduersùs hæc arripienda ſunt prælia, vt vnuſquiſque vitium, quo maximè infeſtatur, exploret, & aduersùs illud arripiat principale certamen. Vnum namque nos ordinem præliorum exercere debere, nec de noſtra virtute confidere, etiam

Deut 7. legiſlator docet his verbis. *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis. Ipſe conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, donec penitus deleantur.* Sed neque debere nos in eorum extolli vi-

Deut. 8. ctoria, ſimiliter in Deuteronomio monet. *Ne poſtquam comederis*, inquit, *& ſatiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta, & ouium greges, argenti, & auri, cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, & ductor tuus fuit in ſolitudine magna, atque terri-*

Prou. 24. *bili.* Salomon quoque in Prouerbiis ait: *Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari. In ſupplantatione autem eius noli extolli. Ne videat Dominus eius, & auertat iram ſuam ab eo.* Id eſt, ne diſpertias elationem cordis tui, ab eius impugnatione diſcedet, & incipies, derelictus ab eo, ruſus ab illo, quam per Dei gratiam ſuperaueras, paſſione vexari. Quamobrem certos nos eſſe conuenit, & tam ipſis rerum, quàm innumeris Scripturarum teſtimoniis, eruditos, noſtris nos viribus, niſi ſolius Dei auxilio fulciamur, tantos hoſtes ſuperare non poſſe. Et ad ipſum quotidie ſummam victoriæ noſtræ referre debere. Ita ſuper hoc quoque per Moyſem dicitur Domino

Deut 9. commonente. *Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eas Dominus Deus tuus in conſpectu tuo: Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc poſſiderem, cùm propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſunt nationes. Nec enim propter iuſtitias tuas, & æquitates cordis tui ingredieris, vt poſſideas terram eorum: ſed quia illi egerunt impiè, te introeunte deletæ ſunt.* Rogo quid apertius potuit dici, vel cautius, cum quanta cautela oportet nos eſſe? Hæ ſeptem gentes, quarum terras egreſſis ex Ægypto filiis Iſraël, daturum ſe Dominus repromittit. Quæ omnia ſecundùm Apoſtolum, cùm in figura contigerint illis, ad noſtram commonitionem ſcripta debemus acci-

Deut 7. pere. Ita enim dicitur. *Cùm introduxerit te Dominus Deus in terram quam poſſeſſurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, & Chananæum, & Phereſæum, & Iebuſæum, & Heuæum, ſeptem gentes multo maioris numeri, quàm tu es, & robuſtiores te, tradideritque Dominus tibi eas, percuties que eas, vſque ad internecionem.* Quod verò multo maioris numeri eſſe dicuntur, hæc ratio eſt, quia plura ſunt vitia, quàm virtutes. Et ideo in catalogo quidem dinumerantur ſeptem gentes; in expugnatione verò earum ſine numeri adſcriptione ponuntur. Ita enim dicitur. *Et deleuerit gentes multas coram te.* Numeroſior eſt enim, quàm Iſraël, carnalium paſſionum populus, qui de hoc ſeptenario fomite vitiorum, ac radice procedit. Atque de octauo, qui notior eſt omnibus, regina, vt ita dicam, atque mater omnium vitiorum: ex his enim octo pullulant, atque naſcuntur hæ filiæ, id eſt, comeſſationes, ebrietates, turpiloquia, &c. ſuperiùs deſcripta, quæ commemorare perlongum eſt. Quæ cùm nobis leuia iudicentur, quid Apoſtolus de illis ſenſerit, vel quam ſuper his ſententiam tulerit,

audiamus. *Neque murmurauerit is*, inquit, *ſicut quidā illorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Et de tentatione. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt.* De detractione. *Noli diligere detrahere, ne eradiceris*, aliaque complura his ſimilia. Quæ cùm ſint multo maioris numeri, quàm virtutes, deuictis tamen illis octo principalibus viis, ex quorum natura eas certum eſt emanare, omnes protinus conquieſcunt, ac perpetua pariter cum eis internecione delentur. Etenim quantum docet vetus traditio, has eaſdem terras Chananæorum in quas introducuntur filij Iſraël, Sem filij Noë fuerant quondam in orbis diuiſione ſortiti, quam deinceps per vim, atque potentiam poſteritas Cham perſuaſionis iniquitate poſſedit, in quo & Dei iudicium rectiſſimum comprobatur. Qui & illos de locis alienis, quæ malè occupauerant, expulit, & iſtis antiquam Patrum poſſeſſionem, quæ proſapiæ eorum in diuiſione orbis fuerat deputata, reſtituit. Quæ figura in nobis quoque ſtare, certiſſima ratione cognoſcitur. Nam voluntas Domini, poſſeſſionem cordis noſtri, non vitiis, ſed virtutibus naturaliter deputauit, quæ poſt præuaricationem Adæ, inſoleſcentibus vitiis, id eſt, populis Chananæis à propria regione depulſæ, cùm ei rurſum per Dei gratiam, diligentia noſtra, ac labore fuerint reſtitutæ, non tam alienas occupaſſe terras, quàm proprias credendæ ſunt recepiſſe. De hoc ſeptenario fomite vitiorum, Salomon quoque in Prouerbiis ita deſcribit: *Si te rogauerit inimicus voce magna, non conſenſeris ei; ſeptem enim nequitiæ ſunt in anima eius.* Id eſt, ſi gaſtrimargia te perſuadet, vt relaxes corpori, quod continentiæ decreueras modo, ne reſoluas eius ſubiectionem, quia confeſtim ſeptem ſpiritus vitiorum aderunt tibi acriores, quàm illa paſſio, quæ primordiis fuerat ſuperata, qui te mox ad deteriora pertrahant genera vitiorum. Quapropter Dominus per omnia eſt deprecandus, vt quod noſtræ vires non habent, ipſius miſericordiæ ſuccurrat. Huc vſque Eutropius.

Nunc audiamus ſanctum Bernardum, qui nos admonet interdum redire oportere ad vitiorum aliquando extinctorum curam, & certamen peculiare; quoniam ſæpe mortificata reuiuiſcant. Credite mihi, inquit, & putata repullulant, & *Serm. 54. in*
effugata redeunt, & redaccenduntur extincta, *Cant.*

&

& ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt, imò (ſi fieri poſſit) ſemper, quia ſemper, quod putari oporteat (ſi non diſſimulas) inuenies. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & magis ſuppreſſa. Velis nolis intra fines tuos habitat Iebuſæus; ſubiugari poteſt, ſed non exterminari. *Scio*, inquit, *quia non habitat in me bonum*. Parum eſt mihi, niſi & malum ineſſe fateatur, ait, *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio. Si autem quod odi, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Aut te ergo, ſi audes, præfer Apoſtolo (nempe ipſius iſta vox eſt) aut fatere cum illo te quoque vitiis non carere. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde ſedula eget non ſolùm putatione, ſed & circumciſione. Alioquin verendum ne circumquaque à lambentibus, vel potiùs arrodentibus vitiis, illa dum neſcis, paulatim elangueat, aut ſi ſupercreuerint, ſuffocetur. Vnum in tanto diſcrimine conſilium eſt, obſeruare diligenter, & mox vt renaſcentium capita apparebunt, prompta ſeueritate ſuccidere. Hinc autem elucet, examen hoc vſque ad vltimum ſpiritum eſſe penitus retinendum, tum vt ex renaſcentia iterum reſecentur, tum vt minimæ imperfectiones à perfectorum cordibus amoueantur.

Praxis ſancti Ignatij pro peculiari vitiorum virtutumque examine.

Capvt XIX.

Æterum licèt antiquorum aliquot peculiarem circa vitium principale curam habuerint; Noſter Parens S. Ignatius circa virtutes inſerendas hoc ſpecialem curam excogitauit, atque introduxit denuo, optimamque huius examinis normam, praximque inuenit, tum quoad vitia, tum quoad virtutes, quam in aureo exercitiorum libro exhibet, vbi tria in particulari hoc examine aſſignat tempora ad diſpoſitionem ſui, ac duplicem diſcuſſionem accommoda. *Primum* tempus eſt matutinum, quo debet homo, ſtatim dum à ſomno ſurgit, proponere diligentem ſui cuſtodiam circa peccatum, aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit. *Secundum* eſt, pomeridianum, in quo petenda eſt à Deo gratia, vt reminiſci poſſit ille, quoties in peccatum, ſeu delictum iſtud particulare inciderit, & in poſterum cauere. Deinde priorem faciat diſcuſſionem, exigens ab anima ſua rationem de peccato, ſeu vitio iam dicto, & ſingulas diei partes præteritas percurrens ab ea hora, qua ſurrexit, vſque ad præſentem, quoties illud commiſerit, & puncta totidem ſignet, quibus peractis denuo proponat per ſpatium diei reliquum, diligentiùs ſeſe cohibere. *Tertium* erit veſpertinum tempus, in quo poſt cœnæ horam, facienda eſt diſcuſſio ſecunda, percurſis itidem horis ſingulis, ab examine priore vſque ad præſens lapſis, & eodem modo rememoratis, enumeratiſque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum ſignabit. Poſtea ſubiicit additiones quatuor vtiles ad faciliorem, & celeriorem peccati, ſeu vitij cuiuſuis extirpationem, ſiue virtutis acquiſitionem. *Prima* eſt, vt quoties id peccati, ſeu delicti genus homo commiſerit, manu pectori admota, doleat de lapſu: quod fieri poteſt etiam aſſiſtentibus aliis, nec aduertentibus. *Secunda* eſt, vt ſub noctem numeratis, cōparatiſque inuicem punctis attendat, an à priore examine vſque ad ſecundum aliqua ſucceſſerit emendatio. *Tertia* eſt, vt conferat diei ſecundæ, atque præcedentis examina inuicem, conſiderans ecquid ſibi emendationis interuenerit. *Quarta*, vt collatis hebdomadarum duarum inter ſe examinibus, pari modo, factæ, vel omiſſæ emendationis rationem habeat.

Hoc examinis genere, & conſcientiæ ſuæ ratiocinio feruentiſſimus P. Didacus Martinus mirum in modum profecit, & heroicas ſibi comparauit virtutes, præſertim aſſiduam Dei præſentiam, & facilitatem Dei crebriſſimis charitatis actibus amandi, tria milla ſingulis diebus ſtata & decreta habebat, in animo ſuo efficere, & exactiſſimè tantum numerum explebat; imò vltimo ætatis anno ad quatuor millia quotidie facienda profecit, quotquot manè, quotquot veſpere faciebat, bis in die notabat in ſcriptis. Ex quibus inuenta ſunt nouem annis circiter centies cētum milla actuum diuini amoris feciſſe. Quin ſeorſim rationes habebat pro extremo morbo, cùm fortaſſe non ita iterare feruentes illos actus poſſet; anticipatè tamen ſuper numerarios aliquos præmittebat, vt penſum annuum integrum abſolueret. Poſt quotidianam & hebdomadariam computationem, & ratiocinium, annuam efficiebat, & ſummam ſubſcribebat in fine anni, dicens. Hoc anno placuit Deo per infinitam ſuam bonitatem, & miſericordiam, valetudinem integram conſeruaſſe, & integrè expleſſe, quod cum gratia diuina propoſui initio anni; ideirco nullo modo defuit orationi meæ actus amoris diuini, laudes quibus Deum curo glorificari, tributum, quod B. Virgini Mariæ pendo, non tam ego, quàm Deus totum in me egit propter merita Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nec ſolùm ſingulis annis cum Deo rationes ſuas ponebat, ſed eas Confeſſario, & Patri ſpirituali videndas tradebat, cui ſingulis hebdomadis, ac ſi nouitius eſſet, conſcientiæ ſuæ rationem reddebat, rogans inſuper illum, an bene procederet, an in via Dei ambularet; hæc enim præcipua cura Sanctorum. Scribit ſanctus Antoninus, cùm B. F. Romanus apparuiſſet ſancto Thomæ Aquinati, non illum interrogaſſe, quid in cœlo ageretur, non aliquarum theologicarum difficultatum explicationem, ſed tantùm an rectè ambularet coram Deo. Simili cura tenebatur ſolicitus ſeruus Dei, & eximius Doctor P. Iacobus Granadus, qui tam conſtans fuit in ratione ſuæ conſcientiæ habenda, vt in extremo morbo ad diem vſque ſui obitus examen particulare appingeret; & cùm brachia præ imbecillitate mouere non poſſet, ab alio ſibi appingi iuſſit. Hac ſolicitudine & ſui profectus ratiocinio admirabilem ſanctimoniæ gradum attigit.

***

O 3 Quanta

Quanta puritas cordis religioſi procuranda eſt, ad exemplum habitantium in ciuitate Dauid.

Capvt XX.

CÆterum non nimia videatur hæc cura purificandi cordis religioſorum hominum habitantium in templo Dei, & vnà in domo cum Chriſto iuxta Sacramentum Dominici corporis. Nam Dauid homines ſæculares, qui in monte Sion, & ciuitate ſua circa domum ſuam habitabant propter tabernaculi reuerentiam, volebat immaculatos ſeruari, dicens: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut requieſcet in monte ſancto tuo. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* Adeò ſanctos ciues illius ciuitatis volebat Dauid. Tabernaculum enim nihil prohibet intelligi viſibile illud, quale à Moyſe conſtitutum, à Dauid in montem Sion illatum, aut denuo factum. Nam ſi Propheta non vno in loco meminit eius tabernaculi in Pſalmis, & inhabitare ibi in votis, & quidem maximis, ducit, vt cùm dixit: *Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius, quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum, protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.* Et alibi. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Et, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Si etiam iuxta litteram nemini abſurdum videtur hæc loca de ſpectabili tabernaculo, & monte Sion, in quo illud tabernaculum erat, accipere; nec in præſenti quidem Pſalmo ſic intelligere quidquam prohibet, dum illud tabernaculum, & præſentis Eccleſiæ figuram fuiſſe non negemus, & montem Sion, Apoſtolo docente, credamus cœleſtis illius ſublimiſque patriæ præfiguraſſe myſterium. Ergo quia in illo tabernaculo Deus, vt futuram Eccleſiam, veram illam Dei viuentis domum præfiguraret, oracula edebat: & vt illum populum in ſua religione contineret, ſe ibi præſentem adeſſe miris modis oſtendebat, tanquam Regem qui in arce, & edito loco montis, atque vrbis ſibi ſedem conſtituiſſet, vnde quaqua verſum habitatores illius vrbis ſanctæ quodammodo propiùs aſpectaret, ita vt quamuis ille non in manufactis templis habitaret, & omnia ſimul intueretur: ibi tamen ederet plura, atque maiora ſuæ præſentiæ, & prouidentiæ ſigna; meritò docet Dauid, quales eſſe oporteat eos, qui in diuina illa, & admirabili vrbe moraturi ſint, in qua Dei tabernaculum, ac Regia ſit. Et, vt Apoſtulus ait, quales eſſe Dei domeſticos, ciueſque Sanctorum deceat, qui in oculis, conſpectuque Dei verſentur. Quam ſententiam Pſalmi huius videtur Iſaias verbis non longè diſſimilibus exprimere, cùm inquit. *Quis poterit habitare de nobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex nobis cum ardoribus ſempiternis? Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem: qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere: qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum. Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aqua eius fidèles ſunt: Regem in decore ſuo videbunt oculi eius.* Videat igitur Religioſus quanta puritate in domo Dei, in vicinia Ieſu Chriſti, in veſtibulo cœli degere debeat. Quantum diſtat vmbra à Sole, ſimulachrum à viuo homine, mors à vita, tanto oportet excedat ſanctitudine & munditie animi. In priſco tabernaculo vmbra Chriſti fuit; in Euchariſtia eius veritas & ſubſtantia eſt.

Pſalm. 26. — *Pſalm 83.* — *Ibid.* — *Hebr. 12.* — *Ephes. 2.* — *Iſai 33.*

DOCTRINA IV.

DE SACRÆ COMMVNIONIS VSV.

Euchariſtiæ ſumptio frequentanda.

Capvt XXI.

TOta hæc purificatio animi, & probatio ſui, eſt optima diſpoſitio excellentiſſimi omnium Sacramenti Dominici corporis, per cuius puritatem ampliùs purificabimur. Ad quod myſterium referri poſſunt, quæ loco citato ſubdit Hieremias: *Quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Anima enim ſancta, & ſponſa Ieſu, per hoc Sacramentum circumdat Chriſtum. In hoc quippe ſimiles ſunt ij, qui corpus Domini ſuſcipiunt, Beatiſſimæ Virgini Mariæ Matri Dei, de qua hic locus potiſſimùm exponitur, quia quem cœli capere non poſſunt, ſuo pectore, & gremio conſeruot, & circumdant; & ad hoc Sacramentum, quod prorſus nouum eſt, quod creauit Dominus, extendi iure poteſt huius loci intellectus; nam & ipſum Sacramentum dicitur incarnationis extenſio. Mirè etenim ſancti Patres Euchariſtiam cum conceptione Verbi Dei, conferunt, & Sacerdotes cum ſanctiſſima Dei genitrice Maria: ideo Remundus Heremita ait. *Benedicta ſit deuotiſſima fides huius Beatiſſimæ Genitricis, quæ in altaris ſacrificium dimiſit tam pulchram ſimilitudinem de ſeipſa.* Producam etiam vt maior reuerentia ſacerdotalis dignitatis, & huius ſacroſancti myſterij nobis ingenerentur verba Chriſti, quæ per reuelationem B. Alanus exſcripſit, & ſunt huiuſmodi. *Sicut tali in Epithalamio ſum incarnatus ſemel de Virgine Matre: ita quodammodo rurſus in quolibet Miſſæ ſacro, eſſe Deus homo, in arca ſancta exiſtens, ſacramentaliter incipio. Quòd enim verbum in verbo ſalutationis, caro factum eſt; qui Deus homo factus eſt in vtero virginis; idem verbum in verbo conſecrationis idemque homo Deus fio in manibus Sacerdotis: modoque licèt diuerſo; eodem tamen obumbrante Spiritu ſancto. Forma iſtud potuit verborum vita per os ſalutantis; perque Mariæ vocem conſentientis:*

Lib. de laudib. Virg. — *Cap. 26. ſerm. 3. P. 4.*

ſtentis: hoc forma valet verborum vita conſecrantis, per miniſterium Miſſam celebraatis, Dei ſpiritu vtrinque mediante. Cùm itaque tali ratione ſacerdotes fiant mihi quodammodo Patres; par eſt, vt eamdem mecum ſortiantur Matrem Mariam, & in ſponſam accepient. Hæc ibi. Oportet igitur imitari puritatem Dei Matris, qui tantæ maternitatis dignitati comparantur.

Sacra igitur Euchariſtia & purè accipienda eſt, & vt puri fiamus, frequentanda. Etenim laici Religioſi non vltra ſeptimanam differre ſacram Synaxim debent; & quidem ritus communicandi octauo quoque die, provt in noſtris legibus præſcribitur, in vſu fuit ſanctiſſimorum hominum; licèt enim Monachi antiqui ſeparatis in cellulis habitarent, ſaltem Dominicis diebus ad Eccleſiam conueniebant, vbi de manu præſidentis Euchariſtiam accipiebant, vt ex hiſtoria Palladij colligitur, de Pachomio, & ſociis, & ex Soxomeno. Hinc Caſſianus reprehendit Monachos, qui ſpecie timoris, & reuerentiæ multum differunt communionem. *Æſtimantes* (inquit) *non niſi iuſtos, & immaculatos debere præſumere, & non potiùs vt ſanctos, mundoſque nos ſua participatione perficiant; qui profectò* (ait) *maiorem arrogantiæ præſumptionem, quàm declinare ſibi videntur, incurrant, quia tunc cùm ea percipiunt, dignos ſe eius perceptione diiudicant; multo enim iuſtius eſt, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus, & fatemur illa ſacroſancta myſteria, nunquam pro merito nos poſſe contingere, ſingulis ea Dominicis ob remediū noſtrarum ægritudinem præſumamus*, &c. Ita etiam receptum eſt in Ordine Ciſtercienſi [a]. Ac denique de ſancto Onuphrio refertur ſingulis Dominicis diebus de manu Angeli communicaſſe [b]. Idem conſilium communicandi ſingulis hebdomadibus fuit ab Auguſtino traditum, & nomine eius habetur in libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus [c]. Et licèt olim maior frequentia fuerit in vſu fidelium, non ſolùm Apoſtolorum temporibus, vt ex Actibus conſtat, videríque poteſt de hoc Lorinus [d], vbi multos adducit, ſed etiam poſtea per plures annos, vt ex Anacleto [e], Hieronymo [f], Chryſoſtomo [g], Cypriano [h], Ambroſio [i], & aliis antiquis Patribus intelligimus: nihilominus his frigidis temporibus hæc frequentia ſatis magna iudicatur, præſertim pro tota aliqua communitate. Nam Diuus Bonauentura [k], vix dicit inueniri aliquem Religioſum, non Sacerdotem, adeò ſanctum, cui non ſufficiat ſemel in hebdomada communicare, niſi ex ſpeciali cauſa, vel in aliqua ſolemnitate, vel extraordinaria deuotione. Ergo toti communitati religioſæ hanc frequentiam non ſolùm permittere, ſed etiam ex regula præcipere ſatis magna conceſſio eſt: fuit autem huic noſtræ Religioni valde conueniens, tum propter generalem rationem, quia hoc Sacramentum eſt fons totius ſanctitatis, & perfectionis, tum ob ſpecialem neceſſitatem huius ſtatus; nam ad ſecuriùs tractandum eum proximis, indiget maiori frequentia, maiorique vnione cum Chriſto; tum præterea, quia cùm Societatis inſtitutum ſit proximos ad frequentiam Sacramentorum mouere, expedit maximè, vt ipſa exempla præeat: tum denique in odium hæreticorum huius temporis, qui de hoc ſacramento, eiuſque frequentia malè ſentiunt. Hæc notauit Pater Suarez. Quæ tamen non obſtant quo minus priuata deuotione frequentiùs aliqui ad ſacram menſam accedant cum ſuperiorum beneplacito. Conſtat enim ſanctum Apollonium monuiſſe Monachos quotidie cōmunicare Chriſti myſteria, quinque potiſſimè ex cauſis. *Prima*, ne fortè, qui ſe à longè facit ab his, longè fiat à Deo. *Secunda*, quia qui hoc crebriùs ſuſcipit, frequentiùs recipit Saluatorem, & ad omne bonum fit paratus, & promptus. *Tertia*, quia ipſa commemoratio Dominicæ Paſſionis, dum quotidie à Monachis fiat, plurimum confert ad patientiæ exemplum, quæ eſt neceſſaria eis. *Quarta*, quia per hoc datur cōmonitio, vt quiſque cautiùs viuat, vt ſemper paratus ſit & dignus; quia per hoc remiſſio peccatorum credentibus datur. *Quinta*, quia communio inſeparabiliter Chriſto adunit, & coniungit. Sed & frequentans & accendens pleniorem conſequitur ſacramenti effectum; hæc ad ſacerdotes potiſſimè referenda ſunt, de quibus iam agemus.

Pallad. hiſt. cap. 38. 19. & 61. Sozom. lib. 3. c. 14. Caſſian. collat. 23. cap. vlt.

[a] Cap. 15. ſuæ diffinit.

[b] In Lateran. lib. 17. Sabellic. lib. 2. c. 2.

[c] Epiſt. 118. ad Ianuar. de Eccl. dog. cap. 35.

[d] Cap. 2. verſ. 41. §. Deinde ſequitur.

[e] c. peracta. de conſecr. diſt. 2.

[f] Hieronym. Apolog. contr. Iouinian. & epiſt. ad Lucinium.

[g] Chryſoſt. hom. 5. in ep. ad Timoth. & hom. 28. in ep. ad Corinth.

[h] Cyprian. in expoſit. orat. Dom.

[i] Ambr. lib. 5. de ſacr. c. 4.

[k] Bonauent. tom. 2. de proceſſu Relig. cap. 21. col. 4.

Quotidie celebrare debent Sacerdotes.

CAPVT XXII.

Etenim ſacerdotes ſingulis diebus celebrare debent. Rectè ſanctus Laurentius Iuſtinianus ſolitus dicere, qui cùm poſſet Domino ſuo frui, non frueretur, facilè ſe declararet Domini ſui curam non habere. Neque tantæ exercitio dignitatis ceſſare debuit, ne fructu, & gaudio maximi ſacrificij Eccleſiam militantem, & triumphantem ſacerdotes priuent. Audiant ſanctum Bonauenturam, qui ſic ait: *O quanta anguſtia! Horrendum accedere; non accedere ex notabili negligentia damnabilis culpa. Quia qui ſine cauſa accedere dimittit quantum in ipſo eſt, priuat ſanctam Trinitatem gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, ſeipſum medicina, & remedio contra quotidiana peccata. Quoties effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem effunditur peccatorum. Qui igitur quotidie peccat, ſemper medicinam ſumat. Item priuat ſe quodammodo omnibus bonis venientibus ex communione ſacramentali, vt ſunt peccatorum remiſſio, ſomitis mitigatio, mentis illuminatio, virtutum infuſio, Angelorum conuiuatio*, &c. Non ſumit viaticum, vnde extimeſcere habet in via defectum. Euacuat diuinum cultum, contemnit, aut paruipendit Chriſti dictum: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. Quòd ſi generaliter omnibus tanta neceſſitas indicitur, quanta putas ſacerdotibus Dei eius cultui conſecratis impoſitum iri? *Certè magna eſt* (ait Vmbertinus) *ſacerdotum abuſio à celebratione ceſſantium, quia faciunt contra Domini intentionem, & præceptum.* Quapropter ſibi dictum putet ſacerdos, quod capite nono Numerorum, Dominus ait, *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuerit, & tamen non fecerit Phaſe, exterminabitur anima illa de populo; quia ſacrificium non obtulit Domino in tempore ſuo.* Magna itaque multorum ſacerdotum eſt abuſio, ex leuiſſima cauſa à ſacra celebratione ceſſantium, contra Domini Dei intentionem,

tionem; cùm multa habeant, quæ ad quotidianam celebrationem illos inuitant. *Primum* quidem, quod ad hoc inducere debet, eſt ipſum Sacerdotum officium, in quo ſunt conſtituti, quia iam facti ſunt os Eccleſiæ. Vnde obligantur viuificum accipere cibum, vt per os ad cætera membra deriuetur nutrimentum. *Alterum* eſt, ſuſcepti Ordinis, & collatæ gratiæ debitum, ne gratiam ſuſcipiant in vanum. *Tertium* eſt, Chriſti voluntas, qui hoc iuſſit fieri in ſui commemorationem: & ſub tanta extermioatione voluit Paſcha celebrari myſticum. *Quartò*, quia conſtituti ſunt quidam ſponſi, & paranymphi Eccleſiæ, & Mediatores inter Deum, & populum: quare Deo ſacrificium debent, vt populo impetrent beneficium. *Quinta* ratio eſt, vtilitas maxima quæ prouenit ex celebratione digna, quæ nequit lingua humana explicari. Deinde, quia rationabiles ſunt cauſæ, quare quotidie fieri debent Miſſæ, vt ſcilicet ſit verum lignum vitæ in medio paradiſi, vt ſit Eccleſiæ præſtò ſemper ſpirituale nutrimentum, vt in promptu adſit medicina infirmorum, vt habeamus panem quotidianum, & vt myſticè quotidie offeramus agnum; & quia quotidie committitur peccatum, quotidianum offeratur placationis ſacrificium, vt tametſi ipſi deuotione careant, ſaltem communi populo (quorum miniſtri ſunt) cauſæ ſint deuotionis; tum quia ſunt incerti rerum euentus. Vnde quotidie timendum, ne forſan ſit vltimus celebrationis dies, quoniam propter impedimentum accidens, forſan craſtino celebrari non poterit; non enim inueniebatur, niſi ſex diebus manna. Debet quoque dulcedo, & ſuauitas tam digni operis allicere, ſicut & cogere indicta neceſſitas, & horror omiſſionis. Nam non accedere ex notabili negligentia, timenda eſt culpa. Quia qui celebrationem ſine cauſa omittit, quantum in ipſo eſt (vt ex Bonauentura diximus) priuat Trinitatem gloria, Angelos lætitia, peccatores venia. Priuat item ſe omnibus fructibus ſacramenti; non complet dignitatis officium, nec extimeſcit tonitrua grauium comminationum, quibus intonuit terribilis ille in conſiliis ſuper filios hominum. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Nec allegauerit quis pro tempore velamentum propriæ infirmitatis & indeuotionis. Nam & ob id ipſum magis accedere debet, dum non ſit in grauioribus criminibus, ſed in propoſito bonæ voluntatis: infirmus enim Medicum debet requirere, & algidus accedere ad ignem. Et licèt graue ſit, ad digniſſimam illam menſam mundo corde, & innocentibus manibus non accedere; graue etiam eſt cùm de peccato timetur, propitiatorium ſacrificium non offerre, & vbi quotidiana infirmitas vrget, non apponere medicinam. Quotidie igitur iuxta Magni Auguſtini ſententiam ſumendum, quod quotidie prodeſt.

Et iuxta Ambroſium, qui ſemper peccat, medicinam ſemper adhibere debet. Ad hoc S. Apollonius ſuos inducebat, ſi fieri poſſet, ne fortè, qui ſe longè faceret à ſacramento, elongetur & à gratia.

***

Confirmatur ex reuelatione facta Beato Alano quotidianæ celebrationis vſus.

Capvt XXIII.

Hoc maximè ſuadebit, ſi ſtupendam ſacerdotij dignitatem, & infinitam ſacrificij ſui hoſtiam ſacerdotes cognoſcant. Beatum Alanum de Rupe, cùm aliquando celebratione Miſſæ abſtineret, ſuauiter reprehendit Dominus, & multis exhortatus eſt ad quotidianum ſacrificium. Rem ipſius (in tertia perſona) verbis narrabo. Cùm ſemel, inquit, neſcio quo pectus eius inceſſente ſpiritu acediæ, per interualla dierum operari ſacris ipſis allubeſceret: & quidem ſubinde haud rarò diuinam facere hoſtiam omittens, ob volatiles phantaſias animum fortè ſuggreſſas, tanto inſiſtere myſterio ſibi duceret religioni. Itaque timida mentis anxiæ ad nugas inanes conceſſio, fit moroſa ceſſatio: quæ reditum eo difficiliorem parabat ſenſim ad tam maximum opus. Dum vrentiores meticuloſum terunt animum ſcrupuli, ſpiritum atterunt, illuſumque facinor tepeſcere, atque adeò demum ægreſcere virum bonum, & rareſcere amplius ad Auguſtiſſimum ſacrificium Deo litandum. Correptum denique corpuſculum morbus affligit grauior, lectuloque affigit, vt, quæ ante diuina timebat attingere, iam ad ea nec valeret aſſurgere, vt vellet. Feſtiuam S. Ioannis Baptiſtæ ſacram Sol ordinis Eccleſiaſtici adduxerat ſolemnitatem, cùm ecce Deus, immiſſa viro ecſtaſi, totam ad ſuperna raptam euehit mentem, vt omnino ſimile mortuo iaceret, ceu videbatur, exanime corpus. Interea ſpiritus relictæ tenui ereptus animæ diuinorum arcana myſteriorum luculentior aſpectabat in cœlis miniſtrari. Dominus Ieſus Chriſtus Pontifex ter Optimus Maximus illi ſurgere videbatur, inque medium Pontificalibus amictus procedere cum cæteris Aræ miniſtris iuxta ritum Eccleſiaſticum, innumera cœlitum comitante corona, & conſiſtente circum. Orditur diuina orbis vtriuſque Pontifex, & aduſque Synaxes faciendas proſequitur. Cùm ſubitò fit vox præconis: Sancta ſanctis: præparate viam Domino. Nominatim peregrino per raptum iſthuc introducto, dicitur, ad communionem ſe comparet. Monito conterritus, heu me, exclama, necdum ex homologeſi facta ſum mentem expiatus. Alter adeſt illi, S. Præcurſor is erat Domini, & Baptiſta: iubetque, Para viam Domino. Cui iſte: Heu mihi confeſſione opus eſt. Sequere, ait, ocyùs confeſſarium, ecce, beatiſſimum Principem Apoſtolorum Petrum, aurem danti pœnitens adgeniculatus, ſe ſcrupulus exuit, tanta cùm expiationis conſolatione ac luce, quanta aliàs in vita nunquam. Simul ab eo ad myſteria libanda miſſus, cùm accedit aræ ſupplex adorans, & Sacramentum, & Redemptorem Iesvm, hic iſtis eum increpabat. O ſerue tarde, ſerus ades. Piger, & remiſſe: quo tanta tibi à me poteſtas ſacra patrandi facta eſt, per electam Matrem me pro te interuenientem? Et illam tu in ſudario religatam abſcondere? Cùm dicto hoc trementi, gaudentique mirificè, vtroque ſenſu contemperato, Iesvs ei ſacram porrigebat

In Pſalterio Chriſti & Mariæ c. 16. ſerm. 3. § 4.

gebat Synaxim. Continuò cernebat Dominum Ieſum intra ſeſe veriſſimè ineſſe medium, & multa familiariſſimè, cùm ineffabili ſuauitate, monentem audiebat. In cæteris verò ſermone eum grauiſſimo corripiebat, de commiſſa nimium grandi negligentia Miſſas celebrandi. Talibus demum doctrinæ monitis formabat, & firmabat fluctuantem. Ita certum habeto. Nihil tibi vnquam tanti videatur, cuius vel amore, vel metu tremenda frequentare officia intermittas. Excipe ſolùm mortale crimen & inconfeſſum. Addebatque claté. Nec ab eis quempiam retardare ſacerdotem debet ariditas indeuota mentis, non occupatio vrgens, non vrens tentatio, non pollutio nocturna, quodque magis, nec diuroa, ſi inuoluntaria contingat, & inimica. Qualem aut confeſſiones lubricas excipientes, aut equitantes, aut anxiè ſolliciti, & properantes perpeti queunt. Iſtud namque haud pondero, moror minus, quod ita contingit humanitus, vt quàm talibus conſentire; prius vitam deſpondere quis mallet. Ecquid ita, quæris? Ratio prima eſt. Nam ſimiles caſus, vel quædam magis ſunt pœnæ, vel ex dæmonum vi, ac illuſione inſeruntur. Quo horrorem incutiant, ſub religioſæ mentis ſpecie de indignitate corporis paſti: pariterque vt hac fraude, animarum procurationem & ſalutem, laudemque meam imminuant, ac retardent. Ratio ſecunda. Sed nihil iſta metuenda; etſi cauenda ſunt. Si namque Diabolus conſpurcat inuitum: ego mundo latum, & gratum; quin & pro tali pollutione centuplã reddo munditiem. Tunc ille cœpit percunctari. Domine Iesv, animarũ Sponſe dulciſſime; cur Doctores, & iura talem arcent communione ſacra? Cui Dominus Iesvs paucis interiectis ita reſpondit. Diſparitas permagna eſt communicantes inter, & celebrantes. Illi ſolis ſibi proficiunt: hi bona optima, & infinita orbi toti diſtribuentes adminiſtrant. Qua cauſa laici ipſa ſibi abſtinentia meritum acquirunt. Clerici diſpendium toti faciunt Eccleſiæ, operatione diuinorum illi ſubtracta. Laici per ſe ex voluntate pia veſcuntur ab ara: ad aram per me ſacerdotes operantur, & ego ſum qui operor in ipſis. Vide quantis, quot, quantos priuent donis ſua deſides ceſſatione ſacerdotes. Priuant Deum gloria in tantum; Me potentia ac voto: Matrem meam materna dignitate: Angelos honore: Sanctos lætitia, auxilio militantes: defunctos redemptione. Priuant infirmos medicina, ignorantes ſcientia, alimonia eſurientes, pauperes diuitiis, ſuo mundum Rege, & vniuerſa ſuo priuant ſeruatore. Atque tametſi Presbyter ex ſuæ perſonæ conditione fuerit indignus: illa tamen integra ſemper illibataque perſeuerat in eo dignitas, quam ex mea gerit perſona, & nomine, vel ex officij munere, velut Eccleſiæ publicus Miniſter. Hanc omnis habet Sanctus, id eſt, ſacerdos: hęc in ipſo per me operator intaminabilis. Diuinale officium, non perſonale, nulla perſonæ cuiuſquam incommoda queunt impedire, quæ nolentibus poſſunt euenire. Igitur hac in te, & cauſa taminationis decreta Doctorum promanant ex deuotione, & reuerentia, non ab vlla neceſſitate, ſeu præcepti violandi, ſeu peccati exinde conſecuturi. Quare celebrate Fratres: quia non agitis hoc vt digni, mundi, iuſti: (nec enim vel Angeli pares muneri ſunt tanto) celebrate, quia id perpetratis, vt indigi, infirmi, & impotentes: quoad impleamini bonis, conſanemini à morbis, & corcoroboremini ab animis.

Aliquot excellentiæ dignitatis ſacerdotales, vt quotidie celebrare non negligant Sacerdotes, & B. Alano, & S. Hugo Carthuſienſi.

Capvt XXIV.

Svbiecit poſtea Dominus aliquas excellentias ſacerdotij, quas etiam ſanctus Hugo Epiſcopus Carthuſienſium Ordinis per reuelationem accepit, atque operæ pretium magnum exiſtimo, eaſdem hîc dare, quoniam noſtra Religio ſacerdotalis ſit, vt noſtrum ſubinde munus pluris faciamus, & diligentiùs exequamur. Hæc ſunt apud Beatum Alanum verba, quibus manifeſtatas è cœlo excellentias ſacerdoti proponit.

Prima excellentia eſt, potentia ſacerdotum. Dei Patris magna eſt potentia creationis: vnde Pater, & creator audit vniuerſorum: *Dixit, & facta ſunt.* Sex diebus operatus eſt: prima, lucem; altera, firmamentum; tertia, maria, terras, & plantas; quarta, luminaria cœli; quinta, piſces & aues; ſexta, hominem omnium dominum; ſeptima, quieuit. Hæc Patris in creando potentia, qua facit res creatas, terrenas, corporeas, corruptibiles. Sacerdos verò ſua officij ſacri potentia quid producit? Increatum, cauſam cauſatum: *IESVM CHRISTVM*, Deum, & hominem, qui non moritur, nec videbit corruptionem. Ad hunc vnum ſacerdotalis functionis effectũ ter maximũ age, confer millies millenas mundorum myriades, manifeſtè comperies, finitorum omnium ad vnum infinitum nullam eſſe comparationem poſſe. Atqui mundum, & ea quæ in eo ſunt produxit potentia Patris Dei; ſacerdotis verò potentia produxit filium Dei in ſacramentum, & ſacrificium. Quo admirabilior poteſtas eſt ſacerdotij tranſſubſtantiatione filium Dei, quàm creatione res perituras Dei Patris producentis?

Secunda excellentia eſt ſcientia ſacerdotalis. Dei filio eſt infinita ſapientia, qua mundum gubernat, eique intelligentiam communicat, & ſcientiam: quam quidem maximam produxit in Angelis, vt per eam mira, magna, multa queant operari. Sed quanta illacumque ſit, creata eſt, atque finita. Quo longiùs eam antecellit data ſacerdotibus gratia, qua nihil creatum finitumve producunt: ſed ipſum Dei filium, omnis ſcientiæ ac ſapientiæ Dominum & authorem. Quod quidem multo maius eſſe debet, quàm ſi data foret eis poteſtas omnem conferendi, vel è medio tollendi creatam illam ſcientiam. Confer, age ſanctiſſimæ Euchariſtiæ diuinam præcellentiam, cum quantacumque Angelica: neceſſe fateri eſt, hanc neque ſat dignam videri, quæ vel adoret illam. Atqui ſanctiſſimum ſacerdotium eſt dignum, quod etiam conficiat illam, manibuſque contrectet, & circumſiſtentibus cum tremore Angelis præbeat adorandam. Honoras virum amictum purpura aureo in annulo gemmam incomparabilis pretij gerentem: atqui eam

nec producere poſſit, ne dare velit alteri, nec acquirere plures. Quo venerabilior eſſe quiuis debet ſacerdos, qui gemmarum gemmam diuinam manu præfert: oris voce producit vna plurimam, diſtribuit in plurimos, nec deficit vnquam. Huic honori omnis cedit Angelorum honos, quin & ſupplex ei ſuccumbit, tremenſque ſeruire geſtit: & hoc denique ſummo ſibi ducit honori, atque fœlicitati. Quale foret quantumcumque gaudium illi, qui dare ſibi, aut alteri cuicumque ſummam quamque ſcientiam poſſet? Ad S. Euchariſtiæ tamen donum ea conferri nec poteſt, nec debet. Heu mihi! Quantum igitur bonum orbi adimit, qui perpetrare Miſſam omittit? Væ quàm difficile erit de omiſſione tanta reddere rationem? Quàm impoſſibile, tantum omiſſione ſubtractum bonum poſſet reſtituere? Factum infectum reddi nequit: vtque dies heſterna fugit, nulli reuocabilis vnquam; ſic & cùm die ipſa fugit heſterna omiſſio Miſſæ.

Tertia excellentia eſt ſpiritualium donorum elargitio ſacerdotalis, ſancto Spiritui attributa propriè functio creditur donatio chariſmatum, virturum infuſio, largitio fructuum ſpiritus, & octo Beatitudinum collatio. Eſt ea omnino maxima poteſtas, facultas vbertima, benigniſſima largitas, & in homines miſeros diuina pietas. Sunt illa multa & maxima; plurima dona Spiritus ſancti conſtant in mundum. Vnum tamen ſacerdotale donum iſta facilè vniuerſa ſuperat infinitum. Donum, inquam, Euchariſticum, hoc eſt, ipſe Dei filius homo Deus Ieſus Chriſtus benedictus in ſæcula. Poteſt illa S. Spiritus? Hoc poſſunt ſacerdotes. Dat ille fructum arboris vitæ? Hi cum fructibus arborem ipſam verbo plantant; officio ſacerdotij rigant, augmentant, ſuſtentant, atque in Eccleſia conſeruant; inter manus propagant; intra animarum ora, hortoſque poſitam conſerunt; ex ea, perque eam tot iam ſæculis omnium mentes fidelium paſcunt, & in montem vſque Horeb cœleſtis prouehunt quietis, ac beatitatis. Ex quo æſtimare cuique iactura eſt, qua ſacerdotum ad celebrandum tarditas (tam pia parom, vt penè impia ſit appellanda:) Matrem ſuam mulctat, mactatque Eccleſiam. O quantis olim pœnis exoluent tam pudendam, miniméque ferendam ſocordiam; ne damnabilem dicam acediam? Tantillam ſacrificandi opellam intermiſſam quantis olim redempturi forent, ſi per diuinam liceret iuſtitiam tunc explendam? Verùm nulla hominum, aut ſæculorum eſſe facultas tanta vſquam poteſt vnquam (extra ſacerdotalem) quæ omiſſi vel ſemel diuinorum myſteriorum ſacrificij reſarcire valeat detrimentum; vel ceſſatoris Presbyteri correcta negligentia: vel alterius ad aram operaturi ſaeris diligentia præteritæ ſola poſt Deum poteſt iacturæ præſtare ſupplementum. Vnam ſolam ſibi Mariam Virginem diuina delegit prouidentia, deſtinauitque ſolam ex qua Redemptor orbis naſcereretur: beneficio Dei in perditum mundum tanto, quantum effari vel Angelicis mentibus complecti non eſt. Redemptori verò ipſi ad vnum ſulùm placuit ſacerdotium; quod parauit ſibi ac deſtinauit, ad ſuos ſuæ redemptionis theſauros ac dona, per ſacrificium, & Sacramentum, orbi cunctis ſæculis diſpenſanda. Et ea maxima pars gloriæ eſt Dei; Deiparæ pars gaudij maxima Beati; Beatorum delitiæ; purgatoriorum ſumma ſolatij; viuentibus auxilij Beatis eſt ac firmamentum. O Dei gratiam ſuper omnem gratiam!

Quarta excellentia eſt actio ſacerdotalis circa humanitatem Chriſti. In humanitate ſua Iesvs, quidquid egit, eo commeruit ſibi, & nobis plurimum, vt oratiune, ieiuniu, peregrinatione, prædicatione, labore, vigilia, ſiti, fame, paſſione, morte, &c. Quæ tametſi iure meritiſſimè ſint maximi æſtimanda, vt pares illi pro iis nec haberi grates ac laudes, nedum referri nunquam valcant; eæ tamen actiones ipſi Deo, noſtra carne circumdato, quædam dumtaxat velut accidentia fuerunt, quæ Deus non ſunt: ſacerdotis autem actio opuſque, operum caput eſt vniuerſorum Dei, vt quæ circa non humanitatem ſolam, ſed vnitam cum diuinitate verſetur. Non tam vt mereatur nobis, quàm vt merita Seruatoris communicet nobis. Nec vt redimat nos; ſed vt redemptos ſeruet, ſoſpitet, ſaluoſque in beatitudinis poſſeſſionem introducat. Atque vt velut de plano cognoſcamus, quantum inter Chriſti (ſolùm vt hominis conſiderati) & ſacerdotis (qua talis diuinorum myſterinrum Dei miniſtri diſpenſatoris) interſit; neſcium eſſe neminem oportet, Iesvm qua hominem more humano conuerſatum, humana omnia, præter peccarum egiſſe, & perpeſſum ſubiiſſe. At verò in opere operato ſacerdotum, ſacrificio, inquam, & ſacramento, vbi humanitas cum diuinitate hypoſtaticè vnita agitur, non eſſe niſi diuina omnia poſſunt. In his ſacerdos occupatus verſatur, in his ab Angelis ſuſpicitur, colitur, & defenſatur. Tranſſubſtantiare, Deum mortalibus dare, Deum orbi per Deum reconciliare, regno cœlorum, Regique Diuorum ac Regum vim facere; iſta, inquam, operari ſacerdotum eſt, non Angelorum. Opera humanitatis Chriſti erant, vt accidentia Chriſti, ſine quibus eſſe ipſe pleriſque poterat, ſed ipſa abſque illo eſſe non poterant. Corpus Chriſti ſine loco, ſitu, quantitate certa, ſimilibuſqoe eſſe cathegoriis nequibat, iuxta naturæ modum, & conditionem. Sanctiſſima verò Euchariſtia, ſacerdotale opus diuinum, iſta ſupergreditur vniuerſa; ad accidentia nil indiget ſubiecto: eſt tanta ſine quantitatis mole, eſt talis abſqoe qualitatis aſpectu: eſt in loco citra circumſcriptionem; eſt in ſitu, quietem præter, & motum; eſt cum modo omnem ſupra modum; eſt in tempore abſque menſura; denique miraculom eſt miraculorum, idemque opus eſt ſacerdotum, ſi in contentionem duo quædam adduxeris; hinc Euchariſtica iſta admiranda pariter, & adoranda; inde hæc, Virginem concipere abſque viro; parere abſque perrupto clauſtro; matrem fieri, & virginem permanere; haud facilè ſtatueris, inquam, quid alteri anteponas. Naturam ſuperant vtraque; diuina omnipotentia operatur vtrimque: ſed hinc in virgine; vnica ſemel, ad breue tempus, vna in Palæſtina; inde verò operatur in homiue ſacerdote, Angelo corporeo, terreſtri Deo. Nec in vno, ſed plurimis: ſed multo ſæpiſſimè, ſed vſque ad conſummationem ſæculi; vbique locorum ab ortu Solis vſque ad Occidentem iuge ſacrificium operatur. Fuit in conceptione Maria Mater gratiæ, gratia plena, ſed nullo per hoc ſpeciali charactere inſignita; ex cuius vi & poteſtare plures tales productura foret, paritetque parituros. Quid verò in ſui augu-

ratione quicumque ſacerdos? Hîc diuino in anima interiore imprimitur charactere, quo & à cunctis Deo ſegregatur Chriſtianis, & præ cunctis Angelis deuouetur Deo, vnitur Deo, vt ſit vnus ſpiritus plenus Deo, vt diuina procuret ex Deo; Deum rebus adeſſe humanis, & homines gaudere, fruique Deo faciat ex officio. Væ tibi ſacerdoti, qui geris officium tantum, nec ad Dei illud exeris ſeruitium, nec ad hominum, aut rarò, aut torpidè, aut indignè id exerces beneficium. Quid ita, diuino plenus theſauro mortales miſeros deſpicis ac dimittis inanes, cùm toties operari diuinis intermittis? Tantilline tibi, ad Genitricem Dei, non, aut rarò, aut improbè, te accedere velut Genitorem Dei? O melioia DEVS! Vt ne in tam ſacram, & inteſtabilem ſacerdotes inducamini tentationem, viri Deo pleni, viri ſancti; agite, amabo; reſpicite in faciem Chriſti veſtri Sacerdotis ſummi, Aduocatam Chriſti Matrem inuocate.

Quinta excellentia eſt, comparatio ſacerdotis ad Beatiſſimam Virginem Mariam. Sacrata Virgo, Dei eſt Mater, habendo ſe paſſiuè, idque benedicto ſolùm ventre, & carne ſua; contulitque ad prolem id quod ſuum erat, humanum, ex ſua naturali potentia, licèt Deo ſupra naturam operante. At verò ſacerdos, quadaotenus dici poteſt eſſe Pater Chriſti, habendo ſe actiuè; vnde dicitur ſacris operari, facere ſacra, diuina patrare. Idque ex intentione mentis, ventre nobilioris, exque dati vi ſpiritus diuini; conferque ad tranſſubſtantiationem id quod Dei eſt diuinum intra ſe, & ſupra ſe; & tamen in voluntare ſua ad operationem, aut omiſſionem liberum; eſtque illud poteſtas characteris, quæ purè eſt ſpiritalis, habetque ſe effectiuè. Beata Virgo obumbrata Deo, conſentiens concepit intra quinque verba: *Fiat*, en paſſiuè ſe habens, *mihi ſecundùm verbum tuum.* Sacerdos verò actiuè, velut generat, certè efficientia ſua verborum quinque tranſſubſtantiat, dicens: *Hoc eſt enim corpus meum.* Item: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. Denique B. Virgo Parens genuit Dominum, ſemel paruulum, non loquentem, non ambulantem, ſeruulum, paſſibilem, mortalem; ſacerdos verò facit adeſſe Deum hominem, ſubſtantia panis ac vini ceſſante, ſaluis accidentibus; ſæpe ad placitum ſuum, perfectum, regnantem, Dominum, impaſſibilem, & immortalem. O inexplicabilis poteſtatis excellentia! Hoc tamen Deiparam inter ac ſacerdotes intereſſe tenendum eſt, quòd in iam dictis illam quidem bi ſuperare videantur. Verùm quoad modum duntaxat, non autem quoad ſubſtantiam facti. Quia Virgo Beatiſſima Dei Mater eſt eatenus ſubſtantialis, quòd dederit illi eſſe verum hominem nouum ex ſe talem, qui antè fuit non homo: ſacerdos autem iam ante hominem Deum facit exiſtere iam ſub ſpeciebus, vt non niſi analogicè, quaſi Chriſti patres, queant appellari. Itaque præcellunt in modo, in facto Deipara, eo quòd ſacerdotalis operationis eſt fundamentum. *Fundamentum* enim *nemo aliud ponit.* Nos autem *Theſaurizamus nobis fundamentum nouum.* Quæris, Tanta vis vnde venit? Deſurſum à Patre luminum; & eo, qui de cœlo deſcendit, Domino Trinuno. Vnde in ſalutatione meritò dicitur Dominus, ſcilicet, Deus tecum eſt in operatione; nã velle Dei operari eſt: at in ſuſcepta carne Dominus Dei filius tecum eſt ex hoc, & filius tuus hominis. Hinc cùm filius ſit Dominus dominantium; Mater quoque iure diuino, & natura Domina eſt dominantium. Cùm autem quilibet ſacerdos in modo prædicto ſit excellentiſſimus; rectè præ cunctis laicis terrenisque dominis, Dominus audit, & eſt Dominus dominantium: vt qui ſolus ſpiritaliter, & ſacramentaliter paſcat gregem laicum fidelium: eumque regat in vita per ſcientiam ſacerdotalem, abſoluat à morbis, & mortibus delictorum per potentiam, dirigatque in patriam. Quare, vt omnibus Chriſtianis, at vel in primis decet, & oportet ſacerdotes Domini feruenter, & frequenter, adeóque familiariter illud Eulogium in Angelica ſalutatione, *Dominus*, Domini ſui Dominæque honori acclamare.

1.Cor.3.

1.Theſſ.6.

Sexta excellẽtia eſt Angelica poteſtas ſacerdotum. Eſto, ſit ſua, vt verè eſt ſanctis Angelis mirifica poteſtas in res creatas vniuerſas; ſit & ſupra has præclariſſima ipſis nobilitatis præſtantia; atqui verò nullam habent ſibi conceſſam à Deo facultatem in ſanctiſſimum Chriſti corpus, nullam in auguſtiſſimum vel ſacramentum, vel ſacrificium Euchariſtiæ; habent autem pro officio ſibi demandatam ſolis, ſacerdotes. Quo in munere incomparabilis dignitatis ac poteſtatis, choros Angelorum, quotquot exiſtunt, vltrò concedere ſacerdotum ſancto Collegio, nemini orthodoxo dubium eſſe, vel obſcurum poteſt. Qui ipſum Angelorum creatorem ad aras pro nutu ſuo ac officio faciunt ſacerdotes; qui ipſum inter manus gerunt, & contrectant ſacri; qui mãducant, dantque manducandum Sanctis: qui immolant victimam incruentam pro cunctis viuis, & vita perfunctis: eos ipſi colunt, mirantur Angeli, ac cernui venerantur; nec ab iis ſeſe ita adorari patiuntur, vt in priſci lege Teſtamenti. Quidquid Beatis ineſt ſpiritibus, creatum, id eſt, finitum eſt, vt in creaturis, ſolumque id valet in ſimilia ſibi, quanto vis licèt interuallo, finita pariter & creata; ſacerdotis verò infuſa à Deo poteſtas, viſque characteris non ſolùm tempore æternabit, ſed & opere poſter perennare, cum perpetua potentia; ni Deus eam functionis executionem ad mortalium in terris officium ætatemque contuliſſet, vt legiſlatoris ſummi Pontificis ſit ſtandum voluntate. Age, ſi vnum aliquem è nouem choris Angelorum in Eccleſiam demiſſum apparere iuberet Deus, præ ſtupore ac veneratione, qui te ſat dignè, debitéque haberes, difficulter tecum fortè ſtatuere poſſes. Iam verò, ecce ſacerdos Regem Angelorum IESVM, è cœlis euocatum, coram oculis exhibet tuis: & quid agis, quid cogitas? Nouit id cordis inſpector, iudexque tui ipſe, qui eſt, & adeſt. Ex quo omiſſæ Miſſæ iacturam & indignitatem exiſtimat.

Septima excellentia eſt Patriarchalis poteſtas ſacerdotum Adæ, Enochi, Abrahæ, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Eliæ, &c. admiranda produntur opera, & dona virtutum; vmbram tamen prætulerunt ſolùm, veritatem reddunt ipſam nouæ legis ſacerdotes. Eorum prodigioſa facta cœlorum intra orbes ſteterunt, in elemẽtis,

rebuſque creatis ſeſe declararunt. At ſupra cœlorum cœlos ſupergreditur ſua poteſtate ſacerdos. Hic è cœlo Chriſtum euocatum in ara ſiſtit, quem illi propherauerunt procul; vtque cæteros mittam vniuerſos, Baptiſta Ioanne Domini Præcurſore, inter natos mulierum non ſurrexit maior; meritis id quidem ſuis: at poteſtate, inquam, haud paulo maior ſurgit quilibet ſacerdos. Ioannes Chriſti fuit præco, lucerna, amicus, vox, & teſtis. Chriſtum digito monſtrauit, baptizauit, ſanctiſſimam Trinitatem conſpexit. Quid ſacerdos? Chriſti eſt effector, & ſacrificator, Dei pacificator, fidelium paſtor, ac ſeruator, Mariæ ſponſus, Angelorum Dominus, Domini Seruatoris frater, & interior amicus. Hic verbum inter manus verbo parit, tractat, verſat, cuſtodit, in cibum porrigit, tale nihil Patriarcharum valuit poteſtas. Væ ſacerdoti igitur, cuius acedia, vel vnius dieculæ, prætermittitur Miſſa! Reſarcire damnum poteſt, ſed neglectum, & ſubtractum orbi bonum vtrique redhibere non poteſt. Quid cogitas? Benedicte Dei, te reſpice, te agnoſce, & metue maledictionem.

Octaua excellentia eſt, Apoſtolica poteſtas ſacerdotum. In electis duodecim diſcipulis Domini, duo conſiderantur, Apoſtolatus, in quo degerunt vltra triennium inde ab vocatione; & ſacerdotium, quo in cœna pridie Paſſionis ſunt initiati. Vnde vtriuſque connexio haud eſſe neceſſaria ducitur, eſtque poſterius prioris apex, atque coronis. Quocirca ſacerdotalis poteſtas, atque dignitas longè antecellit Apoſtolatum ſolum. Nam Apoſtolatus, diſcipulatus eſt, & miniſterij munus. Sacerdotium verò ſummi eſt myſterij poteſtas. Quemque diſcipuli prædicant, eum ſacerdotes conficiunt, & præſtant. Apoſtolatum ſimplex conſtituit vocatio; Sacerdotium inſtituit vnctio ſancta. O immemores ſui, ingratoſque Deo, qui vel indignè, vel tardè, ac frigidè munus tantum obeunt ſacerdotale! Non ſe Chriſtos Domini eſſe recordantur? Suadeo, emant aurum ignitum, probatum, vt à facie eius duri, ſuperbique montes fluant.

Nona excellentia eſt, Beata Sanctorum poteſtas ſacerdotalis. Fortitudo Martyrum, fides Confeſſorum, caſtitas Virginum ex vi magna gratiæ, atque potentia emanarunt. Verùm, ſi effectum attenderimus, ineſſe vim gratiæ gratis datæ potentiorem ſacerdotibus fateamur oportet. Enim verò fortes illi in martyrio, contra tyrannos, aut beſtias, aut tormenta perſtiterunt, aut eorum merito gratiam Deus ſuper gratiam accumularet; idemque fidem Confeſſoribus exaugeret. Verùm iſti dumtaxat riuuli fuerunt ab inexhauſto fonte gratiarum dimanantes. Fons vitæ Chriſtus eſt; hunc autem fodiunt, parantque fontem in corpore Eccleſiæ ſacerdotes. Quare eam, ex qua rem tanto præſtant diuiniorem, poteſtatem eſſe multo efficaciorem, & digniorem neceſſe eſt. Etſi effectus adæquari cauſæ debeat, omnino debet ea eſſe infinita Dei poteſtas in ſacerdotibus; quæ effectum producere infinitum, Deum hominem I e s v m Chriſtum verbo potenter, & infallibiliter valet. Sanctorum nullus conſtantiæ, fidei, alteriuſve gratiæ ſuæ fuit infallibiliter ſecurus: niſi (quod perraris obtigit fœlicitas) ex peculiari reuelatione Dei. At ritè, & ordine inſtitutus ſacerdos, quantumuis improbus, collatæ ſibi poteſtatis omnino fidei habet certitudinem; vt cui ex vi, pacto, & fide ſuæ inſtitutionis I e s v s non velit non parere, & adeſſe; cùm primum verba inſtitutionis ſacræ ſuper panem & vinum, integra pronuntiarit. Ita nimirum vult, iubetque ſacerdos ſacerdotum ipſe ſuum ſanctum ſacerdotium firmatum, ac honorificatum permanere. Totus igitur ille Dominus I e s v s cuiuſque ſacerdotis eſt; de quo particulas aliquas quiſque Martyrum, & Confeſſorum velut decerptas participarunt, meritóque fortes ſunt, & admirabiles viſi. Quæ cùm ita habere nos ſacra Fides doceat; age nunc, fac ita eſſe; poſſe quem & velle Martyrum aliquem, v. g. ſanctum Stephanum, è cœlo detrahere, exque rerum natura exturbatum, extinctum in nihilum redigere; quis illud non facinus infandum deteſtaretur, & prægrande inflictum Eccleſiæ vulnus, importatumque damnum deploraret. Atqui vnius dumtaxat Sancti iactura ea foret tot inter myriades Diuorum, iſta liquent de plano. Adde. Sacerdos aliquis ex acedia, aut quaqua alia ſocordia, omiſſo diurno ſacræ Miſſæ ſacrificio: quid age, quem quantumque ſubtrahit vtrique, & militanti, & triumphanti Eccleſiæ? Vnum aliquem è Diuis? Vnum ex tot millibus? Vnum Deum hominem Deo pro Eccleſia offerre omittit, vt hoc minus habeat in æternum Eccleſia, idque culpa vnius ſui miniſtri Eccleſiæ. O inæſtimabilem, & irreparabilem iacturam, ſi hoc non credis, Chriſtianus non es. Si flocci pendis, nec bonus es, nec pius. Te reſpice, ô Myſta Dei. Noſce te, & miſerere animæ tuæ. Tum ſanctum honorica ſacerdotium. Sin, exhonorabit te Chriſtus.

Decima excellentia. Sancta Religioſorum poteſtate maior eſt ſacerdotum ea, quam hactenus demonſtratam admiramur. Et parem poteſtati ſacerdotali dignitatem conſequi oportere, nemo non videt, planéque intelligit: iam igitur omnium qua Religionum ſacrarum, qua Religioſorum S. Auguſtini, Benedicti, Brunonis, Bernardi, Dominici, Franciſci, Thomæ, & quotumque cæterorum, colligi vnquam eis à Deo conceſſam, etiam miraculorum poteſtatem: & ad hanc vnam ſacerdotalem compone, diſparem maximè compoſitionem ipſa ea comparatio demonſtrabit. Adeò omnis ea finita ſub Deo, ſuperque res finita ſolùm erat: at illa verò ſacerdotalis origine ſua eſt ex infinita æternitatis duratione: effectu operis diuini immenſa, miraculorum miraculoſiſſima, datarum gratis gratiarum gratioſiſſima: ſique cætera reſponderint (præter laureolas) gloriarum cœleſtium glorioſiſſima, poteſtas eſt, ac dignitas ſacerdotum. Demus vni alicui omnium Religionum concedi gratiam, & poteſtatem inſtituendarum, & ad vltimam vſque in terris perfectiſſimo prouehendarum; par ea tamen ſacerdotali eſſe non poteſt ex ſe, cùm hæc ſola ſit poteſtatem ſortita in omnis gratiæ operatorem, ac mediatorem, gubernatorem, conſeruatorem, & glorificatorem I e s v m, qui quanto cunctis maior eſt ſummo Pontificio, tanto ſacerdotes præ cunctis aliis ordine ſunt & honore. Vide nũc ô ſacerdos; vel vnum aliquem religioſum ordinem extinguendi licentia abutaris licèt, fac te ita poſſe, aut vnius dieculæ diuina ad aram operatione, & ſacrificio Eccleſiam priua; quod potes; & heu, ſæpe minis audes. Iacturam porrò vtriuſque expende facti. Ordinem

nem vndequaque finitum, perque ſe finiendum ſuſtuliſti, eumque innumeris expoſitum tentationibus, ac miſeriis ſubtraxiſti in ipſa felicitate miſerum, mortalem in ſanctitate ſua. At Miſſam omiſiſti? Deum IESVM Eccleſiæ non dediſti, non Deo ſacrificium obtuliſti: quin Deum tunc in tantum, quoad te & poteras, ex Eccleſia ſuſtuliſti cùm dare negaſti. Exhorreſcis? Et hoc amplius, quòd in ſumma mundi miſeria conſolatorem, in tot tantiſque periculis conſeruatorem, in ſcelerum infelicitate Redemptorem, quantum in te, auertiſti. O horrendum malum! Time, time, ne ſacerdotalis benedictio in gehennalem abeat maledictionem, priuſquam circumſpicere queas.

Vndecima excellentia, Miraculorum poteſtas in Eccleſia, vt diuina ſit, multoque maxima admiranda æquè ac veneranda; illa tamen ad tranſſubſtantiandum ſacerdotalis eo videtur imprudentiæ, vel ignorantiæ minor, quòd communior ſit, adeoque vulgaris appareat. Eo autem par illi miraculorum dono cenſetur, quòd vtraque ſit in ordine gratiæ gratis datæ. Culpandum iſtud, hoc approbandum eſt. Iſto autem quòd infinitis illam (vt aiunt) paraſangis antecellat: quia effectum operis diuini infinitum pretio ex infinitum duratura characteris poteſtate, producit ſacerdotalis poteſtas, ex ſupradictis liquet. Excitare mortuos, reluminare cæcos, morbos depellere, effugare Dæmones, linguis loqui nouis, horumque ſimilia ad vnum iſtud, patrare Miſſam; ſunt minutiora, quàm ad vniuerſos cœlorum vnica ſtellarum minima. Parum dixi, ne probè ſatis. Nam miracula deſignantur in creatura aliqua; at hoc miraculorum miraculum in Creatore. Quantum igitur hic præ illa, tantum ſacerdotio inſignes, & miraculis celebres ab ſeſe longiſſimo longiùs abſunt. Si igitur magna orbi & Eccleſiæ quà beneficia, quà ornamenta conferri miraculis cenſentur; & rectè, quid afferre ſacerdotium æſtimari debet? Verbo, Dei filium. Quo item, quantoque orbem priuare bono credes ſacerdotem, vnius intermiſſione ſacrificij? Dicam ſemel, Dei filio. Quid quæris amplius? Quid dicimus? Numquid aliud damnoſius? Vtinam non & damnabilius iſtud aliis foret! Deus ô tantum prohibeto malum!

Duodecima excellentia, Eccleſiaſtica poteſtas, quam iuriſdictionis vocant, vt ſancta illa ſit, exque Deo; ad ſacerdotalis tamen poteſtatis excellentiam adſpirare non poteſt. Ex vno metire cætera. Pontificatus ſummi in terris præcellentia nil altius, aut ſanctius; poſtquam Chriſtum in Eccleſia militante nil priùs, ſed vnam excipe ſacerdotij poteſtatem. Ratio liquet. Hæc eſt in corpus Chriſti verum; iſta Pontificalis in myſticum, quod eſt Eccleſia, vt vel in ipſo Papa nihil ſit admirabilius, potentius nihil ſacerdotio. Quid ergo, ô ſacerdos, ait Hugo, Pontificatum ambis. Hic ſpuma ſacerdotij eſt; quæ vt aquis vitæ ſupernatet, altior gradu: at inanior eſt pretio, ac inferior. Agnoſce igitur te Chriſtum Chriſti, tuumque honorifica ſacerdotium ſanctum. Huc viam, rationemque ex ipſo repete Chriſto tuo. Hic ſponſus Eccleſiæ vnde proceſſit? Ex benedicti vteri thalamo virginali Matris Mariæ. Huic acclamatum eſt, Beatus venter qui te portauit. Sed mulieris anonymæ vox illa fuit. Accipe Archangeli, & ſanctæ Eliſabethæ iſtam, quamuis ſanctus Spiritus vtraque, Benedictus fructus ventris tui! Benedictionem ventris acclama Nato, Matrique acclama.

Decimatertia excellentia. Politica poteſtas vltrò cedit ſubiecta ſacerdotali; illa enim terrena eſt ac breuis, ſuperba, violenta, ſæpe cruenta, in Regibus, inquam, & Potentatibus. nam in ſe ex Deo eſt iuſta. At hæc de cœlo eſt cœleſtis, ſacroſancta, ſanctificans, inque totum mundum dominatur, & in animas. Nam ſacerdotes in Baptiſmo fiunt patres; in Euchariſtia nutritij; in Pœnitentia iudices benigni, medici ſaluatores; in Extrema vnctione tutores, & conſolatores; in Matrimonio ſenatores, contractuumque confirmatores; in Confirmatione Duces; in Ordine Angeli Dei; in Prædicatione Apoſtoli, Doctores, & Paſtores, &c. Quid ergo, quibus data eſt poteſtas in Papas, in Imperatores, Reges; quid degeneres, timeris illos, nec ſacerdotalem teneris conſtantiam? Quid diuinum Ordinem peruertitis, diuinamquem cum poteſtate dignitatē humanæ ſubſternitis. Si cauſam quæritis, illa eſt, veſtra vos ſubneruant peccata, peſſundat conſcientia ſæua. Vos ipſos aufertis ipſi, vos vobis prius, ac proditis prufanæ poteſtati ipſi proditores veſtri, aut ſæcularium adulatores facti, profanatores ſacrarum, Chriſtique traditores Iudæ. Hinc ſicut populus, ita ſacerdos, qua Chriſtum non confeſſi eſtis, & ipſe dicet, *Neſcio vos, ite maledicti.* Tantis, oro, occurrite malis, ad veſtrum concurrite caſtrum Marianum, ciuitatis ſupra montem poſitæ, quod ædificauit ſacroſancta Trinitas, dedicauit Archangelus in ſalutatione, poſſedit Maria dictum illud, *benedictus fructus ventris tui.* Qui poſſeſſiuus titulus eſt, docet Deiparæ Matris, Dominæ Dominantium propria eſſe omnia diuina, humana; poſtquam cum vno dedit omnia, eum ad nutum habet, in quo omnia, per quem omnia, & ex quo omnia.

Decimaquarta excellentia ſanctarum reliquiarum mira poteſtas per orbem ſeſe declarauit, hodieque demonſtrat, vt iure meritiſſimo ſanctæ eis Religionis obſeruantia debita ſit deferenda. Quot enim, & quanta Deus per eas eſt in terris prodigia operatus? Nec ſolùm, ſed & ipſæ quanto in miraculo ſunt, reponendæ: vt cruor Domini aſſeruatus: Crux, claui, lancea Chriſti, inconſutiliſque toga, ſacra oſſa Apoſtolorum, ac myriades Martyrum, Confeſſorum & Virginum ſanctarum. Sacerdotia componere ſingula quid attinet? Crux mortuum ſuſtinuit, cuſtodiuit ſepulchrum Seruatorem, ſacerdos viuum ſeruat, & glorioſum. Quid multa? Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur illi ſacerdotum Chriſti. Quia fortes facti ſunt in Chriſto.

Decimaquinta excellentia. Glorioſa Beatorum dignitas, gaudet quidem viſione Dei, fruitione, comprehenſione, plenique Deo ipſi hauriunt beatitatem; at non tamen conferunt, non dant ipſi beatificatorem ipſum, vt ſacerdotes. Cùm autem, quàm accipere, dare ſit felicius, non poteſt non eſſe feliciſſimum, dare felicitatorem: quod verbo præſtant ſacerdotes, quem ſemel dedit orbi Virgo, ſæpiùs dat Preſbyter, alio licèt modo. Iam ſua, ſi iuſtam potentiam gloria comes ſequitur, diuinæ ſacerdotum poteſtati parem eſſe dignitatis gloriam neceſſe eſt.

Quanto maior igitur ſacerdotum eſt poteſtas in dando Redemptore, quàm illa Beatorum in fruendo, tanto quoque altiorem illi reſpondere gloriam oportere videtur. Quare eos dicit S. Auguſtinus, conſortes feciſti potentiæ tuæ, vt ſint quaſi Dij terræ. Quapropter cùm in Chriſtos Domini tanta promanet qua poteſtas, qua dignitas ex vnctione ſacra, manuumque impoſitione, quos priùs potiuſve in Angelica ſalutatione decebit, ac etiam oportebit frequentare illud, *Chriſtus*, (Apol. 1.) ſuumque conſalutare ſummum ſacerdotem, quàm ſacrum Ordinem ipſum ſacerdotum? Quo impenſiùs, ô ſacerdotes, pſallite Pſalterium, & prædicate. Atque, vt velut verbo prædicta contraham, tametſi adductæ hactenus partes in quindenam comparationem meritis ſuperent ſingulæ; ſacerdotes tamen præſtant diuina poteſtate; dedit Deipara eſſe ſubſtantiale Chriſto; dant verò ſacerdotes eſſe illi tranſſubſtantiale.

Qua puritate, & intentione debent celebrare ſacerdotes.

CAPVT XXV.

TOT igitur ſacerdotalis muneris excellentiæ duo hæc expoſtulant; vnum ne tantæ dignitatis exercitium omittatur. Alterum, vt pro dignitate exerceatur cum omni puritate. Egregiè de antiquæ legis ſacerdotibus Nazianzenus dixit. *Hoc quoque mihi cognitum eſt, ne corporum quidem labes in ſacerdotibus, aut ſacrificijs à cenſura immunes extitiſſe, verùm in more poſitum fuiſſe, vt perfecta perfecti offerrent, ad ſignificandam, ni fallor, animi integritatem, nec cuius ſacerdotalem veſtem, aut ſupellectilem vllam ſanctam attingere licuiſſe, ne ſacrificia ipſa à quibus, & quo tempore, ac loco minimè conueniebat, abſumi conſueuiſſe, nec vnctionis oleum, compoſitioniſque ſuffitum imitari, aut denique templura adire cuiquam liberum fuiſſe, niſi & animo, & corpore vel ad leuiſſima vſque ſeſe purgaſſet; tantum aberat, vt ad Sancta Sanctorum accedere auderet, quæ vni dumtaxat, ſemelque quotannis adire licebat; tantum aberat, vt cuiuſuis eſſet, velum, aut propitiatorium, aut arcam, aut Cherubinos, vel proſpicere, vel attingere.* Hæc ille. Maior ſanè in immenſum ſacrificij noſtri puritas, multo maiorem ſacerdotum puritatem exquiret. Idcirco idem Gregorius Nazianzenus ſic ait. *Quo tandem modo externum illud ſacrificium, illud magnorum myſteriorum exemplar præſidenti animo ipſi offerrem, aut quomodo ſacerdotis habitum, nomenque ſubirem, priuſquam manus pijs actionibus conſecraſſem; priuſquam creaturis ſanè, atque ad creatoris ſolùm admirationem, non autem ad detrimentum aſpicientis oculum aſſuefeciſſem, priuſquam diſciplina Domini aures ſatis aperuiſſem, ac mihi adiecta eſſet auricula nequaquam durè audiens, aureaque inauris pretioſo Sardio adſtricta, hoc eſt, ſapientis ſermo auri bene audienti, priuſquam ore, labijs, & lingua ita me ipſum comparaſſem, vt & ore aperto ſpiritum traxiſſem, aut in myſteriorum, dogmatumque pronuntiatione dilatato impletus ſpiritu fuiſſem: & labia, vt ſapientia verbis vtar, diuino ſenſu conſtricta habuiſſem; & laudem etiam tempeſtiuè ſoluta; & denique lingua exultatione perfuſa fuiſſet, diuinaque melodia plectrum effecta ad Dei gloriam celebrandam ſeſe excitans, ſimulque cum eo diluculo exurgens, ac præ labore faucibus ipſis adhærens; priuſquam pedes meos ceruorum ritu inſtructos, & præparatos ad petram firmaſſem, pioſque & Deo gratos inceſſus meos ita directos habuiſſem, vt nec tantillum temporis, nec vllo modo effunderentur: prius denique quam omnia corporis membra iuſtitiæ arma fuiſſent, omnemque mortalitatem abieciſſent, à vita abſorptam, ſpirituique loco cedentem.* Hæc ille. Quibus optimè nos docuit quo animo, qua ſanctimonia, quo apparatu bonarum actionum, qua virtutum ſtola ad ſacram illam menſam & tremendum ſacrificium accedere oportet; neque enim quòd quotidie debeat fieri hoc ſacrificium, vllo die imparatos decet accedere; ſed ſicut debet eſſet quotidiana eius celebratio, quotidiana etiam, imò continua debet eſſe noſtra diſpoſitio & præparatio.

Rectè S. Gregorius Magnus collaudat in Beato Caſſio quotidianum celebrandi vſum, cum aſſidua rectè viuendi cura, & ad tantum munus præparatione diligenti, quem propterea Dominus larga remuneratione donauit; nec nullius operæ pretium erit hic adſcribere, cuiuſmodi hæc ipſe Gregorius narrat. *Multi*, inquit, *fratres chariſſimi Caſſium Narnienſis vrbis Epiſcopum nouerunt, cui mos erat quotidianas Deo hoſtias offerre, ita penè nullus dies vitæ eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immolaret. Cui cum ſacrificio valde etiam concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat, in eleemoſynis tribuens, cùm ad horam offerendi ſacrificij veniſſet, velut totus in lachrymis defluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione mactabat, cuius & vitam & exitum à quodam venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus, referente cognoui. Aiebat enim, quòd quadam nocte eius Presbytero per viſum Dominus aſtitit, dicens: Vide, & dic Epiſcopo: Age quod agis, operare quod operaris, non ceſſet pes tuus, non ceſſet manus tua, natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit Presbyter, ſed quia è vicino Apoſtolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Epiſcopo nuntiare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiuſque inobedientiam vehementer increpauit, atque eadem iuſſionis ſua verba retexuit. Tunc Presbyter ſurrexit vt pergeret, ſed rurſus infirmitas cordis impedimento facta eſt indicandæ reuelationis. Et ad admonitionem quoque iterata iuſſionis obdurnit pergere, & quæ viderat manifeſtare neglexit. Sed quia magnam manſuetudinem contempta gratia maior ſequi ſolet ira vindicta, viſione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit verbera, & tam diſtricta cæde mactatus eſt, vt in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Epiſcopum, eum iam ex more iuxta Beati Iuuenalis Martyris ſepulchrum ad offerendum ſacrificium, conſiſtentem reperit, ſecrètum à circunſtantibus petijt, ſeque eius pedibus ſtrauit. Cumque eum vbertim flentem Epiſcopus vix ad ſe leuare potuiſſet, lachrymarum cauſas cognoſcere ſtuduit. Ille verò relaturus ordinem viſionis, prius veſtimento ex humeris deuoluto, detexit plagas corporis, vt ita dicam, teſtes veritatis, & culpæ monſtrauit quanta* (Hom. 37. in Euang.) *animaduer*

Digitized by Google

animaduerſione diſtrictionis membra illius accepta verbera liuore inflicto ſubcauerant. Qua mox vt Epiſcopus vidit, exhorruit, & quis ſibi talia facere præſumpſiſſet, cum magna obſtupefactionis vocibus inquiſiuit. At ille reſpondit, hæc ſe pro ipſo ſuiſſe perpeſſum. Excreuit cum terrore admiratio; ſed nullas iam Presbyter inquiſitioni eius moras adyciens, ſecretum reuelationis aperuit, eique iuſſionis dominicæ ea quæ audierat verba, narrauit, dicens: Age quod agis, operare quod operaris, non ceſſet manus tua, non ceſſet pes tuus; natali Apoſtolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Quibus auditis, Epiſcopus ſe in orationem cum magna cordis contritione proſtrauit, & qui oblaturus ſacrificium, ad horam tertiam venerat, hoc pro extenſa orationis magnitudine ad horam nonam vſque protelauit. Atque ex illo iam die magis, magiſque aucta ſunt ei lucra pietatis. Factuſque eſt iam fortis in opere, quàm certus ex munere; quippe qui eum cui ipſe debitor fuerat, ex ea promiſſione iam cœperat habere debitorem. Huic autem conſuetudo fuerat, annis ſingulis natalitio Apoſtolorum die, Romam venire. Iamque ex hac reuelatione ſuſpectus, venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore ſollicitus fuit, ſecundo quoque anno, vel tertio in mertis ſua expectatione ſuſpenſus, quarto, quintoque, & ſexto ſimiliter. Qui deſperare iam de veritate reuelationis poterat, ſi verbis fidem verbera non feciſſent. Cum ecce anno ſeptimo vſque ad expectati natalis ſacras vigilias incolumis peruenit, ſed leuis hunc in vigilijs calor attigit, atque ipſo die natalitio filijs ſuis ſe expectantibus, Miſſarum ſolemnia implere ſe poſſe recuſauit. Illi verò, qui de eius pariter egreſſione ſuſpecti, ſimul ad eum omnes venerunt, ſeſe vnanimiter aſtringentes, vt die eodem nequaquam acquieſcerent Miſſarum ſolemnia celebrari, niſi pro eis apud Dominum idem Antiſtes ſuus interceſſor accederet. Tunc ille compulſus, in Epiſcopij oratorio Miſſas fecit, & manu ſua corpus Dominicum, pacemque omnibus tribuit. Qui cuncto miniſterio oblati ſacrificij peracto, ad lectulum redyt, ibique iacens, dum ſacerdotes ſuos ac miniſtros circumſtetiſſe cerneret, quaſi vale vltimum dicens, de ſeruando eos vinculo charitatis admonebat, & quanta debuiſſent concordia inter ſe vniri, prædicabat. Cùm ſubitò inter ipſa ſancta exhortationis verba, voce terribili clamauit, dicens: Hora eſt. Moxque aſſiſtentibus ipſe ſuis manibus linteum dedit, quod ex more morientium ſibi contra faciem tenderetur. Quo tenſo, ſpiritum emiſit, ſicque ſancta illa anima ad gaudia æterna perueniens, à carnis corruptione ſoluta eſt. Quem fratres chariſſimi, quem vir iſte in morte ſua imitatus eſt, niſi eum quem in vita ſua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora eſt, de corpore exyt: quia & Ieſus peractis omnibus cùm dixiſſet, Conſummatum eſt, inclinato capite tradidit ſpiritum. Quod ergo Dominus ex poteſtate, hæc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidiana hoſtia illa cum eleemoſynis, & lachrymis miſſa legatio, quantam cum Rege veniente gratia pacem fecit.

Igitur non ex vſu, nec velut ad vulgarem, & terreſtrem menſam ad Chriſti ſacramenta, & ſacrificia accedamus; ſed ex amore cum reuerentia, cum ardenti affectu, cum ſalutari intentione, deſiderio deſiderantes Deum glorificare, iuuare Eccleſiam, & nos in melius promouere. De hoc ſacra facientium animo loquitur ſanctus Bonauentura, cuius doctrinam, non inutile erit ſacerdotibus audire, ſic ait. *Tu autem homo Dei, dirige* *Tract. de præparat. ad Miſſam. c 8.* *vota tua, & deſideria ad Deum, & vide, quibus affectionibus, & deſiderijs trahi debeas ad ſacra myſteria celebranda. Primò, te trahet conſcientia, & remorſus delictorum, ſperans per eum, quaſi per hoſtiam obligationis ab omni peccato purgari. Secundò, tuæ infirmitatis intuitus, & conſideratio, vt eum quaſi medicinam, ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis. Tertiò, preſſura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia poteſt, ab omni aduerſitate citius libereris, & protegaris. Quartò, deſiderium alicuius gratiæ, vel ſpiritualis beneficij impetrandi, vt per eum, cui pater nihil negare poteſt, obtineas. Quintò, gratiarum actio pro omnibus beneficijs temporalibus, & ſpiritualibus tibi, & alijs impenſis, cùm nihil habeamus Deo tribuere pro omnibus, qui tribuit nobis, aliud quàm calicem ſalutaris accipere, & ſacrificare hoſtiam laudis, id eſt, Ieſum Chriſtum. Sextò, charitas & compaſſio proximorum, cùm pro ſalute viuorum, & requie defunctorum, nihil efficacius interpellet, quàm Chriſti ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum. Septimò, laus Dei, & Sanctorum, cùm nihil habeamus, quo poſſimus Deum & Sanctos pro ſua dignitate laudare, quàm Chriſtum ſacramentaliter Deo Patri offerre, & immolare. Octauò, Dei amor, & dilectio, vt eum inuites ad te, ac per inuiſcerationem ſpiritualis refectionis in te ipſo eum delectabiliter amplexeris. Nonò, ſitis, & deſiderium augendæ gratiæ, quia hoc ſacramentum fontem continet gratiarum, & ſanctificationem, & authorem continet ſalutis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Ideo dicitur Euchariſtia, id eſt, bona gratia; cætera verò Sacramenta fluenta ſunt, & riuuli gratiarum, quibus ſanctificamur. Decimò, ardor, & ſuſpirium, quo totis viſceribus virtute huius exceſſiuæ charitatis, & dulciſſimæ refectionis cupias ſanctificari ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, & eripi ab omnibus periculis, ac tentationibus, ac inſeparabiliter vniri Chriſto Saluatori, & conſeruari in ſuo amore. Vnde inquit Chriſtus, Pater quos de-* *Ioan. 17.* *diſti mihi, volo, vt vbi ego ſum, illic ſint mecum, vt ſit vnum, ſicut nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum.*

Quæ damna ſequantur indignè accedentes ad Euchariſtiam, ex Ioanne Mauburno.

CAPVT XXVI.

NON NIHIL propterea dicemus, quod commune etiam ſit laicis, vt omnes inſtruantur, & præparatio ad ſacram Synaxim commendetur, in primis damna & pericula indignè ſumentium Euchariſtiam ex Ioanne Mauburno numerabimus. Quemadmodum, inquit, digna huius ſacramenti ſumptio maximam confert vtilitatem; ita è regione, indignè accedentibus maxima infert mala. Vnde Apoſtolus horrifica tuba inſonat, dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, reus corporis, & ſanguinis Domini. O

verbum

verbum contremiſcendum, verbum aſperum,
durum,& ſuper omnia pauendum; ad cuius au-
ditum, mirum eſt, quòd non tinniant omnium
aures. Sed colligamus mala ſparſa in Scripturis,
quæ aſſequuntur indignè communicantes. Et
occurrunt iſta,partim corporalia,partim ſpiritua-
lia. Primum malum,quod incurrit indignè acce-
dens, eſt corporis pariter, & mentis infirmitas.
Corpus enim Chriſti glorificatum, non ſibi vnit
corpus, aut mentem pollutam, nec influit vi-
tam,ſenſum, & motum gratiæ ſpiritualis; vnde
relinquitur ariditas mentis, vt eam faſtidiat cœ-
leſte illud manna. Quare frequenter ſubſequitur
morbus, & corpus infirmitas. Vnde Apoſtolus
ait: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles.*
Alterum malum eſt vitæ huius breuitas. Nam
quemadmodum honoranti patrem, & matrem,
repromittitur vitæ longæuitas: ita inhonoranti
accedit breuiatio eiuſdem. Et quæ maior inho-
noratio poteſt fieri Deo parenti animarum,quàm
indigna participatio huius ſacramenti, vt meri-
Pſal. 108. tò dicatur illud Pſalmi, *Fiunt dies eius pauci*,&c.
Tertium malum eſt mors corporis, & mentis;
vita enim illis vertitur in cauſam interitus. Hinc
Exod. 9. præcepit Moyſi Dominus. *Deſcende, & conte-*
ſtare populum, ne fortè velint tranſcendere termi-
nos, ad videndum Dominum, & pereat ex illis
multitudo plurima. Sæpe etenim, vt obſeruarunt
aliqui, poſt Paſcha, vbi communicant indignè
plures, ſuboriuntur ſubitæ peſtilentiæ,plagæ,aut
ſtrages, ſicut Ozæ, & Bethſamitis accidit. Stat
enim (vt dicitur in libro S. Paſchaſij) Angelus
Domini indignè ſumentes mox ferire paratus;
niſi grandis Dei miſericordia præſeruaret,& gla-
dium ſuſpenderet. Hinc Apoſtolus vbi ſuprà
ſubdit, *& dormiunt multi*; & in eodem Pſalmo.
Pſal. 108. *Fiat habitatio eorum deſerta, per mortalitatem*
graſſantis peſtis. Item, *Diſpereat de terra memo-*
ria eorum. Quartò indigna communicatio ho-
minem in ſe confundit, & proximum ſcandali-
Ibid. zat,ideo additur. *Fiat menſa eorum in ſcandalum.*
Scandalizantur etenim, qui tam malè viuentes
communicare vident. Vnde Apoſtolus commo-
Rom. 14. net. *Iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri,*
vel ſcandalum. Bonum eſt non manducare,in quo
frater tuus offenditur,aut infirmatur. Quàm etiam
homo in ſe ſcandalizatur, & confunditur plenè,
apud Eccleſiaſticum exprimitur, vbi dicitur:
Eccli. c. 1. *Non ſis incredibilis timori Dei,& ne acceſſeris ad*
eum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conſpe-
ctu hominum, & non ſcandalizeris in labijs tuis.
Attende in illis, ne fortè cadas,& adducas animæ
tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa
tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam ac-
ceſſiſti maligné ad Dominum, & cor tuum ple-
num eſt dolo, & fallacia. Notentur, & ponde-
rentur hæc verba. Quintò mentem excæcat; vn-
Pſal. 108. de dicitur: *Obſcurentur oculi eorum, ne videant.*
Oculus enim æger turbatur ſplendore lucis. Et ex-
Sap. 2. *cæcauit eos malitia*, ait Salomon, & Saluator,
Ioan. 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui vi-*
dent, cæci fiant, &c. Sextò miſericordiam Dei
Ioan. 14. irritat,& iram prouocat. *Effunde*, inquit, *ſuper*
eos iram tuam, ſicut ſcilicet funditur feruens
Pſal. 68. aqua ſuper depilandos ſues. *Et furor iræ tuæ*
comprehendat eos, ſicut ſcilicet indignè compre-
hendunt ſacrum corpus. Quod cùm indignè
Ibid. ſumitur, quaſi lamentabiliter conquereretur. *Heu*
mihi,quia os peccatoris,& os doloſi ſuper me aper-
tum eſt. Vnde & conſequenter contigit illud
Pſalmi. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum,* Pſal. 77.
& ira Dei aſcendit ſuper eos. Septimò gratuitis
exſpoliat. Quidquid enim boni gratiæ, & vir-
tutis in tali homine eſt, hoc ſanctum Sacramen-
tum de tali homine quaſi rapit, & datur ei, qui
habet; & inanis, & vacua illa anima manet, vt,
Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis
eorum non ſit qui inhabitet, & fiat menſa eorum
coram ipſis in laqueum. Octauò, nouo & enormi
peccato excedit, & peccata multiplicat: qui
tantam contumeliam Chriſto facit, qui tam im-
prudenter ſe tali conuiuio ingerit. Ita vt dicatur,
Amice quomodo huc intraſti, &c. Et ſtrictiſſimo Matth. 22.
Dei iudicio agitur, vt peccatis peccata punian-
tur, & ex indignæ communicationis peccato,
homo incidat in grauiora peccata; hinc Pſalmi-
ſta ait: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eo-*
rum, vt impleatur illud Apocalypſis: *Qui in* Apoc. 22.
ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Nonò, peccatum &
peccati retributionem parit, & conſcientiam ag-
grauat. ideo Auguſtinus dixit, *Indigna ſacra-*
menti ſumptio non ſanat, ſed grauat. Vnde ex
frequentiori communione crudeles redduntur
homines, & ſæuiores quaſi rabidi canes. *Non* Marc. 7.
ergo *bonum eſt dare panem filiorum canibus.* Hinc
ait S. Auguſtinus *Habentes voluntatem peccati,* De conſecr.
grauari magis dico Euchariſtia, quàm purgari, diſt. 2. c. quo-
&c. Quare etiam pro quantitate culpæ aggraua- tidie.
tur retributio pœnæ: vt quemadmodum ipſi de-
uorant Chriſtum, ita ſemper grauioris ſibi dam-
nationis accumulent gradum. Decimò, maledi-
ctionem ſibi accumulat, vt dicat Malachias, Mal. 2.
Maledicam benedictionibus veſtris,&c.& Dauid,
Dilexit maledictionem,& veniet ei. Induit, item, Pſal. 108.
maledictionem, ſicut veſtimentum, & intrauit,
ſicut aquam interiora eius. Vndecimò, obſtina-
tione quadam mentem indurat. Idem Dauid ait. Pſal. 68.
Et dorſa eorum ſemper incurua: & non intrent in
iuſtitiam tuam, volentes in multis obdurati con-
ſtituere iuſtitiam ſuam. In cuius figura Manna Num. 14.
condenſabatur, & indurabatur ad ignem,liqueſ-
cens ad ſolem. Duodecimò, veneno inficit, &
intoxicat (vt ſic dicam) mentem. nam,vt ait Au-
guſtinus. *Quod bonis antidotum, malis eſt vene-* De conſecr.
num. Sic & libro Iob dicitur, *Panis eius in vtero* diſt. 2. c. ſicut
illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus. Hinc Iudas.
cui buccellam tradidit Dominus, non malum Iob 20.
accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe
diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens
Dominicum Sacramentum. Tertiodecimò, ho-
minem Diabolo poſſidendum tradit, prout di-
ctum eſt, *Conſtitue ſuper eum peccatorem, &*
Diabolus ſtet à dextris eius. Et patet de Iuda, in Pſal. 108.
quem Diabolus poſt buccellam intrauit, iuxta
S. Auguſtinum. Decimoquartò, electiſſimum
Dei cibum felle aſpergit, & ſeſe illo cibat. Sicut
per Dauid dicitur. *Dederunt in eſcam meam fel.* Pſal. 68.
Rectè ait Chryſoſtomus. *Sicut corporalis cibus,*
cùm ventrem inuenit aduerſis humoribus occupa-
tum, amplius lædit, & nullum auxilium præſtat: ſic
ſpiritualis is cibus, indignum magis perdit, non ſua
natura, ſed accipientis malitia. Poſtremò, damna-
tum demonſtrat, & grauiùs cruciat, iuxta illud,
Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non
ſcribantur. Indignè enim ſumptum ſacramen-
tum, grauiùs dat tormentum; ſumitur enim ad
iudicium. O quàm hæc etiam ſolo auditu, expa-
ueſcenda!

Nec

Nec tamen mirandum, ſi tanta infligantur pœnalia mala, vbi tanto exceſſu committuntur criminalia. Idcirco in Pſalmis, vnde illa deſumpta ſunt, ſubditur, quaſi pro omnium horum malorum cauſa, ſumptio ſacramenti indigna. *Quoniam, quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt*, &c. Indignè enim communicantes quantum in ſe eſt, committunt hæc mala. Primò, quia Chriſtum inſtar Iudæ & tradunt, & produnt. Idcirco Remigius conſiderans illud. *Væ illi per quem filius* (*Super illud Matth. 26.*) *hominis tradetur. Væ* (ait) *tradentibus Chriſtum ad crucifigendum, ſed væ cum maligna conſcientia ſub ſacramento ſumentibus illum. Et ſi non tradunt Iudæis ad crucifigendum, tradunt tamen eum membris inimici ad ſumendum.* & Auguſtinus: *Magis peccant, qui tradunt Chriſtum peccatoribus membris, quam qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis.* Imò, vt quidam dixit, quaſi produnt Chriſtum infernalibus dæmonibus. Secundò, quia rurſus Chriſtum crucifigunt, ipſum perſequentes, & inſuper ſuper eius vulnera addunt. Sic S. Ambroſius ait: *Qui indignè Chriſtum ſumit, idem eſt, ac ſi interficiat*; iuxta S. Paulum (*Hebr. 6.*) dicentem: *Rurſum in ſemetipſis filium Dei crucifigentes, & oſtentui habentes.* Tertiò Chriſti Sacramentum fœdant, & polluunt. Quapropter S. Gregorius dixit: (*1. q. 1. cap. multi.*) *Polluimus itaque panem, ideſt, corpus Chriſti, quoniam indignè accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus.* Quartò, quia Chriſtum quaſi conculcant, iuxta illud, (*Pſal. 55.*) *Conculcauerunt me inimici mei tota die.* Vbi ait Ambroſius: *Ille Chriſtum conculcat, qui liberè abſque timore peccat, & qui eo indignè participat.* Proh quantum malum erit Chriſtum conculcare in lutum! Committunt & poſtremò alia multa horrenda quæ inueniet, qui parietem fodere volet, & ponderabit ea, vtpote eruenter contaminantes Chriſtum, proiicientes eum in latrinas, & lutum. Quis auditus ſuſtinet aurium, cuius oculus non confunditur ad intuitum? quæ mens non rapitur in exceſſum, vbi pretium mundi mittitur in ſterquilinium? filius Dei in ſtabulum viliſſimum, & ſordens lutum? Non ergo mirum, ſi tam indignè ſuſcipiens Sacramentum, graue incurrat pœnarum tormentum. Imò quidam Doctor dixit, *nullo alio crimine tam grauiter offendi Deum, quemadmodum indigna participatione huius ſacramenti. Grauius enim quodammodo peccat, quàm Iudas tradens, aut Iudæus crucifigens Chriſtum.* Et quidem illi peccauerunt contra Chriſtum ambulantem in terris; hi in eum iam regnantem in cœlis. Illi (Principe Apoſtolorum teſte) peccauerunt ex ignorantia, hi iam fide diuulgata. Illi ſemel eum crucifixerunt, hi autem crebriùs probris afficiunt, & affecerunt. Illi vulnera ei inflixerunt, hi autem ſuper dolorem vulnerum addunt, & addiderunt. Illud inflixerunt inimici, iſtud quodammodo egerunt amici, ita, vt dicere poſſit: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, &c. Sanè tamen, quod dictum eſt, debet intelligi. Nam peccatum vnum grauius eſſe altero poteſt. Aut ſecundùm ſe, ideſt, ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte obiecti; & ſic peccatum blaſphemiæ, & infidelitatis grauius eſt. Aut peccatum grauius eſt altero, per accidens, puta ex parte ignorantiæ, vel infirmitatis; & tale peccatum minus eſt eo, quod fit ex certa ſcientia, malitia, vel contemptu. Et ſic peccatum iſtud indignè ſumentium grauius, & cæteris maius dici poteſt, vt vult S. Thomas. Et quoniam grauiſſimæ culpæ pœna maior debetur; hinc liquet, quàm grauiſſima tormenta, & mala indignè ſumentes manent. Ita enim dicit S. Auguſtinus: *Qui accipit indignè Sacramentum, acquirit magnum tormentum.* (*De conſecr. orat. diſt. 2.*) Ex his igitur vtcumque patet, quàm ſit timendum ad hanc accedere menſam indiſpoſita mente. Verendum eſt enim ne vel cum beſtia montem tangente lapidetur, vel cum Oza percutiatur, aut cum Bethſamitis arcam Domini indignè, aut non ſatis dignè excipientibus à Domino occidatur.

DOCTRINA V.

DE PRÆPARATIONE ad Euchariſtiam.

Humiles puri, & magno amoris æſtu ardentes ſuſcepturi ſumus corpus Chriſti.

CAPVT XXVII.

NVNC dicemus præcipuas diſpoſitiones, quibus ad ſacram menſam accedere oportet, & quas indicauit Sponſa ſancta, cùm in Canticis Canticorum dixit, *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum*; hoc facere anima ſancta debet, cùm accumbit menſæ diuinæ, cùm non ſolùm cum Chriſto epulatur, ſed ipſum manducat Chriſtum; accedat ad Ieſum, ſimilis ipſi IESV facta, vt præuia iſta ſimilitudine intimiorem cum filio Dei mereatur vnionem; accedat ad Chriſtum cum conformitate, cum odore Chriſti, hoc eſt, quod dicit ſponſa iuxta aliorum verſionem clariùs, *Nardus mea dedit odorem eius*, non inquit, odorem *meum*, ſed *eius*, aut *ſuum*, hoc eſt, odorem Regis Chriſti; non debemus accedere ad menſam ſupremi Regis Regum cum odore, ſiue potiùs fœtore noſtro, non cum fumigine ſæculi, non cum nidore carnis, non cum graueolentia humanorum affectuum, ſed cum odore Chriſti, cum virtutibus IESV, vt dicere cum Apoſtolo poſſimus, *Chriſti bonus odor ſumus*, nihil noſtrum ferre debemus, ſed induti Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui fragrantiſſimam virtutum ſuauitatem efflat. *Nam corpus Chriſti* (ait ſanctus Paſchaſius) *magnis diuerſarum virtutum* (*Lib. 7. in Matth. p. 601.*) *fragrat odoribus.* Induti enim Chriſtum ſicut Iacob cum veſtibus odoriferis Eſaü, vberem plurimarum gratiarum benedictionē obtinebimus. *Ecce*, inquit, *odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui* (*Gen. 27.*) *benedixit Deus.* Idem Paſchaſius carnem Chriſti vocauit agrum, in quo abſconditus theſaurus Regni cœlorum, magniſque virtutum odoriferis floribus fragrans. Videamus autem, quæ ſunt

iſtæ virtutes, vt in odorem vngueotorum eius curramus. Etiam ſiquidem accedimus ad menſam potentis, diligenter attendamus quæ nobis præparata ſunt, nec ſine veſte nuptiali, & conuiuali habitu eſcam cœlorum ſumamus. Præparata in hac menſa nobis ſunt non terreſtria fercula fumoſos nidores emittentia, ſed cœleſtis ille panis Chriſtus Ieſus, qui humilitatem, innocentiam, charitatem ſpirat, & fragrat. Hæc odoramenta tametſi tota vita Ieſu emiſerit, præcipuè videtur exhalaſſe in inſtitutione ſacramenti ſui corporis, atque in ipſo ſacramento. Quæ maior humilitas, quàm cœlorum Dominus flexo genu, humillimi ſerui inſtar, lauare vulgarium hominum pedes? Quæ maior humilitas, quàm is, qui in cœlo reſidet glorioſus Imperator maris, ventorum, elementorum, totius naturæ, Princeps ille pacis, Rex ille Regum, Dominus dominantium, caput Angelorum, & hominum, non ſolùm manducet cum miſellis creaturis, viliſſimis vermiculis, ſed velit mãducari. Nec ſolùm veniat ad nos, ſed intra nos, & occultatus fruſto panis ſine ſubſtantia panis, noſtra penetret pectora, quæ toties fuerunt caueæ latronum, habitacula Dæmonum, & ſtabula vitiorum. Innocentiam quoque & puritatem commendauit Ieſus, cùm ſacroſanctum hoc myſterium inſtituit; ſiquidem voluit, non ſolùm lotas manus, ſed pedes Diſcipulos habere, atque ſacrificium ſui corporis in remiſſionem peccatorum ordinauit. Quæ maior innocentia, quàm illius, qui noſtram etiam procurauit innocentiam pretio ſui corporis, & ſanguinis, per cuius innocentiam omnium Sanctorum innocentia operatur. Porrò charitas noſtri, vbi maior, quàm cùm totum quod eſt, ſe nobis dedit. & deſiderio id deſiderans, cùm quidquid eſt bonum eius, & pulchrum eius frumentum electorum, & vinum germinans Virginem ſemel tradiderit, antequam traderetur; qui præ deſiderio ſe nobis donandi, ſuique ſanguinis pro nobis profundẽdi ante diem feſtum Paſchæ, antequam violenter illius cruorem extraherent impij carnifices, vltrò ipſe nobis dedit proprium ſanguinem, & corpus totum, & ſicut Gregorius Niſſenus dixit, *vt mortem anteuerteret, prius ſe hoſtiam obtulit, & victimam*; non quidem vtcumque, ſed vt illius ſanguine paſti illum magis amaremus, illum intimiùs amplecteremur, non ſolùm intra brachia, ſed intra ipſa præcordia illi intimiùs vniremur, in illumque toti transformaremur.

Hunc igitur odorem Regis Chriſti Ieſu nardus noſtra dare debet, cùm Rex in accubitu ſuo adeſt, & ad potentiſſimi menſam ſedimus. cui ſimiles, & concordes accedamus; nam, vt inquit ſanctus Auguſtinus, *Qui diſcordat à Chriſto, nec panem eius manducat, nec ſanguinem bibit, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat*. Quapropter ſimus Chriſto concordes noſtram conuerſationem per imitationem Ieſu in cœlo habentes

Lib 1. de ſacram.

Angelorum inſtar. *Simus*, vt dixit Algerus, *ſpe, & conuerſatione cœleſtes, quia panis Angelorum, non niſi Angelicæ vitæ eſt ſtipendium* In primis præparare humilitatem debemus, cùm humilitatem filij Dei præparatam ad noſtram doctrinam reperiamus *qui velut prorſus ſuæ oblitus maieſtatis*, ait Guerricus, *& velut iniuriam faciens ſibi, niſi quia gloria eſt charitatis humiliare ſe pro amicis: dignatione ineffabili Dominus, & talis Dominus pedes ſuorum lauit, vno opere condens eis & humilitatis exemplum, & remiſſionis ſacramentum.* Quòd ſi exinanitio dicta fuit ab Apoſtolo incarnatio filij Dei, cùm Verbum diuinum ſe vniuit excellentiſſimæ animæ, & carni humanitatis Chriſti, cuius perfectio cæterorum hominum perfectionem ſuperauit, & ipſis Angelicis ſpiritibus fuit admirabilis, quo nomine compellare debemus hanc ſtupendam dignationem filij Dei cùm noſtris corporibus, ruinoſis, morbidis, contaminatis, miſellis vnitur in hoc ſacramento. Quid dicere ad hoc debemus? quid facere? quantum tenemur humiliari? nam ſi ille qui totum eſt, ſe pro nobis plus quàm, vt ſic dicam, exinaniuit, & quaſi in nihilum redegit, flectens genu coram miſeris creaturis. Nos qui nihil ſumus, cur ſaltem hoc non agnoſcimus, vt in humilitate noſtra conſeruantes nos, magnitudinem diuinam ſuſcipiamus.

Innocentiam quoque & purificationem animi oportet præparare, atque, vt ſanctus Dionyſius ait, impeccabilitatem Ieſu Chriſti imitari, vt mundi, atque expurgati reliquiis etiam, quoad fieri poſſet, peccatorum, mundam, & immaculatam Chriſti carnem amplectamur. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus eandem puritatem deſiderat ad corpus Chriſti ſuſcipiendum, ac ad viſionem Dei beatificam, ideo dixit; *qui autem videre Deum dignus non eſt, neque communione dignus eſt Dominici corporis*. Iſte eſt ille Dominus, de quo dixit Dauid, *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris*. Quare ne iudicium nobis manducemus, & bibamus, innocentiam, & puritatem animi præferamus.

Hom 8. de Pænit.

Pſal. 17.

Tandem cum magno amoris feruore Chriſtum ſuſcipere debemus, qui magno amore in hoc ſacramento ſemet dedit, vt meritò Fulbertus Carnotenſis moneat: *Exere palatum fidei, dilata fauces ſpei, viſcera charitatis extende, & ſume incarnatæ Deitatis vitale pulmentum*. Cur id vnum quod nos pauperculi habemus, corculum noſtrum, voluntatem, affectum, libertatem, amorem, illi negabimus, qui ſeipſum, & omnia bona ſua liberaliſſimè, & amatoriè in hoc myſterio, non ſolùm fidei, ſed charitatis, eſt nobis largitus. *O charitas*, (deuotè exclamat Gerardus Zuiphaniensis,) *ô charitas ſuperexcellens! qui ſe ipſum dedit, quid poterit negare? quid vltra facere? omnia quæ potuit, pro nobis fecit, omnia, quæ habuit, dedit. Dedit Regnum ſuum, dedit ſe ipſum.* Tanta dona, quomodo excipere poterimus niſi charitatis ſinus. Audiamus ſanctum Thomam, qui hanc liberaliſſimam charitatem Dei locupletiùs commendat. *In ſacramento*, inquit, *totum quod ipſe eſt, & habet cum Spiritu ſancto, in ſummo dedit. Nihil eſt extra corporalem, & ſpiritualem, & diuinam naturam: corporalis verò comprehendit omne quod quinque ſenſibus percipitur. Spiritualis natura continet Angelos, animas & omnia dona ſpiritualia, & virtutes. Diuina natura totum quod eſt optimum, naturaliter in ſe habet. Cùm ergo corpus, & ſanguinem Filij ſui Deus Pater ſub ſacramento dedit, tunc corporalem ſubſtantiam in ſummo contulit; quando verò animam eiuſdem filij dedit, tunc ſpiritualem ſubſtantiam in ſummo tradidit, cuius anima omnibus Angelis, & Sanctis animabus perfectior gratia in omni*

Epiſt. 2.

Lib. de reſur. animar. c. 17

Opuſc 63. de Beatit. c. 2.

ſancti

ſanctitate fuit. Inſuper in eo totam diuinam naturam obtulit omne bonum in ſe naturaliter, & æternaliter continentem; nec hoc ſemel tantùm, aut bis in tota hominis vita fecit, imò quocumque tempore, quocumque loco, à quocumque ſacerdote fideli, bono, vel malo, ſalutare illud ſacrificium in forma Eccleſiæ oblatum fuerit, totiens Deus Pater cum Spiritu ſancto ſingulis animabus ſe totum ad fruendum exhibet. Hactenus ille. Satis igitur meretur charitas iſta Saluatoris, & largiſſima liberalitas noſtram charitatem, & quidquid ſumus & valemus.

Magnopere autem inflammabit affectum, & amorem animæ fidelis memoria Dominicæ Paſſionis in ſacramento memorata, imò aliquid aliud in hoc repræſentatur myſterio, quod in ſuo corpore Saluator non eſt paſſus, quod notauit ſanctus Chryſoſtomus, dicens, *Quod in cruce paſſus non eſt, in oblatione patitur, & propter te frangi permittit. Hoc in Euchariſtia videre licet, in cruce autem minimè, ſed omnino contrà.* Quantum iuuet amorem erga Chriſtum, & dignam huius myſterij ſumptionem, & ornatum animæ ſanctæ memoria Paſſionis filij Dei, oſtendit Dominus ſanctæ Mectildi; apparuit ei habens torquem auream, in quo erat clypeus continens omnia Paſſionis Dominicæ inſtrumenta, qui totum pectus Domini contexit, ſuperiùs habens lilium candidiſſimum, & inferiùs roſam pulcherrimam; per hunc clypeum figurabatur victorioſa Chriſti paſſio, per lilium eius innocentia, per roſam eius patientia ſumma. Cùm autem ſorores ad ſanctam communionem accederent, Dominus vnicuique dabat cor ſuum diuinum repletum optimis atomaribus, & aromata, etiam illa ex omni parte cordis, vt nouellæ viridiſſimæ, & florentes erumpebant; ita vt totum florigerum videretur. Singulæ etiam accedentes prædictum clypeum à Domino accipiebant, ita vt in cuiuſlibet pectore idem clypeus miro decore fulgeret, per quod ſignificabatur, quòd Chriſtus ſuæ Paſſionis victoriam ſuis fidelibus contulit, vt ſit eis munimen, & robur contra omnes inimicos. Poſtea eùm communicaſſet cor ſuum cum Dei corde velut maſſa auri in vnum liquamen vidit.

His igitur præſidiis minus indignè corpus Domini ſuſcipiemus; atque ipſe optimus, & benigniſſimus Dominus ſeruos ſuos, quos ſic videt præparatos multis donis, & gratiis, locupletat, & interdum ſenſibilibus donat fauoribus. Deuotus Frater Petrus Martinez, cùm hoſtiam in ore accipiebat, ſentiebat habere carnem. Sic tenerrimè erga hoc Sacramentum afficiebatur, vt in gratiarum actione integrum manè impenderet. Venerabilis quædam virgo excellentis virtutis fœmina, cui plura de gloria Ludouici à Ponte patefacta de cœlo ſunt, inter alias cœleſtes viſiones conſpexit Angelos veneratos illum, & inſigni reuerentia proſecutos venerabilem etiam ipſis Angelis Ludouicum à Ponte, cuius rei cauſa cœlitus inſinuarunt ipſi Angeli; quoniam ſacerdos, & Domini miniſter fuiſſet ſanctus, & ex officio munus illud exèquutus.

* * *

Præparatio ad ſacram Communionem ex B. Franciſco Borgia.

Capvt XXVIII

PRaxim adhuc vtiliſſimam tanti ſuſcipiendi Sacramenti, ex B. Franciſco Borgia nunc exhibemus. Etenim quibus diuina miſericordia conceſſum eſt, vt ſacroſanctum Sacramentum frequentent, hos tribus antè diebus habitationem tanto hoſpiti præparare non pigeat. Et primo quidem die ſupplicandum erit æterno Patri, vt per eum charitatem, qua ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, ſic etiam mouit Patrum ſanctorum, Patriarcharum, & Prophetarum corda, vt filij ſui chariſſimi aduentum magnis precibus flagitarent: quippe qui diuino lumine illuſtrati intelligerent in illo vno ſuam eſſe ſalutem poſitam, perque horum etiam merita, lachrymas, & deſideria, noſtra dignetur ad hoc ſacroſanctum Sacramentum corda præparare, quando veritatis ore dictum eſt, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.* Famem tanti ſacramenti excitare poteſt, iterando. *Emitte agnum, Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Petet autem, cùm hæc dicit, à Domino augeri ſibi ſancta deſideria, eamque mentis munditiem concedi, qua filij Dei templum fieri poſſit. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum? Veſperi verò ad Angelorum Reginam eundum erit, eique flexis genibus ſupplicandum, nobis præparationis gratiam impetret: offerendæ autem ei nouem Angelicæ ſalutationes. *Prima*, quidem, commemorando eius deſiderium, quo tanquam peccatorum mater Domini aduentum, adeoque humani generis remedium tantopere expectauit, ſimul etiam ſupplicando, vt ipſius meritis, & Dei, & ſalutis animarum feruentia deſideria conſequamur. *Secunda* verò, illam ipſius præparationem commemorando, quam habuit ſemper ad diuinam gratiam, ſimulque ſupplicando, vt nobis à Deo dignam ad Sacramentum hoc præparationem impetret. *Tertiam* verò offeremus cum humilitatis eius memoria, qua Dei filium in Incarnatione ſuſcepit; atque vt itidem nos eum humiliter recipiamus ſupplicabimus. *Quartam* autem, in eius amoris memoriam, quo ſine dolore natum complexus eſt, ſupplicantes vt eum nos itidem charitate amplectamur. *Quinta* erit in doloris memoriam, quod de cruce depoſitum ſuſcepit in gremio; petemus verò, vt cùm paſſionis Chriſti ſenſu eum recipiamus. *Sexta* verò, in eius fidei memoriam, qua eum quem reſurrecturum ſperabat, in ſepulchro poſuit; petemus verò, vt eum incremento fidei Chriſtum ſuſcipiamus. *Septimam* offeremus, ſupplicantes, vt præparationem quam ad Spiritus ſancti aduentum pro ſe, & Eccleſia tota fecit, nobis à Deo gratiæ incrementum obtineat, quo dignè Chriſtum ſuſcipere valeamus. *Octauam* autem, vt per deuotionem, qua Chriſtum ipſa in ſacramento ſuſcipiebat, nos etiam deuotè ſuſcipiamus. Denique *nonam* cùm offeremus, ſupplicabimus, vt per gaudium, & lætitiam, qua

à filio io die Aſſumptionis recepta eſt etiam in cœlum, nos itidem Chriſtum cum ſpirituali gaudio recipiamus. Secundo die ſupplicandum Chriſto, vt qua charitate dignatus eſt in mundum venire, cumque morte æterna eripere, nos ſuo aduentu viuificet, quando ipſe dixit nos, niſi eius carnem manducemus, vitam habere noo poſſe. Toto hoc die in eo ponenda eſt opera, vt Chriſti ſanguine conſcientia noſtra mundetur: eáque cauſa meditandæ erunt ſeptem ſanguinis Chriſti effuſiones, videndumque quid nobis ornamenti deſit, atque id omne à Chriſto petendum, quem ſumus ipſi hoſpitio ſuſcepturi, ſupplicandumque ei, vt ſuis diuitiis, diuinoque cordis ſui theſauro paupertati noſtræ ſubueniat. Iode enim expectandum cuique eſt, quod ad ornandem domum noſtram fuerit opportunum. Petemus verò id his verbis, quę excitatorij loco eſſe poterunt. O Rex gentium, & deſideratus earum, lapiſque angularis, qui facis vtraque voum, veni ſalua hominem, quem de limo formaſti. E ſurſum agnus mittitur laxare gratis debitum, omnes pro indulgentia vocem demus cum lachrymis. Veſperi adeunda erit Mater Dei, cuius nobis manibus hic panis datus eſt; orandumque, vt quando hoc ſacrum conuiuium in crucis menſa apparatum eſt, per eos quos ſenſit ad crucem dolores, nobis hanc à Deo gratiam impetret, vt filij ſui paſſioois participes ſimus. Offeremus verò ipſi quinque orationes Dominicas, tot denique ſalutationes Angelicas, ſupplicantes, efficiat ſuis precibus apud Deum, vt Chriſti quinque vulnera in cordibus noſtris imprimantur. Die tertio ſupplicandum Spiritui ſancto, vt qua charitate Apoſtolorum corda, & ad ſe recipiendum præparauit, & aduenìens die Pētecoſtes repleuit; noſtra corda inflāmet, atque ita præparet, vt eum toto corde, totiſque viribus amemus, qui ſe nobis ex tanta dedidit charitate. Hoc die conandum eſt, vt eo ſint ferueotiora deſideria, vehementioreſque affectus, qoo propior eſt ſolemoitatis dies: eorumque more, qui oſtia claudunt, quò poſſint domum commodiùs ornare, claudendi eruot ſenſus, & animæ potentiæ ad interiora reuocandæ; vocandus autem hoſpes ſæpe his verbis:

Veni Creator ſpiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Qui tu creaſti pectora.

Hieruſalem ſurge, & ſta in excelſo, & vide iucunditatem qua veniet tibi à Deo tuo. Veſperi oranda erit ſpooſa Spiritus ſancti, & peccatorum Mater, perque eam Spiritus ſancti gratiam obteſtanda, qua templum ſanctiſſimæ Trinitatis facta eſt, noſtræ vt paupertati ſuccurrat, nobiſque eum à filio ſuo amorem impetret, cui ille ſuum ita aduentum promiſit, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Recitanda verò ſepties, Ave Maria, quòd dona Spiritus ſancti impetremus.

***

Quid poſt Communionem agendum.

Caput XXIX.

Ne verò poſt communionem in ingratitudinis vitium incidamus, in gratiarum actione tres item dies conſummemus. Primo die agendæ gratiæ Patri æterno pro creationis beneficio, quod in communione renouatum eſt; quos enim ſua bonitate ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creârat, eádem nos in Euchariſtiæ ſacramento renouat, ſuamque quæ in nobis fuerat peccato deformata imaginem reformat. Recitabimus autem verſus hos nouem, & cœleſtes creaturas ad Patris noſtri, qui in cœlis eſt, laudes in hunc modum inuitabimus.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſacula.

Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite Sol, & Luna Domino, benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite imber, & ros Domino, benedicite omnis ſpiritus Domini Domino.

Benedicite ignis, & æſtas Domino, benedicite frigus, & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino, benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & niues Domino, benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino, benedicite fulgura, & nubes Domino.

Hoc, inqoam, modo creaturas inuitabimus, vt pro nobis Deo gratias agant, pro illis, inquam, beneficiis in ſacramento præſtitis, quorum nos, vel verba iſta Cantici admonent: fecit enim nos ex hominibus Angelos, ex terrenis cœleſtes, effuſiſque in nos gratiæ, & lachrymarum aquis, admiranda ſuæ charitatis opera declarauit. Illuminauit Sole iuſtitiæ, vt præſentis vitæ lunam, id eſt, inconſtantiam contemneremus: conuertit cordis noſtri frigus in ſuæ charitatis ardorem, noſtraſque luce ſua teoebras depulit: & grandinem denique, fulgura, & nubes affectuum noſtrorum remouit. Ita verſus prædicti, noo tantùm gratiarum actiones, ſed etiam monimenta quædam erunt beneficiorum Dei in Euchariſtiæ ſacramento acceptorum; ſi videlicet per ſingula verba, ſingula Dei beneficia in ſacramento præſtito recolamus. Interdiu excitanda mens erit, & hoc ſubinde exercitium ita renouandum. Benedicimus Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit oobiſcum miſericordiam ſuam.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Veſperi ad Reginam noſtram, & Dei Patris Filium adeundum, recitatáque ter ſalutatione Angelica, agendæ ei gratiæ de præparatione ipſius ad Incarnationis myſterium, quo tanquam medio ad nos cœleſtis hic panis peruenit:

peruenit: maximum verò id beneficium eſt, quòd quam ederimus, caro, & quem bibemus, ſanguis ex Virgine acce prus ſit: quodque eius meritis, & precibus, & ad Chriſtum ſuſcipiendum dignè pręparemur, & noſtra nobis à Deo peccata remittantur; quare pro omnibus Virgini agendæ ſunt gratiæ. Dici ſecundi matutino tempore, Chriſto Dei Filio, & Domino noſtro de redemptionis beneficio, cuius hoc Sacramenrum monumentum eſt, gratiæ agendæ; inuitandaque terra ad Dei laudem, quam ſibi Dei filius tanra benignitate factus homo coniunxit, dicendumque: Benedicat terra Dominum, lauder, & ſuperexaltet eum in ſæcula; aſcendit enim ipſe, aſſumpta terra noſtra, in Caluariæ montem, vt germinaret terra noſtra, quæ ex ſe tribulos, & ſpinas poſt Adami maledictionem producere nouit. Benedicite montes, & colles Domino. Benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino. Benedicite fontes, ideſt, lachrymæ Domino. Benedicite maria, dolorum ſcilicet, & ſanguinis flumina Domino, qui pro nobis tantis cum doloribus ſangninem fudit. Benedicite Cete, ideſt, maximi quique Sancti, & omnia quæ mouentur in eiuſmodi aquis, ideſt, reliqui iuſti Domino benedicite. Benedicite omnes volucres cœli Domino, ideſt, contemplatiui, qui in ſupremo cordis nidificant. Benedicite omnes beſtiæ, & pecora, ideſt, peccatores, Domino, qui eorum peccata remittit. Benedicite filij hominum Domino, per quem facti ſunt filij Dei. Hoc, inquam, modo agendæ erunt Deo gratiæ recitatis illis quinque verſibus Cantici, quorum iam hîc fecimus mentionem. Benedicimus Deum cœli, &c. vbi ſuprà. Item dicere poteſt,

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnis retributionis eius, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Veſperi adeunda Regina, & Domina noſtra, Dei Mater, recitatáque ter Ave Maria, agendæ ei gratiæ, quòd lacte proprio, magniſque laboribus panem hunc nobis ad victum dederit, in crucis ara pro nobis tanquam propoſitionis panem, atque in altari in noſtrum & remedium, & leuamen æterno Patri offerendum, atque in ſacrario ad ſolitudinis noſtræ conſolationem reponendum. De his, inquam, atque aliis nobis in ſacramento eius interceſſione collatis beneficiis, erunt Virgini agendæ gratiæ.

Tertio die agendæ gratiæ de beneficio adoptionis, & regenerationis, eiuſque in ſacra communione confirmationis. Eſt enim hic verè panis filiorum non mittendus canibus, ideſt, iis qui ad peccatorum vomitum reuertuntur. Eſt, inquam, panis, quem cùm comedimus, augetur in nobis adoptionis ſpiritus, in quo clamamus, Abba Pater. Eſt etiam fons, in quo renouatur animæ, ſicut aquilæ, iuuentus ſua, ideſt, quam in Baptiſmo accepit pulchritudo, atque innocentia: augentur enim huius panis vigore virtutes, & fides, & dona reliqua; quæ anima in Baptiſmate infuſæ faciunt eam eſſe Iſraël. Benedicat igitur Iſraël Dominum, lauder, & ſuperalter eum in ſæcula. Cumque anima ſe totam cum hac hoſtia, & ſacrificio ſacerdotum more Deo offerat, eiuſque virtute, ex illorum numero ſerui ſimus, quibus dicitur: Euge, & intra in gaudium Domini tui (eſt autem Domini gaudium ſe nobis in Euchariſtiæ ſacramento tantopere communicare, ſunt enim ipſius delitiæ eſſe cum filiis hominum.) Benedicite ſacerdotes Domini Domino. Benedicite ſerui Domini Domino. Benedicite etiam ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino: facit enim hoc Sacramentum veros adoratores, qui Deum in ſpiritu, & veritate adorent, vnumque cum Deo ſint charitatis vinculo, eorumque animæ, vt ſiut ſedes ſapientiæ, efficit. Benedicite ſancti, & humiles corde Domino, per quem ſancti ſunt, quique ad ipſos tanra cum humilitate deſcendit. Benedicite Anania, Azaria, Miſaël Domino, ideſt, tres animæ potentiæ, quas tanquam tres illos pueros ab incendio liberauit ſuæ gratiæ rore; intellectum quidem ab ignorantia, & errore: memoriam autem ab ingratitudine, & obliuione; à tepiditate verò & malitia voluntatem. Laudate ergo, & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicamus Patrem, & filium cum ſancto Spiritu laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Benedictus es Domine in firmamento cœli, laudabilis, & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula.

Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius. Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Veſperi, miſericordiæ Reginam, & Spiritus ſancti ſponſam adibimus, eique recitata ter ſalutatione Angelica, gratias agemus, quòd charitate maxima redemptionis noſtræ cauſa Filium Patri in cruce obtulerit. Quòd ſi homines his quorum opera redempti ſunt, & ſeruitute liberati, magna ſe intelligunt obligatione deuinctos, Matri huic miſericordiæ, quæ pro libertate noſtra carnem ſuam, ſuum ſanguinem, amorem, vitam, bonum denique omne pro nobis dedit, quantum, quæſo, debemus, aut pro his, atque aliis in nos ab ipſa collatis beneficiis, quas poſſumus, quęſo, grates perſoluere, non id quidem opis eſt noſtræ, ſed quas poſſumus tamen, (nam quas debemus non poſſumus) & ſanctiſſimæ Trinitati, & Beatiſſimæ Virgini, & Sanctis omnibus referamus. Qui quotidie celebrant ſuo modo hæc, aut ſimilia exercitia non omittant; quóque poſſunt modo ſibi & quotidianæ communioni coaptent.

Reuerentia debita Chriſto in Euchariſtia.

Capvt XXX.

Exqvisita hæc & diligens præparatio ad ſacram menſam nimia non videbitur magnitudinem tanti ſacramenti noſcenti, veneranti, admiranti, trementi. Quod ſemper plus, & amplius, magis, magiſque curabit ſuſpicere, & venerabundus, immaculatuſque tractare, ſemper attentus reuerentiæ Deo licèt abſcondito exhibendæ. S. Petrus, qui nudus naui aderat, proiecturus ſe in mare, veſtiuit; in feſtinata, & propera illa accedendi ad Chriſtum cupiditate veritus eſt ad illum nudus venire. Nec minus diligentem ſe habuit, vt accederet, quàm vt decorè accederet, non auidior fruendi illo, quàm reuerendi. Cuidam fidiſſimæ Iesv Chriſti ſeruæ oſtenſa eſt ingens pulchritudo cuiuſdam animæ iam penè purgatæ expiatoriis ignibus, quam

Dominus amplecti volebat. Sancta autem anima refugit. Miranti hoc fœminæ, illi reſponſum eſt, refugiſſe ſanctam animam amplexus illos diuinos, quia nonnihil adhuc expiandum ipſi reſtabat. Mirum quoque eſt quod ſanctus Odo pro huius reuerentia myſterij prodidit memoriæ libro ſuarum collationum ſecundo. Eſt, inquit, Eccleſia Beatæ Gualburgis in hac vicina nobis regione, in qua miracula fiunt. Contigit autem, ſicut Abbas Berno refert, vt eiuſdem ſanctæ Gualburgis reliquiæ ſuper altare per aliquot dies manerent. Sed mox miracula ceſſauerunt. Tandem verò ipſa Virgo quidam ex infirmis apparens. Idcirco, inquit, non ſanamini, quia reliquiæ meæ ſunt ſuper altare Domini, vbi maieſtas diuini myſterij debet ſolummodo celebrari. Quod cùm ille cuſtodibus referret, tulerunt capſam, & protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo ob illius myſterij reuerentiam, inquit ſanctus Odo, nec ipſa ſua pignora ſancti volunt propius vicinari, quid cenſendum eſt de immunditiis. Hinc Deus per Moyſem minatur. *Dic* (inquit) *ad filios Aaron, & ad poſteros eorum. Omnis qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, in qua eſt immunditia, peribit coram Deo. Ego ſum Dominus. Et certè illa nihil aliud erant, quàm vmbra iſtorum. Si ergo ad vmbram non licebat immundum accedere, quanto minus ad ipſam veritatem? Ex qua in finem prohibitionis concluſit, dicens: Ego Dominus. Ac ſi dicat: Ego ſcrutans corda; ego ipſe ſacerdos, qui diſcerno qualis vnuſquiſque accedat.* Hinc Ambroſius, *Caſtificabatur,* inquit, *populus per biduum, aut triduum, & lauabant veſtimenta ſua; & non aliter ad hoſtiam accedere permittebatur. Sed ſi in figura tanta populo obſeruantia iubebatur, quanta in ipſa veritate ſacerdotibus tenenda eſt? Diſce igitur, ô ſacerdos, & Leuita, quid ſit lauare veſtimenta, ne inquinato corpore, quo anima veſtitur, maieſtatem tanti myſterij temerario præſumas.* Vox ad Moyſem: *Locus,* ait, *in quo tu ſtas, terra ſancta eſt.* Qui etiam non eſt auſus reſpicere contra ignem, & ecce plus eſt in altare, ad quod nos impurè, & irreuerenter accedimus. Nam ignis ille non erat Deus, ſed creatura, ex qua vox Dei reſonaret; hic verò corpus Chriſti eſt, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Olim certè hoc myſterium, qui participare debebant, diſcalceatis pedibus accedebant; propter illud quod Moyſi & Ioſue præceptum eſt. Sanctus quoque Pachomius pictoribus præcepit, vt cùm oblationes coquerent, ſalutaria meditarentur, nihil vanè loquentes. Cùm ergo hoc in monaſterio Tabennenſi quadam vice violaretur, ſtatim Pachomio diuinitus reuelatum eſt, qui protinus Theodorum mittens negligentiam hanc velut diuini præcepti tranſgreſſionem emendari fecit. Naaman Syrus in tantam habuit reuerentiam locum, in quo nomen Dei inuocabatur, vt de Iſraël terram eum burdonibus portaret. Nos in atriis Eccleſiæ conſiſtentes, in terram Sanctorum, iuxta quod Propheta plangit, iniqua gerimus. Dum non modò terram, non modò cœlum, ſed ipſum conditorem cœli, & terræ parum reueremur. Reuereamur igitur tantum Sacramentum, & vereamur. Si enim de Bethſamitis ſeptuaginta ſeniores, & quinquaginta millia plebis percuſſi ſunt, eo quòd viderant arcam Dei, multò magis iſti, niſi reſipuerint, in æternum plectendi ſunt, ſicut ipſe teſtatur per Moyſem: *Omnis qui acceſſerit ad ea quæ ſanctificata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Quid ergo ſi pœna differtur, nonne hęc deſignata ſunt in theſauris Dei? Conſiderat enim nouiſſima eorum, & reddet vltionem hoſtibus ſuis. Oza quoque, quia tetigit arcam, mortuus repentè corruit: neque id ferunt mortale peccatum fuiſſe, ſed veniale, vt diſcamus qua cordis puritate ad hoc Sacramentum accedendum ſit, ne contenti ſimus expiatione mortalium, ſed venialium quoque purgationem præmittamus. *Nec ideo,* inquit S. Odo, *ſecuritas ſurrepat, eo quòd indignè ſumentibus diuina patientia ad tempus parcit, quia certè illi magis punientur, qui in præſenti correptione iudicantur indigni. Siquidem in exordio Eccleſiæ neceſſe fuit, vt ad rem demonſtrandam plerique tranſgreſſores corporali etiam pœna plecterentur. Vnde Apoſtolus ad Corinthios, Ideo, inquit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormientes multi, ſomno videlicet mortis. Ab Angelis quippe, qui ad hoc poſiti ſunt, etiam nunc perimerentur, ſicut Paſchaſius teſtatur, quicumque vel ſemel indignè communicant, niſi bonitas Chriſti, cuius iudicio pendent omnia, gladium ſuſpenderet, & temporalem mortem, quibuſdam vt pœniteant, remoueret. Alioquin nunc plagæ etiam & infirmitates nunquam tantum crebreſcerent, ſi omnes illud myſterium ſicut oportet perciperent. Reſipiſcentibus verò duplex in pœnitentia debet eſſe luctus, vel quia peccauerunt, vel quia cæleſte donum ad iudicium malè præſumpſerunt. Quod ſanè delictum nullo alio niſi Chriſto interueniente donabitur: vnde in lege ab his qui in ſanctificatis delinquunt, aries per quem Chriſtus intelligitur, offerri iubetur; vt apud Deum Patrem Deus homo Pontifex in æternum interpellare pro eo fideliter credatur. Atque ipſum per ſe moribus, & vita quotidie re indictum operit. Alioquin qui in Deum peccat, quis orabit pro eo? Quamuis enim quiſque multum ſit ex alijs peccatis indignus, tamen ex iſto magis grauatur, ſi ſancta contingit immundus. Quod exemplo Iudæ monſtratur, qui licèt corde nutauerit, tamen ante perceptionem illius myſterij cum Apoſtolis erat, & à Domino monebatur. Poſt perceptionem verò traditus Sathanæ continuò exiuit foras. Ob hoc itaque, quiſquis illud indignè ſe percepiſſe meminit, duplicem, vt diximus, debet habere luctum, vt exacta pœnitentia poſſit denuo ſancta participare. Namque pœnitentibus iuſſum eſt, vt hædus tollatur cum agno, vt ſi quis poſt lauacrum ceciderit, & cum ſtantibus agnum comedere non potuerit, vel hædum comedat, qui ſemper pro pœnitentibus mactatur. Non quòd Chriſtus hædus ſit, ſed pro diuerſitate meritorum aut agnus, aut hædus vnicuique ſit. Hinc item iubetur, vt qui in primo menſe, id eſt, in ea gratia quam in Baptiſmo percepit, Paſcha facere non poterit; ſaltem in ſecundo menſe illud faciat, id eſt, in pœnitentia, quæ poſt naufragium ſecunda tabula eſt, hædum indulgentiæ percipiat.*

Mirum eſt, quòd Iſraëlitis præcepit Dominus cùm coturnicum carnes erat ipſis largiturus, dicens: *Sanctificamini, cras comedetis carnes.* Quòd ſi ſanctitatem requiſiuit Deus vt populus manducaret volucrum carnem; quam ſanctitatem requiret vt manducemus carnem filij ſui. Illæ carnes futuræ erant exitiales Hebræis, quoniam cùm adhuc eſſet eſca in ore ipſorum, percuſſit illos

In 1. officior.

illos Dominus,& interierunt manducaotes. Nihilominus, qoia miracnloſè illud præſtitit beneficium, voluit à ſanctificatis ſumi. Igitur cùm caro Chriſti vitalis nobis ſit futura, vt quæ ſit vita æterna, & ıoaximum inter beneficia diuina, nec ſolùm miraculoſum, ſed memoria omnium mirabilium ſuorum, quanta ſanctificatione & puritate oportet à nobis ſuſcipi? Qua reuerentia & mnnditia debemus ad diuioiſſimum & mirificentiſſimum epulum accedere? Tanta oinnirum maiori ſanctificatione, quanto maior eſt caro Chriſti, quàm caro coturnicis; quanto præſtat vita morti, imò quanto præſtat vita beata miſerrimæ morti.

DOCTRINA VI.

DE RENOVATIONE ſpiritus.

Renouatio ſpiritus neceſſaria eſt, quoniam facilè inquinamur.

CAPVT XXXI.

Iſai. 52. EXCVTERE *de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Quoniam ad purificationem animi promouendam maximè expectet ſpiritu diligentiùs renouari, & id propterea iniunctum ſit, & triduum orationis ſexto quoque menſe huius renouationis cauſa concedatur. Opportunum etir illis Iſaiæ verbis, quibus ad reparandum, & renouandum ſe, hortatur Ieruſalem, atque ſub figura huius ſanctæ ciuitatis omnes excitar religioſas familias ad nouam, & floridam comparandam ſpeciem, & libertatem filiorum Dei, ſi ad renouationem quoque noſtri ſpiritus pro more nunquam ſatis laudando Societatis IESV, iiſdem in præſentiarum vteremur. Cùm enim florentem adhuc ſpiritum, & imaginem Dei, quam religioſi animi portant, viuidam, & integram videam, quid admonere illos potero, niſi vt vel puluiſculum & extrinſeca, quæ illam fulgere, & ſua pulchritudine renidere impediunt, excutiant, vt omnino permaneant ſpecioſi & mundi. Nam, vt dixit ſanctus Leo, *dum per varias actiones vitæ huius ſolicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano puluere, etiam religioſa corda ſordeſcere.* Ea enim eſt conditio humanæ conuerſationis, vt etiam feruidis, & ſolicitis ſui profectus tempore ipſo ſplendor vitæ remittatur, & feruor langueſcat ſpiritus, niſi ſæpiùs mundentur, & ampliùs accendantur. Quemadmodum picturæ, & ſtatuæ, quantumuis eximiæ, & in locis commodis, & ſacris ſeruentur intactæ, ſolo ipſo tempore ſordeſcunt, & obſcurantur puluere, niſi ſub tempora abſtergantur, & excuſſo renouentur puluiſculo. Sic noſtris animis, qui viuentes diuinitatis ſtatuæ ſunt, quantumuis in ſacris

Serm. 4. Quad.

clauſtris, & religioſa obſeruantia ſeruentur, non deſunt aliquæ minutæ ſordes, quibus minus colluceant, & placeant Deo, & Angelis. Et quemadmodum nullus eſt tam ignitus carbo, qui cinerem non creet, & ſuum ipſum fulgorem ſepeliat, niſi aſſiduo recreetur flabello: ſic nullus eſtram feruidus, & ardens in aſſecutione virtutis, qui repurgatione non egeat. Idcirco Beatus Macharius dixit: *Omnes Philoſophi, lex, Prophetæ, & ſalutaris aduentus circa puritatem laborant.* Hoc eſt, quod Euangelicus Vates iubet excuti ex puluere, non, inquit, ex cœno, non ex luto, non ex barathro aliquo proſilite, non è magnis ſceleribus extricari. Inter hæc enim & vitam religioſam magnum intercedere chaos debet, ſed ex minutiſſimis quibuſque imperfectionibus; licèt enim ſingulæ minimum quid videantur, offuſcant tamen lucem, & venuſtatem ſanctarum animarum; nec ſunt aliqua tam exigua, quorum multitudinem non debeat multum timeri. Atomi quibus puluis coit, tametſi nec viſu, nec tactu percipi poſſint, ſufficiunt, vt pulcherrimas conſpurcent imagines, fœdent veſtes, oculos lædant, exſiccent, & aliquando viſi fuerunt, qui illis ſuffocati manerent. Imbres quibus cœlum depluit, guttulis conſtant, & magna ædificia, oppidaque integra alluuionibus euertunt: quapropter etiam minimis rebus mundari nos oportet, & excuti ex puluere omni, quod tunc fiet, cùm ex ſe ipſo quiſque excutiatur, ſeque deſerat. nam puluis ſumus, & in ipſum reuertendi erimus, & niſi nos relinquamus, in puluere iacemus, in puluere inuoluimur, & puluis ſumus. Excutiamur ergo è nobis, excutiamuſque affectus, & deſideria, quæ noſtra, non quæ Dei ſunt, reſpiciunt. Sic reſtituemur in antiquum fulgorem, ſic reparabimus priſtinum feruorem ſpiritus, ne ſimus degeneres, tum à nobis ipſis, tum à ſanctis Patribus, & primis auctoribus noſtræ Societatis. Audiamus ergo Iſaiam nos exhortantem. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Ieruſalem, induere veſtimentis gloriæ tuæ, ciuitas ſancti, quia non adyciet vltra, vt pertranſeat per te incircumciſus, & immundus. Excutere de puluere, conſurge,* &c. Paulo antè dixerat: *Conſurge ſicut in diebus antiquis*, ſcilicet, ſicut in initio noſtri feruoris, ſicut antiqui Patres noſtri conſurgamus, & aſpiremus ad ſimilem ardorem charitatis, & altitudinem ſanctitatis. Ne dicatur de nobis, *Filij ſacerdotum non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam. Primitiui Parentes* (inquit Stephanus Cantuarienſis) *abſconderunt ignem in valle, id eſt, repoſuerunt dilectionem Chriſti in mente. Sed ſi à ſucceſſoribus eorum modò requiratur ignis, non inuenietur niſi aqua craſſa, quæ citius inquinat, quàm emundat.* Induere igitur religioſa Reſpublica fortitudine antiqua tui feruoris, induere veſtimentis gloriæ tuæ priſtinæ. O ciuitas illius ſancti feruidiſſimi, illius noui Eliæ, illius noui Apoſtoli Ignatij. Et non adiiciet vt pertranſeat vltrà per nos affectus incircumciſus, & immortificatus, quem ſtatim non iugulemus viriliter, hoc enim modo renouatio, & reparatio noſtra debet fieri. Nam in renouatione Ieruſalem per Nehemiam vna manu faciebant opus, altera tenebant gladium. Quoniam in cœleſti ciuitate amplam nobis domum conſtruere nequimus, niſi mortificatione importuna comitante noſtra opera, & affectionum ſuppreſſione, & iugulo.

Iſai. 52.

2. Mach. cap. 1.

Sic

Sic facilè conſurget noſtrum ſpirituale ædificium, & excutiemur à puluere.

Expurgatio peccatorum venialium.

Capvt XXXII.

Verum diſtinctiùs explanemus, quæ ſint iſtæ ſordiculæ, & puluiſculi, quibus emundandi ſumus, vt decor, & venuſtas ſpiritualis recreetur. Sunt enim culpæ veniales, deinde pœnæ ex peccatis, ſiue potiùs reatus, & dignitas ad pœnam. Tum habitus mali, & denique reliquiæ peccatorum. His quatuor rebus expiari, & ablui debemus, vt in ſua puritate almus ſpiritus recandeat, & limpidus, Deoque dignus ſit. In primis peccatum, licèt veniale, quia dehoneſtat decus animi, puluis eſt. Aptè Cardinalis Tuſculanus dixit: *Sicut puluis materialis pedes hominis ſordidat, oculos obturbat, os deſiccat, & ipſum totum vilificat; ſolent enim homines miſeri, pauperes, & deſpicabiles ſedere in puluere, & iacere, ſicut dicitur: Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylonis;* & illud, *Suſcitans de puluere egenum; ſic puluis ſpiritualis, qui peccatum eſt, pedes animæ, id eſt, affectus interiores inquinat, oculos ſcilicet intellectuales excæcat, os etiam ſpirituale deſiccat, quia totum humorem gratiæ conſumit, ipſum etiam hominem totum vilificat, & vilem coram Deo demonſtrat.* Satis hæc ſunt, vt iſta peccata quantumuis leuia quoad poſſimus declinaremus. Nam ſi quis coram Rege alicuius anguli terræ, quæ tota punctum eſt reſpectu cœli, aſſuturus eſſet, nollet illum puluerulentus, ſordidus, & iacens, aut ſedens in puluere alloqui; ſed comptus, vrbanus, ſplendidus, & eo modo, quo illi gratus eſſe putaret. Cur nos mundari non curamus, qui quotidie Deo aſſiſtimus, & à cuius præſentia, & memoria diſcedere non debemus. Cur non induemur veſtimentis gloriæ purificatis etiam leuibus culpis, vt coram Rege gloriæ decenter compareamus. Sunt præterea multa alia, quæ nos debent deterrere ab his paruis defectibus, quos cùm magna bona impediant, parui non oportet fieri. Anne paruum eſt, quod contriſtent Spiritum ſanctum, & Angelum cuſtodem, quòd impediant diuini Spiritus afflatus, & monita ſancti Angeli. Anne parum eſt, quòd efficaciam ſacramentorum debilitent, & quaſi obturent fluxus ſanguinis Chriſti, ne hauriamus copiosè aquas de fontibus Saluatoris. Anne paruum eſt, quòd actiones virtutum impediant, vt quaſi exanimes fœtus noſtra opera reddant, quòd infringant vim ſpiritus, quòd ardorem charitatis attenuent, quòd in multas anguſtias nos impellant, quòd extinguant ſenſum, & guſtum rerum ſpiritualium, quòd exponant nos debiles & languidos tentationibus, quòd ſternant viam ad interitum, & lapſum in grauia peccata. Quid enim refert, an vno grandi fluctu nauis opprimatur, an paulatim irrepens in ſentinam humor, & neglectus illam ſubmergat. Vtroque modo naufragabitur: nam non rarò accidit, vt qui leuia contemnit, in grauiora labatur, & tamen non ſentiat mortiferam plagam obducto iam in minoribus callo, amiſſo timore Dei, atque conſcientiæ aculeo obtuſo. Deinde reos nos faciunt quamlibet minimæ culpæ magnarum pœnarum, quas aut in hac vita, aut in purgatorio tenemur luere. Multa alia damna nobis infert negligentia defectuum leuiũ, nec parum eſt, quod nocet fratribus noſtris; nam per hos defectus offenduntur alij, tum prauo exemplo, tum quia ſancta Mater Eccleſia defraudatur auxilio, quod filij debent matri, cùm preces negligentium, peccata licèt parua, ſint languidæ, conuerſatio diſſoluta, ſermones frigidi; imò etiam animabus in Purgatorio crudeles erimus hac eadem ratione, cùm noſtræ orationes, & alia ſuffragia pro illis minus efficacia reddentur. Quare licèt peccata venialia nullum detrimentum nobis inferrent, nullam venuſtatem noſtræ animæ auferrent; hoc ſolo quòd fratribus noſtris, & animabus in purgatorio vtiliores eſſemus, deberemus illa pro viribus horrere, & vitare. Accedit, quòd Beati in cœlo per hos noſtros defectos præcipuo gaudio priuantur, Deus magna laude & gloria, Chriſtus debito obſequio & gratitudine. Quare vtilitas noſtra, miſericordia erga proximos, reuerentia erga Deum, & charitas erga nos, & proximos, & Deum compellere nos debet, ne parua iſta peccata negligamus, cùm magna detrimenta nobis, & aliis afferant. Non leue adiumentum ad hæc vitanda Societas Iesv prouiſit, cùm tribus diebus velit vt vacemus iugi meditationi harum rerum, diſcuſſioni conſcientiæ noſtræ, & confeſſioni generali, ſexto quoque menſe faciendæ, cum lachrymis, ac immenſo cordis ſenſu, atque firmo, &, vt ſic dicam, æreo, æternoque propoſito ſingula non committendi. Lugeamus igitur peccata venialia, quæ non, quòd minima ſint, parum periculoſa ſunt. Siquidem cauſa ſunt noſtræ ignauiæ, noſtræ imperfectionis, & immedicabilis teporis, cùm ob paruitatem ea contemnentes in ipſis ſeneſcamus. Quapropter ſanctus Chryſoſtomus auſus eſt dicere magis cauenda eſſe, quàm grauia. Sanctus Baſilius diligentiùs emendanda. Sanctus Gregorius deterius in illis peccari quàm in maiori culpa; ſed quid mirum ſi propter ea tepidi ſimus, & ipſa ſapientia Dei Chriſtus Ieſus deterius iudicarit eſſe tepidum, quàm frigidum dicens tepido Epiſcopo, *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus.* Et quidem ſicut Caſſianus dixit, rectiſſimè pronuntiatur eſſe deterior, quia facilius ad ſalutarem conuerſationem, ac perfectionis faſtigium carnalis quis, id eſt, ſæcularis, vel Gentilis accedit, quàm is qui profeſſus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens ſecundùm regulam diſciplinæ, ab illo ſemel ſpiritalis feruoris igne diſceſſit. Cuius dicti & hæc ratio eſt, quòd eos, qui grauibus peccatis frigefacti ſunt, ipſa peccatorum grauitas admoneat, & terreat, vt ad Deum feruidè conuertantur. Tepidi autem cùm grauia peccata in ſe non inueniant, & leuia non curent, in ſuo ſtatu permanentes nihil de aſſequenda perfectione cogitant.

***

Hom. in die Ciner.

Iſai. 17.

1. Reg. 2.

Coll. 4. c. 19.

Secun

Secunda purgatio pœnarum peccatis debitarum.

Capvt XXXIII.

CÆterum poſt munditiam animæ à culpis, reſtant alia de quibus mundari debet, hoc eſt, quod ſponſa ait, *Nigra ſum, ſed formoſa.* nam formoſa & pulchra anima per expiationem culparum poteſt manere decolor, & cum minori elegantia, atque decore, dum pœna & ſupplicio manet digna. nam productior eſt pœna, quàm
Tract. vlt. in Ioan. culpa, inquit Auguſtinus, ne parua putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Hoc credo maxima conſideratione dignum eſt, vt omnino curemus mundi eſſe etiam à reatu, & infami illa dignitate pœnarum: nam præterquam quòd hæc obligatio ad pœnas minuat decus, & fulgorem puritatis, cum qua decet ſeruos Dei coram eo ambulare. Oportet timere diuinam iuſtitiam, etiam poſtquam reconciliati cum illa ſumus. Hoc eſt quod dicitur, de propitiato peccato noli eſſe
Num 12. ſecurus. Nam ſorori Moyſis licèt remitteretur murmurationis peccatum, lepra ſeptem dierum
2. Reg. 12. illam afflixit. Rex Dauid nouit per Prophetam Nathan, remiſſa ſibi fuiſſe adulterium, & homicidium; & tamen multa grauia deinceps propter illa paſſus eſt, etiam à proprio filio. Poſtquam
Exod. 32. egit Iſraël pœnitentiam, propter quam, & interceſſionem Moyſis remiſit illi Deus idololatriam. Nihilominus dixit Dominus: *Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Denique Adam multis ſubiectus fuit miſeriis per annos pluſquam noningentos, imò nos etiam nunc luimus pœnas peccati eius, non tantùm in corporis ærumnis, ſed quòd neget Deus multa ſuæ gratiæ auxilia. Hoc certè maximè pertimeſcendum nobis eſt, cùm pœna peccatorum non tantùm ſit afflictio carnis, & iactura rerum temporalium, quas vltrò reiicere debemus, ſed quòd neget interdum ſuam gratiam Deus, minus nos diuinis inſtigans inſpirationibus, & illuſtrationibus erudiens ad bene, aut non malè operandum. Quare in negligentia pœnitentiarum, auſteritatum indulgentia, aut quouis modo ſatisfaciendi pro pœnis peccatorum etiam venialium, eſt quædam quaſi turpitudo, & deformitas, cùm ſit veſtigium & pignus aliquod peccati, quod turpiſſimum eſt, illa obligatio pœnæ: & præterea imminet magnum damnum corpori & animæ. Nam ſi Deo non ſatisfacimus, ipſe ſibi de nobis ſatisfaciet, ſi vltrò carnem noſtram non affligimus, per abſtinentiam, flagellationes, cilicia, affliget Deus per morbos, dolores, & alios cruciatus, quos immittet, & quandoque vitæ filum præcidet; quòd ſi nullis aduerſitatibus nos hîc puniat, ſed in purgatorium nos reſeruat, deterius nobiſcum agetur: tum quia acerbiora multo ibi patiemur, & hoc ſteriliter ſine fructu meriti; tum, quia diutiùs differetur ingreſſus noſter in ſanctam illam ciuitatem, & requiem cœleſtem. Dum autem in hac vita ſatisfacimus, citiùs Deum videbimus, & minus patimur. Vnde Gerſon dixit: *Pœna in inferno pro mortali illata eſt, ſicut ſoliditas; illata verò ibidem pro veniali eſt ſicut ſuperficies; in purgatorio autem pro veniali illata eſt ſicut linea; in præſenti verò ſæculo pro veniali illata eſt ſicut punctus. Vnde ſicut iſta quatuor ſunt ad inuicem improportionabilia, ita inter quatuor pœnas ſupradictas improportionabilis differentia eſt.* Sed præterquam quòd ſatisfacientes in hac vita citiùs, & minus patimur, fiet hoc cum merito, & fructu vitæ æternæ, & maiori communicatione & vſufructu gratiæ, & auxiliorum Dei; nam afflictionibus corporis alitur vis ſpiritus, & maiorem anima feruorem obtinet, & pluribus illam Deus impulſibus, ac lumine maiori iuuat. Tum ſi ſatisfactio in hac vita ſit, quia vltrò nos affligimus, multo minus neceſſe eſt pati, & multo magis ſatisfacimus, & cum maiori merito, & largitionibus donorum cœleſtium, quàm cùm Deus nos punit, aut ægritudinibus, aut aliis vitæ huius ærumnis. Quapropter Societas noſtra licèt per totum anni circulum commendet nobis, & deſignet pro cuiuſque neceſſitate pœnitentias, & carnis afflictiones triduum renouationis deputauit, vt maiori diligentia illis vacemus, vt pulchriores Deo reddamur, nec fraudemur tot bonis, quot ex faciendo ſatis pro peccatorum pœnis enaſcuntur. Atque vltrices Dei manus effugiamus, præueniamuſque acerbiſſima ſupplicia; tum pleniorem gratiam, ac vitam æternam mereamur. Sic facimus, quod Iſaias dixit: *Solue vincula colli tui.* Soluemus vincula, & obligationem ad pœnam.

Tertia purgatio malorum habituum.

Capvt XXXIV.

ATqvi poſt deletam culpam, & ſolutam pœnam, manet adhuc puluiſculus, de quo excuti debemus; manent inclinationes, & habitus mali, qui non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè, quaſi dehoneſtant animæ candorem, & decus. Nam quemadmodum corpus fœdatur membrorum inæqualitate, ægritudinibus, & vlceribus: ſic anima dehoneſtatur malis habitibus, quibus impediuntur potentiæ ad bonum, & naturalem ſuum boni vſum, totaque anima languet, & ægrotat ad bonum, atque ſi obligatio ad pœnam, quia effectus culpæ eſt, deformat animam. Nonne etiam illam dedecorabunt habitus mali, qui ſunt cauſæ peccatorum, & quaſi obligationes ad culpam? Ita intenſi, & radicati aliquando ſunt, vt nos velut poſt ſe raptent infirmantes liberi arbitrij vſum, impellentes nos ad malum tanquam ſeruos, & captiuos, quod ſatis indicauit Iſaias vocans captiuam filiam Sion. Quare oportet eripi omnino hac tyrannide, funditusque abradere quidquid peccato adglutinatur, quod ſatis in figura commendatur,
dum in Deuteronomio dicitur: *Diſſipate aras eorum*, (idolorum ſcilicet, quæ peccata deſignant,) *& confringite ſtatuas, lucos igni comburite, diſperdite nomina illorum de locis ſuis.* Deut. 12. 31.
Habitus malos præcipuè ſpectat hæc oratio, qui nomina imponunt moribus. nam ab habitu, non ab actu denominatur aliquis caſtus, aut impudicus, manſuetus, aut iracundus, obediens, aut diſcolus. Hos habitus vult Deus diſſipemus, confringamus, comburamus, diſperdamus, vt nihil reſtet ex peccato, nec vmbra, nec

Deut. 7. nomen. Iterum dicitur in Deuteronomio : *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam poſſeſſurus ingrederis , & deleuerit gentes multas coram te , Hethæum , & Gergezæum , & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum , & Iebuſæum, ſeptem gentes multo maioris numeri, quàm tu es, & robuſtiores te , tradideritque eas Dominus Deus tibi , percuties eas vſque ad interneeionem.* Hæ ſeprem gentes ſunt ſeptem habitus mali , hoc eſt , ſeprem vitia , quæ cùm gratiam Dei conſequitur anima , & vitam ſpiritualem ingreditur , occiſione magna debet occidere , & penitus delere. Hi habitus ſunt culparum matrices , per hos multiplicatur fomes peccandi , hi ſunt quaſi intrinſecæ tentationes. Nam non opus eſt extrinſecus tentari , qui hos domeſticos , & velut inuiſceratos nobiſcum Dæmones habet , qui violentent , & vrgeant ad malum : meritò propterea exclamat Hellinandus Monachus. *O violentia conſuetudinis , quanta eſt tua potentia, qua de libertate facis ſeruitutem , de morbo complexionem , de voluntate neceſſitatem , de caſualibus naturalia , de contingentibus impoſſibilia.* Quare præter dedecus quo notant animam , dehoneſtantque habitus, & inclinationes malæ , valde formidandæ ſunt propter periculum, quod habent iterum relabendi. Vidimus iam quantopere timendum nobis ſit, obligationem, & reatum ad pœnam non delere: multo plus formidandum eſt habitum malum conſeruare ; quantum ſcilicet diſtat culpa à pœna, quæ ſeruis Dei debet videri diſtantia , & exceſſus infinitus , cùm reſpectu culpæ non debeat pœna exiſtimari malum ; damnum enim , quod nobis poteſt accidere ex negligentia diluendi reatus peccatorum, pœna eſt. At damnum, quod nobis accidit negligentibus malos habitus culpa eſt infinitè plus pertimeſcenda , quàm omnes pœnæ , & cruciatus huius, & alterius vitæ. Quare non ignauiter tantam nobis prouinciam aggrediendum eſt , ſed omni ſolicitudine, & conatu. Præcipua cura adhibenda eſt examini particulari exactiſſimè obſeruando , quod hac cauſa inſtitutum, & commendatum nobis eſt à glorioſiſſimo Patriarcha noſtro S. Ignatio , vt prauas conſuetudines, habituſque malos auferamus.

Apud Vincent Belnac. lib. 29. c. 141.

Quarta purgatio reliquiarum peccati.

Capvt XXXV.

Restant poſt hæc omnia reliquiæ (ſic vocant) peccatorum , quibus erudrandi, & purificandi ſumus ; quemadmodum enim ex magnis morbis remanent periculoſa accidentia, debilitas crurum, laxatio ſtomachi , contorſio laterum , imbecillitas cerebri. Sic ex peccato quantumuis remiſſo , manent accidentia peſtifera , debilitas reſiſtendi malo , rebellio , contradictio bene operandi , atque alia, quæ ſingulis peccatis peculiaria ſunt , quemadmodum in odio vltionis appetitus, impatientia, indignatio. His quoque reliquiis , & ruderibus purgari nos oportet. Sicut enim cùm peſtis ingruit, non ſolùm homines lue infectos vitamus, ſed epiſtolas eorum , veſtes, ac totam ſupellectilem , & quidquid ad illos ſpectat , ne in nos ſimilem transfundant morbum. Ita etiam non ſolùm peccata , ſed quidquid ad peccata attinet, & ex peccatis redundat, formidare debemus , ne virus peſtiferum in nos refundat ; iſtæ enim reliquiæ ſunt pignora , & illices peccatorum , quibus facilè reuocabuntur. Quare hoc ſignificatur nobis in illis verbis, quæ Samuel nomine Domini dixit Sauli. *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius , non pareas ei , & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid ; ſed interfice à viro vſque ad mulierem , & paruulum , ac lactentem, bouem, & ouem, camelum , & aſinum.* Auferentur iſtæ ſordes præter ea remedia, quæ iam diximus, abnegatione ſui , & conatu renuntiandi ſe , qui licèt panis quotidianus religioſæ vitæ debeat eſſe , his præſertim diebus plus ſtudere debet religioſus , & ſaginari mortificationis ſtudio. Deinde oratione feruenti , vt ſancti Spiritus donis ſalutariter vtamur, quibus iſtæ reliquiæ abradentur, iterando ſæpe coram Deo cum lachrymis, & corde contrito , atque humiliato. *Ampliùs laua me Domine.*

Quæ potiſſimè purganda ſunt in renouatione.

Capvt XXXVI.

Verum licèt in vniuerſis animæ , & corporis membris, facultatibuſque elucidandis , atque ab omni depurgandis puluiſculo maxima cura adhibenda ſit , illæ potiſſimum partes ſunt abſtergendæ, quas Scriptura nobis exhibet puluere fœdatas. In primis exhibet Amalecitam illum , qui nuntiauit Dauidi Saulis mortem conciſſa veſte, & conſperſus puluere caput. Puluerem habere in capite quid eſt, niſi intentionem habere non puram ; quemadmodum ille Amalecita, qui voluit fallere Dauid, ſua reſpiciens , non quæ erant Regis. Pars animæ, quæ maximè obnoxia eſt ſordibus , intentio eſt , hæc eſt , quæ ſæpiùs inquinat nos , hæc eſt, vnde toti tenebroſi ſimus ; ideo ſumma diligentia perſpiciendi ſunt fines noſtrorum operum, ne quid faciamus , niſi quod vult Deus , & id ſolo amore Dei : nam hæc duo requiruntur ad puritatem , & pulchritudinem intentionis , res , & cauſa : ſcilicet quòd opus, quod facimus, gratum ſit Deo , & id faciamus ſolùm ea cauſa , vt grati ſimus Deo , ſiue potiùs , quia nobis gratus eſt Deus, quia nobis placet infinita Dei pulchritudo, quia immenſam illam bonitatis abyſſum ex toto corde , & medullis animæ amamus. Hæ ſunt ſpecioſiſſimæ genæ ſanctæ animæ, quas propterea pulchras dicit ſponſus ; nec enim decor , & venuſtas intentionis conſtat niſi ex his duabus, quod pulchrè ſanctus Bernardus explicuit , ſex genera intentionis diſtinguens. id totum fiet planius exemplis , ſi, verbi gratia , intendat quis animum inquirendæ veritati , atque id ſolo veritatis amore. *Non te his, tibi videtur* , inquit Bernardus , *& rem, & cauſam habere honeſtam, meritòque ſibi vendicare, quod dicitur : Pulchræ ſunt genæ tua , ſicut turturis , cùm in neutra genarum næuus reprehenſionis appareat ? Quod ſi minimè quidem veritatis deſiderio , ſed aut inanis gloria;*

aut

aut alterius qualiſcumque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit, iam etſi vnam genarum videatur habere formoſam, non tamen, vt arbitror, dubitabis iudicare, vel ex parte deformem, cuius alteram faciem cauſa turpitudo fœdauerit. Si autem videris hominem nullis honeſtis ſtudijs intendentem, ſed carnis illecebris irretitum, ventri, & luxuriæ deditum, quales ſunt illi, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt; quid? iſtum non ex vtraque parte fœdiſſimum iudicabis, in cuius vtique intentione & res & cauſa reproba inuenitur? Ergo intendere non in Deum, ſed in ſæculum, ſæcularis anima eſt, nec vllam prorſus genarum ſpecioſam habentis. Intendere autem quaſi in Deum, ſed non propter Deum, hypocrita planè anima eſt, cuius, etſi vna facies decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione reſpiciat; ipſa tamen ſimulatio omne decorum in ea exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel ſolùm, vel maximè ob vitæ præſentis neceſſaria ad Deum conuerterit intentionem, non quidem face hypocriſis putidam, puſillanimitatis tamen vitio dicimus ſubobſcuram, & minus acceptam. Porrò è contrario intendere in aliud, quàm in Deum, tamen propter Deum, non otium Mariæ, ſed Marthæ negotium eſt. Abſit autem, vt quæ huiuſmodi eſt, quicquam illam dixerim habere deforme, non tamen ad perfectum adfirmauerim perueniſſe decoris; quippe quæ adhuc ſolicita eſt, & turbatur erga plurima: & non poteſt terrenorum, vel tenui puluere non reſpergi, quem tamen citò faciléque deterget, vel in hora ſanctæ dormitionis caſta intentio, & bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum. Ergo ſolùm inquirere Deum propter ipſum ſolùm, hoc planè eſt vtramque bipartitæ intentionis faciem habere pulcherrimam, atque id proprium, & ſpeciale ſponſæ, cui meritò ſingulari prærogatiua, audire conueniat: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.

Deinde vbi ſæpiùs labimur, vbi ſæpiùs coinquinamur os, eſt quod nobis ſignificauit ille filius Prophetarum, qui aſperſione pulueris immutauit oculos, & os; atque clariſſimè Saluator, & Magiſter noſter IESVS, conuocatis ad ſe turbis, dixit eis. *Audite, & intelligite, non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Verba otioſa, indecora, inconſiderata, falſa, faceta, ridicula, detractoria, hæc dehoneſtant vitam ſeruorum Dei, & coinquinant puritatem religioſæ conuerſationis, quam tamen ſilentium decorat. Planè intentionem, & linguam puram habebimus, ſi purificatos & limpidos conſeruemus affectus, ſi iuxta Saluatoris præceptum excuteremus puluerem de pedibus. *Pedes enim animæ*, vt Auguſtinus ait, *affectus ſunt.* Hoc magnopere curandum eſt, ne deſideria noſtra terreſtria ſint, ſed cœleſtia. Diuina ſolùm quæramus, diuina concupiſcamus, diuina ſpiremus; conuerſatio, atque municipatus noſter in cœlis ſit; hoc pacto & intentionem mentis defæcatam, & limpidam ſeruabimus, & non erit vnde inquinetur os, cùm regnum Dei intra illum ſit, qui terreſtria deſpicit, cœleſtia amat: nec exterius ſolatium ab hominibus quæret otioſis, aut facetis colloquiis, cùm in ſe concludat Deum, & eius Regnum. Atque cùm neceſſe ſit

3.Reg.20. Matth. 10.

agere cum hominibus, ex abundantia cordis os loquetur. Quòd ſi aliquibus Religioſis hæc affectuum purificatio neceſſaria eſt, maximè Societati IESV, cuius filij euangelizant pacem, vt in nobis adimpleatur illud: *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem.* Denique vnde non parum dehoneſtatur maieſtas virtutis, eſt defectus modeſtiæ, atque minor cura religioſæ grauitatis in extrinſeco corporis cultu. *Induta eſt caro mea putredine*, inquit Iob, *& ſordibus pulueris cutis mea aruit, & contracta eſt*; nam puluerulenta & ſordida eſt extrinſeca virtutis facies ſine maturitate vultus; nam modeſtia corporis eſt animæ quædam imago, virtutiſque aſpectus. Nihil enim virtutis videmus, niſi quod per corporis grauitatem tranſpicimus, in hac renouatione iubet nos Iſaias induere veſtimentis gloriæ. Modeſtia eſt veſtimentum, & purpura interni ſpiritus, ſine qua ſordet, & veluti nudus eſt; quòd ſi puderet nobis incedere nudos corpore, cur nudam virtutem, & animam præferre non erubeſcimus. Modeſtia teſſera eſt religioſæ vitæ, maximè Societatis noſtræ, per hoc ſymbolum internoſci deberemus; nulla Religio eſt, cui magis, quàm noſtræ commendetur, & peculiaribus inſtituatur regulis hæc virtus; quapropter diligenter obſeruandæ ſunt, atque multis legendæ, ac perlegendæ diebus, vt non ſolùm interiùs, ſed exteriùs reformemur, atque omnem animi, corporiſque puluerem excutiamus. Accedit quòd in animam noſtram nulla parte, niſi per feneſtras ſenſuum, puluis ingreditur. Si hi clauſi fuerint, ſi ſeruentur, limpida manebit. Quare, vt penitus excutiamur ex puluere, modeſtia obſeruanda eſt, ſic coram Deo, & hominibus honeſti, & decori videbimur.

Iob 7.

Feruida & veloci ſuſcitatione ſomnolentia ſpiritualis excutienda eſt.

CAPVT XXXVII.

CONSVRGE *Hieruſalem, ſolue vincula colli tui.* Peccata quamuis tenuia, & exigua ſint, nos propoſitione ſua impediunt, & ligant, ne integrè poſſideamus libertatem filiorum Dei, neque valde in ſpirituali procedamus vita. Idcirco S. Propheta Iſaias vocat hîc *vincula*, quæ paulo antea *puluerem* dixit, ex quo puluere iubet nos nunc ſurgere, & ipſa conſurrectione exuere nexus & vincula. Nam idem intelligitur in illo puluere, & in his vinculis, ex quibus ſoluemur conſurgendo, id eſt, feruore ſpiritus, quem renouationis diebus requirimus, & reparare pro virili ſtudemus. Sacra enim Scriptura per verbum *ſurgendi* diligentiam, conatum, & ardorem in rebus ſpiritualibus ſæpe commendat. Quemadmodum per verbum *dormire*, teporem, & languorem improbat. Multis hoc teſtimoniis confirmare poſſem. Solùm in vno immorabor, quod opportunum exiſtimo, vt differentiam teporis, & feruoris nobis explicet. Quantumque diſtet opus & opus, cùm fit ſegniter, aut cùm diligenter, & feruidè: nam feruentiſſimus

Propheta Elias poſtquã illud egregium factum exequutus fuiſſet, cum zelo zelans honorem, & domum Dei, falſas occidit Prophetas, in magnam tepiditatem, & acediam lapſus, timuitque verba vnius fœminæ, atque hac, & illac improuidus effugiebat donec præ tædio petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, proiecitque ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi, vt per hunc ſoporem ſignificaretur remiſſio, & laſſatio, quam in ſpiritu tunc temporis habebat. Vult nos Deus humiles ſeruare, propterea reliquit ſanctum iſtum Prophetam poſt opus illud laudatiſſimum, quod tam ardenter, & heroicè perfecit, vt cognoſceret quid ex ſe haberet, & quid ex Deo. Cùm igitur laſſus iaceret, & dormiret, ecce Angelus, vt ad feruorem excitaret illum, attulit ſubcineritium panem, qui ſanctiſſimum corpus IESV ſignificabat, quod præcipuè habet vim inflammandi nos, & excitandi ad ardorem ſpiritus, & charitatem, & ait ad Prophetam dormientem, *Surge, comede*; duo Angelus iubet, Elias tamen fecit vnum, non alterum. Comedit, non ſurrexit hac vice, nec id dicit Scriptura, ſed vt reſpexit panem ad caput ſuum, iacens, ſicuti erat, comedit illum, atque ideo perinde laſſus, & remiſſus manſit, & rurſum obdormiuit. Hoc nobis quotidie accidit in participatione ſacri myſterij, comedimus cœleſtem panem, manemus tamen peræquè remiſſi, & frigidi, ac ante communionem eramus, iterumque dormitamus, & torpemus, quia non conſurgentes à terreſtribus, non excuſſi à puluere, non feruidi accedimus. Comedimus panem, non ſurgimus, nec dignè præparemur, vt comedamus reuerenter, quemadmodum Elias fecit. Angelus igitur cùm vidiſſet Prophetam æquè laſſum, remiſſum, ac dormientem, ſicut paulo antè. Reuerſus eſt ſecundò, & tangens eum, admonet iterum: *Surge, & comede*. quaſi diceret non ſatis eſt Elia comedere vtcumque ex hoc pane, vt conforteris, & languorem remittas; opus eſt ſurgere etiam, & comedere illum, non tanquam vulgarem cibum, ſed feruidè, & reuerenter; tunc Propheta fecit, quod Angelus monuit: ſurrexit priùs, & poſtea comedit. Quid tunc accidit? Num iterum dormiuit? An laſſus ſicut pridem manſit? Audiamus quid dicit Scriptura: *Cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb*. Non amplius dormiuit; imò tempore ſomnus iter illud grande faciebat, diu noctuque itineratus ſine laſſitudine aliqua. Hinc poſſumus colligere, quantum ſit damnum temporis, quantum lucrum feruoris. Quid interſit inter vitam Religioſi negligentis, & vitam feruidi, ac ſoliciti? Quantum diſtet opus, & opus; opus remiſſum ab opere exacto, & perfecto. Hinc noſcemus cauſam cur tot præſidiis ſpiritualis vitæ, tot ſacramentis, quæ frequentamus, nihil proficimus, nihil progredimur in ſpiritu; ſed perinde, ac antea deficimus, laſſi ambulamus, aut potiùs ſtamus, imò turpiter iacemus ſegnes, & remiſſi. Languor noſter ſterilia opera reddit noſtra, quantumuis ex ſe laudabilia; ſacramenta inefficacia efficit; ipſum corpus Chriſti cùm ſumimus, inutile nobis facit. Et vnde proſilire debebamus, ignem, & charitatem ſpirantes, manemus frigidi, & laſſi. Sicut Elias, cui prima ſumptio Angelici illius panis inutilis fuit, nihilque confortauit illum, quia ſegnis, & iacens comedit. Secunda verò ſic eum roborauit, vt longiſſimum iter ieiunus, & abſque vlla quiete quadraginta diebus & noctibus perfeciſſet, quoniam conſurrexit, vt comederet, in quo ſignificatur feruor, & diligentia per quam ſoluere vincula noſtri colli Iſaias adhortatur. Tanti refert modus manducationis, vt idem cibus non eoſdem, imò contrarios ſortiatur effectus, cumque cœleſtis iſte cibus ſit, & cœleſtes reddat feruidè ſumentes illum; terreſtres tamen relinquit ſegnes, vt nihil ipſis proſit, quemadmodum nihil prodeſt Chamæleonti aëre veſci re ſubtiliſſima, leuiſſima, velociſſima, vt ipſe agilis & velox ſit. De hoc animali dixit Tertullianus quòd oſcitans veſcatur; idcirco quamuis aëre elemento velociſſimo veſcatur, tardiſſimum & ſocors manet. Sic eſt qui tepidè & ſegniter manducat cœleſtem hunc cibum, vt terrenus perſeueret.

Peccata venialia vincula ſunt.

Capvt XXXVIII.

Conſideremvs igitur, quæ vincula ſint iſta. Exiſtimo eſſe peccata venialia, & imperfectiones, cùm dicat Propheta, *Solue*. Nam mortalia ſibi ſoluere peccata nemo poteſt, ab alio ſoluenda ſunt, quod nos docet Scriptura, in qua ligatos inuenio & mortuos, & dormientes; in mortuis peccatores intelliguntur, qui vitam gratiæ non habent, in dormientibus negligentes, & tepidi, qui tametſi vitam gratiæ habeant, habent illam ſine vſu, ſine efficacia inutilem penè. Quemadmodum qui dormit, vitam quidem habet, ſed vitam ſimilem morti, ſine vllo vitæ exercitio; idcirco aptiſſimè in Scriptura ſegnes comparantur dormientibus: illorum autem vincula, nempe mortuorum, & peccatorum non ſoluerunt ipſi mortui, ſed alij. ideo Lazari quatriduani ligamenta iuſſit Chriſtus Apoſtolos ſoluere, quia peccata mortalia niſi confeſſione, aut voto confeſſionis tolli nequeunt, ſubiecta neceſſariò ſunt clauibus, & poteſtati ſacerdotum. Non ita accidit in dormientium vinculis, quæ ipſi ſibi ſoluerunt, ſicut Sanſon in ſomno ligatus, diſſoluit arctiſſimos conſurgens nexus, quibus vinctus iacebat. Ergo cùm ait Propheta Euangelicus, *Solue*, indicans actionem propriam, de vinculis dormientium, atque tepidorum loquitur, & ſunt peccata leuia, atque imperfectiones, quæ nos colligant, & impediunt, ne coram Deo ambulemus in veritate, & feruore ſpiritus. Iob etiam ſignificauit tepidum laqueis implicatum: *Conſiderate* (inquit) *ſemitas Theman, & itinera Sabba*. Appoſitè S. Gregorius. *Theman Auſter, Sabba rete interpretatur. Quid* Lib. 7. Mor. cap. 14. *hic per Auſtrum, qui afflata teporibus membra diſſoluit, niſi fluxa viuendi remiſſio? Quid per rete, niſi actionis obligatio demonſtratur? Qui enim diſſoluta mente ea quæ terrena ſunt, appetunt, nec greſſu libero ad Deum pergunt, ipſi ſe ſuis inordinatis conatibus ligant: cumque ſe fluxis conuerſationis ſuæ actibus implicant, quaſi remanſuros in retis vinculis pedes ponunt.*

Nunc videamus numerum horum vinculorũ, quæ ſanè pauca non ſunt. *O Deus meus*, inquit Card.

Serm. Ciner. Card. Bertrandus, *quot, & quātis vinculis eſt peccatrix anima vinculata, quæ habet ligatum intellectum, vinculo ſcilicet ignorantia, ne videat veritatem; ligatam etiam voluntatem vinculo malitia, ne diligat bonitatem; ligatas etiam manus corporis, vinculo impotentia, ne faciat iuſtitiam, & pietatem; ligatos etiam pedes ſomnolentia vinculo, ne ſequatur ſanctitatem; ligatos etiam ſenſus vinculo concupiſcentia, ne teneat honeſtatem; ligatam etiam linguam vinculo fatua verecundia, ne confiteatur commiſſam iniquitatem; ligatum etiam collum vinculo carnalis illecebra, ne percipiat cœleſtem ſuauitatem.* Si numeremus iſta ligamenta, ſeptem ſunt, nimirum ſeptem illi funes, quibus dormiens Sanſon ligabatur, qui typus eſt tepidorum, atque negligentium: nam in tepidis etiam inueniuntur paulo minus ſtricta, quàm in mortuis peccatoribus ſæculi; habet enim Religioſus tepidus ligatum intellectum, ne in res diuinas poſſit intendere, ne in oratione cognoſcere valeat veritatem, ne iudicet ſe, nec cognoſcat ſuam ipſam miſeriam. Habet ligatam voluntatem, ne guſtet res ſpirituales, vt etiam deſideria bona illi deficiant, quæ maximis peccatoribus non ſolent deeſſe. Habet ligatas manus, ne opus aliquod virtutis exactè exequatur, ſed omnia imperfectè, & vaſtè, non aliter, quàm qui ligatis manibus vellet artis opus efficere. Habet ligatos pedes, ne moueatur in vita ſpirituali, ſemper in eodem loco, & ſimili remiſſione deiectus. Habet ligatos ſenſus, ne illos cum modeſtia gubernet. Habet ligatam linguam, ne colloquia ſpiritualia miſceat, nec aliquid dicat, vnde occaſio aliqua humiliationis poſſit ei accedere. Habet denique ligatum collum, ne illum ſupponat ſuauiſſimo Saluatoris iugo, nec ſpiritualia capiat gaudia, quæ in ipſa ſubiectione obedientia & mortificatione feruidi percipiunt. Itaque tepidos alloquitur Iſaias, quem multa vincula impediunt, cùm à feruore ſpirituali defecerit.

Dupliciter eripi poſſumus vinculis noſtri cordis illuſtratione Dei, & mortificatione noſtra.

Capvt XXXIX.

HÆc tamen nos hortatur Iſaias conſurgendo ſoluere, atque ſi ſpectemus exempla ſacræ paginæ, reperiemus eos, qui dormientes ligati iacebant, ſoluiſſe vincula, hoc ipſo, quòd conſurgerent. Sanctus Petrus
Act. 12. vinctus in carcere dormiebat, ſed ſtatim, ac conſurrexit ad iuſſum Angeli, exuit catenas. Sanſon
Iudic. 16. quoque ſomnum capiebat religatus neruaceis, & validis funibus, quos ſimul ac ſurrexit dirupit. Sed priuſquam explanemus quid hoc ſignificet, conſiderandi ſunt in ſancto Petro, & Sanſone duo modi, quibus iſta vincula ſoluere poſſimus, hoc eſt, quibus vincere nos, domareque affectus inmortificatos valeamus; diuerſo enim modo ſanctus Petrus, ac Sanſon diſſoluti vinculis ſunt. Sanctus Petrus ſine vlla vi; Sanſon verò maximo conatu, & violentia. Expendamus quæ de vtroque ſacræ hiſtoriæ narrant. Dormiebat ſanctus Petrus duabus catenis in carcere vinctus, in quo figuram tepidi repræſentat, qui in vita ſpirituali dormit, nec onera ſuorum vinculorum ſentit. Duo milites, inter quos iacebat Apoſtolus, ſunt timor difficultatis, & amor commoditatis, qui negligentibus perpetuò adſtant. Cuſtodes ante oſtium, qui cuſtodiebant carcerem, ſunt peccandi occaſiones, inquit Cardinalis Tuſculanus, & mundi promiſſiones. Igitur cùm ſui periculi Act. 12. 7.
oblitus ſic dormiebat Princeps Apoſtolorum, ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri excitauit eum, dicens: *Surge velociter*, & ceciderunt catenæ de manibus eius, ſine vllo conatu, ſine violentia, ſine labore. Cauſa eſt, quia refulſit lumen; nam qui lumine veritatis illuſtratur, non opus eſt magnam vim ſibi inferat, quo affectus ſuos vincat, exerceatque ſe concupiſcentiis mundi, & carnis. Iſte enim modus ſubiiciendi, & mortificandi ſe per practicam cognitionem veritatis, ſuauis eſt, & conſtantior. Qui enim perſpectum habet, quantum vanitatis & damni ſit in rebus mundi, quantum vtilitatis, & honoris in imitatione IESV, & in conformando ſe imagini filij Dei, non opus eſt multa violentia, vt vincat ſe in refugiendis negotiis ſæcularibus, & amplectenda humilitate, quam filius Dei commendauit exemplo, & doctrina. Qui etiam diuitiarum damna agnoſcit, & paupertatis commoda, ſine multa contradictione, imò vltrò relinquet ſuperflua; nam & Ethnici læti hoc fecerunt ſolo lumine naturæ ducti. Accedit quòd iſte modus præterquam ſit ſuauior, diuturnior erit, quàm cùm vim nobis inferimus, cùm violenta perpetua non ſint. Quapropter magna cura adhibenda eſt in mente noſtra inſtruenda veritatibus, vt ſentiamus in nobis, quod & in Chriſto IESV, eadem dictamina habentes, quòd ipſe Dominus gloriæ, qui tam abfuit, vt felicitatem mundi, & quidquid in mundo magni ſit, bonum, aut beatum iudicaret, vt contraria prorſus beatitudines definiret. *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, Beati qui lugent, Beati qui perſecutionem patiuntur.* Apoſtoli, qui hoc ſibi verum perſuaſi ſunt, ſine mœrore, imò cum gaudio pertulerunt aduerſa. Idcirco ibant gaudentes à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Quod diſcrimen eſt iſtud, hi homines ferunt læti, quod alij ægerrimè tuliſſent? profectò in cauſa ſunt diuerſa rerum iudicia; quoniam Apoſtoli inſtructi filio Dei nouerunt bona, quæ latent in iis rebus, quæ contraria carni, & ſanguini ſunt; idcirco alacriter ferebant, quod aliis acerbiſſimum fuiſſet, tanti intereſt illuſtrari veritate, quod in oratione maximè nobis curandum eſt.

Alius mortificationis modus efficitur per violentiam, & conatum, inferendo ſibi vim, cùm deeſt illuſtratio cœleſtis, cuius typum Sanſon gerebat, homo ingentium virium, ſed cæcus. Quoniam tunc oportet validè ſibi vim facere, cùm lumen veritatis parum refulget. Idcirco Sanſoni non ceciderunt vltro vincula ſicut ſancto Petro, ſed ſumma vi connitus neruaceos funes infregit. hoc quoque genus vincendi ſe non eſt omittendum; neceſſarium enim eſt, ne vnquam naturæ relinquamus indomitas affectiones, ſed ſiue illuſtrati, ſiue coacti, ſiue vltrò, ſiue violenter illa opprimamus. Quandoquidem Re-

gnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. At in hac Sanſonis hiſtoria nolo prætetire, quod conſideratu valde dignum eſt, quantis viribus conandum ſit, vt malos habitus, & prauos affectus diſſoluamus? Qua virtute, quo robore impedimenta noſtri profectus vincenda? quibus viribus pugnandum eſt? neque leuiter noſtræ ſaluris, & perfectionis prouinciam aggrediendum, ſed tanquam Sanſon, aut Gigas exultare quiſque debet ad currendam viam ſpiritualem. Deinde non dicitur de Sanſone, quòd ſoluerit
Iudic.16.9. ſolùm vincula, ſed quòd rupetit. *Qui rupit vincula, quo modo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit.* Oportet itaque compedes quibus implicati ſumus, non tantùm ſoluere, ſed dirumpere, ac perfringere, ne ampliùs iiſdem vinciamur. Nam vincula quæ ſolùm ſoluuntur, poſſunt iterum ligare cùm maneant integra, & vtilia ad eundem vſum, atque antea præſtandum; quæ tamen confringuntur, inutilia deinceps ſunt ad ligandum. Olim quoque magnum diſcrimen erat cùm vinctis ſoluebantur vincula, aut eùm diffringebantur: diſtingi & dirumpi honorificum valde erat, atque ſignum maioris libertatis; perindeque habebantur, qui ruptis vinculis è carcere mittebantur, ac ſi nunquam vincti, & rei fuiſſent. Iſto honore Ioſeph hiſtoriei innocentiam, quemadmodum ipſe ſcribit, commendarunt Veſpaſianus, & Titus, quòd non ſolutis catenis, ſed perfractis amandarunt è cuſtodia. Titus dixit, *erit tanquam nec initio vinctus, ſi non diſſoluerimus, ſed inciderimus catenas.* Hoc nobis conandum eſt, proſrus eximi habitibus, & conſuetudinibus prauis, vt nec veſtigium ſui relinquant, ſed perinde, ac ſi nunquam illis poſſeſſi fuiſſemus infringere.
Pſal.2. Hoc eſt quod inquit Dauid: *Dirumpamus vincula eorum*, ſcilicet inimicorum affectuum, quæ aduersùs nos frement, & conuenerunt in vnum. Iterum docet nos, quomodo his diebus hoſtiam laudis Deo offerre, & vota religioſa reddere poſſimus pro ſancta, & laudabili Societatis noſtræ
Pſal 115. conſuetudine. *Dirupiſti*, inquit, *vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem* tunc poterimus diruptis vinculis decenter, & honorificè appatere coram cœtu fratrum noſtrorum, coram curia cœleſti, & Beata Virgine oblaturi Deo vota noſtra, & ſacrificium de nobis exhibituri mundum.

Quæret fortaſſe aliquis, quod ſignum erit noſtræ libertatis, eùm hæc vincula iam ſoluerimus, ſiue infregerimus. Certum vtique ſignum puto, ſi non ſentiamus obſeruantia conſtringi religioſa, cùm minimarum rerum arcta ſolicitudo non fatiget nos, cùm non ſolùm præcepta, ſed conſilia laxa nobis ſint, & ſpatioſa videantur, cùm arctiſſimam viam ſine obſtaculo, & anguſtiis ambulemus, cùm poſſimus dicere cum Dauid. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Atque illud: *Latum mandatum tuum nobis.* Cùm cor & deſideria noſtra dilatata latiſſimè pateant, cùm non conſtringantur ad cuſtodiam ſolùm præceptorum, nec contineantur dumtaxat in obſeruantia regularium, nec tantùm in magnarum rerum ſolicitudine nos circumſcribant, ſed protendantur, etiam ad minimarum rerum exactiſſimam diligentiam, ad exequendum multas actiones virtutum, ad quæ nec lege Dei, nec noſtris regulis tenemur. Denique cùm lex perfectionis videtur nobis nimis lata, & ad omnem obſeruantiam, & virtutem ſpatiatur, tunc in via charitatis verè erimus, in qua (S. Auguſtinus ait) ſine anguſtiis via quoque ambuletur anguſta; perfecta enim diſſolutio noſtrorum vinculorum ad minima quæque extenditur. nam licèt exiguo teneamur, tenemur tamen. Satis exile filum erat, ex quo S. Auguſtinus pendebat, eùm de ſe fatetur. *Sic ægrotabam, & excruciabar, accuſans me metipſum ſolito acerbius nimis, voluens, ac verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen.*

Animosè eſt inſtauranda renouatio ſpiritus.

CAPVT XL.

NVNC veniamus ad id quod explanandum promiſimus, cur Iſaias exhortetur ſoluere vincula tam leui diligentia, ac eſt conſurgere. Idem in ſancto Petro, & Sanſone ligatis videmus, ſoluta illis vincula fuiſſe hoc ſolo, quòd conſurgerent. Non eſt hoc ſine arcano ſenſu, & documento vtiliſſimo nobis, vt exeitemur ardentiùs, atque ad opus ſalutis, & perfectionis noſtræ viriliter accingamur, ferè totus exitus, atque optatus perfectionis euentus in hoc ſtat cum Dei gratia, quòd verè velimus, quod magno animo magnam iſtam aggrediamur prouinciam: ſtatim enim magnæ difficultates, quæ nos atterent, diſparebunt. Eædem res, quæ ingentia impedimenta nobis videbantur, defluent, & diſſoluentur vt fumus. Penè maiores difficultates in virtutis via ſunt phantaſmata, & vmbræ, quas imaginatio fabricat noſtra: minus difficilis eſt virtus, minus ardua mortificatio, quàm putatur. Quare ſi viriliter conſurgeremus, ſi audacter aggrederemur, faciliorem inueniremus, quàm opinamur. Animo opus eſt potius, quàm violentia, corde potius, quàm ſudore. Optimè juxta hunc ſenſum dixit Heſichius hominem interiorem, & ſpiritualem cor eſſe, ſiquidem corde, fiducia, & audacia multum proficiamus. Audentibus, & conſtantibus faciliora fiunt omnia, in hoc conſiſtit feruor ſpiritus: ſicut tepiditas in timore, & puſillanimitate. Veriſſimè dixit Salomon. *Pigrum deiicit timor; animæ autem effæminatorum eſurient.* Vir tamen feruidus, totus animus eſt, totus cor. Huius rei exemplum habemus in renouatione Ieruſalem per Nehemiam, quæ noſtram renouationem præmonſtrabat. Res profectò humanæ prudentiæ arduæ, & viribus Iudæorum impoſſibilis, verùm Nehemiæ animus, conſtanſque fiducia omnia ſuperauit, & difficillimam exegit prouinciam. Audiamus quid ait, *Surgamus, & ædificemus, & confortatæ ſunt manus eorum in bono* ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus renes. Hic animi ardor 2 Eſdr 2.18.
compeſcebat Samaritanos, ne in Iudæos graſſarentur, cùm renouationem muri Hieroſolymitani pro viribus impedire parabant. Ipſe quoque Nehemias fatetur. *Omnes enim hi terrebant nos* Cap.6.9.
cogitantes,

cogitantes, quòd ceſſarent manus noſtræ ab opere, & requieſceremus. Quam ob cauſam magis confortaui manus meas. Quo maiora pericula imminebant, maiores animos ſumebat. Animo vincebat omnia, & feliciſſimè ſine ſanguine, ſine pugna arduum illud opus conſummauit, renouatis Hieroſolymæ manibus; ex tot etiam millibus Iſraëlitarum, qui Ægypto educti fuerant, nulli ad terram promiſſionis peruenerunt, ob puſillanimitatem ſuam, niſi exploratores illi magnanimi Caleph, & Ioſue, qui virili animo dixerunt: neque timeatis populum terræ, quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuotare. Hoc etiam videmus in ſanctus Petro, cui Angelis dixit: *Surge velociter*, non dixit, *ſurge* ſimpliciter, ſed addidit, *velociter*, hoc eſt, feruidè, animosè; & ecce nullum impedimentum ſentit, ſine violentia, ſine conatu; ipſæ vltrò catenæ ceciderunt. Nouit hoc Salomon, ideo conſulit, & tanquam rem magni momenti, cum proœmio commendauit, dicens: *Audi me fili, & ne ſpernas me, & in nouiſſimo inuenies verba mea.* Magnum aliquid vult dicere, cùm attentionem ita requirat, promittens verba ſua per experientiam tandem demonſtranda vera. Nihil aliud vult commendare, niſi quod diximus: *In omnibus*, inquit, *operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret.*

Num.14.

Virtus perſeuerando intenditur.

Capvt XLI.

Sede Hieruſalem. Conſideremus modò, cur poſtquam toties nos Iſaias exhortatus eſſet ad ſurgendum. Vltima nunc clauſula requirat ſeſſionem, qua ter dixerat, conſurge. Tandem ſedere iubet, & credo, vt ampliùs conſurgamus, atque eleuemur ſublimiùs, quemadmodum de ſolitario dicitur: *Sedebit ſolitarius, & tacebit, & leuabit ſe ſupra ſe.* Ecce non ſolùm ſedendo conſurrexit, ſed erexit ſe, ſuſtulitque vltra proprium ſtatum. Per iſtum ſedendi modum, qui ſic effert, & viros ſpirituales ſublimat, permanentia, & progreſſus feruoris demonſtratur, per quam Sancti non ſolùm alios, ſed ſe ipſos antecelluot, atque à communi ſtatu conſcendunt excelſiùs; nec enim ſine mora perſeuerantis feruoris valde properare in profectu valemus perfectionis, multo enim velociùs tunc percurremus virtutis ſtadium, poſtquam aliquandiu perſtiterimus in curſu, cuius rei duas cauſas agnoſco. *Prima* eſt, diuinæ prouidentiæ inſcrutabile decretum, quæ ſingulis ſtata vincendo ſe tempora deſignauit, quæ ſi feruidè deſudantes conſtanti peregerimus conatu, plena tunc accedit ope, atque ad maiora propellat. Grauiſſimorum Doctorum concors mens eſt, aliquandiu expectare Deum progreſſus noſtros, procedentes tamen ex diuina gratia, ſine qua nec velle, nec incipere, nec procedere poſſumus, vt locupletiùs deinde ſe diffundat, poſtquam fideles nos fuerit expertus. Sancti legitimè, & fideliter permanſerunt tempus diuina prouidentia ſtatutum, pertinacique ſe interim vicerunt conatu, iam deinceps velut vlnis deportati diuinis, inoffenſo peruolarunt pede, ſine tanto ſudore, aut cum vberiori ſuauitate, maioreſque proceſſus fecerunt in via. Hæc ratio eſt, cur ſubitò aliquos, & tanquam ex abrupto eminere, ſeque ipſos antegredi, & tranſilire videamus virtutibus, & miraculis, qui pridem non valde excedebant conuerſationem communem: nam poſtquam ordinariis exercitiis conſtantiſſimè ſe vicerunt, Deoque fidiſſimi ſunt habiti, fidelior Dominus ſupra multa illos conſtituit, qui in paucis illatenus fuerant fideles; ideo iam deinde locupletioribus illos ditat donis. Lapſos contra alios vidimus, qui diu non improbè religioſa ſe vita continuerunt. At quia non impigrè, ſed negligendo minima, contentique conſeruatione ſui talenti, dereliquit illos Deus, & tanquam inutiles ſeruos è ſua expulit domo, abſtulitque quod habebant, vt in induſtrios, ſtrenuoſque conferret famulos. Itaque permanentia feruoris neceſſaria eſt, vt magis incendamur, & conſcendamus vlteriùs; ſedere, & manere aliquantiſper oportet in hoc arduo vincendi ſe opere, vt abſoluamus illud, & ad noua nos chariſmata, maioraque diuinus promoueat amor, nec tantùm ex tepore conſurgamus, ſed vberiori charitatis attollamur calore, vbi nullus nos diſſipet ventus, nullus deiiciat turbo, vbi tranquilliùs amplectamur Deum, poſtquam per tempus cœleſti diſpenſatione deſignatum, ſcintillam, quod nobis contulit, promouerimus in flammam, afflante, licèt latenter, ſua gratia.

Verùm præter hunc diuinæ prouidentiæ ritum ſolicitioris in ſolicitos promouentis procedentes, atque deportantis percurrentes per anguſtas perfectionis ſemitas, aliam inuenio cauſam, quare perſeuerantia ad maiorem profectum neceſſaria ſit, quæ cauſa non eo modo, quo præcedens ſupernaturalis, ſed ipſis eſt connaturalis rebus: nam dum diu quis in feruore perdurat ſpiritus, extinguuntur interim habitus mali, deſueſcunt praui mores, conſumuntur malæ conſuetudines, languent paſſiones, vſus conuerſationis veteris deteritur, occurrunt impedimenta pauciora, tacent obtrectatores virtutis; prætetea generantur optimi habitus, roborantur boni mores, conſuetudines ad bonum partæ facilitant iter, obloquutores, qui nouum feruorem etiam alienum faſtidiunt, neque parum lædunt paruulos in via ſpiritus, iam tacent, & laudant, venerานturque explorata per conſtantiam ſanctimonia, quod primum ægrè videbant. Quare contrariis deſtitutus, pluribuſque fultus præſidiis, pacatis paſſionibus, directis, atque eruditis affectibus percurret deinceps velociùs ſtadium iſtud, qui diu conſtanter ambulabit. Pacatiuſque & ſuauiùs opus proſequetur arduum: accedit, quòd anima purior poſt longum illud ſe vincendi negotium, magis fit idonea diuino lumini, cœleſtibuſque dignior ſubſidiis. Hoc eſt, quod Iſaias pulchrè ſignificauit: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Iſai.32.18. Pulchritudo pacis eſt illa affectuum tranquillitas, ille animæ decor, qui depoſitis malis habitaculis, boniſque enaſcentibus, qui per diuturnam feruoris permanentiam comparatur: tunc anima ſancta per hanc perſeuerantiam ſedet in pulchritudine pacis; nam per paſſionum tranquillitatem ſpecioſiſſimè decoratur. Tum etiam in tabernaculis fiduciæ, cùm inde extremæ perſeuerátiæ certiorem poſſideat ſpem, viti

viriliuſque ipſa maiores audet actiones virtutis. Et denique in tequie opulenta ob vberrimam meritorum meſſem; ſiquidem pluribus, & maioribus diuina locupletat liberalitas donis, quos diutiùs nouerit diligenter gratiæ ſuæ negotiarores. Contrarium prorſus tepidis accidit cœleſtis diſpoſitione conſilij, vt ipſum otium plus illo laſſet, qui opus & laborem refugiunt. Nam ipſa tepidorum quies inquieta & laborioſa eſt, & non niſi in turpitudine falſæ reuoluuntur pacis, cùm in ipſa non quieſcant requie, ſed *ſicut oſtium vertitur in eardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo*, ait Sa- Prou.26. lomon. Ad hæc fiducia nulla eſt illis quos totos occupat timor habitantes in puſillanimitatis ta- Ibid. bernaculis: nam perpetuò dicit; *Piger leo eſt in via, & leana in itineribus.* Et iterum Salomon Prou.18. ait: *Pigrum deycit timor.* Tandem tepidorum quietem ſterilem & paupertimam idem Parœ- Prou 6. miaſtes ſignificat. *Vſquequò piger dormis, quando conſurges de ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus tuas, vt dormias: & veniet tibi quaſi viator egeſtas, &* Prou.16. *paupertas quaſi vir armatus.* Et alibi: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa.* Nam qui mollis, Prou.18. & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Frater profectò eſt ſæcularis prophani negligens Religioſus, cùm tantumdem huic ſit bona opera facere, ac illi mala, cùm bona non bene exequens, mala reddat. Adſtuperemus profectò, ſi miſera tepidi penuria corporeo poſſet obtutui demonſtrari. Virtutum opera ſic facit, vt vnde merita cumulare deberet, pœnæ potiùs obnoxium ſe reddat, atque ex ipſis virtutum depauperatur diuitiis ſine fructu vitæ æternæ, & ſine decore præſentis. Deinde præterquam quòd ipſa ſua negligentia egeſtatem tepidorum fructificet, diuina illos manus ſpoliat. nam ſumma infinitæ bonitatis liberalitas, quæ omnibus confert, pigris tamen & negligentibus aufert. Sic potentiſſima ad tepidos accedit egeſtas, cùm Dei illam fortificet manus omnipotens, quæ negligentibus eripit, quod ſolet peccatoribus largiri, hoc eſt, quod Salomon minatur pigro. *Veniet tibi quaſi viator egeſtas*, hoc eſt, quaſi lictor, aut ſatelles diuinæ iuſtitiæ, & pauperies quaſi vir armatus; nam quæ arma fortiora diuinæ prouidentiæ iuſtificatione. *Si verò*, addit Sa- Prou.6. lomon, *impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te.* hæc eſt requies opulenta, quam ſolicitis promiſit Iſaias, quorum vbertas fructuum & meritorum iure appellatur fons, ob continuitatem, & perſeuerantiam; nam perenniter redundabunt fructibus diligentiæ ſuæ, promouente illos diuina miſericordia, poſtquam conſtantes, & diu fideles inuenerit. Quapropter ſedere in bono oportet, & inſtanter opus noſtræ renouationis continuato feruore peragere, nunquam ceſſare; quemadmodum exploratores Tri- Iudic.18. bus Dan dixerunt: *Surgite, aſcendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam, & vberem: nolite negligere, nolite ceſſare, eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor.* Et quidem minor omnino labor eſt virtutis continuæ, quàm cùm interrumpitur. Huius quoque continuitatis normam Nehemias dedit in renouatione Hieroſolymitana, quam aſſidua & pertinax laboris inſtantia perfecit. Fremebant aduerſarij, detrahebant ignominioſo riſu laborantibus, moliebantur inſidias, vi & dolo repugnare tentabant, ipſe ad omnia imperterritus attentus ſibi operi inſtabat, vocatus tandem ad fœdus ineundum, noluit nec tam ſpecioſa cauſa opus interrumpere. Reſpondens, quòd ſemper in corde reſpondere noſtro inutilibus occupationibus debemus: *Opus* 2.Eſdr.6.3. *grande ego facio, & non poſſum deſcendere, ne fortè negligatur, cum venero, & deſcendero ad vos.* Vocatur ſecundò: idem dixit; accitur iterum, idem reſpondit. Inſtant quartò, & ipſe quartò idem retulit: *Opus grande ego facio, non poſſum deſcendere.* Ecquod opus grandius negotio noſtræ ſalutis, & perfectionis, atque fabrica cœleſtis Hieruſalem, quæ noſtro ædificatur profectu. Præterea tenetur Religioſus ſeruare, non tantùm ne infidus Deo ſit, ſed illa ſaltem ratione, ne ridiculus coram Angelis, & hominibus appareat, ne poſtquam poſuerit fundamentum, vt Saluator ait, *& non potuerit perficere, omnes* Luc.14. *qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.*

Humilitas perſeuerantiæ præſidium.

Capvt XLII.

Iam cùm tantum operæ pretium ſit hæc ſeſſio, & continuatio feruoris, videamus quibus nos præſidiis iuuari poſſimus ad perſeuerantiam, ne noſtra virtus ſit; quemadmodum Deus per Oſeam queritur: *Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Quattuor exiſtimo virtutes valde neceſſarias ad perſeuerandum, & eas ſacra nos commendat Scriptura in quatuor perſonis quas diuerſis ſediſſe locis narrat. In primis humilitatem ſignificat in Rege Niniuita ſedente in ſolio; deinde patientiam in Iob ſedente in ſterquilinio; tertiò orationem in Magdalena ſedente ad pedes Domini; demum deuotionem, ſiue ſpiritualium rerum guſtum, in ſponſa ſedente ſub vmbra dilecti ſui iucundos deguſtante fructus. Has quatuor virtutes breuiter demonſtrabo neceſſarias, vt in pulchritudine pacis ſedentes in feruore, & ſanctis propoſitis conſiſtamus. Quoad humilitatem attinet, non minus eſt perſeuerantia neceſſaria, quàm ædificiorum durationi cæmenta; ideo cœleſtis Hieruſalem, & ſpirituale noſtrum ædificium huic incumbere fundamento debet. Audiamus ſanctum Cæſarium: *Qui ſpi-* Hom.11. *ritualem fabricam ædificare, Chriſto adiuuante, cœpiſtis, fundamentum veræ Religionis ſupra petram humilitatis collocare debetis; qualibet enim fabrica quamuis ſublimis & ampla, ſi firmum non habuerit firmamentum, citò delabitur in ruinam. Sic eſt, fratres dilectiſſimi, conſtructio ſpiritualis; qualibet bona quis habeat, ſi veræ humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter ſtare non poterit. Rationem huius neceſſitatis exiſtimo, tum ipſam virtutis iſtius naturam, tum diuinæ bonitatis affabilitatem erga humiles, & terribile aduerſùs ſuperbos odium. Quomodò enim omnia diriget opera ad Dei gloriam, qui propriam venatur? Quo pacto qui plauſus appetit humanos, limpidam, atque puram ſeruabit intentionem, ſine qua ſpiritualis conuerſatio non ſubſiſtit, aut intolerabilis Deo, & hominibus hypocriſis erit? Quæ cura*

quoti

Digitized by Google

quotidianos reſecabit defectus, quod neceſſarium eſt penſum ſpiritualis vitæ, ſi illos ignorat, dum ſe non nouit? Qua prouidentia in dies promouere ſe, & expiare curabit, qui ſibi valde placet in eo ipſo miſerrimo quo iacet ſtatu. Tum multa quæ à mundo in virtutis ſtudioſos iactantur, ferre ſine humilitate non valebit, cumque omnes virtutes victa, & tolerata difficultas commendet, nec tolerantia ſit ſine nutrice ſua humilitate prorſus neceſſaria eſt omnibus virtutibus, quarum exercitio perſeuerans feruor connectitur. Idcirco VVerricus Abbas dixit: *Humilitas non ſolùm peccatores iuſtificat, ſed etiam iuſtos conſummat. ipſa ſiquidem eſt omnium virtutum maxima, cùm tamen virtutem ſe eſſe neſciat, ipſa ferè omnium radix & ſeminarium, fomes, & incentiuum; ipſa cumulus & faſtigium, & cuſtodia, & diſciplina, ab ipſa incipiunt, per ipſam proficiunt, in ipſa conſummantur, per ipſam conſeruantur, cumque omnibus vt virtutes ſint tribuat, ſi qua earum defuerit, ipſa alterius defectum perficiens, diſpendium illius de ſe compenſat.* Sed præter connaturalem contextum, quo cæterarum chorus virtutum ab humilitate pendet, ſingularis Dei fauor erga iſtam charam Chriſto virtutem, & ſeuera auerſio erga cupidos propriæ gloriæ, atque placentes ſibi neceſſitatem humilitatis ad perſeuerandum demonſtrat. Quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quo pacto ſanctis permanere propoſitis, & actibus valebit, cui opem gratia diuina non tulerit. Quare cùm omnes virtutum actiones, omnis bona noſtra voluntas à Chriſti gratia dependeat, & hæc negetur tumidis, & complacentibus ſibi, impoſſibile eſt in bono ſine humilitate perſiſtere; idcirco omnis remiſſio, omnes lapſus ex defectu huius virtutis contingunt; cùm illa tamen promouebitur feruor, ſiquidem diuina chariſmata in humiles largiſſimè deriuentur. Nam hæc virtus licèt minima videatur, cùm in veritate fundetur, & Deus veritas ſit, amabiliſſima, ac pretioſſima eſt diuinæ maieſtati, adeò, vt audeam dicere humilitatem eſſe fomitem gratiæ, tum ob naturam huius virtutis cæteras nutrientis, tum ob fauorem, & priuilegia, quibus illam Chriſtus ante alias habet. Atque ſicut fomes peccati cauſa eſt pertinaciæ malorum habituum, prauarumque inclinationum: ſic humilitas eſt nutrimentum, & incentiuum bonarum actionum. Tandem vt humilitatis fructum agnoſcamus, clauſulam huic parti cum Humberto impono: *Noueritis, quia cinis eſt, virtutum carbones in feruore conſeruans, fundamentum, ſpirituale ædificium ne cadat, ſuſtentans, & ſcala ad cœleſtia nos ſubleuans; ipſa enim humilitas virtutes cæteras conſeruat, capiti noſtro nos aſſimilat, actiones ſua pulchritudine ornat. Hæc eſt, quæ Deo eſt amabilis, in ſe ipſa eſt laudabilis, multipliciter nobis vtilis, & proximis exemplaris. Humilitas certè virtus eſt, quæ obtinet eſſentia, ſtabilit præſentia, recuperat iam amiſſa.* Cap. 35. de 3. votis.

Patientia comes perſeuerantiæ.

Capvt XLIII.

ALTERAM perſeuerantiæ columnam ſedens Iob in ſterquilinio explicuit patientiam eſſe. Primùm, quia omnes virtutum actiones, cùm arduæ & difficiles ex ſe ſint, patientiam ſuo exercitio requirunt. Vbicumque opus eſt pati, ibi neceſſara eſt patientia, cumque virtutis opera ſenſui, & carni minimè adulentur, potiùs contra ipſam ſint, in omnibus eſt neceſſe pati aliquid, & proinde neceſſaria tolerantia. Hoc dico de quibuſlibet virtutibus; nam ſunt plures pœnales, quæ ſpeciali titulo flagitant patientiam, quales ſunt pœnitentiæ corporalis actus, aſperitates, ieiunia, flagellationes, & quidquid quanto carnem macerat, tanto ſpiritum impinguat. Præterea tota via ſpiritualis mortificatio eſt interna, & externa: mortificari autem quid eſt, niſi pati, quod nec bene, nec diu ſine patientia fiet. Accedit, quoniam cùm intrinſecæ exercendarum difficultati virtutum inſit aliquid arduum omnibus, adiungitur ſæpe extrinſeca ex aliqua corporis ægritudine, aut incommoditate temporis, aut humano reſpectu, aut alio impedimento, quæ ſine patientia non flectetur. Tum præter communem omnium virtutis actionum arduitatem ipſa earum continuatio ardua eſt; quare propter ſingulas virtutes, & propter ipſam perſeuerantiam neceſſaria eſt ad perſeuerandum patientia, quæ totam legem Dei, & perfectionis ſuſtentat. Idcirco Tertullianus dixit. *Quantum patientia licet vt Deum habeat debitorem?* Cap. 15. de Pat. *Nec immeritò. Omnia enim placita eius tuetur, omnibus mandatis eius interuenit, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam ſpectat, exomologeſin aſſignat, carnem regit, ſpiritum ſeruat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat.* Ex alio capite magis neceſſaria perſeuerantiæ patientia demonſtratur; nam quicumque Deo ſolùm & verè militare firmum ſibi induxit in animum, accingi oportet ad patiendum. Quapropter & patientia ſe præmunire eſt neceſſe; contemnetur enim à pluribus, ab aliis detrahetur, deteriora illi relinquentur, hæc omnia adoleſcentes in virtute valde turbant, imò ſi hominum iniuriæ deſint, diuina ſolet ſuos exercere manus, aut morbis immiſſis, aut tentationibus permiſſis ad explorationem noſtræ fidei, & amoris; inter tot contradictiones inſtare feruori, charitatem non minuere, atque pacem animi ſeruare, ſine patientia non poterit; quæ propterea iure dicetur pulchritudo illa pacis, vbi Iſaias vult Dei populum ſedere. Non eſt multum pacem retinere, vbi pugna non eſt, vbi procul eſt hoſtis, vbi contradictio abeſt, vbi nullus offendit, tunc pax non eſſet in nobis, ſed in aliis, cùm ideo pacati ſumus, quia alij manſueti, & humiles; alienæ iure virtuti debetur tranquillitas noſtra, non propriæ. At pacem inter aduerſarios tueri, hoc pulchrum, & magnificum eſt; hoc autem ni-

hil niſi patientia præſtat ; pulcherrima profectò pulchritudo pacis ? in qua confidentes perſeuerabunt.

Oratio perſeuerantiam alit.

CAPVT XLIV.

NEQVE infirmius perſeuerandi inſtrumentũ ſtudium orationis mõſtrat Magdalena ad pedes Domini ſedẽs, omnem quippe remiſſionẽ, omnem temporalium rerum affectum, omnem proficiendi negligentiam, defectus orationis efficit. Clamat hoc Hieremias : *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.* Quot ſanctarum animarum ſpiritualia ædificia ad cœlum vſque aſſurgentia hac ſolùm cauſa deſolata ſunt, quia ſtudium orandi remiſerunt. Quemadmodum magnæ fabricæ noctu fieri nequeunt, neque attolli, ſi materia non miniſtretur idonea ; ſic cœleſtis noſtra habitatio ædificari nequit, ſi conſideratio lucem cœli non explicet, & actiones non ſuggerat virtutis, neque ad manum ſuppeditet aptam placendi Deo materiem. Turris illa Babylonica ideo ceſſauit, quia confuſis ædificantium linguis vnam materiam poſtulantibus diuerſa adminiſtrabatur : ſic eſt in defectu orationis, tunc confuſa mens veritatem non intelligit, mundi ſermonibus decipitur, & quæ ad Dei gloriam operatura erat, ad ſuum deflectit commodum ; ſpirituale autem ædificium ſicut operibus bonis conſurgit, ita malis deſolatur, atque cœleſti deficiente lumine nihil boni, mali multum operabimur. Quapropter ſanctus Bernardus ait : *Defectus meditationis hominem in cor durum, & inſenſibile ducit, vt & in maledictas occupationes.* Sancti Patres & experientia docti, & de cœlo inſtructi, neceſſariiſſimis vitæ humanæ exemplis vſum orationis commendant. Sanctus Hieronymus pabulum animæ illam dixit : nam quemadmodum cibus omnibus rebus vitæ corporali neceſſariis, magis neceſſarius eſt ; ſic nihil oratione magis neceſſarium eſt ad ſpiritualem vitam. Sine domo, ſine famulis, ſine lecto, ſine veſtitu poſſumus viuere ; ſine cibo tamen non poſſumus : ita licèt multis aliis præſidiis ſpiritualibus, quamuis ſint neceſſaria, carere aliquando poſſemus ; qui tamen oratione caret, ſpiritualem vitam, & feruorem omnino amittet. Homo ſpiritualis eſſe poterit ſine ductore, ſine ſuperiore, ſine libris, ſine magnis auſteritatibus ; at ſine oratione impoſſibile eſt. Strictiùs ſanctus Ioannes Chryſoſtomus loquutus, non tantùm cum alimento confert orationem, ſed ipſi comparat animæ, eamque non ſecus dixit, impertiri vitam animæ, atque anima corpori largitur. Sine cibo viuere aliquot dies poſſumus, ſine anima nec momentum. Quare ſi vel dies vnus ſine oratione peragatur, ſtatim ſpiritus maiorem ſentiet languorem, quàm ſi corpus quatriduano ieiunio marceret. Vtinam hoc intelligeremus, quàm certiſſimè tepeſcimus, & languemus negligentia orandi, in quo feruor, & vita noſtri ſpiritus ſtat : nam hæc eſt cauſa, cur miſerè deficiant plures, qui aliquando efferbuerunt, quia hodie diſtractè, cras irreuerenter, poſtridie parum, deinde vix orationi vacant. O magnum pudorem, quòd nulla ſit excuſatio, bis, aut ter reficiendi quotidie corporis, & tamen leuiſſimis cauſis refectionem animæ per plures dies multi amittant, cùm vix rationabilis cauſa, quæ ab oratione nos queat vno die excuſare. Magdalena, in qua hanc virtutem ſignificari diximus, exemplum quoque in hac parte nobis exhibuit ; habebat hoſpitem, quem pro dignitate oportebat excipere ; audiebat præterea ſororis murmur, videbat famularum ſolicitudinem & laborem ; nihil tamen iudicauit cauſam iuſtam, vt orationem deſereret, nec corporalibus obſequiis tam dignum hoſpitem ſuſcipere, nec vt ſoror taceret, nec vt alias adiuuaret fœminas, &, quod plus eſt, ipſi Chriſto, ipſi, inquam, hoſpiti, excipiendo etiam cum neglectu ſui hoſpitij placuit otium ſanctum Mariæ, non etiam propter opera miſericordiæ corporalis, etſi valde meritoria ſint, & tantopere placeant Deo, vt in die iudicij ſolùm explicet illa in abſolutione iuſtorum, non eſt ſemper omittenda oratio : nam ſi aliena anima corpori proprio anteponenda eſt, cur animam propriam corpori alieno non antè habebimus. Cæterùm in oratione intelligo etiam, quidquid illuſtrat mentem, ſpiritualem lectionem, & præſentiam Dei ; nam Dauid ait : *Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore* ; ſed præter neceſſitatem orationis quatenus eſt conſideratio, accedit alia quatenus precatio eſt, vt Deum placemus pro culpis quotidianis, ne ſuæ gratiæ deſtituamur ſubſidiis, & vt impetremus maiora ; vult Deus rogari, noſtra expectat vota, noſtra deſiderat deſideria, vt idipſum det quod deſiderat plus ipſe dare.

Ierem. 12. — 1. de conſid. — Lib. de orand. Deum. — Pſal. 6. 26.

Deuotio iuuat perſeuerantiam.

CAPVT XLV.

QVARTVM perſeuerantiæ præſidium deſignat nobis ſponſa, quæ de ſe dicit : *Sub vmbra illius quem deſiderauerain ſedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Nam cùm miteſcit nobis virtutis cultus, cùm ſuauis ſit interior conuerſatio, cùm exercitia ſpiritualia delectant, & omnis ſæcularis occupatio moleſta, & acerba videtur ; tunc ſiquidem alimenta virtutum gratiora ſint, quàm impedimenta. firmiùs in eorum exercitio manebimus, cùm ipſe guſtus, qui ſeparare ſolet, nos adſtringat pietati. Quemadmodum enim natura appetitum eſcæ præparauit, vt allecti guſtu vitam promoueremus ; ægrotantibus verò cibi videantur amari. Eodem modo, cùm cibus ſpiritualis placet, magnum habemus adiumentum, vt ſpiritualem quoque promoueamus vitam ; ij verò, quibus exercitia ſpiritualia diſplicent, quæ ſunt alimenta vitæ ſanctæ, languent, & deficient. Hunc appetitum ſpiritualem nobis commendauit Chriſtus, cùm contempto corporis victu cibum ſuum dixit eſſe facere voluntatem Patris, in quo plus ſaporis, & dulcedinis capere debemus, quàm in vlla corporis refectione. Idem quoque monuit

Cant. 2.

Pata

Rom. 6. Paulus: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire inquitati; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ.* *Epiſt. 144.* Hoc eſt, inquit Auguſtinus, quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccati: ſic nos ad iuſtè viuendum, non ſupplicij metus vrgeat, ſed delectatio, charitaſque ducat iuſtitiæ. Accedit quòd maioris meriti opera noſtra erunt, cùm grata ſponte, & latè peraguntur; nam bilarem datorem diligit Deus. Quare S. Chryſoſtomus ait: *Hom. in illud, Har. eſſe.* *Si alacriter demus, duplex erit eleemoſyna, & quia damus, & quia hilariter damus. Contrà erit, ſi acerbè ferimus officia virtutum. Vix vnum meritum in multis operibus inuenietur.* Quare S. Proſper hortatur. *Sent. 126.* *Cùm bonum operaris, hilaris operare. Nam ſi quid boni triſtis feceris, fit de te magis, quàm facis.* Atqui vt dulcem rerum ſpiritualium ſenſum nobis comparemus, quamuis ſenſibilis deuotio in noſtra non ſit poteſtate, iuuabit multum ex otio, & opera data, non obiter, nec tanquam operi neceſſariò quietam dare operam exercitiis piis, orationi mentali, atque vocali, ſacrificio Miſſæ, lectioni ſpirituali. Quemadmodum, qui maiorem ex potu voluptatem capere volunt, non vno hauſtu, nec feſtinanter ebibunt, ſed paulatim, & quaſi ſtillatim lento mulcent humore palatum. Ita etiam vt ex rebus ſpiritualibus guſtum capiamus, deuotionemque foueamus, non ſunt earum exercitia raptim peragenda: ad illa potiùs accedamus exemplo ſponſæ tanquam ad vmbram, tanquam ad refrigerium ex æſtu aliarum occupationum, vt fructus illorum percipiamus, nec vllum gratiæ vſum contemnamus; illa vmbra ſponſi, in qua ſedebat ſponſa, & fructum dulcem deguſtabat, gratia Chriſti eſt. *O Deus* (inquit Cardinalis *Serm. Ciner.* Bertrandus) *quàm delitioſum, & quàm vtile eſt ſedere ſub vmbra illius, qui eſt deſiderabilis totus, ideſt, ſub refrigerio ſua gratiæ, ab æſtu deſideriorum carnalium requieſcere. Vmbra enim Chriſti ipſius eſt gratia, ſicut vmbra ſemper coniungitur illi, cuius eſt vmbra. Sic gratia gratum faciens ſemper comitatur diuina bonitati, à qua procedit; ſicut etiam vmbra corpus non eſt, & corpus repræſentat: ſic gratia etſi Deus non ſit, tamen Deum repræſentat, & illi aſſimilatur. Iterum, ſicut vmbra ab æſtu refrigerat, ſic & diuina gratia ab æſtu refrigerat vitiorum. Item, ſicut vmbra fugit, & deludit capientem, ſequitur autem fugientem: ſic gratia Dei fugit illum, qui proprijs viribus credit illam accipere.* His quatuor pedibus conſtat pulcher, & pacificus perſeuerantiæ thronus, vbi ſedere nos Iſaias iubet tanquam in pulchritudine pacis. Caueamus, ne ſi aliquis infringatur, inde cadamus. Timeamus caſum Heli, qui de ſella in qua ſedebat, cecidit, & mortuus.

***

DOCTRINA VII.

QVO MODO PER triduum renouandus ſit ſpiritus.

Quid faciendum in triduo, quo vtitur Societas IESV ad renouationem ſpiritus.

CAPVT XLVI.

VIAM *trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro.* Laudabili Societatis noſtræ conſuetudine ſexto quoque menſe reparandi ſpiritum, renouandique vota religioſa, quibus nos totos in holocauſtum Deo damus, offerentes pariter gratiſſimum maieſtati diuinæ Sacrificium ſpiritum contribulatum, & contritum de præteritis culpis, & imperfectionibus, quod acceptius eſt omnibus animalium holocauſtomatis, meritò ſecedimus per triduum à tumultu & conuerſatione hominum ad orationis confugientes ſolitudinem, vt rectè cum Moyſe dicere poſſimus. *Exod. 8.* *Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino.* Hoc trium dierum iter inſtituendum eſt, vt grata Deo ſacrificia offeramus, manentes per triduum in orationis deſerto, & interim repurgatis affectibus per puritatem conſcientiæ, & munditiam animæ acceptum Deo holocauſtum præparemus, ac deinde in nouitate vitæ ambulemus, atque feruorem renouemus ſpiritus. Hæc renouatio eſt peregrinatio huius tridui. Audiamus ſanctum Bernardum, quid nos iubeat facere, vt renouemur; & ſimul Origenem, quomodo nos moneat hoc trium dierum iter peragere. Inueniemus profectò idem ab vtroque doceri. S. Bernardus dicit: *Eſt autem triplex vetuſtas, & è contrario triplex nouitas; eſt enim vetuſtas in corde, in ore, in corpore, in quibus tribus modis peccauimus, cogitatione, locutione, & opere. In corde ſunt deſideria carnalia, & ſæcularia, ideſt, amor carnis, & amor ſæculi. Similiter in ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia, & derogatio: Item gemina in corpore flagitia, & facinora. Hæc omnia ſunt imago veteris hominis, & hæc omnia renouanda ſunt in nobis.* *Serm. 30. paruulorum.* Hæc ſanctus Bernardus de renouatione noſtra. Nunc videamus quid Origenes dicat de ſeceſſu & via trium dierum. *Tridui iter*, inquit, *de Ægypto proficiſcimur, ſi purificantes in nobis dicta, facta, vel cogitata (tria ſunt enim hæc per quæ peccare homines poſſunt) efficiamur mundi corde, vt poſſimus Deum videre.* *Hom. 3. in Exod.* Itaque occupatio noſtra in hoc ſeceſſus & otij ſancti triduo debet eſſe, iuxta Origenem, & Bernardum, cogitiones, ſermones, & actus noſtros reformare, vt perfectè renouemur, mundique coram Deo appareamus.

S 2 Nam

Nam ſi aliquid ex bis nobis defecerit, non etit perfecta renouatio, quam pro viribus impedire, aut minuere, non alitet ac Phatao conarut Dæmon. *Ibid.* *Pharao hic* (inquit Origenes) *qui eſt Princeps Ægypti, vbi ſe videt vehementius perurgeri, vt dimittat populum Dei, ſecundo loco hoc cœpit impetrare, ne longiùs abeant, ne totum triduum proficiſcantur, & dicit non longè à beatis. Non vult longè à ſe fieri populum Dei; vult enim, ſi non in facto, vel in ſermone peccare; ſi non in ſermone, vel in cogitatione delinquere. Non vult vt totum à ſe triduum proficiſcantur; vult in nobis vel vnum diem ſuum habere, in alijs duos, in alijs totum triduum ipſe poſſidet. Sed illi beati, qui integrum ab eo triduum diſcedunt, & nullam in eis ſuam poſſident diem.* Hoc igitur curandum nobis eſt; quapropter à cogitarionibus, & interiori animæ ſupellectili ptimo die auſpicemur, atque eircumſpiciamus, in quo mens noſtra, in quo cor noſtrum inueterata ſunt, vt vetuſtatem omnem deponentes, faciamus quod Apoſtolus conſulit. *Renouamini autem ſpiritu mentis veſtra, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Et Dauid *Pſal. 50.* ait: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Renouare intrinſecus docent nos ſpiritum mentis, & cordis, vt mundatis internis animæ potentiis mundum ſacrificium laudis offeramus Deo, dicentes cum Rege Propheta. *Benedic anima mea Dominum, & omnia qua intra me ſunt nomini ſancto eius.* Omnia dicit Dauid, ſcilicet non ſolùm intellectum, ſed voluntatem, quæ duo ſunt internæ animæ facultates, vnde tota hominis renouatio pendet. Priùs dicam de ordinatione, & renouatione intellectus, ſeu cogitationum, ex qua etiam voluntas ordinanda eſt, totaque inde noſtra reformatio deriuatur.

Tribus rebus renouari, ſeu reformari debet intellectus.

Capvt XLVII.

LEGIMVS enim Ezechielem, & Abacuc Prophetas per capillos delatos ab Angelis; capilli enim in ſacra Scriptura coguationes ſignificant, neque aliud eſt, vnde totus homo faciliùs regatur, atque moueatur, quàm per conſiderationem, & ſancta cogitata; & qua anſa Angeli nos gubernant, & velut portant in manibus ſuis, mens eſt, quam ſanctis cogitationibus, & inſpirationibus illuſtrant. Fortitudo quoque Sanſon in capillis conſtitit, quia ſanctæ cogitationes ſunt, quæ animi robur alunt. Videamus iam quibus nos doceat Scriptura cogitationibus ornare intellectum, ſcilicet cõtrariis prorſus iis, in quibus frequẽter peccat ille; peccat enim intellectus noſter in obliuione Dei cum diſtractione, atque vaga libertate inutilia cogitãdi. In falſa rerum opinione, hoc eſt, æſtimatione bonorum ſæculi, vnde maximè debilitatur noſtri ſpiritus vigor; in ſiniſtro de alienis rebus iudicio. Quare renouandus eſt per præſentiam Dei, & attentionem orandi, per veram rerum opinionem, & æſtimationem noſtri profectus, rerumque omnium ſpiritualium, per ſimplicem, & bonam fratrum noſtrorum exiſtimationem. Præſentiam Dei, & recollectionem mentis omnia ad Deum referentis, nihilque niſi quæ ad Deum ſpectent, cogitantis ſatis nobis commendat ſponſus, dicens: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*, ſcilicet cùm tua mens vna eſt, cùm tua cogitatio vna eſt, & de me vno; oculus enim animæ intellectus eſt, tunc certè cùm nihil niſi in me intendis, cùm ſolùm me reſpicis, cùm ſolius mei recordaris, vnus eſt oculus tuæ mentis, vnus eſt crinis tuus, hoc eſt, cogitatio tua, quæ mihi gratiſſima eſt. Quid enim gratius Deo, quàm cum anima ſemper Deum præſentem habet, ſemper orat, ſemper deſiderat, ſemper amat, nihil niſi Deum, aut de Deo, aut pro Deo cogitare vult, aut valet. Adeò placuit ſponſo hæc cogitationum vnitas, vt eam iterum laudarit, dicens: *Sicut vitta coccinea labia tua ſponſa, & eloquium tuum dulce.* *Cant. 4.* quæ verba ſanctus Gregorius ſic interpretatur. *Vitta quippe crines capitis adſtringit.* *Lib. 2. Mor. c. 26.* *Labia ergo ſponſa ſicut vitta ſunt; quia exhortatione ſancta Eccleſia cuncta in auditorum mentibus diffuſa cogitationes ligantur, ne remiſſa defluant, ne ſeſe per illicita ſpargant, ne ſparſa cordis oculos deprimant, ſed quaſi ad vnam ſe intentionem colligant, dum vitta eas ſancta prædicationis ligat.* Hæc collectio cogitationum maximè in oratione neceſſaria eſt, neque valde ſublimis oratio ſine illa erit. Satis hoc indicat, quod Prophetæ Ezechieli accidit, & ipſe refert: *Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter terram, & cælum, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei.* Audiamus iterum diuinum Gregorium: *Quid eſt enim cincinnus capitis, niſi collecta cogitationes mentis, vt non ſparſa diffluant, ſed per diſciplinam constricta ſubſiſtant? Manus ergo deſuper mittitur, & Propheta per cincinnum capitis eleuatur: quia cùm noſtra mens ſeſe per cuſtodiam colligit, vis ſuperna ſurſum nos ab infimis trahit.* *Lib. 31. c. 7.* Illa mens verè aſcendit ad Deum, id eſt, bene orat, ducitutque in cœleſtem Hieruſalem in viſionem Dei, & ſanctam tranquillitatem, quæ mundanas curas, & cogitationes reſecat; quod etiam nos monuit factum ſancti Iob, cùm detonſo capite corruens in terram adorauit. *Iob 1.* Habemus enim ad reſecandas inutiles imaginationes, & phantaſias, quas cor terrenum parturit, nouaculam illam, de qua ſanctus Paulinus inquit, *Remedij & decoris nouacula nobis Chriſtus Deus eſt, qui cor noſtrum circumcidit, vitia radit, animæ caput lauigat, & faciem mentis accurat, noſque vt illam in lege captiuam purgat, & liberat horrido miſera ſeruitutis capillo.* *Epiſt. 4.* Hoc itaque in primis reformare in nobis debemus, ne diſtrahamur in oratione rebus inutilibus, ſed reſciſſa aliarum rerum memoria adoremus, & tota oremus mente. Hinc fiet quòd intra diem præſentem Deum circumferamus, ſanctiſque cogitatis mentem paſcamus; quemadmodum dicit Pſalmus, *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*; *Pſal. 75.* ex reliquiis bonæ orationis totum diem conſecrabimus cum præſentia, & memoria Dei, qua nihil magis opportunum, & neceſſarium eſt, ad conſeruandum ſpiritum, & deuotionem, atque ex eius negligentia multæ imperfectiones culpæ, & tota animi diſſolutio originem ducit.

Cæte

Cæterùm ex recollectione animi ſequetur alterum, in quo oportet renouari, ſcilicet verum iudicium, & æſtimatio rerum, vnde totum animi robur pendet; quemadmodum oſtenſum nobis in Sanſone fuit, cuius incredibilem fortitudinem pauci capilli conſeruabant, iiſque reſectis miſerè excæcatur, & ad molam damnatur. Sic eſt, cùm res humanæ, & iſte ſæculi fucatus ſplendor minimè nos fallunt; ſed perſpectam habemus omnium rerum periturarum vanitatem, æternarumque inæſtimabile pretium; fortiſſimi, & conſtantes ſumus, ſtrenuique in omnium virtutum officiis. Cùm autem temporalia magnum aliquid cogitamus, tunc iſta falſa exiſtimatio infirmat nos, & excæcat, atque in multas curdis anxietates pertrahit; diuerſæ enim ſunt cogitationes ſpiritualium virorum à cogitationibus imperfectorum, & tepidorum, quæ à ſæcularium opinionibus de falſa mundi æſtimatione non diſtinguuntur, ideo pariter, à mundani inanibus imaginationibus cruciantur, quorum damna plus efficiunt ipſæ ſuæ apprehenſiones, & rerum opiniones deceptæ, quàm ipſæ res, ipſæque calamitates. Quapropter appoſitè notauit S. Paulinus, vt Scriptura diuina docet: *Leuis eſt Sanctorum coma, impiorum grauis, illa aut virtutis, vt in Sanſone, aut ſanctificationis, vt in Samuele. Hæc autem, aut ponderis, vt in Abſalone, aut ſqualoris, vt in Nabuchodonoſor.* Vtuntur enim Sancti intellectu & iudicio ſuo ad labores huius vitæ alleuiandos ſanctis cogitationibus, & veris rerum ſenſus. At imperfecti, & peccatores ſuamet imaginatione, & falſis rerum apprehenſionibus ſibi graues, & oneroſi ſunt, & ſeſe infirmant, ſe excæcant, & velut iumenta ad perpetuos angores damnant. *Etenim*, ait S. Paulinus, *Samſon ſapientia pariter, & gratia virtute deſertus, cæcitate punitur, & mola, qua dignus eſt opere iumentario, qui ſemetipſo lumine rationis orbauerit, & in ſimilitudinem belluarum, corporis ſeruus abiecerit. Conſidera huiuſmodi mortalium vitam, & tota tibi ſpecies iumenti molentis occurrat, vt ille pannis oculos corporis; ſic iſte ſordibus vita ſua, oculos mentis obſitus per errores ſuorum ſenſuum, quaſi circa ambages molarum, laborioſa miſer ſtatione verſaturus, viſu ſuo vacuus, & operoſus alieno, ſtat in via peccatorum compeditus vinculis cupiditatum ſuarum, & ipſe ſibi carcer eſt, obſeſſus tenebris erroris ſui, & conſcientia ſqualore concretus, in ſemetipſo priſtini ergaſtulum patitur. Saxum cordis ſui pertinacia iniquitatis obduratum, quaſi molam verſat farinam hoſtibus ſuis de corrupta anima ſua fruge conficiens; quia ſicut ſcriptum eſt: Peccator de anima ſua currit. Ita qui peccatum operatur, de mola vita ſua hoſtile triticum molit, vt Zabulum paſcat, cui panis ſit anima, quæ ſibi fames eſt.* Hactenus S. Paulinus, quæ Religioſis tepidis aptari poſſunt; nam dum peccata venialia committunt, etiam ſe excæcant, & ad ſimilem molæ laborem damnant.

Tertium in quo mens noſtra nouari debet, eſt mite atque benignum de aliis iudicium, quod nobis ſignificat capillitium Chriſti, ſicut S. Ioanni Euangeliſtæ apparuit initio ſuæ Apocalypſis; caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix; vbi prudentia, atque innocentia iudiciorum noſtrorum commendatur. Album enim capillamentum, & cani ſeniorum ſunt, atque ipſe candor ſanctitatis, & ſimplicitatis nota: ſic noſtræ cogitationes candidæ, & iudicia cana debent eſſe, id eſt, matura, & benigna, atque innocentia, ne facilè de aliis ſiniſtrè iudicemus; imitemur Deum, qui de ſe ita gloriatur: *Ego cogito cogitationes pacis. Iudicia & cogitationes noſtra pacifica ſint, & benigna.* Præcipuum ſignum relaxati animi hoc eſt, cùm facilè quis alios iudicat: nam qui hoc facit, non ſe iudicat, non intra ſe ambulat, non habet ſuæ conſcientiæ rationem, non ſecum occupatur; ideo in alienis actibus totus eſt. Deinde ſignum eſt exiguæ charitatis: nam charitas patiens eſt & benigna, nec æmulatur, nec quærit quæ ſua ſunt. Colligamus nos intra nos, iudicemus defectus noſtros: ſic non intendimus in alienos, proiiciamus trabes de oculis noſtris, ne feſtucam in aliis trabem putemus. Meminerimus illius ſententiæ: nolite iudicare, & non iudicabimini; nam qua menſura menſi fuerimus, remetietur & nobis. Timeamus quod dixit ſanctus Chryſoſtomus: non enim tantùm à peccatorum natura, ſed ex iudicio de aliis noſtro ſententiam Deus proferet; idcirco admonet, dicens: *Nolite iudicare ne iudicemini, non enim quale fuit peccatum, tale illic in futurum apparebit, ſed quandam magnam, & ineuitabilem additionem à iudicio in conſeruum facto accipiet: ſicut enim humanus & mitis, & clemens maiorem peccatorum grauitatem ſuccidit: ita acerbus & crudelis.* Hom 3. ad Pop.

Quibus rebus renouari, & reformari debeat voluntas.

CAPVT XLVIII.

VENIAMVS ad reformationem cordis noſtri, hoc eſt, voluntatis, quam ſæpiſſimè requirit à nobis Dominus in Scriptura diuina; amantiſſimè enim poſtulat illam, dicens: *Fili præbe mihi cor tuum*; & in capite legis iubet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et certè ob beneficia, quibus ſingulariter Deus noſtra afficit corda, in integrum & ſolidum tota illa ei debemus. Quare Vmbertus dixit. *Diligentiſſimè ſtudeamus fratres, vt toto corde, recedamus à peccato, deteſtando culpam, toto corde conuertamur ad Dominum, augendo pœnitentiam, toto corde requiramus Dominum, ſupplicando veniam, toto corde adhæreamus Domino, ipſum ſuper omnia diligentes, toto corde ſeruiamus Domino, ipſum laudantes, toto corde ſequamur Dominum, ipſius veſtigia imitantes. Iſta meritò debemus Domino, quia beneficia innumera præſtat cordi noſtro; ipſe namque Deus potentia iuuat corda noſtra, ſapientia gubernat, bonitate ditat, dulcedine cibat, pulchritudine inuitat, charitate vnit, promiſſis allicit, flagellis erudit, comminatione concutit, ac beneficijs emollit. Ipſe Deus dulciſſimus corda noſtra intuetur, approbando, tangit excitando, viſitat conſolando, viuificat iuſtificando, aperit irrorando, de quibus omnibus gratiarum actiones nos ſibi referre conuenit indeſeſſè.* Epiſt. de 3. votis c. 48. Quare pro viribus curandum eſt cor mundum ipſi præparare, & conſeruare, vt dignè illum in anima noſtra hoſpitemur, ad quod tria neceſſaria ſunt. Primum, habere cor manſuetum,

& pacatum ſecundùm cor Dei, quemadmodum Dauid. Secundum, habere cor rectum, quemadmodum ſanctus Iob, qui fuit vir ſimplex, & rectus. Tertium eſt, habere cor ardens, quemadmodum illi Diſcipuli, qui cum Chriſto adibant Emaus; hoc eſt, cor pacatum cum tranquillitate, affectuum eſt aſſidua mortificationis interioris cura; cor ſimplex cum rectitudine intentionis in omnibus rebus Deum quærendo, Deum aſpirando; & cor flagrans bonis deſideriis, ſitiens indies ſuum maiorem profectum, & magis ac magis Deo placere. Quis enim non ſe inueniet inueteratum, & imbellem in mortificatione interiori, ſentiens minorem ſuarum paſſionum pacem. Quis non ſe inueniet in multis defeciſſe à puritate intentionis, & feruore in operibus, quæ facimus. Quis non poterit lugere primam illam charitatem, primum illum ardorem, prima illa, & præcordialia deſideria placendi Deo aliquantulum imminuta experiri; quare hæc tria potiſſimum reparandæ ſunt in voluntate noſtra, vt cum fructu renouetur, ſcilicet mortificatio interior, rectitudo intentionis, & bona deſideria. De ſingulis nonnihil dicamus. Mortificatio interior primùm omnium exercenda eſt in ſæcularium deſideriorum abdicatione, nihil commune cum ſæcularibus habendo, cupiditates noſtras opprimendo, omnem ſæculi pompam non tantùm reiiciendo, ſed conſpuendo, peſſundando; vix enim, qui non contemnit mundum, non amabit illum; inde ſequetur vera paupertas ſpiritus, quæ profeſſio noſtra eſt, imò omnium votorum religioſorum obſeruantia perfecta; qui enim nihil de mundo deſiderat, cùm mundi bona ſint diuitiæ, voluptates & honores, cum contemptu diuitiarum pauper erit, cum horrore voluptatum caſtus, cum odio dignitatum, & honorum in humilitate ſua obediens erit. Hoc eſt, quod ſanctus Paulus hortatur, dicens: *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri.* Vbi ſatis docet ex renuntiatione mundanorum deſideriorum victuros nos ſobriè, nimitum per caſtitatem; iuſtè per paupertatem; piè per obedientiam; reuerentia ſiquidem maiorum pietas dicitur. Addit Apoſtolus efficax motiuum ad deponenda ſæculi deſideria, expectationem cœleſtium bonorum. Qui enim ſperamus æterna bona, qui concupiſcimus, qui quærimus cœleſtem gloriam, cur hæremus caducis, cur quærimus per ipſas cupiditates noſtras animi tormenta? Inſinuat etiam aliud motiuum adiiciens, *qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum.* Nam ſi Chriſtus dedit ſe nobis, cur non accipiemus illum. Chriſtum autem nec accipere, nec perfectè poſſidere poſſumus, niſi in corde noſtro, nec cor noſtrum illum capiet, ſi aliarum rerum amore occupatum eſt, & immundum ſordibus terrenarum cupiditatum. Præterea ſi Chriſtus nobis ſe dedit, ius eſt, vt nos demus nos metipſos illi, nec dari Chriſto poſſumus, ſi perituris rebus capti ſimus. Indicat Apoſtolus etiam ſumptus, & impenſas, ſic dixerim, IESV Chriſti, vt mundaret nos à prauis ſæculi deſideriis, dedens ſemetipſum pro nobis tot cruciatibus, tot opprobriis, tam auſteræ vitæ, tam acerbæ morti, non eſt iuſtum, vt irrita faciamus. Hæc omnia, ſeruando ſæculi amorem. Hinc etiam ſequetur pax & tranquillitas animæ; nam qui nullo deſiderio ſæculari diſtrahitur, ſedatum & tranquillum cor poſſidebit, & deuotum, atque diſpoſitum ad orationem, & cætera exercitia ſpiritualia, eritque populus acceptabilis, ſectator bonorum operum; cauſa enim, cur opera noſtra non ſint bona, aut ſi bona ſunt, ne benè, & perfectè operemur illa, immortificatio deſideriorum eſt.

Ad Tit. 2.

Deinde poſt moderationem concupiſcibilis, oportet coërcere iraſcibilem, ferendo patienter, quæ noſtræ voluntati repugnant, defectus fratrum noſtrorum, iniurias, quæ nobis contingent irrogari, incommoditates, quæ occurrunt, iuſſa Superiorum non opportuna, aut ardua, quæ ſæpe videntur nobis imponi, quarum rerum impatientia multum nocet feruori ſpiritus. Propterea dixit ſanctus Iacobus: *Patientia opus perfectum habet, vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Idem conſulit Sapiens. *Fili in manſuetudine opera tua perfice*; niſi enim iraſcibilem perfectè mortificauerimus, perfectionem conſequi non valebimus, quam ſolida patientia operatur, ſine qua nulla perfecta virtus conſiſtit. Quare tolerantia neceſſaria eſt dupliciter, tum ne violemus charitatem, quæ vinculum perfectionis eſt, tum vt omnes virtutes perfectè exequamur: nam in vnaquaque eſt, quòd toleremus, & ſua difficultas per patientiam ſolùm ſuperanda. Itaque doctrina internæ mortificationis eſt illa, quam duobus verbis reſumpſit Epictetus, *Suſtine, & abſtine*, abſtinere bonis temporalibus, non deſiderando illa, & ſuſtinere mala temporalia, coërcendo iraſcibilem, & metus, & triſtitias; vtrumque complectitur regula noſtra, qua iubemur quærere in Domino maiorem noſtram abnegationem, & continuam mortificationem in omnibus rebus poſſibilibus, quæ de mortificatione interiori loquitur.

Ex hac mortificatione interna pronius fiet, vt puram ad Deum intentionem dirigamus; qui enim de mundo nihil deſiderat, facile ad Deum ſua deſideria conuertet. Nam qui nihil niſi Deum concupiſcit, nihil in omnibus rebus niſi Deum quæret, in quo bonæ intentionis puritas conſiſtit, ſcilicet vt in omnibus Deum quærentes, omnia pro Deo faciamus. Si minus agimus, nos præcipuè, qui Deo dicati ſumus, apoſtaſiam quãdam cenſere debemus. Et quidem graues Deus per Iſaiam querelas de hoc dedit. *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me.* Sanctus Chryſoſtomus legit, *feciſtis voluntatem meam, & non pro me.* Quibus verbis poterat ſignificantiùs obiici nobis, quàm ægrè ferat Deus non omnia, propter ſe agere, ſiquidem eos ipſos, qui ſuam voluntatem faciebant, apoſtatas, & deſertores vocat, quoniam non pro ipſo facerent; adeò neceſſaria, & grata Deo eſt pura intentio, vt non ſufficiat, quo illi placeamus facere quod ipſe vult, niſi id pro ipſo faciamus: multi enim ſunt, qui idem opus faciunt, diuersè tamen à Deo ipſorum opera accipiuntur. Zachæus, & Herodes pariter deſiderarunt Chriſtum videre. Bonum profectò opus, at Zachæi votum ſic placuit IESV, vt in ſuamet domo manducare voluerit, & priuatim eum alloqui,

&

& inſtruere: at Herodis deſiderium ſic diſpliceuit, vt nec verbum illi loqueretur. Saul dixit, *peccaui*, Dauid quoque; ſed quàm diſſimili fructu. Abraham riſit promiſſo ſibi filio, riſit & Sara, illius riſus laudatus, huius increpatus eſt. Sed neque ſufficit ad puram intentionem offerre Deo quæcumque facimus, ad ipſumque cuncta noſtra opera dirigere; oportet etiam, vt faciamus voluntatem eius: nam ſi quis quod ſibi placet, non quod Deo, facit, etiamſi illud ad Deum dirigat, non placebit Deo. Quare duo hæc iungenda ſunt, facere omnia pro Deo, & omnia quæ Deus vult, & non aliud; inquirendo in omnibus rebus, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Vltra hæc neceſſe eſt ad ſinceritatem, puritatemque intentionis, non ſolùm facere quæ Deus vult, & illa ipſa facere, quia vult, hoc eſt, propter illum, ſed etiam hoc ſolo intuitu illa facere, non alium permiſcendo finem.

Pia ſeruiendi Deo deſideria inflammanda ſunt.

Capvt XLIX.

Deniqve deſideria ſeruiendi Deo inflammare in nobis debemus, & nouo recreare igni, vt corda noſtra ardeant. Ad hoc venit filius Dei de cœlo; venit enim mittere ignem in terram, & quid vult niſi vt diuino ardeamus amore, & ſanctis deſideriis cœleſtia concupiſcamus. Ad hæc deſideria excitanda in nobis pronuntiauit beatos, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, atque vt nos prouocaret ſuo exemplo, dixit, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Et iterum, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam.* Si tam auidè, & ardenter filius Dei deſiderauit pati pro nobis, cur nos non deſiderabimus pro illo regnare in cœlo, cur non deſiderabimus pro illo, & pro nobis bonum noſtrum? Pudor noſtri eſt, quàm ſtrenuè milites Dauid, quàm animosè eius deſiderium adimpleuerunt; nos autem deſideria diuina torpore noſtro contemnamus, & quaſi rideamus. Deſiderauit Dauid, & dixit.

1. Par. 11. *O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethleem.* Ardua profectò eſt, & præterea parui momenti: nihilominus tres milites per media caſtra Philiſthinorum perrexerunt cum ingenti labore, & vitæ periculo prælian tes, deſudantes, morientes, vt ſic dicam, & hauſerunt inde aquam, attuleruntque ad Dauid; Deus autem non ſibi voluptatem aliquam, non rem futilem deſiderat, ſed noſtram ſalutem, noſtrum profectum, noſtram perfectionem, honorem, vtilitatem, gaudium, & nihilominus torpemus? Pudor quoque noſter eſt. Quàm feruidi Iſaias, & Dauid, flagrabant deſideriis, cùm exemplum Redemptoris non viderint, nec illos tot beneficiis Deus obſtrinxerat, ac nos qui videmus cruorem filij ſui pro nobis effuſum. Sanctus Propheta Iſaias de ſe fatetur præ ardore deſiderij, neque noctu quieſcere poſſe, ſed ex totis præcordiis, & toto ſpiritu ad Deum anhelare. *Nomen tuum,*

Iſai. 26. inquit, *& memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo de manè vigilabo ad te*, ſic ardebat ſancta Dei cupiditate, vt quamuis noctu non dormiret, proponebat tamen de manè perſeuerare in ſuſpiriis, & deſideriis ſuis. Dauid quoque præ deſiderio Dei deliquia patiebatur. *Quid mihi eſt in cœ-* Pſal. 72.
lo, & à te quid volui ſuper terram: defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et quid feruidius, quàm cùm dixit, *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes* Pſal. 41.
aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. Et iterum. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Iſta deſideria acuenda in nobis ſunt; primùm, quia gratiſſima ſunt Deo, propterea Angelus non inuenit titulum, quo magis ſignificaret Danielem gratum Deo fuiſſe, quàm vocando illum virum deſideriorum. *Opera* namque, ait S. Laurentius Iuſtinianus, *eò fiunt ſuperno iudici gratiora, quo ardentiori fuerint facta charitate; non qui plus operatur, ſed qui plus diligit, magis commendatur à Chriſto.* Amor enim deſideriis nutritur, deſideria autem ab amore tanquam calor ab igne prodeunt. Deinde, quia nihil eſt quod magis difficultatem virtutis emolliat, & facilitet laborem diſciplinæ religioſæ. Nam cùm acris præcedit cupiditas alicuius rei, ſopit moleſtias omnes, quæ in conſequutione occurrunt; vincit enim incredibilia ardens deſiderium, quemadmodum videmus in hominibus auaris, & gloriæ cupidis, quod optimè idem S. Laurentius Iuſtinianus admonuit. Cap. 6. de perf. mon. conuer.
Hoc namque deſiderium tanquam firmiſſimus adamas in ſpiritualis ſtructura ædificij pro fundamento locandum eſt. Tale etenim habentes deſiderium homines ſæculi negotijs deditos pro adipiſcendis dignitatibus, pro acquirendis diuitijs, pro ſectandis voluptatibus videmus, diu noctuque ſub faſcibus laborum deſudare, pericula contemnere, corporis quietem nihil pendere, pacem mentis amittere, ipſamque mortem vltimum terribilium non formidare. Si tantum poteſt hic amor in cordibus peccatorum, quantum valebit in cordibus iuſtorum, qui pro cœlorum gloria, pro paradiſi gaudijs, pro perenni felicitate decertare noſcuntur. Quis enim (idem ait) *huius ſancti deſiderij valet profectus explicare, animo quippe vires ſubminiſtrat, & pœnam exhibet leuiorem, perſeuerantiam præbet, ſanctitatem adducit, coæquat Martyribus.* Addo & hoc quidem ſine martyrio, & ſenſu magno, omnia enim leuia reddit amor, imò ſine magno deſiderio non eſt, cur expectemus magnum profectum; quare non ſolùm opportuna ſunt deſideria ardentia, vt proficiamus, ſed neceſſaria. Adeò vt Plutarchus hoc primum ſignum dederit alicuius profectus, quia vſque ad magna deſideria non cenſuit vllum eſſe. *Primum argumentum*, inquit, *quo te ſentias in virtutis ſtudio profeciſſe, eſt* Lib. de profect. mor.
amoris immenſitas. Erubeſcamus ad ſententiam huius Ethnici requirentis non qualemcumque cupiditatem, & amorem virtutis, ſed immenſum. Et cur non. Nam ſi iſtud nihil fucatum, & vanitatem mundi immensè deſiderant auari. Bonum illud, quod re vera immenſum eſt, cur miſerè, & limitatè deſiderandum eſt. Optimè ſanctus Bernardus ait. *Qui eſurit ergo, eſuriat amplius, &* Serm. 2. omnium Sanct.
qui deſiderat abundantius, adhuc deſideret, quoniam quantumcumque deſiderare potuerit, tantum eſt accepturus; immò non ſecundùm imperfectio-

nem,

nem, modumve deſiderij, quoniam donec perfectè habeat, perfectè deſiderare non poteſt, ſed nec & perfectè habere, donec perfectè deſideret, ſed menſuram accepturus eſt bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem. Præterea Chriſtus Dominus eſuriem, & ſitim vocauit ſancta deſideria, quæ ſunt appetitus rerum neceſſariarum, quæque cogunt ſibi ſatisfacere, ita etiam deſideria proficiendi neceſſaria ſunt virtuti, & talia debent eſſe, vt neceſſitent impleri re, & opere. Tum nihil magis eſt quo Deus flectatur ad opem ſuam nobis ferendam, quàm cùm ardentibus deſideriis profectum noſtrum exoptamus: nam ſi deſideria in neceſſitatibus corporis ita exorant
Pſal. 17. Deum, vt dicat Dauid: *Deſiderium pauperum*
Prou. 10. *exaudiuit Dominus.* Et Salomon: *Deſiderium ſuum iuſtis dabitur.* Quomodo in neceſſitatibus ſpiritualibus poterit obſurdeſcere? imò tanto celeriùs, tanto effuſiùs manum ſuam porriget, quanto bona ſpiritualia præſtant corporalibus. Daniel, qua diligentia plus impetrauit audiri poſt tot ieiunia? Reſpondeat ſanctus Laurentius Iu-
Cap. 6. de ſtinianus. *Non meruit ſcire ſecreta cæleſtia Pro-*
perf. mor. con. *pheta Daniel, quia ieiunauit, ſed quia concupiuit.* Denique, quia per deſideria diſponimur ad cæleſtia dona capienda, quemadmodum naturæ omnes per inclinationes ſuas diſponuntur ad ſuas perfectiones. Idcirco ſanctus Thomas dixit: *Deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati;* quod etiam apertè dixit Dauid appellans deſiderium præparationem cordis quam audit auris diuina. Conſumunt præterea ſancta deſideria culpas, & defectus; quapropter ſanctus Bernardus monet: *Oportet vt ſancti deſiderij ardor præueniat faciem eius, Dei ad animam, qui omnem conſummant rubiginem vitiorum, & ſic preparet locum Domino, iuxta illud: Ignis ante ipſum præcedet.* Hæc pro renouatione interna animi, & primæ diei via, ſatis ſint nolo amplius hîc hærere. Solum reſumam, & iterum commendabó dicta Vmberti, viri religioſiſſimi, verbis: *Vt perfectius fratres chariſſimi poſſitis finem attingere, quem intenditis, ad quid mundum relinquentes veneritis ſollicitè cogitetis: voluntates veſtras frangite, & mundo vos mortuos æſtimate. De cordibus veſtris abijcite curioſas cogitationes, indignas affectiones, ſiniſtras intentiones, violentas occupationes, triſtitiam inutilem, priuatum amorem, & ſenſum vtique ſingularem. Illud coram oculis Dei cogitare pertimeſcite, quod in præſentia hominum vtique pertimeſceretis operibus exercere. Conetur ergo vnuſquiſque cor habere, quod ſit vt hortus arboribus virtutum virens, vt apotheca ſanctarum affectionum aromatibus redolens, vt cælum diuinarum illuminationum ſyderibus fulgens, vt flos ſupernum rorem ſuſcipiens, vt arca theſaurum mirificum in ſe claudens, vt fons deuotionis riuulis ſemper manans, vt ſpeculum Dominicam imaginem repræſentans. O beatum cor, quod exhibet ſe ſolium, in quo Deus ſedeat, thalamum in quo quieſcat, ſigillum, cui ſimilitudinem ſuam imprimat, cellarium quod vino ſuo repleat, & librum in quo memoriam ſuam ſcribat, aurum quod pro beneplacito ſuo flectat. Conetur ergo iterum atque iterum quis habere cor Deo deuotum, cogitationibus diſcretum, & tentationibus cautum, a rancore extraneum, à iudicijs alienum, deſiderio languidum, amore vulneratum, cognitione fulgidum, in operibus timoratum, contemplatione eleuatum, in bono ſollicitum, contritione ſciſſum, munditia ſanctum, timore cuſtoditum, & gratia decoratum.*

DOCTRINA VIII.

DE RENOVATIONE oris, & ſermonum.

Silentij diſciplina reformat ſermonem.

Capvt L.

Olite *multiplicare loqui ſublimia, recedant vetera de ore veſtro,* 1. Reg. 2.
quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. Secundi diei via iuxta ea, quæ cum Origene, & ſancto Bernardo diximus, renouatio oris eſt. Nam facilè poſt renouatas, & præparatas Domino cogitationes, vetuſtatem deponemus verborum, quemadmodum ſancta Samuelis mater monet. *Recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. Ordinato enim interius corde, ordinatus quoque ſermo exterior manebit, nam ex abundantia cordis os loquitur.* Nihilominus ea oportebit ſingillatim commemorare, in quibus ſermones noſtri inueterati ſunt, & in quibus renouandi; nam in materia, in quantitate, in qualitate, in intẽrione, in opportunitate ſermo noſter debet eſſe gratia conditus, & ex harum circunſtantiarum defectu ſæpiſſimè verbis labimur, ſed prius quàm ad ſingularia veniamus, quæ in colloquiis noſtris reformanda ſunt, generalem regulam proponam, quæ per compendium omnia docebit. Hæc eſt ſilendi ſtudium, ſilentium enim optimus eſt prudentiæ, atque ſermonis magiſter; nam, ſicut dixit S. Laurentius Iuſtinianus: *Taciturnitas bene loquendi principium eſt.* Et Diuus Ambroſius. *Quid autem præ* 1. de offic. c. 2.
cæteris debemus diſcere, quàm tacere, vt poſſimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam abſoluat aliena. Appoſitè etiam S. Gregorius: *Quodam nutrimenti; verbi eſt cenſura ſilentij, & per exereſcentem gratiam ſermonem accipit, qui prius ordinatè per humilitatem tacet.* Ratio huius Philoſophiæ, cur neſciet ille bene loqui, qui tacere neſcit, eſt, quia ex corde, & mentis ſenſu, hoc eſt, ex cogitationibus verba deriuantur, & minimè ſublimiter, aut vtiliter cogitabit, qui locum non habet cogitandi; hunc enim locum non habet, qui multum loquitur. Quapropter dixit ſanctus Diadochus: *Præclara res eſt ſilentium, & nihil aliud, quàm mater ſapientiſſimorum cogitatuum.* Et Salomon ait. *Os iuſti parturiet ſapientiam;* ſilentium enim conceptus ſapientes gignit, & nutrit, & enititur. Quemadmodum matris eſt non ſolum fœtum concipere, ſed aluo retinere, & animare, & nutrire, vt in lucem ſuo tempore edat. Ita ſilentium tanquam optima prudentiæ

mater

mater conceptum in ſe nutrit ſermonem, vt opportunè illum effundat. Licèt aliud bonum non haberet, ſilentium ex hoc ſolùm maximè commendatum manebat, quòd officina ſit prudentum ſermonum; adduntur tamen multa alia. nam eſt teſſera vitæ religioſæ, decor virorum ſpiritualium. Quapropter ſanctus Bernardus hortatur: *Religa linguam tuam, ſi vis eſſe Religioſus, quia ſine linguæ religatione Religio vana eſt.* Silentium vtile eſt Religioſo, & Religioni; Religioſo, quia vitat culpas, & cum pace eſt: Religioni, quia ſeruat diſciplinam communem, & ſeruit ædificationi ſæcularium. Præterea conſeruat ſpiritum, qui per os facillimè euaporatur. Idcirco monet ſanctus Dorotheus. (Doctr. 24.) *Caue à multiloquio, hoc enim ſanctas, ac rationabiles, & à cœlo aduenientes cogitationes extinguit.* Multas quoque vitat culpas. prudenter peruidit hoc Dauid, (Pſal. 38.) & expertus ait. *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*, quia (inquit ſanctus Ambroſius) (1. offic. c. 2.) *neminem ſciebat caſtum os ſeruare poſſe ab immunditia ſermonis, ipſe ſibi ſilentio legem impoſuit innocentiæ, vt tacendo culpam declinaret, quam vix effugere poſſet loquendo.* Dæmon qui omnes carnes Iobi conſumpſit, integra tamen labia reliquit, ne pronam occaſionem peccandi tolleret. (Cap. 19.) *Pelli*, inquit, *mea conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*; nouerat enim Dæmon multa alia ratione faciliùs peccaturum, quàm loquendo, eodem etiam animo adduxit illi amicos, qui longos ſermones cum eo miſcerent. Nocet quoque ſilentij violator vniuerſæ communitati interturbando eius quietem, & obſeruantiam. Sic venerabilis Thomas à Kempis dicit, (Serm. 4. ad Nouit.) *In nullo ſtatu, & ordine ſtabit pax, & diſciplina, ſi non adſit cenſura ſilentij, quietis amica, quæ eſt deuotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga.* Quoniam præter culpas, multas inquietudines, multas anguſtias, multas triſtitias tacendo declinamus. *Per ſilentium namque*, Vmbertus ait, (Ep. de 3. votis c. 50.) *conſcientia ſerenatur, pœna vitatur, pax conſeruatur, & mens per contemplationem expeditiùs eleuatur.* Ob hæc bona ſpecialis cura habita eſt ſilentij omnibus religioſis communitatibus. In pœnis, ſeu regulis Monachorum pœnalibus inter opera ſancti Baſilij ſic pro ſilentij diſciplina cauetur. Si quis ex cubiculorum præfectis inueniat aliquem turbas facientem, aut colloquentem in cubiculo, & non eiicit ipſum extra cœtum, ipſe careat benedictione. Item ſi quis cum externis, aut proprijs accedentibus conuerſatur, non permiſſus ab Archimandrita, exceptis ad hoc deſignatis, careat benedictione. Item, ſi quis inueniatur noctu priuatim cum aliquo agens, aut locum vbi dormit mutans, præter voluntatem ad hoc deſignatorum, excommunicetur. Item ſi quis veſperi poſt *Pater noſter*, inueniatur colloquens, excommunicetur. Item ſi quis facetias loquatur, aut inaniter garriat, careat benedictione. Itē ſi quis repertus fuerit in horto loquens cum aliquo, aut cum aliquo pſallens, aut dormiens, exceptis operarijbus, & qui ad ipſos deſignati ſunt hortos, careat benedictione. Item ſi quis inuentus fuerit loquēs per cellas, exceptis his, qui faciunt ipſas, aut his, qui quietem, & ſilentium imperant, careat benedictione. Tum propter honorem Religionis ſtudere ſilentio debemus, vt nota ſit ſæcularibus modeſtia noſtra. *Eſt multum*, ait Thomas à Kempis, (Serm. 4. ad Nouit.) *pro honore veſtro, & fama Ordinis, ſi pro reuerentia hoſpitum in præſentia eorum verecundi, & taciturni appareatis; plus enim ædificabitis bonis moribus, quàm curialitate ſermonis. Ex vno indiſciplinato verbo arguunt vos leuitatis, & imprudentiæ.* Appoſitè idem deuotus vir narrat in ſermone tertio ad Nouitios, duos fratres in domum cuiuſdam viri nobilis pio receptos hoſpitio fuiſſe, qui vtriuſque geſtum, & verba obſeruans regreſſis illis, dixit: Videbatur mihi, quòd vnus iſtorum, aut nouiter ad Religionem venit, aut citò inde recedere velit; quærentibus, vnde ita colligeret. Reſpondit, ex diſſimili veſte, & geſtu in verbis, & moribus coniicio differentiam conuerſationis. Ita accidit, ſicut prædixit. Breui vnus Religionem reliquit. Nihil enim eſt, quod magis religioſam authoritatem comparabit, venerationemque ſæcularium, quàm modeſtia oris, & grauitas conuerſationis: quare in ſacriſtia magis, quàm in clauſura ſtudere ſilentio debemus.

Vtiliter aliquando non ſilendum.

CAPVT LI.

TOTA hæc laudatio ſilentij non eſt, vt omnino, & ſemper taceamus, ſed vt opportunè, & vtiliter loquamur. *Eſt quoque*, inquit Bernardus, *magna ſermonis vtilitas, & frequenter in lingua fructus pretioſiſſimus reperitur.* Quare & verba quoque placent Saluatori noſtro: nam, vt dixit ſanctus Iſidorus Peluſiota, *qui inter alia nomina Verbum vocari dignatus eſt, verba non odit.* (Lib. 3. ep. 37.) Laudantur quoque à Salomone verba iuſti, de quo ait. *Os iuſti parturit ſapientiam.* (Prou. 10.) Scilicet tunc verba laudabilia ſunt, cùm ſunt prudentia, pura, decora, pauca, vtilia, opportuna; quam verborum diſciplinam colligere ex Salomone poſſumus, dum dicit, *parturiet ſapientiam*, difficultatem loquendi ſignificat, vt nonniſi ægrè, & compulſus aliqua neceſſitate, aut vtilitate proximi: nam perſuaſus eſt, melius ſibi eſſe ſilentium, iuxta illud Nazianzeni: *tacui mihi, alijs autem loquor.* Idem miratur S. Ambroſius, cùm dixit: *Rarum eſt tacere quemquam, cùm ſibi loqui, nihil proſit.* (1. offic. 2.) Et hæc ſit alia potiſſima ratio, quæ in nobis generet tacendi amorem: nam quod nobis prodeſt, ſilere eſt, aliis dumtaxat loqui proderit. Hinc Hebræus dicit, *fructificabit ſapientiam*, quia quemadmodum fructus non proſunt arbori, ſed aliis, & opportuno tempore illos emittit; ſic verba non proſunt iuſto, ſed aliis pro quorum vtilitate loqui in ſuo tempore debet. Idipſum monuit, cùm idem os, iuſti vocauit venam vitæ, ſeu fontem vitæ; fons enim aliis vtilis eſt. Poteſt quoque intelligi per venam vitæ aqua vitæ, & aptè conueniet verſioni Septuaginta legentium, *os iuſti diſtillabit ſapientiam*, ſcilicet tanquam pretioſiſſimam aquam vitę. Vnde? Certè ex diuina ſapiētiā, de qua dicitur. *Eſt enim vapor virtutis Dei, & defluxus gloriæ omnipotentis ſincerus.* (Sap. 7.) Inde in Prouerbiis dicitur pretioſi ſpiritus vir eruditus, ex quibus etiam inſinuatur verborum paucitas, & puritas; guttatim enim quæ ſtillatitia defluit, & puriſſima eſt, & efficax tanquam quinta eſſentia, & ſpiritus rerum. Quæ pretioſa ſunt, nunquam multa

ſunt. Quare bonis adhuc verbis abſtineodum eſt, ne in multiloquio peccemus, ſicut fecit Dauid, qui ait, *ſilui a bonis*, & glorioſa illa fœmina mater Samuelis conſulit, dum canit, *nolite multiplicari loqui ſublimia*; ſublimia ſunt, de quibus loqui, & non nimis debemus, ſcilicet non de rebus terreſtribus, & vanis; nam de his nullo modo. Sublimia tamen loquemur, ſi de Deo. [1. Confeſſ. c. 4] *Væ tacentibus de te* (inquit S. Auguſt.) *quoniam loquaces muti ſunt.* Satis enim muteſcunt, qui inania, & inutilia loquuntur. nam cùm nihil ſunt, nihil loquuntur; ille verò loquitur, qui [1. Petr. 4.] iuxta ſanctum Petrum loquitur, quaſi ſermones Dei. Appoſitè Abbas Iſaac adiecit, *hoc igitur officium linguæ rationalis agnoſco. Qui ab his tacet, mutus eſt, quantumlibet clamet. Vnde ait: Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die; itaque dum clamabat, tacebat, quia de Deo non loquebatur.* Deinde loqui poſſumus, & aliquando debemus, ſi quæ alia proximis vtilia ſunt, quæque ad ſtatum, & munus ſingulorum ſpectant. Optimè Vmbertus conſulit ſenes loquantur de diſcretione conſulendi; iuuenes de inſtantia operandi, ſapientes de miniſterio Scripturarum, ſimplices de exemplis bonorum operum: hi qui exteriora tractant de ſollicitudine actiuæ vitæ, qui quietam ducunt vitam de dulcedine contemplatiuæ; Prælati de diſpenſatione temporalium, & ſpiritualium; ſubditi de obedientia præceptorum. Cùm igitur propter ædificationem noſtram loqui volumus, ad hoc illorum doctrinam, quorum poſſimus ad virtutem prouehi, eligamus. Cùm verò propter aliorum ædificationem loqoimur ad illos, quos ſperamus per noſtram exhortationem poſſe corrigi, conuertamur. Ad hoc autem doctrina noſtra intendat, vt hortemur ad conſtantiam timidos, ad timorem ſuperbos, ad quietem importunos, ad feruorem tepidos, ad ſilentium verboſos, ad verbum exhortationis tacitos, ad manſuetudinem impatientes, ad vigilantiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam præcipites, & procaces.

Quæ verba vitanda ſint.

CAPVT LII.

ITAQVE non omnino, nec omnia ſilere debemus. Quæret aliquis, quæ ſint iſta, quæ ſilere oporteat. Sunt verba otioſa intempeſtiua, & vno verbo dicam, vbi culpa eſt [Cap. 15. de perf. mon. conuer.] loqui. *Regium*, inquit S. Laurentius Iuſtiniaous, *ſilentij iter patefecit ſanctus Propheta, cùm dicit in Pſalmo: Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Non taceam, inquit, ſed vt non delinquam.* Quare ea verba vitare ſilentio debemus, in quibus delinquimus, ſcilicet vetera, quæ vult S. Anna recedere ab ore noſtro, hoc eſt verba offenſiua, amara, adulatoria, falſa, ſuperba, quod idem eſt, indecora, ſæcularia. Sic S. Gregorius expoſuit. *Vetera enim loquitur, qui poſtpoſitis ſanctæ Scripturæ eloquijs, ſæcularibus verbis occupatur.* Verè quidem nam qui cœleſtia loquuntur, linguis loquuntur nouis. Ideo addit idem Gregorius, *cùm tot noua habeamus, quæ loqui poſſumus, vetera loqui ſine culpa nullatenus valemus.* Sed aſſignemus ſpecialiùs nonnulla alia verba vitanda, quæ iuxta varias huius loci verſiones docet nos Scriptura declinare; nam fœcundiſſima eſt, eaque verba elegit Spiritus ſanctus, quæ multo ſenſu grauida, multa nos docerent in paucis ſyllabis, vnoque verbo plures ſententias dictaret, quod ſi alicubi, maximè hoc ex loco conſtabit; multifariè enim interpretantur illam vocem *vetera*, & omnes interpretationes ſpeciale documentum imbibunt. Abulenſis legit, *recedant pinguia*, ſcilicet verba blanda, minus decora, adulatoria, ſcurrilia, & leuiter faceta, & quæ modo quocumque vanam impinguent voluptatem, & alant ſæcularem ſenlum. Audiamus ſanctum Baſilium, quid contra ſcurriles ſermones, & facetias, Monachos inſtruat in ſuis conſtitutionibus Monaſticis, vbi ſic præſcribit. *Vitandæ autem omnes omnino in ſermone facetiæ, & ſcurrilis dicacitas, ſunt. Si quidem fieri ſolet plerumque, vt qui ſeſe in rebus iſtiuſmodi occupant, ij rectam rationem deſerant: quippe cùm ex eo illud fiat, vt animus ad ridicula diffundatur, & in tacita ſecum cogitatione grauitatis, ſeueritatiſque neruos omnes elidat. Quin incidat ſæpenumero, cùm iſtiuſmodi contagio ſenſim proſerpens poſtremò ad verborum turpitudinem, & abſurdam, atque extremam obſcœnitatem delabatur. Ex quo ſanè colligitur peruigilem, & attentam animi excubationem cum facetiarum diffuſione ſimul cohærere non poſſe. Cæterùm ſi vſus etiam inciderit aliquando, vt remittendæ aliquantulum triſtitiæ cauſa, ſermone ad hilaritatem excitemur; enim verò danda omnino opera eſt, vt ſpirituali lepore referta ſit oratio noſtra, & euangelico ſale condita, vt recta, quæ interiùs ſit, ſapientiæ gratum foras odorem aſpiret, dupliciterque auditorem & animi relaxatione, & intelligentiæ feſtiuitate delectet.* [Cap. 13.] Idem Baſilius in animaduerſionibus aduerſùs Regulares. *Si quis futiliter garriat, aut in ſermone facetias conſectetur, neque adhibito timore, ac tremore doctrinam Beati Apoſtoli, & Euangeliorum conſeruet, nihilominus hic etiam hebdomadam vnam ſegregator.* Per *verba pinguia*, intelligi etiam poſſunt verba ſuperflua, multa, & otioſa; pinguedo enim velut ſuperfluit, & abundat carni, circumſcribenda ſiquidem eſt materia loquendi. Rectè propterea iubet Regula ſaocti Pachomij, *Ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de Monaſterio in Monaſterium, nec de Monaſterio in agrum, nec de agro in Monaſterium. Si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in Monaſterio, quæ ibi geri viderit. Nec enim loquendum eſt, niſi quæ ædificent.* S. Hieronymus de Monachis Ægyptiis ait. *Conſurgunt poſt prandium, & pariter hymno dicto ad præſepia redeunt, vbi vſque ad veſperam cum ſuis vnuſquiſque loquitur, & dicit: Vidiſtis illum & illum, quanta in ipſo ſit gratia, quantum ſilentium, quàm moderatus inceſſus, ſi infirmum viderint, conſolantur, ſi in Dei amorem feruentem, cohortantur ad ſtudium.*

Alij legunt, *recedant fortia*, & Caietanus, *exibit fortitudo*, vbi contentiones prohibentur, & pertinacia ſententiæ, atque iudicij proprij. Septuaginta legunt, *Neque procedat magniloquentia de ore veſtro.* Meritò verba ſuperba, & magniloqua dicuntur

Digitized by Google

dicuntur vetera. Quia, inquit ſanctus Hieronymus, *veternoſa, & antiqua ſuperbia eſt. Ficum meam decorticauit, per Ioelem dicitur: nam quemadmodum arbor ſine cortice facile exaroſcit; ita anima ſine humilitate, quæ virtutum cortex eſt, cùm pandit ſuas virtutes, citò areſcit.*] Vnde ſanctus Gregorius ait: *Facta arrogantium humanis oculis oſtenſa, vnde placere appetunt, inde ſiccantur.* (Lib. 8. Mor. c. 30.) Et quidem iuſto Dei iudicio fit, vt ad noſtrum contemptum vertantur, quæ deſiderio gloriæ loquimur. Quare Sancti dona ſua tacent, quemadmodum Agar Angeli viſitationem, & Sanſon facinus occiſi leonis; & ſanctus Paulus cùm ſemel coactus eſſet dicere de ſe aliqua digna laude, nihilominus ſe audaciæ, & inſipientiæ accuſauit.

Chaldæus legit, *non exibunt blaſphemiæ de ore veſtro.* Sunt qui contumelioſa verba blaſphemias vocant, quaſi blaſphemetur Deus per contemptum proximi. At querelæ, & murmurationes in ſuperiores, quomodo appellari debent? Verba quoque faceta Religioſi plaſphemias cēſuit ſanctus Bernardus. Ego tamen nunc volo intelligere laxum loquendi modum eorum, qui prauis dictaminibus ſub ſpecie prudentiæ, aut alterius boni impugnant obſeruantiæ arctitudinem, vitia pro virtutibus vendentes, qood non raro vſu venit. *Videmus* (inquit ſanctus Bonauentura) *vitia quandoque etiam à quibuſdam Religioſis & ſtudioſè exerceri, & ex authoritate quaſi pro virtute defendi, ita vt vera virtus eis in alijs quandoque diſpliceat, & eam pro vitio deſpiciant, & impugnent, è contrario vitium virtutem aſſerant, quod eſt verè vitium.* (Lib. de Prof. Relig. c. 51.) Damnum quod ſimiles ſermones inducant, luget ſanctus Bernardus in aliquibus ſui temporis Ordinibus. *Ecce*, inquit, *parcitas putatur auaritia, ſobrietas, auſteritas dicitur, ſilentium, triſtitia reputatur. E contrario remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities veſtimentorum, & equorum faſtus honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus munditia, cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur, iſta charitas deſtruit charitatem, hæc diſcretio diſcretionem confundit, talis miſericordia crudelitate plena eſt, quæ videlicet ita corpori ſeruitur, vt anima iugulетur. Quæ enim charitas eſt, carnem diligere, & ſpiritum negligere? Quæve diſcretio totum dare corpori, & animæ nihil. Qualis verò miſericordia ancillam reficere, & dominum interficere.* (In Apolog. ad Guil.) Magna his locutionibus, & ſimilibus peſtis erumpit ad diſſolutionem obſeruantiæ religioſæ. De iis, qui talia imprudenti, imò impudenti proferunt ore, dixit Iſaias: *Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* (Cap. 59.) Accedit quòd hæc crudelis peſtis ſalutaris miſericordiæ prætextu effunditur. *Sunt plerique*, inquit ſanctus Gregorius, *qui compaſſionem proximo non ſpiritualiter, ſed carnaliter impendunt, vt ei non ad virtutem, ſed quaſi miſerendo ad culpas foueant.* (Hom. 57. in Euang.) Ad hos ſpectant ij, qui clanculum publicant opiniones laxas.

Alius vertit, *ceſſet aſperior ſermo ex ore veſtro.* Offenſiua verba dupliciter ſunt, aut quæ coràm dicimus, aut quæ in abſentia: illud contumelia eſt, hoc detractio, ambæ charitatis hoſtes. Quare ne in præſentia aliquem offendamus, etiam cum, qui nos offendit, oportet clauſtris & vectibus opprimere linguam, ad imitationem Dauidis, dicentis: *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.* (Pſal. 38.) Nonne hoc fecit cum Saule, cuius culpam noluit illi obiicere, ſed in alios incerta accuſatione transfundebat. Quid manſuetius & prudentius, quàm cùm dixit: *Quare audis verba hominum loquentium contra me.* Sic blandè & comiter locutus eſt, ne quæ à Saule patiebatur, ipſi imputare videretur, vt ideo citiùs pacaretur Saul; nam etiam cùm aliquem reprehēdere neceſſe ſit, oportet quoad fieri poſſit, honoris illius habere rationem. Sed & genus quoddam iniuriæ, & maximæ quidem eſt, cùm per iocoſa, & faceta aliquorum verba, irridentium ſtudentibus ſuæ cuſtodiæ, & perfectioni à virtutis calore, & conatu puſilli recedunt, non potentes ferre aliorum dicteria, quorum peccatum non putent leue; nam in libris Regum dicitur: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, qui detrahebant homines à ſacrificio Domini.* (1. Reg. 2.) De iiſdem, qui aliis occaſio damni fuerunt, dicit Oſeas: *Profundè peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa*, cùm omnes Beniaminitæ perierunt, (Oſ. 9.) nam ſimiles locutiones hoc faciunt, vt omnium feruor langueat, & omnes penè vitæ ſpiritualis iacturam ſentiant. Origenes aliquando vertit; *nec exeat mali loquacitas de ore veſtro.* Nihil enim de aliis mali dicendum eſt. Iure lamentatur ſanctus Bernardus tractatu de præcepto, & diſpenſatione. *Heu nobis! quænam poterit reddi ratio de otio? alioquin otium non eſt. Si non omnino ratione vacuum eſt. Et tamen quis neſciat vnum detractionis verbum, quantum etiam innumeris ſalibus, id eſt, ocioſis præponderet ad delictum, meritumque damnationis.* Meritò quoque S. Baſilius in pœnis, ſeu animaduerſionibus Sanctimonialium, ſeu aduersùs canonicas præſcribit. *Quæ aduersùs ſororem aliquid dicat eo conſilio, vt ipſam criminetur, hebdomadam vnam ſegregator.*

Plura contra detractoria verba.

Capvt LIII.

Sed vt detractionis verba euitemus, nihil efficacius dici poſſe videtur, quàm quæ S. Ioannes Chryſoſtomus Antiochenus dixit, exhortans illos ad ieiunium; nobis non erit inutile audire. *Ieiunet* (inquit) *& auris; aurium autem ieiunium eſt detractiones, & calumnias non ſuſcipere. Auditum enim vanum non ſuſcipies, inquit. Ieiunet quoque os à verbis turpibus, & conuitio. Quæ enim vtilitas, cùm auibus quidem, & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus, & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit: propterea & Paulus terruit, dicens: Si autem vos inuicem mordetis, & comeditis, videte, ne inuicem conſūmamini. Non infixiſti dentes carni, ſed animæ maledictum, improbam ſuſpicionem infixiſti, vulneraſti, innumeris affectis malis, & te ipſum, & illum, & alios plures: etenim audientem peiorem feciſti proximo calumnians; ſiue enim peccator ſit, ſegnior fit, peccati communicatorem nactus; ſiue iuſtus ſit, in arrogantiam tollitur, & inflatur ex aliorum peccato, magna de ipſo ſentire perſuaſus. Inſuper communem Eccleſiæ ſtatum læſiſti; non enim omnes audientes pec-* (Hom. 3. ad pop.)

caterem ſolum accuſant, ſed opprobria Chriſtianorum genti infliguntur; nec audiunt infideles dicentes, quòd ille leno eſt, & diſſolutus, ſed pro eo qui peccauit, Chriſtianos omnes calumnijs inſectantur. Ad hac Dei gloriam blaſphemari feciſti; ſicut enim nobis laudabiliter viuentibus Dei nomen glorificatur; ſic peccantibus blaſphematur, & contumelia afficitur. Quartum, malè audientem confudiſti, & ſic impudentiorem reddidiſti, inimicum & hoſtem conſtituens. Quintum, te ipſum pœna, & correctionis reum feciſti, negotia ad te nihil attinentia texens; ne quis enim hoc mihi dicat, Tunc detraho, quando falſa dico. Nam ſi vera loquens maledixeris, & hoc eſt crimen: etenim Phariſaus ille publicano veridicus maledixit, ſed tamen hoc ipſi nihil profuit. Dic enim mihi, Publicanus non erat publicanus, & peccator? Cuique certum eſt, quòd publicanus erat, ſed tamen quoniam ipſum vituperauit Phariſæus, abijt omnibus amiſſis. Vis fratrem corrigere? lachryma, ora Deum ex corde, apprehenſum admone, conſule, exhortare. Et ſic Paulus faciebat. Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt. Demonſtra charitatem erga peccatorem, perſuade ipſi, quod conſulens, & curans non peruulgare volens, peccati ipſum commonefacis: comprehende pedes, oſculare, ne erubeſcas, ſi modò verè mederi vis. Hac & Medici faciunt, ſæpiùs difficiles ægrotos habentes, deoſculantes, rogantes, perſuadent ſalutarem ſumere medicinam. Ita tu quoque fac, ſacerdoti vulnus manifeſta, hoc eſt curantis, hoc prouidentis, hoc conſulentis. Non ſolos autem maledicentes, ſed & alijs detrahi audientes admoneo aures obſtruere, & Prophetam imitari, dicentem: Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Dic proximo, Habes aliquem, quem laudes, & commendes? Aures aperio, vt vnguenta ſuſcipiam: ſi verò malè velis dicere, verbis ingreſſum obturo; non enim ſtercus, & cœnum ſuſcipere patior. Quod mihi lucrum, ſi dixero, quòd ille improbus? Maximum igitur nocumentum ex hoc & extrema iactura. Loquere ad ipſum: curemus noſtra, quomodo peccatorum rationes demus, & curioſitatem hanc, & operoſam indagationem circa vitam honeſtam exhibeamus. Quam enim habebimus excuſationem, quam veniam, cùm noſtra ne in mentem quidem capiamus, aliena verò curioſè ſcrutemur? Sicut in domum declinare, & interiora conſiderare, prætereunti turpe eſt, & multa ignominia plenum: ſic & circa alienam vitam ſatagere, liberalitatis extrema eſt. Hoc verò ridiculum magis eſt, quòd talem habentes vitam, & propria negligentes, cùm aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adiurant, ne cuiquam amplius alteri dicat; hinc declarantes, quòd rem reprehenſione dignam commiſerunt. Si enim illum, vt nemini dicas, rogas; multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto ſermonem habebas: poſtquam ipſum prodidiſti, tunc ſalutem ipſius curas: ſi non vis efferri, neque alteri ipſe dicas; poſtquam verò alteri prodidiſti ſermonis cuſtodiam, ſuperflua facis, & inutilia admonens, & obteſtans proditorum cuſtodia. Sed iucundum detrahere, immo iucundum non detrahere. Detrahens enim deinceps in agonia eſt, ſuſpicatur & timet, pœnitentiam agit, & linguam ſuam mandit, timens, & tremiſcens, ne fortè alijs enunciatum verbum, magnum ſibi periculum afferat, & ſuperfluam & inutilem inimicitiam his, qui duxere, operetur. Apud ſeipſum verò continens, in ſecuritate plurima, cum multa viuet voluptate. Audiſtis ſermonem (inquit) *moriatur in te: confide, non te dirumpet. Quid eſt, moriatur in te? extingue ipſum, defode, nec exire, neque penitus moueri permittas; ſed maximè ſtude, neque alios quidem dicentes malè tolerare: quòd ſi quando & ſuſceperis, infode, interime dictum, obliuioni trade, vt his qui non audierint, ſimilis fias, & cum multa pace & ſecuritate præſentem tranſigas vitam. Si delatores didicerint, quòd ipſos magis, quàm accuſatos auerſemur: & ipſi tandem ab hac mala conſuetudine deſiſtent, & peccatum corrigent, & laudabunt poſt hac, & nos ipſos ſuos Saluatores factos, & benefactores prædicabunt. Sicut enim benedicere, & laudare amicitia principium eſt, ſic & maledicere, & calumniari inimicitia, & odij, & iniuriarum principium eſt, atque diſcordiarum materia. Non aliunde noſtra negliguntur, quàm quòd aliena ſatagimus, curioſeque ſcrutamur; non enim vacat homini accuſanti, & alienos exquirenti mores, propriam quandoque vitam curare: ſtudio enim omni in aliorum curioſitatem impenſo, neceſſe eſt omnia eius temere & negligentes iacere. Etenim optandum omne otium in propriorum curam peccatorum, & iudicium impendentem amplius quid perficere poſſe. Cum verò ſemper aliena cures, quando tua meditaberis mala? Fugiamus igitur dilecti, fugiamus detractiones, docti quod eſt totum ſathanicum barathrum inſidiarum eius hæc inceſſio. Vt enim noſtra negligamus, & grauiores nobis reatus conſtituamus, in hanc nos conſuetudinem diabolus duxit: immo verò non ſolùm ineſt hoc malum, quòd tunc rationem dabimus eorum, quæ diximus, ſed etiam quòd peccata noſtra ſic grauiora faciemus, omni nos excuſatione priuantes; acerbè enim aliena exquirens, in ſuis exceſſibus, nullam vnquam veniam naucifcetur. Non enim tantùm à peccatorum natura, ſed & ex iudicio de alijs noſtro ſententiam Deus proferet.* Hæc Chryſoſtomus, qui rectè docuit ad ſilentium, & ſermonis modeſtiam pertinere non ſolùm non loqui detractoria, aut vtcumque mala, ſed nec audire; nocet enim ſermonis illiciti fumus, vt meritò exclamet Bernardus. *O quàm tam interna conſolationis dulcedinem & gratiam viſitationis diuina præpedit nugarum vapor ad modicum parcus.*

Epiſt. ad Alon. S. Bercini.

DOCTRI

DOCTRINA IX.

DE RENOVATIONE operum bonorum.

Reformatio, ſeu renouatio operum, ſeu corporis.

CAPVT LIV.

Rom. 6. HVMANVM *dico propter infirmitatem carnis veſtræ; ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra, ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Poſt ordinationem mentis, atque oris commendat diuinus Bernardus corporis, & operum renouationem; opera enim ſunt, quæ conſummant perfectionem, & ad quæ ordinandæ ſunt cogitationes, & ſermones Sancti. Quemadmodum enim ſuccus interior arboris, & folia ordinantur ad fructus, & quantumuis arbor vegeta eſſet, & comata frondibus, ſi nullum proferet fructum, ſuccideret illam agricola tanquam non vtilem, niſi igni. Sic etiam ſenſus interior mentis, & ſermones noſtri ad bene operandum dirigendi ſunt, & ſine bonis operibus, non valde vtiles nobis erunt; quapropter præcipua cura operum ſit nobis. Nec enim aliud apud Deum erimus, quàm opera noſtra ſint. hæc ſunt ſacrificia quæ Deo offerimus; in ſacrificijs autem non tantùm Deus requirebat ſubſtantiam, ſed qualitates. Non ſatis erat offerre victimam, ſed debebat eſſe munda, & integra. Cain etiam obtulit ſacrificium, ſed cum ipſo ſacrificio diſplicuit Deo, quia obtulit aut paleas, aut hoſtiam non pinguem. Abelis tamen hoſtia grata fuit, quia de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. Quantum inter illos diſcrimen fuerit, Chryſologus ſic

Serm. 109. oſtendit. *Abel agnum portans ad Dei ſacrificium, ſicut agnus aſſumitur. Cain geſtans ſibi ſtipulam, ſomentum ſibi per quod exuratur inuenit.*

Ad operum igitur renouationem exhortatur nos Apoſtolus, dicens: *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Quid æquius, quid humanius, quid minus poſtulare poterat, quàm quod pari ſtudio placeamus Deo benefactori, & amatori noſtro, ac ſtuduimus placere hoſti noſtro? Quòd eadem diligentia requiramus ſalutem, ac quæſiuimus perditionem. Quòd ſimili pœnitentia conuertamur ad Deum, ac imprudentia receſſimus ab illo. Parum profectò hoc eſt, nam deberemus facere, quod Propheta

Baruch 4. Baruch dixit: *Sicut enim fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo, decies tantùm iterum conuertentes requiretis eum.* Imò millies tantùm, imò infinities tantùm. nam ſi bona eo auidiùs appetenda ſunt, & diligentiùs quærenda, quo maiora ſunt quibus deſideriis profectum noſtrum, ſalutem noſtram, beatitudinem noſtram, Ieſum noſtrum, Deum noſtrum debemus concupiſcere, qua ſolicitudine requirere? Quæ proportio eſt inter cœlum & terram, imò inter beatitudinem, & infernum, inter ſalutem æternam, & interitum ſempiternum, inter Deum, & Belial. Quantum diſtant hæc inter ſe, tantò feruidiùs & diligentiùs, hoc eſt, infinitè plus Deum deſiderare, Deum requirere, & amare, & ſeruire oporteret. Sed nihilominus ſanctus Paulus condeſcendens infirmitati noſtræ, multo minus poſtulauit; idcirco dicit, *Humanum dico.* Certè tam humanæ petitioni ob ipſam humanitatem ſuam negare non debemus tantillum, quod à nobis exigit, vt ſaltem tantumdem Deo reddamus, ac erogauimus perditioni, vt pariter beneplacitum diuinum faciamus, ac noſtræ voluntati, & concupiſcentiis ſatisfecimus, ſcilicet, ſecundùm ſanctum Anſelmum, *vt æquè iucundè, æquè fortiter, æquè inſtanter, æquè auarè, exequamur bona opera ac mala operabamur.* Epiſt. ad Rom. 9. Hæ quatuor circunſtantiæ bene operandi, quas in ſancto Anſelmo reperio, neceſſariæ ſunt, ne tantam iniuriam Deo faciamus, vt minus illum, quàm Dæmonem requiſierimus: nam & hilariter & fortiter, & aſſiduo, & auidè interitum operabamur noſtrum.

Priuſquam tamen ad ſingulorum explicationem deſcendamus, operæ pretium erit conſiderare, cur ſanctus Bernardus renouationem operum dixit, *renouationem corporis.* Et ſanctus Paulus ſimiliter membra dixerit exhibenda iuſtitiæ: profectò non incommodè ita locuti ſunt. nam ex reformatione corporis, & modeſtia membrorum, ſenſuumque, atque externi hominis mortificatione multum dependet, tum interioris hominis, tum exteriorum operum perfectio. Ferè omnis cauſa defectuum, & imperfectionum in operibus noſtris eſt ſenſuum licentia, atque diſtractio. Hinc fit, vt orationi, & rebus diuinis minus attenti, & reuerentes ſimus; quia inutiles ſpecies per ſenſus hauſtæ nos impediunt, & diripiunt cor, & attentionem. Hinc amor mundi, hinc ſolicitudines inanes. Hinc defectus præſentiæ Dei, hinc fit vt calor feruoris euaporetur, & charitas refrigeſcat, ex quibus omnibus quid ſequitur, niſi remiſſio & tepor, & negligentia diuini ſeruitij, & incuria bene operandi? Modeſtia eſt, quæ ſeruat feruorem, quæ munit ſpiritum, quæ defendit compunctionem; idcirco paulo antea monet Apoſtolus membra noſtra exhibere arma iuſtitiæ; membra enim & ſenſus noſtri, ſicut impugnant ſpiritum, cùm nullam eorum rationem habemus, ſic ſeruant & defendunt, dum per modeſtiam ordinantur. Quapropter meritò commendatur reformatio corporis, compoſitio ſenſuum, & modeſtia omnium membrorum, vt reliqua virtutum opera reformemus; & hæc ſit prima virtus renouanda nobis, quam propterea Gilbertus Abbas dixit, *Primum decoramentum, & auroram omnium actorum.* Serm. 23 in Cant. Et ſanctus Bernardus: *Virtutum primitias. Gratia eſt*, inquit, *conſcientia, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, inſigne totius honeſti.* Serm. 86 in Cant. Quanta cura hanc virtutem renouare, & retinere oporteat, eleganter indicauit Tertullianus, dicens: *Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri; tanta*

enim debet eſſe plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet conſcientia in ſuperficiem, vt & foris inſpiciat, quaſi ſupellectilem ſuam. Idem dictum nobis intelligamus, non ſatis eſt feruori, & ſanctitati religioſæ, eſſe, ſed videri etiam per modeſtiam, quæ ſimul nos, & alios ædificat, tanta debet eſſe plenitudo eius, vt emanet ab animo in exteriorem habitum, oſtendendo in veſtitu ipſo paupertatem, & grauitatem religioſam, & eructet à corde in exteriorum membrorum ſuperficiem regendo, manus, greſſus, caput, ſenſus omnes maturè & decorè. Nam quidam ornatus animi eſt corporis pudor, & modeſtia, vt ſic & foris habeat mens ſupellectilem ſuam; quemadmodum enim ſupellex domus duos vſus habet, nam neceſſaria eſt habitantibus ibi pro vitæ neceſſitatibus, & præterea ornamentum domus eſt, vt apud externos authoritas concilietur. Sic modeſtia & ſeruit nobis, vt conſeruemus compunctionem, & calorem ſpiritus, & ædificat alios, maieſtatem virtutis illis perſuadens. Nemo eſt vir diues, & nobilis, qui ornandæ domus curam non habeat; corpus autem domus animæ eſt, quapropter corporis ornatum, & decorem locuples virtutibus anima, diligenter curare tenetur. Et ſicut nobiles, quamuis ad extremas ſenſus anguſtias veniant, quamuis deficiat illis victus neceſſarius, nihilominus ſupellectilem domus nequaquam diſtrahunt, quoniam ad honorem ſtatus ſui putent ſpectare: ſic animus religioſus, quamuis aliis virtutibus deſtituatur, & egenum ſe videat, modeſtiam ſemper reſeruare debet, cùm ad decorem religioſum, & exiſtimationem noſtram maximè pertineat; nam modeſtia, prout definitur à Philoſophis, eſt virtus, qua pudor honeſtatis puram, & ſtabilem comparat authoritatem.

Membra, quibus peccauimus, potiſſimum reformanda ſunt.

Capvt LV.

EXHIBEMVS igitur membra ſenſus & totum corpus noſtrum ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, cùm corpus humanum ſit habitatio in qua Deus habitat cum ſpiritu rationali, decet eam & decoram eſſe, & ornatam. *Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Quare ſicut locum ſacrum reuereri nos debemus. Nam Dauid dixit, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et rurſus: *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudine dierum. Voluit Deus*, inquit Vmbertus, *ſuam cæleſtem habitationem eſſe ornatam, ſpiritus eius ornauit cœlos. Sic terreſtrem habitationem eius decet eſſe ornatam.* Ornemus igitur templum Spiritus ſancti, exhibentes membra noſtra ſeruire iuſtitiæ. Oculos quæ ad illicita miſimus, à licitis etiam contineamus linguam quæ iniurioſa proximo fuit, etiam in propria defenſione conticeſcat; aures falſas laudes adulatorum admiſerunt, etiam veras reiiciant. Corpus totum quod vana oſtentatione ſui intumebat, iam cum humiliatione componatur, & ſubmittat ſe, quaſi quòd libenter tollat ſuaue iugum Chriſti; veri enim ſerui Dei hoc obſeruarunt, vt membra, quæ aliquando ſæculari prophanarunt vſu, contrariis officiis expiarent, exhibentes omnes ſenſus & artus ſuos ſeruire iuſtitiæ, ſicut priùs iniquitati ſeruierunt. S. Ignatius, Pater noſter, quia in ſæculo comam nimium curabat, poſtea derectum caput geſtabat ſordenti, & horrido capillitio. B. Euſebius, quia immodeſtia viſus, occaſio illi fuit, vt in ſanctæ Scripturæ lectione non nihil diſtraheretur mente, perpetuo carcere ſe damnauit, vt nec cœlum vnquam aſpiceret. Sanctus Conradus, quia guſtus voluptate delectabatur, poſtea conuerſus ad Deum, non capiebat cibum, niſi poſtquam putreſceret, & ſcateret vermibus. S. Gregorius Nazianzenus eloquentiſſimus Græcorum, quaſi culpa eſſet ſua eloquentia, longo ſilentio ſe puniuit. Clariſſimum huius exemplum Magdalena præſtitit; omnia enim illa quibus immunditiæ, & iniquitati ſeruierat, impendit in obſequium Domini oculos, vt rigarent pedes IESV, capillos vt tergerent, labia, vt oſcularentur, aromata, vt mulcerent. S. Petrus ſimiliter, qui ter negauit Chriſtum, exhibens linguæ membrum, ſeruire iniquitati ad iniquitatem, vt idem membrum exhiberet ſeruire iuſtitiæ, ter rogatur à Chriſto, *Simon Ioannis diligis me plus his? Redditur*, inquit Auguſtinus, *negationi trinæ trina confeſſio, ne minus amori lingua ſeruiat, quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens, & ſit amoris officium paſcere Dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Paſtorem.*

1. Cor. 6.

Iob 26.

1. p. l. 2. c. 5.

Ioan. 21. tract. 123. in Ioan.

Opera bona hilariter facienda.

Capvt LVI.

VERVM non ſufficit eadem, quæ impendimus iniquitatis ſeruitio, exhibere poſtea iuſtitiæ. Nec ſatis eſt ſicut mala opera fecimus, vt ſatisfaceremus mundo, bona quoque facere, vt ſatisfaciamus Deo, oportet eodem modo, & ſimilibus circumſtantiis fieri, ad quod nos hortatur S. Paulus, per illud aduerbium *ſicut*, & S. Anſelmus exponit; quare nunc de his modis, & circumſtantiis agemus. Primus modus, qui requiritur perfectioni operum, vt pari modo iuſtitiæ ſeruiamus, ac iniquitati ſeruiuimus, eſt iucundè operari, & ſpontaneè perficere, quæ ad diuinum obſequium ſpectant. *Quid eſt* (inquit S. Anſelmus) *ſicut illud, ita & hoc agite? niſi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccati: ſic ad iuſtè viuendum non vos ſupplicy metus vrgeat, ſed delectatio ducat, charitaſque iuſtitiæ.* Magnopere enim iuuat operam dare diuino obſequio iucundè, & hilariter, tum vt perfectè omnia peragamus, tum vt plura opera, tum vt magis meritoria, tum vt maioribus nos Deus gratiis donet. Cauſa enim cur imperfectionibus, atque diſtractionibus orationem, aliaque exercitia ſpiritualia denigremus, eſt, quia non vltrò, & hilariter, ſed quaſi ex neceſſitate illa ſumimus, & potiùs vt ſatisfaciamus obligationi, quæ illorum agendorum eſt, quàm quia iucunda illa nobis ſunt, aut quia per illa Deo placere volumus.

Digitized by Google

mus. Hinc fit, vt potiùs in eis faciendis attendamus, quomodocumque ſatisfaccre Religioni, & hominibus, aut alij obligationi noſtræ, quàm vt Deo per omnia grati ſimus. Hinc etiam fit vt feſtinanter, & vix ſuum tempus neceſſarium demus diuinis rebus. Hinc, quia guſtus, & cor noſtrum in aliis eſt rebus, fit, vt alia cogitantes, & diſtrahentes nos, remittimus in dioinis animum. Attamen ſi delectabiliter exhiberemus membra ſeruire iuſtitiæ ex otio, & attenti opera iuſtitiæ faceremus perfecta; deinde ſi delectabilis nobis Deus eſſet, & iucunda opera virtutum, plura frequeorarcmus, quia firmiores eſſemus in ſanctis propoſitis. Hoc eſt quod dicit ſanctus Paulus:

2.Cor 9. *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut neceſſitate.* Sanctus Ambroſius legit: *Vnuſquiſque ſecundùm propoſitum cordis ſui*, ſcilicet adimplebit omnia, quæ decreuit, ſi iocundè & vltrò, non ex triſtitia, aut neceſſitate Deo ſeruiat; cùm enim cor noſtrum non ſit in rebus diuini obſequij, nec voluptatem ex illis capiamus ob leuem difficultatem, quam in iis ſcotiamus, ſtatim deſiſtimus. Prætcrea quantum meriti operibus noſtris adiicitur, cùm vltrò, & hilariter illa, facimus pro Deo? Non enim ſic quantitas operis ſicut animi apud Deum penſatur, oon tam effectus, quàm affectus æſtimatur. *Vidua*, inquit ſan-

In 2.Cor 9. ctus Anſelmus, *quæ in gazophylacio miſit duo minuta, eſt laudata miſiſſe plus, quàm omnes diuites, quia largo animo totum, quod habebat, miſit, cùm cæteri parco animo mitterent.* Sic explicat illud Apoſtoli, *qui parcè ſeminat, parcè & metet*; parcè ſeminat, qui non bono, non læto, nec largo animo, quamuis magna ſeminet. Cùm vel timore, vel pudore, vel neceſſitate id faciat. *Huic* (inquit Anſelmus) *parua meſſis eſt, quia parco animo dedit, licèt magna videatur dediſſe.* Ille autem profusè ſeminat, qui licèt minimum ſeminet, læto, & magno animo id facit, hic eſt, qui ſeminat in benedictionibus, nempe bona voluntate, & in ipſa difficultate virtutis, & patientia laboris alacri, & iucundo animo Deo benedicit. Hic profectò de benedictionibus & metet, atque diuinis gratiis, fauoribuſque cumulabitur; nam ſeminat prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus. Hic offert ſacrificium pingue, ſicut dixit Dauid, *& holocauſtum tuum pingue fiat.* Hoc docens, ait Ambroſius, acceptabile eſſe ſacrificium quod pingue, quod nitidom, & quodam pabulo fidei ac deuotionis, verbique cœleſtis vbere alimonia ſaginatum eſt. Quare non propter humanum reſpectum, nec propter timorem inferni, ſed amore Dei vltrò & hilariter omnia faciamus, eâ puritate, quam ſanctus Auguſtious explicuit. *Probat*, inquit, *te Deus, quaſi tibi dicat: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta. Non hinc te punio, non in gehennas mitto, faciem meam tantùm tibi negabo. Si expauiſti, amaſti. Si ad hoc quod dictum eſt, faciem ſuam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, & in non videndo Deum tuum, magnam pœnam putaſti, gratis amaſti.* Sic gratiora erunt Domino opera noſtra, ſic exactiùs illa perficiemus, ſic erunt magis meritoria, ſic maiores gratias, & benedictiones à Deo impetrabimus. Pudeat nos vltrò, & iocuodè ſine timore, ſine oeceſſitate, ſine tædio ſeruiſſe Belial, & non vltrò, & feſtinanter currere, ac perficere, quæ ad Dei ſeruitium attinent. Pudeat nos timore hominum plura facere, quæ amore Dei non faceremus. Sed iam cùm Deum non amemus, ſaltem vereamur, & quod pudore hominum non committeremus, ſi non amore, ſaltem pudore quoque Dei vitemus. Quid enim inuerecundius, & ſceleſtius eſt, quàm erubeſcere coram hominibus, & impudentes eſſe coram Angelis, coram ipſo Deo. Meritò quidem lamentatur Chryſoſtomus: *Hoc vniuerſum orbem* Epiſt.2.ad *conturbat, quòd ad homines aſpicientes omnia agimus, & deſpecto Deo homines formidamus; præſen-* Cor.c.14. hom.12. *te quidem homine nemo voluerit ſcortari, ſed etiam ſi millies malo vtatur, vincitur tyrannis vitij, ac perturbationis à pudore hominum: Deo autem vidente, non ſolùm adulterium admittitur, & ſcortatur, ſed etiam alia multa grauiora alij admittere auſi ſunt, & audent: hoc enim ſolum, an non ſufficiet ad mille è cœlo deijcienda fulmina?*

Bona fortiter exequenda.

Caput LVII.

Secvndo debent fieri bona opera fortiter. *Si* (inquit ſanctus Anſelmus) *nequaquam amplius poteſtis, ſaltem tales eſtote in fructu bonorum operum, quales fuiſtis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat ſancta libertas, quos in carne validos habuit vſus terrenæ voluptatis.* Valde neceſſaria iſta doctrina eſt, & quæ pudorem nobis prouocare debet, ſi meminerimus quanta fortitudine ſeruiuimus noſtræ voluntati, & Dæmoni; nunc autem quàm delicatè, & imbecilliter ſeruimus Deo, qui potentes fuimus ad opera iniquitatis, nunc ſumus infirmi ad opera iuſtitiæ. Conſideremus ſæculares quanto validiùs, & viribùs militent ſub mundo, & ad quærendum perditionem, quam nos militemus ſub Chriſto, & ad æternam comparandam ſalutem. Adoleſcens laſciuus multas noctes hyemales pernoctabit ſub gelu, vt ſemel habeat opportunitatem loquendi cum fœmina aliqua, & nos in noſtro cubiculo vel duas, aut tres horas vigilare non poſſumus, loquentes cum Deo, requirentes ſponſum dilectiſſimum, atque admirantes pulchritudinem diuinam. Familiares aulæ ſtant ante Regem totum penè diem, vt penè nunquam ſedeant, & nos duas horas non poſſumus adſtare Domino, quin genua doleant, aut pedes fatigentur, vt ſtatim ſedere velimus. Auari & milites per maria, per barbaras, & hoſtiles gentes, quot incommoda viriliter ferunt, quot diſcrimina vitæ ſubeunt animosè, ad quanta potentes ſunt, quanta ſuſtinent, famem, inclementiam cœli, penuriam rerum omnium, & nos paupertatem, quam Deo promiſimus, quæ infinitas commoditates habet, ægrè ferimus; nos ad leuem rigorem, & pœnitentiam ſtatim cauſamur infirmitatem aliquam, nos oon dico diſcrimen vitæ, ſed paruum valetudinis incommodum timemus. Denique hypocritæ, quæ oon poſſunt, quæ non agunt pro inani æſtimatione, & tamen ad omnia robuſti, & validi ſunt; ad eadem tamen nos pro vera gloria, & honore Dei imbelles ſimus. Hæc profectò noſtra infirmitas vera non eſt, ſed à noſtro priuato amore conficta; nam ſi obedientia indul-

geret

geret nobis, quod noſtro affectui conueniret, ſtatim amplecteremur illud, & non fatigaremur. Cùm autem multo minus iniungit, ſi noſtræ non quadret voluntati, breui deficimus, & oſcitamur. Non credamus iſtam infirmitatem noſtram, ſed putemus plus poſſe, quàm credimus, imò ſi minus poſſemus, animus addit vires corpori, & quidem citò experiremur maiora poſſe, ſi eſſet in nobis bona voluntas, ſi eſſet determinatio, ſi denique eſſet charitas, quæ fortiſſima eſt; nam fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Quare ſi in nobis eſſet amor & imitatio Chriſti, atque zelus gloriæ diuinæ, magna nobis fortitudo ineſſet, vt dura & ardua ſuſtineremus ad imitationem Redemptoris noſtri, qui ſicut præ amoris magnitudine tot, & tanta pro nobis paſſus eſt, & exultans vt gigas percurrit vias duras. Sic etiam dilectio noſtra fortis exiſteret, & licèt dura ſicut infernus æmulatio, ſed cum exemplo & amore Saluatoris noſtri tractabilis. *Si tibi durum* (inquit in perſona Chriſti deuo-
In Alleg. tus Balduinus) *videtur hoc, quid cauſaris contra me. Et ego cuſtodiui vias duras. Si me velis æmulari, ſcito quia dura eſt ſicut infernus æmulatio; oportet te bibere calicem, quem ego bibi; ego mortem guſtaui, ego ad inferna deſcendi, ſed ſolutis inferni doloribus reſurrexi. Si tu per æmulationis ſtudium volens me imitari te ſenſeris grauari, & quaſi in inferno cruciari, hoc eſt quod à te exigo, hoc eſt quod deſidero, hoc eſt quod conſulo, vt ad modicum crucieris, quaſi in inferno, ne ſine fine crucieris in eo. Æmulatio enim quaſi infernus eſt, ſimilis loco pœnali. Sed hæc eſt via, quæ ducit ad introitum Regni. Et cum amore Dei non erit nimis dura, nec ardua; charitas enim remouebit illius ſalebras, & explanabit acclinia addendo nobis ex patientia robur.* Præterea fortitudo nobis neceſſaria eſt, non ſolùm ne ignauius ſeruiamus Deo, quàm ſeruiuimus Belial, ſed ſimpliciter propter communem virtutum difficultatem, maximè earum, quibus potiſſimum debemus inſiſtere, ſcilicet pœnitentiæ, mortificationi omnimodæ, humilitati, & charitatis operibus, quod præterquam, quòd ex ſe ardua ſint, non eſt quærendum nobis ea facilè, ſed vtiliter facere, ideo diuina ſapientia (inquit Iſaacius) medicina pariter, & doctrina, quæ ſolo verbo potuit, leproſum tactu curare maluit, vt tu nunquam facilius, ſed quàm affectuoſiùs potes, beneficium impendas, opus pietatis impleas, nihil abhorreas, illum ſemper attendens, propter quem facis; ille enim ſemper pulcher eſt, ſemper mundus, ſemper honeſtus, ſemper dignus in omni perſona, loco, & opere.

Iugiter bene operandum.

CAPVT LVIII.

TERTIO debent fieri bona opera inſtanter, & inceſſabiliter, ideo dixit B. Anſelmus, *Quàm fortiter & inſtanter illa egiſtis, tam fortiter & inſtanter iſta nunc agite.* Robuſti, & validi ad ſæcularia fuimus, in iiſque delectabamur, ideo conſtanter in illis perſeuerabamus, nihil aliud niſi noſtram voluntatem quærentes: nunc quoque debemus idem ſtudium, eundem conatum, eandemque conſtantiam, & pertinaciam, ſic dixerim, traducere ad ſpiritualia, ne vnquam noſtram voluntatem faciamus, ſed diuinam in omnibus, ne vnum opus diligenter peragamus, & viginti remiſsè, & imperfectè. Ne per vnam hebdomadam feruidi ſimus, & per tres menſes tepidi, & remiſſi, ac contenti ſimus operari bona, & negligamus operari illa bene. Sed omnia operemur ad Dei gloriam, & quæ talia ſint, vt Deus glorificetur in illis. Omnia agamus, quæ Deus vult, & præterea ſicut Deus vult illa agi, nec ceſſemus ab hoc ſancto ſtudio, & exercitio: nam vnum opus perfectè factum diſponit nos, vt faciliùs agamus alia perfectè; ſicut contrà accidit, cùm intermittimus feruorem in vno opere negligenter facto, hoc diſponet nos, vt plura alia ſegniter, & imperfectè faciamus. Quòd ſi vnum opus bonum ex eo ſolùm quòd ignauiter fiat, occaſio eſt, vt ſequentia languidè quoque efficiantur, quid accidet, cùm rebus & negotiis ſæcularibus nos intromittimus, cùm aliquid pro noſtra voluntate, & non pro Dei gloria agimus, cùm opus culpabile committimus, quamuis ſit venialiter. Profectò, ſi aduertenter id facimus, etiamſi alioqui multa alia bona faciamus, nequaquam dici poſſumus perfectè ſeruire iuſtitiæ. Nam *qui ſic bona agit* (inquit S. Gregorius) *vt mala non deſerat, Deo ſoli nequaquam ſeruit, quia malo ſpiritui obſequium exhibet, cuius perficere non metuit voluntatem. Vnde agitur, vt etiam bona agens Deo non ſeruiat: quia qui totum hominem condidiſſe creditur, habere eum communem cum aduerſario non dedignatur.* Hinc Paulus exquirens ait, quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial, & Gerſon de Religioſo qui in hoc committit, meritò ait. Talis, ni fallor, aſſimilatur Samaritibus, de quibus Scriptura refert, quòd vnaquæque gens, cùm coleret Deum, diis quoque ſuis ſeruiebant. Vnuſquiſque enim, quod ſibi delectabile, & præ omnibus diligendum, venerandumque elegit, hoc quaſi Deum ſibi ipſi ſtatuit. Vnde eſt illud Prophetæ: *Vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete.* Paries in domo Iſraël eſt obſtinatio mentis in Religioſo, qui paries continet idola non ſculpta, ſed depicta, cùm Religioſus non omnimodè diligit iniquitatem, licèt afficiatur circa aliquã vanitatem. Colligitur Deum ſimul, qui & bonis operis inſiſtit, & nihilominus ſcientiæ alicui ſæculari vanè intendit. Quapropter duo nobis curanda ſunt. Vnum, ne otio aliquo torpeamus, nec inutilibus rebus tempus conſumamus; nam inutilis occupatio eſt peſſimum genus otij. Plerique putant ſe excuſari ſi inutiliter occupentur, ne malum aliquid faciant. *At nunc*, inquit Gerſon, *cura alia nos ſolicitat. Occupantur iu hîs ſæculares, ne iocentur, ne venentur, ne fornicentur. Vbi autem iſta deſunt, illa quid faciunt? Cùm debeas in lege Dei meditari die ac nocte, quæ mente ruminas ſyllogiſmos, & argumenta vanitatis tuæ, dicente Domino: Meum ſcilicet iugum, quem vult, ferat Religioſus, tu neſcio, quid aliud iugum videris ducere cum ſæcularibus, partem tuam fortaſſe cum hypocritis habiturus.* Alterum eſt, vt ipſa bona opera curemus bene operari, diligenter exequi, perfectè implere. Hoc eſt, quare nobis commendatur ſemper, & ſine intermiſſione orare; orat

enim

Google

enim ſemper, qui in omnibus voluntatem Dei facit, & inſuper attentus ſemper eſt, vt faciat eo modo, quo vult Deus fieri, hic ſemper habet eleuatum animum, & attentum Deo. Quod debemus obſeruare, non tantùm in operibus virtuoſis, ſed in iis quæ ex ſe bona non ſunt; quemadmodum dormire, manducare, ambulare, in his etiam inceſſanter debemus exhibere membra, & omnes actus noſtros ſeruire iuſtitiæ, reddendo bona ea ipſa, quæ bona non ſunt, conſtituendo illis finem bonum. Nam ſicut in ſæculo ſic fecimus opera bona, vt ea redderemus mala, inſtanter ſeruiendo iniquitati. Nunc etiam ita debemus opera non bona, ſed neceſſaria facere, vt ea bona reddamus inſtanter, & inceſſanter ſeruiendo iuſtitiæ. Præterea magni momenti ad aſſiduitatem bonorum operum erit, ſi conſuetudinem bene operandi fabricemur in nobis, quod videtur commendare Apoſtolus in hac exhibitione membrorum, quo dicendi modo opera commendauit, quoniam tametſi opera non ſint in nobis, ſed à nobis; cauſæ tamen bene operandi, quæ ſunt boni habitus in nobis, ſunt in noſtris ipſis membris, & potentiis, quas debemus inſtruere ſanctis conſuetudinibus, vt exhibeamus artus, & facultates noſtras ſeruire iuſtitiæ.
Lib. de vit. ſolit. Audiat hoc dictum Pauli, (Bernardus ait) hactenus amicum corporis ſui mancipium, animalis homo, qui iam incipit corpus ſubdere ſpiritui, & adaptare ſemetipſum ad ea, quæ Dei ſunt, percipienda, & ad exuendam fœdæ ſeruitutis neceſſitatem, & contra carnis ſuæ dominantem conſuetudinem ſe accingat, & neceſſitatem ſibi contra neceſſitatem faciat, & conſuetudinem, & affectum formet contra affectum, donec plenam mereatur accipere delectationem contra delectationem; vt delectationibus ſæculi, ac carnis ſecundùm conſilium Apoſtoli ſaltem tantum delectet eum carere, quantum primum delectabat eas habere. Tantum delectet eum de membris corporis ſui ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, quantum priùs delectabat eum ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem.

Cupidiſſimè placere Deo debemus bonis operibus.

Capvt LIX.

Debemvs tandem inſiſtere auarè ſanctis operibus, augentes illa, & multiplicantes quotidie, diſcurrentes à virtute in virtutem. Quemadmodum enim inſatiabilis eſt terrenarum concupiſcentiarum ſitis, ſic tantus amor Dei ardeat in nobis, vt eſuriamus ſemper, & ſitiamus iuſtitiam; & quemadmodum mala operantes ſemper in deterius venimus. Sic bona operantes ſemper in melius procedamus,
Rom 6. quod nobis docuit Apoſtolus, dicens: *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire munditia, & iniquitati ad iniquitatem.* non inquit, *iniquitati* dumtaxat, ſed *iniquitati ad iniquitatem*, hoc eſt, procedendo ex vna iniquitate ad aliam maiorem, & ſeruire vna iniquitate alteri; *ità nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*, hoc eſt, ſanctificantes vos quotidie, ampliùs, & ampliùs procedendo ab vna virtute in aliam, vt qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Ideo ſanctus Paulus non monuit Romanos ſeruire ſolùm iuſtitiæ, ſed iuſtitiæ in ſanctificationem, vt paulatim (ait S. Anſelmus) proficiant ad maiora iuſtitiæ merita, & fortiùs, atque deuotiùs ſeruiant ſanctitati. Hoc nobis proponendum eſt, vt benedictio Rebeccæ nos comprehendat. *Soror noſtra es, creſcas in mille millia*, quod in Ezechiele ſignificatum habemus, quem vir ille, ideſt, Angelus Domini, dum intromittebat in aquas, mille cubitos ſemper metiebatur. *Cùm* (inquit) *egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu ſua, & menſus eſt mille cubitos, & traduxit me per aquam vſque ad talos. Rurſumque menſus eſt mille, & traduxit me per aquam vſque ad genua. Et menſus eſt mille, & traduxit me per aquam vſque ad renes, & menſus eſt mille, torrentem, quem non potui pertranſire: quoniam intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non poteſt tranſuadari.* Ezech. 47. Hac figura demonſtrantur progreſſus Sanctorum in virtutibus vſquequò immergantur in Deo, in torrente cœleſtis voluptatis, & mari diuinæ bonitatis, atque immenſitatis. *Aquam* (inquit S. Gregorius) *vſque ad talos venire eſt iam nos per acceptam ſapientiam deſideratæ rectitudinis veſtigia tenere; vſque ad genua per aquam ducitur, quia cùm boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc vſque noſtra ſapientia augetur, vt in prauis iam actibus minimè flectatur, hinc namque per Paulum dicitur: Remiſſas manus & diſſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris; aqua ergo ad genua peruenit, cùm nos percepta ſapientia perfectè ad boni operis rectitudinem ſtringit, qui iterum metitur mille; & Propheta per aquas vſque ad renes ducitur, quia videlicet tunc in nobis plenitudo excreſcit, quando in nobis percepta ſapientia omnem quoque, in quantum eſt poſſibile, delectationem carnis extinxerit; aqua ergo ad renes venit, cùm dulcedo ſapientiæ etiam incentiua carnis interimit. Percepta perfectione operis ad contemplationẽ venitur ad torrentem, qui pertranſiri non potuit, quia dum mens in altiora ducitur, ſubleuata videt in Deo, quia non poteſt penetrare, quod videt, & quaſi tangit aquam torrentis, quam pertranſire non valet, quia & intuetur ſpeculando quod libeat, & tamen hoc ipſum perfectò non valet intueri quod libet.*

Sed fortaſſe ne ſatisfaciemus diuinis beneficiis, & bonitati diuinæ, ſi ſeruiamus Deo ſolùm, ſicut mundo ſumus famulati. Anne condeſcendentia, & humanitate hac Diui Pauli contenti manebimus. Profectò ſi mica aliqua pudoris, & amoris Dei ineſt nobis, æmulari debemus chariſmata meliora. Quid ergo faciendum, quod competens ſit, & dignum amore virtutis. Audiamus hoc etiam ex ſancto Anſelmo. *Hæc quidem*, inquit, *nondum eſt perfecta iuſtitia. Tantum ne enim digna eſt iuſtitia, quantum digna fuit iniquitas? ſic amanda eſt iſta, quomodo amata eſt illa? Abſit vt ſic, & vtinam vt ſic. Ergo plus eſt amanda; in iniquitate enim ſecuti eſtis voluptatem, ſed pro iuſtitia debetis tolerare dolorem. Ecce neſcio quis impudicus adoleſcens iniecit oculos in coniugem alienam, adamauit, cupit peruenire, quærit tamen latere: ſic enim amat voluptatem, plus vt timeat dolorem; ſuauitas illa voluptatis non eſt tanta, vt vincat etiam dolorem pœnarum. Pulchri-*

tudo autem, & delectatio iuſtitiæ tanta eſt, vt cuicumque amorem ſuum perfectè inſpirauerit, faciat eum contemnere, non ſolùm quidquid in hoc mundo delectabat, ſed & quidquid terret, quidquid cruciat. Ad hanc iuſtitiæ perfectam delectationem hortari nunc volebat Apoſtolus; ſed auditores ſuos minus idoneos vidit, ideoque condeſcendit eorum infirmitati.

Doctrina Galfridi de ſcrutinio intentionis & operum noſtrorum.

Capvt LX.

HÆc noſtra reſormatio, hæc occupatio noſtri tridui: quam etiam indicauit Hieremias; cùm voce lachrymanti intonuit: *Scrutemur vias noſtras, & reuertamur ad Dominum; leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum.* Viæ noſtræ ſunt iter hoc trium dierum cogitationum, verborum, & operum, quæ poſtquam ſcrutati ſimus renouatione noſtri ſpiritus facta, reuertimur ad Dominum, leuantes, & dirigentes ad Deum corda cum manibus. Omnes ſcilicet inter nos actus ſimul cum externis operibus, ad quæ verba referuntur. Qualiter hoc fieri debeat, non importunum erit, audite etiam ex Galfrido. *Via noſtra exterior quidem in exercitys operum, interior autem conſtat in ſtudys animorum. Scrutemur in illis quid agimus, in iſtis quid intendamus. Videat quiſque quid faciat, & cur faciat; qualiter viuat, & ad quid tendat. Videnti autem quid faciat, etiam quid non faciat pariter attendendum. Non eſt enim qui multum gaudeat, qui ſe inuenit in his quæ facit, faciendis non facienda miſcere, aut in his quæ non facit, ſimul etiam cum omittendis omittere facienda. Et prima quidem operum conſideratio circa licitum. Secunda circa id quod expedit, vel non expedit exercenda; ſtricta enim eſt, & imperfecta iuſtitia, tantùm quid liceat intueri; nec facile ſtabit in ea, ſi quis ea velit eſſe contentus. Amplior autem, & abundantior iuſtitia, quidquid non expedit pro illicito reputare, & ſalutaribus quibuſcumque velle parere conſilys nihilominus quàm præceptis. Hic ſpatioſus ad manendum locus, hic firma ſtatio, manſio tuta, quòd non facilè pereat, qui non modò periculum declinat, ſed etiam & elongat; facilè enim cauet periurium, qui non iurat omnino: mendacium, qui tanquam iuſtitiæ cultus ſtudet ſilentio; ebrietatem, qui vinum neſcit; crapulam, qui ieiunat. Iam verò in ſtudys ipſis, & ſecreta cordis intentione conſiderandum cuique eſt diligenter, quænam affectio præſideat eius operibus: vtrùm videlicet præcipuum ſibi in intentione vendicet locum timor pœnæ, an deſiderium gloriæ, an odium culpæ, an amor iuſtitiæ. Ceterùm ſi, quod abſit, poteſtatis alicuius, vel honoris ambitio, ſi fauor humanus, vel turpis gratia lucri, ſi terrenæ cuiuſpiam neceſſitatis, vel moleſtiæ metus, ſi humanæ verecundiæ timor, ſi carnalis qualibet concupiſcentia, ſi ſæcularis curioſitas, ſi denique pernicioſior omnibus totius peccati fomes voluntas propria dominatur. Et non quidem regit, aut dirigit ſtudia; ſed ſubruit, aut ſubuertit: ne id quidem diſſimulandum eſt, & palpandum. Scrutaberis hæc, ſi non deſipis; ſcrutaberis & dolebis; alioquin quomodo leuas, quod vbi iaceat, non requiris? Et ſanè ſcrutanda cuique ſua imperfectio, vt proficiat: ſed multo magis ſua iniquitas, vt reſurgat. Ecce enim in his quatuor quas prælibauimus cauſis: & ſi alys aly præualent, nulla tamen earum eſt culpabilis, nulla ſalubris. Scrutemur itaque, & videamus vias noſtras; ne fortè cùm videantur nobis, vel alys hominibus bonæ, finis earum in profundum demergat inferni. Amemus eum, & magis amare conemur, per quem iam recepimus quod habemus, & adhuc ampliora ſperamus. Quòd & ſi vias noſtras, & cogitationes inuenerimus longè poſitas à cogitationibus eius, & vys; ſicut enim exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ eius à vys noſtris, & cogitationes eius à noſtris. Non frangamur animo, nec deſperemus; ſed iterum, iterumque reuertamur ad Dominum, & quantum poſſumus, per ipſius auxilium leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlum.* Hæc ille.

Hoc ſaltem ex ſingulis triduis vtilitatis capere animosè conemur, vt compunctio noſtra & feruor vltra triduum pertendatur: nam, vt ſanctus Chryſoſtomus ait: *Non duobus, aut tribus diebus ſupplicaſſe nobis ad defenſionem ſufficit, ſed totius vitæ mutationem fieri oportet, & a malitia deſiſtentes in virtute permanere continuè. Sicut enim ægrotantes, niſi ſemper ordinatè vixerint, nulla ipſis diſciplina per tres, aut quatuor dies ſeruatæ vtilitas. Sic & peccantes niſi ſemper ſobry ſint, nihil proderit ipſis duorum, vel trium dierum correctio; vt enim dicitur, lotus poſtea in luto rurſus inquinatus nihil profecit. Sic tres per dies agens pœnitentiam, & rurſum ad priora regrediens, nihil amplius operatus eſt. Ne igitur quod ſemper facimus, hoc & nunc faciamus.* Hæc Chryſoſtomus. Hom. 3. ad pop.

DOCTRINA X.

QVOMODO PECCATA venialia contriſtent Spiritum ſanctum.

De peccatis venialibus quomodo lætitiam animæ auferant, & in plura mala inducant.

Capvt LXI.

QVONIAM egimus de Spiritu renouando, atque ſacramentorum vſu, vt cum vberiori fructu ſuſcipiantur, maximè opportunum erit de peccatis venialibus ſermonem inſtituere, quæ profectum noſtrum, fructumque ipſorum ſacramentorum magnopere impediunt. De quibus propterea dixit Apoſtolus, *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis* Ephes. 4.

in

in die redemptionis. Quid iuſtius peri poterat, imò quid vtilius nobis, quàm ne conſolatorem noſtrum triſtaremus. Etenim Paracletus ille ſpiritus, ille conſolator optimus, ille dulcis hoſpes animæ, ac dulce refrigerium, ille, qui nobis eſt requies in labore, & in fletu ſolatium, minimè meretur contriſtari. Ille, qui eſt ſuauitas Dei, non debet auſterè à ſeruis Dei tractari; nam in noſtrũ caput recidet hæc irreuerentia, ac ingratitudo maxima. Quomodo nos conſolabitur ille, quem nos triſtamus? quomodo nos delectabit, quem nos affligimus? quemadmodum Iſaias, ad quem

Iſai. 63. 10. Apoſtolus reſpexit, dixit, *Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum ſancti eius.* Græcè dicitur clarè, *& afflixerunt Spiritum ſanctum.* Significantiùs adhuc Diſcipulus ſancti Pauli Hermes *excruciari*, ait, *Spiritum ſanctum.* An ne præſumemus ab eo quem triſtamus recreari? ab eo quem afflximus, deleniri, & mulceri ab eo, quem cruciamus? liceat ſic loqui, vt iniuriam, quam diuino Spiritui inferimus, pro noſtra intelligendi tenuitate cognoſcamus. Vnde toties omne caput noſtrum languet, & omne cor mœret? Vnde acediæ, vnde animi anguſtiæ, vnde deſolationes, vnde tepiditas noſtra, niſi quia noſtrum conſolatorem triſtauimus, noſtrum refrigerium, noſtrum auxilium, noſtrum Medicum, noſtrum Doctorem, noſtras delicias affligimus. Quare ſi velimus ſcire quæ ſint iſta, in quibus contriſtari Spiritum ſanctum vetat nos Apoſtolus, examinemus illa, quæ nos in triſtitiam, atque acediam inducunt. Non ſunt ad hoc neceſſaria grauia crimina; ſufficiunt veniales culpæ, maximè ex aduertentia, & in quibus non corrigimur; iſtæ enim deuotionis ſuccum exſiccant, iſtæ feruorem charitatis extinguunt, iſtæ deſolationes efficiũt. Ideo contriſtant nos, & contriſtant diuinum Spiritum, imò ſic illum contriſtant, vt propterea dixerit illas ſanctus Bernardus, non ſolùm peccata in Spiritum

Serm in conuer. S. Pauli. ſanctum, ſed blaſphemias. *Nemo*, inquit, *dicat in corde ſuo, Leuia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimiſque peccatis. Hæc enim dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis. Paulus quidem blaſphemus fuit, ſed non in Spiritum ſanctum, quia ignorans fecit in incredulitate, non in Spiritum ſanctum blaſphemans, ideo conſecutus eſt miſericordiam.*

Igitur peccata venialia vitare iubet nos Apoſtolus dum cauet ne ſanctum contriſtemus Spiritum, in quo ſignati ſumus, ideſt, per cuius ſigillum & gratiam Deo grati, & filij eius ſumus: quare loquitur de peccatis, quæ cum filiatione Dei, & gratia habituali ſimul eſſe poſſunt, quæ ſunt venialia. Nec enim propterea parui facienda quòd ſufferat ea ſuauis & mitis Dei gratia, ſed idcirco extimeſcenda, quòd dicantur ſanctum illum ſuauem & conſolatorem contriſtare Spiritum. Quocirca eorum conſideremus grauitatem, vt ipſa in nobis expaueſcamus, curemuſque deponere, atque ab ipſorum maculis mundati. Et licèt plura capita ſint, vnde venari poſſemus deformitatem eorum, nunc ſolùm colligere illam placet ex hoc loco ſancti Pauli, & rationibus, propter quas dicere potuit contriſtari in illis Spiritum ſanctum, ſecundùm varias Patrum expoſitiones; nam mihi dubium non eſt dictum hoc ab Apoſtolo fuiſſe etiam propter peccata leuiora.

In primis, vt à minoribus ad maiora veniamus, peccata venialia dicuntur Spiritum ſanctum contriſtare, quatenus contriſtant nos, qui illa committimus, anxios, ſiccos, indeuotos, perturbatos nos trahentia, quemadmodum Dauid de ſe dixit, *Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus*, propter remiſſionem feruoris, & negligentiam in *Pſ. 142.* obſequio diuino. Et quemadmodum expertus eſt ſanctus Helias Propheta, quem timoris humani leuis culpa in eum mœrorem, & inquietudinem induxit, vt vagus, ac profugus per deſerta mallet mori, quàm ſimilem pati triſtitiam, & ſui ſpiritus tædium, ac proinde peteret animæ ſuæ vt moreretur. Sicut enim Apoſtolus dixit ſpiritum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus; non quia ipſe ſpiritus, qui Deus eſt, & æqualis Patri, ac filio, poſtularet, nec gemeret; ſed quia nos per illius gratiam poſtulamus: ſic etiam mihi videtur poſſe dici contriſtari, quatenus anima, quæ illum nondum deſerit, contriſtatur per ſubtractionem deuotionis, & lætitiæ, quam idem ſpiritus ſolet efficere. Id ipſum confirmat quòd ſanctus Paulus conſequenter iubet tolli à nobis amaritudinem animi. Anne paruum malum eſt, quòd tantum malum operatur in nobis, quantum eſt extinctio feruoris, neglectus virtutum, anxietas cordis, acedia bene operandi, ſubtractio ſuauitatis, & actualis gratię diuini Spiritus? Anne paruum malum eſt, quòd diuinis nos viſitationibus, quòd cœleſtibus nos delitiis, & ſuauitatibus priuat, & loco ſanctæ dulcedinis non in ſæcularem lætitiam, ſed in mundanam triſtitiam nos impellit; neque enim tepor & acedia eſt aliud, iuxta S. Thomam, quàm triſtitia de bono ſpirituali, quam negligentia aliquarum paruarum culparum efficit. Exemplo nobis ſit feruentiſſimus Helias, ille homo Dei, qui in tantam triſtitiam, & acediam, atque ingens vitæ tædium, quemadmodum nuper dixi, deiectus fuit propter leuem illam culpam, intolerabiliorem paſſus triſtitiam, quàm ipſam mortem. Et ſanctus Dauid non dixit ſimpliciter, *Anxiatus eſt ſpiritus meus*, ſed *ſuper me*, hoc eſt, ſupra quàm ferre poterat. Quòd ſi res non ex quantitate, ſed ex virtute æſtimantur, nec aſpis, quòd parua ſit, parum cauetur, quandoquidem magnum virus valet ſuffundere. Anne peccatum veniale exiguum quid erit, cùm tantam valeat operari triſtitiam. Aſpis paruula quare timetur, an quia vitam animæ tollere poteſt? minimè, ſed ſolùm, quia corporis vitam auferet: ergo ſi leuis culpa vna potuit efficere illud, quod deterius ipſa morte habebatur, qualis fuit ille ſancti Heliæ mœror, qua ratione extimeſcenda non erit plus quàm ipſa corporis mors. Verùm hic eſt minor peccati venialis effectus; quid ſi cæteros adiungamus? tanquam horrendum & inmane qoid formidaremus illud; inſinuemus ſolùm aliquos. *Sæpe enim*, inquit Vmbertus, *venitur de peccatis minimis ad magna;*

Epiſt de tribus votis cap. 56. *ſicut ignis validus ſurgit nonnunquam de modica ſcintilla. Vitanda ſunt igitur peccata venialia, quia nos in malis aſſueſaciunt, feruorem diminuunt, profectum dedecorant, ad pœnam obligant, animæ potentias in operibus ſuis laxant, & à gloria nos retardant. Nunquam enim à quoquam facies Dei videbitur, donec per pœnam venialium peccatorum quadrãs minimus perſoluatur: hæc ſunt*

queque qua gaudium caleſte indirectè nobis minuunt, quia omnia opera noſtra bona, per quæ nobis creſcere poſſet æternorum cumulus premiorum, conuertere nos oportet ad ſolutionem huiuſmodi debitorum: curemus ergo per omnis mali declinationem eſſe potius innocentes, quàm committendo culpas etiam leuiſſimas pœnitentes. Hæc ille.

Profectò ſi ſinguli ex his damnis, cùm tamen non ſint omnia, quæ culpæ leues efficiunt, iuſta æſtimarentur trutina, totis viribus illas declinaremus, tota anima formidaremus, toto corde deteſtaremur, vt expiati his culpis deponeremus languorem, & triſtitiam, ne Spiritum ſanctum hac ipſa acediæ triſtitia contriſtemus. Optimè

Antioch. monach. in hom. Antiochus conſulit: *Auerte igitur abs te triſtitiam hanc, & ne contriſtes Spiritum ſanctum, qui in te habitat, ne fortè interpellet Deum, & recedat à te. Spiritus enim Dei, qui in hanc etiam carnem ſe effudit, triſtitiam non fert, neque animi anguſtiam. Circumda igitur tibi hilaritatem, quæ omni tempore promeretur gratiam apud Dominum, & delectare in ea. Hilaris enim vir bona quidem operatur, & nihili ducit triſtitiam; vir autem turbulentus ac triſtis, malignè agit ſemper, & quidem primum malignè agit; Spiritum ſanctum mœſtificat, qui homini datus eſt hilaris; huc accedit quòd propter hoc iniquitatem is operatur, dum Domino confitetur. Neque enim viri iſtius ſic turbulenti interpellatio vim vllam obtinet diutius perſiſtendi ante altare Dei, aſſidet enim interpellationi eius ſpiritus triſtitia, non ſinens puram eſſe diutius eius interpellationem ante altare Dei. Vt enim acetum vino vnà ſi immiſceatur, nihil affert iucundi guſtus, ad eumdem modum triſtitia miſtim inſerta Spiritus ſancti domicilio collocutionem reddit inamœnam.* Hactenus ille.

Quo pacto peccata venialia contriſtent Sanctos, & ſpiritus Angelicos.

Capvt LXII.

Alii cum ſancto Auguſtino interpretantur Pauli verba monere ne contriſtemus eos, in quibus eſt Spiritus ſanctus. *Sancti enim*, inquit ſanctus Anſelmus, *ſicut de profectibus fidelium gaudent, ſic de lapſibus eorum contriſtantur.* Mox addit, *Contriſtari dicitur Spiritus ſanctus, quia ſuis electis inſpiret charitatem, per quam facit vt contriſtentur de aliorum detrimentis.* Anne & hoc parum erit, propter quod ſerui, & filij Dei, ſcandalum patiuntur, aut dolore intrinſecus vruntur? Propter quod & ipſi Angeli pacis offenduntur, &, vt Propheta loquitur, flent. Sententia eſt Caietani, & aliorum Do-

In ſumma v. ſcrupuloſi. ctorum, propter peccata venialia ſubtrahi diligentiam, & cuſtodiam ſanctorum Angelorum. Quid mirum peccata iſta contriſtent Sanctos in terra, ſi Spiritus cæleſtes, & beatos ſic afficiunt, vt quaſi horreant, & faſtidiant eos, qui culpas quamuis exiguas, impudenter negligunt. Mentes illæ beatæ ſicut gaudium celebrant in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente; ſic ſuper vno iuſto peccatum licèt leue vltro committente, offenduntur. Nonne contriſtantur Sancti in temporali vita, & Angeli, qui æternam iam poſſident, auſterè ferunt peccata noſtra, licèt leuia ſint, cùm peccatum Ananiæ & Saphiræ, quod dicunt nonnulli veniale fuiſſe, ſic contriſtauerit, & offenderit ſanctum Petrum, vt ſubita illos morte puniret. Idem dicitur de peccato vxoris Loth, leue fuiſſe, capitaliter tamen punita ab Angelis fuit culpa illa, quamtumuis fuerit leuis. Recens quoque exemplum habemus in Societate noſtra. nam deuotus frater Ioannes Carrera quotidie primo manè excitabatur ad orandum ab Angelo Dei, vſque dum ſemel præ laſſitudine ocyùs non ſurgeret; exinde occultauit ſe Angelus, donec pluribus ieiuniis, afflictionibus carnis, & orationibus placatus repetiit antiquam familiaritatem, & officium: monuitque Ioannem, qui ignarus cauſæ erat, propterea ſuam præſentiam, & conſuetudinem intermiſiſſe, quòd minus diligenter in illa occaſione ad orationem adulaſſet, quamuis languore & laborum laſſitudine victus; adeò grauiter offendit beatum illum ſpiritum tam leuis culpa, quæ non ſentita fuit à conſcientia delicata. Quare & in peccatis

his minutis impletur illud Exodi: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat* *Exod. 23. 31.*

in via, & introducat in locum, quem paraui. Obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris. Nunc philoſophandum eſt nonnihil. Anne Angelorum iudicium errat, vt tam indignè ferant leues culpas? Anne mentes illæ beatæ falluntur, aut exaggerant res? Nequaquam; imò illuſtrato diuinitus naturæ ſuæ acumine, certius de rebus iudicium ferunt, atque ex beneuolentia qua nos proſequuntur tanquam conciues, & conſeruos, & redemptos à Domino & Rege ſuo potius vellent excuſare nos, quàm acerbè aduerſùs nos ſentire: & nihilominus ſic grauiter iudicant de his rebus, quas nos leues dicimus, & leuiſſimas putamus. Anne noſtrum iudicium præſtat Angelico. Anne nos perſpicacius veritatem attingemus, quàm illi, qui vident Deum; cui iudicio ſtandum eſt, an humano infirmo, & obtenebrato, an Angelico perſpicuo, & cæleſti luce irradiato?

Cæterùm præter hoc quòd ſancti Angeli recedant à nobis propter peccata venialia, accedunt propter eadem Dæmones, maioremque licentiam ſumunt aduerſùs nos. Atque vt ſalutem etiam ab inimicis noſtris comparemus, re-

feram quod ſanctus Odo Cluniacenſis ſcribit: *Lib. 3. coll. 12.*

In quodam cœnobio cuidam moniali morienti malignus hoſtis apparuit quòd vnam aculam ſine licentia haberet, quam de loco vbi hanc eſſe dixit, ſorores detulerunt, ſed Dæmon non receſſit, quòd filum ſericum etiam ſine licentia ſeruauerit, cuius tamen ipſa non recordabatur, reperto tandem ad ſpondam & allato tunc peſſimus Spiritus diſceſſit. Anne parum eſt propter quod tanta permiſſio hoſtibus noſtrarum animarum fit, & propter quod illi tantopere gaudent? Sanctus Richardus Abbas, quemadmodum

in eius vita prodidit Fulbertus, grauibus diſtra- *Cap. 13.*

ctus negotiis immemor ſequentis Dominicæ tonſore veſperi accito capillos ſibi iuſſit æquari; ecce aſtitit extemplo Dæmon capillos colligens, numerans, eorumque numerum in libellum referens. Rogatus quid ageret, ſuum munus dixit exequi, & peccata ſeruorum Dei notare in ſuo breuiario, ne vacuus ad Principem ſuum reuer-

tus

Digitized by Google

ſus acriùs plecteretur. Addens à ſuo Principe palmam obtenturum quòd nuntiaturus eſſet Richardum Abbatem, qui formam religionis cæteris debuit exhibere, feſtiuum noctis Dominicæ tempus operi illi impendiſſe; tunc ſanctus Abbas tonſuram imperfectam reliquit, reſpondens Dæmoni culpam illam ex incogitantia commiſiſſe, & ideo veniam à Domino impetraturum, quoniam curæ corporis monaſterij negotia prætuliſſet: poſtea coram fratribus culpam confeſſus veniam poſtulauit. Orarunt pro illo Monachi, poſt quorum orationem ſignum inchoatæ tonſionis euanuit; vnde agnouit culpam ſibi dimiſſam. Cur igitur nos contemnimus quod aduerſarij noſtri tanti faciunt; neque enim Dæmones ignari rerum ſunt, aut ſtulti; ſciunt bene quàm ſint noxiæ nobis leues culpæ, ideo illas obſeruant, & de illis exultant.

Videamus autem quæ cauſæ ſunt, propter quas Sancti triſtentur, Angeli boni offendantur, & mali gaudeant ex peccatis venialibus. Nonne ſufficiens cauſa eſt ſua deformitas & diſſonantia illa rectæ rationi, quam efficit quælibet inordinatio excellentiſſimæ creaturæ, qualis eſt rationalis, à fine ſuo altiſſimo, infinito illo bono. Sunt præterea multæ aliæ cauſæ, defraudatio maioris gloriæ Dei, defraudatio meritorum noſtrorum, defraudatio communis boni in congregatione fidelium, defraudatio ſuffragiorum pro animabus defunctis; nam preces & ſatisfactiones eorũ, qui peccata leuia negligunt, remiſſiores ſunt. Denique quod minimum non eſt, defraudatio boni exempli & ædificationis aliorum. Contrà eſt, cùm diligentes ſumus in leuibus culpis vitandis, ſancti Angeli exultant, lætantur, amant nos, & defendunt. Ideo Ioannes Taulerus dixit:

Inſt. c. 2. *Quiſquis verba & actus ſuos prauia conſideratione diſcutiens, ea, qua nihil vtilitatis afferre poſſe conſpicit ad Dei gloriam, dimittit, ſeque pro viribus modo ſupradicto ab omni peccato cuſtodit, ille ab Angelis omnique cœleſti exercitu honoratur, atque defenditur.*

Quomodo per peccata venialia contriſtetur Spiritus ſanctus.

Capvt LXIII.

Commvnior expoſitio ſancti Chryſoſtomi & Brunonis eſt ipſam perſonam Spiritus ſancti à D. Paulo intelligi quam iubet ne contriſtemus. Et ſignificanter Tertullianus dixit. *Deus præcepit Spiritum ſanctum vtpote pro naturæ ſuæ bono tenerum & delicatum tranquillitate, & lenitate, & quiete & pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare.* nam licèt in ſe triſtari, aut dolere nequeat, cùm immutabilis ſit, & ipſa infinita beatitudo; eo tamen modo loquendi voluit Apoſtolus ſignificare quantum in ſe ſit, licèt minimum videatur nobis, quod diuinum illum ſpiritum offendit. At cur opus erat exprimere Spiritum ſanctum cùm dicere ſufficeret: Nolite contriſtare Deum? cur ſignanter dixit, Spiritum ſanctum, cùm & Pater & filius ſimiliter offendantur? Congruè exiſtimo, & conſultò, Apoſtolum expreſſiſſe Spiritum

Cap. 15. de Spec.

ſanctum, & non aliam perſonam Trinitatis, primò quoniam in diuino ſpiritu explicatur bonitas, ac ſuauitas Dei, atque ipſe eſt amor diuinus, & primum donum, vt ſic meliùs penetraremus malitiam peccati, quantumuis venialis; nec enim quod offendit Deum tam bonum, quod contriſtat Deum tam mitem, & dulcem, & ſuauem, & amantem, & liberalem, & beneficum, leue iudicari poterit; eo enim malitiæ cuiuſuis culpæ magis ponderanda eſt, quanto Dei bonitas erga nos maior. Qualitas enim peccati venialis, & horribilis eius deformitas, vnde certius æſtimari debet, quàm quod contra Deum infinitè magnum & bonum ſit? quapropter dixit ſanctus Hieronymus: *Sanè neſcio an poſſimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quod iuſſum ſit, quàm illum, qui iuſſerit, nec quantitatem imperij, ſed imperantis cogitat dignitatem.* Non cogitauit hoc vxor Loth, quàm conuerſam in ſtatuam ſalis ob leuem culpam demiratus Chryſoſtomus hanc cauſam reddit, vt ex hoc appareat non qualitatem delicti debere quemquam intendere, ſed diuina iuſſa tota veneratione ſeruare; nec debere hominem quid debeatur expendere, ſed magis quis iuſſerit cogitare. Cogitemus igitur quis Deus ſit, quàm magnus, & inſuper quàm bonus, ne paruum putemus quod eſt contra eum, qui infinitè eſt magnus; atque leue malum eſſe, quod eſt contra infinitè bonum; quod plus ponderis habet ad compungendum nos, quàm ratio maieſtatis; magnitudo enim reuerentiam ſolet generare, bonitas amorem; amor autem potentior eſt, quàm timor. Quare conſiderantes Deum, quem minimis etiam peccatis offendimus, infinitè bonum in ſe eſſe, & erga nos per infinitum ſuum amorem, ſi amor aliquis in nobis eſt, ſi gratitudo aliqua, ſi pudor aliquis, qua fronte non deteſtabimur quamlibet minimam rem, ex qua ipſe offenditur & contriſtatur? Maximè cùm hæc contriſtatio ſit ex noſtri amore, & boni deſiderio. Aptè ſanctus Ambroſius dixit: *Cùm bene agimus, gaudet in nobis Spiritus ſanctus datus nobis, videns monita ſua proficere vtilitatibus noſtris, ſicut dictũ eſt à Domino; ita gaudium erit in cœlo in vno peccatore pœnitentiam agente.* Gaudet ergo Spiritus ſanctus in ſalute noſtra, non ſibi, qui non indiget lætitia; ita è contrario ſi obedientes ei non fuerimus, contriſtatur, quia non habet profectum in nobis.

Cap. 14. ad Celant.

In epiſtola ad Epheſ. 4.

Deinde, qui beneficia diuina & dona Dei conſiderat, & rurſus ingratitudinem ſuam confert, non parum putabit in minimis eſſe ingratum, cùm maxima debeat. Vnde autem commemorari nobis aptius dona Dei poſſent, quàm per Spiritum ſanctum omnium donorum maximum & primum. Idcirco ſanctus Paulus Spiritum ſanctum expreſſit, & addidit, *in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* nam *hic ſpiritus*, ait Chryſoſtomus, *nos regalem eſſe gregem oſtendit, hic nos ab omnibus prioris vitæ actibus cohibuit, hic non eſt paſſus vt coniuncti eſſemus illis qui iræ Dei ſunt obnoxij, & tu illum contriſtas.*

Hom. 4. ad Epheſ.

Deinde Spiritus ſanctus diffuſus eſt in cordibus noſtris, habitans in nobis tanquam in templo, quemadmodum alibi dixit Apoſtolus, *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à*

1. Cor. 6.

Deo, & non eſtis veſtri; ideo etiam cùm habitet in nobis Spiritus diuinus, incommodum atque indignum tantæ maieſtatis domicilium ei præſtantes noſtris culpis dicimur contriſtare illum, quatenus infinitum, & ſuauiſſimum hoſpitem non reueremur, ſed multa quibus offenditur, committimus; licèt enim leuibus defectibus non expellamus eum à ſua domo, conſpurcamus tamen illam, & declaramus ſordibus replentes, non ſolùm partes exteriores templi, ſed Sancta Sanctorum, & ipſam aram, vbi ſedet tanta bonitatis maieſtas. Sic enim conſidero hominem iuſtum, vt pretioſius & grandius templum Deo ſit, quàm Salomonis templum; ara autem huius templi anima eſt, quam præcipuè deformamus ſordibus, & lepra culparum. Siquis cœno, & ſtercore fœdaret pyxidem vbi ſeruatur corpus Chriſti, quid diceremus, anne paruam irreuerentiam putaremus? Cur igitur parui ducimus quòd nos fœdioribus ſordibus vrnam, & domum ſancti Spiritus repleamus? Nec enim vlla comparatio eſt cœni cum peccato, nec pyxidis metallicæ cum anima immortali. Quòd ſi ſordidam domum, & maculatam à nemine habitari iuſſit Deus in Leuitico, atque immundus habebatur, qui in illa dormiret, cur in ſordida & immunda anima, cogimus puriſſimum Dei Spiritum habitare. Audiamus quid dicat Scriptura

Leu.14. de domo leproſa. *Conſideret* (ſacerdos) *lepram domus, & cùm viderit in parietibus illius, quaſi valliculas pallore, ſiue rubore deformes, & humiliores ſuperficie reliqua, egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus, reuerſuſque die ſeptimo, conſiderabit eam, ſi inuenerit creuiſſe lepram; iubebit erui lapides in quibus lepra eſt, & proyci eos extra ciuitatem in locum immundum: domum autem ipſam, radi intrinſecus per circuitum, & ſpargi puluerem raſuræ extra vrbem in locum immundum, lapideſque alios reponi pro his qui ablati fuerant, & luto alio liniri domum.* Nonne hæc eſt figura noſtræ animæ, quæ tanquam lepra & ſcabie inficitur, & ſordeſcit peccatis venialibus. Fatetur hoc ſanctus Cæſa-

Hom. 8. ad pop. rius Arelatenſis. *Quibus peccatis* (inquit) *licèt occidi animam non credamus, tamen ita eam, velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentem deformem faciunt.* Quomodo in hac domo lætus & hilaris ſanctus Spiritus commorabitur? Quapropter mundare animam debemus, ſicut leproſam domum, eruendo prauos affectus, & reponendo bona deſideria, abradendo quidquid ſæculare in nobis ſit, & abiiciendo immunda, quæ mundi ſunt, in ipſum mundum tanquam in locum immundum, hoc eſt, relinquendo vana vanis, & terreſtria terreſtribus.

Fructum Sacramentorum quantum impediant peccata venialia.

Capvt LXIV.

Præterea ſpecialiter dicitur peccatis venialibus contriſtari Spiritus ſanctus, quatenus impediunt, aut minuunt fructum ſacramentorum, quorum diſpenſandam gratiam ſanctus Spiritus curat, quem propterea vocauit ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus ma- Hom. 16.
gnum Præſulem, & gratiarum Parochum. Atque vt alia omittamus, dicam de præſtantiſſimo omnium ſacramento, & myſteriorum myſterio, Euchariſtia, per quod largiùs gratia profunditur; de qua dici meritò poteſt quod ſanctus Baſilius, In Anaph.
Spiritum Dei viuum & ſanctum incubare Euchariſtiæ; huius tamen ſacramenti vberes fructus impediri peccatis venialibus Theologi & ſancti Patres tradunt. Quorum placita vt meliùs intelligantur, animaduertendum eſt, præter diſpoſitionem habitualem & neceſſariam, ne peccemus accedendo ad hoc ſacramentum, quæ eſt carentia peccati mortalis, & intentio ſuſcipiendi ſacramentum, tradi à Theologis aliam diſpoſitionem actualem, quam multi putant, etiam neceſſariam, vt aliquem fructum gratiæ ex ſacramento accipiamus. Et hanc actualem diſpoſitionem duplicem dicunt eſſe. Vna eſt velut priuatiua, quæ eſt carentia omnis peccati actualis, etiam venialis: altera poſitiua, quæ eſt actualis attẽtio, & deuotio per actus virtutum poſitiuos. Deinde ſciendum eſt duplicem gratiam dari in ſacramentis. Vna eſt gratia habitualis communis omnibus, per quam ſanctificamur, aut ſanctitas augetur in nobis: alia dicitur gratia ſacramentalis cuilibet ſacramento ſpeciali, per quam diuerſa auxilia dantur. Hoc ſuppoſito in hoc omnes conueniunt, etiam ſanctus Thomas, vbi mitiùs loquitur, per peccata illa venialia, quæ ſunt cauſa, vt diſtractè & indeuotè communicemus, impediri ſacramentalem gratiam huius ſacramenti, quæ eſt actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ deuotionem alit, & vitiorum inclinationem debilitat, quæ quidem (inquit ſanctus Doctor) impeditur ſi aliquis accedat ad hoc ſa- 3. p. q. 79. art. 8.
cramentum per peccata venialia mente diſtractus. Alij tamen dicunt abſolutè, per quaſcumque culpas veniales impediri, quæ etiam eſt ſententia ſancti Gregorij, qui poſtquam dixit peccatores non percipere fructum ſalutis in comeſtione ſalutari hoſtiæ, agens deinde de probis viris, qui à peccatis grauibus mundi ſunt, ait: *Qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etſi minimè ſunt peccata, quæ contigerit, paulatim anima repletur; atque ei meritò auferunt fructum internæ ſaturitatis.* Satis profectò hoc eſſet, vt peccata, quæ tanto bono nos priuant, formidemus, & horreamus. Addunt nihilominus ſanctus Bonauentura, ſanctus Antoninus, Alexander Alenſis, Durandus, Caietanus, Syluеſter, Petrus Caiet in 3. p. q. 79. art. 8.
Sotus, & alij, imò & ſanctus Thomas in quarto, S. Thomas in 4. d. 12.
non ſolùm ad ſacramentalem gratiam, ſed ad habitualem conſequendam in hoc ſacramento neceſſariam eſſe diſpoſitionem poſitiuam actualis deuotionis, & carentiam peccati venialis, quatenus impediunt peccata venialia deuotionem. Marſilius quoque dicit requiri ad fructum ali- In 4. q. 6.
cuius gratiæ etiam habitualis, ne quis cum actuali peccato veniali communicet, & tale peccatum veniale impedire omnem gratiam ſacramenti, vt perinde ſit, ac ſi nullo modo reciperetur. Cui fauent Diuus Auguſtinus ſuper Euangelium Hom. 26. in Ioan.
ſancti Ioannis, & Gennadius, imò aliqua ratio non futilis; nam qui peccando communicat, non videbatur congruum, vt ex peccaminoſa communione gratiam haberet; peccando autem ſaltem venialiter communicat, qui diſtractè, & irreuerenter communicat. Ego autem ad minus

exiſti

exiſtimo peccata venialia ſæpiſſimè impedire omnem gratiam ſacramentalem, & ſimul partem magnam gratiæ habitualis, quæ tribuenda foret, niſi peccata illa nos poſſiderent, quatenus propter illa peccata minus diſpoſiti accedimus, minus deuoti, minus attenti, & ſæpe valde diſtracti. Quis ergo parui facier ea, quæ ſic obſtant fructui, & efficaciæ maximi & tremendi huius ſacramenti. Quare nemo dicat: Sufficit mihi gratia babitualis, licèt non tecipiam ſacramentalem. Dum vera ſint quæ ſanctus Thomas, & ſanctus Gregotius cenſuerunt, de aliis opinionibus Marſilij, Caietani, & aliorum, non ita eſt curandum, nemo hæc cauſetur. nam licèt verum mihi videatur eum, qui ſine peccato mortali communicat, non carere fructu alicuius gratiæ, etiamſi cum peccatis venialibus accedat: attamen viri illi doctiſſimi, inter quos aliqui ſancti ſunt, contemni non debent, neque ipſorum ſententia habenda eſt improbabilis. Præterea ſatis reſtar vnde agnoſcamus damnum peccatorum venialium, ex eo quòd impediant magnam partem gratiæ habitualis, & omnem ſacramentalem, quatenus, vt dixi, propter ea communicamus, indiſpoſiti, indeuoti, & diſtracti, quod incontrouerſum eſt, & certum omnibus. Sed demus nullo modo impedire gratiam habitualem, nec totam, nec partem, nonne ſufficit vt formidentur, quòd obſtent ſacramentali gratiæ? anne parum quid putamus hanc gratiam. Exptomam animi mei ſenſum, & dicam ſincerè quod in corde habeo. Si mihi daretur optio vnius gratiæ, potiùs carere vellem eius, quæ in boc ſacramento datur, ſcilicet habitualis ne, an ſacramentalis? Ego mallem carere gratia habituali, quàm ſacramentali; ſed nemo me arguat, antequam rationem trutinet. Cauſa eſt, quia gratia habitualis, quæ datur in hoc ſacramento, eſt augmentum gratiæ iam ſupponens aliquam; gratia verò ſacramentalis eſt actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ nutrit deuotionem, alit feruorem charitatis, & extenuat vitioſas inclinationes, cui annectuntur auxilia, per quæ plura peccata declinari poſſunt, & plures virtutes exerceri. Nonne hoc præeligendum eſt, vt peccatis careamus, & operemur bene potius, quàm accretio illa ſolùm & quaſi ſterilis gratiæ habitualis. Libenter ſine culpa mea carebo in præſens augmento gratiæ habitualis, dum id habeam quo non committam peccatum, quod ſi commiſerim, graue non ſolùm augmento gratiæ carebo, ſed tota prorſus gratia. Præterquam quòd poterit per deuotionem & bona opera, quæ fient, cum gratia ſacramentali compenſari, atque lucrari tantundem, & fortè plus gratiæ habitualis, quàm alioqui daretur. Si vnum peccatum veniale, nec pro gratia habituali omnium Angelorum, & hominum, nec pro tota poſſibili committere debeo, cur non etiam præoptandum mihi erit illud vnde plura peccata & venialia & mortalia euitabuntur, potius quàm particulam alicuius augmenti gratiæ habitualis, videmus quidem quàm parũ prodeſt multis ad reformandam vitam, purgandam animam, & operandum bene augmentum gratiæ habitualis ſine ſacramentali; quamuis enim frequentent ſacramenta, & ſacerdotes plures, tametſi quotidie communicent, manent tamen propter defectum gratiæ ſacramentalis imperfecti, indeuoti, immortificati, contemnentes Chriſti conſilia, licèt mandata plerumque obſeruent. Nonne his melius eſſet gratia ſacramentalis, cum qua modeſtiores, & deuotiores eſſent, atque plures vitarent culpas, creſcerentque de virtute in virtutem, augentes merita, & multam ex ipſis meritis gratiam; nec enim opus eſt dicere quod Caietanus cenſuit, ideo multos non creſcere in virtutibus, quantumuis frequentent ſacramenta, quòd propter neglectum actualis attentionis & peccatorum venialium, nullam gratiam ex hoc ſacramento percipiant; nam ſufficit non recepiſſe gratiam ſacramentalem, licèt accipiant gratiæ habitualis incrementum. Non ergo contemnenda eſt gratia ſacramentalis, nec ſolùm contenti ſimus eo modo accedere ad tremendum hoc ſacramentum, quo non amittamus augmentum gratiæ habitualis, ſed æquà diligentia nobis conandum eſt, ne defraudemur ſacramentali, cùm vtilior ſit ad virtutum progreſſum, & feruorem charitatis nutriendum. Cùm igitur illam ſic impediant peccata venialia, omnibus modis fugienda & deteſtanda ſunt; nec vllo modo parui facienda, ne contriſtemus ſanctum Spiritum, qui ſuper hoc ſacramentum lætus incubat, pleno ſe diffundens vbere, vt ſuo deuotionis lacte nos mulceat, & ſuæ charitatis vino nos inebriet, & lætificet. Conſolemur potiùs conſolatorem noſtrum, & oblectemus noſtrum lætificatorem; non acerbemus dulcedinem & ſuauitatem Dei; non contriſtemus illum obſtando ſuæ gratiæ, & torpendo in diuino obſequio. nam, vt inquit ſanctus Ambroſius, *contriſtatur quia non habet profectum in nobis, vult enim nos pertinere ad vitam.* Nouit hæc damna peccatorum venialium ſanctus Ignatius, Pater noſter, ideo ad ipſorum remedium, ne fructum ſacramentorum impediant vnde ſanctus Spiritus exacerbetur, præcepit nobis examen quotidianum conſcientiæ, quod in ſummario conſtitutionum commendatum eſt ibi, vbi de vſu ſacramentorum agitur. Nam, ſicut dixit ſanctus Gregorius, *qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etſi minima ſint peccata, quæ contigerit, plenum ſacramentorum fructum non percipiet.*

Quo ſenſu culpæ veniales ſint peccata in Spiritum ſanctum & quàm periculoſum ſit eas contemnere.

Caput LXV.

Denique ea peculiari ratione peccata venialia dicuntur contriſtare Spiritum ſanctum, quatenus contemnuntur; ideo non curamus nobis remitti; ex quo fiunt irremiſſibilia in hac vita à culpa, in altera à pœna fortaſſe, aliquando ſaltem. Peccata autem quæ nec in hac vita, nec in altera remittuntur, appellantur peccata contra Spiritum ſanctum. Quapropter ſanctus Bernardus de iis qui non curabant, expiari à peccatis minimis dixit. *Hæc eſt* *loc. cit.*
impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis. A quo non valde diſcedens Odo Cameracenſis ait. *Si ergo Spiritus ſanctus propria peccata dimittit, id certè contra Spiritum ſanctum ſe magis erigit, quod* *Tract. de blaſph in Spiritũ ſanct.*

remiſſionem

remiſſionem peccatorum magis excludit, & iniuria maiors ſanctum moleſtat Spiritum, quod maiors nequitia veniam repellit peccatorum. Et ideo rectè vocatur blaſphemia ſpiritus, illud peccatum, quod charitatis dulce refutat officium, nec accipere curat munus veniæ quod charitas omnibus extat impertire; at hoc eſt peccatum ad mortem, id eſt, impœnitentia ad finem, extremum malum irremiſſibile ſolum, cùm remitti poſſit aliud omne peccatum, & hoc eſt contra Spiritum ſanctum dicere, ſcilicet diuina opera vituperando, & in prauam partem ducendo, inuidioſè & ſuperbè vſque in finem impœnitentem perſiſtere. Quem non atterebit illa miſſimi ac melliflui Bernardi ſeueriſſima & amara vox? Qui audiens blaſphemiam dici contra Spiritum ſanctum, non tollere peccata minuta, parum dicet eſſe manere in illi? An nos ignorantes audemus dicere ſapientiſſimum Bernardum toto ore mentiri? Et quidem prope eſt vt dicamus; nam licèt non expreſſis verbis, id tamen dicimus, ſiquidem dicimus parum eſſe, imò ducimus nihil eſſe, quòd ille ſeruus Dei blaſphemiam contra ſanctum Spiritum dixit, & irremiſſibilem putauit. Dices non propterea damnandum eſt, qui habet peccata venialia, nec blaſphemiam propriè eſſe manere in illis. Ita eſt, ſed oporteret tibi, & mihi tanquam blaſphemiam illa cauere, exhortereque. Sciebat hoc vtique ſanctus Bernardus, nihilominus vt aliquam congruam opinionem, aut formidinem eius mali haberemus, blaſphemiam vocauit, vt exiſtimaremus eam opinionem, eumdem horrorem, quem habemus de peccato blaſphemiæ, debere non habere de negligentia venialium; de blaſphemia autem multo maiorem, ne tam praui duceremus peccata, & tanto minoris, quàm illa ſunt, cùm peccata mortalia ſolùm putemus magnum malum, venialia paulo plus quàm nihil; non ita iniquè voluit Bernardus æſtimari culpas, ſed venialia peccata æſtimari, atque vitari tanquã maxima mortalia; mortalia autem tanquam infinita mala. Quemadmodum ſanctus Iſidorus dixit: *Sunt peccata leuia, quæ ab incipientibus quotidiana ſatisfactione purgantur, quæ tamen à perfectis viris velut magna crimina euitantur.* Et alibi: *Si à torpore mentis euigilauerit ea, quæ leuia exiſtimabat, confeſtim quaſi horrenda atque atrocia pertimeſcet.*

Lib.2. ſent. cap.18.

Cap 20.

At cur dixit ſanctus Bernardus contemptum peccatorum venialium eſſe irremiſſibilem? Nonne ea confitemur? Imò licèt quis moreretur cum centum milibus peccatorum venialium, dum ea ſola haberet, ſaluaretur. Ita ſanè; nihilominus poteſt dicere Bernardus neglectionem culparum venialium irremiſſibilem, quatenus in hac vita non remittetur earum culpa, cùm ita contemnatur, & quantumuis quis ſacramenta ſuſcipiat, nec per ſacramenta, nec per alium modum curet retractare. Quid refert ea confiteri ſi ſine dolore & ſufficienti propoſito ea confitemur; nam certiſſimum eſt quod Harphius dixit, ſi aliquis non habeat propoſitum abſtinendi à peccato veniali, nunquam illius conſequetur remiſſionem, quamuis etiam ſæpiùs confiteatur. Similiter ſanctus Chryſoſtomus incurabilia dixit hæc minora peccata. *Ne dicas*, inquit, *nihil refert, ſi turpe quid dixero, ſi quemquam vituperauero, propter hoc ipſum magnum eſt malum, quod nihil eſſe videtur. Etenim quæ nihil eſſe videntur, facilè contemnuntur; quæ verò contemnuntur, augentur, ac multiplicantur etiam; quæ augentur autem, redduntur etiam incurabilia.*

Sed dices, in altera tamen vita dimittetur. Verè quidem quantum à culpa, at quantum à pœna, quis dixit hoc? Nam hoc ſenſu veriſſimum inuenietur quod ſanctus Bernardus dixit, irremiſſibilem eſſe hunc contemptum, quatenus Deus non remittet vllam pœnam illius, ſed animam negligentem relinquet in Purgatorio, vſquequo patiatur quidquid illa negligentia meretur, quin ipſi proſint indulgentiæ & alia ſuffragia, quæ mirabili & iuſta Dei prouidentia neque fient pro negligentis huiuſmodi hominis peccatis. Quod ſanctus Bernardus videtur ſentire. Et quidem non temere omnino dictum cenſeo; nam ſi Caietanus cenſuit, eos, qui negligunt in hac vita indulgentias, iuſta Dei prouidentia effici, ne ipſis in Purgatorio proſint indulgentiæ; cur non poterit idem accidere ſi illud verum ſit, iis, qui contemnunt peccata venialia, cùm multo deterius ſit, neglectim hæc habere, quàm indulgentias, non minori differentia, quàm culpa differt à pœna. Quid maius eſt negligere pœnam, an contemnere culpam? Igitur ſi is qui indulgentias lucrari non curat, ideo meretur ſine indulgentia puniri, quia pœnam peccatorum non timuit; nonne idem meretur, qui nec culpam erubeſcit? Præterea, quia is, qui culpam contemnit, etiam contemnit pœnam ex eadem culpa. Quare eadem ipſiſſima ratio eſt, negligentis indulgentias, & contemnentis peccata venialia: nam vterque non timet pœnam peccatorum. Et inſuper contemptor culparum venialium, inuerecundior eſt, quia minus formidat pœnam, & culpam non horret; nam neglector indulgentiarum, ſolùm non timet partem pœnarum ex peccatis remiſſis, quæ reſtant in Purgatorio expiandæ. Et propter hoc ſolùm meretur in ſolidum ſatis pati ſine ſuffragiorum adminiculo. Cur non idem merebitur contemptor culparum venialium, ſiquidem nihili ducit, non dico partem pœnarum, ſed integras pœnas peccatorum ſuorum venialium, quæ non curauit in hac vita dimitti, & deinde ipſa peccata, ipſamque culpæ maculam non formidat. Duo hinc ad noſtrum profectum colligere poſſumus, quàm deformis & grauis ſit pœna peccati venialis, ſiquidem Deus ſic punit eius contemptum; deinde quàm deformior ſit eius macula, ſiquidem tanta illi pœna in Purgatorio deputatur, vt de eius contemptu ſic iraſcatur Dominus, & quid fiet, ſi Deus punit contemptores pœnæ illius, in eos qui ipſam culpam contemnunt.

Neque prætereundem eſt, quod alibi idem Bernardus ait de conſuetudine peccandi venialiter, quam ratione contemptus criminalem eſſe dicit, vt propterea ipſi coniungatur impœnitentiæ obſtinatio, ex qua irremiſſibilis alio ſenſu periculoſiori fiat. Verba Sancti ſunt. *Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto enim per contemptum vertuntur in vſum, & conſuetudinem, & tunc non peccati ſpecies, ſed intentio peccantis penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio in minimis quoque mandatis*

De Prae. & diſp.c.14.

Digitized by Google

datis culpam facit non minimam, & conuertit in crimen graue rebellionis nenum ſatis leuem ſimplicis tranſgreſſionis. Hactenus ſanctus Bernardus. qui eamdem ſententiam fulcit ex ſancti Samuelis dicto, quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. *Non ait*, inquit, *non acquieſcere, ſed nolle acquieſcere, vt non iuſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperba contemptio, ſcelus idololatria reputetur.* Cùm enim contemptus peccati conſuetudinem gignat, ſi formalis ſaltem eſt, occidit animam. Nam mortifera eſt illa contemptio venialium. Idcirco cùm propter ſingulorum paruitatem parum doleamus de illis tanquam leuibus, & grauis ſit propter contemptum illum conſuetudo, nunquam remittentur, quia non eſt de grauibus dolor, quod debuit eſſe. Doleamus igitur, lachrymemur, deteſtemur quaſlibet exiguas culpas, & in quamlibet exiguis reculis. Ne noſtrum conſolatorem contriſtemus, maximè tam gratis & pro rebus nihili, audiamus ipſius Spiritus querelas; per Ezechielem ait: *Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Quid impudentius quàm violare, &, vt alij dicunt, profanare bonum illud infinitum pro re viliſſima & leuiſſima, & quod peius eſt, pro malo noſtro. Per Salomonem quoque dicitur. *Iſte & pro buccella panis deſerit veritatem.*

Cap. 13.

Prou. 28.

Videamus tandem quæ potiſſimum peccata Spiritum ſanctum contriſtent, vt ea ſtudioſiùs euitemus, ne optimum acerbemus hoſpitem. Sanctus Chryſoſtomus dicit eſſe verba aſpera, & detractoria. Sanctus Bernardus, ea peccata, quibus alij non ædificantur. Sanctus Bruno, minorem obedientiam erga Superiores, & eos in quibus ſanctus Spiritus loquitur. Sanctus Anſelmus, verba mendacia. Antiochus Monachus, offenſas proximi. Alij, ſermones indecoros & parum honeſtos. Certiſſimè illa peccata valde contriſtant Spiritum ſanctum, quæ cùm illa ſint, quæ ſcienter, & ex propoſito fiunt, quod minimè eſt virorum religioſorum, ſed potiùs Dæmonum. Rectè Hellinandus Monachus, doctus quidem, & deuotus, dixit: *Dæmonibus, non hominibus connumerandi ſunt qui ſcienter eligentes mala, & reſpuentes bona, illo ſe prophetica pallio maledictioni obuoluunt. Væ qui dicunt malum bonum, & è conuerſo.* Porrò hic ſermo de peccatis venialibus rurſus inſtituendus, quia earum culparum conſideratio & timor neceſſarius eſt viris ſpiritualibus.

Apud Vinc. Beluac. l. 29. cap. 5.

* * *

DOCTRINA XI.

QVANTOPERE obſtant peccata venialia vnioni animæ cum Deo.

Peccata venialia Spiritui ſancto valde obſtant, & impediunt intimam vnionem cum Deo.

CAPVT LXVI.

PESSVLVM *oſtij mei aperui dilecto meo.* Ille, qui omnia poteſt, qui bonitatis ſuæ viribus omnia vincere, omnia ſuperare valet, & maximè eſt amans, cùm omnes amor difficultates ſternat, impedimentum nihilominus inuenire poteſt. Quid igitur eſt quod reſiſtere poteſt omnipotenti? Quid tantum eſt quod maximè obſtat? Profectò illud quod nos leue vocamus, & ſæpe dicimus nihil eſſe, negligentiæ ſcilicet paruæ. Nam culpæ veniales ſunt, quæ impediunt Deum amatorem noſtrum, in cordis humani penetralia immergi. Hæc quæ contemnimus, hæc quæ minuta putamus, hæc quæ exigua dicimus, inæſtimabilem Dei charitatem nobis defraudant. Nonne eſt res prorſus mira, quo pacto cùm amor Dei erga nos infinitus ſit, & diuina bonitas diffuſiua, ac quaſi prodiga ſui, quòd liberalitatis tantæ non fontem modò, ſed impetum torrentis reſtinguant, & exſiccent non dico magni peccatores, ſed illæ animæ quæ vocantur ſponſæ quæ iuſtæ ſunt, & filiæ Altiſſimi: quas, licèt in gratia maneant, videmus ſiccas, ſteriles, pauperculas, ſine virtutum diuitiis, ſine deliriis ſui dilecti, vt parum diſtent ab inimicis Dei, iis qui grauibus peccatis irretiti ſunt. Quomodo ergo leue putare poſſumus propter quod amantiſſimus Pater ſimili modo agat cum filiis ſuis, ac penè ſe habet cum hoſtibus? Exiguumne erit id per quod ſponſam ferè æquet cum inimico ſponſus dilectus, non tyrannus crudelis, non aliquis qui natura acerbus eſt, nec agreſtis, nec iracundus; ſed ille, qui benigniſſimus, qui mitis, qui rationabilis in omnibus. Conſideremus iam an iuſtè iudicemus leue, quod tantum ponderis habet? An minimum ſit, quod tantum eſt, vt diuinæ beneficentiæ reſiſtat? Profectò licèt nullū aliud eſſet caput, ex quo peccati venialis vim, & horrendam deformitatem coniiceremus, hoc ſufficit, vt illius deformitatem adſtupeſceremus, maximè quòd putauerimus minimum quid, quod tantùm reuera eſt, & tam noxium nobis. Quare timenda ſunt multis ex cauſis peccata venialia, & quia ingentia mala ſunt, & efficiunt in nobis, & quia minima putantur. Hoc ipſo dupliciter noxia cùm contemnantur ob paruita-

Cant. 5.

X tem,

tem, quam opinamut habete. Vnde ſanctus Chryſoſtomus dixit: *Magna enim vt adnerſe-mur, ipſa peccati natura efficit; parua autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt, & dum contemnuntur, non poteſt ad eorum expulſionem animus generosè inſurgere.*

Hom 87 in Matth.

Quapropter culpæ veniales quantumuis re vera parui momenti eſſent, timenda erant propter ſuam paruitatem. Cùm autem magni ponderis in ſe ſint, ſiquidem Deum infinitum offendant, & magnopere nos lædant, magnaque impediant bona, cùm deoique magna mala ſint, quo pacto formidanda non ſunt, & totis viribus cauenda, ne conſultò illa committamus? nam ſecundùm eumdem Chryſoſtomum, parua mala fiunt magna, quotieſcumque ob paruitatem contemnuntur.

Hom 14. in epiſtola ad Epheſ.

Cùm autem hoc accidat culpis venialibus, & præterea ipſa in ſe non parua mala ſint, dupliciter magna mala ſunt, primò quia reuera ſunt, deinde, quia non putantur ita eſſe, & propterea negliguntur. Quamobrem ne contemnamus illa, oportebit eorum maliriam perſpectam habete, inſuper & damna; quæ omnia nos docebit caput quintum Cantici Canticorum, vbi ſponſa ingrata, atque inurbana cum ſponſo ſuo torpens, iacens, deſes, & in ipſo amore remiſſa, quæ omnia effectus peccati venialis ſunt, didicit tandem malum eius, & vim ſibi inferens per generoſam mortificationem, expiauit ſe culpis omnibus, obſtaculum tollens, quo impediebatur, plenus ſponſi ingreſſus ad eam, donec dixit læta: *Peſſulum oſty mei aperui dilecto meo*; quod appoſitè interpretantur Richardus Victorinus, & Harphius.

Cant. 5.

In Cant. 5.

Replicat ſponſa, inquit Richardus, *quomodo vt dilecto fruatur, minimas negligentias cauerit, qua offenſam ipſius prouocare potuerunt, in locutione ſcilicet inutili, & ſuperflua, vel cogitatione in commodo corporali, vel libertate vaga, qua per peſſulum, id eſt ſeram, intelligi poſſunt. Sera enim cùm parua ſit & anguſta, latitudinem tamen oſty concludit, vt niſi illa reſerata patere non poſſit; ita hæ minima niſi reſcindantur, non dignatur dilectus ita venire ad animam, vt perfectè ad eam intret, & perfecta gratia eam repleat. Parua enim negligentia obſcurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratia.* Hæc ille. Sunt enim in domo cordis noſtri multæ manſiones, porticus, & cubicula; quare licèt Deum per gratiam habeamus in nobis, non ſemper in cubili honoratiori illum hoſpitamur; non in penetrali cordis, non in fundo animæ, non in ara ſua illum collocamus: imò neſcio quæ idolula noſtræ voluntatis ibi repoſita colimus, Deum autem in porticu animæ & quaſi exteriùs relinquimus; neque in eum locum ſinimus introduci, vbi anima ſuam quietem & voluptatem habet, obſtantibus tanquam ſeris quibuſdam prauis affectiunculis rerum mundanarum, & ſæcularibus deſideriis. Quid aliud eſt ſponſum introgredi non potuiſſe illuc, vbi ſponſa quieſcebat, & tam oblita eius recumbebat, vt neceſſe fuerit vociferari, & amatoriis compellationibus illam requirere. nam cùm in gratia quidem eſſet, ideo ſponſa dicitur, & amica, & ſoror, & columba compellatur ab ſponſo, qui nihilominus exteriùs erat, & in ſponſæ cubiculum, & quietem penetrare non poterat. Quid ergo obſtabat? non peccata mortalia; nam per hæc tanquam per mortem vinculum ſponſalitium diſſolueretur. Nec ſponſa diceretur, nec amica, nec ſoror. Igitur veniales culpæ tanquam ſeræ penitiorem introitum occludebant. Anne parua res ſunt quæ ſic obſtant, ne ad fundum cordis ingrediatur eius dominus, ne amplexetur ſponſam ſuam, & ne ſponſa fruatur dilecto? ne guſtet cœleſtis ſponſi delitias? ne in Deo voluptatem capiat? ne in pace in idipſum dormiat, & requieſcat? ſed in voluptate ſua & amore creaturarum, ſine complexu Ieſu. Abſit vt hoc patiamur, ne pigritemur, ſed ſurgamus, & generosè vincamus nos. Diſtillent quantum myrrhæ voluerint, digiti & manus noſtræ; exudent mortificatione, donec peſſulum penetralis noſtri aperiamus Deo; tollentes paruarum negligentiarum obſtaculum, deflentes & deteſtantes illas.

Quàm fœditatem operentur in anima culpæ veniales.

CAPVT LXVII.

ATQVE vt hoc viriliùs faciamus, requiramus cauſam, cur veniales culpæ impedimenta ſponſi ſint, & obſtacula amplioris gratiæ? cur propter illa dulciter amplecti animam detrectet Deus? In primis cauſa eſt ipſa macula & deformitas quarumlibet culparum, etiam paruarum. Nonne ſponſam lepra, aut ſcabie totam horridam & fœdam ſuus excuſaret oſculari dilectus? quid aliud peccata etiam minora in nobis efficiunt, niſi graui lue deformare animam? *Qua*, ſanctus Auguſtinus inquit, *quamuis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiamus, ſicut homicidium, & adulterium, vel cætera huiuſmodi; tamen omnia ſimul congregata velut ſcabies quo plura ſunt, necant, & noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filys hominum, caſtiſſimis amplexibus ſeparent.* Hactenus ſanctiſſimus Doctor, quem ſequutus ſanctus Cæſarius, *horrenda ſcabie replere animam dixit.* Sanctus Gregorius ſimiliter ait, *Et minima ſunt, qua erumpunt in membris per ſcabiem vulnera, ſed cùm multitudo eorum innumerabiliter occupat, ſic vitam corporis, ſicut vnum graue inflictum pectori vulnus necant.* Et alibi. *Nonnulla peccata animam polluunt, quàm crimina extinguunt.* De iis culpis venialibus interpretatur ſanctus Baſilius illud Iſaiæ, *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion*, dicens: *Per ignorantiam admiſſa vtique cùm ſint veluti ſordes quadam, qua anima ſplendorem exterminant, & natiuo eius decori officiunt, egent purgatione.* Rurſus S. Auguſtinus: *Sed dices, peccatum quidem eſt, ſed tamen paruum eſt; nec nos dicimus, quia capitale peccatum eſt, ſed tamen ſi frequentius exerceatur, & ieiuniis atque eleemoſynis non redimatur, nimis immundam animam facit.* Iterum idem Pater. *Tu, qui dicis, quia paruum peccatum eſt, velim ſcire quoties tale peccatum admittis, ſi tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas & ſciſſuras in veſtibus tuis fieri velis? Cùm ergo nec in corpore tuo plagas, nec in veſte tua ſciſſuras, vel maculas fieri acquieſcis, qua conſcientia hoc facere in anima tua non metuis? ac ſi quicumque hoc fecerit, plus amat veſtem & carnem ſuam, quàm animam.* Ecce ſordidam, fœdatam, maculatam, immun

Hom 50. c. 3. ex 50.

Hom 8. ad Pop.

p. 3 paſt. c. 34.

Lib. 25. mor. cap. 9.

In Iſai. 4.

Serm. 244 de temp.

Ibid.

immundam, ſcabioſam, plagatam vndiqite, incomptam, & laceratis indutam veſtibus vocant Sancti animam, quæ peccatis venialibus obnoxia eſt. Quis ſimilem ſponſam amplexaretur, & diu cum illa maneret? quid mirum ſit quod impedimentum eſt inter homines vbi æqualitas eiuſdem conditionis eſt, ne communicentur; ſit etiam inter maieſtatem diuinam, & vtilitatem humanam, ne intimiùs ſponſalitiis amplexibus coniungantur? In coſpectu Aſſueri Regis nulla comparebat virgo, niſi mundiſſima, niſi eleganriſſima, niſi ornatiſſima, niſi integrum annum conſumpſiſſet in exornatione ſua & munditia. Eſth. 2. Pueri quoque qui in conſpectu Nabuchodonoſoris venturi erant, ſeligebantur ſine macula, & decori forma, atque per triennium præparabantur antequam Regi adſtarent; & nos volumus ſordidos, immundos, ſcabioſos, incomptos intima cœleſtis ſponſi præſentia frui: adeò tetra viſa fuit aliquibus Doctoribus macula peccati venialis, vt Ioannes Gerſon, Almainos & Petrus Sotus cenſuerint iuſtiſſimè mereri æternam condemnationem ex natura ſua, niſi miſericordia Dei aliud decreuiſſet; quorum ſenſus licèt verus non ſit, æternè tamen punietur culpa venialis cùm coniuncta eſt mortali. Dan. 1.

Verùm, dicet aliquis, hanc immundiriam & ſcabiem animæ non eſſe ſolùm vnius peccati venialis, ſed omnium ſimul; nam ſingula, aut vnum, vel alterum parum deformabunt animam. Neque ſanctos Patres eam turpitudinem tribuere vni culpæ, ſed earum multitudini. Ita quidem, ſed hac excuſatione vtatur qui poſſit dicere non habere plures, non ſcatere mille defectibus & negligentiis. Præterea deformitatem illam tribuunt Sancti multitudini, non quia ſingula peccata ſeorſim non ſatis maculent & dehoneſtent animæ decus, ſed vt hac ratione commodiùs illam explicent nobis, vt quamuis parum quid quodliber eſſet, propter copiam nihilominus deformes redderemur. Quid autem fiet cùm vnum ſolùm magna fœditas ſit, & ſatis nos dedecoret? nam ſi vna ſola gutta olei regiam purpuram contaminaret, nullo modo illa vteretur Rex; quanto enim pretioſior & mundior veſtis eſt, tanto eam magis quælibet macula turpat: quanto regula rectior eſt, tanto magis quælibet obliquitas notatur. Cùm igitur animæ pretium ſuper omnia corporalia ſit, & ordinatio eius ad creatorem, immediatior, nobilior, conformior, tanto magis diſſonat quælibet eius incuruatio, & defectus. Quòd ſi vnum corporis lineamentum minos aptè diſpoſitum dedecorat faciem, & vna macula coſpurcat veſtem, vnum peccatum in anima licèt parum ſit, plus illam deformabit, quàm omnis materialis fœditas corporis. Quare omnes illæ ſimul corporum deformitates, quas afferunt Sancti, nequeunt explicare quantum vnum peccatum, ſolum etiam veniale fœdat animam.

Quomodo Deus elongatur ab anima per peccata venialia.

Capvt LXVIII.

Cæterum cùm multitudo culparum eſt, ſicut frequentiùs inuenitur, maior eſt immunditia, deformior macula, & horrenda ſcabies, prout ſanctus Cæſarius ait; neque tunc ſolùm dixit Auguſtinus exterminare animæ decorem, ſed necare, non quia ipſa ſint animæ mors, quod ſolum eſt peccatum mortale, ſed quia illam infirmant ad mortem diſponendo ad mortale. Quanto enim multiplicantur venialia, tanto ſe anima paulatim auertit, & elongat à Deo, donec tandem per mortale, ad quod diſponunt minores culpæ, penitus auulſa pereat. Et hæc eſt alia cauſa cur impedimentum ſint peccata venialia noſtri profectus, & dulciſſimi cum ſponſo complexus, quia non ſolùm obſtant, ſed auertunt ſponſum; neque enim minus impedit familiarem conuerſationem diſtantia magna, quàm interpoſitus paries. Hoc peſſimum officium peccatorum venialium cùm in iis moramur, elongandi, atque eo modo auertendi animam à Deo, experta fuit ſponſa eodem loco; nam cùm propinquum paulo antè haberet ſponſum, vt ad fores penetralis ſui pulſaret, atque ſufficeret ad amplexum eius peſſulum oſtij aperire; quia tamen morata fuit in ſua deſidia, & torpore, quærens excuſationes illius, dicens. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa, laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.* Cant. 5. Tunc quoniam multiplicauit culpas, adiiciens negligentiæ pertinaciam aliquam, & excuſationem, & impedimentum; ita elongauit ſe ab ea dilectus, vt non inueniretur: ipſe ſponſus hanc ſuæ abſentiæ cauſam reddidit ſimul ac repertus fuit poſt magnam ſanctæ animæ inquiſitionem, deſideria, & ſuſpiria, ſuaui, & amatoria reprehenſione admonens illam. Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Qui locus etſi multis aliis expoſitionibus celebris ſit, commoda mihi nunc iſta venit, quòd ſint verba per amatoriam admonentis ironiam, & cauſantis occaſionem recenti ſuæ fugæ, & celerrimi receſſus ab ſponſa, cùm torpuit aperire peſſulum oſtij. Quaſi diceret, putas me leuiter paſſurum inurbanitatem illam, cùm tibi attendiſti, cùm te reſpexiſti, cùm quietem ſine me habebas, cùm oculos, hoc eſt, intentionem tuam auertiſti à me, reſpiciens te, & commoditates tuas, propter quas non aperiebas mihi penetrale tuum, minimè hoc patiar; nequaquam hunc diſſimulabo contemptum. nam ſi tu conuertiſti à te oculos, atque intentionem, & auertiſti à me; ego propterea celeriter auolaui & fugi à te. Auerte igitur, auerte oculos tuos à me; ipſi me auolare & elongari à te fecerunt, hæc fuit cauſa meæ fugæ. Num iterum non potero idem facere? Vide quàm tibi fœliciter acciderit, non vnicè & purè oculos in me fixiſſe; repete eamdem negligentiam, auerte oculos tuos à me pari inurbanitate; hoc fuit in cauſa cur ocyùs abirem. Si vis me abſentem habere, fac idem; auerte, auerte oculos à me.

Peccata venialia inducunt immortalia, reſeratis quinque mortis ianuis.

Capvt LXIX.

EX hac amotione, ac elongatione à Deo venit vt multiplicatis venialibus, proruat anima in mortalia. Idcirco multi Patres dixerunt peccatnrum minorum multitudinem, aut contemptum necare animam, & ſubuertete funditus. Clariſſimè ſanctus Auguſtinus
Epiſt. 108. in epiſtola ad Seleucianum, dixit: *Minuta plura peccata ſi negligantur, occidunt.* Quod alibi optimis ſimilitudinibus idem ſanctus Augusti-
Lib de decem corol. c. 11. nus explicuit. *Attendite, fratres mei, minuta ſunt, non ſunt magna; non eſt beſtia quaſi leo, vt vno morſu guttur frangat; ſed beſtia plerumque minuta multa necant; ſi proyeitur quiſquam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur? non ſunt quidem maiores, ſed infirma eſt natura humana, qua etiam minutiſſimis beſtijs interimi poteſt. Sic & modica peccata attendite, quia modica ſunt, & cauete, quia plura ſunt; quàm minutiſſima ſunt grana arena? ſi arena amplius in nani mittatur mergit illam, vt pereat. Quàm minuta ſunt gutta pluuia, nonne flumina implent, & domos deyciunt? ergo iſta nolite contemnere.* Hæc Auguſtinus. Cui ſanctum Gregorium adiungamus, dicentem. *Altos quippe gurgites fluminum parua, ſed innumera replent gutta pluuiarum, & hoc agit ſentina latenter excreſcens, quod patenter procella ſauiens.*

Ex remiſſione & immodeſtiæ oculorum defectu in concupiſcentiam lethalem Dauid incurrit, deinde in adulterium, mox in maximam ingratitudinem, poſtea in grauem dolum, & perfidiam, tandem in homicidium. Leuis Dinæ curioſitas io ſtuprum impegit. Patuula æmulatio filiorum Iacob, erga Ioſephum excreuit in inuidiam, hæc in odium, hoc in voluntatem fratricidij, & in iniuſtam fratri venditionem. Hic proceſſus perditionis eſt à minimis ad magna, à magnis ad maiora, à maioribus ad maxima aſcendit interitus. Optimè Beatus Laurentius Iuſtinianus
Lib. de vita ſolit. c. 4. dixit, *in vna ſiquidem malignitatis catena confœderata ſunt vitia in animarum ruinam, ab immundis ſpiritibus fabricatam, atque contextam.* Ele-
Lib 16. Mor. cap. 2. gantiùs ſanctus Gregorius: *Qui verba ſua metiri neſciunt, proculdubio ad otioſa dicta dilabuntur.* In quibus ſeſe minimè reprehendunt, ſtatim ad noxia, & contumelioſa verba proſiliunt. Vnde Eliphas, qui otioſa intulit, ad contu-
Lib 11. melioſa protinus verba prorupit, dicens: *Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas. Ecce à torpenti corde ad verba venit otioſa; ab otioſis autem verbis per crimen fallacia ad contumelias exarſit. Iſti quippe ſunt curſus culpa creſcentis, vt lingua cùm non reſtringitur, nequaquam vbi eeciderit iaceat, ſed ſemper ad deteriora deſcendat.*

Ecce quo pacto veniale diſponit ad mortale? Diſponit vtique, & non ſolùm vnica via, ſed multis. Plures ianuas aperit animæ morti; nam diſponit ad illam quatenus culpæ veniales viam obſtruunt diuinis auxiliis, & ſanctis inſpirationibus; extinguunt, aut imminuunt feruorem charitatis, debilitant vires ſpirituales animæ, turbant debitum ordinem voluntatis, qua ſe etiam in minimis Deo ſubmittebat; extenuant, aut tollunt virtutum acquiſitarum habitus. Ecce quinque portas mortis reſeraras; deerit ne quis per illas impellat? Non profectò; neque vno tantùm modo, ſed multis. Impellunt, ſiue excitant ad lethale venialia, quatenus generant, aut nutriunt habitum vitioſum, inclinantem voluntatem ad malum graue. Deinde, quia occaſiones mortiferorum peccatorum ſuperant; tum quia augent amorem mundanum & ſæcularia deſideria, quibus à Deo recedimus, & noſtris adhæremus affectibus. Imò, quia habitus mali generari adeò poſſunt peccandi libidinem augere, vt peccans finem ſuum conſtituat in ipſo peccato veniali, quod quidem mortale eſt. Nonne iſti quatuor impulſores valebunt præcipitare animam in profundum barathrum, quæ alioqui ex ſe fragilis, caduca, & in ruinam prona eſt? Reſtant autem alia brachia quæ illam trudere poſſunt. Quis enim non timebit peccatum, quod veniale eſt, ex imperfectione actus, aut ex defectu deliberationis, aut ex leuitate materiæ exceſcere in mortale poſſe, repentini motus poſſunt motari, deinde in opus excludi, & qui in paruo commiſit per continuationem, materiæ molem accruabit, qua in lethale lapſetur. Deinde quæ violentior impulſor quàm conſuetudo, hoc eſt quàm natura quædam? Hoc monſtrum, hoc peſſimum miraculum conſuetudo patrat, vt vitium quod non eſt ſecundùm naturam, ſed potiùs contra ipſam, connaturalizet, vt ſic loquar, & tanquam naturale efficiat. Rectè ſanctus Bernardus dixit: *Vitia leuiſſima remiſſiores licentia opportunitatem tranſeunt, in conſperſionem & quaſi naturalia efficiuntur; ſed nullum vitium naturale eſt, virtus verò hominis naturalis eſt. Conſuetudo tamen vel voluptatis corrupta, vel inolita negligentia plurima ſape vitia quaſi naturalia in neglecta conſcientia efficere ſolet. Conſuetudo quippe, ſicut Philoſophi dicere ſolent, eſt ſecunda natura.* Lib. de vita ſolit.

Quàm timenda ſint peccata venialia, quoniam ipſa poſſunt tranſire in mortalia.

Capvt LXX.

ADEONE hæc diſpoſitio ad mortale parum eſt formidanda? Adeóne parum hoc periculum? Quid ſi addamus, poſſe accidere vt ipſo peccato mortali periculoſior quodammodo fiat venialium conſuetudo. nam venialia minus cauentur, propter ſingulorum paruitatem, & magis poſſunt obeſſe propter omnium multitudinem, quatenus geniti ex eis habitus mali non ad vnum, ſed ad multa mortalia ſtimulare poſſunt. Peccatum autem mortale plus cauetur, neque ipſum ſolum habitum gignit, ad quem frequentia requiritur. Extimeſcendum quoque eſt quod plures Patrum dicunt, multa veniala tantumdem efficere ac mortiferum. nam præter id quod diſponât ad lethale, alio cõmodo ſenſu poteſt intelligi. Quoniam aliquãdo euenit ſic affici animam propter plura venialia

quoad

Digitized by Google

quoad obliuionē Dei, & cordis deſideria, ac ſi in mortale impegiſſet, oon diſſimili modo mundum in pretio habens, io obliuione & deſpectu cœleſtia, orationis ſtudium, mortificationis laborem, virtutum exercitium prorſus contemnens, vt ſic maneat ſola, ac ſi Deum penitus perdidiſſet. Quod oobis etiam ſignificat ſponſa cùm propter negligentiam non aperiendi oſtium animæ dilecto, & alia peccata venialia, relicta fuit ſola ſioe ſpooſo, quem tanquam amiſſum quæritabat. Anne exiguum eſt negligere venialia, vnde tot damna, tot pericula imminent. Addo multos Doctores graue putare ſi quis venialia ita parui pendeat, vt nullum vitare proponat. Expreſsè Pater Thomas Sanchez cenſet, propoſitum committendi omnia venialia, & ſola mortalia vitandi, quamuis cootemptus deſit formalis, eſſe mortale peccatum, præſertim in materia periculoſa; quia propoſiti huius obiectum cootinet in ſe apertiſſimum peccandi mortaliter periculum, & aduerſatur præcepto ſeruandæ charitatis. Idcirco ſanctus Thomas, ait. *Debet tamen habere propoſitum ſe præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cùm dereſeret appetitum proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus, quæ ſunt peccata venialia.* Sed magis adhuc nos perterrefaciet ſententia Dionyſij Carthuſiani, quam omittere oolo, vt diligentiùs caueamus, quaſlibet culpas, quanto perículoſiores agooſcemus. Secundùm Auguſtinum, ait, *Qui ad vitandum peccata venialia non extat ſolicitus, nequaquam diu eſſe ſine peccatis mortalibus poteſt; nam & diuina ait Scriptura: Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua, id eſt, mens, ſeu conſcientia tua per peccatum mortale repentè deijcitur. Quamuis autem multa contineantur in regulis & ſtatutis Religioſorum, ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti, ita quòd ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo eorum fuerunt negligentes, vt eſt obſeruatio ſilentij, non ſurgere alacriter ad matutinas, otioſitates non vitare, inutiliter hinc inde diſcurrere, atque ſimilia; verùm tamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, non poteſt à mortali excuſari peccato. Propterea, Religioſi deformati, in quibus parua, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſeruantia, qui carnaliter viuunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, ocioſitati & loquacitati vacantes, innumerabilia prorſus incidunt vitia, non venialia ſolùm, ſed & mortalia quoque; imò tota vita eorum eſt, quaſi quoddam peccare continuum; præſertim, quia & hæc ipſa bona, quæ agere videntur tam negligenter, irreuerenter, & tepidè, tam inordinatè, atque indebitè agunt, vt magis ſit offenſiuum Dei, quàm honoratiuum, ac renunciatiuum ipſius, tales enim qui in facibus ſuis iugiter manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui ſe in nullo emendant? imò de multis, quæ mortalia ſunt, nullam ſibi conſcientiam facere comprobantur.* Hæc ille.

Lib. de Præc. c. 5. n. 4.

3. p. q. 87. art. 1 ad 2.

De Reform. clauſt. art. 6.

Eccl. 27.

Verùm oe ſolùm formidemus conſuetudinem & numerum paruarum culparum. Aliqua ſeorſim venialia tam noxia ſunt, tam vicina exitio, vt in mortalia tandem intumeant. Ægidius Romanus eſum ligni vetiti primorum parentum venialem culpam eſſe dicit; mortiferam tamen illis fuiſſe, quòd ſic placuerit eis veniale obiectum, vt finem vltimum in eo ſtatuerint. Quid aliud eſt quod ſanctus Auguſtinus, teſte Gratiano, dixit: Nullum peccatum eſt adeò veniale quod non fiat criminale dum placet. Et Gloſſa ex eodem Auguſtino affert: *Nullum peccatum veniale eſt dum placet, quantumque paruum.* Et Chriſtus dixit ſanctæ Brigittæ: *Scias quòd ſicut omnia peccata mortalia grauiſſima ſunt, ita etiam peccatum veniale ſi homo delectatur, in eo cum voluntate perſeuerandi efficitur mortale.* Adeò noxia eſt intenſa affectio rei oimiæ, quæ abſque dubio lethalis eſt, cùm ſic amatur vt pro ea conſequenda, non prætermitteretur fieri quod cootra Deum eſt, quod nonounquam accidit, aut cùm contemnitur propterea ſuperior, qui enim cum contemptu ſaltem formali peccat etiam in re parua, mortiferum committit. Ideo ſanctus Bernardus ait, *Deus prohibet omne peccatum, & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cùm per contemptum vertuntur in vſum, & conſuetudinem, & tunc non peccati ſpecies, ſed peccati intentio penſatur.* Et iterum dicit, *Iuſſa verò ſine culpa non negliguntur, ſine crimine non contemnuntur; vbique enim & culpabilis neglectus, & damnabilis contemptus eſt, differunt tamen quòd neglectus quidam languor inertiæ eſt; contemptus verò ſuperbiæ tumor.* Hæc Bernardus.

Æg. 2. d. 24. p. 2. c. 3. art. 4. ad 2.

Diſt. 25 c. 3.

Lib. 7. c. 27.

Lib. de Præ. & diſp. c. 14.

Cap. 12.

Deinde circumſtaotia perſonæ quod veniale eſt effert in mortale, quale eſt verbum turpe à perſona valde ſpirituali, publicè effuſum. Idem putat Gerſon de violato ſilentio à ſeniore Religioſo, vnde probabiliter Ordinis rigor poſſet langueſcere. Quin & ratione periculi & occaſionis labendi in mortalia poſſunt peccata venialia, aut multa, aut vnum, euadere mortifera. De his omnibus poteſt videri Pater Thomas Sanchez. Rigidius namque eſt qood Adrianus *Quodlibeto ſeptimo*, & Petrus Sotus *lectione decimaquarta de Pœnitentia*, dicunt, eum qui maximo conatu & intenſiooe fertur in obiectum veniale, peccare mortaliter; quod licèt probabile mihi non ſit cùm falſò innitatur cæmento, ſcilicet quòd etiam inteoſio charitatis cadat ſub præcepto, nihilominus formidandum eſt; ſiquidem ad minus valde noxium erit, & idonea diſpoſitio interitus. Nonne hæc ſufficiunt, vt tota mente & corde quamlibet culpam oderimus, & vitemus; nam ſi ea, quæ timeri atque vetari debeot, ſunt pericula & damna, quod maius periculum, quàm culpa venialis, cùm ſit periculum culpæ mortalis, deinde quod maius damnum præter crimen ipſum mortiferum, quàm illa, quæ maior eſt omnibus damnis temporalibus, imò æternis; oeque enim in hac ratione malitiæ comparari poſſunt per ſe infinitudo & æternitas cruciatuum cum minima, momentanea, & leui offenſa Dei; oam hæc ſine vlla proportione maior eſt. Quapropter veriſſimè dixit Gerſon: *Potius toleranda eſſet omnis mors pœnalis, & annihilatio, quàm committenda eſſet quantumlibet parua offenſa in Deum.*

Tom 3. l. de vita ſpir. lect. 6. §. cæterùm.

Lib. 1. de Præc. cap 5. & ſeqq.

De vita ſpir. lect. 1.

Noxij alij effectus peccatorum venialium.

Capvt LXXI.

CÆterum alios peccati venialis noxios effectus non debemus prætermittere, quos nobis ſatis ſignificauit ſponſa, quam torpentem, & ſegnem propter leues culpas proponit Salomon in capite quinto ſui Cantici ſponſalitij. *In primis* inobedientia diuinis inſpirationibus exitialis fructus eſt culparum paruarum. Ecce vocat ſponſus ſponſam, dicens: *Aperi mihi ſoror mea, amica me, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quem non commoueret tam mitis, & dulcis compellatio? Ipſa nihilominus reſiſtebat tam ſanctæ vocationi, nec ſurrexit ſtatim, non accurrit, non aduolauit, ſed tepida & ſocors iacebat in lecto. Hoc proprium peccatorum venialium, ſurdos nos reddere ſanctis inſpirationibus. *Alterum* malum culpæ venialis eſt ingratitudo erga Deum; idcirco ſponſa præuenta à ſponſo, qui ea, quæ pro ipſo paſſus erat, rememorabat, dicens: *Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Nihilominus ingrata pigritabat; & cùm audiſſet incommoditatem dilecti ex inclementia noctis, è placido, & molli ſuo lecto nolebat ſurgere, vt recrearet illum ſuo hoſpitio. Hoc idem in nobis efficiunt peccata venialia, ingratos nos reddunt diuinis beneficiis. Neque commouet nos paſſio Chriſti, qui pro nobis factus eſt obediens vſque ad mortem, & mortem mortaliſſimam crucis. Nos autem ipſam crucem fugientes quam totis viribus amplecti debemus, commoditates noſtras quærimus, nec gratificari Chriſti cupimus, quanta pro nobis tulit, & fecit. *Tertius* effectus peccatorum venialium eſt quòd deſiſtere nos faciant, aut deuiare à perfectionis via, quæ eſt imitatio Iesv. Quàm procul erat ſponſa à ſimilitudine dilecti. Dilectus erat ſub dio, illa ſub tecto. Dilectus ſtabat, illa iacebat. Dilectus vigilabat, illa dormiebat. Dilectus cum tunica erat, illa nudata. Dilectus caput, & cincinnos habebat madidos, & lotos guttis noctium, illa prorſus contrarium faciens pedes abluit; & denique dilectus erat patiens, illa delitians. *Quartus* effectus eſt obſcuratio mentis, vt indigna anima cæleſtibus illuſtrationibus cæleſtia non idoneè perſpiciat, & contempletur. Idcirco nox erat cùm ingrata ſponſa reliquit ſponſum ſub dio; ex hac obſcuritate mentis prætexuit leuiſſimas excuſationes, ne aperiret ſponſo, non cognoſcens ſufficientes non eſſe. *Quintus* effectus eſt æſtimatio rerum mundanarum, & præferre commoditates terrenas gaudiis & delitiis cæleſtibus. Ideo ſponſa commoditatem illam lotionis pedum prætulit amplexibus, & ſuaui colloquio ſponſi. *Sextus* effectus eſt tepor ſpiritus, & languor charitatis. Nonne ſponſa iacebat, & torpebat in lecto, & immiſericors erga dilectum fuit, atque in tantam accediam incurrit, vt niſi valido, & ſpeciali Dei auxilio non deponeret illam. Quapropter ſponſus miſit manum per foramen, vt eam excitaret, & ferret opem; ſic enim peccata obſtruunt vias vias Deo, vt nec ianuam, nec feneſtram, ipſi liberas relinquamus; & niſi immenſa ſua bonitas ſcrutaretur, qua parte nos iuuare poſſet, & quæreret ſciſſuras, & foramina, per quæ ſuam nobis manum porrigeret, in noſtra miſeria iaceremus. Sponſus fuit, qui effudit per foramen myrrhæ fragrantiam, qua imbutæ manus ſponſæ potuit aperire peſſulum, & vitare culpas vincendo ſe viriliter per omnimodam mortificationem. *Septimus* eſt anxietas & inquietudo ſpiritus, atque ſcrupuli. Inde dicitur ventrem ſponſæ intremuiſſe, ſiue turbatum eſſe. *Octauus* eſt impedire bona opera, & exercitium virtutum, propterea ſponſa omittebat exercere miſericordiam cum ſponſo, hoſpitando illum, tunc autem cùm reſeruit, manus ſuas adhibuit peſſulo, ſicut ſanctus Gregorius legit: *Adhibitis manibus clauſtro, aperui quidem fratri meo.* quod ſic interpretatur: *Poſteaquam per mortem vitiorum ſurrexi, poſteaquam myrrha repleta ſum, adhibui manus, id eſt, opera clauſtro fidei, vt per hæc duo opera atque fidem aperirem oſtium regni, ſperans faciem deſiderati, ſic mihi manifeſtandam, vt eam agnoſcere poſſem.* *Nonus* eſt difficultas bene operandi, etiam cùm id volumus atque reparandi feruoris, vt maiorem violentiam opus ſit nobis poſtea inferre. Sicut dixit ſponſa cùm iam pœnituit illam ſuæ ingratitudinis, *Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Per myrrham probatiſſimam intelligit maiorem mortificationem, & violentiam, quàm ſibi facere neceſſe fuit, poſtquam per peccata venialia virtuoſos habitus attenuauit, rebellionem naturæ fouit, & in tepiditatem, & negligentiam diuini obſequij incurrit. *Decimus* eſt, quòd exſiccantibus peccatis venialibus fontem diuinorum donorum, retrahatur Deus ab anima. Quamobrem dicitur de ſponſo, *at ille declinauerat, & tranſierat, & ſponſa lamentabatur: quæſiui, & non inueni illum; vocaui & non reſpondit mihi.* Nam eo modo, quo nos agimus cum Deo, Deus agit nobiſcum. Non exaudiuit ſponſa vocantem ſponſum, poſtea illum ipſa vocauit, ſed non reſpondit, qui priùs vocauerat. Non admiſit ſponſa quærentem ſponſum, poſtea ipſa non inuenit eum ipſum, à quo paulo antè quærebatur.

Igitur, qui imitati ſunt ſponſam, in tepore charitatis, & negligentia peccatorum venialium, imitentur quoque illam in eorumdem pœnitentia, & remedio. Quónam pacto abſtulit illa peſſulum, & aperuit dilecto? ſcilicet diſtillando per manus, & digitos myrrham: hoc eſt, per perfectam mortificationem & pœnitentiam. Præclarè S. Gregorius Niſſenus dixit: *Necando membra terrena, & carnis cortinam auferendo, oſtium Deo aperiendo. Surrexit ſponſa, & dixit. Cur? quia manus, id eſt, motus animi actionum effectores ſtillauerunt, non ſunt facta ſtillare; vltro ex ſeſe prompſerunt voluntariam corporearum extinctionem affectionem, ſic ſurrexit ex eo quòd membrorum mortificationem ſponte inſtitui: non ab alio mihi myrrha in manus data, ſed defluente illa ex animo, atque in omnibus prorſus animi motibus qui digiti vocantur, hæc animi affectio conſpiciatur, non vnum, vel alterum digitum, ſed omnes digitos compreſſi; quia vt inueniatur Dominus, omnes animi motus indiſtincti comprimendi ſunt.* Sic fecerat ſeruus Dei Pater Hieronymus ſancti Iacobi,

Iacobi, qui incredibili odio, vt par erat, peccata etiam venialia deteſtabatur, vt iam iam exhalaturum animam non atterrerent tormenta æterna, ſed culpæ temporales. Idemtidem moribundus dictitabat: Malo adire infernum, quàm admittere culpam veoialem; æternitas intolerabilium ſuppliciorum non præponderabit momentaneæ, ac leuiſſimæ animi maculæ. Hic amator Chriſti licèt grauiſſimis morbis, & acutiſſimis doloribus afflictaretur, vt omnes compaterentur de illo, ſolus ipſe ſibi impius, nedum ſatur pœnarum, nouas ſibi quærebat, nunquam intermittens maccrationes ſolitas, cilicia, flagra, ieiunia rigidiſſima panis & aquæ taotùm, & quaſcunque poterat mortificationes, vt omnibus pœnis occupatus nullam admitteret culpam, myrrham vndique mortificationis, & abnegationis ſui ſtillans.

Deinde per confeſſionem humilem prauatum actionum, etiam minimæ culpæ abluendæ ſunt, prout Aponius interpretatur. *Manus*, ait, *id eſt*, *opera animæ ſtillauerunt myrrham per amaros gemitus compunctionis & mortificationis peccati, de qua digiti confeſſionis culpa procedunt, qui pleni ſunt probatiſſima myrrha lachrymarum.* Appoſitè
In 1. 2. q. 88. art. 3. in fine. quoque Caietanus dixit: *Quantum à venialium conſuetudine cauendum ſit cum tot modis, & illis periculoſis diſponat ad mortale? propter quod frequentibus contritionibus non ſuperficie tenus ſingula ſecundùm ſuas ſpecies diſtinguenda ſunt, ne habituatis nobis in illis occurrentes tentationes, animos diſpoſitos propinquè ad mortale inueniant.* Tremenda quoque eſt ſancti Gregorij ſenten-
Part. 3. poſt. cap. 34. tia. *Qui peccata minima flere, ac deuitare negligit, à ſtatu iuſtitiæ non quidem repentè, ſed partibus totus cadit.* Vt igitur fleamus hæc minora peccata, & omni conatu illa deteſtemur, eorum grauitatem pœnæ ſuæ grauitate nunc metiamur.

DOCTRINA XII.

DE POENIS PECCATORUM venialium.

Malitia peccati venialis ex pœna ſuæ grauitate colligenda eſt.

CAPVT LXXII.

1. Cor. 3. APOSTOLVS ait: *Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificat; fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit probabit ignis, ſi cuius opus manſerit quod ſuperædificabit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Multa ſunt, quæ non æſtimantur quantitate, & mole, ſed qualitate & virtute. nam in exiguis rebus magnæ vires includuntur: virtus autem rerum non conſtat niſi ab effectu, ex quo reputamus cauſam. Sunt præterea aliqua, quorum natura prout in ſe eſt, ſic captum noſtrū excedit, vt niſi ex accidentibus, & efficacia philoſophari de ea competenter nequeamus. Viperam, quod paruulum animal eſt, quis timeret niſi propter ingens virus. Piſciculum Torpedinem quis admiraretur niſi propter ſtupendum effectum. Magnetis naturam quis cognoſceret niſi ex mirifica ſua efficacia, qua rapit ferrum. Ex hoc genere eſt peccatum, cuius naturam, qualis & quanta in ſe ſit, cùm ſit contra Deum infinitum, noſſe non valemus. Quis enim horrendam illam deformitatem, quis monſtroſam illam tortuoſitatem rationis, quis deteſtabilem illam turpitudinem, etiam culpæ venialis ſatis habuit perſpectam? Hinc eſt, quod minus commouet nos cùm eius eſſentiam & intrinſecam maculam conſideramus: cùm autem eius effectus perpendimus, eius damna, eius ſupplicia magis tunc vt plurimum atterremur. Cauſa eſt, quoniam plus commouent nos quæ ad ſenſum patent, quàm quæ per intellectum ſuſpicamur. Deformitas enim peccati non eſt ſenſibilis, nec corporalis, ideo non ſatis illam perſpicimus, nec ſic magnam putamus, cùm tamen hoc ipſo maior multo ſit quod excedat ſenſum, & ſit rei ſpiritualis: effectus autem illius & pœna, magis accommodantur ſenſui, idcirco potentius nos perterrere faciunt. Inde ſanctus Ignatius, Pater noſter, vt odium peccatorum perſuaderet, vſus eſt his conſiderationibus, quæ effectus & ſupplicia eorum oſtendunt. Idem quoque mihi videtur faciendum vt culpam veoialem deteſtemur. Nec enim dubium eſt, ſi ipſam prout in ſe eſt, perſpectam haberemus, quin ſtupidi & attoniti ſubſiſteremus, quòd immanem illius deformitatem contemptim habuerimus. Verùm, quia profunda eius cognitio eo modo quo eſt, non eſt data nobis, ex eius effectibus & ſuppliciis dignoſcenda eſt, quemadmodum ſanctus Paulus ex purgatorij pœnis, quas meretur, illam demonſtrauit. De culpis venialibus loquitur cùm dixit, *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quaſi diceret non putetis contemnendum quid culpam venialem eſſe, quòd non omittamus per illam ſaluationem æternam; etenim quamuis ſaluemur, non vtcumque ſaluabimur, ſed detrimentum non leue interim patiendo, ſic tamen quaſi per ignem. *Ignis* in Scriptura pœna denotatur, priùs ſiquidem patiemur pœnas noſtrorum peccatorum aut in hac vita, aut in altera, quoniam niſi in præſenti ſæculo puniamur, poſt mortem, purgatorij patiemur flammas deuaſtaturas lignum, fœnum, & ſtipulam culparum noſtrarum, quæ ſunt alimenta ignis purgatorij: propterea non eſt dicendum paruum, quod magna pœna neceſſe eſt expiari, aut in iſta lachrymarum valle, aut in futura vita. Videat ergo vnuſquiſque quomodo ſuperædificat ſupra fundamentum ſpiritualis vitæ, quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus, an ſuper hoc fundamentum ſuperædificet aurum charitatis, an argentum puritatis, an gemmas pretioſas virtutum,

tutum, vel viliora & contemptibilia, an lignum amoris proprij, qui apta materia ignis eſt, an fœnum cupiditatum terrenarum, an ſtipulam imperfectorum operum? Nam vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit, & probabit illud pœna & ignis, qui omnes noſtræ animæ ſordes & imperfectiones expurgabit. Nam præterquam quòd abſonum & irrationale ſit ſupra pretioſiſſimum & ſolidiſſimum fundamentum, quale eſt Chriſtus IESVS, ſuperædificare Spiritui ſancto, qui habitat in nobis templum ligneum, aut ex fœno & ſtipulis, quod quidem valde pudendum & inſanum & quaſi ſacrilegum eſt. Deuaſtanda eſt tota illa ſtructura, & conſumenda flammis purgatorij ligna, fœnum, ſtipulæ, in quibus peccata venialia iuſtorum intelliguntur. Ideo Beda dixit,

In Pſal. 37. *Corripiuntur in ira Dei, qui Chriſtum fundamentum habent, ſed non tantùm aurum, argentum, lapides pretioſos ſuperadificant; ſed etiam immiſcent ligna, fœnum, ſtipulas, id eſt, committunt quadam venialia peccata grauiora & leuiora, & ideo neceſſe eſt vt ij tales in ira Dei corripiantur, id eſt, in purgatorio igne, nunc interim ante diem iudicij ponantur, vt qua in eis immunda ſunt, per illum exurantur, & ſic tandem idonei eſſe cum ijs, qui in dextera coronandi ſunt, inueniantur.* Sanctus Gregorius etiam interpretatur ad inſtitutum

Lib 4 Dial. cap. 39. noſtrum verba ſancti Pauli, dicens: *Quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito poſſit intelligi, tamen ſiquis hoc de igne futura purgationis accipiat, pẽſandum ſollicitè eſt: quia illum per ignem dixit poſſe ſaluari, non qui ſuper hoc fundamentum ferrum, as, vel plumbum adificat, id eſt, peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam inſolubilia; ſed lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, peccata minuta, atque leuiſſima, qua ignis facile conſumat. Hoc tamen ſciendum eſt, quia illic ſaltem de minimis nihil quiſque purgationis obtinebit, niſi bonis hoc actibus, in hac adhuc vita poſitus, vt illic obtineat, promereatur.*

Pœna mortis inflicta à Deo propter peccatum veniale.

CAPVT LXXIII.

IGITVR imitantes Diuum Paulum ex effectibus & pœnis peccati venialis, eiuſdem malitiam veſtigemus, atque vt ſuis numeris abſolutam hanc materiam pertractemus, numerum pœnarum diſtinguamus. Aliquæ infliguntur in hac vita, aliæ in altera. Deinde nonnullæ ſunt pœnæ ſenſus, quædam autem pœna damni. Quæ tum in hac, tum in altera vita inueniuntur; de quibus omnibus aliqua dicemus, & primùm de pœnis huius vitæ. Quodnam maius ſupplicium in præſenti ſæculo, quàm capitale habetur? Hoc inuenimus inflictum à Deo pro veniali culpa. Et quidem millies quiſque eligere mortem debet, quàm ſemel veniale admittere peccatum. *Crede mihi,* (dixit Dominus

Cap. 23. de rupibus. B. Henrico Suſoni) *ſiquis exploratum haberet quanta luenda ſit pœna ob minimam, qua inuito Deo ſumitur, natura oblectationem; priuſquam vel venialem perpetraret culpam, potius quotidie caput ſibi amputari, ac nouam inferri mortem ſineret.* Anne parum dicetur quod æquiſſimus & manſuetiſſimus iudex non tantum dignum morte iudicauit, ſed re ipſa propter illud affecit multos amicos ſuos. Nonne Moyſes, & Aaron ob peccatum veniale hoc contigit, qui propter leuem culpam, ante ingreſſum terræ promiſſæ mortui ſunt; illa enim hæſitatio in percuſſione petræ, quam habuerunt, venialis culpa fuit, iuxta ſanctum Baſilium, ſanctum Auguſtinum, Anaſtaſium Nicænum, Abulenſem, Bonfrerium, & *Aug. q. 33. in num. 20. Anaſt. Nic. q. 35. in ſcrip.* alios multos. Sic tamen iratus fuit Dominus, vt ſeuera illa pœna ſeruos ſuos puniret, quod ſatis miratur Baſilius, dicens: *Cùm videro Moyſem illum Dei ſeruum, illum, inquam, magnum, qui* *Apud Anaſt. Nic. q. 35.* *tali ac tanto à Deo dignatus eſt honore, & ab eo ſæpe hoc accepit teſtimonium vt audierit: Noui te prater omnes, & inueniſti gratiam coram me: illum cùm videro, ad aquam contradictionis nullam aliam ob cauſam, quàm quòd ſolùm dixerit populo murmuranti propter aqua penuriam. Num in hac petra educam aquam? Propter hoc ſolum intentas ſibi accepiſſe minas, non intraturum in terram promiſſionis, qua erat ſumma factarum Iudais promiſſionum. Cùm ergo videro eum rogantem, & non impetrantem, cùm videro nullam propter tot rectè & praclarè geſta veniam aſſecutum ob illud breue verbum, reuera video quidem Dei, vt dixit Apoſtolus, ſeueritatem. Reuera autem illud verum* *Rom. 11.* *eſſe credo: Si Iuſtus vix ſeruatur, impius & peccator vbi apparebit?* *1. Petr. 4.* Hinc conſiderandum eſt maiorem videri hanc pœnam pœna mortis; nam vltra ſimplicem mortem priuatus fuit ſanctiſſimus vir ingreſſu in terram illam promiſſam manantem lac, & mel, deiectus ſuis deſideriis, fruſtratus fructu & fine ſui moleſtiſſimi & longiſſimi itineris, & curæ in illo totius populi. De hoc peccato ſanctus Auguſtinus ait: *Cùm ambobus* *Quaſt 33. in Num.* *fratribus Moyſi & Aaron dicitur vt apponantur ad populum ſuum, patet non eſſe illa in ira Dei, qua ſeparat à pace ſocietatis aterna. Vnde manifeſtatur non ſolum officia, ſed etiam mortes eorum ſigna fuiſſe futurorum, non ſupplicia indignationis Dei.* Vbi planè ſignificat Auguſtinus hoc Moyſis peccatum leue & veniale fuiſſe, idque omnino eſſe vero ſimillimum affirmat noſter Cornelius.

Poſt Moyſem & Aaron ſanctus ille vir Dei, qui Ieroboam Regi prophetauit domus ſuæ interitum, *3. Reg. 13.* quia poſtea præ ſinceritate mentis facile credidit alteri Prophetæ falſa dicenti, à leone occiſus fuit. Cùm in illa credulitate ſolùm venialiter peccaſſe, Caſſianus, Caietanus, Cornelius, & Sanctius putent, imò & Abulenſis; & ſatis id declarat reuerentia quam exhibuit fera illa prophetico cadaueri, quod non ſolùm intactum reliquit, ſed reuerenter cuſtodiuit, cuius etiam ſepulchrum claruit poſtea admirandis ſignis, quæ fecerunt vt multis pòſt ſæculis Ioſias Rex *4. Reg 23.* cùm omnia ſepulchra quæ in Bethel erant, diſcere vellet, & eorum oſſa comburere, huius tamen Prophetæ ſepulturæ pepercit. Sanctus Gregorius addidit. Nihil præterea ex culpa purgandum reliquiſſe vir Dei (inquit) contra Samariam miſſus, qui per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere occidit; ſed ſtatim illic ſcriptum eſt, *quia ſtetit leo iuxta aſinum, &* *Lib 4. Dial. cap 4.* *non comedit leo de cadauere.* Ex qua re oſtenditur quòd peccatum inobedientiæ in ipſa fuerit morte laxatum; quia idem leo quem viuentem

præſum

præſumpſit occidere, contingere non præſumſumpſit occiſum; qui enim occidendi auſum habuit, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, puoita inobedientia erat iam iuſtus ex morte. Leo ergo qui priùs peccatotis vitam necauerat, cuſtodit poſtmodum cadauer iuſti. Alium quo-

3 Reg 20. que inuenimus io Scriptura à leone percuſſum & laceratum ob culpam ſimiliter leuem; quia præ manſuetudine oon eſt auſus obaudire viro cuidam de filiis Propherarum, quem puto Prophetam Michæam filium Iemla fuiſſe, qui iuſſit vt ipſum percuteret ea plaga, quæ eliceret ſanguinem, vt eo modo deformatus, & ſaoguinolentus appareret Regi Achab, & non ſolùm verbis, ſed etiam ſpecie miſeranda cædem illi denuntiaret. In Patrum vitis narratur alius ſanctus Anachoteta in Neapolitano deſerto à fera deuoratus oropter veniale peccatum; qood Angelus ſignificauit cuidam deooto homini. His poſſem adiungere feruidum Patrem Chriſtophorum Ortix noſtræ Societatis Apoſtolicum planè virum, qui amore humilitatis paululum exactæ obedientiæ detraxit, recuſaos admittere præfecturam ſibi iniuoctam, & nonnihil contra obedientiæ perfectionem extorquens à ſuperioribus maioribus, ne ſuperior cuiuſdam reſideotiæ deſignaretur; creditum tamen propterea fulmine ſubitò interfectum, dum inter alios duos, è noſtris iter ageret; manifeſtauit tamen Dominus gloriam ſerui ſui, & ſæpiſſimè poſt mortem apparuit Indis, exhortans eos & confirmans in fide Chriſti. Idem munus Apoſtolicum mortuus exequutus, quod viuens præſtiterat. Sanctus Ioſias non peccatum graue, ſed leue commiſit cùm reſtitit Nechao Regi; obinde tamen miſerè occiſus eſt ab boſtibus. Iudas Machabæus, quia reſpexit honorem humanum, ſiue quia minus de Deo confidit, trucidatus eſt. Fratres quoque ſui intercepti fuerunt ab boſtibus ob veniales defectus; quia exterarum gentium exquirebant amicitiam, ſine graui tamen culpa. Bethſamitas quoniam inſpexerunt arcam Dei ne Philiſthini ſurripuiſſent aliquid ex ea, in quo non videbatur illos graue ſcelus commiſiſſe, percuſſit Dominus ſeptuaginta viros de Principibus, & quinquaginta millia plebis. Neque grauem culpam commiſerant vndecim Tribus Iſraël cùm aduerſùs Beniaminitas iuſſu Dei & pro honore diuino ſunt in prælium profecti; ob gloriolam tamen quamdam & exiguam humilitatem, ſic puniuit illos Deus vt bis cæſi & dirempti fuerint cum multorum millium clade. Vxor quoque Lotb ob peccatum veniale inaudito illo ac tremendo ſupplicio quod ad vſque noſtra ſæcula perſtitit, punita dicitur à multis. Oza quoque ab aliis creditur venialiter taotùm peccaſſe, & ſubita propterea morte plexus. Quibus duobus exemplis

In Gal 1. & ſerm de len. pec. per. meritò vſus eſt Chryſoſtomus, vt oſtenderet periculum leuium peccatorum. Similiter Ananiam & Zaphiram propter leue peccatum mortuos repentè corruiſſe, ſaluos tamen eſſe aiunt.

Aug con. Parm. l. 3. c. 1. Hieron ad Demetr. P. Damian. de contemp. ſæculi c. 3. Sanctus Auguſtinus, ſanctus Hieronymus, ſanctus Petrus Damianus, Dionyſius Carthuſianus, Salmeron & alij; quod placitum licèt non affirmem, idcirco memoro vt authorum id non reprobantium authoritate vtar, quatenus iis non diſſonet peccatum veniale pœna mortis puniri. Sufficiebant hi, quos pro leuibus culpis damnatos morte corporis legimus, nec opus eſt addere Abelem iuſtum, cuius mors oon fuit meritum alicuius peccati grauis, & ſolùm potuit eſſe leuium pœna culparum. Nam, quemadmodum ſanctus Auguſtinus ait, *Quamuis meritò iuſtus appellatus eſt, paulo immoderatiùs aliquando riſu, vel animi irriſione iocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel aliquanto immoderatiùs poma decerpſit; vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cùm oraret, cogitauit aliquid vnde eius in aliud auocaretur intentio.* Lib. de nat. & grat. c. 38. Ille etiam prætermittendus non eſt, quem damnauit Dominus morte, lapidibus obrui iubens, quòd ligna colligeret in Sabbatho, Num. 15. quod peccatum exiguum iudicat ſanctus Iſidorus Peluſiota, dicens: *Etſi ob exiguum peccatum, ſaxis tamen eum obrui iuſſit, qui die Sabbathi ligna collegerat.* Lib. 1 epiſtola 181. Idem ſupplicium memorat Chryſoſtomus contra eos, qui leuitatem in peccatis prætendunt, & non ceſſant peccare. In Galat 1. v. & volunt ſubuertere. Et quis non timebit cùm audierit quod ſanctus Ephrem dixit de Cham maledicto à patre ſuo Noë. Neque enim, inquit, ob aliud facinus aliquod graue damoatus eſt, ſed ob leuem irriſionem; & horrendam illam ſententiam incurrit. Eodem modo Regis Achab peccatum in parcendo Benadab non magnum videbitur iis, qui humana æſtimatione pendent omnia, ſed potiùs heroicam manſuetudinem, & magnanimitatem credent; nihilominus formidandam ſententiam mortis, & calamitatem ſui populi à Propheta Dei audiuit. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua,* 3. Reg 20. *erit anima tua pro anima illius; & populus tuus pro populo eius.* Nec tamen conſtat ex hiſtoria contra aliquod præceptum Dei intimatum ſibi, feciſſe: ex natura autem ſua non videbatur adeò graoe crimen ignoſcere Regi illi poſtulanti humiliter miſericordiam.

Miſerandis morbis, & grauiſſimis alijs ſupplicijs peccata venialia puniuntur.

CAPVT LXXIV.

ADOAM nonnullos, qui grauiſſimis aliis ſuppliciis affecti ſimiliter ſunt propter exiguos defectus. Et quidem in Euangelio habemus Lazarum mendicum, famelicum, vlceratum à planta pedis. Luc. 16. Cur huic iuſto tanta calamitas accidit? leuia peccata fuerunt in cauſa, quemadmodum ſanctos Chryſoſtomus obſeruauit, Conc 3 de Lazaro. & ſatis conſtat ex illis verbis: *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* quaſi diceret Abraham, diuitem epulonem allocutus. Tu ſi quid boni inter tot peccata egiſti, propter quod aliqua retributio deberetur, iam recepiſti bona temporalia, ſimiliter Lazarus iuſtus propter eas negligentias, leues tamen, quas inter alia virtutum opera admiſit, punitus fuit, & recepit mala temporalia, quæ merebatur. Quis non mirabitur tale ſupplicium, & tantum pro leuibus culpis, pro quibus Lazarus moleſtiſſimam illam famem paſſus eſt, vt vel micis vellet illam reparare: & pauperrimam illam mendicitatem, vt nec micæ illi concederentur, nec haberet, vbi reclinaret caput, &

cùm ægrotus & vlceratus eſſet, non haberet lectum, vbi iaceret, nec medicinam, quæ foueretur. Zachariam quoque patrem Ioannis Baptiſtæ venialiter tantùm peccaſſe putant Cardinalis Toletus, & alij nobiles interpretes; grauiter tamen punitus fuit priuatione ſermonis, mutus factus, imò etiam ſurdus, vt multi volunt. Obſeruantiſſimus etiam Abbas Paulus ob tam leuem culpam, quæ multis magna virtus videretur, tanto eſt afflictus cruciatu, vt morte ipſa grauiùs foret. Dicat nobis Caſſianus qualis culpa fuit, & qualis pœna, cuius hæc ſunt. *Cum eidem pergentes ad cuiuſdam ſenioris cellam cum Abbate Archebio, eiuſdem ſolitudinis accola caſu mulier obuiaſſet, offenſus occurſu eius, tanta fuga ad ſuum rurſus monaſterium, prætermiſſo quod arripuerat pia viſitationis officio recucurrit, quanta nullus à facie leonis, vel immaniſſimi draconis aufugeret, itaut ne memorati quidem Abbatis Archebij reuocantis eum clamore ac precibus flecteretur, vt ad requirendum ſenem quemadmodum propoſuerant cœpto itinere tenderent. Quod licèt zelo caſtitatis & puritatis ardore ſit factum, tamen quia non ſecundùm ſcientiam præſumptum eſt, ſed obſeruantia diſciplinæ iuſtaque diſtractionis exceſſus eſt modus, (non enim ſolam familiaritatem, quæ verè eſt noxia fœminarum, ſed ipſam quoque figuram ſexus illius credidit execrandam) tali confeſtim correptione percuſſus eſt, vt eius vniuerſum corpus paralyſeos valetudine ſolueretur, nullumque membrum in eo penitus explere ſuum præualeret officium: ſiquidem non ſolùm pedes, ac manus, ſed etiam linguæ motus quo eloquentio vocis exprimitur, ipſæque aures ita auditus proprij amiſerant ſenſum, vt in eo nihil amplius ex homine, quàm immobilis tantùm atque inſenſibilis figura remaneret. Eò autem redactus eſt, vt infirmitati eius nullo modo virorum diligentia deſeruire ſufficeret, niſi ſola ei muliebris ſedulitas miniſtraſſet. Nam delato ad cœnobium ſanctarum virginum cibus ac potus, quem nec nutu quidem petere poterat, fœmineo inferebatur obſequio; expletiſque omnibus naturæ neceſſitatibus, eadem illi diligentia per annos ferme quatuor, id eſt, vſque ad vitæ ſuæ terminum ſeruiebat. Qui cùm tanta eſſet omnium membrorum debilitate conſtrictus, vt nulli in eo artus viuacem motum, aut ſenſibilem retentarent; nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, vt cùm de oleo quod cadauere ſuo potius, quam corpore contigiſſet, vngerentur infirmi, confeſtim cunctis valetudinibus curarentur: itaut ſuper hac eius valetudine etiam ipſis infidelibus euidenter apertéque clareſceret, & debilitate membrorum omnium diſpenſatione, atque amore Domini contributam, & ſanitatum gratiam pro teſtimonio puritatis, ac manifeſtatione meritorum, ei Spiritus ſancti virtute præſtari.* Hactenus Caſſianus.

Coll 7. c. 26.

At ſanctus Odo Cluniacenſis Abbas, ſcribit ſanctum Gerardum, comitem cæcitate percuſſum à Domino, ex eo ſolùm quòd puellam aſpexiſſet; & pulchram rationem addit. Internus verò arbiter etiam minimas in electis ſuis maculas nunc purgat, ne ſit in eis quod poſtmodum oculos eius offendat, & ob id flagellum hoc eidem intulit, quòd mens iuuenilis, & de præterito purgaretur & in futuro defæcatior ſeruaretur. Sanctus Hieronymus ob peccatum veniale grauiter flagellatus fuit. Similiter Beatum Eleazarum comitem manu ipſa Chriſti vulneratum legimus poſtquam etiam graui morbo correptus fuiſſet, quia ſub Rege Neapolitano penè coactus, quippe dominus eius, militauerat contra Imperatorem. Sic in eius vita dicitur audiſſe Chriſtum ſibi dicentem: Scias Eleazare in hoc bello cui armatus affuiſti expoſitum te fuiſſe amittendi gratiam meam; ſed quia eius te pœnitet, volo te flagellare: tum ille inclinauit ſe, cœpitque dicere Pſalmum quinquageſimum, ad ſingulos autem verſus Chriſtus eum ter, vt ſolitus ipſe erat, in dorſo fortiter cecidit. Quis etiam non pauebit cùm audierit acerbas minas, quibus Deus animaduertit in ſanctiſſimum Regem Ezechiam, propter id quod videbatur regia maieſtate & humanitate erga hoſpites dignum; cùm vt benigniùs, & vrbaniùs Babylonicos Legatos exciperet, oſtendit illis diuitias domus ſuæ, audiuit hanc Dei ſententiam ex ore Iſaiæ Prophetæ: *Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt Patres tui vſque ad hanc diem in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus, & de filijs tuis, qui exibunt de te quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis.* Sunt etiam qui Dauidis peccatum in recenſione populi iudicarint inanem complacentiam; ſupplicium autem tantum fuit, vt pro grauiſſimo idololatriæ ſcelere poſſit ſufficere. Intra paucas vnius diei horas immani peſte extinctæ ſunt ſeptuaginta millia virorum. Et licèt hoc Dauidis peccatum credam fuiſſe graue, eius nihilominus memini, quia viſum aliquibus etiam tantum ſupplicium competens fuiſſe culpa leuiori.

Lib 1 Vit. S. G. c. 10.

Cap. 15. ſect 27.

Iſai. 39.

Peccantium venialiter corpora Dæmones occuparunt.

CAPVT LXXV.

MAgnvs eſt quod Caſſianus de Abbatis Moyſis veniali culpa ſcribit. *Cùm ipſe quoque ſingularis & incomparabilis vir eſſet, ob reprehenſionem vnius ſermonis quem contra Abbatem Macharium diſputans paulo duriùs protulit, quadam ſcilicet opinione præuentus, tam diro confeſtim eſt traditus Dæmoni, vt humanas egeſtiones ori ſuo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius atque autore remedij demonſtrauit. Nam continuò Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus abſceſſit.* Et quidem minus malum profectò eſt mille Dæmonum legiones in corpore habere, quàm vnicum & minimum peccatum veniale in anima. Sapienter elegit quidam ſeruus Dei habere potius Dæmonium in ſe à quo torqueretur, quàm leuiſſimam vanam gloriam. Erat is fugandorum de corporibus obſeſſis Dæmonum incredibili præditus poteſtate, multa ſigna faciebat. Non ſolùm enim præſens, neque verbo tantùm, ſed & abſens quoque interdum cilicij ſui fimbriis, aut epiſtolis miſſis obſeſſa corpora curabat. Hic ergo mirum in modum frequentia

Coll 7. c. 27.

Sen Sul. Dial. 1. c. 14.

quentabatur à populis, ex multis locis ad eum venientibus: taceo de minoribus; præfecti comites, atque diuerſarum iudices poteſtatum, præ foribus illius ſæpe iacuerunt, hic enim omni potu in perpetuum penitus abſtinuit, ac pro cibo ſeptem tantùm caricis ſuſtentabatur. Interea ſancto viro vt ex virtute honor, ita ex honore vanitas cœpit ſubrepere. Quod malum vbi ille primum potuit in ſe ſentire graſſari, diu multumque diſcutere conatus eſt; ſed repellere penitus non potuit. Vbique nomen eius Dæmones fatebantur. Excludere à ſe confluentem populum non valebat: virus interim latens ſerpebat in pectore, & cuius nutu ex aliorum corporibus Dæmones fugabantur, ſe ipſum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conuerſus ad Dominum orauit vt permiſſa in ſe Diaboli poteſtate, ſimilis eſſet illis quos ipſe curauerat. Quid multis? ille præpotens, ille ſignis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille ad cuius limina populi ante confluxerant, correptus à Dæmone eſt: ac retentus in vinculis, omnia ille quæ energumeno ſolent fieri perpeſſus. Quintò demum menſe purgatus eſt, non tantùm Dæmone, ſed quod illi erat vtilius atque optatius, etiam vanitate.

Quare non eſt mirandum ſi grauiſſimis illis ſuppliciis corporalibus, leuia peccata vindicauerit Deus; quòd ſi eorum malitiam non ſatis nobis perſuademus, ſaltem ex iis tremendis effectibus ſuſpicemur illam, quam vt magis agnoſcamus, conſiderandum eſt Deum eſſe iudicem ſapientiſſimum & æquiſſimum, imò benigniſſimum patrem, qui non vult punire vltra merita, imò valde citra id quod meremur, nos plectit. Deinde cùm ſumma ſapientia ſit, non poteſt falli in agnoſcenda quantitate malitiæ: quare cùm ſic videamus puniri veniales Sanctorum culpas, credere debemus horrendam deformitatem habere quamlibet exiguum peccatum. Sapiamus igitur ex alienis damnis, nec committamus ea, quæ tam ſeuerè adhuc in hac vita pientiſſimus pater punit, ne grauiùs delinquamus ſi ex alienis ſuppliciis admoniti non emendemur; illum enim, qui non ſe corrigit poſtquam videt alios propter ſimilem culpam punitos, etiam in eodem peccato grauiùs peccare videtur nobis Scriptura docere, cùm de Ambri Rege Iſraëlis dixit: *Fecit autem Ambri malum in conſpectu Domini, & operatus eſt nequiter ſuper, qui fuerunt ante eum.* Non autem ſcimus grauius peccaſſe quàm Ieroboam, qui author apoſtaſiæ fuit, & in idololatriam induxit Iſraël conſecratis duobus idolis in Bethel, & in Dan. Neque legimus peccaſſe plus quàm Baaſa, qui inſidiatus Regi Nadab, & interficiens illum, occupauit Iſraëliticum Regnum, ambulauitque in viis Ieroboam. De Ambri autem neſcimus grauiora: etenim quod de illo dicit Scriptura, cur operatus ſit nequiter ſuper omnes anteceſſores ſuos, ſtatim explicuit, dicens: *Ambulauitque in omni via Ieroboam*, quod idem dicitur de Baaſa & Zambri, quia tamen exemplo illorum non reſipuit, nec alienis didicit ſuppliciis; idcirco licèt æqualiter peccaſſet, nequiùs dici potuit peccaſſe.

3. Reg. 16.

Io. Euſeb. Nieremb. doctr. Aſcet.

Grauiora peccatorum venialium ſupplicia, ex ſubtractione diuini auxilij.

CAPVT LXXVI.

CAVEAMVS quoque, poſtquam tot ſupplicia peccatorum venialium vidimus, ne ſi ea contemnamus, maligniùs peccemus, aut ſeueriùs plectamur. Præterea nos, qui Religioſi ſumus, cautiores debemus eſſe, non ſolùm, quia culpas ſanctorum hominum, aut eorum, qui diuino obſequio ſacri, & mancipati ſunt, acerbiori pœna punit Deus in hac vita, vt ex hiſtoriis, quas attulimus, videre licet; ſed multo plus, quia hi qui in domo Dei ſunt, minus offendere debent Deo, eorumque culpæ grauiùs ſoleant offendere. Tremendum eſt, quod per Hieremiam dicit Dominus: *Ecce ego inducam ſuper eos mala de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos.* Et poſtea conuerſus Dominus ad ipſum Prophetam dixit: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem, & orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.* Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Hoc profectò pertimere debent Religioſi, quia dilecti Deo ſunt, & habitant in domo Domini; nam in ipſo ſi diuinis beneficiis non reſpondeant, ſed defectus, quia leues ſunt, negligant, ſolet Deus ſuper eos immittere mala, ex quibus nequeant exire, permittendo peccata lethalia, & tales habitus peſſimos, vt nec ſuas preces, nec alienas audiat Deus, vt inde reſiliant; multi enim, qui nullam pœnam ſenſibilem pro peccatis venialibus videntur pati, multo profectò grauiorem recipient; nam in hac etiam vita præter pœnam ſenſus eſt alia quaſi pœna damni, quæ ſicut in inferno grauior eſt, quàm ſenſibilis: ſic & in præſenti ſæculo grauiora damna in nobis operantur peccata, quàm ſenſu exprimitur; priuamur enim per leues culpas, multis auxiliis diuinis, quod certè genus eſt pœnæ damni, & quidem valde timendæ; aliorum quoque plurium malorum cauſa ſunt, quorum nonnulla ex eleuatiſſimo viro Ioanne Taulero referam. *Sicut enim*, inquit, *denſa nebula oculos carnis impedit: ſic peccata venialia mentis oculum offuſcant, vt Deum inſpicere nequeamus; diuinæ quoque dilectionis feruorem extinguunt, orationes noſtras difficiliùs, quàm ſi ea non admitteremus, exaudiri faciunt, animam deturpant, atque commaculant, vnde Spiritus ſanctus contriſtatur; malignus verò ſpiritus exultat; Dei ab anima familiaritatem quandiu non emundantur, excludunt. Ad maiora grauioraque peccata hominem pertrahunt, vires animi ad reſiſtendum prauis cogitationibus debiliores reddunt; hominem ad bene agendum pigrum, & acedioſum efficiunt; deſideriaque ad temporalia inclinant Purgatorij cruciatus prolongant, & à Dei præſentis intuitu diutiſſime retardant.* Perpendat iam quiſque, vtrùm parua ſint hæc detrimenta, maximè ſi ex propoſito, vel praua conſuetudine peccata huiuſcemodi fiant. Illa tamen pœna magis extimeſcenda eſt, quòd propter venialia permittat Deus incurrere mortalia. Immodeſtia viſus

Hier. 11.

c. 2. iuſt.

ſus, quæ leuis culpa eſt, impulit Dauid in adulterium. Venialis quoque confidentia ſui pertraxit ſanctum Petrum vſque ad negationem Chriſti. Nonne grauiores hæ pœnæ ſunt, quàm præteritæ rerum temporalium, imò & ipſius mortis? Nonne grauius punita fuit oculorum licentia in Dauid, quàm in Gerardo comite? Siquidem miſericordiùs cum Dauid ageretur, ſi ſtatim excæcatus fuiſſet; quemadmodum ſanctus Gerardus, ne adulterium perficeret. Nonne ſimiliter leuius punitus fuit rumor Abbatis Moyſis, qui poſſeſſus corporaliter à Dæmone fuit, quàm iactatiuncula ſancti Petri, cui ſpiritualiter Dæmon fuit dominatus? Nonne leuiori Propheta ille ſupplicio fuit affectus, qui laceratus à leone obiit, quàm Dauid, & ſanctus Petrus, qui vitam retinentes lethaliter peccare permiſſi ſunt. Deinde licèt non permittat diuina bonitas impingere in mortalia, illud veriſſimum eſt, ſi non ſtatim pœniteat nos venialium; ſed parui faciamus illa, ſemper commiſſuros alia venialia, vnde refrigeſcat charitas, vnde feruor Spiritus extinguatur, vnde diſſolutiùs viuamus, vnde imperfecta bona opera faciamus, vnde quædam venialia grauiora ſint in aliorum pœnam, quæ ſanè grandis pœna eſſet, & grãdior aliis corporalibus; tum, quia maius malum eſt quælibet culpa minima, quàm immenſus dolor ſenſibilis, & infinitus cruciatus; tum, quia non prodeſt quominus obnoxij maneamos pœnis ſenſus, quas in Purgatorio patimur. Pœnæ ſiquidem corporales, quas in hac vita pro peccatis ferimus, tollunt, aut imminuunt nobis futuras Purgatorij flammas. At cùm Deus punit noſtra peccata, aliis peccatis permiſſis, hæc grandis pœna damni nihil tollit de futura pœna ſenſus. Quare maximus Dei fauor erit corporalis & temporalis huius vitæ punitio.

Hebr. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit, vt perficiat, & purificet*; iuxta illud, quod, per Iſaiam dicit: *Excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* Quid inde? *Poſt hæc vocaberis ciuitas Iuſti, vrbs fidelis.*

Quantis in Purgatorio pœnis peccata venialia expientur.

Capvt LXXVII.

Reliqvvm eſt, vt dicamus, quàm terribiliter leuia peccata in Purgatorio puniantur. De quibus ſanctus Auguſtinus

Hom. 16. ex quinq. ait: *Hi verò qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit: Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem: per fluuium igneum, de quo propheticus ſermo commemorat, & fluuius igneus currebat ante eum. Per fluuium igneum & vada feruentibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora. Quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit flamma quadam rationabilis diſciplina.* Et mox illic. *Sermones otioſi, & cogitationes iniquæ, vel ſordida, illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt.* Referam aliquas hiſtorias virorum ſanctorum, qui pro venialibus ingentes Purgatorij flammas paſſi ſunt; & quod mirum eſt, cùm nonnullorum corpora operarêtur miracula, tunc eorum animæ ignibus illis cruciabantur, teſtis eſt ſanctus Gregorius, qui de ſancto Paſchaſio, cuius ſcripta & opera hactenus habemus, & miramur, hæc habet. *Hic itaque, cùm temporibus Symmachi Apoſtolicæ ſedis Præſulis eſſet defunctus, cuius dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt.* Lib. 4. Dial. cap. 50. *Poſt multum verò temporis Germano Capuano Epiſcopo, cuius ſuperiùs mentionem feci, Medici pro corporis ſalute dictauerant, vt in Angulanis thermis lauari debuiſſet. Qui ingreſſus eaſdem thermas prædictum Paſcaſium Diaconum ſtantem & obſequentem in caloribus inuenit. Quo viſo vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquiſiuit. Cui ille reſpondit: Pro nulla alia cauſa in hoc pœnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentij contra Symmachum ſenſi; ſed, quæſo te, pro me Dominum deprecare. Atque in hoc cognoſces quòd exauditus ſis, ſi huc veniens me non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus ſe in precibus ſtrinxit, & poſt paucos dies rediit, ſed iam dictum Paſcaſium in loco eodem minimè inuenit. Quia enim non malitia, ſed ignorantia errore peccauerat, purgari poſt mortem à peccato potuit. Quod tamen credendum eſt, quia ex illa eleemoſynarum ſuarum largitate obtinuit, vt tunc poſſet promereri veniam, cùm iam nihil poſſet operari.* Et poſtea. *In hac re magna debet omnipotentis Dei diſpenſatio, & quam ſit multiplex, agnoſci, cuius iudicio actum eſt, vt idem vir Paſcaſius, & ipſe intus ad aliquantum temporis reciperet quòd peccaſſet, & tamen ante humanos oculos mira per corpus ſuum poſt mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoſcentibus pia opera feciſſet, vt neque hi, qui bona eius viderant, & de eleemoſynarum in eius æſtimatione fallerentur, neque ipſi ſine vltione laxaretur culpa, quam neceſſe culpam credit, & idcirco hanc fletibus non extinxit.* Cap. 51.

Æquè admirandum eſt, & fortaſſe horribilius, quod Beatus Petrus Damianus ſcribit de ſancto Seuerino. Hic clerico fluminis vadum tranſeunte comparuit, & mirantis manum apprehendit, atque in flumen immerſit, vt tactu intelligeret quod pateretur. Ardor enim intolerabilis clerici manum inuaſit, adeò vt carnes diffluerent. Qui rogauit Seuerinum aperire, cur tanto incendio cruciaretur. Ad eum Seuerinus: Nihil, inquit, in me remanſit vltione plectendum, præter hoc tantùm, quia dum in aula regia conſtitutus, imperialibus me conſiliis vehementer implicui, canonici Synaxis officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolui. Manè quippe ſimul omnia coaceruans, tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris huius fero ſupplicium. Petiit his dictis preces & ſacrificia, vt citiùs choris beatorum poſſet adiungi. Hic Petrus exclamat, & meritò, nobis quoque metuendum eſſe ad vehementer formidandum, quoniam virum ſanctum ob vnam leuem culpam, tam intolerabilis Purgatorij pœna cruciabat.

Epiſt. 15. ad Carol. ſiue de Mirac.

Notiſſimus quoque eſt Hugo Victorinus percelebris doctrina & virtute, vt alter Auguſtinus dici meruerit. Hic (quemadmodum prodidit Thomas Cantipratenſis) moriturus à ſodali eſt adiuratus, vt poſt mortem ſtatum ſuæ animæ illi Lib. 2. apum c. 16 §. 5.

ſigniſi

ſignificaret. quod ille promiſit, Deo permittente; accidit ita, vt non multo poſt mortem ſe ſiſteret ſocio, dicens, vt quid vellet, quæreret. Ille, Quomodo, inquit, dilectiſſime tibi eſt? bene reſpondit. Hugo nunc mihi eſt, ſed quia dum viuerem accipere renui diſciplinam, vix vllus Dæmon in inferno remanſit, qui non mihi iſtum validum dederit ad Purgatorium tranſeunti. *Lib. de gl. conf. c. 5.* Sanctus Gregorius Turonenſis narrat, S. Martinum conſtitiſſe aliquando ad ſepulchrum Vitalinæ ſanctiſſimæ virginis, eamque interrogaſſe num Deum videret? quæ reſpondit, Reſtitit mihi vna cauſa, quæ facilis in ſæculo videbatur, ſexta enim feria qua Redemptorem mundi paſſum nouimus, aquis ablui caput. Hoc audito, vir ſanctus, Væ nobis, inquit, qui in hoc mundo verſamur, & alia plena ſancti timoris ac virgini liberationem poſt triduum impetrauit.

In Chronicis Ordinis Hieronymiani dicitur *1 p. lib. 1. c. 3.* ſanctiſſimus Frater Ferdinandus Iañez, vnus ex tribus fundatoribus eius inſigni ſanctimonia admirandus, & miraculis clarus apparuiſſe poſt mortem fratri cuidam habitu Monachali veſtitus, ſed lacerato & detrito, vultu triſti & nigricãti, miſerandus ſacrificia aliqua poſtulans, quoniam in Purgatorio detineretur, non ob peccata vitæ ſæcularis, neque vitæ religioſæ, ſed eo dumtaxat quòd præ manſuetudine & benignitate noluit videri nimis ſcrupuloſus & minutus in corripiendis fratribus quibus præerat, ne grauis illis eſſet; quod tamen non credebat culpam fuiſſe, imò prudenter egiſſe putabat. Hildebertus Epiſcopus, & Hugo Monachus ſcribunt in vita ſancti Hugonis Cluniacenſis, ſæpe ab eo commonitum Durannum Monachum, qui poſtea Toloſanus Epiſcopus fuit, vt à ridiculis quibus malè aſſueuerat, ſe temperaret, prædicens fore niſi ſe in hac vitæ corrigeret, vt poſt mortem tumentibus labiis & ſpumoſo ore appareret. Obiit non emendato vitio. Apparet, vti prædixerat Hugo, ſacerdoti Siguino proferens ora tumida labiis vlceroſis. Petiit auxilium vt è Purgatorio eripiatur; & per ſilentium ſeptem Monachorum per ſeptem dies accuratè ſeruatum ſancti Hugonis iuſſu è pœnis Purgatorij ereptus eſt. Scribitur in eius vita Monachum defunctum necdum humatum duobus aliis religioſioribus Monachis apparuiſſe, ac dixiſſe duos ſolidos per licentiam ſactiſtæ ſub quo militabat, ſuo proprio expenſiſſe arbitrio, dilatamque ſibi ex hoc requiem æternam. Abbati narrata res eſt, in Capitulo repetita, diſcuſſa culpæ grauitas, ne pro damnato flammis æternis oraretur. inuenta eſt venialis, proinde tum ſuffragiis ardentiorum precum, tum propenſiore eleemoſynarum largitione quibus detinebatur vinculis ſolutus eſt.

Lib. 12. mir. cap. 31. Cæſarius tradit de quodam Abbate in diſciplina Ordinis ſatis perfecto, quòd amico cui rogatus ſub vitæ finem id promiſerat, apparuit trigeſima poſt mortem die, cruribus vlceroſis & carbonum in modum nigerrimis, cætera præclarus. Atrociſſima ſe in cruribus tormenta ferre dixit. Quia (inquit) frequenter de labore manſi, nulla ſæpiſſimè certa neceſſitate, vt eſt hoſpitium ſiue audiendarum confeſſionum, me detinente. Leuis culpa fuit pòſt habere laborem manuum hoſpitalitati & confeſſionibus audiendis, & tamen Purgatorio dignum cenſuit ſummus iudex. Idem Cæſarius ſcribit de Priore Cœnobij Clareuallenſis, qui quoniam valde ſolicitè ampliabat monaſterij prædia, & de Sacerdote, qui cùm puer eſſet, germano fratri obolum erat furatus, addictos Purgatorio. Sanctus Vincentius Valentinus ſcribit, damnatum quemdam Purgatorij igni per integrum annum, propter vnum peccatum veniale. *Serm. de aqua benedicta.* Heroltus quoque Dominicanus alium Religioſum narrat vſque ad diem iudicij mancipatum Purgatorio, quia tepidè & neglectim adimpleuerat pœnitentias impoſitas. *Serm. 49.* Alia exempla feruntur ſanctiſſimorum hominum, qui ob leues culpas graues Purgatorij pœnas tulere, atque in vitis Patrum multi religioſi viri feruntur, qui pro minutis defectibus purgatoriis ignibus damnati fuerunt; quidam pro delectatione, quam ex melodia cantus ſumebant; alij pro ſtudio curioſo librorum Ethnicorum, alij pro nimia ſolicitudine in ædificiis, &c. An noſtra peccata priuilegium habebunt cùm tot amicorum Dei leues defectus tam rigidè vindicatos videamus.

Cæterùm præter ignem ſenſibilem inueniuntur in Purgatorio aliæ pœnæ, ſuus quoque vermis ibi erit, qui purgandorum corda excruciet; cùm videant ſua culpa detineri, ne Deum ſtatim videant. Seruæ Dei Mariæ de Aiofrin oſtenſum Purgatorium fuit, quemadmodum proditur in hiſtoria Religionis Hieronymianæ Hiſpanicæ, *3 p. l. 2. c. 45.* ibi vidit varia genera vermium ſine numero quidem, quibus ille ſcatebat locus, vt vix eſſet vbi pes poneretur. Inter alios vidit quemdam grandiorem, qui quadrantis vnius longitudine & trium, aut quatuor digitorum conſtabat, opertus totus conchis igneis, fortiſſimoſque & acutiſſimos vngues habens, hunc eſſe vermem conſcientiæ docta ab Angelo fuit. Non leuis pœna damni eſt, tot dies, tot menſes, tot annos, imò tot ſæcula carere conſpectu diuino, & ingreſſu cœleſtis patriæ, ex quo naſcitur incredibilis deſideriorum cruciatus, quibus meritò affliguntur hi, qui propter ſua peccata neglexerunt Deum videre. In vita ſerui Dei Patris Ioannis Fernandij Societatis noſtræ refertur quædam admiranda viſio, qua vidit quemdam ex noſtra Societate igni deſideriorum pati & purgare negligentiam cupiendi videre ſanctiſſimam Trinitatem: integram viſionem, quoniam obiter etiam demonſtrabit, quantum nobis noceant & impediant leues culpæ operæ pretium erit narrare. *In hiſt. Complut. colleg. lib. 7. c. 4. in fine.*

Admiranda viſio Patris Ioannis Ferdinandij.

CAPVT LXXVIII.

CVM Romæ Theologiam profeſſus excellentis virtutis vir Pater Ioannes Fernandius materiam Trinitatis dictaret, magnoque Dei videndi deſiderio inflammaretur, ſemel raptus in ſpiritu, vidit tres pulcherrimas virgines ſibi adſtantes, & dicentes: Veni, & ſequere nos, ſi vis quod cupis intueri. Duxeruntque illum in pulcherrimum prætorium ſimile illi ciuitati, quam Ioannes Apoſtolus in ſua Apocalypſi deſcripſit, pulſantibuſque fores, reſponſum eis: Quid vultis? illæ dixerunt, hanc

animam aſſerimus, quæ cupidiſſimè auet ſanctiſſimam Trinitatem intueri; tunc aperta ianua introgreſſa eſt tertia ex illis virginibus vnà cum anima Ioannis Fernandij, remanentibus foras aliis duabus virginibus. Tunc Angelus quidam accedens ad Ioannem dixit: Mane hîc donec hæc virgo & ego videamus, an ſit opportunitas, & locus vt conſpicari poſſis quod deſideras. Remanſitque ſolus Ioannes, qui demiratus magnitudinem, ac pulchritudinem domus, & veſtibulum eius, & quatuor ſcalas quibus patebat aſcenſus, extra ſe rapiebatur ob explicabilem omnium rerum elegantiam & maieſtatem. Æſtuanſque ſancta illa cupiditate videndi Deum, gradus vnius ſcalæ aſcendens, inuenit grande cubiculum, ſiue cœnaculum, in cuius aditu exceperunt illum ſex Æthiopes fœdiſſimi, qui illudentes ei in cathedram, quam dicimus, pulpitum, extulerunt, iubentes concionari, multiſque modis malè afficientes & coniicientes in illum plurima quibus lædebatur, donec inde exturbaretur; in ipſoque caſu exclamante Ioanne: Hei mihi infœlici, dixerunt, ſi infœlix fuiſſes, aliud profectò tibi accideret, quo dicto euanuerunt. Tunc Ioannes ſurrexit, & dubius quò pergeret, aliud cubiculum ingreditur, vbi alios ſex ſimiles Æthiopes inuenit, qui ſedere illum fecerunt in ſcamno aſſidentes, & ipſi tres à dextris, tres à ſiniſtris, qui cœperunt illum alloqui ita inordinatè, & confusè, & tot vociferationibus, vt iterum exclamaret, Hei mihi infœlici, quoniam veſtris clamoribus penè me necatis. Illi dixerunt: Si infœlix fuiſſes, aliud profectò tibi accideret, & ſic reliquerunt ſolum. Ingredientemque aliud penetrale totidem alij Æthiopes raptarunt violenter, & conculcarunt: poſtea ex olla ardenti plena pice & reſina linierunt renes eius. In hoc cruciatu ſimiliter lamentabatur, dicens: Hei mihi infœlici, ad quid huc veni; cui illi dixerunt, Non es miſer, quoniam ſi miſer eſſes, peius valde acceptus eſſes, & ſic diſparuerunt. Tunc Ioannes ſurgens in hortum ingreditur multis & odoriferis amœnum floribus, & ſuaui muſica iucundum, ibi vidit procul exiſtentem animam quamdam ſplendenti amictu velut radiis Solis veſtitam, & circumdatam varietatibus viridibus, atque exiſtimans id eſſe aliquid eius quod percupiebat videre, accedens ad eum dixit humillimè: Precor vt mihi notum facias quis es. Sum, reſpondit, quidam frater tuæ Religionis, qui in Societate Iesv ſeptennio vixi. Cui Ioannes intulit, Magna profectò gloria frueris. Nequaquam, retulit ille, potiùs habeo magnam affectionem, nam hic locus purgatorius meus eſt, quoniam negligens fui in amore ſanctiſſimæ Trinitatis, cuius fauore conſeruaui, dum vixi, puritatem carnis; idcirco nunc æſtuo, & inflammor igni deſideriorum quem tu non vides. In his regreſſus Angelus increpuit audaciam Ioannis quòd illuc ingreſſus fuiſſet; poſtea addit: Dominus dicit, oportere te ad mundum redire, nondum enim paratus & purificatus es vt illum videas. Quem Ioannes multis precibus, & lachrymis deprecabatur, ne mundum repeteret. Angelus autem reſpondit, fieri aliter nequit, quia hæc eſt voluntas Domini. Tunc Ioannes quæſiuit: Vbi ſunt illæ virgines pulcherrimæ quæ me præducebant. Illæ virgines, inquit Angelus, ſunt tres virtutes, fidei, ſpei, & charitatis, quæ te comitantur, licèt eas non videas. Rurſus rogauit: Qui ſunt, ſancte Angele, ij Æthiopes qui tam malè me affecerũt? Reſpondit Angelus: Ij, qui te extruderunt è cathedra concionatoria, ſunt defectus quos in prædicatione verbi Dei committis, quærens placere hominibus, & gloriam tuam, non gloriam Dei, & vtilitatem proximorum. Ij qui te ſedentes in ſcamno vociferationibus & inordinata loquutione afflixerunt, ſunt defectus quos in recreationibus committis, nimium loquens, & interrumpens aliorum loquutiones. Ij qui te torſerunt ardentis ollæ pice, & reſina, ſunt aliquæ negligentiæ cogitationum carnalium. Quo dicto ad ſe reuerſus Ioannes, per multos dies paſſus eſt dolorem renum, & ſcapularum ex peſſima Æthiopum vexatione, & ſolicitè deinceps emendauit exiguos illos defectus; cùm tantam rationem in altera vita leuium culparum & imperfectionum haberi expertus fuiſſet. Abſtinuit ſe recreationibus, diligentiſſimam cogitationum ſuarum, & animi puritatis curam habuit, feruentiſſimè atque vtiliſſimè verbum Dei impertitus eſt, vt cùm poſt aliquot annos quæſiuiſſet ab Angelo ſuo quem familiariſſimum habebat, an Deo ſuæ conciones placerent? Vtique reſpondit, iam Deo gratus eſt modus quo nunc vteris in prædicatione tua.

Rigidè cuique punienda culpa leuiſſima.

Capvt LXXIX.

Inter effectus peccati venialis, ſuppliciaque eius, paſſionem Chriſti Domini annumerare poſſumus, vt vel hinc leuia non putentur, pro quibus etiam tanta ſatisfactio facta eſt. Veriſſimè deuotus Seraphinus Firmanus dicit: *Ego autem non video, quod dici poſſit leue peccatum, quando omni pro peccato mortuus eſt Chriſtus. Quomodo iam paruulum eſt peccatum illud, quod tanto piatum eſt pretio? O chare Chriſte, ne me ſinas inanem vſque adeò præſumptionem incidere; ſed perfectè da mihi vt doleam peccatum omne, omniaque mihi ſint intolerabilia; aliàs enim mihi viderer tuum longè pretioſiſſimum conculcare ſanguinem.* Videat igitur vnuſquiſque quomodo ſuperædificet ex qua materia ſpirituale ædificium ſibi conſtruat. An ponat aurum, vel ligna, an argentum, vel ſtannum, an lapides pretioſos, vel ſtipulas ſiccas, quas neceſſe ſit comburi. Ne tamen earum conſumptionem ad alteram vitam remittamus, vbi incredibilibus cruciatibus, ſine vllo tamen merito, purgabimur, præſtat in hac vita illas delere, vbi minor afflictio & dolor eſt, & vber meritum, & deinde ingens fructus, vt feruidiùs deinde ambulemus in profectu noſtro. Quare conſilium ſapientis accipiamus. *Quodcumque facere* Eccl.9.10. *poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quò tu properas. Ambulemus igitur dum lucem habemus.* Quòd ſi velimus aliquo exemplo videre qua ſeueritate illa ſint vindicanda, ſiquidem tot hiſtorias cumulauimus, addamus aliam ſancti viri Euſebij, quam memoriæ prodi- Cap 4 hiſt. dit Theodoretus. Sedebat ſuper quemdam pe- S.P. tram ipſe & Ammianus ille admirabilis; & diuinorum

norum Euangeliorum hiſtoriam alter quidem legebat, alter verò eorum quæ erant obſcuriora explicabat ſententiam. Cùm autem quidam agricolæ io ſubiecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem magnus tractus eſt Euſebius. Cùm autem diuus Ammianus legiſſet locum euangelicum, ſciſcitaretur autē interpretationem, iuſſit magnus Euſebius vt repeteret lectionem. Cùm hic autem dixiſſet: iis qui arant, fortè delectatus, minimè exaudiſti, vt eſt veriſimile: ſuis deinceps oculis legem tulit, vt neque campū vnquam contēplarentur, neque cœleſti pulchritudine & chori aſtrorum aſpectu fruerentur, ſed anguſtiſſima vtens ſemita, cuius menſuram aiunt fuiſſe vnius palmi ferente ad Oratoriū, extra eam deinceps oon eſt paſſus egredi. Dicunt autem eum pluſquam quadraginta annis vixiſſe poſt hanc legem: vt autem cum animi ſui ſententia, ad hæc quoque eum traheret, aliqua neceſſitas cùm lumbos zona ferrea alligaſſet, & grauiſſimum collare collo impoſuiſſet, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari, qui erat collo impoſitus vt hoc modo inclinatus conaretur aſſiduè in terram deſpicere. Has ipſe de ſe exegit pœnas, quòd illos eſſet contemplatus agricolas. Ex ſeuera enim culparum etiam leuium correptione præter ingens meritum illa eſt vtilitas, vt ſecuriores reddamur aduersùs maligni Dæmonis machinationes, quemadmodum ipſe Euſebius prudentiſſimè reſpondit. Nam ne, inquit, de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam & iuſtitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, & vt faſtu efferat, & ſuperbè intumeſcam efficiens, & quæcumque aduersùs meam machinetur animam conor hoſtem ad hæc parua traducere: in quibus etiamſi vicerit, non magnum affert detrimentum: etſi victus fuerit, euadit magis ridiculus, vt qui ne in paruis quidem poſſit euadere ſuperior, quoniam ego noui hoc bellum minus periculoſum, non valde enim feritur qui in his damni aliquid accepit. Quod enim damnum eſt vel videre campum, vel in cœlum oculos attollere, ad hoc me genus pugnæ tranſtuli. In hac enim me neque ferire poteſt, nec perimere. Non ſunt enim hæc iacula lethifera vt quæ illis ferreis careant aculeis.

Hæc cura vitandorum peccatorum venialium non ſolùm circa actus noſtros, ſermoneſque ordinandos, ſed cogitata & affectus, minutos quoſque nouanda eſt; nam, vt inquit Richardus, multorum eſt ſe ipſos reprehendere de peruerſo opere, vel praua voluntate: pauci ſunt, qui ſe ipſos diiudicent de inordinata cogitatione. Cogitationes autem & motus cordis reprehendere, diiudicare, corrigere, & dirigere perfectorum eſt. Sanctus Bernardus accuſauit ſe aliquando acum deſideraſſe; etſi enim hoc exiguum quid videtur, re quidem oon eſt; per corruptionem quippe cuiuſlibet deſiderij ipſum exiguum magnum eſt, ipſum parum magnum. Aliquando quoque oportebit pro culpa non magna pœnitentiam magnam ab ſpiritualibus imponi patribus, euiuſmodi fuit illius qui apud Cœnobiarcham commilitonem ſuum loquacem appellarat, qui, (prout narrat S. Ioannes Climachus) proſcriptus primum omnino à reliquorum Societate, cùm abigi non poſſet, & ſex ipſos dies impranſus & incœnatus ad fores monaſterij ſupplex iacuiſſet, hoc dumtaxat impetrauit vt mitteretur in pœnitentium carcerem, in quo eiuſmodi pœnis ſe multabant, vt ſupra vires videretur, & ipſum ſanctum Climachum in ſtuporem raperet.

DOCTRINA XIII.

DE AFFECTV ERGA cognatos moderando.

Cognatorum affectus deponendus eſt, exemplo Leuitarum.

CAPVT LXXX.

PERFECTIO *tua, & doctrina tua, viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad Aquas contradictionis. Qui dixit patri ſuo, & matri ſua: Neſcio vos, & fratribus ſuis: Ignoro vos; & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Inter potiſſima ſpiritualis vitæ præſidia eſt fuga carnis & ſanguinis, & cognatorum obliuio. Deut. 33. Idcirco de hoc argumento aliquid dicendum, quod maximè conducet ad puritatem animæ, multaſque imperfectiones, defectuſque vitandos. Igitur noſtra vocatio eſt vim inferre naturæ, carni, & ſanguini non acquieſcere adorare Deum in ſpiritu, Angelos fieri, perfectos exiſtere. Hoc autem procul debet eſſe ab amore ſæculi, ab affectu cognatorum, à parentum carnalium complexu. Nam qui in ſpiritu victurus eſt, obliuiſci ſanguinis ſui debet, qui Deum Patrem quærit, parentes miſeræ carnis non computet, nec præferat Deo. Qui cæleſtem Patrem inuocat, non putet habere terrenum. Parentes terræ non patitur perfectio ſpiritualis, quæ eſt finis noſtræ vitæ. Conſultò Chriſtus Dominus cùm ad perfectionem nos hortatur, dixit: *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* In memoriam adduxit cœleſtem Patrem, vt obliuiſceremur terreſtris: etenim perfectio non ſtabit cum tenero cognatorum affectu. Hinc Moyſes perfectionem Dei, & doctrinam diuinam illi tribuit viro, qui cognatos non agnoſceret, qui patrem & matrem neſciret, qui fratres ignoraret. nam ſi ipſa noſtra caro intolerabilis eſt, & moleſta ſpiritui, quomodo aliena tot conſanguineorum non moleſta & iniurioſa nobis erit? Sanguinem ipſum noſtrum, pro Deo odiſſe & diffundere debemus; quomodo cognatum immoderatè amabimus? Impoſſibile omnino eſt illum virum ſpiritualem verè eſſe & perfectum, qui tenerum cognationis affectum non deponat. Hoc ſancta Scriptura clamat, hoc ratio ſuadet, hoc experientia demonſtrat. Ex hoc triplici capite palam fiet quantum obſit ſpiritui tener affectus cognatorum. Afferamus priùs authoritatem ſacrarum literarum, quæ ſuper omnem rationem pluris debet fieri: & quidem tanto

tanto maioris ponderis debent nobis eſſe rigida verba, quibus libri ſancti fugam, & obliuionem, & odium parentum nobis conantur ſuadere, quantum in iiſdem, & parentum honos, & inimicorum amor cōmendatur, quod euidens ſignum eſt, maximi momenti eſſe ad ſpiritualem profectum ſanguinis affectum deponere, ſiquidem eos, quos honorari vellet, iubeat negligere, & odiſſe hortetur cognatos, & parentes, cùm alioqui adhuc inimicos amare præcipiat; adeò vtile & neceſſarium eſt, affectum conſanguinitatis extirpare; neque enim Spiritus ſanctus, qui totus amor eſt, totus dilectio, totus ſuauitatis, ſic auſterè loqueretur aduerſus cognatos, qui diligendos extraneos, imò malefactores monet.

Notandum quoque eſt non ſimpliciter in ſacris litteris affectum conſanguineorum interdici, ſed iis verbis, quibus noxios nobis declarent; nec tantùm eorum conuerſationem prohiberi, ſed velut ingentia mala, aut peſtem, aut inimicos iubent declinare. Quo alio modo noxiam peſtileotiam fugere horraretur Deus Abraham, quàm cùm dixit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Eligens Dominus hunc ſanctum virum in ſeruum fidelem ſibi, hoc prius curauit à conſanguineis tanquam peſſimo contagio liberari, ac eximi. At mandatum Dei ita ſcrupuloſè executus eſt ille, vt cùm ex Vr Chaldæorum, vbi reuelationem Dei habuit, fugeret in Haram, cùm ibi pater ſuus eſſet, non plenè putauit vocationi diuinæ reſpondiſſe, ſi ſolùm cognatos deſereret, & patrem non relinqueret; quare ex Haram iterum abiit derelinquens & fugiens parentem dilectum; meruit profectò eſſe parentem Leuitarum, quia parentum, & cognatorum non modò ſancto odio, ſed occidione laudantur. Vnde ſanctus Ambroſius

Cap. 2. de fuga ſeculi. dixit: *Leuitæ fugitantes ſunt mundi huius, vt placeant Deo, relinquunt patriam parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique & Abraha dictum eſt: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Sed fortè dicas, Leuita non erat; ſed habebat in lumbis ſuis Leuim.* Etenim Leuitæ ſeruos Dei ſpirituales viros & ſacratos Dei ſignificant, qui ſpiritualiter genus ſunt Abraham, & Abraham pater credentium & ſeruorum Dei. Quare iubetur Abraham relinquere parentes, vt benedictionem Dei mereretur, & Leuitæ benedicuntur, quia parentes ſic reliquerunt, vt interficerent pro honore Dei, ac propterea gloriam meruerunt ſacerdotij. Hæc laus celebratur Tribus Leui à ſancto Moyſe. nam dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis: Ignoto vos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt. Religioſos reſpiciunt iſta verba, qui ſunt regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, Leui ſpiritualis. Hi debent ſic ignorare patrem, matrem, & fratres, vt ſanctè oderint, & omnem inordinatum affectum circa ipſos iugulent. Hæc eſt ſpiritualis interfectio parentum, quam ſignificauit facinus illud Leuitarum cùm zelo gloriæ Dei feruidi patres & fratres trucidarunt. Quo facto; fideles Domino inuenti eloquia Dei, & pactum diuinum ſeruauerunt, ideo & benedicti à Domino & electi; atque meruerunt ex ore Moyſes audi-

Exod 32. re: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio & in fratre ſuo,* (nimirum interfecto) *vt detur vobis benedictio*; quoniam iſ, qui in ſe trucidant affectum ſanguinis, benedictionibus Dei cumulantur. Hi eliguntur in gentem ſanctam: hi primatum habent in domo Domini: hi ditantur ſpiritualibus bonis: hi creſcunt de virtute in virtutem: hi Patrem cæleſtem imitantur; hi verè perfecti erunt. Quare putemus nobis ſpiritualiter dictum illud quod Leuitis Moyſes præcepit. *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite, & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum.*

Dauid autem durioribus verbis relinquere cognatos monuit. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum.* Hanc conditionem ſtatuit vt animæ noſtræ perfectè adhæreant Deo, & aſſiſtant illi tanquam dilectæ ſponſæ & Reginæ, vt perfectæ charitatis auro decorentur, vt pulchritudine variarum virtutum exornentur, vt denique deſiderabiles & pulcherrimæ Deo appareant, ſi obliuiſcantur parentum & cognationis ſuæ; cùm obliuiſci dicat, plus dicit quàm fugere parentes, quàm neſcire, quàm ignorare, nec enim ignorantia dicit ingratitudinem, aut contemptum aliquem, ſicut obliuio; quoniam ij dicuntur obliuiſci benefactorem, qui iis ingrati ſunt, qui deſpiciunt illos, qui iniurioſi illi ſunt; quare cùm Dauid præcipiat obliuiſci domus paternæ, cùm parentes ſint potiſſimi benefactores, ſic vult animam ſponſam Chriſti cum illis agere, vt quaſi ingrata videatur; nec mirum, hortetur Dauid ſic ingratos ſanctè eſſe parentibus, cùm eorum piè oſores nos velit Chriſtus; etenim cum iactura noſtræ ſalutis & perfectionis nec gratos eſſe illis, nec amare debemus temporaliter. Cùm autem in cognatorum conuerſatione & affectu, periculum noſtri profectus lateat, ideo Dauid obliuiſci eorum abſolutè iubet.

In nouo Teſtamento diſtrictiùs reprobatur tenera cognatorum affectio.

Capvt LXXXI.

Qvod ſi huiuſmodi in veteri Teſtamento parentes monemur relinquere; nos qui lege gratiæ fruimur, & ſpiritualiores debemus eſſe, & poſt Saluatoris noſtri doctrinam, quid facere debemus. Meritò hoc conſiderauit Monachus Theodorus cùm Abbati Pachomio mittenti illum ad videndum matrem,

reſpondit Theodorus: *Prius me venerabilis pater certum facito, quòd poſt tantam ſpiritualium rerum cognitionem, ſi video eam, non dabo inde rationem Domino in die iudicij, & quod præcipis faciam. Hanc enim iuxta mandatum Chriſti cum toto mundo deſerui, & quomodo eam in offenſionem fratrum nunc audebo conſpicere? Nam ſi prius ante manifeſtationem tantæ gratiæ filij Leui parentes proprios ignorarunt vt iuſtificationes legis implerent, quanto magis ego, qui tanti muneris particeps factus ſum, parentes non debeo diuinæ præponere charitati, dicente Domino in Euangelio:* Vitis PP. in vita S. Pachomij.

lio : Qui diligit patrem , aut matrem ſuper me, non eſt me dignus.

In Euangelio enim vbi accuratior traditur doctrina perfectionis, maiorque requiritur puritas ſpiritus , acerbiſſimè damnatur blandus conſanguineorum affectus , à quibus non tantùm egredi , & fugere , quos non tantùm neſcire & ignorare , quorum non tantùm obliuiſci , ſed eos odio habere tanquam hoſtes monemur. Sic Euangelicus Vates Iſaias prædixit de tempore Chriſti , ſic ipſe Chriſtus dixit. Sanctus ille Pro- Iſai 19. pheta ſemel inquit : *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem , & ingredietur Ægyptum , & commouebuntur ſimulachra Ægypti a facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius , & concurrere faciam Ægyptios aduersùs Ægyptios , & pugnabit vir contra fratrem ſuum.* Hæc ſigna promiſit aduentus Domini cùm hoſtile odium & prælium foret inter cognatos pro cœlorum regno. Cùm adeò ſpirituales futuri erant ſerui Dei, vt nihil carnalis cognationis haberent , imò ſancto odio fratres, & conſanguineos proſequerentur. Ipſe Chriſtus confirmans Iſaiæ vaticinium Matth. 10. ſic fatetur : *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere , ſed gladium ; veni enim ſeparare hominem aduersùs patrem ſuum, & filiam aduersùs matrem ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.*

Quia tamen bellum alia cauſa , quàm odij geri poteſt , acerbius alibi loquitur dulcis Ieſus, & odium expreſſit habendum aduersùs cognatos. Ipſe, ipſe qui dixit : *Diſcite à me , quia mitis ſum , & humilis corde* ; ipſe, qui præceptum inimicos diligendi dedit ; ipſe, qui eſt ipſa dulcedo, ipſa charitas , hæc dixit. *Si quis venit ad me , & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem , & filios, & fratres , & ſorores , adhuc autem & animam ſuam , non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quid durius quàm audire odium parentum, & hoc ex ore mitiſſimi & melliflui Ieſu ? nihilominus propter neceſſitatem extirpandi huius blandi affectus erga conſanguineos , expediebat ſic auſterè affabiliſſimum Ieſum loqui, vt puritatem ſancti ſui Euangelij ſtabiliret , & præcipua vitæ ſpiritualis impedimenta tolleret : quare non mirum ſi Euangelicus Propheta prædixiſſet, prout legit Iſai. 8. ſanctus Baſilius , *Contriſtabimini , & maledicetis principi & patria inſtitutis.* Patriæ & cognationi dicit Iſaias maledicendum non aliter ac principi huius mundi , qui Diabolus eſt , ſecundùm interpretationem eiuſdem Baſilij , hoc eſt, ita eſſe fugiendos & formidandos cognatos , ac ipſos malignos ſpiritus. Et quidem multis viris ſpiritualibus maiora intulerunt conſanguinei damna & impedimenta profectus ac perfectionis , quàm Dæmones per ſe poſſent. Dæmon quippe cognatis vtitur , vt quod ipſe per ſe nequit , per cognatorum obtineat mores & vſum. Iſai. 8. Vnde ſanctus Baſilius dixit. *Peruerſi enim mores , & vernaculi à maioribus velut per manum traditi ſunt , hi ſunt familiares Diabolo.* Et quidem dici poteſt quemadmodum in Hiſpania vocantur familiares ij Dæmones , quibus perditi homines vtuntur , vt operentur, quæ impoſſibilia ſunt humanis viribus ; ſic etiam ipſos Dæmones habere familiares conſanguineos alicuius, vt per ipſos exequantur quod diabolicam ſuperat virtutem. Quare non eſt cur miremur prædictum ab Iſaia peſſimis moribus quos ex cognatis contrahi poſſumus maledicendum, cùm ipſos cognatos Chriſtus moneat odio ſalutari habendos. Quem igitur non commouebit hæc rigida ſententia benigniſſimi Saluatoris, maximè cùm pœnam conſtitutam audiat , quòd nequeat eſſe diſcipulus Magiſtri cœleſtis, quem ſanguinis amor poſſidet. *Quare non pigeat* (inquit Euſebius) *nos* In Catena in Lucam cap. 14. *etiam propter ipſum, impios parentes deſerere , & à fratribus Deo inuiſis ſeparari , à filijs etiam filiabuſque ſeiungi , & Dei verbo quouis gladio ancipiti acutiore naturalia hæc amoris philtra vinculaque reſcindere, ſi pio affectui temeram aliquam, obſtaculumque obiecerint , quin & maximi ſupplicij comminationem adiecit , dicens apud Lucam quidem : Non poteſt meus eſſe diſcipulus; apud Matthæum verò , non eſt me dignus.* Matth. 10. *Cùm autem qui hæc dicit ſit is, qui in principio erat vnigenitum Dei verbum , & vita & ſapientia & lumen , & bonorum omnium plenitudo, illud vtique, non eſt me dignus , idem eſt ac ſi dixiſſet , non eſt dignus verbo Dei, neque vita, neque ſapientia, neque lumine, neque alio vllo bono.*

Et quidem Dominus Ieſus adeò neceſſarium duxit ad bonum ſpiritualis vitæ ædificandæ ſanctum ſanguinis proprij odium & cognatorum obliuionem , vt abſque hoc apparatu, non tantùm impoſſibilem ſignificet fœlicem exitum, ſed oſtendat ridiculum & imprudens principium, quod duobus , aptis quidem , exemplis, ſtatim oſtendit. *Quis enim ex vobis* , inquit, *volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt , ſi habeat ad perficiendum , ne poſtea quàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere , omnes qui videant , incipiant illudere ei, dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare,* Luc. 14. *& non potuit conſummare.* Non aliter videndus erit qui ſpiritualis vitæ opus aggreſſus poſtea deſiſtat & recedat ob inordinatum conſanguineorum affectum , quem ſi non euulſerit de corde ſuo , abſque dubio cœptum ædificium imperfectum relinquet. Æquè idonea eſt altera Chriſti ſimilitudo : *Aut quis Rex* (ait) *iturus committere bellum aduersùs alium regem , non ſedens priùs cogitat , ſi poſſet cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe ? alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt.* Quid eſt vita ſpiritualis niſi bellum indictum , aduersùs mundum , aduersùs carnem & ſanguinem , aduersùs propriam naturam. Quare impotentes erimus aduersùs tot hoſtes , ſi amorem ipſius naturæ non extirpauerimus ; quare non ſolùm non vincemus , quia impotentes erimus, ſed quia proditores noſtros amamus. Vnde facilè nos decipient , & tradent per inſidias , non tantùm cogemur cum mundo fœdus inire , ſed turpiter vincemur ; hi proditores ſunt cognati, &, vt inquit Dominus , inimici hominis domeſtici eius.

Neque minus oſtendit Dominus quàm contagioſus & noxius eſt ſanguis noſter , cum diſcipulo volenti ſepelire patrem ſuum , reſpondit, *Sequere me , & dimitte mortuos ſepelire mortuos* Matth. 8. *ſuos.* Quid rigidius , atque auſterius , & tantùm non iniquum videtur , quàm opera miſericordiæ quæ in extraneos , & inimicos exerceri meritum eſſet , erga ſuos prohiberi ? cur hoc , niſi vt hac ſeueritate ſanctiſſima oſtenderet Dominus quàm periculoſa ſit vicinia & conuerſatio parentum carnalium , vt vel mortuos curet vitari. Vnde

Lib 6. Mor. cap. 14. ſanctus Gregorius dixit: *Notandum eſt, quia electus diſcipulus dum à parentis ſepultura compeſcitur, hoc deuotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum & exteris debet.* Iſte mitiſſimi IESV rigor, iſta ſeuera clementiſſimi filij Dei ſententia prohibentis ſepelire patrem, plus nos monet conſanguinitatis diuortium, quàm cùm odiſſe docuit; neque enim odium inimicorum poſt mortem ſolet permanere, neque hoſtibus negatur ſepultura; cùm autem & odiſſe parentes Dominus dixit, & ſepelire interdixit, nocentiores nobis ipſis hoſtibus declarauit, cùm ſic eorum contagiem declinare velit, vt & viuos, & mortuos timeamus. Alteri enim dicenti, *ſequar te Domine; ſed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi ſunt;* quia tamen ad hoc reuiſurus erat cognatos, reſpondit Dominus tremendam illam pronuncians ſententiam. Lucæ 9. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Oſtendens quàm euidens periculum retrocedendi à perfectionis via ſit, etiam ſpecie boni inter cognatos conuerſari.

Quomodo Chriſtus Dominus ſe geſſit cum ſua ſanctiſſima matre, vt nos doceret deponere paruum cognationis affectum.

CAPVT LXXXII.

ALIA nihilominus rigidiora fecit & dixit filius Dei, quibus humanæ cognationis nimium affectum deteſtari nos cogeret. Etenim multo pluris quàm admonitio odio habendi parentes, & prohibitio ſepeliendi illos, vt in diſcipulos ſuos nos admitteret, mihi videtur momenti eſſe quòd amantiſſimam genetricem ſuam nunquam vocarit matrem, & toties videatur minus hilaris accepiſſe, quod fecit, vt exemplo ſuo diſſuaderet cognationis affectum; quoniam qui patrem ſuum prædicabat cæleſtem, carnis matrem noluit hoc nomine compellare: non quidem ex defectu amoris & reuerentiæ, ſed vt ſuo facto doceret, quod verbis monebat. Hinc eſt quòd mulierem, non matrem beatiſſimam Virginem appellaſſet. hinc fuit illa reſponſio: *Quid mihi & tibi mulier?* Serm de mutat aqua in vinum. Quod Beatus Bernardus ſic ad inſtitutum noſtrum conſiderat. *Quid mihi & tibi eſt mulier? Quid tibi & illi Domine? Nonne quod filio & matri; quid ad illam pertines quæris, cum ſis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipſa eſt, quæ ſaluo pudore concepit, & ſine corruptione te peperit? Nonne ipſa eſt, in cuius vtero nouem menſibus moratus es, cuius virgineis vberibus lactatus es, cumque iam duodecim annorum factus de Hieruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illi? Nunc ergo Domine, quid moleſtus es illi, dicens: Quid mihi & tibi? Multum per omnem modum; ſed manifeſtè iam video, quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam dixeris, quid mihi & tibi? Cum venientibus ad te (iuxta Matris præceptum) miniſtres, nihil cunctatus facias, quod illa ſuggeſſit. Vt quid ego fratres, vt quid ſic reſpondeat prius. Vtique propter nos, vt conuerſos ad Dominum iam non ſolicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant ſpirituale exercitium. Quandiu enim de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus: at poſtquam reliquimus nosmetipſos, multo magis ab illorum ſumus liberi ſolicitudine.* Et paulo pòſt. *Optimè ergo nos docuit Dominus ne ſoliciti ſimus ſuper propinquis carnis noſtræ, plus quàm religio poſtulet; quando ipſi matri, & tali matri reſpondit, Quid mihi & tibi eſt mulier?* Sed & in alio loco cùm ſuggeret ei quidam, quoniam foris ſtaret cum fratribus Domini quærens ei loqui, reſpondit. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Vbi modò ſunt qui tam carnaliter & inaniter ſuper carnaliter propinquis ſuis ſolent eſſe ſoliciti, ac ſi adhuc viuerent ei ipſi cum eis.

Quem iſtud non conuincet Chriſti exemplum, qui matrem ignoraſſe, matris obliuiſci, matrem non agnoſcere, matrem ferè, vt ita exaggerem, negaſſe videbatur. Extollenti enim vocem illi mulieri de turba, & dicenti, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti;* reſpondit Dominus, *Quinimo beati, qui audiunt* Lucæ 8. *verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Hoc factum à Chriſto, dicit ſanctus Bonauentura, vt exemplo oſtendat quod præcepit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Iterum cùm Maria quæreret ſuum filium dum concionaretur, & nunciatum illi eſſet: *Ecce mater tua, & fratres tui, foris ſtant* Matth. 12. *quærentes te.* Reſpondet Chriſtus: *Quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei?* Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: *Ecce mater mea, & fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Quis non mirabitur hanc duram reſponſionem, cùm tenerrimè matrem ſuam amaret Chriſtus? cùm eidem ſubditus fuiſſe dicatur? neque enim deerat illi amor vt matrem ſuam diligeret, nec humilitas vt agnoſceret talem; quoniam tamen oportebat exemplo ſuo nos erudire, & è viſceribus euellere cognationis affectum, ne propterea in profectu noſtro tepeſceremus; ideo toties voluit videri auſterè accepiſſe cognatos, & pariter oſtendere matrem ſuam plus à ſe diligi propter dona eius ſpiritualia, & heroicas virtutes, diuinæque voluntatis conformationem, quàm quia ex eius vtero carnem accepiſſet. Notandum quoque eſt hanc Chriſti ſeueritatem erga cognationem pro alieno profectu fuiſſe, eorum ſcilicet, qui audiebant illum, oſtendens non ſolùm pro ſalute & perfectione propria obliuiſcendos eſſe parentes & cognatos, ſed etiam pro fructu & vtilitate ſpirituali aliorum. Vnde ſanctus Iſidorus Peluſiota dicit: *Neque enim Chriſtus cum à matre* Lib. 1. ep. 159. *& fratribus quæreretur, ipſorum vocationem admiſit, cùm docendi munus auſpicabatur, atque auditorum ſaluti operam dabat;* hinc nimirum illud oſtendens, ſpiritualia negotia carnalibus antiquiora eſſe debere. Quid ergo nos facere decet pro perfectione propria, ſi pro ſalute proximorum relinquendi & nihili faciendi ſint cognati? Imò quid facere decet pro ſalute & perfectione propria ſimul & aliena, vtriuſque cura nobis incumbit, qui non tantùm ſaluti & perfectioni propriæ debemus

nupen

impenſè vacare, iuxta inſtitutum noſtrum, ſed eadem ſolicitudine inſiſtere ſaluti & perfectioni proximi. Denique ipſe filius Virginis cùm quæreretur ab ipſa ſanctiſſima matre ſuâ, non inter cognatos eſt inuentus. Quapropter ſanctus Bonauentura dixit: *Neque enim inter cognatos & notos Dominus inuenitur.* Vnde Bernardus ait. *Quomodo te* (bone Ieſu) *inter meos cognatos inueniam, qui inter tuos minimè eſt inuentus.*

1. p. ſpec.

Sciendum quoque hîc eſt, per obedientiam fieri iuris Chriſti, & ex ſpirituali eius cognatione fratres filij Dei, vnde minus tenemur carnalibus cognatis. Quamobrem dixit Beatus Laurentius Iuſtinianus. *Tanta enim excellentia eſt obedientia virtus quòd hominem fratrem Chriſti facit. Dum autem Dominus eſſet occupatus in officio prædicandi, ſuggeſſit ei quidam de matre & fratribus, inſidias tendens vt ſpirituali operi carnem & ſanguinem anteponeret. Cui Dominus: Ecce mater mea, & fratres mei, quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. Quare ſic reſpondit Dominus Ieſus? vtique propter vos & conuerſos ad Dominum iam non ſolicites cura parentum carnalium & neceſſitudines illorum non impediant exercitium ſpirituale. Quandiu enim in mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus; poſtquam verò per obedientiam nos metipſos reliquimus, nos ab eorum neceſſitatibus cognoſcamus eſſe ſolutos.* Imitemur igitur hæc filij Dei exempla, & viriliter, ac potenter extrahamus nos ab omni cognatione & affectu carnis & ſanguinis. Sanctus Dauid prædixit de Chriſto Domino, *Tu es, qui extraxiſti me de ventre.* Hebræus legit, *Auulſiſti me.* Chaldæus æquè ſignificanter, *In robore tuo leuaui me à viſceribus matris meæ.* Quibus verbis præſignificata videtur ſeueritas Saluatoris erga carnalem cognationem, & quàm feriò & viriliter ſe geſſit, vt gloriam Dei quæreret, nec nomina cognationis patiens audire. Vnde Nazianzenus dixit. *Nihil molle, nihil muliebre, nihil effœminatum geſtat, ſed ex virgineis ac maternis vinculis violenter ac potenter erumpit.*

De ligno vitæ c. XII.

Orat. 2. in Paſch.

Quibus ex cauſis cognati vitandi ſunt à viris ſpiritualibus.

CAPVT LXXXIII.

NVNC ratione comprobemus, cur tam rigidè viris ſpiritualibus, & dilectiſſimis filiis Dei tenet carnalium parentum interdicatur affectus. Qua alia ratione, niſi quia noxius ſit, & magna impedimenta opponat perfectioni Religioſorum, tum ex parte noſtra, tum ex parte parentum, & cognatorum. Etenim licèt cognati ſerui Dei, imò licèt ſint ſoliciti nos in ſpiritu iuuandi, licèt ex parte ſua nihil nos impediant, ſed congruam ferant opem; ſi tamen affectus noſter adhæreat illis, magnopere nocet profectui religioſo. Quis minus impedire cognatos & affines ſuos poſſet, quàm Chriſtus Ieſus? Quis magis potuit, aut voluit illos iuuare? nihilominus affectio ſenſualis quam erga illum habebant Apoſtoli, quarum maior pars conſanguinitate, aut affinitate Chriſto coniuncti erant, impediuit eorum profectum, & Spiritus ſancti aduentum; contrà verò Ioannes Baptiſta, qui cum Chriſto non conuixit, nec ſenſuali affectu erga illum afficiebatur, ſed ſpiritualiter illum diligebat, ad ſummam perfectionem peruenit & ſpiritu repletus fuit. Quapropter Dionyſius Carthuſianus dixit. *Ioannes tanquam vir perfectiſſimus & ſpirituali amore pleniſſimus de corporali Chriſti præſentia non curauit, nec aliquo ſenſuali affectu afficiebatur ad ipſum, nec corporaliter cum ipſo appetijt conuerſari, ſed altiori, diuiniorique modo iugiter ei conuixit, & familiariſſimè ac dulciſſimè fuit ei coniunctus, ſpiritualiter eum contemplans, & in ſuæ diuinitatis præſentia ſeipſum inceſſanter conſtituens, coram eo deambulans, ſicut Dauid ambulauit coram Domino, imò cum ipſo perambulans; quemadmodum Enoch cum Deo legitur ambulaſſe. Vnde & ipſi Apoſtoli ad corporalem Chriſti præſentiam & aſpectum taliter afficiebantur, quòd per hoc à plena Spiritus ſancti infuſione impediebatur. Propter hoc veritas ſumma Chriſtus Dominus dixit ad eos, ſi non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Hæc ille; qui poſtea addit, his edoceri quàm vehementer & ſanctè à ſpiritualis dilectionis puritate perfecta, & perfectione affectio impediat ſenſualis, dum & affectio ad mundiſſimam Chriſti humanitatem aliqualiter ſenſualis impediuit à ſuſceptione plenaria Spiritus ſancti Apoſtolos. Quòd ſi ſenſualis effectus erga Chriſtum, impediuit ſancti Spiritus deſcenſum, quis tutus erit cognatos ſpirituales & ſuperbos diligens, temere, & inutiliter communicans, in quo ſaltem illud damnum eſt, ſiquidem multis ſpiritualibus bonis & virtuoſis operibus tempus detrahitur. nam, vt ſanctus Ambroſius dixit: *Quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultus, à noſtro officio decerpitur.*

Serm. 4. de Bapt.

De fuga ſeculi c. 2.

Deinde licèt expiatus quis & exemptus prorſus exiſtat omni cognatorum affectu, attamen ipſi cognati magno illi impedimento erunt; parentes enim cùm animam non dederint filio, parum curant illam, ſolùm corporeis intenti, quia corpus ſolum dederunt; ſimiliter & conſanguinei, qui carnis ſolùm proximitate coniunguntur, & non ſpiritus, carnalia ſolùm ſapiunt, non ſpiritualia, nec æterna. Quis purior & ſanctior filio Dei, & tamen eius prædicationi obſtiterunt conſanguinei & conterranei, inter quos minores operatus eſt miraculorum virtutes, vt propterea ſanctus Marcus dixerit. *Non poterat ibi virtutem vllam facere*; multa probra, multas contumelias, in illum coniecerunt, eo quòd prædicaret ſalutarem populis doctrinam, mula facinora in eum auſi ſunt, quæ nec acerbi inimici excogitarunt; vocabant illum fabrum, dicentes, *Non ne hic eſt faber filius Mariæ.* Seruitium diuinum & executio voluntatis Dei ſcandalum illis erat, & furor atque amentia videbatur. Vnde dicitur, *Scandalizabantur in eo. Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quia in furorem verſus eſt.* Deinde, *Eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt eum ſuper ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Et quod peius eſt, terrena conſilia illi dabant. Idipſum quod nunc faciunt conſanguinei, cum viris religioſis. Dicebant enim, *ſi hæc facis, manifeſta te ipſum mundo.* hoc eſt, quemadmodum ſanctus Auguſtinus ait, *Appare hominibus, vt laudari poſſis ab hominibus.*

Mar. 6.
Matth. 6.

Matth. 13.
Marc. 3.
Luc. 4.

Ioan. 7.
Tract. 28. in Ioan.

uibus. Quapropter receſſit Saluator mundi è terra & cognatione ſua, vt liberè diuinum verbum ſeminaret, & voluntatem Patris perfectè impleret, atque illam dixit veriſſimam ſententiam,
Marc. 6. *Quia non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.* Quam exemplis confirmauit, quæ ſanctus Lucas addit:
Luce 4. *In veritate dico vobis, multa viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſeo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.* Sanctus Propheta Ezechiel vt primùm viſus prophetare vinctus catenis fuit à cognatis ſuis, contemptus & oppreſſus, multumque temporis duriſſimo carcere afflictus à ſuis.

Itaque rarus eſt Propheta, rarus eſt Sanctus, rarus eſt, qui cognationi & patriæ ſuæ ſpiritualiter proderit, æquè ac extraneis prodeſſet; tum, quia fides, & honos, à conſanguineis, & conciuibus non exhibetur ſanctitati debitus, non credentibus eum quem puerum cognouerunt, in eam ſanctimoniam, quam aliis oſtendit, excreuiſſe. Tum, quia cognati valde obſtant profectui, & ſanctitatis proceſſui, retrahentes ſeruum Dei à multis virtutum operibus, cogentes ſæpe vt ad ſuum vſum retorqueant authoritatem virtutis; tum etiam, quia in cognatione & patria ſua, difficile eſt cognationis mores deponere; nam ſanctus Baſilius dixit: *Patria ſunt dolus, mendacium, inuidia, verſuta alacritas ad perpetrandum quodlibet facinus.* Quare Religioſus, qui totus ſpiritus debet eſſe, carnalem cognationem non cognoſcat; qui proprium ſuum corpus, & naturam neſcire & abnegare debet, non diligat nimis genus. Qui conuerſationem ſuam in cœlis debet habere, cum terrenis conſanguineis non verſetur. Qui ad patriam cœleſtem properat, terreſtrem non quærat. Qui extra ſæculum fugit, nullum in ſæculo locum appetat. Optimè
Ad Mart. cap. 2. Tertullianus dixit: *Nihil intereſt vbi ſitis in ſæculo, qui extra ſæculum eſtis.* Dicamuſque cum
Orat. de Mach. ſancto Gregorio Nazianzeno, *Alius nobis mundus eſt, omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, longè*
Orat. in laudem Baſilij. *ſublimior, & iucundior.* Et alibi. *Nec vllum exilium agnoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, meam duco, immo vniuerſum Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus.*

Aliam rationem addamus, cur ſint cognati Religioſo contemnendi, non iam ratione alicuius lucri ſpiritualis, ſed propter commoditatem temporalem; ſiquidem non alia cauſa quærunt ſæculares cognatum religioſum, niſi vt illum faciant miſeriarum ſuarum participem, immo portatorem; tunc tantùm memores illius ſunt, cùm eius operâ indigent, quo tanquam ſeruo vti volunt ad ſua negotia, alioqui prorſus eius obliuiſcuntur; hinc fit vt pacem ſuam Religioſus amittat, vt turbetur, & implicetur cruciatibus & miſeriis ſæcularium; multas curas, multos timores, multas anxietates patiatur, vt totum mundi onus ferat ſine commoditatibus mundi; vt ſine fructu ſuo temporali & cum iactura æterni laboret pro ſuis. Quæque pro ſe nou quæreret, immo vt non quæreret, ingreſſus eſt religionem, pro aliis ſolicitat ſine vllo commodo ſuo. Itaque non quærũt Religioſum cognati, niſi vt in illum exonerent ſua onera, & fiat omnium iumentum, quæque ab aliis cognatis etiam magis coniunctis non auderent rogare, à Religioſo exigunt.

Quàm periculoſos Religioſis cognatos experientia docuit, & quomodo Sancti ſe geſſerint cum conſanguineis.

Capvt LXXXIV.

Denique experientia palàm oſtendit, quot damna inferant cognati Religioſis. Atque, vt taceamus iniurias, quas Ezechiel Propheta à ſuis paſſus eſt, & quas ipſe Chriſtus Dominus tulit, cuius virtutes & mirabilia quominus exerceret, impedimento eſſe conati ſunt conſanguinei, atque conciues. Etiam cùm iis ſalutares cupiunt eſſe Religioſi, ipſi ſunt noxij Religioſis. Etiam cùm nihil quærunt viri ſpirituales de carnalibus parentibus, niſi eorum ſalutem & æternitatem ſolent damnum percipere, quid fiet cùm commoditatem temporalem ab iis requirunt. Prætereundum non eſt quod ſanctus Bernardus ſcribit. *Vidi ego hominem cur-* Serm. 64. in Cant.
rentem bene, & ecce cogitatio (quid ni vulpecula fuit) quantum, inquit, bonum quo ſolus fruor, ſi eſſem in patria, poſſem vtique impartiri fratribus & cognatis, notis & amicis? Amant me, & facile acquieſcerent ſuadenti. Vt quid perditio hæc? Vado illuc, & ſaluo multos ex illis, & me pariter. Nec verendum in loci mutatione. Etenim dum benefaciam, quid intereſt vbi, niſi quòd illic proculdubio ſatiùs, vbi fructuoſius degam? Quid plura? It, & perit miſer, non tam exul ad patriam, quam canis reuerſus ad vomitum. Et ſe perdidit infœlix, & ſuorum acquiſiuit neminem. En vna vulpecula, iſta videlicet fruſtratoriâ ſpes, quam habuit in acquiſitione ſuorum. Potes tu quoque per te ipſum in te ipſo alias, atque alias ſimiles huic inuenire, ſeu aduertere ſi non negligas.

Quis meliore intentione viſere cognatos poſſet quàm hic Monachus qui prætextu ſalutis eorum, & zelo, vt ſibi videbatur, diuinæ gloriæ patriam adiit? & tamen ingens illud ſibi comparauit damnum. Quis ergo tam ſtultus eſt, vt cùm non hac bona intentione, ſed amore ſenſuali cum illis verſatur, putet ſine periculo poſſe. Hinc Sancti aliqui viri fuerunt ſcrupuloſiſſimi, & penè nimij videbuntur in hac materia, vt adhuc miſericordiæ opera, quæ cum aliis exercere magnæ virtutis eſſet, maiorem virtutem æſtimarent cum cognatis non exercere. Prior Abbas Antonij Ab- Pallad. hiſt. 87.
batis diſcipulus, nec ſororem viduam valetudineque affectam viſere voluit, cùm enim ab ea accerſeretur, dicente: Si ipſum vidiſſet, tam ſibi gratum fore vt inde ſanitatem ſe recuperaturam ſperaret, ire omnino recuſabat. Mox tandem compulſus iubente Abbate profectus eſt, & ſororis cubiculum oculis clauſis alterius ducatu ingreſſus, ſe quidem illi videndum præbuit, ſed illam ipſe minimè vidit, nec ab ea cognitus abiit,

abiit, eumque rurſum vt veniret inuitaretur. Et fui tecum, inquit, & vidiſti me; ſic ille excogitauit quomodo & Abbati morem gereret, & ſororem præſentem non conſpiceret. Doctor Michaël Turrianus Societatis noſtræ, cùm ſæpè patriam ſuam proximè præteriret, nunquam ingredi voluit, cognatos adhuc ſalutare recuſabat; & cùm confeſſarius fuit Catherinæ Reginæ Luſitaniæ, nunquam paſſus eſt videri ab illis. Sanctus Philippus Nerius non ſolùm cognatos deſeruit, ſed cùm vidit nobilitatis ſuæ inſtrumentum, rapit, quippe cui aberat gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Mirum eſt quod in conſanguinitatis odium præſcribitur in ſancti Pa-

Reg. S. Pach. chomij regula. *Si forte frater, vel propinquus alicuius Monachi aliquid attulerit ciborum, quibus in monaſterio veſci licitum eſt, ſuſcipere ipſe non poterit, ſed vocabit ianitorem, & ipſe allata ſuſcipiet, quæ ſi talia fuerint, quæ cum pane veſcenda ſint, nihil horum hi quibus allata ſunt, accipient.* Hæc ibi.

Tunc vtiliſſimus Religioſus eſt ſuis cognatis, cùm eorum obliuiſcitur.

Capvt LXXXV.

Qvid ergo, non ne grati debemus eſſe parentibus? vtique, & maximè Religioſi, ſed, vt inquit ſanctus Ambroſius,

In Luc. 9. & 12. *Neceſſitudini generis diuinæ religionis pietas anteferitur. Addo, idcirco parentes relinquere debemus, vt magis grati his ſimus, & eos magis amemus, vt eos meliori modo diligamus; etenim ſi eos reliquerimus vt toti Deo tradamur, conſequemur precibus noſtris quòd Deus illorum miſertus, ad ſalutem eos ducat æternam, & ſic pro vita corporali, quam ab illis accepimus, retribuemus ſpiritualem & æternam. Deinde amabimus illos non dilectione humana, & ſenſuali, quæ infida toties extitit, ſed charitate Dei, quæ fideliſſima eſt: & miſerum amorem carnalem eleuabimus in ſpiritualem, per quem plus & fideliùs & conſtantiùs & vtiliùs eos diligemus. Hoc eſt quod prudentiſſimè noſtris conſtitutionibus commendatur, ſanctum ſcilicet odium carnis & ſanguinis temporaliter quidem, & tale vt omnem carnis affectionem in charitatem puram tranſmutemus. Quid ſanctius & ſalutarius & prudentius quàm hæc ſententia, vnuſquiſque eorum, qui Societatem ingrediuntur, conſilium illud Chriſti ſequendo, qui dimiſerit Pa-*

Reg. 8. *trem, &c. exiſtimet ſibi patrem, matrem, fratres, & ſorores & quidquid in mundo habebat, relinquendum, immo ſibi dictum exiſtimet verbum illud: Qui non odit patrem, & matrem, & inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ita curandum ei eſt, vt omnem carnis affectum erga ſanguine iunctos exuat, ac illum in ſpiritualem conuertat, eoſque diligat eo ſolùm amore, quem ordinata charitas exigit, vt qui mundo, ac proprio amori mortuus Chriſto Domino noſtro ſoli viuit, eumque loco parentum, fratrum & rerum omnium habet.* Quid rationabilius, quid lucroſius, quàm hoc vltimum, nimirum habere Chriſtum loco parentum & fratrum. Quid enim rationabilius, quàm eum, qui nos habet loco matris & fratris, & ſororis, ſimilem rependamus gratiam, eum pariter habentes loco matris, & patris, fratris, & ſororis. Etenim benigniſſimus Ieſus quærentibus illum matre & aliis cognatis, quaſi ignorans & negans tunc aliam cognationem, dixit: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.* Matth. 12. Iuſtum igitur erit, vt nos quoque ignoremus & negemus pro Chriſto parentes & cognatos, & dicamus: Chriſtus, qui fecit voluntatem Patris cœleſtis, quæ eſt ſanctificatio noſtra, noſter frater & ſoror, & mater, & pater, & tota cognatio eſt. Deinde, quid vtilius & lucroſius & honorificentius, quàm eſſe filios, non hominis alicuius nobilis, & locupletis, non Regis modò, ſed Dei. Quid quæſtuoſius, quàm pro terreſtri patre habere cœleſtem, quàm Chriſtum ita nobis coniunctum eſſe, vt non ſolùm ſit nobis mater, non ſolùm pater, non ſolùm frater, ſed omnia ſimul, & mater, & pater, & frater, vna ac vniuerſa pariter. Nonne compenſabit is, qui Deus eſt, cùm omnis cognatio nobis ſit, pro vtilitate quam ab vno, vel altero cognato expectare poſſemus. Ab hoc Patre Chriſto, ab hac matre, ab hoc fratre, ab hac ſorore, ab hoc patrueli, ab hac tota cognatione, nonne impetrabimus aliquid pro patre & matre & cognatis, quos reliquimus propter ipſum? nonne vtilius erit ipſis parentibus & cognatis noſtris, non cognoſcere eos parentes & cognatos, vt Chriſtum habeamus patrem & cognatum? nam licèt eorum non meminiſſemus coram Patre noſtro cœleſti, ipſe recordaretur eorum. nam ſæpiſſimè propter filios religioſos & ſanctos bene facit Deus patribus & cognatis ſæcularibus. Nihil petierat Abraham pro cognato ſuo Loth, & nihilominus Deus meminit illius propter merita Abrahæ. Præterquam quòd debemus meminiſſe parentum coram Deo deprecantes pro ipſis æternam ſalutem; neque hoc vetat noſtra regula & doctrina Euangelij: immo, charitas & amor ſpiritualis hoc exigit. Præterea, nihil amplius recordari illorum debemus, niſi tales ſint, vt nihil nos impediant, & tales nos ſimus, vt nihil impediamur, tunc faciendum eſt quod ſanctus Chryſoſtomus dixit. *Vt enim cùm ſpiritualia impediunt parentes, ne cognoſcendi quidem ſunt; ita cùm nihil impediunt, meritò omnia his ſunt tribuenda, & omnibus præferendi; quia genuerunt, quod educarunt, quòd innumeras pro ipſis moleſtias ſubierunt.* Hom. 84. in Ioan. Hæc ſanctus Chryſoſtomus. Verùm cùm tarò inueniantur, qui non obſtent & retrahant à diuino ſeruitio, & non debeamus nos tales putare, vt vltro in ipſis non impediamur, licèt illi nolint impedire; nam hoc ſuperbia magna eſſet. Idcirco tam ſeriò aduersùs cognationis affectum & conuerſationem Chriſtus in Euangelio loquitur, & ſancti Patres magiſtrique vitæ ſpiritualis abſolutè eorum prohibent ſeuerè congreſſum. Deinde ſanctus Chryſoſtomus ſolùm de parentibus loquitur; nam aliis cognatis ſimili obligatione non tenemur.

Denique magnam gratiam referent parentibus, & ſibimet ipſi comparabunt Religioſi ferui-di, exangues & omni prorſus exuti cognationis affectu, quoniam rediment & obſtabunt, ſuppliciis, quibus ſolet Deus animaduertere in eos parentes, qui à diuino ſeruitio reuocant filios, & nonnunquam per ipſorum filiorum interitum; & vnà pariter & patres & filios punit. Etenim

magno quidem ſupplicio dignus eſt pater, qui propter vilem materiam, quam communicauit filio, oolit ſibi perferri cæleſtem Patrem, qui & ipſam materiam, & ſpiritum & animam dedit illi, maximè cùm videatur nolle recognoſcere ius ſupremi Patris & Domini & Regis, & creatoris noſtri, cui patres non ſolùm debent filios, ſed ſemetipſos. De Dario Perſarum Rege ſcribit Se- *Lib 2. de Ira. cap.17.* neca cùm bellum Scythis indixiſſet Orientem cingentibus, rogatus ab Oebazo nobili ſene vt ex tribus liberis vnum in ſolatium patri relinqueret, duorum operâ vteretur, plus quàm rogabatur pollicitus omnes, ſe illi dixit remiſſurum, & occiſos in conſpectu parentis abiecit. Idem de Xer- *Cap.18.* xe narrat: Pythio quinque filiorum patri vnius vacationem petenti quem vellet eligere permiſit. Deinde quem elegerat in partes duas diſtractum ab vtroque viæ latere poſuit, & hac via luſtrauit exercitum. Quòd ſi Reges ſæculi ſic irati ſunt quòd parentes aliquem ſibi filium reſeruare vellent, & non omnes tradere regio ſeruitio etiam cum periculo vitæ, quanto iuſtius ſupremus Rex cœli & terræ iraſcetur aduersùs eos patres, qui à diuino ſuo ſeruitio reuocare velint liberos, vbi non periculum mortis incurrent, ſed euitant, vbi ſalutem conſequentur, æternamque vitam.

Cæterùm ne rigidius quàm par eſt aliquid à nobis putetur dictum, aliquot exhibeo ſanctiſſimorum Doctorum ſententias circa affectum cognatorum. nam cùm profundè impreſſus tenaciter inhæreat cordibus noſtris, tum ſummè neceſſarium ſit extirpari, multis oportet modis ad hoc conniti, neqoe parum ſpero adiutura S. Baſilij, & ſancti Gregorij, & ſancti Bernardi dicta.

Doctrina ſancti Baſilij de vitandis propinquorum congreſſibus.

Capvt LXXXVI.

Cap.20. conſt. Monach. A Propinquis autem amicis parentibuſve animi affectione nos tam longè oportet eſſe diſiunctos, quàm longè eos, qui iam ſunt vitâ defuncti à viuis videmus diſtare. Qui enim verè ſe ad ea, quæ ex virtute ſunt certamina, exuerit, mundoque, ac rebus mundanis omnibus nuntium remiſerit, quique (vt plus aliud dicam) mundo ſe ipſum crucifixerit, is mundo, & omnibus, quæ in mundo ſunt, mortuus eſt, ſiue illi parentes ſint, ſiue fratres, ſiue tertium, quartumve, aut quemuis deinceps cognationis gradum obtineant. Ac ſiquidem parentes à communi vita receſſerint, & ad filij ſe viuendi inſtitutum conſuluerint, veri tum illi habendi propinqui ſunt, non qui parentum, ſed qui fratrum locum obtineant. Siquidem veriſſimus pater eſt, primus quidem qui communis omnium eſt pater, ſecundùm illum verò deinceps ij, penes quem ſpiritualis viuendi ritus moderatio eſt. Si verò in priſtina vitæ conſuetudine propinqui noſtri permaneant, ij pars mundi ſunt, à quo diſiuncti nos ſumus; neque vlla nobis cum illis neceſſitudo interdicit, qui externum hominem depoſuerimos, & propinquitatem, quam cum ipſis habemus, exuerimus. Qui autem maiorem in modum ſæcularium hominum amicitia delectatur, eàque re aſſiduè cum illis eſſe in colloquiis cupit, is ex frequenti cum illis ſermone prauas eorum affectiones in animum facile inſinuauerit, & mente rurſum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa, quàm erat aggreſſus inſtantia operis deſciſſet, & à ſe deinceps proſcripta vitæ ſtabilitate, quem ex animo effuderat vitæ priores vomitum reſorbebit, atque adeò ſaucius tandem concidet, & miſerè confixus ab hoſte, qui ſpiritualem eius conuerſationem inturbare conſueuerat per congreſſionem intempeſtiuam propinquorum carnalium. Quocirca danda nobis opera eſt, vt propinquis noſtris ea optemus, quæ optima ſunt, iuſtitiam dico, ac pietatem ad Deum, eaque, quæ magni nos æſtimauimus. Siquidem huiuſmodi rerum precatio cùm nobis honeſta eſt, tum illis non mediocrem fructum per nos allatura. Quare profuerit vt nihil eorum ſuliciti cogitationes ipſi in libertatem, ab omni cura & anxiè ſolicitudine vindicemus. Diabolus enim cùm omnes nos de rebus vitæ huius curas exuiſſe animaduertit, & expeditiſſimo curſu ad cœlum contendere in hoc elaborat, vt cùm animum noſtrum in propinquorum recordationem reduxerit, eò ſenſim adducat, vt rationibus illorum curandis mentem noſtram ad ſuſcipiendas rerum vitæ huius ſolicitudines impellat, vt videlicet illa ſecum verſet, quæ res propinquorum ſit, eiuſmodive qua ſe poſſint ſurari, ac non: ex contractibus præterea lucra quæ veniant, & illorum fortunas, quantopere exaugeant: ad hæc ex variis ac fortuitis vitæ caſibus, quæ iacturæ contingant, eæque illorum rem quantopere minuant: facitque vt & rebus illorum ad vitæ commoditates proſperis vnà cum ipſis lætemur, itemque ex aduerſis doleamus: ſimiliterque vt cum eorum inimicis pariter inimicitias geramus, (&, quod grauius eſt, qui iuſſi ſumus vt inimicum neminem habeamus) & amicis contrà foueamus, indignis ſæpe ſpirituali coniunctione: præterea vt de iniquis, ac per illorum fraudes quæſitis lucris gaudeamus: prauas denique omnes de rebus vitæ huius affectiones, quibus exutis earum loco ſpirituales cogitationes induxerámus: denuo in animum nobis reducit quo iterum ad rerum humilium atque ſæcularium cogitationem depreſſo internum Monachum perimit: fit hinc vt veluti ſtatua ſit Monachus, quæ ſolam Monachi figuram circumferat, nimirum quæ nuſquam virtutibus ſit animata. Quin accidit plerumque, vt ex immoderata erga ſuos beneuolentia Monachus, vt propinquorum inopiæ ſuccurrat, ſacrilegij ſcelere obſtringere ſe non dubitet. Quæ enim ad eorum vſus ſeruantur, qui Deo ſe dedicauerunt, ea ſacra & verè in earum rerum numero quæ Deo conſecratæ ſunt eſſe, & intelliguntur & indicantur. Quocirca quicumque ex his quippiam ſibi ſurripit, is ſine dubio ex his eſt, qui auſu temerario ſacrilegia deſignarunt, iudicandi ſunt. Intellecto igitur intolerabili detrimento quo ex animi erga propinquos noſtros affectione nobis naſcatur, ſolicitudinem de illorum rebus vt diabolicum telum fugiamus, ſiquidem Dominus etiam ipſe huiuſcemodi affectionem & conſuetudinem vetuit; qui quidem ex diſcipulis ſuis cuidam ne id quidem vnum permiſerit, vt res ſuas cum propinquis ſuis componeret. Alteri, vt ne cadauer quidem mortui patris humo ſuper-

iniecta

iniecta contegeret. Ei enim, qui tes ſuas cum propinqnis ſuis compouere volebat, ſic ait: *Nemo qui miſit manum ſuam ad aratrum, reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Ei verò qui ipſum rogabat, vt ſineret ſe patrem ſepelire, *ſequere me,* dixit, *& ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Atqui qnæ vterque rogabat, rationi maximè conſentanea eſſe videbant, ac iuſtiſſima; ſed enim ne vtiquam ea Saluatot probauit, neque vel ad punctum quidem temporis ſeiungi ab ipſo cœleſtis regni alumnos permiſit, ne ſublimi illa & cœleſti animi elatione humilius aliquid vel facerent, vel cogitarent, mente in rerum terrenatum, fragiliumque cogitatione depreſſa & accliui: tanquam qui ad res cœleſtes animum adiunxerunt, iis ne vtiquam liceat, eorum quæ in tetra ſunt, rationem vllam habere, vt qui iam ex ea animo emigrauerint, & mentis contemplatione altiores mundo ſint effecti. Si verò aliquis dicat: Quomodo igitur lex præcepit habendam eſſe curam propinquorum? quando dicit, & à propinquis ſeminis rui nolito vultum auertere; & Apoſtolus cùm dixit: *Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Huic paucis reſpondebimus, hoc ab admirabili Apoſtolo dictum fuiſſe iis, qui in communi & vulgari genere vitæ verſabantur, qui diuites erant, & propinquorum inopiæ poterant ſubuenire. Similiter quoque lex etiam hæc dicit. Atque, vt dicam breuiùs, viuis dicta ſunt illa, non mortuis. nam hi quidem ab omni prorſus huiuſmodi debito liberi ſunt. Tu autem mortuus es, & toti mundo crucifixus, reiectis enim vitæ huius diuitiis ſummam paupertatem complexos es, cùm te ipſum Deo dedicaueris, in peculiarem Deo theſaurum adſcitus es, vt mortuus liber es ab omni in propinquos tributi collatione, vt nudus omni rerum poſſeſſione, nihil iam habes quod largiatis. Quin ne in corpore ipſo quidem tuo, quod alioqui in tuo ęre fuerat, poſtea quàm illud Deo ſemel conſecraſti, ius tibi vllum reliquum eſt, tanquam in re Deo dedicata, & ſceleratè facis ſi ad hominum vſum illud accommodes: ſed cum iis tantummodo, qui idem tecum vitæ inſtitutum tenent, veluti qui Deo ſe penitus dediderunt, tibi verſandum eſt. Qui igitur ea in te conuenient quæ de ſacroſancta Scriptura à nobis memorata ſunt? aut quomodo non peccatum incurres qui inuum cum Deo de colenda pietate fœdus violes. Hæc in conſtitutionibus monaſticis Baſilius.

Non tamen ſilentio prætereunda ſunt nonnulla, quæ in regulis fuſiotibus admonuit. Illud, inquit, cauendum eſt, ne qui intra reliquorum ſemel fratrum Ordinem recepti fuerint, iis ab Antiſtite permittitur, vt mente diſtracti huc illucque cogitatione temere rapiantur, ſimulationeve propinquorum viſendi ſuorum, à reliquis fratribus diſcedant, ac viam in obſcuro ſine vllis teſtibus agant, aut certè curam ſuſcipiant cognatorum ſecundùm carnem, prætextu quouis illi patrocinandi. Præter id enim quod viſitatione noſtra vtilitatis ipſis nihil afferimus, incommodum etiam illud accedit, quòd vitam noſtram ſexcentis curis, ac perturbationibus exponimus, eaque re ipſi ad peccandum nobis multiſariam occaſionem acceſſimus. In eo ſummè eſt elaborandum, vt iis, qui ſe adhuc in veræ pietatis ſpatiis exercent, omnes ab omni parte ad peccandum cauſæ circumcidantur: in quibus illa eſt maxima recordatio vitæ ſuperioris, ne quando id illis vſu veniat quod dictum eſt, quòd cordibus ſuis conuerſi ſunt ad Ægyptum; quæ res per frequentem cum naturalibus propinquis conſuetudinem ac familiarem congreſſum ſolet accidere. In vniuerſum autem nemini eſt permittendum neque propinquo, neque alieno, ſermonem cum fratribus de re vlla inſtituere, niſi de illis id planiſſimè nobis ſit perſuaſum prius, quibus de rebus colloquuturi illi inter ſe ſint, eas ad ædificationem & tranquillam animarum ſedationem conducere.

Sententia ſancti Gregorij de laqueis & impedimentis quæ obijciunt cognati viris ſpiritualibus.

CAPVT LXXXVII.

SVNT plerique, qui non ſolùm aliena non appetunt, verùm etiam cuncta, quæ poſſederant in mundo, derelinquunt, ſemetipſos deſpiciunt, nullam præſentis vitæ gloriam requirunt, ab huiuſmodi ſe actibus ſeparant, & penè quidquid proſperitatis arriſerit, calcant; ſed tamen adhuc vinculo carnis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiſcretè deſeruiunt, ad ea ſæpe per affectum cognationum redeunt, quæ iam & cum proprio deſpectu ſubierunt; cumque pluſquam neceſſe eſt carnis propinquos diligunt, retracti exteriùs à cordis parente diuiduntur. Nam ſæpe quoſdam videmus (quantum ad proprium ſtudium ſpectat) iam præſentis vitæ deſideria non habere mundum & opere & profeſſione reliquiſſe; ſed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum, prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi ſtudia in ſe iam dudum deſtructa reparare. Quo itaque iſti niſi in tere ambulant, quos à præſenti ſæculo inchoata iam vitæ perfectio ſoluerat, ſed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Qui enim diſtricto ſtudio, & non diſſolutis greſſibus æternæ ſponſionis præmium ſequuntur, ſicut ſemetipſos pro diuino amore deſpiciunt, ſic cuncta, quibus ſe ſentiunt præpediri, poſtponunt: & cùm pro Deo neceſſe eſt, vt quibus valent, cunctis inſeruiant, pro Deo priuata obſequia etiam propinquis negant. Hinc eſt enim quod quidam cùm diceret. *Permitte mihi prius ire, & ſepelire patrem meum;* protinus ex ore Veritatis audiuit. *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Qua in re notandum eſt, quia electus diſcipulus dum à parentis ſepultura compeſcitur, hoc deuotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu naturali propter Dominum non licet, quod propter Dominum & cæteris debet. Hinc rurſum Veritas dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quo in loco videlicet dum propinquorum odio, animæ quoque noſtræ odium ſubinfertur, patenter oſtenditur, quia ſic propinquos ſicut nos metipſos

Lib. 7. Mor, cap. 14.

Matth. 8.

Luca 11.

metipſos odio habere præcipimur, vt hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cùm præpedit, poſtponentes, diſcamus temperata eos diſcretionis arte & conuenienter diligere, & ſalubriter odio habere, quatenus ſic ſciat per amorem ſurgere, vt valeamus eos veriùs per odium amare. Hinc rurſum per Moyſen dicitur:
Deut 33. *Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis: Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum,& ſeruauerunt iudicia tua.* Ille enim ſcire Dominum familiariùs appetit, qui præ amore pietatis neſcire deſiderat, quos carnaliter ſciuit. Graui etenim damno ſcientia diuina minuitur, ſi cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quiſque ac proximos debet fieri ſi vult parenti omnium veriùs iungi: quatenus eoſdem quos propter Deum viriliter negligit, tanto ſolidiùs diligat, quanto in eis affectum ſolubilem, copulæ carnalis ignorat. Debemus quidem & temporaliter his, quibus viciniùs iungimur, plus cæteris prodeſſe, quia & flamma admotis rebus incendium porrigit, ſed hoc ipſum priùs vbi naſcitur, incendit. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoſcere, ſed tamen hanc cùm curſum mentis præpedit, ignorare: quatenus fidelis animus diuino ſtudio accenſus, nec ea quæ ſibi ſunt in infimis coniuncta, deſpiciat, & hæc apud ſemetipſum rectè ordinans, ſummorum amore tranſcendat. Solerti ergo cura prouidendum eſt, ne carnis gratia ſurrepat, atque à recto itinere cordis greſſum deflectat, ne vim ſuperni amoris impediat, & ſurgentem mentem ſuper impoſito pondere deorſum premat. Sic etenim quiſque propinquorum debet neceſſitatibus cõpati, vt tamen per compaſſionem non ſinat vim ſuæ intentionis impediri; vt affectus quidem mentis viſcera repleat, ſed tamen à ſpirituali propoſito non auertat. Neque enim ſancti viri ad impendenda neceſſaria, propinquos carnis non diligunt, ſed amore ſpiritualium ipſam in ſe dilectionem vincunt: quatenus ſic eam diſcretionis moderamine temperent, vt per hanc in paruo ſaltem, ac minimo à recto itinere non declinent. Quos bene nobis per ſignificationem vaccæ innuunt, quæ ſub arca Domini ad montana tendentes affectu ſimul & rigido ſenſu gradiun-
1. Reg. 6. tur, ſicut ſcriptum eſt. *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vitulosque earum clauſerunt domi, & poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum.* Et paulo pòſt. *Ibant in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſamis, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinantes neque ad dextram, neque ad ſiniſtram.* Ecce enim recluſis domi vitulis, vaccæ, quæ ſub arca Domini plauſtro religantur, gemunt, & pergunt; dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non demutant greſſus. Amorem quidem per compaſſionem ſentiũt, ſed colla poſteriùs non deflectũt. Sic ſic neceſſe eſt, vt incedere debeant qui legis iugo ſuppoſiti iam per internam ſcientiam Dei arcam portant: quatenus per hoc quod propinquorum neceſſitatibus condolens, à cœpto rectitudinis itinere non declinent. Bethſamis quippe domus Solis dicitur. Arca ergo Domini ſuperpoſita Bethſamis pergere, eſt, cum ſuperna ſcientia ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethſamis tendimus, cùm viam rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinamus. Quorum nimirum gratia mentem noſtram tenere debet, ſed reflectere non debet; ne hæc eadem mens, aut ſi affectu non tangitur, dura ſit, aut plus tacta, ſi inflectitur, remiſſa. Intueri libet beatum Iob, in quo diuini timoris iugo colla cordis attriuerat, ſub quanto diſcretionis moderamine diuinæ ſcientiæ arcam portat. Amiſſis namque vitulis mugit; quia audita morte filiorum in terram tonſo capite corruit: ſed recto tamen itinere mugiens graditur, quia os eius in gemitu ad Dei laudes aperit, cùm protinus dicit, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Sed indiſcretæ mentes hanc viuendi regulam neſciunt, & quo vias Dei diſſolutæ appetunt, eo ad mundi itinera ſtultè replicantur.

Dictum ſancti Bernardi ex perſona cuiuſdam Monachi ad parentes ſuos.

CAPVT LXXXVIII.

SOLA cauſa, qua non licet obedire pa- Epiſt.111.
rentibus, Deus eſt, ipſe enim dicit: *Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Si me verò vt boni, vt pij parentes diligitis, ſi veram, ſi fidelem erga filium pietatem habetis, quid me patri omnium Deo placere ſatagentem inquietatis, & ab eius ſeruitio, cui ſeruire regnare eſt, retrahere attentatis? Verè nunc cognoſco, quia inimici hominis domeſtici eius. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnoſco parentes, ſed hoſtes, ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad meum, atque veſtrum, immo vniuerſorum patrem. Alioquin, quid mihi & vobis? Quid à vobis habeo niſi peccatum & miſeriam? Hoc ſolum quod geſto corruptibile corpus, de veſtro me habere fateor & cognoſco. Non ſufficit vobis quòd me in hanc ſæculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis: quòd in peccato veſtro, & peccatores peccatorem genuiſtis: quòd in peccato natum de peccato nutriſtis: niſi etiam inuidendo mihi miſericordiam quam conſequutus ſum, ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis. O durum patrem! ô ſæuam matrem! ô parentes crudeles, & impios! immo non parentes, ſed peremptores, quorum dolor, ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filij eſt, qui me malunt perire cum eis, quàm regnare ſine eis. Qui me rurſus ad naufragium, vnde tandem nudus euaſi, rurſus ad ignem, vnde vix ſemiuſtus exiui, rurſus ad latrones, à quibus ſemiuiuus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano iam aliquantulum conualui, reuocare conatur: & militem Chriſti propè iam rapto cœlo triumphantem (quòd non in me glorior, ſed in eo qui vicit mundum) ab ipſo iam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum, ad ſæculum reducere moliuntur. Mira abuſio, Domus ardet, ignis inſtat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, euadenti

ſuade

ſuadetnt regredi. Et bæc ab ïis qui in incendio poſiti ſunt, & obſtinatiſſima dementia ac dementiſſima obſtioatione fugere periculum nolunt. Proh furor! ſi vos contemnitis mortem veſtram, cur etiam appetitis meam? Quare vos non potiùs ſequimini me fugientem, vt non ardeatis? Au hoc eſt veſtri cruciatus leuamen, ſi me etiam perimatis: & hoc ſolùm timetis, ne ſoli pereatis? Ardens ardentibus quod ſolarium præſtare poterit? Quæ, inquam, conſolatio damnatis ſocios habere ſuæ damnationis? Quodve remedium morientibus alios videre morientes? Non hoc mihi perſuadet diues ille, qui in tormentis deſperatus de ſui liberatione rogabat nunciari fratribus ſuis, ne & ipſi venirent in locum eumdem tormentorum, timens proculdubio ex ſuorum cruciatu augeri ſuum. Quid ergo? Ibo, & conſolabor lugentem matrem meam, mei ad tempus viſitatione, & in æternum lugeam, & me, & ipſam ſine conſolatione? Ibo, inquam, & ſatis faciam Patri meo iraſcenti pro mei ad tempus abſentia: conſolandus & ipſe ad tempus de eius præſentia, vt poſtmodum, & quiſque pro ſe, & vterique pro alterutro inconſolabili deſolemur triſtitia? En potiùs exemplo Apoſtoli non acquieſcens carni, & ſangu...i, vocem audiam Domini iubeotis. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*; & caotabo cum Dauid. *Renuit conſolari anima mea*; & cum Hieremia, *Diem hominis non concupiui Domine, tu ſcis.* Quid enim? *Funes ceciderunt mihi in præclaris, & cæleſtis hæreditas præclara eſt mihi.* Et terrena adulatur promiſſio; blanditur conſolatio carnis. Guſtato ſpiritu neceſſe eſt deſipere carnem. Affectanti cæleſtia, terreoa non ſapiunt; æternis inbianti, faſtidio ſunt tranſitoria. Deſinite igitur parentes mei: deſinite & vos fruſtrà plorando affligere, & me gratis reuocando inquietare, ne ſi adieceritis nuncios vltrà mittere pro me, plus me elongare eogatis, ſi autem dimittitis, claram vallem in perpetuum non dimittam? Hîc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. Ibi pro meis, atque veſtris peccatis iugiter orabo; ibi precibus aſſiduis (quod & vos cupitis) impetrabo, ſi potero, vt qui eius amore modico tempore hoc ab inuicem ſeparamur, in alio ſæculo ſimul fœlici, & inſeparabili ſocietate in eius amore viuamus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Quomodo vtendum naturali affectu, ex D. Aëlredo.

Capvt LXXXIX.

Hic quoque opportunè dicemus de naturali in vniuerſum affectu qui erga ſe, & conſanguineos exercetur, qualiter ſeruandus, moderandus, & dirigendus, quod ſic Abbas Aëlredus explicuit. Hunc ſanè affectum ſicut non admittere impoſſibile eſt, ita non ſequi ſummæ virtutis eſt. Nemo enim ſe ipſum odio habuit, & tamen, *qui venit ad me* (ait Saluator) *& non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Similiter, *qui venit* (inquit) *ad me, & non odit patrem, & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* E contra Apoſtolus, *Qui ſuorum, maximè autem domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Quid ergo? contraria ſenſiſſe æſtimandi ſunt magiſter & diſcipulus, ſeruus ei domious, ipſa veritas & animus veritatis? Abſit. Diſtinguendi ſunt ergo duo amores, alter ſecundùm affectum, alter ſecundùm rationem; naturale quidem eſt, quòd homo erga ſe, & ſuos affectum habet, ſed amorem ſecundùm affectum habere non debet; ſecundùm rationem verò babere debet. Affectus ipſe oſtenditur cùm per Apoſtolum dicitur, *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit.* Amor autem ſecuodùm affectum, ipſius Saluatoris auctoritate interdicitur, qui ait. *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Amor ſecundùm rationem, indicitur, cùm idem dicit Apoſtolus, *qui ſuorum, maximè autem domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Amor ſecundùm affectum arguitur, cùm futura mala prænuncians idem Paulus ait inter cætera, *& erunt homines ſe ipſos amantes.* Quod verò hic amorem ſecundùm affectum intellexerit, docent ſequentia: *Erunt enim*, inquit, *homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis, quàm Dei.* Semper etenim affectus iſte mollia ſuggerit & ſuauia; quod iucundum, quod tenerum, quod voluptuoſum, quod delicatum, libenter amplectitur; quod verò arduum, quod aſperum, quod voluntati contrarium, omni honore refugit & euitat. Quocirca affectus huius executio, amore peruerſus eſt, hominem exuens homine, formam induens beſtialem; quod rationis, quod honeſtatis, poſtremò quod vtilitatis obruens quodammodo, & abſcondens. Hic amor propriè conuenit beſtiis; excuſatur in pueris. nam illis ratio non infunditur, in iſtis ſopitur. Denique vtrumque hunc amorem breuiter Saluator ipſe diſtinguens, *Qui amat*, inquit, *animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam inueniet eam.* Proinde, vt ait Sanctus ille: ſi malè amaueris, tunc odiſti, ſi bene oderis, tunc amaſti, qui enim amat ſecundùm affectum vtique odit, quia qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam; qui verò odit ſecundùm affectum, ſecundùm rationem diligit. Ad hoc enim addidit *in hoc mundo*, quia quicquid in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Quis itaque animam ſuam ſecundùm affectum amat, in hoc mundo amat; quia in concupiſcentia carnis, in concupiſcentia oculorum, in ſuperbia vitæ, quæ omnia affectus ſuggent, amat. Hac diſtinctione id quoque ſoluitur quod quærunt quidam, quid videlicet diſtet inter amorem qui in Deo eſt; & illum, qui exhibetur propter Deum. Affectus quippe non propter Deum aſſumitur, ſed in ipſa anima aut naturaliter, aut accidentaliter oritur. Proinde ſi ei, cui animus quadam ſpontanea, ac dulci inclinatione ſeſe refundit, totus amor ſecundùm iſtum affectum exhibeatur, iſte nec in Deo, nec propter Deum, ſed potiùs propter ſe amatur; ſi verò is, quem affectus iſte complectitur, in Dei dilectionem pariter aſſumitur, amorque ipſe ex affectu ſapiat, ſed eius exhibitio ex rationis moderamine pendeat, huius vtique amor, non primò propter

Lib. 3. ſpeculi charit. c. 26.

Deum aſſumitur, ſed in Deo ſalubriter exerceatur. Portò ei, quem affectus ipſe reſpuit, & enitar, ſi conſideratione diuini præcepti nos metipſos, vt oportet, exhibuerimus, ac quicquid dictauerit ratio, prout indiguerit impenderimus, iſte non propter ſe, ſed tantùm propter Deum, diligitur. Igitur amicus qui non poteſt non diligi, diligatur in Deo; inimicus qui non propter ſe poteſt diligi, diligatur propter Deum; ille ex affectu, iſte ex ratione. Hic itaque modus in naturali ſeruetur affectu, vt habeatur quidem, & ſentiatur, ſed in omnibus & per omnia rationis moderamine temperetur. Denique Ioſeph ſanctus priùs lachrymis naturalem erga fratres proteſtatur affectum, quem ſi vir ſanctus ratione poſtpoſita ſequeretur, nequaquam fratres ſalubri dolore à proditionis crimine purgarentur. Saluator quoque pium erga ſuos indutus affectum, ruituram ciuitatem compaſſione mirabili deplorauit; nihilominus tamen eiuſdem ciuitatis ſcelera, ſummæ calamitatis iniuria ex rigore iuſtitiæ caſtigauit. Ad quam regulam vtinam rectores Eccleſiæ ſuum caſtigarent affectum, quorum multi domeſticos ſanguinis ſui nimis carnaliter amplectentes, non ſolùm eos à mundi vanitate & voluptate nullo rigore compeſcunt, imò ex ipſo pretio ſanguinis Chriſti, vnde ſuas expleant libidines, damnabili præſumptione proſpiciunt. Proh dolor! Et in talium libidines tuus ſanguis aſſumitur Domine IESV, erigitur crux tua, panduntur vulnera tua, ioſumitur pretium mortis tuæ. Vt iſti habeant currentes canes, aut volantes, equos ſpumantes, nudantur in pauperibus latera tua; ridentur verbera tua, effunduntur viſcera tua. Vides iſta IESV meus, vides iſta, & taces; ſed numquid ſemper tacebis? imò, inquis, vt parturiens loquar.

Chriſtus eſt habendus loco parentum, & rerum omnium, ex ſancto Petro Damiano.

CAPVT XC.

VT verò ſuauem faciamus hanc cognatorum obliuionem cum præſentia & cognatione Chriſti IESV, quem loco rerum omnium habere in eadem iubemur regula, qua conſanguineorum nobis interdicitur affectus; proferam quæ ſanctus Petrus Damianus ſcripſit ad Agnetem Imperatricem vt hominum obliuiſceremur. A corde tuo, inquit, omne tædium noxij mœroris expelle. Chriſtus ſit confabulator tuus, Chriſtus tibi contubernalis ſit, & conuiua; imò Chriſtus ipſe tuæ ſint delitiæ, ipſe quotidianæ refectionis epulum, ipſe tibi ſit intimæ dulcedinis alimentum. Cum illo ſimul lege, cum illo iugiter pſalle; cum illo denique te in pauimento oratura proſterne, cum illo te erige, cum illo te dormituram lectulus capiat, cum eodem ſopor inueniat. Eius te pudicus, atque virgineus amplexus adſtringat; vt in te quoque veraciter impleatur quod per Iſaiam dicitur: *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus*; & tu ſpecialis dicere valeas, quod generalis ſponſa dicit in Canticis: *Dilectus meus inter vbera mea commorabitur.* Conſtat enim quòd inter vbera pectoris cor hominis ſitum eſt. Dilectus ergo inter vbera ſponſæ commoratur, cùm à fideli quadam anima Chriſtus toto corde diligitur. Huic ergo ſponſo dicit anima ſancta tua: *Ecce tu pulcher es dilecti mi, & decorus; lectulus noſter floridus. Ipſe enim ſpecioſus forma præ filijs hominum.* Et quia propter eius amorem regales infulas contempſiſti, imperiale faſtigium deſpexiſti; ipſe corona, ipſe tibi ſit purpura, ipſe totius gloriæ tibi præparat beata ornamenta, vt meritò debeas cum Propheta cantare: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me, quaſi ſponſus decoratus corona, & quaſi ſponſa ornata monilibus ſuis.* Hic in te ſocietatis humanæ conſoletur abſentiam: hic tibi vel pro omnium iuſſione, & allocutione ſufficiat; hic velut alter, ſed longè præſtantior Helcana veraciter dicat: Non iam Anna, ſed Agnes, cur fles, & quare nõ comedis, & quam ob rem affligitur cor tuum, numquid non ego melior ſum, vel quàm decem filij? Et quoniam Elcana Dei zelus dicitur; zelus Dei, dilectio redemptoris animum tuum in omni mœroris & anguſtiæ tædio conſoletur; vt in eum te in omni, quam pateris, aduerſitate proijcias: ſub eius vmbraculum ab humanæ perſequutionis ardore confugias, & in eius amplexibus ſecura ſuauiter requieſcas; quatenus ipſe vel ſemetipſum quietis intimæ præbeat portum, qui pro te dignatus eſt in mundanis fluctibus inundantium procellarum perferre naufragium. Hactenus ille.

His ſatis commendata manebit cognatorum carnalium obliuio, pernéceſſaria his qui in ſpiritu ambulare tenentur, quique in Chriſto ſpiritualem cognationem conſecuti ſunt. Nunc dicemus quo pacto cum ſuis ſpiritualibus fratribus & parentibus ſe gerere debeant vt in ſpiritu iuuentur per omnem humilitatem, patientiam, vitæ ſanctitudinem, omniumque defectuum ſalutatem corruptionem.

DOCTRINA XIV.

DE CORRECTIONE fraterna, & delatione paterna.

Debent maximè viri ſpirituales monere ſe viciſſim cum charitate, & iuuare in profectu perfectionis.

CAPVT XCI.

SVPER *lapidem vnum ſeptem oculi ſunt: Ecce ego calabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum.* Nullum ita elaboratum opus, quàm iuſtus, & vir perfectus eſt; iuſti enim

Epi. 6. ſæcul. princ.

Zach. 3.

enim ſunt lapides ſanctuarij, quibus cœleſtis Hieruſalem conſtruitur; in hac tamen lachrymarum valle profundè ſecandi, diligenter elaborandi, & attentè cælandi ſunt. In hoc opus attentiſſima eſt potentia æterni Patris, ſapientia Verbi, charitas diuini Spiritus, interpellatio Chriſti I e s v, interceſſioglorioſiſſimæ Genitricis Dei, beatarum, & iuſtarum mentium; in terra autem ſuperiores qui nos regunt, imò non ſuperiores, ſed æquales, & inferiores. Multi iuuant ſculpturam viri iuſti, & exquiſitum perfectionis opus, pulcberrimamque iſtam Dei ſtatuam, vt mertò dicere poſſimus, quod Zacharias de iuſto iuſtorum dixit, *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*; nimirum oculi Dei Patris, oculi Chriſti Ieſu, oculi ſancti Spiritus, oculi Beatæ Virginis, oculi cœleſtium ſpirituum, maximè Cuſtodis Angeli, oculi Prælatorum noſtrorum, oculi etiam coæqualium, & fratrum noſtrorum ſuper vnum iuſtum ſunt. Diuina ſiquidem prouidentia ſic ſalutem prædeſtinatorum deſtinauit, vt coadiutores dignaretur admittere non ſolùm Angelos, ſed etiam homines, vno faſce multa complectens, vt dum per hos illorum ſalutem procurat, his materiam meritorum ſuppeditaret, illis ſecuritatem ſalutis prouideret, vtriſque charitatis vnitatem commendaret. Sic enim bene vult & peroptat hominum bonum, vt non ſolùm ipſe Deus illud ſolliciter, ſed vult vt omnes ſimili ſint cura ſolliciti, & alij ſatagant aliorum; atque interuentione humana diuinam cælat ſculpturam iuſtorum. Itaque cooperatores Dei debemus eſſe, non nobis tantùm prouidentes, ſed ſalutem noſtrorum fratrum miſericorditer zelantes. Meminerimus, cuius ſit illa vox, *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego.* Vox iſta peſſimi eſt Cain, quæ valde Deo diſplicuit. Ne quæras, ait Stephanus Cantuarienſis, quæ tua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Multi enim viuunt ſibi, vt Cain, qui ait, *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego. Sed væ his, qui viam Cain abierunt.* Hæc ille. Qui tamen reputans parum his verbis deteſtari eos, qui ſibi tantùm volunt vacare, alios negligendo, addit; *qui aliorum contemnit ſalutem, non ſolum Cain, ſed & diuite, qui ſepultus eſt in inferno, peior eſt: nam Abraha dixit: Rogo te, vt mittas Lazarum in domo patris mei*, &c. Optimè docet, dixit Dionyſius Carthuſianus: *cum culpa aliud non ſit niſi vulnus, aut mors animæ, peccantem fratrem ſecundùm documenta & formam Sanctorum corripere non omittamus; nec minus pronus quis ſit condolere, aut ſubuenire animæ infirmanti, aut mortuæ, quàm languido corpori; imò tanto plus illi, quàm illi, quanto corpore anima extat præſtantior.* Hinc Origenes, Hieronymuſque loquuntur. Ita peccat, qui videt fratrem peccantem & tacet, ſicut qui pœnitenti non indulget. Nam qui dicit, *Si peccauerit, dimitte*; præmiſit. *Si peccauerit, increpa.* Iterum de eo, quod Prælatos concernit, effantur; dum Sacerdotes vni parcunt, vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ eſt iſta bonitas, iſta miſericordia vni parcere, & omnes in diſcrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna morbida oue grex totus inficitur. Hinc aſſerit Auguſtinus: *Plus amat obiurgator ſanans, quàm adulator diſſimulans.* Et rurſus: *Non omnis qui parcit amicus eſt; nec omnis qui verberat, inimicus; quia qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus moleſtus, ambos amat: at quandiu ſunt agri, indignantur, ſed ambo ſanati gratulantur.* Egregiè Hugo Victorinus in Regulam ſancti Auguſtini, dixit: *Summa diligentia habenda eſt in inueſtiganda, corrigendaque culpa.* Nam ſi eam non emendamus in ſæculo iſto, damnabimur in futuro. Qui amat corripi, ſapiens eſt, iuxta illud: *Corripe ſapientem, & amabit te*; ſtultus autem ſi corripiatur, iraſcitur. Vnde eos qui culpas redarguunt, oportet aliquando eſſe importunos; ſed importunitas iſta non eſt ex ira, ſed charitâte. Et ſæpe is qui conturbatur, quia corripitur, cùm cœperit cogitare cum quanto amore eum ſuus reprehenderit frater, gaudet de reprehenſione, & ſtudet ſe emendare.

Gen. 4.

Lib. de modo iudicandi & corripiendi art. 20.

Zelum igitur animarum in noſtris Fratribus benignè auſpicari debemus, hoc pacto & ſæcularibus prouidebimus, quorum ſalus ſæpiſſimè à noſtro profectu, & perfectione dependet, & quiſque ſibi prouidebit, cùm idem corpus vnuſquiſque cum fratribus ſuis conſtituat: nam, vt optimè Pater noſter Claudius Aquauiua monet. *Cogitemus ex nobis vniuerſis corpus vnum coagmentari, eamque eſſe membrorum inter ſe conſenſionem, vt vnicuique pertimeſcendum ſit, ſuo ne vitio in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi.* Mirum, atque horribile plaoè eſt, dignumque ob quod ambæ audientium aures (vt Scripturæ loquuntur) meritò tinniant, meminiſſe apud Iſraëlem, duce Ioſue illuſtrem, Deo autem Principe, ac moderatore gloriantem, & tunc eius iuſſu eductum in aciem, propter vnius Achan furtum de anathemate Hiericho, quantum totis penè caſtris turbatum ſit, fuſis ab hoſte ter millibus fortiſſimorum Iſraël, & Deo ſeuerè denuntiante. Non poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate; & quod longè magis horrificum eſt: Non ero, inquit, vltrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Et quamuis vnius eſſet ſacrilegium, vniuerſos tamen (vt annotat Auguſtinus) afflixit, ac perculit. *Vt non* (inquit) *ſe ſolum quiſque curet in populo, ſed inuicem ſibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis, & vnius hominis alia pro alijs ſint membra ſolicita.* Quo ſanè facto ſempiternus Iudex indicauit, quanta ſit ſingulorum in aliquo cœtu ac ſodalitate communitas, cùm eorum nullus ſeorſim ſolus cenſeatur, ſed ſinguli ſint quarumdam partium inſtar in toto. *Vides*, inquit Chryſoſtomus, *quomodo vnius peccatum toti populo vindictam accerſit? Quomodo Deum aduerſus multitudinem hoſtem reddidit? Sed bona ſunt tua iudicia, Domine, & ad noſtram vtilitatem diſpenſata.* Lues quædam eſt peccatum: per vltionem euulgatur, ac traducitur apud omnes, ne corrumpat omnes; vt vbi cognouerint, quantas minas vna peperit tranſgreſſio, fugiant vltionem, de multis alioqui ſumendam æternam vindictam. Eam ob rem viri ſanctiſſimi, qui & veræ humilitatis ſpiritu præditi, ſe nunquam humanis exutos vitiis agnouere, & charitate incenſi proximorum zelo feruebant ſua peccata (quod de ſancta Catherina Senenſi, aliiſque proditum eſt) malorum omnium, quibus Eccleſia vexabatur, cauſam dediſſe putabant. Iam verò nobis, quos non modò communis illa vnius Eccleſiæ neceſſitudo connectit; ſed adhuc propiùs quidam eiuſdem inſtituti, ac vocationis nexus ad-

Epiſt. de perf. & charit.

Quæſt. ſuper Ioſue lib. 5. quæſt. 8.

De verb. Iſaiæ, vidi Dominum hom. 1.

Ep. 7. & alijs.

ſtringit; quanto magis metuendum eſt,ne quod priuatim à ſingulis delinquitur.graui tutius corporis malo luatur ac vulneretNeque luatur modò,ſed periculoſa etiam imitatione exempli ſpargat longiùs : ea namque res procliniùs ad pernitiem,cùm ſemel cœpit, labitur. Sanctus Baſilius etiam exemplo Achan vſus fraternam curam valde vrget in Regulis breuioribus, vbi quærit: Nunquid aduersùs peccantes diſſimulatione vti
Interrog. 47. conueniat. Sic inter alia reſpondet. Animaduerte enim, quando Acban furatus eſt regulam illam auream, & indumentum illud, quomodo in cunctum populum ſæuierit ira Domini: quodque maius eſt, qui etiam delicti authorem,& delictum ipſum ignoraret, vſque dum is ipſe quem dixi,manifeſtò deprehenſus eſt,& horribile illud vnà cum ſuis omnibus exitium ſubiuit. Heli verò quamuis nequaquam diſſimulanter ſcelus tuliſſet filiorum ſuorum,illorum,inquam, filiorum peſtilentiæ, contraque ſæpe illos ab eo deterrere fuiſſet conatus,dixiſſetque: Non filij,non eſt bona fama, quam audio de vobis:ac longiore oratione & magnitudinem ſceleris, & neceſſitatem ineuitabilis iudicij demonſtraſſet:quia tamen de illis non meritas pœnas ſumpſerat,neque eo modo quo æquum erat, aduerſum ipſos indignatus fuerat, vſque eo Dei iracundiam irritauit, vt & populus vnà cum filiis ipſius internecione abſumptus ſit,& arca ipſa capta in hoſtium poteſtatem deuenerit, & ſub hæc omnia,ipſe miſerabili exitu vitam terminauerit. Quòd ſi aduersùs eos, qui ſceleris authori conſcij non fuerant, & eos qui adbibita conteſtatione peccantes à peccato auertere conati fuerant, Dei vehemens adeò ira exarſit, quid de iis dicendum eſt, qui & conſcij ſunt, & conniuentes diſſimulant? Qui quidem niſi ea præſtiterint, quæ in epiſtola ad Corinthios ab Apoſtolo ſcripta ſunt,his verbis. *Quare non magis luctum habuiſtis, vt tolleretur de medio veſtrûm,qui hoc opus fecit?* Et quæ deinceps ipſos feciſſe idem Apoſtolus teſtatur, cùm ait: *Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantum in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem,ſed indignationem,ſed timorem,ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam?* Hi, inquam,niſi hæc omnia præſtiterint, prorſus periculum eſt, ne nunc etiam omnes ſimile exitium incurrant,vel eò grauius etiam,quo grauiùs peccat is,qui Dominum ſpernit,quàm qui legem Moyſi irritam fecerit,& qui idem audet cum eo, qui ob eandem cauſam antè damnatus ſit. Septuplum enim vltio data eſt de Cain: de Lamech verò ſeptuagies, qui ſimili in peccato lapſus fuerat.

Uſitatus priſcis Patribus vſus correptionis.

Capvt CXII.

Hic ſeſe inuicem corripiendi mos vſitatiſſimus fuit priſcis Monachis, & Anachoretis, quorum aliqua exempla non
Lib. 4. inutile erit exhibere. In viris Patrum ſic narratur: Manducantibus fratribus,riſit vnus ad menſam, quod videns Abbas Ioannes,fleuit,dicens: Quid putas habuit frater iſte in corde ſuo, quia riſit, cùm debuiſſet potiùs flere, quoniam charitatem manducat? Vidit ſenex quemdam ridentem, & ait: Coram cœli & terræ Domino totius vitæ noſtræ rationem ſumus daturi,& tu rides? Cùm fratres quidam cum aliquo ſene veniſſent ad Abbatem Antonium, dixit Antonius ſeni: Bonos fratres inueniſti Abbas? Reſpondit ſenex: Boni ſunt quidem,ſed habitatio eorum non habet ianuam; quicumque vult, intrat ſtabulum, & ſoluit aſinum. Hoc autem dicebat, quia quidquid aſcendit eis in os, hoc loquebantur. Venit aliquando Abbas Achilles in cellam Abbatis Iſaac, & inuenit eum comedentem: miſerat enim in catinulo aquam, & ſal. Videns autem quòd abſcondit illud, ait: Quid manducaſti? Reſpondit: Ignoſce mihi Abbas,quia palmas incidebam,& aſcēdi in chauma; idcirco intinxi buccellam in ſale,& miſi in ore meo, & exaruerunt fauces meæ; & quia non deſcendit buccella, compulſus ſum ſuperfundere modicum aquæ vt poſſim glutire, ſed ignoſce mihi. Et dixit Abbas Achilles: Venite & videre Iſaac iuſcellum comedentem in Scythi. Si vis manducare ius,vade in Ægyptum. Monachus occurrit ancillis Chriſti in via, quibus viſis diuertit extra viam. Cui Abbatiſſa dixit: Tu ſi perfectus Monachus eſſes,non reſpiceres nos ſic, vt agnoſceres,quia fœminæ eſſemus. Cùm frater quidam in via Dei ſolicitus retuliſſet cuidam ſeni,ſe à fornicationis ſpiritu grauiter agitari, ille tanquam inexpertus fratrem illum quaſi in deſperationem induxit,ita quòd ad ſæculum cœpit reuerti. Sed Abbas Apollo occurrēs, eum inſtruxit, atque curauit, rogauitque Deum, vt impugnationem fratris illius in ſenem converteret, quo facto velut ebrius huc illucque ferebatur,& cœpit redire ad ſæculum. Cui Abbas Apollo obuiam dixit: Reuertere in cellam tuam,& de cætero agnoſce infirmitatem, & cogita quia ignoratus ſis hucuſque à diabolo, aut contemptus. Propter quod nec meruiſti ſecundùm viros virtutum habere luctamina contra diabolum, & quid dico luctamina, qui nec vno die aggreſſionem ipſius ferre potuiſti? Audiuit Abbas Antonius de Monacho iuuene, quòd onagris præcepit, vt venirent, & portarent quoſdam ſenes ad ſe venientes. Quo audito dixit Antonius: Videtur hic Monachus ſimilis naui oneratæ omnibus bonis, de qua incertum eſt, an poſſit venire ad portum. Frater veniens ad Abbatem Theodorum, per tres dies rogauit, vt diceret ei verbum. qui non reſpondit ei; hinc abiit triſtis. Dixit ergo diſcipulus Abbatis Theodori ad eum: Quare non es huic locutus? Reſpondit: Quoniam negotiator eſt, & in alienis verbis vult gloriari. Alius frater interrogauit eundem Theodorum de rebus quas needum fuerat operatus. Cui ſenex: Nondum nauim inueniſti,nec vaſa tua in ea poſuiſti,nec nauigare cœpiſti,& iam in ciuitatem illam veniſti? Cùm frater ad Abbatem Serapionem veniſſet,cœpit ſe accuſare,& habitu Monachali indignum fateri. Cui cùm ſenex dixiſſet: Fili, ſede in cella tua, quia non tantum expedit tibi procedere, quantum ſedere. Ille ira commotus vultum mutauit. Dixit ſenex: Vſque nunc te accuſaſti,& quia modicum te ex charitate hortatus ſum, impatiens es. Si vis veraciter humilis eſſe, patienter ſuſtine quæ ab aliis tibi dicuntur. Comedentibus fratribus, vnus dixit miniſtranti:

Ego

Ego non comedo coctum aliquid, ſed ſal. Et vocauit miniſter alium fratrem, coram multitudine, dicens: Ille frater non comedir coctum, affer ei ſal; ſurrexit autem ſenex, & dixit: Expedierat tibi in cella tua bodie comedere carnes, quàm audire hanc vocem corã tot fratribus. Facto conuentu in Scyrhi pro quadã cauſa, & cauſa iam ordinata venit Abbas Agatho, dicẽs: Non bene ordinaſtis. Qui dixerũt: Tu quis es, qui vel loquaris? Reſpondir ſenex: Filius hominis, ſcriptum eſt enim ſi verè vtique iuſtitiam loquimini, iuſtè iudicate filij hominum. Frater dixir Abbati Paſtori. Perturbor, quoniam verba quædam audiui de quodam fratre, quæ me non ædificant. Reſpondir ſenex; Non ſunt vera quæ audiſti. Qui dixit, imò Pater: nam fidelis eſt qui mihi dixit. Et ait ſenex: Non eſt fidelis qui tibi bæc dixir; interrogauit Abraham diſcipulus Abbatis Theodori Abbatem Paſtorem: Quare Dæmones me ſic impugnant. Reſpondit: Te impugnant Dæmones? Non pugnant nobiſcum Dæmones, quando voluntates noſtras facimus; quoniam voluntates noſtræ Dæmones factæ ſunt, & hæ ſunt, qui tribulant nos, vt eas faciamus. Si autem vis ſcire quales ſunt cum quibus Dæmones pugnant, tum Moyſe & ſimilibus eius. Moriente quodam ſene in Schyti circunſteterunt fratres, & flere cœperunt; ille autem ter riſit; interrogatus cur ter riſit. Reſpondit. Primò riſi, quoniam vos timetis mortem. Secundò, quia non eſtis parati. Tertiò, quia de labore ad requiem vado, & vos fletis. Venerunt ad Abbatem Lucium Monachi, qui vocantur Euchetæ, ideſt, orantes, & ait illis: Quod eſt opus manuum veſtrarum? Reſponderunt: Nos non contingimus aliquod opus manuum, ſed ſicut dicit Apoſtolus, ſine intermiſſione oramus. Quibus dixit: Non manducatis, & non bibitis, nec dormitis? Ignoſcite mihi fratres, quia non facitis, ſicut dicitis. Cùm Abbas Arem multis fratribus ad ſe venientibus leue iugum impoſuiſſet, & vni eorum graue. interrogauit Abbas Abraham cauſam. Reſpondir: Alij fratres quomodo venirent quærere, diſcedunt; hic verò operarius magnus eſt. Rogatus Abbas Macharius, curare Presbyterum vlceroſum, reſpondit: Indignus eſt, quoniam incontinenter viuens ſacrificare audet. Prudentia & charitate in huiuſmodi correptionibus opus eſt, illam dictet, hanc diuinus ſpiritus infundat, & vera humilitate ſtabiliat.

Quam obligationem ſeſe inuicem admonendi habeant Religioſi.

Capvt XCIII.

Fratrvm igitur noſtrorum ſollicita charitas, & ſalutaris ſubuentio, non ſolùm exemplo, ſed ſalubri per ſe, aut per ſuperiorem Patrem correptione iuuanda eſt, quemadmodum Eccleſiaſticus conſulit. [Eccli. 4.] *Ne reuerearis proximum tuum in caſu ſuo, nec retineas verbum in tempore ſalutis. Non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo, nimirum in ſilentio, quod decus prudentis animi eſt*; non ergo debemus perdere, & abſcondere ſapientiam, atque notitiam noſtram in ſilentio. Silentium enim ſicut eſt ornamentum prudentiæ cùm opportunum eſt, poteſt aliquando fieri detrimentum religioſæ obſeruantiæ. Dauid quoque ait. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpauit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* [Pſal. 140.] In Leuitico dicitur. *Ne oderis fratrem tuum, ſed publicè* (hoc eſt, clarè, & apertè) *argue eum, ne habeas ſuper eo peccatum*, ideſt, ne in non arguendo, vel non monendo eum, pecces. [Cap. 19.] Eccleſiaſticus quoque ſic iubet. *Corripe amicum, ne iterum addat facere.* [Ibid.] Corripe proximum, ne fortè iteret: corripe amicum, ſæpe enim fit commiſſio. Ex quibus locis colligũt Scholaſtici, eſſe præceptum diuinum corripiendi fratrem, omneſque teneri ad hoc, imò non ſolùm præceptum diuinum poſitiuum eſſe, ſed naturale, vt commodiori modo fratres, & proximos errantes corripiamus. Mirum eſt quod Eccleſiaſticus ſcripſit, initio ipſo naturæ humanæ apparuiſſe Deum viſibili forma, & cum magna maieſtate primis humani generis parentibus, & hoc præceptum commendaſſe. [Eccli. 17.] *Magnalia*, inquit, *honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo, & mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Hæc obligatio non tantùm eſt reſpectu peccatorum mortalium, ſed etiam venialium, vt Doctores obſeruant, imò ad corripiendum de veniali poteſt aliquando eſſe obligatio ſub mortali, cùm ex multis venialibus accidant mortalia. Et præterea, quæ nuper Doctores affirmant; olim Humbertus Magiſter Ordinis Prædicatorum ſuper regulam Auguſtini. *Venialia*, inquit, *peccata via ſunt ad mortalia, & quædam diſpoſitio ſunt propinqua, quædam remota.* [D. Gaſpar Hurtado.] *Propinqua autem ſunt, vel ratione multitudinis, ſicut in his qui quotidie ſine numero illa committunt, vel ratione magnitudinis, ſicut ſunt quædam mendacia, & motus aliqui paſſionum non ſatis refrenati; vel ratione connexionis cum mortali, ſicut colloquia quædam, & viſus impudicus ad mulieres. Quemadmodum ergo quis videns aliquem incedentem per viam, per quam credit quod citò incurret periculum mortis, grauiter peccaret, niſi retraheret eum, vel ſaltem inſinuaret periculum. Ita poteſt aliquis peccare mortaliter, niſi corripiat fratrem de huiuſmodi venialibus culpis.* At verò tanta eſt huius præcepti obliuio, vt non tantùm contemnatur impleri, ſed nec confiteri eius contemptum homines ſoleant, quod dolent docti Scriptores. Ioannes Sancius ait: *Pauci ſe reos produnt huius mandati naturalis fractione, & negligentes Confeſſarios penè omnes video ad ſciſcitandum num omiſſum ſit, vel non; cùm interrogare aſtricti ſint, vt docet Suarez, & Bañez & vniuerſi fateri tenemur.* [Suar. de fide tract. de corrept. fraterna diſp. 17. ſect. 1 Bannez. 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 2. § ad argum. & art. 8 dub. 2. ad 3.] Nec minus notanda ſunt quæ Dionyſius Carthuſianus in lib. *De modo iudicandi & corripiendi*, affert ex Antiſiodorenſi, dicens: *Quàm diligentem eſſe oportet vnumquemque fidelem circa intelligentiam & obſeruantiam præcepti correptionis fraternæ, hinc eluceſcit quod Guilelmus Antiſiodorenſis in ſua aſſerit ſumma, duo præſertim eſſe præcepta ob quorum tranſgreſſionem innumerabiles condemnantur, videlicet præceptum de continentia, ſeu fornicatione vitanda, & præceptum de correptione fraterna agenda.* [Art 13.] Intantum obligat hoc præceptum, vt ſi neceſſe ſit, liceat aliquando, imò teneamur quodammodo infamare peccantem, aduocando teſtes &

corripiendo illum coram eis. Imò ſi non ſufficiat, denunciando illum Eccleſiæ, & maioribus. Item tenemur ſecundùm plures cum diſpendio vitæ, aut cum periculo, ſaltem cum detrimento aliquo; imò adhuc ſi in principio ſit nocitura fratri. Vnde Dionyſius Carthuſianus dixit: *Correptio fraterna omittitur vitioſè, & cum mortali peccato, quando videlicet ex cupiditate, vel timore pœnæ corporalis, aut damni temporalis, vel ſimili cauſa, quæ non eſt charitati præferenda, dimittitur.*

Lib. de modo iudicandi & corripiendi, art. 9.

In noſtris autem Regulis, vt efficaciùs adhibeatur medela culpis, & maior interim humilitas, & obedientia colatur, conſulatúrque pariter decori delinquentis per maiorem prudentiam, prouidentiam, & charitatem Superiorum. nam præſtabit ſæpe vt vnus ſuperior tanquam Pater rem ſciat, quàm duo, vel tres alij teſtes: item vt ſecurus correptor id agat, & ſine periculo & verecundia, atque inexcuſabiliùs, monemur hoc correptionis præceptum per paternam ſuperiorum charitatem implere. Vnde meritò Monachi antiqui obligabant ſub graui pœna, quia grauem putabant obligationem, vt vel corriperent per ſe fratres, vel per Archimandritam. Hinc facta fuit illa conſtitutio pœnalis, quæ inter opera ſancti Baſilij reperitur. *Si quis inuentus fuerit detrahens aliquibus, aut aliquos detrahentes audiens, & non increpans ipſos, aut indicans Archimandritæ, vnà cum ipſis excommunicetur.* Quid de illis dicam, qui defectum fratris celant, ne ſuperior ſit illius conſcius; ipſi tamen minimè corripiunt, niſi cùm poſtea iraſcuntur, tunc coràm & publicè illum obiiciunt. Et quidem hoc ſæpiùs faciunt, qui Regulam noſtram, & præceptum naturale non ſeruant; hi dupliciter peccant, & contra eos meritò ſanctus Baſilius tulit hanc legem in Regularium animaduerſionibus. *Si quis fratri alicui peccati alicuius conſcius fuerit, & id diſſimulauerit, poſtea exprobrauerit, veluti traducendi cauſa, ſimiliter hic quoque tanquam malo alterius minimè indoleſcens, & qui inſultans delectetur potiùs, à reliquorum conſortio hebdomadam vnam ſegregator.* Quid de illis, qui contumelioſè, & ſine charitate fratrem per ſe corripiunt, contra hos etiam ſanctus Baſilius dixit. *Si quis alicuius alicui peccati conſcius ſit, & illum negligenter ferre animaduertat, ac non adhibita cordis contritione, multiſque lachrymis Deum ſibi propitium facere hortetur, & admoneat ipſum vt pœniteat, & opera pœnitentiæ præſeferat, &c. is ex conuentu prorſus exterminator. Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit.*

Quàm conſentanea doctrinæ Sanctorum ſit Regula Societatis IESV circa correctionem fraternam, & deferendos defectus ad Superiorem.

Capvt XCIV.

Qvo pacto hæc correctio, aut indicatio fieri debeat in ſummario noſtrarum conſtitutionum, ſic ſanctè admonemur. *Ad maiorem in ſpiritu profectum, & præcipuè ad maiorem ſubmiſſionem, & humilitatem propriam, contentus eſſe quiſque debet, vt omnes errores, & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo, & obſeruatæ fuerint, ſuperioribus per quemuis, qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur. Boni etiam omnes conſulant ab alijs corrigi, & ad aliorum correctionem iuuare, ac manifeſtare ſeſe inuicem ſint parati debito cum amore, & charitate ad maiorem ſpiritus profectum: præſertim vbi à ſuperiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præſcriptum, aut interrogatum ad maiorem Dei gloriam.*

Reg. 9 & 10. ſummarij.

Quanto eſt vtilis iſta Regula, religioſæ perfectionis obſeruantiæ, tanto mundus eam odit, tanto Dæmon impugnat. Sancti autem & ſpirituales viri ſapientia mundi ſimplices, cœleſti tamen doctrina illuſtrati, & verè prudentes non cenſuerunt ſenſum carnis, voces mundi, & prætextum amoris proprij ſuo & alieno præponere in perfectione profectui. Audiamus aliquos quid dixerint, imò quid fecerint. Sanctus Petrus Damianus ſic fatetur pro ſalute fratrum voces mundi, imò odium ipſorum fratrum contempſiſſe. *Malo quippe cum Ioſeph, qui accuſauit fratres apud patrem crimine peſſimo, in ciſternam innocens proijci, quàm cùm Heli, qui filiorum mala vidit, & tacuit, diuini furoris vltione mulctari. Cùm enim per os Prophetæ diuina vox terribiliter comminetur, dicens: Si videris fratrem tuum iniquè agentem, & non corripueris eum, ſanguinem eius de manu tua requiram. Quis ego ſum, qui in ſacro Ordine videam tam peſtilens facinus inoleſcere, & velut homicida alienæ animæ, ſeruata cenſura ſilentij, diuinæ diſtrictionis audeam ratiocinium expectare? & illius reatus fieri incipiam debitor, cuius nequaquam auctor extiteram? &, cùm Scriptura dicat: Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine; hortaris me, vt gladius linguæ meæ in taciturnitatis theca repoſitus, & ſibimet pereat, dum offenſionis rubiginem contrahit; & alij non proficiat, dum culpas prauè viuentium non configit. Gladium quippe à ſanguine prohibere, eſt correctionis verbum à carnalis vitæ percuſſione compeſcere. De quo gladio rurſum dicitur: Ex ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat. Qualiter enim proximum meum ſicut me ipſum diligo, ſi vulnus, quo eum non ambigo crudeliter mori, negligenter fero in eius corde graſſari? Videns ergo vulnera, curare negligam ſectione verborum? Non me ita egregius Prædicator docet, qui eo ſe à proximorum ſanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitijs non pepercit; dicit enim: Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis. Non ita me Ioannes inſtruxit, cui videlicet Angelica admonitione præcipitur. Qui audit, dicat, veni. Vt nimirum cui ſe vox interna inſinuat, illuc etiam clamando, alios, quò ipſe rapitur, trahat, ne clauſas fores etiam vocatus, inueniat, ſi vocanti vacuus appropinquat.* Idem in tractatu de perfectione Monachorum, ait: *Et quidem non detrahendum; verumtamen peccatum fratris illi, à quo debeat corrigi, non celandum. Quod nimirum tanto interdum à pueris faciliùs deprehenditur, quanto in eis vel noſcendi, vel deferendi ſuſpicio non habetur. Accuſauit Ioſeph fratres apud patrem crimine peſſimo; ſed vnde illorum tunc pertulit odium, inde poſtmodum ſuper eos dominationes* opti

Cap. 25 Gomorrhiani.

Cap. 10.

obtinuit principatum. Achimas, & Ionathas ſuppoſiti iuxta fontem Rogel latuerunt, Regique Dauid, vt à facie Abſalon quantocyus fugeret nuncium detulerunt: & hoc Abiathar, & Sadoch fecere per filios, quod facere non poterant per ſe ipſos. Sæpe ſiquidem per iuniores culpa detegitur, quæ à maioribus ſalubriter emendatur. S. Anſelmus dixit: *Prælato, aut illi qaem puto poſſe conſulere peccanti, & vitiorum valnera mederi, debeo alterius maleſacta propter emendationem detegere, quæ per me ipſum neqaeo emendare.*

De ſim. c.150.

Hinc ſanctiſſimi, & prudentiſſimi religioſarum legum latores, idem quod ſanctus Ignatius Pater noſter conſulunt, aut decernunt. S. Baſilius ait. *Quidquid eſt autem, in qao peccetur, id referri ad Antiſtitem debet, ſiue ab eo ipſo qui peccatum admiſit, ſiue ab ijs, qui illius conſcij ſint, ſi illud ipſi curare non poſſint, & mederi eo modo quo præceptam eſt à Domino, quando vitium diſſimulatum morbus eſt in animo obliceſcens, & ſupputris, qui etiam propterea incurabilis efficitur. Quemadmodum igitur nullo modo bene meritum illum de nobis diceremus, qui quæ peſtifera eſſent, ea in corpore nobis includeret, ſed eum potius, qui cum dolorifico cruciatu, & cruoris etiam miſſione per lancinationem ea in apertum extraheret, quo videlicet, aut quod noxium eſſet, per vomitum repelleret, atque extunderet à corpore, aut in vniuerſum per morbi cognitionem, eius quoque curandi ratio facilius cognoſceretur: ita nimirum peccatum occultare, nihil eſt aliud, quàm agrum ſua ſponte ad mortem ruentem impellere, & procliuiorem reddere. Stimulus enim peccati mors eſt, inquit. Porrò occulta beneuolentia præſtabilior eſt ea, quæ palàm, liberéque fit obiurgatio. Nemo ſit ergo, qui aut peccato alterius latebras quærat, ne pro amore, quem fratri debet, exitium illi conciliet. Neque ſuo. Qui non medetur ſibi ipſi, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Similem rationem affert S. Cæſarius in Monialium regula. *Matri in notitiam ponite, nec vos indicent eſſe maleuolas, quando hoc ſancto animo indicatis: magis enim nocentes eſtis, & peccati ipſius participes vos facitis, ſi ſororem veſtram, qaam caſtigando corrigere potuiſtis, tacendo perire permittatis; ſi enim vulnus haberet in corpore, & eſſet à ſerpente percuſſa, & vellet hoc occultare dum timet ſecari; nonne crudeliter hoc taceretur, miſericorditer proderetur? quanto ergo & magis conſilia diaboli, & inſidias illius manifeſtare debetis, ne in deterius vulnus peccati augeatur in corde, ne concupiſcentiæ malum diutius nutriatur in pectore? Et hoc facite cum dilectione ſororum, & odio vitiorum.* Penè tranſcripſit hæc ex S. Auguſtino, qui in Regula ſimiliter ait. *Nec vos indicetis eſſe maleaolos, quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis: ſi enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod vellet occultare, dum timet ſecari, nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto potiùs ergo debet manifeſtari, ne deterius putreſcat in corde, & tu vulnus fratris contemnis, tu eum perire vides, & negligis; peior es tacendo, quàm ille committendo.* Idem ſanctus Doctor dixit: *Peccatum primò indicandum eſt Prælato, qaàm teſtes adhibeantur;* quod intelligit Dionyſius Carthuſianus de delatione paterna. Hugo Victorinus in ſuis Commentariis ſuper Regulam ſancti Auguſtini. *Si crudelis eſt qui vulnus in corpore fratris celat, quanto magis crudelis qui vulnus peccati in anima fratris non indicat, & reus mortis illius exiſtit quem tacendo perire permittit? Sicut enim ille ex amiſſione, ſic iſte damnatur ex taciturnitate. Quod ſi ſic crudelis eſt, qai culpam non detegit; è contrario ille miſericors eſt, qui eam non abſcondit: nec maiorem poteſt erga miſerum facere miſericordiam, quàm pereunti præſtare vitam. Magna quoque illi merces ab omnipotenti Deo debetur, qui dixit: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam Dei conſequentur; & Iacobus ait: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Humbertus etiam ſuper Regulam eiuſdem Auguſtini citat S. Gregorium dicentem. *Qui proximi mala conſpiciunt, & ſilentio premunt, quaſi conſpectis vulneribus, vſum medicaminis ſubtrahant: & eo mortis actores ſunt, quo vulnus, qaod curare poterunt, nolunt.* Idem alibi ait. *Quæcumqae loqnendo corrigi poſſunt, ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcamus.* Et rurſus: *Tot occidimus, quot ad mortem ire tepidi & tacentes videmus.* S. Hieronymus in regula ait: *Si timore vt verecundia ſe accuſare neglexerit, liceat vnicuique tale crimen alteri propalare, vt inobedientia, & ſuperbia radicitus extirpentur.* Smaragdus Abbas ad Regulam ſancti Benedicti allegat decretum Pauli, & Stephani Abbatum huiuſmodi, dicens. *Si quis alterum in quacumque parte viderit quodcumque illicitum, vel opere, vel ſermone facientem, & Priori diſtulerit publicare, cognoſcat ſe eſſe nutritorem peccati, & per omnia æqualem peccanti, quia & animæ ſuæ, & illius quem tetigit, eſt duriſſimus inimicus.* Et capite vigeſimoquarto: *Si quis eum, qai monaſterij diſtrictionem non ferens, fugam meditari agnouerit, & non ſtatim prodiderit, perditionis illius participem non dubitet ſe eſſe, & tandiu eſt à conuentu fratrum ſequeſtrandus, quandiu ille valeat reuocari.* In conſtitutionibus ſancti Dominici ſic cauetur. *Ne autem vitia occultentur, Prælato ſuo quilibet denantiet, quod viderit, vel audierit.* Et rurſus. *Si quis aatem tale qaid extra monaſterium commiſerit, frater qui cum eo eſt, ſtudeat eius exceſſum Prælato quantocius corrigendum intimare.* In conſtitutionibus etiam Minorum approbatis tempore ſancti Bonauenturæ ſic edicitur. *Teneantur fratres per obedientiam exeuntes in reditu ſuo ſecretè Guardiano exceſſus notabiles intimare. Quòd ſi vnus frater exceſſus alterius ſciuerit per duas vias, vtpote per confeſſionem, & alium modum, non propter hoc minus tenetur Guardiano dicere, quia hoc nullo modo ſigillo confeſſionis præiudicat, quin potiùs, ſi taceret, inobedientiæ genus incurreret.* Et paulo pòſt ait, *Oppoſitum dogmatizare ſententia totius Capituli Generalis diffinitur, eſſe doctrinam non ſanam, ſed peſtiferam, quæ cedere poteſt in detrimentum Ordinis, & præiudicium Regularis diſciplinæ.* Plato quoque in ſuis legibus ſic ait. *Dignus eſt is, qui nihil peccat, qui verò alios etiam deterret ab iniuria, pluſquam duplici honore dignus eſt; ille enim vni, hic pluribus dignitate par eſt, qui ſcelus aliorum indicat Magiſtratibus. Atqui ſocium præterea ſe ijs adhibet in puniendo, & coercenda iniuria, hic magnus vir in ciuitate & perfectus eſt: hic victor in virtutis certamine pronuntietur.* Sed & Spiritus ſanctus cumulatiùs laudat hunc virum fra-

ternæ

Reg. fuſ. diſp. interrog. 46.

Cap. 95.

Diſt. 1. c. 17. num. 3.

Cap. 18.

Conſt. frat. Minor. Guil. Farinar. approbatu in cap. Generali cap. 7. §. 4.

Lib. 5. de legibus.

ternæ ſalutis, & boni publici zelatorem, dum ait: *Inaures aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem*, ſignificans eum, qui aliorum correctionem iuuat, comparat duabus pretioſiſſimis rebus, atque idcirco magni eſſe faciendum. Deinde in optimè ordinatis rebus publicis idem ſeruatum. Reges Perſarum, ad quorum morem alludit loco citato Zacharias, ſeptem primates habebant, qui *oculi Regum* vocabantur; alios autem *aures Regum* appellabant, quorum munus erat deferre ad Regem, quæ ſubditi agebant, aut dicebant. Videtur quoque nonnullis, vt docti quidam putant, habuiſſe Dauid ſimiles miniſtros, de quorum numero fuit Gad, quem appellauit Scriptura *videntem Dauidis*, quaſi oculum Dauidis, qui denuntiaret ipſi omnia.

Prou. 25.

1 Par. 2.

Aliquot Scholaſticorum dicta.

Capvt XCV.

DOCTORES Scholaſtici, qui fideli omnia trutina penſant, audiendi etiam ſunt. Et licèt à Patre Suario enarrentur, non erit nullum operæ pretium ſuffragia ipſorum in præſentiarum reſcribere. Richardus ſic inquit: *Circa regulares perſonas non eſt tanta neceſſitas hunc Ordinem obſeruandi, correptionis ſecreta, ſicut circa ſæculares; quia Regulares, cum cauſa requirit, faciliùs, & liberiùs à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoueri.* Et in corpore dixit, quamuis frater ſit emendatus per correctionem ſecretam, non eſſe omittendam Prælati denuntiationem. Quia *valet*, inquit, *ad præcauendum fratri à reciduo, nec cedit in famæ fratris præiudicium, ſi talis eſt Prælatus, qualis eſſe debet.* Et eum refert, ac ſequitur Sũma Roſella, & Angelus, vbi in hanc ſententiam inter alios refert Auguſtinum. Item Bonauentura. *Prælato* (inquit) *qui vult prodeſſe, etiam nulla præcedente correptione poteſt, & debet culpa proximi accuſari extra iudicium, ſi ſit occulta.* Quæ doctrina ita fuit à ſancto Bonauentura in ſua Religione introducta, vt contrariam docentes grauiter puniret, voceque actiua, & paſſiua priuaret, & ſi pertinaces eſſent, in carcerem coniiceret, vt refertur in libro *Serenæ conſcientiæ.* Corduba refert idem fuiſſe ſtatutum in capitulo generali tempore eiuſdem Bonauenturæ. Præterea ſanctus Thomas hanc mouens quæſtionem, quamuis priùs abſolutè dicat. *Si ego ſcio, quòd frater per me corrigitur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato.* Statim nihilominus ſubdit. *Si autem videtur, quòd hoc meliùs fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus ſit pius, diſcretus, & ſpiritualis, non habens rancorem, ſeu odium aduerſus illum ſubditum, tunc licitè poteſt hoc denunciari ſibi, & tunc non dicit Eccleſiæ, quia non dicit ei ſicut Prælato (id eſt, ſicut Iudici) ſed ſicut perſonæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam.* Et ſubiungit, *quia varia ſunt conditiones ſubditorum, & Prælatorum; ideo tenendum eſt hoc pro regula, quòd in omnibus iſtis ſeruanda eſt charitas, & quod meliùs, & magis expedire videtur, & ſi hoc intendat (ſcilicet emendam proximi) & ſeruet quantum poteſt bonum charitatis, tunc denuntiando non peccat.* Item: *Si ſtatim aliquis referat Prælato adhibens debitas circunſtantias, & conſiderans magis expedire, non facit contra præceptum Euangelij.* Rurſus ait: *Si aliquis referat Prælato culpam proximi, intendens, vel cautelam in futurum, vel aliquid huiuſmodi, quod ad emendam proximi viderit expedire, non peccat.* Hanc doctrinam Diui Thomæ refert, & ſequitur Syluester, Tabiena, Antoninus, Gabriel addens cum Richardo. *Nota, quod frater delinquens, non tantùm eſt denuntiandus Prælato, vt priuatæ perſonæ, vt emendetur, ſed etiam emendatus, vt præſeruetur à reciduo.* In quo planè ſentit præuiam monitionem, etiam ſi præcedat ſpes emendationis, non eſſe abſolutè neceſſarium, quandoquidem non obſtante fructu eius, procedendum eſt ad denunciationem, per quam poterit etiam idem fructus meliùs ſperari. Præterea Aſtenſis ex ſententia Gualteri ait, formam & ordinem denuntiationis non eſſe vſquequaque ſeruanda circa regulares perſonas. *Et ideo*, inquit, *modus cuiuſlibet Religionis eſt approbandus, ſi non eſt planè contra Deum, & charitatem fraternam, magiſque attendi debet finis correctionis, ſcilicet emendatio peccantis, quàm ordo verborum.* Et deinde ferè ſubiungit doctrinam ex D. Thoma citatam. Eandem ferè doctrinam habet Vmbertus. Et licèt Gerſon doceat admonitionem debere præcedere denuntiationem ex vi præcepti; poſtea verò quatuor aſſignat exceptiones. *Prima* eſt, quando frater venialiter, non mortaliter peccat, quia ad veniale, inquit, non eſt præceptum. *Secunda* exceptio eſt, quando non eſt ſpes emendationis per ſecretam monitionem. *Tertia*, quando licèt ſit ſpes, eſt tamen periculum in mora. *Quarta*, quando quis corripere non valet ſine proprio periculo. Inferiùs verò magis explicans ſecundam & tertiam exceptionem, quæ ad rem præſentem magis facit, ſubiungit regulam ab aliis auctoribus tactam, dicens: *Hic magis debet attendi finis correptionis, ſcilicet emendatio peccantis, quàm forma verborum, quia*, vt Ariſtoteles ait, *ex vtilitate Reipublicæ, non ex verborum inſpectione, lex interpretanda eſt*; vnde ſubiungit. *Si quando videatur frater peccans ſalubriùs corrigi per alium, qui poteſt, & vult prodeſſe, quàm per ſe ſecurè poteſt ei indicare.* Vnde etiam Prælato poteſt dici peccatum non præmiſſa monitione, vel ſecreta correctione, non tanquam iudici, ſed tanquam amico peccantis, & quia hic magis poteſt prodeſſe, quàm alius. Imò addit quippiam difficilius, peccatum, de quo frater peccans fuit ſecretè correptus, ſeu admonitus, & de quo ſe emendauit, poſſe dici Prælato præcipienti per obedientiam; ita tamen, quòd ſi denuncians ſolus nouerat, ſoli Prælato dicat: ſi autem alij nouerant coram illis, & non coram aliis, Prælato reuelet; quod ſemper intelligendum eſt, ſeruata dicta regula, & fine charitatis, ſcilicet, vt vel ad commune bonum Religionis, vel ipſiuſmet peccantis, vt in futurum meliùs præſeruetur, id cenſeatur neceſſarium, vel ſaltem magis conueniens. Hoc enim præcipuè obſeruandum eſt in citata doctrina, quæ eſt D. Thomæ, & omnium, & maximè locum habet in Religionibus, nempe ad omittendam licitè præuiam monitionem ſecretam, non oportere, vt illa reputetur inutilis, ſed ſatis eſſe, vt per Prælatum maior vtilitas, vel circa ſatisfactionem, & emendationem commiſſi, vel circa

In 4. d. 13. q. 1. ad 2.

Sum. Roſella verb. correctio fraterna in princip. Angel. verb. denuntiatio. num 10. Aug. q. 1. in Leuit. & habetur 2. 2. q. 5. cap. hoc videtur. Bonauent. Luc 16 ſi peccauerit. &c. Lib. Serena conſcientia, q. 85. & 100. Corduba ſup. regul. q. 1. S. Thomas quodlibet. 11. art. vlt.

Solut. ad 1.

Solut. ad 3.

Syluest. verb. correctio. q. 7. Tabien. § 2. Antoni 2. p. tit. 9 c. 6. § 4. Gabriel lect 74. in Cano. lit. S.

Aſtenſis l 1. ſumma, titul 67. art. 8.

Vmbert. ſuper reg. B. Auguſtin. c. 90. Gerſon. 2. p. tract de correctione proximi Alphabet. 34 lit. T.

Ariſt. Rhetor c. 9.

futurum

futurum periculum ſperetur. Denique confirmari hoc poteſt ex Innocentio III. in cap. *qualiter, & quando,* 2. *de accuſationibus*, vbi cùm dixiſſet, *Sicut ante accuſationem legitimam præcedere debet inſcriptio, ſic & denuntiationem charitatiua monitio, & inquiſitionem clamoroſa inſinuatio.* Subdit ſtatim. *Hunc tamen ordinem circa regulares perſonas non credimus vſquequaque ſeruandum, quæ cùm cauſa requirit, faciliùs, & liberiùs poſſunt à ſuis adminiſtrationibus amoueri.*

Peculiaris cauſa in Societate IESV huius correptionis fraternæ, & delationis paternæ.

CAPVT XCVI.

OPORTET itaque certiorem fieri ſuperiorem defectuum inferiorum, & hoc ipſum ſciri, & intelligi à ſubditis, vt timor omnes coërceat, cùm videant, nec in oc-
Pſalm.67. cultis tutas eſſe imperfectiones, & culpas. *Increpa feras arundinis*, dixit Dauid, hoc eſt, atterre, & reprime eos, qui ſecretò & abſconditi delinquunt tanquam feræ in arundineto, quod egregiè fiet per timorem deferendæ culpæ. Quod
1.Timoth.5. ſic monuit Apoſtolus S. Timotheum: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Etiam erit magnum obſeruantiæ religioſæ operæpretium timore aliquo paternæ correptionis, & delationis fraternæ, continere omnes in officio. Hoc etiam pacto fit, quod Eccleſiaſti-
Eccli.19. cus dixit. *Corripe proximum antequam commineris, & da locum timori Altiſſimi.* Optimè quidem ſcripſit eximius Doctor Franciſcus Suarius, valde expedire ad commune bonum ſtatus religioſi, vt ſinguli eorum intelligant graues lapſus, qui in eis obſeruati fuerint ſuperiori, eſſe ſtatim denuntiandos; nam hoc fræno cautiores fiunt, magiſque formidabunt huiuſmodi lapſus, ſaltem propter timorem ſui nominis erga ſuperiorem, & propter eius correptionem; poſſumuſque exemplo reſeruationis caſuum hoc declarare, quæ ideo ab Eccleſia inuenta eſt pro grauioribus culpis, vt ipſa difficultas, & timor accedendi ad ſuperiorem contineret homines. Quod maximè factum eſt in illis peccatis, quæ Rempublicam maximè offendunt, aut ſcandalizant. Sic ergo dici poteſt Prælatus Religionis quodammodo reſeruare ſibi emendationem delictorum in ſuis ſubditis, etiam per ſecretam correctionem, vt illo medio non ſolùm meliùs emendet lapſos, ſed etiam reliquos contineat, ac præſeruet. Vel potiùs dici poteſt conſideratis conditionibus talis ſtatus ex natura rei hoc munus pertinere ad ipſum Prælatum, eique deferendum eſſe, quia, moraliter loquendo, non poteſt aliter communi bono Religionis, & ſingulorum Religioſorum ſaluti, & perfectioni ſatis conſuli; itaque ob magnam diuerſitatem ſtatus Religioſi à communi ſtatu fidelium, dici poteſt mutari materia illius, ſiue præcepti, ſiue conſilij Euangelici, atque adeò immediatè tranſire fraternam monitionem in paternam.

Ex his autem quæ communia ſunt ſtatui religioſo, ad minimum colligitur morali quadam euidentia (vt exiſtimo) hoc ſæpiùs eſſe licitum: ſi ergo vlteriùs conſideremus ea, quæ Societatis propria ſunt, planè concludemus, moraliter loquendo, ſemper ac de facto hoc licere, & expedire, quia ferè in omnibus circunſtantiis, quas conſiderauimus, eſt aliquid ſpeciale in hac Religione, propter quod talis Prælatorum prouidentia in huiuſmodi lapſibus ſubditorum maximè neceſſaria eſt, præcipuè verò propter miniſteria Societatis circa proximos, & varias occaſiones in quibus ratione illorum miniſteriorum poſſunt Religioſi à ſuis Prælatis conſtitui; item propter maiorem dependentiam, quam ſubditi habent à ſuis Prælatis, non ſolùm in muneribus, & miniſteriis ſuis, ſed etiam in operibus pœnitentiæ, mortificationis, & orationis, quibus in huiuſmodi occaſionibus iuuari debent. Præterea propter ſpecialem quandam communicationem, & fraternam vnionem quam hæc Religio profitetur, ratione cuius peccatum vnius magis poſſet alios inficere niſi ſumma vigilantia præueniretur. Accedit, quòd iuxta huius Religionis inſtitutum neceſſarium eſt ab adoleſcentia, & iuuentute Religioſos in ea educari, & inſtitui: atque ita magna ex parte Religioſos eſſe adoleſcentes, in qua ætate magis indigent prouidentia, & diſciplina Prælatorum: in illis ergo regulariter hæc notitia Prælatorum neceſſaria eſt; in aliis verò, qui iam ſunt prouectioris ætatis, diuque fuere in Religione probati, bonumque ſui ſpecimen dederunt, rarò cum diuina gratia erit neceſſarium hoc prouidentiæ genus; tamen quia ſemper in periculis verſamur, & quia non habemus locum fixum, & certum, & quia non ſemper domi continemur, & includimur, ſed propter ſalutem proximorum per varia loca peregrinamur, ac denique, quia ſuperiorum prouidentia ad omnes generalis eſſe debet, & non omnes ſunt æquè conſtantes, ac firmi, ideo generaliter optimum eſt, vt circa omnes hic modus cuſtodiæ, ac prouidentiæ obſeruetur. Tandem quanto hæc Religio magis erga proximos verſatur, tanto magis indiget bono nomine, & fama apud illos, tum vt ipſi proximi maiori cum fiducia, & ſecuritate conſcientias ſuas operariis Societatis aperiant; tum vt ex parte ſociorum miniſteria cum maiori fructu, & efficacia peragantur: ad vtrumque autem finem maximè oportet, vt bonum nomen, non fictum, & fucatum ſit, ſed in vera ac ſolida virtute fundatum; quod vix, aut nullo modo fieri, aut conſeruari poteſt, niſi ſuperior ſuorum ſubditorum defectus agnoſcat, vt vnumquemque applicet ad eam rem, cui ſine ſuo detrimento, & proximorum ſcandalo poſſit deſeruire, vt quem infirmum eſſe cognouerit, ad laborandos alios non applicet, donec ipſe curatus, & lucratus ſit. Accedit, quod tamen neceſſe non erat iuri tuendæ famæ, libenter nos ſecundùm noſtras conſtitutiones ceſſiſſe illis verbis regulæ quarto capite examinis: Interrogetur (is ſcilicet, qui Societatem ingredi vult) an contentus ſit futurus, vt omnes errores, & defectus ipſius, & res quaſcumque notatæ in eo, & obſeruatæ fuerint, ſuperioribus per quemuis qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur. Quæ tandem regula, ſeu renunciatio, ne vllus ambigendi locus eſſet, declarata fuit in ſexta Congregatione generali his verbis. *Licitum eſt* A decret. 32. vſque ad 34. congr. 6 canon. 10. §. 6.
omnibus noſtris manifeſtare ſuperiori, vt patri,

quodcumque delictum alterius, ſiue leue, ſiue graue. Et hic eſt ſenſus regulæ, cùm ex illis verbis capite quarto examinis conſtet, noſtros cedere cuicumque iuri famæ, quod huic manifeſtationi obſtare poſſet, & facultatem facere omnibus deferendi ad Superiores, quæcumque ab illis notata fuerint. Eſt igitur tam expreſſa hodie in Societate talis renuntiatio, omnibuſque illam ingredi volentibus adeò patenter exponitur, vt nullam profectam iniuſtitiam contineat dicta apud Superiorem, vt patrem, immediata manifeſtatio. Hæc notauit Pater Suarius. Adiicio quæ idem alibi obſeruat, infamiam, quæ hinc ſequi poſſet Religioſo, quàm minimam eſſe; & ideo non ſolùm propter neceſſarium remedium, ſed etiam propter maius ſpirituale commodum eſt poſtponenda. Nam in primis ſupponimus Prælatum ſeruaturum ſecretum, & non diffamaturum ſubditum ſuum; nam ſi aliud probabiliter timeatur, nullo modo eſt illi reuelandum delictum. Nam etiam in ſacramentali confeſſione taceri poteſt proprium delictum, ſi infamatio timetur: ergo multo magis cauenda eſt denuntiatio alieni delicti, cum tali diſcrimine, præſertim, quia non poteſt ſperari fructus ex notitia illius Prælati, qui non valet ſeruare ſecretum. Si autem infamia non tranſcendit ſiniſtram illam opinionem, quæ in Prælato generari videtur, non debet eſſe magni ponderis apud Religioſos; nam re vera ſi emendari vnuſquiſque velit, & condignam pœnitentiam ſui peccati agere, & ſufficientia media ad non reincidendum adhibere, non ſolùm reſtaurabit bonum nomen, ſed etiam in bona opinione creſcet apud ſpiritualem, & prudentem Prælatum. Deinde, quia fama non eſt bonum per ſe amabile, ſed ſolùm quatenus confert ad virtutem, vel ad alia bona naturæ conuenientia, ac neceſſaria; ſi ergo illa opinio, ſeu cognitio mei peccati in ſuperiore non redundat in aliquod damnum meum, ſed potiùs in vtilitatem ſpiritualem, & ſimpliciter in maius bonum, profectò non eſt reputanda infamia, quæ ſit verum aliquod malum. Præterea fama Religioſi potius eſt Religionis, quàm ſua, quia ipſe totus non eſt tam ſuus, quàm Religionis, vnde ſi iniuriam aliquam patiatur, & per iudicem expediat illam repellere, aut vindicare, non ad ipſum, ſed ad monaſterium hæc cura ſpectat, iuxta doctrinam Panormitani, Felini, & aliorum, de qua Nauarrus tractat. Ergo ſi manifeſtatio peccati perſonæ religioſæ fit Prælato, ex mandato, vel licentia eius, in maius commodum Religionis, vel Religioſi, non fit iniuria Religioſo, quia de voluntate principalioris domini, vel Diſpenſatoris eius fit illa qualiſcumque iactura famæ: neque etiam fit contra ordinem charitatis, quia illa denuntiatio ordinatur ad finem conſentaneum perfectioni charitatis, & eſt medium moraliter vtilius ad illum finem.

Panor. Felin. in cap. cùm dilectus, de reſcriptis. Nauarr. cõm. nt. 2. de regul. n. 65. & 66.

Quæ delicta non ſolùm poſſint, ſed debeant deferri?

CAPVT XCVII.

CÆTERVM cùm delictum aliquod, vel in detrimentum communis boni, vel in damnum imminens tertiæ perſonæ vergit, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet quiſque immediatè vti denuntiatione paterna, manifeſtando illud ſuperiori, vt ſecretò & prudenter tam bono ſubditi, quàm Religionis proſpiciat. Hoc quidem non ex vi regulæ Societatis noſtræ, ſed ex naturali iure, adeò vt Iulius ſecundus in ſtatutis Franciſcanorum fateatur, damnandum eſſe dogma illud, quod habet, Religioſum criminis ſocium non teneri ad denuntiandum illud Superiori. Et in conſtitutionibus generalibus Farinerij Ordinis Minorum capite ſeptimo refertur, in quodam Capitulo Generali, à ſancto Bonauentura ſtatutum quoddam in hæc verba conditum fuiſſe. *Nullus Frater dogmatizet, vel teneat, quòd cùm aliquot ſunt ſocij in crimine, non teneatur alter alterum Superiori reuelare, qui poteſt, ac debet prodeſſe, & animarum periculis præcauere. Nam ex ſententia Bonauenturæ, Magiſtrorum Ordinis, ac totius Capituli Generalis definitum eſt, hanc doctrinam pernicioſam eſſe, & in deſtructionem Ordinis, & Regularibus diſciplinæ excogitatam.* Cùm Prælatos noſſe oporteat ſubditorum exceſſus, non ſolùm vt puniant, ſed vt præcauere poſſint. Imò non tarò quando delictum non cedit in tertię perſonæ detrimentum, obligatio eſt deferendi illud: nam noſtra regula ex iure naturali obligat, cùm aliter non corripitur frater, aut non poteſt corripi, ſi hoc modo poteſt commodè, obligatio naturalis eſt huiuſmodi per ſuperiorem Patrem corripiendi illum. Quare magnopere hallucinantur multi qui Regulam noſtram ægrè ferunt, & non ſeruandam auſi ſunt dicere. Alij queruntur de veridicis & ſalutaribus delatoribus. Dicunt eſſe contra Ordinem in Euangelio præſcriptum; at tenera humanitus hi ſentiunt, quorum multi nolunt emendare, aut emendari delicta. Nam etiam ordinem Euangelij minimè ſeruant, nec ſeruari volunt; nunquam fratrem corripiunt, nec à fratre corripi volunt. Quid ſi adhiberet teſtes, vt Euangelium præſcribit, imò lex naturalis, quantum ſuccenſerent, quantum quererentur? Sciant tamen alterutrum è duobus fieri neceſſe eſſe ex obligatione præcepti naturalis, nullumque in hoc dubium eſſe; aut corripiant per ſe fratrem, & velint corripi à fratre, primùm per ſe, deinde coram teſtibus infamati. Tandem coram Eccleſia, hoc eſt, congregatione, vel maioribus noſtris, vt etiam iudicialiter plectantur. Aut ſi hoc non fit, vel velint in Religione fructuoſiùs fieri, per Prælatum, tanquam Patrem id faciant.

Sciendum quoque eſt, aliquando iuxta graues, & doctiſſimos auctores poſſe eſſe grauem obligationem corrigendi peccantes ſolùm venialiter, quando eius generis ſunt peccata venialia, vt inde regularis obſeruantia graue detrimentum patiatur. Et quidem ſuperiores teneri ſub mortali

Citantur apud Anton. Dian tom. 3. tract. 2. reſol. 38.

mortali peccata venialia ſubditorum corrigere, ſi aliter facientes religioſa obſeruantia notabiliter minuatur, docent Sotus, Bañez, F. Thomas à Iesv, Ægidius noſter, Tannerus, Azorius, Villalobos, Miranda, & plurimi alij. Addunt Bañez & Sotus eandem obligationem eſſe ſæcularium gubernatorum ad euitandum peccata venialia perturbantia pacem Reipublicæ, & abuſus, qui in Reipublicæ damnum cedere poſſunt; quamuis, vt Bañez inquit, huiuſmodi abuſus in ſingulis non ſit niſi peccatum veniale. Et licèt hoc de Præſidibus ſæcularibus non ita ſit conſtans, de Prælatis Religioſis indubitatum mihi eſt. Ex quo colligunt aliqui, particulares Religioſos teneri etiam, ſicut & Prælati tenentur ſub eodem onere corrigere fratres de peccato veniali. Producam quæ circa hoc ſcripſit Ægidius, cuius etiam verba ab aliis Doctoribus laudata inuenio. *Certum*, inquit, *eſt ſuperiorem Religioſorum teneri in ſuos ſubditos corripere peccata venialia, quando alias imminet periculum, ne diſciplina religioſa magna ex parte diſſoluatur; quia tenetur quantum poteſt dare operam, vt hæc tota integritate ſeruetur. Imò credo certum eſſe, quemuis etiam priuatum, præſertim ſi ſit membrum illius Religionis, teneri ad eiuſmodi correctionem, quando commodè poteſt, & ſperat fructum, quia talis diſſolutio eſt graue valde malum ipſius Religionis, ſiue totius communitatis, quod ille ex charitate, & fide, quam debet matri ſuæ, ſcilicet ipſi Religioni, tenetur impedire.* Hactenus ille.

De act. ſup. diſp. 18. dub. 3. n. 24.

Correptio, & delatio, quæ charitate, humilitate, & alijs virtutibus facienda.

Capvt XCVIII.

Hom. 67.

Qvo autem pacto fieri debeat delatio, & correptio iſta, Antiochus Monachus ſic docuit. *Proximum coarguere ſecundum Deum, Deo ipſi quàm ſi gratioſum, & amabile, quis explices? Aliud eſt enim nihil, quàm inſigne fraternæ dilectionis argumentum; ac pia erga proximum voluntatis illuſtre ſignum, alieno periculo indoleſcentis ſincero cordis affectu, & munda prorſus conſcientia. In timore autem Dei id fiat, nec ſine indiuidua eius comite, miſericordia, vnum aliquem arguere; hoc nimirum mentis ſcopo ad rectitudinis reuoces viam, & conuertas peccatum.* Hugo Victorinus in regulam ſancti Auguſtini hæc habet: *Sic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores; ſunt verò nonnulli, qui aliorum culpas redarguunt, non tam ex charitate, quàm ex odij amaritudine; non tam vt eos corrigi velint, quàm vt odium, quod corde geſtant, exercere poſſint, & hoc ad vindictam pertinet, non ad diſciplinam. Caueant ergo fratres, ne aliquid reprehendant ex ira, & indignatione, ſed ex dilectione.* Humbertus quoque ſuper eamdem Auguſtini regulam ait: *Faterna correptio cum lenitate eſt facienda; quoniam delinquentes ſunt quaſi infirmi, ideo leniter ſunt tractandi cum compaſſione, diſcretione, & moderamine; ſi tamen iſta non emendantur, apponendus eſt rigor. Magnum enim zelum contra vitia vult ſanctus vir Auguſtinus in Religione haberi, ad quod incitare debet exemplum Dei; qui peccatum ſpirituale in cœlo commiſſum, peccatum quoque carnale in paradiſo peractum, & peccatum ſæculare negotiationis in templo inuentum tanto zelo puniuit. Cum ergo Religio ſit quoddam cœlum, in quo habitant viri ſpirituales, & quidam paradiſus in terra, ac Domini templum, grandi zelo in ea ſunt perſequenda peccata, ſiue ſpiritualia, ſiue ſæcularia, ſiue carnalia. Religioſi demum in hæreditate viris ſanctis ſuccedunt, in qua ſancti viri tam nobiliter, quantum ad virtutes, vixerunt, & viuunt de bonis Domini, habentes quotidie ab eo bona ſtipendia: ſunt quoque electi à Deo, & ſequeſtrati à mundo, vt ſint ſancti. Item tria ſunt, quæ multum excuſant peccata, ſcilicet ignorantia quædam, mala ſocietas, atque occupatio circa terrena. Religioſi autem per ignorantiam nequeunt excuſari, & multa bona habent exempla, ſolique Deo intendere debent. Idcirco in eis ſunt vitia maximè perſequenda, ſed aliqui ſub ſpecie perſequendi vitia, homines perſequuntur, & ſimiles ſunt Scribis ac Phariſæis, qui Chriſtum ex inuidia accuſabant.* Rurſus Hugo Victorinus ſuprà laudatus: *Cum culpa occultè committitur, frater, qui deliquit, ab alijs fratribus, qui eiuſdem culpæ conſcij ſunt, ſecretò corripi debet. Quos ſi neglexerit audire, Patri Religionis debet indicari, vt ipſe fratrem ſecretè corrigat; quatenus culpa, quæ adhuc latet, ſi fortè ſecretius corrigi potuerit, non omnibus innoteſcat: ſi autem negauerit, teſtes adhibeantur, & conuictus diſtrictius iudicetur. Cum dolore enim abſcindenda ſunt, quæ leniter curari non poſſunt. Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta purgatione curanda, ſed palàm ſunt arguendi, qui palàm peccant, vt dum aperta obiurgatione curantur, hi qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Qui ergo ſecretò admonitus emendare noluerit, publicè conuictus emendatoriam debet ſubire vindictam.*

Apud Dionyſ. Carthuſ. lib. de modo iudicandi & corripiendi art. 14.

In corripiente petiſſimè, ait Dionyſius Carthuſianus, *& præſidente contemperari debent, & ſe inuicem fulcire, ac informare, ac moderari pietas, iuſtitia, atque diſcretio*; ſicut orat Pſalmiſta: *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me*, vt correptio, nec nimis dura ſit, nec nimis remiſſa, ſed ſemper diſcreta, & correpti capacitati, aut indigentiæ, ſeu diſpoſitioni proportionata, nempe, vt Beatus ait Bernardus: *Volat irreuocabile verbum.* Et quod ſanare debuit; quia mordaciùs dicitur, grauiùs lædit: ideo loquitur Auguſtinus: *Quidquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quidquid oportet. Non enim ſemper pater oſculatur filium, ſed interdum caſtigat.* Et ait Ambroſius. *Dum qui diligitur, caſtigatur, circa eum pietas exercetur. Plus autem proficis amica correctio, quàm accuſatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet.* Hoc eſt quod Salomon faſſus eſt: *Sermo durus ſuſcitat furorem.* Ob id ait Hieron. *Regat diſciplina vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet diſciplinæ vigorem.* Sic alterum commendetur ex altero, vt nec rigor auſterus ſit, nec manſuetudo diſſoluta, hoc eſt, quod ait Vrbanus: *Leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti: aſperitate autem nimiæ increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem.* Seneca quoque. *Obiurgationi*, inquit, *ſemper aliquid blandè commiſce: facilius*

Lib. de modo corripiendi & iudicandi art. 20.
Pſal. 118.

penetrant verba quæ mollius tranſeunt. Porrò ſeueritas eſt per quam iudiciaria poteſtas, vel vindicta diſtrictiùs in aliquem exercetur; quæ in præſidente non commendatur, niſi interdum circa diſcolos ac rebelles, dicente Iſidoro: *Qui blandè verbo caſtigatus non emendatur, acriùs neceſſe eſt vt corrigatur.* Et cum dolore ſunt abſcindenda, quæ leuiter ſanari non poſſunt. Vulnus quoque quod occultè neſcit ſanari, manifeſtè debet emendari, & manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda. Palàm enim arguendi ſunt, qui palàm nocent, vt dum illi aperta obiurgatione ſanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur: ſicque dum vnus corripitur, plurimi emendantur. Itaque circa corrigibiles ſeruetur clementia atque modeſtia, cùm Salomon dicat: *Roboratur clementiâ thronus Regis.* In laudibus Iulij Cæſaris Tullius ait: *Nulla in virtutibus tuis te tam commendabilem reddit, vt tua clementia.* Hinc Bernardus dixit: *Qui delinquentem ſuperbo, vel odioſo animo corripit, non emendat, ſed percutit.* Quidquid proteruus, vel indignans animus protulerit, obiurgantis furor eſt, non dilectio corrigentis. Pij autem, ac dociles, etiamſi offendant, leniter ſunt tractandi, dicente Ambroſio: *Quid neceſſe eſt bis pungere non recalcitrantem, & per ſe ſatis erubeſcentem magis confundere, cui ſua ratio eſt magiſtra, cui propria ſcientia virga eſt, & ingenita verecundia lex diſciplinæ?* Vt corripientium (potiſſimè ſuperiorum) correptiones à ſubditis reuerenter audiantur, ſic ſtudeant conuerſari, vt vita correptionem reddat authenticam. Propter quod dicit Chryſoſtomus: *Circa propriam vitam eſto auſterus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parua mandantem, & gaudia facientem.* Hieronymus quoque diſſeruit: *Quomodo poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in ſimile delictum corruerit? aut qua libertate poteſt peccantem corripere cùm tacitus ipſe ſibi reſpondeat eadem commiſiſſe quæ corripit?* His alludit illud Gregorij: *Mundus eſſe à vitijs debet, qui aliena corripere cupit, quatenus tanto perſpicaciùs alijs fugienda videat, quanto ipſe per ſcientiam & vitam ea magis declinat; quia nequaquam purè in membro maculam conſiderat oculus, quem puluis grauat, & ſuperiectas ſordes tergere manus non valent, quæ lutum tenent.* Iſidorus quoque ait: *Non debet aliena vitia corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus fuerit inuolutus. Improbum enim eſt quemquam arguere in alio, quod adhuc reprehendit in ſemetipſo.* Verumtamen tales ab impletione præcepti de correctione fraterna non excuſantur; quia, vt Innocentius loquitur, & in Decretalibus ſæpiùs allegatur: *Nullus de ſua debet malitia commodum reportare, quoniam ſe emendare poteſt, & debet, ſicque purgatus illud implere præceptum.* Et ſimile eſt de ſacerdote in peccato exiſtente mortali, atque ad celebrandum aſtricto. At verò probi eſt ſubditi ſuperiorem ſuum non faciliter diiudicare, quamuis inexcuſabilis ſit, tamen vt Dei vicarium honorare ac obedienter audire. Sed cùm Leo Papa teſtetur: *Peruerſum corrigere, vel inanis eſt labor, cur tales corripiuntur?* Dicendum, quòd ſemper correptio ad vtile aliquid ordinatur, ad ſalutem correpti, aut commodum aliorum. Ideo Tullius ait: *In iudicando, aut corripiendo hæc tria ſequuta eſt lex, quæ Princeps quoque ſequi debet, vt aut eum quem punit, aut pœna eius cæteros meliores reddat, aut vt ſublatis malis, cæteri ſecurius viuant.*

Temeraria tamen vitemus iudicia, quæ grauia ſunt peccata, grauitate damni, & grauitate periculi, ſecundùm Durandum in ſumma ſua, & ſicut idem affirmat, præcipuè oriuntur ex ſuperbia, atque inuidia. Ex ſuperbia quidem, quia (vt ait Hugo libro tertio de arca myſtica) neceſſe eſt vt in illorum oculis aliena facta vileſcant, qui de ſuis meritis immoderatè ſentiunt. Nec fieri poteſt vt alienam quis vitam iudicare præſumeret, niſi in ſe priùs tumuiſſet; quæ tamen in ſuperbia primò ſe palliat ſub ſpecie zeli boni, deceptæque menti ſuadet non eſſe perfectum amatorem iuſtitiæ, qui alienæ culpæ præbet conſenſum; eum quoque alienæ culpæ conſentire, qui dum poteſt, negligit corripere delinquentem. Sicque decepta mens totam ſe dat curioſitati, & paulatim creſcente hoc morbo, dum primò errata aliorum immoderatè perſequitur, poſtremò ad hoc ducitur, vt quidquid videt, aut apertè calumniari, aut ſiniſtrè interpretari conetur, vt ſi quos pro communi vtilitate video ſolicitos, iudicat cupidos; affabiles, & hilares, iudicat adulatores; alacres ac deuotos iudicat leues, & inquietos; graues ac debiles, iudicat pigros, atque inertes; abſtinentes vocat hypocritas. Ex inuidia namque procedit iſtud temerarium iudicium; quia inuidia mentem excæcat, & parit iudicia ſuſpicioſa ac peſſima, nec ſinit miſerum bene ſentire de eo, quem odit, dicente Chryſoſtomo: *Si perfectè aliquem oderis, omnia quæ apud illum ſunt, diſplicent tibi: & ſi bona ſunt, tamen tibi mala videntur.*

Præterea, peccantem ordinatè corripiamus, non adulando laudemus, non conuitiando interimamus, non verecundando ſileamus, non pigritando negligamus; non inimicitias, aut damna temporalia metuendo diſſimulemus, non obſequium præſtando iuuemus, neque fouendo, arridendo, aut ſilendo conſentiamus: quia & Seneca proteſtatur. *Amici vitia ſi feras, tua facis, & bis peccas, dum obſequium peccanti accommodas.* Iterumque fatetur: *Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit; bonis nocet, qui malis parcit*, nimirum non corripiendo. Hoc eſt quod ait Iſidorus: *Semper vitia dum non reſecantur, inde mox creſcunt, & in augmenta vitiorum proſilitur, quoties ſecura impunitate peccatur.* Ideo dicit Scriptura: *Corripe amicum tuum, ne fortè non intellexerit, & iterum addat facere.* Verùm ita ſimus corripere alios proni, vt proniores ſimus ab aliis corripi; & quod ipſemet viciſſim de noſtris fatemur defectibus, ab aliis æquanimiter audiamus. Ait namque ſanctus Gregorius: *Multi ſua confitentur peccata, & tamen humiles non ſunt.* Nam plurimos nouimus, qui à nullo correpti peccatores ſe eſſe confitentur; cùm verò de culpis ſuis fuerint correpti, defenſionis patrocinium quærunt, ne peccatores exiſtere videantur. Indicia autem veræ confeſſionis ſunt, vt ſicut quiſque peccatorem ſe dicit, ita illud de ſe alteri dicenti non contradicat: quia ſuperbiæ vitium eſt, vt quòd ſe quiſque ſpontè fateri dignatur, hoc ſibi ab aliis dici aſpernetur. De hoc in vitis Patrũ refertur, quemadmodum fratre quodam ad ſenem ſanctũ veniente, & ſe multipliciter accuſante, ac monachali habitu profitente indignum, & deinceps ſene illo fratrem

trem paululum correptoriè inſtruente, dicendo: Sede in cella tua, quia egredi tibi non expedit; ſtatim ille turbatus eſt, ita vt nec in vultu eius latuerit. Cui ſenior dixit: Hucuſque peccatorem te dicebas, quomodo ergo nunc, quia te modicè reprehendi, commotus es? Si verè te humilias, quod de te ipſomet dicis, ab aliis patienter feras, & audias, creatorem noſtrum feruentiſſimè ac iugiter inuocemus, vt apprehenſa dextra noſtra in voluntate ſua deducat nos, quatenus in omnibus via Regia incedentes, & in iudicando, & corripiendo non offendamus. Hæc Dionyſius Carthuſianus articulo vigeſimo ſui libri, de modo iudicandi, & corripiendi. Nec omittenda ſunt, quæ paulo antè notauerat: Non eſt ſemper correptio propter incorrigibilitatem ſubditi dimittenda, præſertim ſi alij ſcandalizentur, aut charitatis bonum periclitetur. Vnde Iſidorus ait. *Qui admonitus ſecretè de peccato, corrigi negligit, publicè arguatur. Melius eſt vt pro multorum ſalutatione vnus damnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur.* Et Bernardus: *Dum corripiuntur vitia, & inde ſcandalum oritur, ipſe ſibi ſcandali cauſa eſt, qui fecit, quod argui debuit, non ille qui arguit. Non ergo contra veritatem eſſe timeas charitatem, ſi vnius ſcandalum multorum recompenſaueris pace. Melius enim eſt, vt pereat vnus, quàm vnitas.* Proſper quoque fatetur. *Odio habeantur peccata, non homines: corripiantur timidi, tolerentur infirmi: & quod ſeuerius ne. eſſe eſt caſtigare, non ſeueritatis plectatur animo, ſed medentis.* Sed & Leo Papa teſtatur: *Malum cùm perſeuerat, augetur, remediabileque bonum in malo eſt accelerata correctio.* Verùm tamen ſæpe in Prælato diſcretioni adſcribitur, ſi correptionem impatienter ferenti ad tempus parcat, ſi forſitan interim reſipiſcat, & paulo pòſt correptus emendet; quod fieri poteſt, quando de emendatione rei ſpes remanet. Hinc in ſtatutis Ordinis Carthuſienſis habetur. Præſidētis diſcretioni committitur, vt fratrem impatienter nimis in Capitulo reſpondentem, incontinenti puniat, aut ad tempus relinquat. Verum eſt enim quod ſanctus Leo Papa diſſeruit: *Peruerſum corrigere nihil aliud eſt, quàm ſtimulare inſanum, & oleum adhibere camino, atque incendia ventis vincere velle.*

Non ſunt iudicanda, nec inquirenda aliena facta, ex Rikelio.

Capvt XCIX.

Illvd hîc rurſus admonere operæ pretium erit, non quâ tenemur corripere fratres noſtros, eoſdem iudicare, aut obſeruare debemus. Meminerimus illud ſalutare Chriſti Domini conſilium. *Nolite iudicare.* in quem locum alia quoque ſalutaria monita adiiciunt Patres. Chryſoſtomus ait: *Non oportet exprobrare delictum, aut eum qui peccato aliquo præuentus eſt, inſolenter obruere, nec perſequi iurgio, ſed monere conſilio. Non enim illum, ſed te metipſum profectò condemnas, & facis tibi ipſi terribilius eſſe iudicium, cogiſque aduerſus te diligentiſſimam etiam de minimis fieri vltionem. Vt enim*

Matth 7.

diligentiùs tua examinentur peccata, legem primus ipſe poſuiſti, ſeuerius de his quæ proximus peccauerat, narrando; ſunt autem hæ diabolicæ tentationis inſidiæ. Nam qui ſeuerè diſcutit aliena, nunquam de proprio reatu merebitur veniam. Iterum ait idem Chryſoſtom. *Si nullum nobis adeſſet peccatum admiſſum, pro hoc ſolo nos gehennæ tradi ſatis, abundéque ſufficeret; quippe qui in aliorum delictis ſeueri & amariſſimi iudices reſidemus, noſtras autem trabes oculis noſtris infixas non cernimus; qui aliena etiam minima tàm ſolicitè ſcrutamur, & ad condemnandos cæteros omne vitæ noſtræ tempus abſumimus. A quo vitio neque ſæculi hominem, neque Monachorum vllum facilè inuenies liberum.* Circa eundem locum ait ſanctus Cyrillus: *Chriſtus hîc ſedat, & tollit peſſimam conſuetudinem, & paſſionem animarum noſtrarum, principiumque contemptus aliorum. Cùm enim deceat homines ſeipſos circumſpicere, atque ſecundùm Deum conuerſari; hoc tamen multi non faciunt, ſed examinant alienam, & ſi viderint aliquos infirmari, aut cadere, tanquam propriarum paſſionum mox obliti, mox detrahunt.* His conſonat quod ſuper illud, *Tu quis es qui iudicas proximum tuum*, aſſerat Beda: *Redarguit temeritatem eorum, qui alienam iudicare delectantur tanquam propriam fragilitatem obliti, nec incertitudinem ſui ſtatus penſantes: itaque cùm debiles ſimus in ratione, ita quòd faciliter fallimur & erramus, pronique ſumus ad paſſiones, & vitia, rectum iudicium peruertentia, Chriſtus à multis periculis, & peccatis nos eripit, & præſeruat, dum iudicare nos prohibet.* Quod vtique, inquit Dionyſius Rikelius, paſſionatis ſummè periculoſum eſt, & præſertim cauendum eſt eis ne proni ſint iudicare eos ad quos minus bene afficiuntur, ſeu inclinantur, & contra quos citò tentantur, ne paſſione cæcati de illis iudicent vitiosè, ſed ſemetipſum vnuſquiſque diſcutiat, attendat, diiudicet, increpet, & caſtiget, cùm dicat Apoſtolus: *Si nos metipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Præterea ſuper illud Apoſtoli, *In quo alterum iudicas, te ipſum condemnas*, loquitur Nicolaus Gorranus: *Alterum iudicando, ſeu reprehendendo, tu ipſe teſtis es tuæ iuſtæ condemnationis*, iuxta illud: *Tuum eſt iudicium quod ipſe decreuiſti*, & apud Lucam: *Ex ore tuo te iudico ſerue nequam.* Hinc in Eccleſiaſtico ſcribitur: *Dum maledicit impius Diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.* Quoniam vitia quæ habet Diabolus, habet & ipſe ſibi familiaria. Vnde maledicendo Diabolum, oſtendit ſe maledictione condignum.

Lib. de modo iudicandi & corripiendi. art. 9.

Proindè quidem & ſalubriter interdixit Dominus, vt ait Rikelius, inordinata iudicia, eo quòd celeriter, ac frequenter fallamur iudicando de aliis, propriis quoque paſſionibus, vitiiſque cæcati, multoties arbitramur nos zelo iuſtitiæ, & ex virtutibus agere, charitate moueri, & recta intentione induci, cùm potiùs impetu paſſionum, & priuato amore, deuotioneque ficta agamus; quid ex eo potiſſimè innoteſcit; quia nos ipſos nec in maioribus, nec in ſimilibus efficaciter emendamus, aut iudicari, & corripi patimur, de quibus alios iudicare atque corripere tam audaces, proni, ac præcipites ſumus. Quo igitur Religioſi præ cæteris magis in omnibus cuſtoditi, circumſpecti ac timorati eſſe tenentur, eo ad iudicandum facta aliorum tardiores, matu- Art. 10.

 riores,

riores, prouidentioreſque eſſe debent, proprium ſtatum, propriam fragilitatem ac fallibilitatem, propriaque pericula, & peccata iugiter ponderantes aliorum facta, quantum poſſibile eſt excuſantes: nec cum indignatione, & aſpernatione, ſed pia, & charitatiua compaſſione iudicantes de eis, imò ſimul orando pro eis; & quod in aliis apparet culpabile, in ſe ipſis ſapientialiter deuitantes, iuxta quod dicitur,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Propterea quò Religioſus præ cæteris magis tenetur ſibi ſoli & Deo intendere, eo plus ab immoderata ſui occupatione circa aliorum facta expurgare obligatur, quod nequaquam adimplet, niſi temeraria vitet iudicia, ſeque coram Deo cuſtoditè habeat ac prudenter. Deinde ſecundùm Gulielmum Antiſiodorenſem, Religioſi tenentur non ſolùm ad viam meliorem, ſed etiam ad tutiorem. Cùm ergo ſe intromittere de iudiciis aliorum, tam periculoſum exiſtat, conſequitur quòd Religioſi ab eis abſtinere præcipuo moderamine debent. Inſuper Religioſi, etſi eſſe perfecti non teneantur, tamen ad perfectionem quotidie tendere obligantur. Aliàs ſuæ profeſſioni ſatisfacere non cenſentur. Hinc periculoſa & perfectionis impeditiua ſummè debent abiicere, qualia ſunt circa aliorum facta inquirenda, obſeruanda, iudicandaque occupari, Salomone teſtante: *Qui ſerutator eſt malorum, opprimetur ab eis.* Tum etiam iuxta Auguſtini doctrinam, Chriſtus prohibuit iurationem, non quia in ſe mala, ſed quoniam iurationi aſſueſcens, faciliter ad periurationes, & immoderatas iurationes dilabitur. Ita de iudicatione aliorum cenſere obſeruareque congruit. Rurſus quemadmodum anima impeditur ab operatione vnius potentiæ, vehementer inſiſtendo operationi alterius: ita eadem potentia animæ multum intenta vni obiecto, impeditur ab actu circa illud obiectum, præſertim quando obiecta ſunt coordinata. Hinc intellectus hominis conſiderationi, & iudicationi aliorum, potiſſimè ſibi non commiſſorum, inordinatè intendens à ſui ipſius ſalubertima conſideratione ac vtiliſſima diiudicatione non mediocriter impeditur; & quanto quis facta aliorum grauiùs ponderat, immoderatiùs diſcurrit, indiſcretiuſque perſequitur; tanto propriorum vitiorum, paſſionum, atque ſuorum defectuum calamitates, & enormitates minus intelligit & intendit, nec emendat, ſed miſer & miſerabilis, pauper, cæcus, & nudus lamentabiliter perſeuerat. Hinc ſanctus Bernardus optimè loquitur: *Caue alienæ conuerſationis eſſe curioſus explorator, aut temerarius iudex, etiamſi perperam actum quid deprehendas: ne ſic mox iudices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud te ipſum: Vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa feciſſet, ſi in me ſimiliter accepiſſet poteſtatem? Denique inordinato amaroque zelo de aliis iudicans, neque compatiens meretur à Deo relinqui, ita vt in eadem, aut maiora ſæpius labatur.* Ideo ſapientiſſimus ait Apoſtolus: *Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Poſtremò, ſi tam circumſpectus, & timoratus eſſe debeat Religioſus circa iudicationem fratrum ſuorum, quanto plus eſſe talis tenetur circa ſuperiorum ſuorum iudicium, non malitioſè, nec curioſè, neque ſuperfluè, aut imprudenter, & temerè facta illorum obſeruando, reprobando, accuſando, diiudicando. Verùm aliqui proh dolor! tam ſuperiorum, quàm fratrum ſuorum facta immoderanter, ac inſipienter nimis obſeruant, reuoluunt, diiudicant; ideò intra ſe obtenebrantur, neque ad verum vnquam pertingunt profectum, neque internæ deuotionis experiuntur dulcedinem, ſed effuſi, crudi manent. Tales igitur ſe emendent, oculum conſiderationis ſuæ ſuper ſe ipſos quotidie ſolicitè, ac prouidè reflectentes, inuenientque in ſe ipſis tot ærumnas, tot vitia, tot pericula, tanta lugenda, quòd ex aliorum iudicio faciliter ſe auertent, atque in propria cauſa patrocinari ſtudebunt; nec queruloſi erunt, nec detractores, neque facilè offendentur, ſed omni contemptu, & pœna dignos ſe fatebuntur. Hæc autem de Religioſis ſubditis ſunt inducta, non de eorum Prælatis, qui ex obligatione officij opus ſpeculatoris & patris, medici ac iudicis circa ſibi commiſſos implere tenentur, vultum ſui pecoris ſolicitè conſiderando: & ſi quid deprehenderint morbi ſolerter medendo, atque ab hoſtium animæ incurſionibus viriliter ac prudenter tuendo: quorum eſt arguere, increpare, hortari, docere, & dum magnitudo cauſæ requirit, præcipere, nec diſciplinam relinquere, ne illa dormiente nequitia ſæuiat, & ſubditi abſque timore in mala libertate, quaſi onagri in deſerto incedant.* Hactenus ille.

Quando liceat iudicare?

Capvt C.

Cæterum, quoniam nonnulla opera ſine exceptione ſint & iudicanda, imò damnanda, quæ nec ipſa pietas prudenter excuſare poterit, in his amplum habet locum fraterna correptio: nam quòd Dominus conſuluit, *nolite iudicare*, ſic interpretatur ſanctus Auguſtinus: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi puto, niſi vt ea de quibus dubium eſt quo animo fient, in meliorem partem interpretemur. Quædam enim opera & bono & malo animo fieri poſſunt, de quibus iudicare temerarium eſt, maximè vt damnentur, ſeu in partem peiorem trahantur.* Duo autem ſunt, in quibus temerarium iudicium potiſſimè vitare debemus, videlicet dum incertum eſt, quo animo quid factum ſit; vel incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc bonus, vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea, de quibus neſcimus quo animo facta ſunt: nec ita reprehendamus quæ manifeſtè ſunt mala; vt emendationem deſperemus. Denique ſecundùm Doctores, quædam ſunt omnino mala ex ſe, ſiue ex genere, quæ bene fieri nequeunt, vt blaſphemare, fornicari, furari, de quibus iudicare permittimur, quoniam talia in ſua ratione deformitatem peccati includunt. Alia ſunt bona ex genere, quæ tamen aliquando fiunt non bene, vt cùm eleemoſyna datur pro laude humana: ſed quia interior nos latet aliorum intentio, talia iudicanda ſunt

ſunt benignè, & probabiliter bona cenſenda. Alia verò ſunt bona ex ſua natura, quæ fieri malè non valent, vt ſunt immediati, ſiue eliciti actus virtutum, ſicut diligere Deum, & aliarum virtutum opera exercere ſecundùm intentionem Dei præcipientis, videlicet ex fide & charitate ad Dei gloriam, & talia ſunt cum abſoluta certitudine bona cenſenda in generali, quamuis abſoluta certitudine noſcere non poſſumus actus proprios, aut aliorum exiſtere tales abſque reuelatione diuina. Immò ſecundùm Alexandrum de Hales, & Gulielmum Antiſiodorenſem, poteſt quis ex fide informi, & timore ſeruili pati martyrium, ſeu mortem pro fidei veritate, & ſi ſic patiendo decederet, damnaretur, quamuis valde ſperandum ſit, quòd Deus tali conſtituto in tali martyrio charitatem infunderet. Alia autem ſunt opera indifferentia, ſcilicet nec bona nec mala in ſe, ſed bono maloque animo fieri poſſunt. De quibus iudicare vetamur, cùm agentis intentionem non videmus; ſed interpretanda ducuntur in melius, non vtique cum aſſertione, quia hoc eſſet incautum, cùm ſit incertum, ſed cum quadam pia æſtimatione & ſpe, qua ſemper de proximo bona debemus confidere, aut ſentire, niſi oppoſiti mali euidentia ſigna appareant. Itaque ſicut Alexander de Hales fatetur, ad ſimplices & ſubiectos etiam Monachos pertinere poteſt iudicium de manifeſtis, & inexcuſabilibus malis.

Qualiter delatus debeat ferre correptionem, & ex ea proficere.

CAPVT CI.

IS autem qui defertur, ſciat ſi non gratum habere, ſaltem patienter ferre quod vtiliſſimum ſibi, & Religioni eſt; memor Salomonicæ ſententiæ via vitæ cuſtodienti diſciplinam; qui autem increpationes relinquit, errat; errat quidem extra viam vitæ, extra viam perfectionis, extra viam ſalutis, extra viam Dei. Eccleſiaſticus ait: *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris.* Per hunc peccatorem Diabolum intellige, qui primus peccator eſt, & peccati author. Quid igitur eſt, *veſtigium Diaboli.* Imitator ſanè, & diſcipulus Diaboli, vt Lyranus interpretatur; tum veſtigium idem valet ac indicium, indicat nimirum dominari in eum Diabolum, qui ſeducit eius cor, vt odio habeat corripientem, & ſalutis medicamentum repellat, quemadmodum Rabanus exponit. Addo veſtigium Diaboli eſſe quatenus repulſa correctione firmatur in peccato, viis peccatorum inhærens. Quapropter rectè præſcripſit S. Baſilius in animaduerſionibus aduersùs Regulares. *Si quis de errato aliquo adhibita charitate corripiatur, & correptionem non admittat, ſumma cum ſolicitudine obſecrans, ac propter ea quæ deliquit, ignoſci ſibi poſtulans. Hic quoque hebdomadam vnam à reliquorum Societate excluditur.* Ibidem idem Baſilius ait: *Si quis alicuius alicui peccati conſcius ſit, & illum negligenter ferre animaduertat, ac non adhibita cordis contritione multiſque lachrymis Deum ſibi propitium facere, hortetur & admoneat ipſum vt pœniteat, & opera pœnitentia digna præſeferat. Si autem his ita ſeruatis, nihilominus tamen ille ſalutem ſuam negligat; qui eiuſmodi eſt, is ex conuentu prorſus exterminator: modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit.* Idem in animaduerſionibus aduersùs Canonicas. *Quæ irrogatam ſibi mulctam reyciat, contumaciterve contrà reſpondeat, aut murmuret, non intelligens, quid ſibi ex correctione vtilitatis naſcatur, ſegregator hebdomadas duas.* Cum patientia igitur, cum humilitate, cum deſiderio maioris Dei obſequij admittenda eſt ſalutaris correptio, & audiendus Eccleſiaſticus, qui addit; *& qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum.* Relicta quippe erroris via mox, vt corripietur ſeruus Dei, conſiderat defectus ſuos, atque de eorum correctione ſedulò cogitat; ſine murmure quidem: nam, vt idem Eccleſiaſticus ait: *Vir prudens, & diſciplinatus non murmurabit correptus, imò lætabitur, ſi verè humilis fuerit. Homo,* inquit Antiochus, *quando de ſe quàm modeſtiſſimè ſentit, ſeque pro abiecto habet & vili, multa cum animi voluptate, & beneuolentia eas excipiat, quæ in ſe recidunt correptiones, aut quamlibet aſperam obiurgationem. Beatus igitur Monachus, qui ſeipſum aliud eſſe cenſet nihil, quàm omnium peripſema; incredibili enim lætitia perfunditur tacitus ſuper priuata deiectione, & contemptu (dum ſeipſum deputat, nec fucatè cæteris tanto eſſe minorem) magis quàm pro exhibito honore, aut proprij celebritate nominis, vnde & talis à Deo prædicatur Beatus, iuxta Iſaiæ teſtimonium, dicentis: ſanctificate eum, qui extenuat animam ſuam, qui autem odit correptiones, imprudens eſt.* Perfectiſſimè autem cautum olim quem debeamus habere animum ad correptionem. Sic præſcriptum inuenio in priſca editione noſtrarum Regularum communium tempore Patris Lainij. *Parati ſint omnes patienter, humiliterque accipere reprehenſionem, obiurgationem, vel increpationem, non à ſuperiore modò, ſed à domeſticorum minimo, idque tum priuatim, tum publicè coram domeſticis, vel externis, quantumuis ſine vlla cauſa id fieret, ferant omnes libenter mores ſuos à quouis notari, nec ſolùm ſi cauſa adſit, imò etiam ſi nulla ſit: velitque (quod ad ſe attinet) à quouis patienter audire, quæ ille de ipſis cogitarit, vel viderit, tametſi coram alijs omnibus ea dicerentur. Imò verò poſtquam notatus ea cenſura fuerit, ſumma cum humilitate gratias aget cenſori, petitáque venia emendationem pollicebitur.*

Vltra patientiam & deſiderium ſe corrigendi re ipſa oſtendat correptus ſe emendatum, iuxta illud, *Quàm bonum correptum manifeſtare pœnitentiam: ſic enim effugiet voluntarium peccatum.* Manifeſtat autem pœnitentiam, qui non tantùm apud ſe dolet, aut verbis etiam declarat, agnoſcendo ſe peccaſſe, & humiliter petendo veniam, ſed facto ipſo vitam emendando, vt inde agnoſcant omnes non ex deſtinata voluntate, & malitia peccaſſe, ſed aut per ignorantiam, aut inaduertentiam, aut fragilitatem, aut infirmitatem erraſſe, ac proinde ſuum peccatum omnino voluntarium non fuiſſe. Si huiuſmodi correptus fuerit, implebitur quod dixit Salomon: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.* Inauris aurea eſt qui obaudit correptionem: margaritum fulgens, qui ex charitate corripit. Ergo ſicut ſe habet margaritum additum

Prou.10.

Eccleſ.21.

Eccli.16.

Hom.68.

Eccl.20.

ditum in auri aureæ; ita ſe habet charitatiuus correptor ad aurem obediētem. Pulcherrimum profectò par mutuo cōnexu decorum, & pretioſum Religionis ornamētum. Tandem nec prætermittenda ſunt, quæ optimè Dionyſ. Carthuſ. dixit:

Lib. de modo iudicandi & corripiendi, art. 20.

Quàm laudabile eſt paternā correctionem, ac fraternā correptionem ex charitate, aut æquitate impendere, tam peruerſum, ingratum ac ſtolidum eſt eas non obedienter, patienter ac piè ſuſcipere, quod Scriptura ſancta copioſè proteſtatur. Scriptum eſt enim in libro Prouerbiorum: Non inuenient me, dicit Dominus; quoniam exoſam habuerint diſciplinam, & detraxerint correctioni meæ. Cùm enim peccatum ſit mors, & perditio animæ, ac via ad inferos, nonne incomparabiliter ſtultior eſſe conuincitur, qui pro peccatis ſuis corripi dedignatur & corrigi, ſuaque vitia ſibi monſtrari, quàm qui corporis ſui vulnera non pateretur ſibi oſtendi, mederi, curari? Abijciamus ergo à nobis peſtiferum morbum, nomine, Noli me tangere. Correptiones non ſuſtinere, & ſe in vitijs excuſare, ex radice procedit ſuperbiæ, eſtque indicium carentiæ, ſeu defectus illuminationis ſupernæ. Sapiens quippe in omnibus metuit, & ſi de his propter quæ corripitur, ſibi conſcius non ſit, tamen ſcit ſe in pluribus offendiſſe, quæ & ſeipſum latent & corripientem. Idcirco pro talibus æquanimiter ſuffertur. Quod etſi ſibi de nullo conſcius eſſet peccato; pro Dei tamen amore atque intuitu Dominicæ Paſſionis, pro incremento etiam gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro hilariter ſuſtineret. Sed ſunt qui in aliorum conſpectu & cordibus confundi verentur ac vilipendi, quod ex improbo, & priuato manat amore: quo euulſo, & ſpirituali amore plenè adepto, amat homo neſciri; & quantum ad ipſum pertinet, optat contemni, tribulationibus affici, & vniuerſa quæ ſibi expediunt ad proficiendum in gratia ac gloria, imò ad complacendum Deo, & ad honorādum eundem deſiderat, amplectitur, quærit. Nec dubitare debemus, quin increpationes, & correctiones ſuperiorum noſtrorum, increpationes, & correptiones ſint Dei. Porrò patientia omnium eſt probatrix virtutum. Vnde quantumlibet quis virtuoſum, & deuotum ſe eſſe prætendat, ſi in correctionibus, caſtigationibus, & aduerſitatibus patientiam non obſeruet miſer, & defectuoſus eſſe conuincitur; quoniam inſtar ollæ malæ in fornacis medio poſita exilit, crepat, conteritur. Ideo in Eccleſiaſtico ſcribitur: Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.

Vt autem humilitatem correptionis æquanimiter feramus, magnopere iuuabit imitatio filij Dei, qui omnem humilitatem, patientiam & charitatem nos docuit.

Digitized by Google

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

Doctrinæ Aſceticæ.

LIBER TERTIVS.

DOCTRINA I.

DE IMITATIONE Chriſti Domini.

Imitatio Ieſu Chriſti fuit ex præcipuis cauſis incarnandi filij Dei.

CAPVT I.

Ioan.14.

EGo *ſum via, veritas, & vita.* Magni & potentiſſimi Principes, non niſi magnis inducti, imò coacti cauſis ſedes ſuas mutant, regiamque relinquunt maximè in extranea regna peregrè agere, vix ardua & ſummi momenti negotia vrgebunt. Quid dicemus de ſummo Imperatore cœli, de Rege potentiſſimo gloriæ, de principe pacis, filio Dei, qui ſedem ſuam velut mutaos, in terram deſcendit? tantam peregrinationem non ſine magna cauſa & ad ſumma negotia ſuſciperet. Quæ ſunt iſta negotia filij Dei, propter quorum magnitudinem & momentum excuſatur leuitatis grande hoc iter; hæc ſunt tria illa officia, vt ex ſanctis Patribus accipio, quæ erga nos exercere oportuit, reparatoris, magiſtri, & ducis; vt morte ſua vitam nobis largiretur, vt doctrina ſua veritatem monſtraret, vt exemplo viam cœli explanaret, & præiret. Hoc eſt quod ipſe de ſe teſtatur. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Vita, quia nos redemit; veritas, quia nos docuit; via, quia nos ducit ad cœlum. Hinc ſanctus Leo dixit: *Chriſtus eſt via ſancta conuerſationis; veritas doctrina diuina; vita beatitudinis ſempiterna.* (*Serm. de Reſur.*) Et ſanctus Cyrillus ait: *Chriſtus nobis eſt via per vitæ actionem; veritas per fidei rectitudinem; vita per ſanctificationem* Morte damnati eramus, captiui Diaboli, filij iræ, vaſa immunditiæ ſine modo, aut vlla ſpe remedij creaturæ poſſibilis; ideo neceſſe erat ipſum creatorem deſcendere, vt vitam reſtitueret ſuæ creaturæ, & chirographom damnationis noſtræ rumperet. Hoc præcipuum negotium fuit Redemptoris noſtri. Verùm quid iuuaret poſtquàm redemit nos, & meritus nobis fuit reſtitutionem vitæ amiſſæ, ſi adhuc in tenebris ignorantiæ iaceremus, neſcientes quo pacto vti poſſemus redemptione ſua, ad exercenda virtutum opera, quibus cum gratia, quam nobis meruit, poſſimus peruenire ad viuendum & regnandum eum illo. Idcirco expediebat vt pariter doceret nos, noſtramque illuſtraret mentem cæleſti doctrina. Verùm cùm doctrina eius non ſiſteret in ſpeculatione ſolùm, ſed ad praxim, opuſque dirigatur, non ſufficiebat ſolùm dici, ſed fieri, & opere exhiberi, quod pronunciabatur ore: nam nec faber artem poterit ſuam ſolis docere verbis, niſi etiam exercitium adiungat. Præterea validiora ſunt exempla, quàm verba, & plenius docetur opere, quàm ſermone, vt dixit Beatus Laurentius Iuſtinianus, qui etiam ſubdit. *Ideo Dominus Ieſus, quod aliàs docuit verbo, ipſe ſuos primo formauit exemplo. Vtrumque nobis & meritum patientibus, & patiendi ſpeculum factus.* (*In ligno vitæ cap.5.*) Diſertiſſimè quoque ſanctus Ambroſius ait, *Tempus faciendi, non iubendi, quia non legatus, neque nuncius; ſed Dominus ipſe ſaluaturus erat populum ſuum. Tempus faciendi, Domine, hoc eſt, vt crucem aſcendas, vt mortem ſubeas, totus in periculum vltimum mundus vrgetur: factum tuum ſubueniat, quoniam nec tua præcepta prodeſſe poterunt.* (*In Pſal.118. ſerm.16.*) Quapropter oportebat filium Dei exequi quod docebat: nos autem imitari illum, nec ſolùm audire, ſed ſequi eum, qui via ſalutis nobis ſit, & vitæ exemplar, & ſigillum ſanctitatis, ſimilitudiniſque diuinæ. Quoniam fracta & corrupta imago nouo typo & ſigillo debuit reformari. Optimè ſanctus Bernardus dixit. *Licèt initio hominis cum Deo coniunctio diuino fuerit munita ſigillo, ad imaginem quippe & ſimilitudinem ſuam, creauit Deus: ſed heu, diruptum eſt ſigillum, & vnitas diſſipata; ſuperuenit falſarius ille, qui indoctis ſigillum promittens melius, (va, va,) fregit quod erat manu diuinitatis impreſſum. Sed quid erit Domine Deus, nunquam ne reparabitur opus tuum, & qui ceciderit non adijciet, vt reſurgat? non eſt qui reficiat, niſi qui fecit, itaque propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus; & expreſſius & robuſtiùs pono ſigillum, eum qui non ad imaginem meam factus, ſed eſt ipſa imago ſplendor gloriæ, & figura* (*Ser.2. in natiuit. Dom.*)

ſubſtantia mea, ante ſæcula genitus, Verbum, quod erat in principio apud Deum. Hæc Bernardus.

Commendatur imitatio vitæ & virtutum Filij Dei.

CAPVT II.

HOc Saluatoris noſtri beneficium, qui amuſſis, & norma ſanctæ vitæ nobis eſt propoſitus, multis & aptis ſimilitudinibus in Scriptura commendatur, vt ipſum diligentiùs ſequamur, eiuſque ſimilitudini expreſſiùs conformemur. A Salomone dicitur *ſignaculum* dum ſponſum introducit monentem: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, & ſignaculum ſuper brachium tuum.* Quoniam ita cordi debet eſſe imitatio filij Dei, vt omnibus lacertis, totiſque viribus nobis ſit exquirenda. A Propheta
Zach. 1. Zacharia appellatur *Perpendiculum*, quod extenditur ſuper Hieruſalem, quandoquidem per imitationem Chriſti IESV omnis animę perfectio, & ſpiritualis ædificatio metienda eſt. A Dauide *Diſciplina* dicitur, dum conſulit, *Apprehendite diſciplinam.* Alij legunt, *Apprehendite filium,* quoniam filij Dei vita, noſtra doctrina eſt. Ab
Apoc. 21. Euangeliſta Ioanne *Menſura* appellatur, *Menſura*, inquit, *hominis, quæ eſt Angeli.* Idcirco & à Salomone dicitur *Rectitudo. Recti diligunt te.* Septuaginta legunt *Rectitudo*, id eſt, Chriſtus, interpretatur Gregorius Niſſenus. Ab ipſo Deo *Exemplar* vocatur dum Moyſi præcepit, *Eriges tabernaculum iuxta exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* A Beato Laurentio Iuſtiniano, & aliis Patribus *Speculum* pronuntiatur. A ſancto Baſilio *Archetypus.* A ſancto Chryſoſtomo *Indumentum.* Etenim anima quæ Chriſti Domini non imitatur vitam, deformis & nuda virtutibus eſt.

Accedit, ob eam cauſam, poſtquam incarnauit filius Dei, neceſſe fuiſſe vitam laborioſam agere pauperem, humilem, patientem, multis doloribus & opprobriis afflictam, vt perfectum omnium virtutum exemplar exhibendo, ipſum imitemur, quod neceſſarium non fuit, vt nos redimeret; nam vel vnica oratione ſua, ſine vllo cruciatu & labore mille mũdos redimeret: at vt ipſũ imitaremur, oportuit talia pati. Quapropter qui eius imitationem negligit, quaſi irritos facit labores, cruciatus, & ſanguinem IeſuChriſti pro ſe effuſum. Apoſtolus Petrus clarè docuit præcipuam Dominicę paſſionis cauſam fuiſſe, vt exẽ-
1. Petr. 2. plo ſuo nos prouocaret. *Quia*, inquit, *& Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.* Pudeat igitur nos quòd tanti ſtetit Saluatori noſtro, pro quo humiliatus, pro quo paſſus, pro quo ſãguinem fudit, pro quo mortuus eſt, contemnere, ipſumque Saluatorem noſtrum fugere, & ſequi perditorem, imitarique inimicum noſtrum. Ne maximam hanc iniuriam Saluatori noſtro irrogemus, vt contempta eius paſſione & exemplo ſimus hoſti communi occaſio, vt aduersùs Redemptorem noſtrum de noſtra perfidia glorietur. Optimè ſanctus Baſilius
Reg. fuſ. 2. inter. conſiderauit. *Terribilis* (inquit) *me quidem cùm mentis conſternationes horror inuadit, metuentem videlicet, ne ſi aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, a Dei charitate deiectus Chriſto dedecori ſim. Qui enim aſſiduè nunc ſuis nos artificijs circumuenire, & mundialis iſtius vitæ illecebris ineſcans omni conatu efficere ſtudet, vt datorum nobis à Deo beneficiorum, Deique ipſius memoriam ex animis noſtris reuelatis, vbi hinc migrauerimus, cum animarum noſtrarum exitio nobis inſultans, vehementiſſiméque inſectans, contemptionem Domino noſtram contumelioſè exprobrabit, contumaciáque ac defectione ab ipſo noſtra, gloriandi materia aduersùs illum vtetur, quòd videlicet cùm nos ipſe neque crearit, neque pro nobis mortem ſubierit, ſibi tamen ſpretis, contemptiſque Dei præceptis obſequentes habuerit. Equidem, iſtam ego futuram aduersùs Dominum contumelioſam opprobrationem ac dedecus, & inſolentem hoſtis glorationem, grauiora longè eſſe ſtatuo, quàm ea, quæ ſunt in gehenna ſupplicia, materiam videlicet nos aduerſario Chriſti, glorioſius ſeſe aduersùs illum efferendi extitiſſe qui conciliandæ nobis cauſa ſalutis & mortuus ſit & reſurrexit, cui etiam vel hac gratia, maiorem in modum debitores ſumus, ſicut ſcriptum eſt.*

Pudeat nos hoc non facere, quod tot ante ſæcula Iob fecit, antequam paſſus pro illo Saluator eſſet, cùm dicat, *Veſtigia eius ſequutus eſt* Iob 23.
pes meus. Quem locum ſic ſanctus Gregorius commentatur. *Quòd mediator Dei & hominum humilis ad ſuſtinendum, & patiens ad exemplum præbendum futurus eſſet, Beatus Iob ſuperno ſpiritu repletus ſolicita intentione conſpiciens quaſi ad exemplum ſibi propoſitum, recurrit, vt quidquid ageret, ad imitationis illius veſtigia ligaret: quatenus qui occultè diſpoſitionis eius ſublimia videre non poterat, quaſi in terra conſpiciens ad imitationem eius veſtigia teneret.* Faciamus igitur quod fecit Iob, quod ſanctus Petrus commendat, atque intendamus in Chriſti actiones tanquam exemplum, & ſicut in Græco eſt ὑπογραμμὸν, hoc eſt, *præſcriptam*, ſeu *delineatam formam*, ſiue *typum*, aut *picturam*; vt quemadmodum pictores ex præſcripta aliqua forma imaginem aliam imitando pingunt, & pueri intuẽtes delineatos à ludimagiſtro characteres ſcribere diſcunt; ſic nos intuentes in vitam IESV eiuſdem virtutes imitemur. Hoc eſt quod ſanctus Paulus ait: *Aſpi-* Hebr. 12.
cientes in auctorem fidei, & conſummatorem IESV, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Et ſanctus Baſilius iterum: *Serua-* De conſt. mon. c. 5.
tor noſter omnibus quicunque pietatem colere vellent, virtutis exemplar ac pictura veluti proba expreſſam effigiem quamdam in ſe propoſuit. Vnde cunctis lineamentis illius inſpectis ſimile pro ſe quiſque in vitam ſuam exemplum transferret.

Ex perſonæ diuinæ dignitate moueri debemus ad imitationem Chriſti Domini.

CAPVT III.

VT igitur aſpiciamus exemplar Chriſti, vt ſequamur veſtigia filij Dei, & viæ cœli inſiſtamus; ſuauiſſima illa expendamus dulciſſimi IESV verba, quæ propoſuimus: nam

nam in ſingulis inueniemus multa, quæ nos vrgebunt ad imitandum cæleſtem hunc vitæ, & totius ſanctitatis Doctorem, atque ducem. In primis aduertamus animum ad primum verbum; *Ego*, inquit. Quis iſte qui dixit, *Ego ſum via?* non minus, quàm ille homo qui peræquè ſanctus eſt, ac ipſe Spiritus ſãctus, nõ minus quàm filius Dei, non minus quàm homo Deus, quàm Saluator, & Redemptor noſter, quàm lux mundi. Deus eſt, qui omnia poteſt, qui omnia ſcit, qui omnibus bene vult, qui errare non poteſt, qui fallere nequit, qui deficere non ſcit, qui iuuare nos valet. Deus eſt, quem imitari tenemur, qui exemplum viuendi nobis factus eſt. O quanta dignitas noſtra imitari Deum, eſſe conformes filio Dei! Cur huic pulcherrimæ imagini non aſſimilamur? Cur hunc ducem non ſequimur? Cur hoc tantum exemplum contemnimus? quem Angeli venerantur & ſumunt. Etenim efficaciam & vim exempli tanti Domini vſque ad

Lib.1. de cõſ. Euang.c.35. Angelos dilatauit ſanctus Auguſtinus. *Conſultum*, inquit, *eſt diuina prouidentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidentibus occupata tenebatur, vt eadem ipſa Dei ſapientia ad vnitatem perſona ſuo homine aſſumpto, in quo temporaliter naſceretur, viueret, moreretur, reſurgeret, congrua ſaluti noſtra dicendo & faciendo, patiendo & ſuſtinendo fieret, & deorſum hominibus exemplum redeundi, & eis, qui ſurſum ſunt Angeli, exemplum manendi.* Hactenus Auguſtinus. Fortaſſe profunda filij Dei humilitas, & incarnatio reuelata Angelis, quæ fuit malis ſpiritibus petra ſcandali, eadem ipſa ſeruauit bonos Angelos, vt filij Dei humilitatem conſiderantes, & ſtupefacti tantæ humiliationis non ſunt dedignati illi naturæ, licèt inferiori, ſe ſubiicere, quam viderant Deo vnitam; hoc eſt etiam quæ Ioannes dixit: *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*, id eſt, Chriſtus, quemadmodum gloſſa exponit. Qui & Angelis & hominibus eximiæ ſanctitatis eſt norma. Magnum ſolatium & fiduciam generare in nobis debet tantum ducem ſequi. Propheta Michæas hoc tanto beneficio voluit conſolari populum Dei, dicens: *Aſcendet pandens iter ante eos: diuident & tranſibunt portam, & ingredientur per eam, & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Chriſtus nos præcedit, quid timemus? Ipſe inimicos priùs proſtrauit, ipſe priùs omnes difficultates vicit, ipſe viam nobis ſtrauit. Ipſe clauſam virtutum euangelicarum portam aperuit. *Aſcende igitur*, ſanctus Hieronymus ait, *aſcende qui ſaluari cupis: aſcende per diuiſionem, in qua Chriſtus via eſt, & porta Ieſus, per quem ad Patrem incedimus, ipſe eam ſoluit medium parietem maceria.* Erubeſcamus milites ſequutos ad maxima diſcrimina & labores humanos duces, & nos nolle Deum ipſum ad vitam ſequi. De Machabæo duce dici-

1.Mach.16. tur, *Vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus: & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum.* Abimelech arrepta ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero dixit ad ſocios: *Quod*

Iud.9. *me videritis facere, citò facite.* Igitur certatim ramis de arboribus præcidentes ſequebantur ducem. Dixit Gedeon ad trecentos viros. *Quod me facere videritis, facite. Ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero, ſectamini: & illi prorſus paruerunt.* Pudeat nos milites temporales ad nutum alienum omnia facere, & nihil niſi ex præſcripto & lege aggredi ad ipſam vſque mortem; nos autem ſalutem quærere nolimus ex præſcripta filij Dei norma. *Miles*, inquit ſanctus Ambroſius, *qui ingreditur iter viandi ordinem, non ipſe diſponit ſibi, nec pro ſuo arbitratu viam carpit, nec voluntaria captat compendia, nec recedit à ſignis, ſed itinerarium ab Imperatore accipit, & cuſtodit illud; præſcripto incedit ordine, cum armis ſuis ambulat; rectáque via conficit iter vt inueniat commeantium parata ſibi ſubſidia. Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipiet, manſionem paratam non inueniet. Quia Imperator iis iubet hæc præparari omnia, qui ſequuntur, nec dextra, nec ſiniſtra à præſcripto itinere declinant, meritoque non deficit qui Imperatorem ſequitur ſuum.* Nos quam excuſationem habebimus non ſequendi filium Dei benignum & affabilem ducem, Regem regum, & Dominum dominantium. In Pſ.118. ſerm 5.

Ex ingentibus laboribus & cruciatibus quos paſſus eſt filius Dei, vt ipſum imitaremur; moueri tenemur exemplum eius ſequi.

Capvt IV.

TVM etiam conſiderandum eſt, qua occaſione dixit Ieſus ſententiam illam; nimirum ipſa paſſionis ſuæ nocte. *Ego*, inquit, *qui tot labores pro hominibus paſſus ſum, & adhuc paſſurus ſum plures cruciatus*, vt oſtenderet magnam ſuæ paſſionis cauſam fuiſſe imitationem noſtram, vt ſcilicet viam ſalutis expeditiſſimam nobis demonſtraret, & exemplo nos ſuo prouocaret. Nam vt redimeret nos, non erant neceſſarij tot dolores, & improperia, & genus illud crudeliſſimæ mortis, quæ paſſus eſt filius Dei. Sufficiebat & ſuperabundabat noſtræ reparationi minima Chriſti præcatiuncula: fuerunt autem tot cruciatus, & iniuriæ, & contemptus neceſſarij ad imitationem noſtram, vt perfectiſſimam patientiæ, & totius virtutis ideam haberemus, quod, vt diximus, ſignificauit ſanctus Petrus cùm dixit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Vnde ſanctus Auguſtinus reddens rationes paſſionis Dominicæ, *Vt nos*, inquit, *qui à peccatis ſanguine ſuo redemit, non ſolùm doctrinæ auxilio, & gratiæ, ſed exemplo etiam ſuo ad ſtudium ſanctitatis accenderet, vt nos non modò præcipientem Dominum, ſed ſuo etiam exemplo ad virtutis faſtigia prouocantem maiore alacritate ſequeremur: & pium patrem ſecundùm ſententiam Beati Petri filij imitatione coleremus. Sic enim ait, Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et ſanctus Chryſoſtomus exponens illud Pauli dicentis de Saluatore noſtro, *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Quid eſt*, inquit, *confuſione contempta, probroſam ſuſtinuit crucem? ſi moriebatur, quid etiam opus* Serm.8. de temp. Ad Heb.12.

erat, vt probroſè moreretur, pro nulla alia cauſa, niſi vt nos doceret nihili pendere humanam gloriam. Cur ergo quantum eſt ex nobis fruſtrabimus exceſſus paſſionis Ieſu Chriſti, irritabimuſque acerbiſſimos filij Dei cruciatus, & omnium rerum derelictionem, illum imitari nolentes? Hoc eſt quod dulcis Ieſus queritur apud Iſaiam: *In vacuum laboraui, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi.* Queritur de iis, qui ſuam vitam, & laborem imitari nolunt, quos mitiſſimus Ieſus accuſat apud Patrem, iuſtitiam, & iudicium aduersùs illos poſtulans. Ideo addit ſtatim, *Ergo iudicium meum cum Domino.* hoc eſt, Dominus iudicabit inter me & illos. Ego enim Domino commendo, & poſtulo iudicium diuinum, vt iudicet hanc ingratitudinem, hanc iniuſtitiam, hanc infidelitatem, hanc impudentiam, hanc iniquitatem, & abſque dubio terribiliter iudicandi ſunt. nam ſi de iis qui verba ſancta hominum audire noluerunt, dicitur, *Tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhaeorum, in die iudicij*; quid expectare poſſunt, qui nec filij Dei verbis, nec factis, nec laboribus commouentur, qui nec audire illum, nec imitari volunt, nec in ſua paſſione conſolari. Quapropter per Dauidem ſimiliter queritur. *Improperium expectauit cor meum, & miſeriam, & ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit.* Idem Dominus ait, *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Meritò ſanctus Chryſoſtomus dixit. *Quid dicemus cùm tanta patientia exempla propoſita nobis ſint, quæ minimè imitamur? Propterea à maioribus rebus accipit exempla vt ſaltem minus faciamus. Etenim Magiſtri litteras pulcherrimas ſcribunt, vt vel in deterius imitentur.* Idem Chryſoſtomus aduersùs eos, qui remiſsè viuunt, & inmortificatos ait: *Hoc enim contrarium eſt cruci; itaque etſi dicant ſe Chriſti eſſe: ſunt tamen crucis inimici. nam alioqui ſi crucem dilexiſſent, vitam ſtuduiſſent viuere crucifixam. Non eſt crucifixus Dominus tuus? imitare Dominum; crucifige te ipſum, etiamſi non te crucifigat. Dominus tuus crucifixus eſt, & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus eſt, & tu delitiaris?*

Iſai 49.

Pſal. 68.

Hom. 70. in Ioan.

Hom. 13. in epiſtol. ad Philip.

Quomodo Chriſtus non tantùm oſtendit nobis viam ſalutis; ſed ipſe factus eſt via.

Capvt V.

DEINDE, quid tandem dicit filius Dei & ſummus Dominus ſe eſſe? nimirum, *Sum via.* O fœlices nos, qui ab ore filij Dei audimus dicere: *Ego ſum via.* Fœliciores profectò ſumus ſanctis Patriarchis, & priſcis Prophetis, qui viam Dei quærebant, & multis requirebant precibus. Sic enim orabat Dauid, *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas doce me.* Nos autem audimus, *Ego ſum via*; & quis hoc ait? Sapientia Dei, rectitudo ſumma; ipſe ille, qui eſt initium viarum Domini. Iſte eſt via noſtra, iſte nos ducit, & deducet, quemadmodum ipſe Dauid precabatur: *Deduc me Domine in ſemita mandatorum tuorum. Quis,* inquit Ambroſius, *hoc dicit, niſi qui ſequitur Chriſtum. Non poteſt alius hoc dicere, niſi qui illud exequitur quod ſcriptum eſt: Poſt Dominum Deum tuum ambulabis, & ipſi adhærebis, quia ipſe te deducit. Quomodo deducat, audi. Niſi quis tulerit crucem, & poſt me ſequutus fuerit, non eſt me dignus. Præcedit ergo Chriſtus, vt nos ſequamur, præcedit verbum. Principium Chriſtus eſt, ideo Sapientia dicit: Dominus creauit me principium viarum ſuarum. Aduertimus quòd & principium Chriſtus & finis viarum ſit. Non vereor ne quis dicat; Creatum ergo Chriſtum aſſeris? Reſpondebo ita creatum dico, quemadmodum factum legi, hoc eſt, factum ex muliere, factum ſub lege, hoc eſt, ſecundum ſuſceptionem carnis creatum, ſecundùm quod eſt natus ex virgine. Creatus eſt vt redimeret creaturas, homo factus eſt, vt homines à morte perpetua liberaret. Creatus eſt vt vias mihi demonſtraret æternas, quibus homo redire poſſet ad Dei Regnum. Ergo quia principium eſt viarum Dei, hoc principium ſequamur. Prius viam noui ingreſſus eſt Teſtamenti, vt viam deuotionis ſterneret nobis: ſi ieiunamus, ante nos ille ieiunauit: ſi pro nomine eius ſuſtinemus iniurias, prius ille ſuſtinuit pro noſtra redemptione. Ceruices ſuas poſuit in flagella, maxillas ſuas in palmas, aſcendit crucem, vt doceret mortem non eſſe metuendam, denique præcedens ait Petro: Tu me ſequere. Et ideo Petrus curſum conſummauit, quia ſequutus eſt Chriſtum.* Obſeruandum quoque valde eſt, quod dicat, *Sum via*, non ait, demonſtro vobis viam. Cur hoc, niſi vt maioris faciamus imitationem Chriſti, quàm contemnere, non minus putemus, quàm ipſum deſpicere Chriſtum; neque enim benigniſſimus Dominus ſolùm fuit cœleſtis viæ inuentor, ſed ipſa via, quam in ſe ipſo tot cruciatibus, & paſſionibus aperuit: non ſolùm digito indicauit, vt ſtatim diſcederet, ſed in nobis eſt, & nos in illo dum eius affectamus imitationem, non ſecus ac viator in via eſt. Vnde Iſaias ait: *Dixerunt animæ meæ: Incuruare vt tranſeamus, & poſuiſti vt terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.* Et qualis iſta via, talis vt veritas quoque ſit: hoc eſt, via vera; & talis, vt vita quoque ſit; hoc eſt, via viuens. Quemadmodum ſanctus Paulus dixit. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam.* Sunt aliæ viæ falſæ per quas erramus, non imus, de quibus Iſaias ait. *Qui quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinans.* Viam profectò incertam & falſam, & ſalebroſam, & plenam periculis, & homicidam noſtri, & denique corruptam. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. Imitatio autem Ieſu, eſt via vera & viua, hoc enim per Hebraiſmum eſt veritas, & vita; eſt via tam vera, vt ſit ipſa veritas; & tam viua, vt ſit ipſa vita. Viua via eſt Chriſtus Ieſus, quia non ſolùm ducit nos, ſed ſpiritus addat, iuuet, & ſtimulet, ad progrediendum. Ideo ſanctus Ambroſius dixit: *Via perfecta Chriſtus.*

Pſal. 24.

In Pſal. 118. verſ. 33. Serm 5.

cap. 5.

Hebr. 10.

cap. 53.

Tria

Tria officia Chriſti Domini, & quomodo per illa tenemur ad illius imitationem, vt eius doctrinam & paſſionem vbertim participemus.

Capvt VI.

NOlo propter hanc expoſitionem exeludere ſenſum alterum, ſecundùm quem tria Chriſti Domini officia his verbis indicantur; quia Via, eſt officium Ducis, quia Veritas, Magiſtri, quia Vita, Redemptoris. At cur primo loco officium ſignificatur Ducis, quàm Doctoris, & Redemptoris, cùm maximè videatur primaria & magis neceſſaria Dominici aduentus cauſa redemptio noſtra? Credo ita factum eſſe, vt imitationis Chriſti momentum, atque vtilitas commendaretur, per quam alia duo officia Saluatoris vtilia nobis erunt. Cui enim Chriſtus via eſt? qui exemplum Chriſti ſumit, qui veſtigia Chriſti ſequitur, hic profectò & Chriſti doctrinam plenius intelligit, & redemptionem pleniſſimè participabit. Etenim nemo eſt aptus percipere fundum cœleſtis ſapientiæ, qui non bene operatur, nec intelliget plenè doctrinam Chriſti, qui ipſum Chriſtum non imitabimur. Propterea Sapiẽs ait: *Iuſtum deduxit Dominus per vias iuſtas.* Quænam iſtæ viæ, niſi IeſuChriſti, qui de ſe dicit, *Ego ſum via.* Quid autem accidit Iuſto in hoc itinere? Et oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum: nam & qui ingreditur viam IeſuChriſti, cæleſtem obtinet ſapientiam. Vbi nam? in laboribus. nam mox ſubdit: *& honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.* Ipſe Ieſus dixit, Quomodo poteſtis credere qui gloriam ab inuicem quæritis. Quomodo enim doctrinam humilitatis credet qui ſuperbus eſt. Tantum abeſt, vt eam ſanctiſſimam doctrinam capiat & veneretur, vt ſcandalum potiùs, aut ſtultitiam reputaverit. Quapropter Dauid ait: *Accedite ad eum, & illuminabimini.* Iſta acceſſio per ſimilitudinem eſt, cùm Chriſti patientiam imitamur: experientia enim didicerat hoc ipſe Dauid, adhuc cùm Chriſtus nondum natus erat, propius Deo ipſe in tribulatione & in afflictione, in qua fatetur eodem Pſalmo fuiſſe, & tunc exanditum à Deo, tanquam qui propè eſſet.
Ioan. 8. Ipſe Chriſtus Ieſus dixit: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Et quid
cap. 62. Iſaias ait? *Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Et Abacuc: *Splendor eius vt lux erit. Erit*, inquit Hugo Carenſis, *ſplendor eius vt lux, quando ipſe velut lucerna ſuper candelabrum crucis eleuatus mundum illuminabit.* Et ſanctus Auguſtinus:
De qu. inq. hæreſ. c. 7. *Domus totus eſt mundus, lucerna accenſio, Verbi incarnatio eſt. Candelabrum autem, crucis eſt lignum; lucerna in candelabro lucens, Chriſtus in cruce pendens. Nemo aſcendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Vides tu, videamus & nos, luceat nobis lucerna, doceat nos Verbum in carne.* Hæc ille. Lucet nobis in cruce Chriſtus per exemplum docens & illuſtrans imitatores ſuos, eos ſcilicet, qui ſimul crucifixi ſunt. Sancta quidem Scriptura & ſancti Patres Chriſtum crucifixum prædicant lucem, & lampadem eſſe, quibus autem magis illucebit, quàm his, qui proximè ſunt, iſ nimirum, qui per imitationem ad illum accèdunt. Hi potiſſimum Chriſtum doctorem agnoſcunt.

Deinde nemo vberiùs redemptionis fructus colliget, quàm imitator Redemptoris, qui conſimilis filio Dei fiat. Ideo ſanctus Paulus ait: *Sci-* *Rom. 8.*
mus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Idem Apoſtolus dicit: *Semper mortificationem Ieſu in corpore no-* *2. Cor. 4.*
ſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris? Alibi ait: *Ipſe enim ſpiritus* *Rom. 8.*
teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, ſi autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur vt & conglorificemur. Quæ verba conſiderans ſanctus Ambroſius, ait: *Quonam modo coheredes Chriſti fieri poſſimus declarat, dicens: Si tamen compatimur.* Rurſus inquit Paulus: *Si* *Rom. 6.*
complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt. Ezechiel quoque audiuit: *Signa Tau ſuper frontes virorum* *cap. 9.*
gementium & dolentium. Sigillum quippe & prædeſtinatorum character eſt imitatio Redemptoris. Appoſitè dixit Hugo Carenſis: *Vt ſolet* *In c. 14. Lucæ.*
qui tutus incedere vult per viam latronibus obſitã, deferre ſecum ſigillum Imperatoris ſui, ſicque tutus incedere; ita cùm nobis contingat incedere viam plenam offendiculis, & tamen viam regiam, per quam ſequi debemus Regem noſtrum, præambulum noſtrum, non poſſumus tuti tranſire ſine Imperatoris noſtri ſigillo, id eſt, ſine vexillo ſanctæ crucis. Quam fugiunt Dæmones, & qua nos Deus velut teſſera quadam amicos nos agnoſcit. Gratiſſima eſt æterno Patri vnigeniti IeſuChriſti repræſentatio; nam quemadmodum in lege veteri omnia volebat eſſe IeſuChriſti figuram, & per ſanguinis ſui repræſentationem placabatur, plurimas quæ largiebatur gratias; potiori iure nunc in omnibus vult ſibi repræſentari dilectum filium, & vbi videt expreſſam Ieſu imaginem, in eum copioſiùs gratiam profundit.

Hunc etiam copioſum fructum redemptionis imitantium & ſequentium ſe, indicauit ipſe Ieſus, cùm dixit: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*, quaſi amplam facultatem largitus bibendi de fontibus Saluatoris, & aquæ ſalientis in vitam æternam, dum ad eum venerimus, ipſumque fuerimus ſequuti per imitationem; quem locum ſic expoſuit Pater æternus Beatæ Virgini ſanctæ Catherinæ Senenſi; *non enim dixit,* *Tract. 1 c. 53.*
Vadat ad Patrem, & bibat; ſed ait, Veniat ad me; quare dixit ita, quoniam in me Patre nulla poteſt eſſe, vel cadere pœna, ſed in dilectiſſimo filio meo. Si vos verò dum eſtis in vita mortali viatores atque peregrini, non poteſtis abſque pœna tranſire, quia terram propter inobedientiam Adæ ſpinas humano generi germinabit. Sed quare dixit, Veniat ad me, & bibat, quia ſectantes doctrinam eius & veſtigia, ſiue per viam communis charitatis, videlicet obſeruando mandata eius actualiter, & conſilia mentaliter, vel ambulando per viam per-

fecta charitatis, videlicet actualiter obſeruando mandata, pariter & conſilia, quocumque modo perueniretis ad ipſum, inueniretis abundantiſſimè quid potare poſſitis, inuenientes, atque guſtantes fructum pretioſi ſanguinis eius. Hactenus ibi.

In hac porrò lachrymarum valle quanta conſolatione in medio laborum, & dolorum recreabitur, qui imitationis Chriſti debitam æſtimationem habet, cùm ſe viderit in eo loco à Deo conſtitui, in quem optat venire in imagine & conformatione filij Dei. *Si enim*, inquit Auguſtinus, *paſſio Redemptoris ad mentem reducitur,*

Lib. de conflictu vitior. & virt.

nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius; ipſe enim dicit, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; ſed quanta ſunt in comparatione eius quæ patimur? ille enim opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineamque coronam, crucemque ſuſtinuit, & nos miſeri, ad noſtram confuſionem vno ſermone fatigamur? vno ſermone deijcimur? & quid agimus de eo quod dicitur, ſi non compatimur, non conregnabimus?

In quibus potiſſimum rebus imitari oportet Chriſtum Dominum.

Caput VII.

Hactenvs vidimus quantum oporteat imitari filium Dei, tum propter dignitatem ipſius imitationis, tum propter ſecuritatem huius viæ, tum propter emolumentum, quod inde capimus. Nunc paululum diſpiciamus, in quibus rebus hæc imitatio ſit conſtituenda. Quid autem imago nudi Ieſu & diræ cruci affixi docere atque monere aptius poteſt, quàm contemptum bonorum temporalium, & humilem malorum patientiam, per quam exemplar nobis factus eſt; *non quidem deliciarum*, ait Beda, *ſed tribulationum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, ſpinarum, crucis, vulnerum, mortis. Omnia*, inquit Auguſtinus,

Lib. de catechiz. rud. cap. 22.

bona terrena contempſit Chriſtus, vt contemnenda eſſe monſtraret: omnia terrena mala ſuſtinuit toto vitæ mortalis tempore, quæ ſuſtinenda percipiebat, vt neque illis quæreretur fœlicitas, neque in iſtis infœlicitas timeretur. Natus enim de matre quæ ſemper virgo permanſit, fabro tamen deſponſata omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus in Bethlem quæ inter omnes Iudææ ciuitates exigua erat, noluit quemquam de cuiuſquam terrenæ ciuitatis ſublimitate gloriari. Pauper etiam factus eſt, cuius ſunt omnia, ne quiſquam cùm in eum crederet de terrenis diuitijs auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri, quia humilitatis oſtendebat viam miſeris, quos ab eo ſuperbia ſeparauerat; quamuis ſempiternum eius regnum vniuerſa creatura teſtetur. Eſuriuit qui omnes paſcit; ſitiuit ſitientium fons, fatigatus eſt itinere terreſtri, qui ſe ipſum nobis viam fecit in cœlum; velut obmutuit & obſurduit coram conuitiantibus; vinctus eſt, flagellatus eſt, crucifixus eſt, mortuus eſt, ſed & reſurrexit tanquam moriturus ne ab illo quiſquam ſic diſceret mortem contemnere quaſi nunquam futurus. Hæc Auguſtinus. In his vult nos imitari Chriſtum Dominum noſter ſanctiſſimus Parens Ignatius, *eiuſque veſtibus*, vt ille ait, *& inſignibus indui.* Imò ſecundùm ſanctum Paulum, ipſum Chriſtum induere oportet, quod qualiter fiat, & ad mentem noſtrarum conſtitutionum, dixit ſanctus Chryſoſtomus. *Vult*, ait, *nos Paulus vndique velut veſtimento circumdari, & ipſum in nobis per ſanctimoniam conſpicuum eſſe; indutus enim id eſſe videtur quod indatus eſt. Appareat itaque in nobis vndique Chriſtus & quantum ad crucem, quantumque ad conuiuia pertinet, omnia illius perdiſcens æmulare, ita ſcilicet Chriſtus indutus eſt.*

Reg. 11. ſummary.

1. Rom. 13.

Oportet quoque ſcire greſſum primum ad imitationem filij Dei eſſe omnium rerum abnegationem, in qua etiam imitari Apoſtolos debemus, vt S. Baſilius admonet. Nam *cui propter Chriſtum mundus totus crucifixus debet eſſe, & ipſe Chriſto, quomodo poteſt particeps eſſe ampliùs eorum, quæ in mundo ſunt? Cùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus rem ipſe ad ſummum prorſus faſtigium perducat, nempe odium animæ & ſui metipſius abnegationem, quando dicit, Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam; tumque ſubiunxit, & ſequatur me. Et rurſus, Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & ſorores, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Perfecta igitur renuntiatio in eo conſiſtit, ſi quis id aſſequutus fuerit, vt ne de vita quidem ſua quicquam affectus ſit omnino, eſto habeat mortis reſponſum, ita ut nihil ſibi confidat. Porrò eiuſcemodi renunciatio initium ſumit ab alienatione rerum externarum, veluti poſſeſſionum, inanis gloriæ, conſuetudinis vitæ ſuperioris, ad res inutiles affectionis, quomodo ſanè vt faceremus exemplo ſuo admonuerunt nos ſancti Domini diſcipuli, Iacobus quidem & Ioannes, relicto patre ſuo Zebedæo, ipſoque, de quo tota illorum victus ratio pendebat, nauigio. Matthæus verò quando è telonio ipſo ſurrexit, & Dominum ſequutus eſt, quæ in re lucra non modo reliquit, ſed pericula etiam contempſit, quæ ipſi totique ipſius familiæ à ciuitatis magiſtratibus imminebant, quòd redemptorum à ſe vectigalium rationes diſcedens non confectas reliquiſſet. Paulo vero etiam totus mundus crucifixus erat, ipſeque viciſſim mundo toti. Adeò qui vehementer Chriſtum ſequi deſiderat, is de nulla omnino vita huius re curare ampliùs poteſt; idque eo vſque, vt ne parentum quidem ingenti amore moueatur, aut domeſticorum, ſiquidem is aduerſetur Dominicis mandatis (tunc enim & illud locum habet, ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, &c.) non humano terrore vllo de ſtatu dimoueri; vt propterea in his quæ fieri animæ vtilitas ſuadeat, de animi præſentia quicquam remittat. Quod quidem tum animaduertimus ſanctos fuiſſe illos viros aſſecutos, quum dicerent: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Non deriſione denique vlla, quæ auerſi à pietate homines, ea quæ laudare ipſos magnopere oporteret, proſequi ſoliciti ſunt, commoueri, eaque re ipſorum vituperationi ſuccumbere. Quòd ſi quis explicatiùs etiam diligentiuſque ſoliditatem, vimque flagranti illorum deſiderio coniunctam velit cognoſcere, qui Chriſtum ſectantur, id repetere animo debet; quæ docendi nos cauſa de ſe ipſo Apoſtolus loquitur, cùm dicit: Si quis alius videtur confidere in carne, ego*

Baſil. in reg. fuſ. c. 8.

Philipp. 3.

magis

Digitized by Google

magis circumciſus octauo die, ex genere Iſraël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela, ſed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum ſtercora. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini noſtri; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ſtercora eſſe, vt Chriſtum lucrifaciam. Etenim (vt audacter aliquid, ac verè tamen eloquar) ſi Apoſtolus ijs, quæ fœdiſſima in corpore ſunt, eiuſmodique quæ à nobis quàm fieri poteſt ſtudioſiſſimè procul amandamus, conceſſa ad tempus legis priuilegia ſimilia dicere non dubitauit, veluti quæ impedimento eſſent ad cognitionem Chriſti, illiuſque, quæ in ipſo iuſtitia eſt, eiuſque, quæ ad mortem ipſius ſit conformationis, quidnam de ijs dicere oportebit, quæ ſancita ab hominibus ſint. Hæc ſanctus Baſilius.

Quanti debeat facere anima deuota Chriſti Ieſu imitationem.

Capvt VIII.

Tanti debemus facere Chriſti Domini imitationem, vt quemadmodum nos docuit ſanctus Ignatius Pater noſter. *Etiamſi nullo ſuperaddito laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Chriſti eligam potiùs cum eo paupere, ſpreto, & illuſo pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem.* Sufficiens titulus eſt Chriſti conformatio non ſolùm ad omnem patientiam, ſed gaudium & voluntatem. Nam, vt inquit deuotiſſimus Thomas de Kempis, *Dulcius eſt eſſe cum Ieſu in cruce, quàm ſine illo in Paradiſo.* Neque enim reſpuere debemus, licèt ardua, & difficilia ſint, quæ nos Chriſto iungunt & aſſimilant, imò optare potiùs. Quare meritò Idiota, vir deuotiſſimus, hanc præſcripſit regulam tentatis & afflictis: *Recordetur non ſolùm eſſe ægrè ferendam hanc pugnam, ſed optandam, etiamſi nullum inde nobis præmium perueniat, ſolùm vt conformemur Chriſto Deo & Domino noſtro, & quotiens reſiſtendo alicui tentationi, alicui ex ſenſibus tuis vim facis, cogita cuinam parti crucis Chriſti conformis reddaris: vt quando gula reſiſtens, guſtum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicuius rei quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas, & ſi reſiſtis ſuperbiæ, recordare illum, qui cùm in forma Dei eſſet, pro te formam ſerui accepiſſe, & humiliatum vſque ad mortem crucis: & cum ira tentaris, recordare illum, qui Deus erat, & omnium hominum iuſtiſſimus, quum ſe tamen videret quaſi latronem & illudi & conſpui & flagellari, & opprobrijs omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen vnquam aut iræ, aut indignationis ſignum oſtendit, ſed patientiſſimè omnia ferens, omnibus manſuetiſſimè reſpondebat: & ſic diſcurrendo per ſingula, inuenies nullam eſſe paſſionem quæ te Chriſto aliqua ex parte conformem non efficiat.* Congruit quoque quod ſanctus Leo ſermone, *De transfiguratione*, dixit: *Inter tentationes huius vitæ prius nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam.* Albertus Magnus ſic hoc exaggerat. *Verè caſtitatem amat, qui potius per caſtitatem virginalem, & ſi poſſibile eſſet, modicam eligeret gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, propter conformitatem Ieſu Chriſti, quàm ſi mereri poſſit gratiam & gloriam maiorem propter debitum coniugale.* Hæc Albertus. Ardor imitandi Ieſum & vis deuoti affectus impulit vt hæc diceret, quæ alioqui difficilia ſunt. At humilitas & crux filij Dei ſemper præoptanda & auidè concupiſcenda nobis, & pro ſumma gloria ducenda, quemadmodum Apoſtolus dixit qui non niſi in cruce Chriſti, & infirmitatibus ſuis gloriabatur. Sed & ſanctus Dauid in ſpiritu tamdem crucis Chriſti gloriam nouit, & percupit. *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* Vbi ex Hebræo alij legunt, *Satiabor cùm afflictus fuero, ad ſimilitudinem tui.* Hoc imitandi Chriſti deſiderium in laboribus, & tribulationibus ſic adoleſcit in aliquibus ſanctis animabus, vt nihil antiquius, nihil optabilius habeant. Audiamus alicuius ſuffragium. Venerabilis & feruentiſſima Virgo Domina Luiſia de Caruaſal ſic de ſe fatetur. *Cenſeo illud, in quo potiſſimum meritum habet transformatio voluntatis animæ in diuinam, in eo eſſe, quòd contenta maneat, non patiendo plures tribulationes pro Domino noſtro, quàm ipſe vult, & videndo ſe non poſſe in hoc dulciſſima Chriſti itinera ſequi, quæ poſt ſe trahunt oculos. Hinc naſcitur in eodem copulari ſpiritu hos duos ferueniſſimos affectus conformitatis perfectæ cum diuina voluntate & efficaciſſimi ac fortis deſiderij profundendi vitam pro eo oblatam, inter mille opprobriorum, cruciatuumque genera; & hoc deſiderium non impletum vertitur in acutiſſimum dolorem, cuius ſolamen aliud non apparet, niſi realis executio. Anima eſt tanquam moriens præ deſiderio moriendi mille in martyrijs, & cruciatibus, amore illius ſummi boni quod diligit; ipſaque dilatio atrox illi cruciatus eſt. Nihil plus appetit quàm mori hoc morbo, & moritur quòd non ſic moriatur. Gaudet tamen ſine remedio eſſe ſuum dolorem, dum Deus ita hoc velit.* Hactenus feruentiſſima illa Virgo.

Ipſe Saluator noſter cùm æqualem fructum redemptionis vidiſſet accidere poſſe, etiamſi ipſe in delitijs ſanctis, aut gaudio & honore terreno vitam ageret, nihilominus elegit deteriora, acerbiora & funeſtam crucem pro nobis, hoc eſt, quod ſanctus Paulus voluit, cùm ait. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, nimirum, qui maluit mori & cruciari, quàm gaudere, obiiciens ſibi, & componens gaudia, quæ habere potuit cum cruciatibus quos expectabat. Inde dixit ſanctus Gregorius Nazianzenus. *Cùm liceret ſibi paternis frui diuitijs, nec mortem guſtare, confuſione tamen & ignominia contempta ſuſtinuit crucem.* Et S. Anſelmus: *Propoſito ſibi à turbis gaudio cùm vellent eum facere Regem, noluit ille, ſed potius crucem ſuſtinuit, & illuſiones & opprobria, omnia terrena bona contempſit.* Si Chriſtus pro nobis ita crucem dilexit, contemptus elegit paupertatem, nuditatem, humilitatem, ipſam denique mortem; cur nos pro ipſo Chriſto, & pro nobis non diligemus ipſam vitam, quæ in Saluatoris imitatione abſcondita eſt. Dicamus igitur cum ſancto Leone: *Amplectamur ſalutaris Paſchæ mirabile ſacramentum, & ad eius imaginem*

qui

In 2. hebd. exercit.

Inr. 7. vita Chriſtiana.

Cap 6. paradiſi.

Lib. 2. ſuæ vitæ c. 16.

Apud OEcumen.

Serm 2. de Paſſ.

Digitized by Google

qui deformitati noſtra conformis factus eſt, renouemur. Erigamur ad eum, qui puluerem abiectionis noſtra corpus fecit gloria ſua, & vt reſurrectionis eius mereamur eſſe conſortes, humilitatis & patientiæ ipſius per omnia congruamus. Et cum

De paſſione Domini. ſancto Cypriano oremus: *Tu Domine ſacerdos ſancte, qui in tempore iracundia factus es reconciliatio, ſancti huius ſanguinis permanentem plenitudinem reliquiſti, & beneficium huius ſancti liquoris in perpetuum tradidiſti, & conſtituiſti nobis inconſumpſibiliter potum viuificum, crucis ſignum, & mortificationis exemplum. Tu conſummatis omnibus vade ad Patrem, & trahe nos poſt te. Da nobis in vita præſenti, vt ſimus ſine angariis baiuli crucis tua, & comprehendamus cum omnibus ſanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid ſublimitas, quid profundum huius ligni ſignificet, quo conſpecto non noceat nobis, neque mordeat coluber ſolitudinis, ſed incolumes per omnia ſequamur te; tecum paruuli ſimus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum ieiunemus, tecum lotis pedibus panem Angelorum edamus, tecum crucifixi mundo viuamus, tecum Spiritu ſancto repleti & corpore & ſpiritu in æternum maneamus: Qui viuis, & non vltrà morieris in ſæcula ſæculorum.*

Sententia ſancti Bonauenturæ de imitatione Ieſu Chriſti.

CAPVT IX.

CÆTERVM non tantùm paſſiones, ſed actiones filij Dei imitandæ nobis ſunt, cuius ſemper exempla ſequuturi ſumus, de quo hæc ſanctus Bonauentura habet. *In*

De inform. nouit. p. 1. cap. 32. *omnibus virtutibus & bonis moribus præpone ſemper clariſſimum ſpeculum, & totius ſanctitatis perfectiſſimum exemplar, ſcilicet vitam & mores filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ad hoc nobis de cœlo miſſus eſt, vt aperiret nobis viam virtutum, & legem diſciplinæ ſuo exemplo daret nobis, & erudiret nos per ſe metipſum, vt ſicut ad imaginem eius naturaliter creati ſumus, ita ad morum eius ſimilitudinem per imitationem virtutis pro noſtra poſſibilitate reformemur, qui eius imaginem in nobis fœdauimus per peccatum. Quanto enim quiſque ſe ei in virtutis imitatione hic conformare ſtuduerit, tanto ei in primo gloria & claritate appropinquabit, & ſimilior erit. Deſcribe tibi in corde tuo mores, & actus ſuos, quàm humiliter ſe habuit inter homines, quàm benignus inter diſcipulos, quàm modeſtus in edendo, & bibendo, quàm miſericors ſuper pauperes, quibus ſe ſimilem fecerit per omnia, & qui de eius ſpecialiter familia videbuntur. Quomodo nullum ſpreuit, vel horruit, etiam ſi erat leproſus. Quomodo diuitibus non adulabatur. Quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis neceſſitatibus. Quàm verecundus in viſu, quàm patiens ad contumelias, & quàm mitis in reſponſis. Non enim ſtuduit ſe vindicari verbo mordaci, & amaro, ſed blando & humili reſponſo alterius malitiam ſanare. Item quàm compoſitus in omnibus geſtis ſuis; quàm ſolicitus de animarum ſalute, quarum amore voluit incarnari, & mori dignus eſt. Quomodo ſe ipſum præbuit exemplum omnis boni. Quomodo mulierum familiaria colloquia vitauit cauſa exempli; vnde etiam diſcipuli mirabantur, quando ſolus cum Samaritana loquebatur, eo quod quaſi inſolitum videbatur in ipſo. Item quàm patiens labori & penuria, quàm compatiens afflictioni. Quomodo condeſcendit infirmorum imperfectioni: quomodo omne ſcandalum cauebat, quomodo peccatores non ſpreuit, quomodo pœnitentes clementer ſuſcepit, quàm placidus in omnibus dictis ſuis: quàm ſtudioſus ad orationem, quàm promptus in miniſtrando, ſicut ipſe dixit: Ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. Item quàm ſobrius ad vigilias, quàm obediens parentibus. Quomodo omnem iactantiam & ſingularitatis oſtentationem declinauit. Quomodo omnem gloriam & poteſtatem huius mundi fugit, & multa alia ipſius actu memoria ſua propinqua ſint, vt in omnibus factis, & verbis tuis ſemper ad hunc, quaſi exemplar reſpicias, incedens, ſtans, ſedens, & comedens, tacens, & loquens, ſolus, & cum alijs. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis eius gratiam & fiduciam aſſequeris, & in omni virtute perfectior eris. Et hæc ſit ſapientia tua, & meditatio, & ſtudium, ſemper aliquid de ipſo cogitare, vnde vel prouoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando & ruminãdo, tempus vtiliter expendis, dum occuparis in bonis ſtudijs circa ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, & mores tuos emendas ad formam vitæ ipſius, & conuerſationis, ſemper ad eum reſpiciens. Qualiter in his ſe habuit vel ſe habere potuit ſecundum exiſtimationem tuam; quia qui in omnibus ſemper eſt optimus, optimo & perfectiſſimo modo ſe gerebat.* Hæc ſanctus Bonauentura.

Proponuntur tres Societates IESV, vt Chriſtum imitemur, ex Beata Angela de Fulgino. Agitur de prima Societate IESV, quæ fuit ſumma paupertas.

CAPVT X.

VT exactiſſimo totius ſanctitatis exemplari Chriſto IESV poſſimus per omnia vti, exhibebimus, quæ illuſtrata diuinitus Beata Angela de Fulgino docuit de tribus Societatibus IESV, in quibus omnem Chriſti imitationem repræſentauit, vt nos, qui ex Societate IESV ſumus, Ducem & ſocium noſtrum imitemur, ne ſi Societates IESV contemnamus, ex eius Societate excidamus. Eius verba hæc ſunt. Liber B. Angela de Fulgino.
vitæ non eſt aliquid aliud, quàm Chriſtus Dei filius, qui eſt verbum & ſapientia Patris, qui in hoc apparuit, vt per vitam ſuam & mortem, & doctrinam nos inſtrueret. Videndum eſt qualis fuerit ſua vita & conuerſatio quam egit: & indeſinenter tenuit in corpore mortali. Sua enim vita eſt exemplum & forma cuilibet volenti ſaluari. Vita autem ſua non fuit niſi amariſſima pœnitentia, cum qua fuit aſſociatus continuè in vita præſenti. Ita quòd ab hora in qua anima Chriſti fuit creata, & infuſa in ſuo ſanctiſſimo corpore in vtero Virginis puriſſimæ, vſque ad illam horam vltimam, in qua illa ſanctiſſima anima receſſit ab illo ſanctiſſimo corpore per acerbiſſimam

mam crucis mortem; nunquam ſtetit ſine illa ſocietate, quod non fecerunt Apoſtoli, oec Beata Virgo, nec alij Sancti. Societas autem quam Deus Pater altiſſimus ſecundùm ſuam ſapientiſſimam diſpenſationem voluit, vt filius ſuus dilectiſſimus haberet io iſto mundo, hæc eſt. *Primò* perfectiſſima, & continua, & ſumma paupertas. *Secundò* perfectiſſimus, ſummus, & continuus deſpectus. *Tertiò*, perfectiſſimus, & ſummus dolor. Iſta fuit ſocietas à qua Chriſtus fuit aſſociatus io tota ſua vita; vt exemplum nobis tribueret hanc ſuper omnia eligendi, & diligendi & tolerandi vſque ad mortem; per hanc enim viam ipſe ſecundùm quòd homo aſcendit ad cœlum, & per ipſam poteſt, & debet ire anima ad Deum; nec eſt alia via recta; oportet enim & decet quòd viam quam caput tenuit, teneant corporis membra, & quòd ab illa Societate à qua fuit aſſociatum caput, ſint etiam aſſociata membra.

Societas igitur præuia IESV Chriſti libri vitæ & ſalutis noſtræ fuit continua & ſumma & perfectiſſima paupertas; & iſta fuit tribus modis. *Vna* grandis, *alia* maior coniuncta cum prima, & *tertia* fuit perfectiſſima. *Primus* igitur gradus perfectiſſimæ paupertatis C riſti qui eſt liber & via, & magiſter animæ fuit; quia voluit eſſe pauper omnium rerum temporalium iſtius mundi; ita qoòd non habuit nec terram, nec vineam, nec hortom, oec aliquam poſſeſſionem, nec aurum; nec argentum, nec pecuniam, nec vllam rem propriam nec recepit, nec recipere voluit de rebus mundi huius, niſi ad ſubleuaodum extremam indigentiam vitæ ſuæ corporalis cum fame & ſiti, & penuria, frigore, & calore, cum multo labore, & auſteritate, & duritia, nec de rebus delicatis, & requiſitis neceſſitates corporis recipere voluit, ſed de rebus groſſis, & communibus, quæ ſecundùm loca, & tempus inueniebantur in illa prouincia, in qua Chriſtus ſine domo & habitaculo mendicans ſtabat, & viuebat. *Secunda* paupertas Chriſti fuit maior quàm prima; quia voluit viuere, & eſſe pauper amicorum, & cooſanguineorum, & omois familiaritatis magnorum & potentum, & omnis amicitiæ temporalis; ita quòd nec aliquem amicum habuit, nec habere voluit, nec ex parte matris, nec ex parte Ioſeph patris putatiui, nec ex parte diſcipulorum, nec quorumcumque amicorum, propter quem fuerit ſibi dimiſſa vna alapa, oec vllus ictus martelli, nec flagelli, nec vnum verbum iniurioſum. Et naſci voluit de matre pauperrima, & humillima, & educari ſub patre putatiuo, carpentario paupere; & ſe expoliauit amore & familiaritate Regum & potentum, & Pootificum, & ſcribarum, & amore amicorum, & cooſanguineorum: ita quòd nec pro matre, nec conſaoguineo, nec pro quocumque dimittere voluit aliquid, quod placeret, vel placere poſſet voluntati Patris ſui Altiſſimi. *Tertia* paupertas & ſumma fuit, quòd expoliauit ſemetipſum ſeipſo, cùm Chriſtus pauperem ſe oſteodit in potentia. Et *primò*, quòd fecit ſe pauperem, & inopem ſuæ potentiæ propriæ, cùm enim ipſe eſſet omnipotentiſſimus, cui nihil erat impoſſibile, voluit apparere & viuere in iſto mundo ſicut impotens, ſicut infirmus, & debilis homo; ipſe enim præter miſerias humanas puerilem infantiam, & alias infinitas debilitates, quas propter nos aſſumpſit præter culpam & peccatum debilis apparuit, & vixit. Fuit enim fatigatus ex itineribus, ex prædicationibus, ex curationibus, ex viſitationibus, & opprobriis. Et quod plus eſt; non ſolùm homines peccatores in eum poteſtatem acceperunt, immò omnia elementa & corpora inſenſibilia ſibi paſſionem & afflictionem inferendi ab eo qui ipſa creauerat, poteſtatem acceperunt, & ipſe tanquam impotens non reſiſtebat; ſed omnia vt homo impotens reſiſtere propter nos tolerabat. Dedit enim poteſtatem illis ſpinis intrandi, & perforandi crudeliſſimè illud tremebundum & diuiniſſimum caput eius. Dedit poteſtatem illis vinculis & ligaturis ſtringendi, & tenendi eum cum columna, & vnam manum cum alia, qui terram in ſua morte concuſſit. Dedit velo, vt velaret eum, qui eſt vera lux, & verum lumen illuminans omnia. Dedit flagellis, vt duriſſimè verberarent eum. Dedit clauis poteſtatem perforandi, & intrandi in ſuis manibus, & pedibus, quibus cæcos illuminauerat, & ſurdis auditum reddiderat. Dedit cruci, vt eum cruentatum, verberatum, & perforatum ſuſpendeodo ſuſtentaret, & eum nudum omnibus exponeret, & tandem mortem crudeliſſimam ibidem toleraret. Dedit aceto & felli, vt os eius amaricarent. Dedit lanceæ, vt intraret, & aperiret, & perforaret (quod ſtupendum eſt audire) illud diuioiſſimum latus & cor, & viſcera eius, vt ſanguinem & aquam de viſceribus eius, & cordis peoetralibus effunderet ſuper terram. Dedit crucifixoribus militibus, Iudæis, Pilato, & aliis nequiſſimis poteſtatem, vt ipſum iudicarent, accuſarent, blaſphemarent, ſibi inſultarent, verberarent, deriderent, & eum interficerent, qui ſolo verbo omnia impedire poterat; aut ſolo nutu omnia ſubuertere, & annihilare, aut vni Angelo mioimo ſuo de iofinitis millibus poteſtatum, & virtutum ſuarum imperare; vt hæc omnia vno impetu proiiceret in profundum maris; niſi enim ipſe poteſtatem dediſſet, & ſe paſſibilem, & infirmum exhibuiſſet, procuIdubio nulla creatura potuiſſet, imò horruiſſet, moleſtiam ſuo creatori irrogare. Quid plura? elementis, frigori, calori, fami, ſiti ſe ſubiecit, & aliis creaturis inſenſibilibus, & potentiam ſuam occultauit, & ſe in apparentia hominum ſpoliauit, vt nos miſeros mortales, & paſſibiles de patientia ſub tribulationibus habenda informaret, vt hominem qui poteſtate ſe priuauerat, redimeret, & per gloriam reſurrectionis impaſſibilem efficeret, & inuictum. Et quod amplius eſt, dedit poteſtatem Diaboli ſuper ſe, vt eum tentaret, & circumduceret, & cum membris ſuis peſſimis hominibus ipſum vſque ad mortem perſequeretur, vt hominem de eius poteſtate liberaret. Paſſibilem igitur ſe exhibuit inuictus Dominus & omnium primum agens, & impotentem creator omnium & debilem Rex fortiſſimus ſe fecit; nec repulit, ſed ſubiecit ſe diabolo, creaturis inſenſibilibus, & omnibus tribulationibus, & iniuriis, omnibus pœnis, omni dolori, & afflictioni. Io hoc confundens nos miſerandos, qui ſic delicati eſſe volumus, vt non ſolùm tribulationes, neque pœnitentiam ſpoontaneè non aſſumamus. Verùm etiam afflictiones & tribulationes ex ordinatione Dei nobis contingentes quantum poſſumus repellimus, & contra Deum omnipotentem nequiſſimè murmuramus. *Secundo modo* ſe expoliauit ſe ipſo, & pau-

petem fecit ſua propria ſapientia; voluit enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus apparere vt ſimplex homo, & ignorans, & inſipiens, & fatuus inter omnes homines mundi, & non voluit etiam apparere vt Philoſophus, vel Doctor verboſus, aut diſputator ampulloſus, vel ſcriba, vel famoſus in ſcientia, vel ſapientia glorioſus, ſed in veritate humili conuerſando & ſimplicitate, & ſumma manſuetudine inter homines conuerſabatur: in virtute vitæ virtutum & miraculorum viam veritatis oſtendendo. Cùm enim ipſe ſit ſapientia Dei Patris, & ſcientiarum Dominus, & Prophetarum factor, & inſpirator potuit ſcientiarum & rationum ſubtilitatibus, & ingenio vti, & ſe oſtendere, & glorioſum facere, ſi voluiſſet. Sed ſic ſimpliciter veritatem protulit, vt quaſi ab omnibus non ſolùm ſimplex, & idiota, ſed inſipiens & fatuus, & blaſphemus reputaretur. Viam veritatis nobis oſtendens, quòd non de ſcientia, ſeu ſapientia gloriari debemus, neque ipſa inflati velimus coram hominibus nomen magiſterij acquirere, ſeu vanam gloriam manducare. *Tertiò* ſe expoliauit ſe ipſo, & pauperem fecit ſua fama ſanctitatis, & bonitatis, & innocentiæ, quod mirabiliſſimum eſt. Voluit enim ſic tenere viam iuſtitiæ, vt quaſi ab omnibus non ſolùm non haberetur vt ſanctus, ſed vt peccator, & peccatorum amicus, & ſicut proditor, & ſeductor, & patriæ conſpirator, & blaſphemus reputari, & inter latrones & iniquos condemnari, & numerari voluit, dum tamen ſalutem noſtram operari poſſet in medio terræ. Potuit enim ſibi acquirere famam ſanctitatis, vt ab omnibus vniuerſaliter ipſe Sanctus Sanctorum tanquam Sanctus haberetur; vtpote qui nunquam peccatum fecit, ſed peccata omnia tulit: & quod Ioanni Baptiſtæ quantum ad famam ſanctitatis ſuo ſeruo dederat, ipſe Sanctorum ſummus & Rex virtutum ſibi inter omnes homines retineret. Sed hoc fecit, & fama ſanctitatis ſalua veritate doctrinæ vitæ & iuſtitiæ ſe expoliare, & pauperem facere voluit, vt noſtram hypocriſim refutaret; qui etiam de his bonis, quæ nec habemus, nec facimus, gloriam coram hominibus quærimus, & famam ſanctitatis & innocentiæ, nos de malis falsè excuſando, & bona opera mendaciter arrogando per fas, & nefas quantum poſſumus, nitimur vendicare. *Quarto* expoliauit ſemetipſum ſe ipſo, ſuo videlicet imperio, & principatu, omnium rerum & dominationum, quas habebat. Cùm enim eſſet Rex regũm, & Dominus dominantium, & Rex, cuius Regni non eſt finis, ipſe inter omnes homines viuere, & eſſe voluit, ſicut ſeruus deiectus, & venditus, & emptitius. Nec cùm eum vellent facere Regem, Rex eſſe voluit, ſed Regibus impiiſſimis ſemper vſque ad mortem ſubiectus, & obediens in iis quæ petebat, vectigalia ſcilicet ſoluendo eſſe voluit, curiis, & iudiciis, & grauaminibus eorum patendo, & ſe ſubiiciendo. Et non ſolùm Regibus, imò etiam viliſſimis ſeruis, & clientibus, & miniſtris eorum ſemper obediens fuit vſque ad verbera, & mortem crucis. Et ipſe Rex regum, Regnum ſuum de hoc mundo non eſſe coram Pilato aſſeruit; quia de Regno & dominatione huius mundi temporali inter homines non curabat, ſed ſemper ſubiectus eſſe volebat. Et non Dominus, neque Rex, nec Princeps, ſed ſeruus humillimus ſemetipſum totaliter exinaniuit. Subiectus etiam fuit ſuæ humillimæ, & pauperrimæ Matri, & Patri putatiuo; eis vſque ad triceſimum annum humiliter obſequendo, & ſeruiendo. Nec inter Diſcipulos quos paucos & ignobiles, & pauperrimos elegit; nec vt Rex, nec vt Dominus eſſe voluit, ſed aſſeruit quòd venerat miniſtrare, non miniſtrari, donec daret animam ſuam pro ipſis, & cæteris peccatoribus redimendis. Quinimmo eis Diſcipulis pauperrimis in miſeriis caput & magiſter exiſtens primus eſuriebat, & ſitiebat, & tribulabatur; non enim fuit Magiſter eorum, quatenus primatum inter eos quæreret, ſed vt primus inter eos afflictionem, & deiectionem ſuſtineret, & tantum inter eos humiliter fuit conuerſatus, quòd eis in menſa miniſtrauit, & pedes eorum, & manus lauit. O immenſa noſtra dementia, qui poſt talem, ac tantum Dominum, & Regem regum ignominioſum inter homines contemptum, nos ad dignitates, prælationes continuè aſpiramus; libertatem volentes, & ſine iugo viuentes; nulli amore eius ſubiecti, nec obedientes eſſe volumus, ſed ſupra alios quantum poſſumus volumus præſidere. Non ſic, non ſic tu Chriſte facere voluiſti, ſciens quòd duriſſimum iudicium fiet his, qui præſunt, & potentes potenter tormenta patientur, & de vita & regimine, & de peccatis eorum, & ſubditorum ſtrictiſſima ratio exigetur. Confundat igitur hic liber viuus in ſe, nobis exemplum præferens ſuperbiam noſtram & ſemper (ſicut ipſe) ſubiecti præſidentibus eſſe velimus, noſtram volontatem nullatenus retinentes, ſed amore eius qui omnibus propter nos ſubiectus fuit, & eſſe voluit, & propter noſtram ſecuritatem ſtatum ſubiectionis non ſolùm toleremus, ſed prælationes fugientes, ſubiectionem, & ſtatum humilem ex corde cum magno deſiderio requiramus. Hæc eſt igitur ſumma, & continua, & perfectiſſima paupertas Dei hominis Ieſu Chriſti omnium Saluator, qui quamuis diuitiarum Dominus exiſteret, pauperrimus inter nos eſſe voluit, vt nos ad amorem paupertatis prouocaret. Pauper enim fuit re, voluntate, & ſpiritu ſuper omnem creaturæ æſtimationem, propter infinitiſſimum, & dulciſſimum amorem, quo nos dilexit; pauper, inquam, & inops, mendicus, & rebus temporalibus pauper, & in amicis. Pauper in potentia, pauper in ſapientia mundana, pauper in fama ſanctitatis, pauper in ſtatu dignitatis, pauper in omnibus exiſtens, paupertatem prædicauit, & pauperes beatos eſſe aſſeruit, & mundi iudices affuturos, diuites condemnauit, & diuitias, & abundantias prædictas eſſe contemnendas re, verbo, conuerſatione, & exemplo totis viribus prædicauit. Sed heu proh dolor! ſed heu proh pudor! hæc paupertas ſpiritus hodie eſt expulſa; & quaſi ab omnibus eſt fugata, & quod eſt deteſtabilius, ab illis qui in hoc libro vitæ legunt, & intelligunt, & hanc paupertatem prædicant, & glorificant. Hæc paupertas re, voluntate, ſtudio, & facto totaliter expugnatur. Hanc enim paupertatem mundus odit; Chriſtus autem diligit, & elegit pro ſe, & pro ſuis, ipſamque beatiſſimam ſtatuendo. Sed quis homo? quæ mulier? quæ creatura hodie dicere poſſet, quòd ſi ſociata tali ſocietati, tam glorioſæ ſicut Chriſtus voluit eſſe ſociatus? Beatus eſt ille, qui in ſua pœnitentia in mundo iſto exemplo Chriſti ipſam elegit. Heu me, heu me, ſcimus. Audiuimus, firmiter tenemus, qualiter filius Dei

creator

Creator noſter, Redemptor, Magiſter, & illuminator, & exemplum nobis factus, quaſi cibo, & potu ſatiatus, qualiter fuit indutus, qualibus veſtibus adornatus, qualibus cameris, & palatiis hoſpitatus, quali familia, & amicis ſtipatus, qualibus ſtudiis, & ſcientiis manciparus, & ſic de aliis bonis huius mundi; & tamen Chriſtianos eſſe nos dicimus, & nominari volumus, poſt Chriſtum pauperes nullatenus de facto eſſe volentes, neque ſibi aſſimilari deſiderantes, quamquam verbis dicamus: eius ſtatum, & paupertatem beatificantes; re autem & facto Chriſti ſtatum, & perfectionem ſuæ paupertatis deteſtantes. Væ nobis qui poſt tantum exemplum, Doctorem, & Magiſtum de facto tantam ſalutem repellimus, & ab eius ſtatu & doctrina ſumus poſt abundantias temporales errantes, & vacui finaliter remanentes. Et ideo noſtra pœnitentia, nec ſtatus Chriſtianitatis non vadit per rectam viam IESV Chriſti, immò turpiter deuiat ab eadem. Beatus autem, & verè Beatùs, vt ipſe etiam aſſeruit, eſt, & erit qui paupertatem omnium rerum prædictarum diligit, qui de facto, non ſolùm verbo pauper eſſe vult in rebus temporalibus, & amicitiis, & familiaritatibus, in delectatione, varia ſcientia, & curioſitatibus, & fama ſanctitatis, & omnis prælationis, & dignitatis; quòd ſi non poteſt quis ſe totaliter à prædictis ſpoliare, ſaltem deponat affectiones rerum prædictarum quantum poteſt; verè enim Beatus talis pauper, quoniam ipſius eſt Regnum cœlorum. Et qui contrarium fecerit de facto, quidquid de verbo prædicauerit, & ſermocinatus fuerit, infœlix & maledictus, quoniam ipſius eſt extrema paupertas, & perpetua eſuries domorum inferorum, vbi perpetua fames, & ſitis, vbi nec amicus, nec frater, nec pater redimere, nec iuuare poterit; nec euadendi potentia aderit, nec ſapientia mundana valebit, ſed omnibus his priuabitur de facto, qui de facto hæc contra doctrinam Chriſti obtinere voluit, & cruciabitur in perpetua ſæcula ſæculorum.

De ſecunda ſocietate Domini noſtri IESV Chriſti, qui fuit voluntarius contemptus & abnegatio ſui ipſius.

CAPVT XI.

SECVNDA ſocietas, à qua continuè IESVS Dei filius quandiu vixit, fuit aſſociatus, fuit voluntarius, & perfectus contemptus, deiectio, & ignominia & verecundia, quæ voluit in hoc mundo continuè tolerare. Vixit enim ſicut ſeruus deiectus, & venditus, & non redemptus, & non tantùm ſicut ſeruus, ſcilicet, ſicut ſeruus qui malus reputatur, & iniquus. Fuit enim exulatus, & opprobriatus, deriſus, ligatus, verberatus, fuſtigatus, flagellatus, & tandem ſine ratione, ſine defenſore; ſicut vilis, & miſerabilis cum iniquis, & latronibus deputatus, & cum eis condemnatus; & mortuus morte turpiſſima & deiecta. Et dum viueret, ſi quando aliquis voluiſſet ſibi inferre honorem temporalem, ſemper contradixit, aut verbis, aut factis, & honorem mundi ſemper fugit, & verecundias ſemper tolerauit, & libenti animo acceptauit, non dando ex parte ſua occaſionem, nec cauſam. Ipſum enim Dominatorem mundi ſine ratione, ſine cauſa, ſine offenſa, ſine iniuria omnes quaſi perſecuti ſunt, & deriſerunt, & ſubſannauerunt, protinus enim à faſciis, & à cunabulis ipſum perſecuti ſunt, & in terram barbarorum proiecerunt, qui cùm adultus eſſet, quidam eum Samaritanum, & idololatram vocabant; quidam verò Dæmoniacum, & Dæmoniatum, & guloſum, & ſeductorem, & pſeudo-Prophetam. Dicebant enim: Ecce homo vorator, & potator vini, quoniam non eſt Propheta, nec iuſtus, nec miracula in virtute Dei facit, ſed in principe Dæmoniorum eiicit Dæmones. Quidam ipſum ducebant ad mortis præcipitia, vt ipſum præcipitarent; quidam lapides tollebant, vt ipſum lapidarent. Inter hæc erant diuerſi contra eum clamores, diuerſæ irriſiones, & ſubſannationes, detractiones, & iniqua conſilia dicentes; quoniam blaſphemat, multas illuſiones, & deceptiones in verbis, & factis ſibi præparantes, ipſum à locis ſuis repellentes, nec ipſum recipere volentes. Et tandem ipſum viliter ceperunt, diuerſis iudicibus, & iudiciis & conſiliis ipſum legatum exponentes. Et quidem in faciem eius expuebant; alij alapas dabant, alij eum chlamyde circumdederunt; alij coronauerunt eum ſpinis, & procidebant, & genua flectebant, illudentes ei, caput eius virga percutientes, & faciem eius velantes, omnem ſpeciem irriſionis ſuperinducebant; alij ipſum flagellis verberabant; alij in eum ſicut canes ſanguinis voratores dentibus frendebant, ipſum condemnantes, reprobantes, tanquam malefactorem, & tandem ad paſſionem ducebatur nudus, & omnes Diſcipuli eum reliquerunt. Et vnus quidem negauit eum; alius verò tradidit, reliqui verò aufugerunt, & ſolus nudus ſtabat in medio illarum turbarum. Erat enim dies feſtus, qui tunc omnes congregabat, & ſicut malignum in medio malignorum denudatum in altum eleuatum ſuſpenderunt, & viliter interfecerunt. Alius cum morientem, flentem, & orantem ſobſannabat, & irridebat, dicens: *Vah qui deſtruis*, &c. Alius eum contemnebat, dicens, *multos alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt*, &c. Alius veſtem ſuam ludebat, alius eum aceto, & felle potabat, & offerebat morienti, & aquam ad bibendum humiliter poſtulantem. Et alius ipſo mortuo latus lancea transfigebat, & quando de cruce eſt depoſitus, nudus in terra iacebat; & abſque ſepulchro donec quidam quæſiuit, vt tolleret, & ſepeliret. Alij querelam aduerſus eum deuulgauerunt, dicentes, *Recordati ſumus, quoniam ſeductor ille dixit*. Alij reſurrectionem occultauerunt. Alij negauerunt; & ſic in vita & in morte, & poſt mortem non fuit, niſi in continuo deſpectu, ignominia, & vilitate, & hæc quæſiuit, & tolerauit, vt ſic ad gloriam reſurrectionis in quantum homo perueniret, & nos ad ſummam gloriam exultaret. Igitur factus eſt nobis forma, & exemplum, & Doctor, & Magiſter glorioſus Dei filius, vt gloriā temporalem contemneremus, & non ſolummodo ipſam non quæreremus, ſed etiam præſentatam, & exhibitā refutaremus. Ipſo enim nūquam gloriam propriā quæſiuit, ſed glo-

riam ſui Patris; immò potiùs repulit, & contempſit, & humiliauit ſe de cœlo vſque ad pedes diſcipulorum, & exinaniuit ſe formam ſerui accipiens, & factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem non qualemcumque, ſcilicet turpiſſimam, & deſpectiſſimam, & acerbiſſimam, ſcilicet crucis. Sed heu proh dolor! quæ perſona inuenitur hodie, quæ diligat talem ſocietatem, vt ſcilicet fugiat honorem, & diligat verecundiam, quæ habetur propter paupertatem, humilem ſtatum, humile officium, & cætera humilia. Nec quæ velit eſſe annihilata, deiecta, & contempta, quin de bono quod habet, vel agit, & facit, & loquitur, vel æſtimat ſe habere, velit commendari, & laudari, quin ſequatur, vel applaudat adulatoribus. Veraciter vnuſquiſque viam ſuam declinauit, nec eſt vſque ad vnum qui faciat bonum, iſtud: & verè ſi quis eſt talis, hoc eſſe non poteſt, niſi ſit coniunctus cum capite Chriſto per amorem verum, & vnum membrum eius, videndo quòd Chriſtus Rex ſuus, & Magiſter & eapor diligit, & vult talem ſocietatem, & ipſe vult ſimiliter. Sed inueniuntur multi, quorum quilibet dicit: Ego diligo, & volo, & quæro diligere Deum, & non curo ſi mundus non faciat mihi honorem, ſed nolo quòd faciat mihi verecundiam; nec volo eſſe deiectus, nec vituperatus, nec confuſionem in præſentia mundi recipere. Sed iſtud eſt ſignum manifeſtum paruæ fidei, & paruæ iuſtitiæ, & parui amoris, & magnæ tepiditatis; quia vel commiſit illud, propter quod eſt dignus ſuſtinere confuſionem, & pœnam, & verecundiam, de quo pauci ſe iuſtè poſſunt excuſare, vel non commiſit. Si commiſit, propter opera ſua manifeſta, vel abſconſa debet ſuſtinere, ſi verè ſit pœnitens (neque iuſtus) cum patientia, imò etiam cum placimento animæ & corporis, & hoc duabus rationibus. Primò, quia illa verecundia, & confuſio, & pœna quam ſuſtinet cum patientia, ſatisfacit Deo, & proximo ſecundùm voluntatem diuinæ iuſtitiæ. Si verò non commiſit mala opera, nec per voluntatem, nec per opera, debet portare, & tolerare omnem verecundiam, & confuſionem (ſi Deus permiſerit) & hoc in centuplum cum maiori patientia & gaudio, quàm primo modo; quia illa pœna, & illa confuſio, & verecundia tota ponitur in augmentum gratiæ; creſcente autem merito gratiæ, creſcit donum, & præmium gloriæ; & ſic proculdubio cum toleratione verecundiæ, & confuſionis quæ adueniunt abſque culpa hominis; creſcunt & perficiuntur animæ ſanctæ & amici Dei, ſicut & perficiuntur animæ ſanctæ & amici Dei; ſicut & perficiuntur tolerantes propter Deum paupertatem & alias affectiones. Ideo Chriſtus dilexit verecundiam, & fugit honorem, vt doceret amicos ſuos, quomodo poſſent creſcere in merito & gratia. Iſta igitur ſocietas ſecunda fuit continuè cum vita Chriſti. Si enim volumus videre bene principium, medium, & finem vltimum vitæ Chriſti filij Dei, totum fuit humilitas, & in mundo iſto viuere ſine honore, & deſpectus & reprobatus à mundo, & ab illis qui diligunt mundum.

De tertia Societate quæ ſemper Dominum noſtrum IESVM comitata eſt, quæ fuit ſummus & continuus dolor.

Capvt XII.

TErtia Societatis Iesv magis experimentalis, & continua, fuit ſummus dolor, à quo ſtatim anima Chriſti, quãdo corpori ſanctiſſimo fuit infuſa, fuit etiam aſſociata. In illo enim momento, quo fuit anima illa humano corpori, & diuinitati vnita, ſtatim fuit repleta ſumma ſapientia; & ideo Chriſtus ſtatim fuit viator, & comprehenſor, & ſtatim in vtero Virginis matris ſuæ incepit ſentire ſummum dolorem, ſciendo, videndo, & conſiderando, & intelligendo vniuerſaliter & ſingulariter omnes pœnas, & quamlibet per ſe, quas ipſa anima cum ſua carne experiri debebat, & pro nobis tolerare, & ſicut propinquus morti factus fuit in agonia, & in tanta triſtitia quòd corpus ſudorem ſanguineum vſque ad terram emiſit, propter hoc quòd acerbitatem morti præuidebat: ita anima Chriſti præuidendo iſta tormenta ſibi affutura, ſummo dolore dolebat, quamuis corpus non experiretur tantum, ſicut quando paſſioni fuit Chriſtus propinquans. Anima illa ſancta præuidebat cultellos illarum peſſimarum linguarum, & verba aculeata cuiuſlibet linguæ ſingularis, & ſciebat, & continuè conſiderabat à quibus, & quando, & quomodo, & quantum debebat affligi, interfici, deludi, & mactati, & videbat ſe ad hoc natum, & ad hoc veniſſe in mundum. Vnde non poterat eſſe niſi in dolore, quando conſiderabat qualiter debebat eſſe venditus, traditus, captus, negatus, derelictus, ligatus, colaphizatus, deriſus, verberatus, accuſatus, blaſphematus, maledictus, flagellatus, iudicatus, reprobatus, condemnatus, & ſicut latro ad crucem ductus, ſpoliatus, denudatus, crucifixus, mortuus, lancea percuſſus, & ſciebat omnes percuſſiones martellorum, & omnes ictus flagellorũ, & foramina clauorũ, & omnes guttas ſanguinis, & lachrymarum guttas quis fundere debebat; & omnia ſuſpiria, & fletus, & lamenta doloroſa ſua, & matris ſuæ, quæ omnia illa ſancta anima Chriſti ſemper præuidebat, & conſiderabat, & quando ſic ſe habebat, abſque dubitatione non poterat eſſe ſine triſtitia, & ſummo cordis, & mentis dolore. Et ſic tota vita Chriſti fuit aſſociata ſummo dolore, triſtitia, & afflictione. Præter hoc Chriſtus Dominus verus liber vitæ innumerabiles tolerauit dolores; ſtatim enim natus non in balneo, nec in plumis poſitus, nec pellibus inuolutus, ſed in fœno, in ſtabulo, & duro præſepio inter iumenta collocatus eſt, & ſic infantulus tenerrimus ſtatim natus incepit ſecundùm corpus tolerare corporis afflictiones. Conſequenter peregrinationes cum matre ſua dulciſſima, & tenerrima Virgine & Ioſeph ſene vſque in Ægyptum per deſertum vaſtiſſimum peregit, in cuius tranſitu filij Iſraël ſine cibo humanitus præparato quadraginta annis permanſerunt. Conſequenter peregrinationes ad templum ſecundùm legis ſtatuta faciebat adhuc puerulus continuè pedibus ſuis ambulando; cùm tamen locus ſuus Nazareth pluſquam per duas dietas ad Ieruſalem

lem diſtaret. Et factus vir ſtatim poſt Baptiſmum deſertum intrauit, ibique quadraginta diebus ieiunauit, & eſuriit in tantum quòd diabolus eredidit eum propter famem ad peccatum poſſe inclinare: vnde & de hoc primo eum tentauit. Iuit igitur pedibus ſuis per caſtella, per loca, per ciuitates, famem, ſitim, pluuias, calores, caumata, frigora ſuſtinendo, ſudando, ſe fatigando multas moleſtias ſuſtinendo, & tandem mortis ſupplicia tolerando. Et hos omnes labores ſuſtinuit, vt viam veritatis prædicaret, & falſitates Dæmonum, & eorum dominium exterminaret, & vt hominibus pœnitentiam vltimam demonſtraret, & ipſos ad eam induceret, & vt oſtenderet in dolorum, & afflictionum toleratione ſtare fœlicitatem, & bonum hominum, & gloriam, & vt nobis exemplum daret, quòd prædicta ſunt toleranda. De doloribus autem quos tempore paſſionis ſuſtinuit, nulla lingua ſufficit dicere, nec cor cogitare. Fuit enim in Chriſto dolor ineffabilis multiplex, fuit etiam in Chriſto dolor intenſiſſimus & acutus, ex compaſſione quam habuit humano generi, quod diligebat ſummo amore, & non ſolùm in communi dolebat pro toto humano genere perdito, deiecto, & damnato, ſed compatiebatur vnicuique perſonæ humani generis cum ſummo dolore, & non ſolùm pro peccatis vniuſcuiuſque perſonæ in communi, immò etiam ſecundùm menſuram quantitatis vniuſcuiuſque delicti & pœnæ, quam eos incurriſſe, & in futurum incurrere ſciebat certiſſimè. Quot igitur fuerunt, vel ſunt homines, & quot peccata commiſit, vel committet quilibet homo, & quot habet, vel habebit peccata; tot Chriſtus habuit dolores ex ſumma miſericordia, & compaſſione prouenientes. Cùm igitur homines, & eorum peccata, & pœnæ quas incurrerant, & incurrere debebant, eſſent infinitæ; manifeſtum eſt, ſummum dolorem, & infinitum eum pro noſtro amore ſuſtinuiſſe. Chriſtus enim quemlibet electorum ſuorum ineffabiliter diligebat, & hoc amore deuiſcerato in eos ſecundùm menſuram cuiuſlibet, ſentiendo præſentialiter, & continuè, eorum offenſam commiſſam, & committendam, & pœnam, & pœnas quas propter tales offenſas ſuſtinere debebant: & dolebat, & compatiebatur, eiſdem ſuſtinendo eorum pœnas cum ſummo dolore, tali ſcilicet, & tanto dolore, & compaſſione fuit afflictus propter nos dulciſſimus IESVS, vt ipſa compaſſio ſumma qua nobis condolebat, eum impulerit ad ſuſtinendum tormentum crucis, & mortem horrendam, & dolores infinitos, vt pro noſtris offenſis ſatisfaceret, & nos redimeret, & à pœnis nos alleuiaret. Fuit etiam in Chriſto dolor compaſſionis propriæ, ſcilicet ſui metipſius. Summè enim compatiebatur ſibi ipſi de doloroſa pœna, & ineffabili, quam ſuper ſe venire ineffabiliter videbat. Videns enim Chriſtus, & conſiderans ſe ad hoc miſſum à Patre, vt omnium electorum ſuorum dolores, & pœnas portaret in ſeipſo, nec poſſe falli, quod tam exceſſiuum & ineffabilem non ſuſtineret dolorem, & ſe ad hoc totaliter eſſe datum, compatiebatur ſibi ipſi ſummo dolore. Si enim aliquis dolorem maximum & pœnam ſuper ſe certiſſimè, & ineffabiliter venire cognoſceret, & ipſum dolorem ſine intermiſſione haberet præ oculis, abſque dubio ſibi ipſi compateretur, & tanto plus, quanto ſuper ſe venire cognoſceret maiorem dolorem, & adhuc quanto plus intelligeret, & ſentiret qualis, & quantus eſſet talis dolor. Hæc omnia ſummè fuerunt in Chriſto pluſquam dicere poſſim. Sed hoc exemplum dico propter groſſitudinem intellectus humani. Fuit etiam in Chriſto dolor compaſſionis ſui miſericordiſſimi Patris. Infinitè enim Chriſtus diligit, & dilexit Patrem ſuum Dominum miſericordiarum, & totius pietatis; videns enim ipſum Deum Patrem, quem in infinitum diligebat, tanta affici compaſſione, & miſericordia ſuper nos, vt ſe, & ſuum filium dilectiſſimum vellet dare, & morti tradere, qui erat ſibi in infinitum res chariſſima, infinito ſuper hoc compatiebatur dolore ſuper tanta compaſſione Dei Patris, propter quod vt voluntati Patris quodammodo remedium adhiberet, humiliauit ſemetipſum ſibi factus obediens vſque ad mortem crucis, & hunc modum doloris impoſſibile eſt explicare. Dico igitur quòd dolor fuit in Chriſto ineffabiliter; qui quidem dolor ineffabilis fuit conceſſus, & in ipſo permiſſus, & diſpenſatus ex ineffabili ſapientia diuinitatis. Quæ diſpenſatio diuina ineffabilis, & æterna cum Chriſto ineffabiliter, & æternaliter comitata, & vnita dolorem pati ſummè in eo diſpenſabat, & quanto diſpenſatio diuina eſt mirabilior, tanto dolor Chriſti fuit acutior, & intenſior ex diuina diſpenſatione reſultans; ita quòd nullus intellectus eſt ita capax, quòd illum dolorem vnquam potuerit comprehendere. Iſta enim diuina diſpenſatio fuit origo omnium dolorum, & in hac oriuntur, & finiuntur. Et ſicut eſt impoſſibile comprehendere aliquem intellectum infinitatem charitatis, quam oſtendit in hoc, quòd per mortem ſuam nos redimere vellet: ſic eſt impoſſibile comprehendere infinitum dolorem in eo diſpenſatum, quo ipſe doluit. Fuit enim iſte dolor reſultans ex ineffabili lumine Chriſto dato: ipſa enim diuinitas lumen ineffabile ineffabiliter Chriſtum illuminans, & cum iſta diuina diſpenſatione in ipſum viuens, & in ipſo diuino lumine in dolorem transformans, tantum ſibi reddebat dolorem, quod ineffabile eſt totum. Fuit etiam in Chriſto dolor compaſſionis ſuæ dulciſſimæ matris; quia enim Chriſtus ſuam matrem pluſquam aliam aliquam creaturam dilexit, & diligebat, vtpote quia ex ipſa ſola carnē virgineam traxit, & quia ipſa ſuo filio plus quàm alia creatura condolebat; ideo Chriſtus ei condolebat, & compatiebatur, quia eam corpore, corde, & animo ſummè dolere, & lamentari videbat; dolebat enim ipſa Mater in ſummo, & ipſe Chriſtus illum ſuum dolorem in ſeipſo portabat, & huius doloris fundamentum fuit in diſpenſatione diuina. Fuit etiam in Chriſto dolor de offenſione Patris, quem ſummè diligebat; videbat enim qualiter in ſua paſſione, quando homo ſuum Dominum, & ſuum factorem crucifigebat, ſummè offendebatur Deus Pater. Maius enim peccatum quod vnquam fuerit, nec futurum ſit, fuit interficere, & crucifigere filium Dei, & conſequenter plus offendebatur Deus, de quo Chriſtus ſine dubio in immenſum doluit. Vnde & dolore, & compaſſione motus tam ex parte Patris qui offendebatur, quàm ex parte hominum, qui eum offendebant, fuit motus ad dicendum illud verbum: *Pater dimitte eis, quia neſciunt quod faciunt*. Forſitan enim Deus Pater iterum totum

humanum genus damnaſſet propter hoc, niſi Chriſtus quaſi oblitis omoibus aliis dolotibus in morte ſua benigna oratione facta cum lachrymis, & clamore Deum Patrem mitigaſſet. Fuit etiam in Chriſto dolot compaſſionis Apoſtolorum, & Diſcipulorum ipſius; dolebant enim Apoſtoli, & Diſcipuli, & mulieres, quæ ſecutæ eum fuerant maximo dolote. Cùm ergo Chriſtus ſummo amore diligeret, dolorem Diſcipulorum diſperſorum, & tribulatotum Chriſtus in ſe ipſo portauit. Præter bos dolores Chriſtus multiplicem dolorem ſuſtinuit, quadruplici enim genere gladiorum, & ſagittarum fuit vulneratus, & crucifixus iſte Deus homo Chriſtus Ieſus. *Primum* fuit obſtinatorum cordium peruerſa crudelitas; etaot enim eorum corda continuè contra Chriſtum vehementiſſimè ubſtinata, & in continuo ſtudio, & diligentia erant cogitantes, & machinantes quomodo eum vituperabiliùs, & crudeliùs exterminarent de tetta, & nomen eius, qui eos ſaluare venerat, & omnem ſocietatem eius. *Secundum* genus fuit malitia, & nequitia illarum iratum grandiſſimarum, & odiorum, quamuis illi erucifixores contra ipſum continuè portabant, quot enim contra ipſum cogitationes, & peruerſæ intentiones, & iniquæ voluntates fuerunt, tot fuerunt cultelli, & ſagittæ animam Chriſti tranſuetberantes. *Tertium* genus fuit malitia, & doloſitas linguarum vociferantium contta ipſum: quot enim fuerunt accuſatiooes, detractiooes, iniqua conſilia, ſubſannationes, deriſiones, oblocutiooes, blaſphemiæ, maledictiones, falſæ ſententiæ, falſa teſtimonia, tot ſuſtinuit dolores animam ſuam affligentes. *Quartum* genus fuit crudeliſſimum opus paſſionis, quod in eum duriſſimè exercuerunt, & hoc patet deducendo per totam paſſionem; quot enim tractus capillorum, & barbæ, & capitis, quot impulſus, quot ligamina, quot alapæ, quot colaphi, quot expuitiones, quot verberationes, tot ſuſtinuit, & habuit paſſiones, potiſſimè ex parte clauorum, quia acceperiit clauos groſſiſſimos, ęquales, ſcabroſos, & quadratos, quibus manus eius & pedes crudeliſſimè perforantes, & tranſigentes, & totaliter lacerantes, & deſtruentes, ipſum crudeliſſimè affixerunt. Ex tali enim forma clauorum pœna ſupermaxima reſultauit. Suppoſito etiam quòd ligno maous eius, & pedes non fuiſſent affixæ: adhuc vtiquam paſſio duriſſima perſtitiſſet; ſed adhuc non contenti, manus & eius pedes trahentes, & totum corpus, & oſſa, & neruos extendentes, & diſiungentes, & dinumerantes, ligno duriſſimo affigentes ſtrictiſſimè compreſſerunt, & nec ſic contenti, crucem in altum eleuantes, & nudum frigori, vento, & aëri & populo exhibentes; ponderoſitas totius corporis, & grauitas in manibus pendebat, & in pedibus ſuſtentabatur, vt duritia clauorum ampliùs ſentiretur, & ſanguinis ſine intermiſſione clauis in plagis exiſtentibus emitteret, & ſic in tormento maximo moreretur, & ſic omnis eotum malitia compleretur. Et vt ipſe Ieſus Deus, & homo de tam exceſſiuo dolore nobis aliquid manifeſtaret, & quòd non per ſe, ſcilicet pro nobis illum tolerare patefaceret, & vt de ipſo dolore nos ſemper dolere & euiſceroſiùs compati nos inſtrueret. Iſtis tribus de cauſis illud verbum clamauit cum in iſto dolore eſſet, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Deus enim derelinquere eum non poterat, cùm ipſe Deus eſſet. Sed ſeipſum hominem manifeſtauit cùm ſe derelictum in ſuis doloribus proclamauit; tunc enim clamando manifeſtauit ſuperacutiſſimum dolorem, & ineffabilem quem pro nobis tolerabat. Deus enim dolorem Chriſti bene ſentiebat ſimiliter, quia ipſum portabat: ergo ſolùm pro nobis clamauit, vt ſummum dolorem, non pro ſe, ſcilicet pro nobis ſe pati indicaret, & ſic ad dolendum, & condolendum, ſemper & aſſiduè nos prouocaret, & moneret. Et ne quis exiſtimet ipſum ſolum quando in cruce erat, doluiſſe, ex quo formatio corporis, & eius organizatio, & animæ infuſio, & verbi vnio ſimul & ſemel fuerunt, ex qua ſupermitabili vnione anima illa repleta fuit ſumma ſapientia, & ineffabili omnia ſibi præſentia, & futura repræſentauit. Et ideo ſuperantiſſimum dolorem, & omnino ineffabilem ſibi videbat aduenire, ſtatim quando formatus eſt, & conceptus, & ideo de hoc continuè dolens diuina ſapientia diſpenſante iſtum dolorem tolerauit ab animæ infuſione vſque ad animæ ſeparationem, & hoc verba ſua teſtantur, cùm dicat frequenter ſe crucem baiulare, & cùm dicat Diſcipulis, non pro ſe, ſed pro illis, & pro nobis crucem ſe toletare, & ſe eſſe triſtem, & ideo triſtis eſt anima vſque ad mortem. Hoc dictum eſt, vt nos ad dolorem ſuper ſummum dolorem efficaciùs prouocaret. Et hic dolor cum omnibus ſupradictis fuit vehemens, & acutus propter nobiliſſimam animam, quam habebat. Quanto enim illa anima erat ſanctior, & mitior, & nobilior, tanto acutiori, & intenſiori cruciabatur dolore. Anima enim illa ſummè oobiliſſima ex omnibus his iniuriis, & afflictionibus ſummo cruciabatur dolote. Omnes hi dolores originem trahentes ex illa ſumma, & ineffabili diſpenſatione Deitatis, & taliter aoimam Chriſti cruciauerunt, quòd omnis per ſe dolor in Chriſti corpore redundauit; vehementiſſimè ipſum corporaliter affligens. Fuit etiam ille dolor intenſior propter nobilitatem, & delicationem ſui virginei corporis, quod fuit nobilius omni alio nato de muliere; & ideo magis ſenſitiuum, & magis affligebatur ex prædicto dolore. Fuit autem acutiſſimus dolor in Chriſto ratione perſonæ, quia verus Deus erat. Vnde & omnis afflictio, & iniuria ſibi illata infinitam offenſam continebat: nam non ſolùm homini fiebat, imò etiam Deo vero, propter quod rationem dolendi infinitam habebat, & ineffabili dolebat de omni contumelia, & afflictione ſibi illata: & in his omnibus Saluator ipſe mundi Deus homo Chriſtus Ieſus cùm pateretur non comminabatur, nec maledicebat, nec ſe defendebat, nec ſe vindicabat, nec cùm accuſaretur ſe excuſabat, nec cùm in facie ſpueretur, ipſe non eam abſcondebat, nec cùm manus & brachia in cruce extenderetur, non ea retrahebat, nec cùm ad mortẽ quęreretur, non ſe abſcondebat, ſed totaliter, & omnimodè ſe tradidit voluntati eorum, vt per nequitiam eorum etiam ipſis noleotibus, & ingratis opus redemptionis miniſtraret. Immò quod eſt ineffabile cogitare in ipſo peſſimo opere Paſſionis, quod in eum innocentem exercebat. Ipſe exemplum patientiæ præbebat, veritatem eos docebat, pro eis cum lachrymis & fletu, & clamore intenſiſſimè Patrem orabat, & pro ipſo peccato eorum grandiſſimo pro quo omnis mundus, & humana natura perire

meritò

meritò debebat, tunc ipſe maiora beneficia præſtabat; vtpote quia ipſomet dolore, & paſſione quam ipſi miniſtrabaot, ipſe pro omnibus noſtris doloribus ſatisfecit, & tunc nos redemit, & portas paradiſi crucifixoribus, & omoibus aliis aperuit, & ſuo Patri reconciliauit, & gratioſos nos effecit, in tantum quòd filij Dei ſimus, omnino ſibi reconciliati in ipſo opere, quo damnabilis erat totus mundus, & omnis creatura pro eo, vſque creatura inuenta fuerit in ſuum creatorem tantam iniuriam intuliſſe. O pietas! ô immenſa miſericordia! ô inexcogitabilis benignitas, quòd vbi ſuperabundauit infinitas, iniquitas, ibi ſuperabundaret & gratia, talis ac tanta quæ verè finem non habet. Hoc myſterium totum fecit infinita illa benignitas, & miſericordia, vt nobis eſſet exemplum patientiæ in omni tribulatione, & aduerſitate, & non ſolùm inimicis mala non redderemus, imò etiam eis amore Redemptoris bona conferremus. Si enim aliquis Patriarcha, aut ſanctus Propheta, aut Angelus, aut alius ſanctus exemplum tale dediſſet, certè meritò acceptandum fuiſſet. Sed quòd ſapientia Dei infinita apparuerit inter nos incarnata, & veritas infallibilis, quæ decipi, nec decipere poteſt, nobis tale exemplum viuendi dederit, cum negligentia nullatenus eſt tranſeundum, ſed ſumma diligentia perfectiſſimè adimplendum. Scimus, audiuimus, tota die dicimus, & ſermocinamur Dei filium in doloribus, & talibus, ac tantis doloribus totam vitam peregiſſe; nec ſolùm caſu fortuito tribulationes contingentes eum patientia tolerauit, ſed ipſas qui peccatum non fecerat elegit; ſpontaneè aſſumpſit, ipſas quæſiuit, inuentas dilexit, & ſeipſis ſubiecit opere tolerando, & ſermone ipſas, & eas tolerantes eſſe Beatos prædicando, nec ipſas afflictiones corporis, & animæ propter Deum aſſumptas, aut cum patientia toleratas ſermone otioſo laudauit, & beatificauit, imò ipſas in corpore ſuo, & anima aſſumpſit, quales nullus alius ſuſtinuit, & ſe dicit per eas, & propter eas gloriam ſuam, & ſuum Regnum intraſſe. Et omnino aſſerunt nulla alia via, nullo alio modo quàm per dolores, & pœnas, & tribulationes gloriam æternam ab aliquo eſſe, poſſibile adipiſci; nam & hæc eſt verè via regia quam Deus aſſumpſit, & ſtolidiſſimus eſt, qui dubitat, vel negligit, poſtquam Dei filius creator noſter per eam init, quin ſequitur Dominum ſuum infallibilem ductorem, pariter & Redemptorem. Nouit enim ipſe, & verè nouit, & ſciebat quid boni lateret in doloribus, & tribulationibus; propterea ipſas aſſompſit, ipſas elegit, delectationes fugiendo, conſolationes temporales deteſtando, & deteſtabiles prædicando: & quidem priuſquam ipſe verus Deus & homo ipſas in ſeipſo elegiſſet, & aſſumpſiſſet, quamuis per ſanctos ſuos Prophetas hoc idem dudum oſtendiſſet; tamen aliqualiter excuſari poſſe viderentur tribulationes fugientes, & voluptates inſectantes. Scilicet ex quo Dei filius & tales, ac tantas elegit aduerſitates, & quis infœlix, & ſtultus erit talis, qui dubitare, vel negligere debeat poſt tantam veritatem tam clarè oſtenſam, tam altè prædicatam, & manifeſto opere à tanto Domino exemplatam, & exemplo mundo manifeſtatam? Verè nullus, niſi ſit ſtolidiſſimus, & omni damnatione dignus. Quali igitur damnatione, & confuſione digniſſimus nos miſerandi, qui caaſſiduè non ſolùm viliſſimi peccatores exiſtentes ipſas in pœnitentia non aſſumimus, nec recipere curamus; immò illas quas Deus ad retrahendum, & purgandum à malo nobis ex ſua ſumma miſericordia, & ſapientia immittit; aut venire permittit, illas cum impatientia refugimus, repellimus, & murmurando conquerimur, & contra eas cum ſummo ſtudio nos munimus, & conſolationes quærimus, & remedia, quibus à tribulationibus ſubleuemur. O infœlices, & verè miſeri, qui non ſolùm de afflictionibus & pœnis temporalibus, quæ remedia ſunt peccatorum, & curationes non curamus, immò à Medico oblata ſapientiſſimo refutamus. Si enim ſumma Dei ſapientia ordinante, & diſponente modicum frigoris occurrat, ſtatim ignis quæritur, veſtes ſuperduplicantur. Si æſtus, vel calor euenerit, refrigerium quæritur. Si caput, vel ſtomachum dolemus, clamamus, plangimus, ſuſpiramus, ad Medicos currimus, remedia quæruntur, lectus mollis diſponitur, delicata adhibentur, & vt mitigentur Deum, & Sanctos infeſtamus, & intentiſſimè flagitamus, & ieiunia, peregrinationes, orationes promittimus, & vouemus, & tanta, & talia facimus pro talibus doloribus, & afflictionibus nobis vtilibus, & adeò miniſtratis amouendis, quæ pro remiſſione peccatorum, vel pro bono animæ non faceremus. Si etiam Deo diſponente, & permittente, pro noſtra vtilitate ab aliquo homine aduerſitatem, aut iniuriam patiamur, ſtatim turbamur, commouemur, iraſcimur, conquerimur, malitioſum indicamus, maledicimus, detrahimus, & vt poſſumus nos vindicamus, & omnem iniuriam repellimus, & moleſtiam refugimus, & euitamus, nec aliquid doloris, vel afflictionis, vel aduerſitatis, quod nobis ab æterno, & cœleſti Medico adminiſtretur, cum patientia nec complacentia volumus tolerare. O quot, & quanta fuit, & facta ſunt, expenduntur, & expenſa ſunt, vt dolores, & afflictiones, & aduerſitates, quæ Deus miſericorditer aut immittit, aut permittit, vitarentur, quæ tamen proculdubio ſalubria eſſent, & magis meritoria; ſi vt quaſi ſpontaneè aſſumptæ, tolerarentur, quàm multæ aliæ afflictiones, & pœnitentiæ, quæ pro libito aſſumuntur; melius enim nouit cœleſtis Medicus, quæ afflictiones, & aduerſitates ad animam purgandam, erudiendam, & perficiendam requiruntur, quàm ipſe infirmus, & inſipiens homo. Tales enim afflictiones, & pœnitentiæ pro libito voluntaris quæſitæ, & aſſumptæ vanæ gloriæ vacant multum quandoque. Contingentes autem ex diſpoſitione diuina, & cum magna patientia, & complacentia acceptatæ, occultantur hominibus quaſi ex neceſſitate & coactione voluntatis tolerentur. Dico igitur, & conſulo filiis vt frigora, rigores, calores, æſtus, pulices, ſudores, caumata capitis, ſtomachi, & alios corporis dolores, ſalua eius conſiſtentia, toleremus, nec curioſi ſimus ad remedia quærenda, niſi in ſumma neceſſitate quæ omnino bonum animæ impediret. Idem dico, ſi Deo diſponente, aut permittente paupertates, amicorum mortes, oppreſſiones, perſecutiones, opprobria, verbera, rapinæ veniant, & contingant, non doleamus, imò non ſolùm cum patientia toleremus, ſed ipſas tanquam à Medico ſummo & noſtro Saluatore nobis electæ & adminiſtratæ amore eius, & pro noſtro ſummo bono cum magna compla-

centia

centia acceptemus, tanquam ſi à nobis ipſis ſpontaneè & voluntariè eſſent quæſitæ, & acceptæ, & tunc proculdubio tantùm, imò magis erunt meritoriæ, quàm ſi non alias contingentes nos ipſi pro libito voluntatis ad peragendum pœnitentiam acciperemus. O miſerabiles! quid amplius dicemus? qui non ſolùm dolores, & afflictiones, & aduerſitates nobis adeò ſapientiſſimè, & miſericorditer ſicut ipſe ſuſtinuit, nobis adminiſtratæ refugimus, imò ad contrarium nitimur: nam die & nocte voluptates, & dulcedines corporales inſequimur, conſolationes temporales ſummo ſtudio ac diligentia quærimus, & vana gaudia iugiter meditamur. Verè non eſt hæc via Dei hominis Ieſu Chriſti omnium Saluatoris; quomodo enim vadit ad illum, qui eſt via doloris, & exemplum: illa miſera anima, quæ in mundo iſto ſemper vult habere conſolationem. In veritate anima quæ ſapiens eſt, & quæ ſapienter vult viuere, non debet aliud in mundo iſto quærere, quàm dolorem. Immò ſi attendat ad dilectum ſuum Ieſum, & haberet ſcintillam amoris, non deberet quærere aliud lucrum, nec alium ſtatum in iſto mundo, niſi illum quem ipſe habuit, ſcilicet, doloris & anguſtiæ, & afflictionis, & hæc eſſet tota conſolatio eius. Et non ſolùm dico in iſtis terrenis, & temporalibus, & corporalibus rebus, imò etiam dico de ſpiritualibus; non enim in ſeruitio Dei debemus multum curare de conſolationibus quæ ibi inueniuntur. Nunquid enim Maria Mater IESV dilectiſſima videns dilectum filium ſuum in cruce plangentem, & morientem, petiuit tunc ab ipſo dulcedinem, nec conſolationem? Certè nequaquam. Sed anguſtiam ab eo accepit, amaritudinem, & dolorem. Ita debet eſſe in anima noſtra; ſignum enim eſt pauci amoris, imò eſt magnæ præſumptionis, ſi anima deſiderata à Chriſto in mundo iſto aliud ſentiret, quàm dolorem. Plus enim placet Deo ſeruitium pauperis qui ſeruit ſibi fideliter propter amorem ſine expenſis & beneficio, quàm diuitis, qui quolibet die facit expenſas magnas, & ſeruit ſibi ſub ſpe recipiendi ſpirituale beneficium. Ita anima pinguis, & diues ex magna dulcedine, quam deguſtat de Deo in ſeruitio ſuo, ſi currit ad eum per amorem, & ſeruit ſibi, non eſt tanti meriti, quanti eſt illa quæ currit ad Deum, & ſeruit ſibi, ſimiliter, & cum ſimili amore, ſine tamen conſolatione, ſed cum dolore. Igitur ita videtur mihi, quòd doceat me lumen diuinum, quòd venit de vita Chriſti, quæ eſt via eundi per dolorem ad Deum, & in Deum, quòd per viam per quam iuit caput noſtrum, ſcilicet Chriſtus Ieſus, per illam viam debeant ire manus, brachium, pes, & cætera membra. Et ſic inueniet anima finaliter per paupertatem temporalem, diuitias æternales, per deſpectum, & verecundiam, ſummum honorem, & magnitudinem gloriæ, & per modicam pœnitentiam perfectam cum pœna, & dolore, poſſidebit ſummum bonum cum ſumma dulcedine, & conſolatione, licèt anima debeat ipſi Deo ſeruire propter ipſum, quia eſt dignus in infinitum diligi; & quòd ſic cum ſumma reuerentia ſeruiatur aliqualiter creatura propter ſuam ſummam & altiſſimam bonitatem cui ſit honor, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Sit igitur gloria omnipotenti Deo cui complacuit nos, cùm nihil eſſemus ad eſſe producere, & ad ſuam ſimilitudinem nos creare. Sit honor, virtus, & gloria ſibi miſericordiſſimo, quia nos cùm eſſemus miſeri, captiui, exules, & damnati per paſſionem, dolorem, deſpectum, & paupertatem ſui filij, voluit nos redimere, & exaltare. Sed ſit gloria rurſus Deo benigniſſimo, & miſericordiſſimo, cui in tantum miſericordia & bonitas præualuit, vt nobis miſeris, & indignis, & peccatoribus vellet regnum ſuum quomodocumque dare; ita quòd qualitercumque à nobis poſſet adipiſci; ſcilicet adhuc ſit gloria & laus Deo noſtro dulciſſimo, cui ex ſua pietate complacuit, vt vellet nobis dare regnum ſuum, & ſui ſocietatem, & fruitionem mediante tribulatione, dolore, deſpectu ſolùm, & paupertate. Sic enim poſſemus habere ſuum regnum cum auro, argento, gemmis, diuitiis, fortitudine, ſapientia, viribus, cùm non omnes tales ſimus, vt iſta habeamus, non omnium poſſet eſſe Regnum cœlorum, nunc autem ſibi complacuit, vt per res, quæ ab hominibus, & faciliter omni tempore haberi poſſunt, & quibus abundare poſſumus, Regnum eius conſequeremur. Nullus enim eſt, qui ſi velit, non poſſit eſſe pauper propter Chriſtum, qui non poſſit laborare, aut pœnitentiam ſaltem corde, & deſpectum ſuſtinere: nam & vitam iſtam nullus tranſire ſine aliquo iſtorum poteſt, quæ ſaltem cùm contingunt, ſi propter Chriſtum patienter, & gratioſè tolerentur, Regnum Dei promerentur. Et adhuc ampliùs ſit Deus benedictus, qui in multa & longa tolerantia iſtorum poſuit pretium Regni ſui, ſed in breuiſſima huius vitæ duratione, quæ verè, vt momentum eſt æternitati ſui Regni comparata. Et certè ſi mille millibus annorū, aut longiſſimorum ſæculorum nos prædicta amore Dei, & tāti Regni tolerare hîc aſperrima, & duriſſima, & pretioſiſſima oporteret; verè cum immenſo gaudio, & deſiderio, & gratiarum actionibus vtique acceptam, dum iunctis manibus erat; quanto magis nunc vbi à Deo miſericordiſſimo nobis eſt conceſſum, & indultum, vt ſolùm, & tantùm in tanta breuitate vitæ noſtræ, quæ nunc eſt, prædicta ſuſtineremus. Vita enim hæc noſtra verè nihil eſt, ſi æternitati, & durationi ſui Regni, quæ ſine fine eſt, compenſetur. Sit adhuc glorioſus Deus noſter benedictus qui talem Regni ſui collocationem, & commutationem voluit nobis in ſua perſona apparendo viſibiliter in mundo iſto ſuo verbo promittere, & firmiter ſtabilire, & ſuo exemplo confirmare. De cætero enim nullatenus dubitandum eſt: quoniam per breues labores, & afflictiones, & pœnitentias huius breuis vitæ poſſumus, & oporteat nos Regnum ſuum obtinere; ex quo ipſe nobis immediatè hoc permiſit. Et quod eſt plus, ſuo exemplo confirmauit; tribulationes enim ipſe tolerare voluit, & non aliter quàm per tolerantiam doloris ſummi, & paupertatis, & deſpectus, Regnum ſuum voluit poſſidere. Venite igitur, venite, ô filij Dei, currite ad Chriſti crucem, ad dolorem, deſpectum, & paupertatem, & transformemini cum totis viribus in iſtum Deum hominem paſſionatum, qui tantum nos dilexit. O filij Dei, quod propter nos tam ignominioſam, & omnino ineffabiliter doloroſam mortem amariſſimè ſuſtinuit Chriſtus, & hoc ſolùm vt nos redimeret, & exemplum nobis dura tolerandi amore eius præberet: eſt enim perfectio, & ſignum verax filiorum, Deum amare,

te,& proximum;& quantum iſte Deus,& homo paſſionatus fideliſſimè, & puriſſimè nos dilexit, in nullo ſui miſeratus, ſed totum ſe ipſum impendens doloribus propter amorem noſtrum;ita iuxta poſſibilitatem à ſuis filiis legitimis omnino vult ſibi quodammodo reſponderi. Nunc ergo ô filij Dei ſcitote,quòd iſte Deus, & homo paſſionatus continuè mihi dicit, vt vos moneam, & exhorter, vt ipſi fideliſſimo ſitis fideles,& etiam ſitis proximo amore fideliſſimo vniti,& copulati. Omnino enim qui fidelis eſt Deo, fidelis eſt & proximo. Quomodo autem, & quantum iſte Deus,& homo paſſionatus puriſſimè, & fideliſſimè nos dilexit per ſuam conuerſationem, & per ſuam doctrinam, & per ſuam mortem nobis apertiſſimè demonſtrauit. Sed quoniam infideles ſumus,ideo eius pro nobis ortum pauperrimum, & deſpectiſſimum, nec eius mortem doloriſſimam,nec eius conuerſationem duriſſimam, nec eius doctrinam dulciſſimam,& veriſſimam,viuè, & continuè non videmus. Et quoniam hæc prædicta diuiniſſima,& ſaluberrima cordialiter non cernimus; propterea eius mors quamuis ſit pauperrima, humillima, deſpectiſſima, tamen non facit nos mortuos mundo, nec peccatis. Et quis eſt homo qui huic fidelitati fideliſſimæ, & diuitiſſimæ, quam nobis oſtendit Dei filius, etiam paruiſſima fide viua, & continua reſpondeat? Immò hoc quaſi non factum poſt tergum proiecimus. Venite igitur filij mei benedicti, & reſpicite iſtam crucem, & Chriſtum in ea pro noſtris iniquitatibus mortuum, mecum plangite, quia nos ſumus,& fuimus cauſa tanti doloris propter innumerabilia ſcelera noſtra;vos verò qui nõ ita ſicut ego,quæ tota ſum peccatum, Deum offendiſtis,non minus plangatis,nec doleatis,quia vos ipſi non reſtitiſtis peccatis, ſed gratia Dei vos conſeruauit, & defendit meritis crucis Chriſti; & ideo vobis ſanctis,& innocentibus non minus dolendum eſt in illo ſtatu,quàm mihi peccatrici, nec mei ſimilibus; quanto enim maiorem gratiam recepiſtis, tanto magis debitores ei eſtis; & ideo,quia ei grati non fuiſtis,vt debuiſtis,aliqualiter vitam veſtram maculaſtis, & aliqualiter puritatem amiſiſtis, & ideo omnibus eſt dolendum, omnibus plangendum, & in iſtam crucis mentis oculos erigendum. In iſto enim crucis aſpectu ad quem anima non niſi per orationem continuam poteſt attendere, vt dictum eſt, recipitur plenè cognitio peccatorum, & dolor, & contritio de eiſdem, & lumen profundè humilitatis: anima enim videndo in iſto crucis aſpectu omnia peccata ſua, & ſingula, & Chriſtum pro omnibus,& ſingulis peccatis ita paſſionatum, & afflictum, dolet ſimiliter & ipſa, & contriſtatur, & ex tali dolore ad puniendum, & reformandum ſe, & ſingula membra, & ſpiritus prouocatur. Reſpicite igitur filij Dei benedicti, & videte exemplar vitæ in iſto Deo homine paſſionato, & ex eo formam trahite diuinæ perfectionis. Reſpicite librum vitæ,ſcilicet vitam,& mortem iſtius Dei & hominis crucifixi, cuius paſſionis & crucis aſpectus dat animæ cognitionem peccatorum, & cordis contritionem, & profundam humilitatem. Videt etiam anima,& cognoſcit peccatorum multitudinem,& quomodo cum omnibus membris Deum offendit. Videt etiam ſuper ſe diuinæ miſerationis euiſcerationem ineffabilem, ſcilicet quomodo iſte Deus homo pro peccatis ſingulorum noſtrorum membrorum pœnam ſuſtinuit crudeliſſimam in membris ſingulis corporis ſui benedicti. Conſiderat itaque anima in iſta cruce quantum, & quomodo cum capite Deum offendit, ſcilicet, lauando, pectinando, vngendo, & cætera vana faciendo, vt hominibus placeret contra Deum. Et poſtea intuetur quomodo iſte Deus & homo pro peccatis huiuſmodi in ſuo capite pœnitentiam pro hoc fecerat, & pœnam grauem ſuſtinuit: nam pro lotura, pectinatura, vnctura, tortura ſuum ſanctiſſimum caput fuit capillis depilatum, ſpinea corona punctum, & perſonatum, arundine percuſſum, & totum ſuo pretioſo ſanguine cruentatum. Similiter videt de aliis membris, ſicut diximus in quadam viſione, quod ipſemet Deus, & homo in quadam allocutione, quaſi contra nos murmurando, & conquerendo deducit per omnia membra,& non ſolùm videt peccatorum multitudinem, ſed omnia membra, imò etiam eorum grauitatem. Infinita enim grauitas cuiuſlibet peccati manifeſta oſtenditur,cùm anima crucem aſpiciendo attendit, & cognoſcit,quòd aliter culpa illa deleri non potuerit, nec offenſa remitti,nec pœna,niſi Deus pœnitentiam talem & tantam pro hoc fecerit,quod eſt ineffabile cogitare. Videt etiam anima in hoc libro clarius, quàm in alio quocumque diuinam iuſtitiam, qualiter eſt impoſſibile, quòd peccatum remaneat impunitum. Et videt quòd Deus Pater ante voluit quòd filius ſuus mortis pœnam, & tormenta crucis ſuſtineret, quàm quòd peccata generis humani remanerent impunita. Videt etiam infinitam bonitatem, & pietatem Dei in iſto libro, qualiter in tantum nobis compaſſus eſt, vt cùm videret, quòd nos ſufficienter ſatisfacere non poteramus pro peccatis noſtris,nec alia creatura; ipſemet antequam remaneremus in damnatione & deſpectu, & dolore perpetuo, ipſe voluit pro nobis ſatisfacere. Videt enim ibi infinitam voluntatem Dei,& infinitam diligentiam, & curam quam habuit ad nos ſaluandum, & ad patriam noſtram reducendum,vt nihil fuerit ſibi graue facere vſque ad talem mortem; dum tamen poſſet nos iuſtè ponere in æterna iucunditate, & ſua fœliciſſima ſocietate. Videt etiam ibi infinitam ſapientiam,vt ſcilicet per modum ineffabilem, & incogitabilem omni creaturæ, ſic ſciuit facere,vt nos ſaluaret,& exaltaret per ſuam miſericordiam infinitam, nullam iniuriam ſuæ iuſtitiæ faciendo. Sic ſciuit nos exaltare, & ſaluare per mortem ſuam, vt in ſua natura diuina nihil minueret. Sic ſciuit facere, vt ſicut ſeductor,& homicida noſtri generis per lignum vetitum nos damnauit. Ipſe verus Deus vt homo in ligno conuinceretur,& nos ſaluaret. Sic ſciuit facere,vt dum mori,& deficere crederetur,ipſe tunc omnia viuificaret, & mortem omnium deſtrueret, & per tormenta, dolores, deſpectum, delitias, gaudia, gloriam toti mundo pararet, & mereretur ſempiternam gloriam. Sic ſciuit facere, vt per tormentum crucis, quod hominibus videtur res ſtultiſſima, totam mundi ſapientiam confunderet, & per talem iuſtitiam diuinam ſapientiam manifeſtaret. Omnia autem hæc manifeſtantur in cruce ſubtiliter conſideranti, mediante gratia Dei, & alia infinita quæ ſunt ineffabilia. Item videt ibi anima in iſto libro infinitam Dei manſuetu-

dinem, qualiter cùm interficeretur, non maledixit, nec ſe vindicauit, ſed per peccatum, & iniuriam grandiſſimam in eum commiſſam, ipſis committentibus, & crucifigentibus gloriam meruit ſempiternam. Videt etiam anima in cruce infinitam humilitatem Dei, quæ maior eſſe non poteſt, quàm Regem gloriæ mortem tam vilem tolerare. Videt qualiter tormentum crucis ſimul fuit, & ereptio, & redemptio de inferno, & paradiſi acquiſitio, Patris reconciliatio. Similiter etiam fuit noſtrum exemplum, & eruditio ad virtutem, firmamentum contra hoſtes, & pretium gaudij ſempiterni, quo nos miſeri poſſimus ſaluari, nec aliqua alia via eſt nobis poſſibilis vllo modo. Infinita autem ſunt quæ in hoc benedicto libro legi poſſunt, quia verus eſt liber vitæ, & veritatis ineffabilis Dominus noſter IESVS Chriſtus, Dei omnipotentis filius benedictus, cui honor ſit & gloria in ſæculorum ſæcula. Amen.

Hæc illa ſerua Dei. nunc quoniam id, in quo homines difficiliùs imitantur filium Dei, eſt fuga honorum, amor humilitatis, & gaudium de contemptione ſui, de hoc eſt inſtituenda peculiaris oratio.

DOCTRINA II.

DE FVGIENDIS honoribus.

Spirituales homines fugiunt videri hominibus illuſtres.

CAPVT XIII.

Iob 3. QVARE *miſero data eſt lux, & vita his qui in amaritudine animæ ſunt.* Profeſſio religioſa eſt ſtatus pœnitentiæ, congregatio flentium peccata, grex mortificatorum hominum, cohors imitantium Chriſtum, cœtus compatientium, & condolentium pro morte filij Dei in amaritudine animæ ſuæ, quibus dixit IESVS: *Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Quid igitur vero pœnitenti cum gaudio huius mundi? Quid lachrymanti ſæculi crimina cum proſperitate ſæculari? Quid humili cum honore? Quid mortuo cum luce, cum ſplendore, cum fœlicitate, cum vita huius ſæculi? Quid illi, qui in ſancta amaritudine animæ eſt cum lætitia mundana? Quid imitatori IESV cum Diaboli pompa, & dignitatibus, & faſtu hominum. Procul à nobis ſit velle lucere, qui lugere debemus; procul viuere huic mundo, & eminere in illo, qui mortui ſæculo ſumus, & conſepulti cum Chriſto. Procul appetitus mundani honoris, qui humilitatem filij Dei ſumus amplexati. Procul ſplendor & fulgor ſæcularis, qui miſeri iudicamur à ſæculo. Monſtrum profectò eſt profiteri imitationem IESV, & appetere honorem mundi; elegiſſe vitam abſconditam in Chriſto, & velle inter homines ſplendere, hoc eſt, quod vehementer diſſonat filiis Dei, & legitimis Diſcipulis Chriſti. Etenim licèt imperfectis, & tepidis abſurdum non videatur, imò rationi conſonum ſæpe putetur: at ij, qui verè imitatores Chriſti ſunt, grandem in hoc deformitatem formidant, & quaſi ſtupentes, & mirati dicunt illud ſancti Iob. *Quare miſero data eſt lux.* Nam, vt inquit ſanctus Gregorius, *Lux miſeris datur, quando hi* Lib. 5. Mor. cap. 2. *qui ſublimia contemplantes, eſſe ſe in hac peregrinatione miſeros agnoſcunt, claritatem tranſitoriæ proſperitatis accipiunt. Et cùm valde defleant, quia tardè ad patriam redeunt, tolerare inſuper honoris onera compelluntur. Amor eos æternorum conterit, & gloria de temporalibus arridet. Qui dum cogitant quæ ſint, quæ in infimis tenent, & quæ ſint quæ de ſublimibus non vident, quæ ſe in terra fulciunt; quæ autem de cœleſtibus perdiderunt, proſperitatis ſuæ mœrore mordentur: quia & ſi vident nequaquam ab ea ſe funditus opprimi, penſant tamen ſollicitè cogitationem ſuam in amore Domini, & in eius diſpenſatione partiri.* Hinc ipſe ſanctus Gregorius ſummum Pontificatus honorem fugit plus quàm peſtem. Hinc omnes eximij imitatores filij Dei omnia ſæculi delinimenta tanquam venena reiecerunt. Hinc ſanctus Ignatius Pater noſter non ſolùm validè obſeruauit omnem nobis dignitatum ſæcularium aditum, ſed humilitatem IESV ſtrictiſſimè commendauit, vt non ſolùm horreremus honores, ſed concupiſceremus humiliationem, appeteremus contemni, amaremus exprobrari, gauderemus vilipendi, exultaremus irriſi, & tanquam ſtulti habiti. Aurea profectò ſunt, & diuino ſpiritu plena, tranſcenduntque omnem humanam ſapientiam illa verba, quibus hoc commendans, ſcripſit ſententiam literis inſculpendam aureis religioſo cordi: *Diligenter*, inquit, *animaduertant* Reg. 11 ſum. *oportet (magnifaciendo, ſummique momenti id eſſe ducendo in conſpectu Creatoris, ac Domini noſtri) quantopere iuuet, ac conferat ad vitæ ſpiritualis profectum omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere, & concupiſcere totis viribus quidquid Chriſtus Dominus noſter amauit, & amplexus eſt. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi ſunt, ſequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores ſcilicet, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut mundus eos edocet: ſic, qui procedunt in ſpiritu, & seriò Chriſtum Dominum noſtrum ſequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria ſunt, indui nimirum eadem veſte, ac inſignibus Domini ſui pro ipſius amore, ac reuerentia: adeò, vt ſi ſine offenſione vlla diuinæ maieſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, & iniurias pati, ac ſtulti haberi, & exiſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eo quòd exoptant aſſimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem, ac Dominum noſtrum* IESVM *Chriſtum, eiuſque veſtibus, & inſignibus indui: quandoquidem illa ipſa propter maiorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobiſque exemplum dedit. vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia aſpirante, eum imitari, & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* Hactenus ille diuinus vir, qui omnem Euangelicæ doctrinæ medullam, & cœleſtem ſapientiam his paucis circumſcripſit verbis,

bis, quæ tametſi ſufficiant, vt non ſolum contemptum ipſius contemptus humani, ſed ardentem amorem humiliationis, totiuſque deſpectionis pro Chriſto nobis imprimant, cùm nihil aut neruoſiùs, aut feruidiùs, & commendatiùs dici poſſit. Colligam nihilominus aliquas rationes, quibus confirmem ſapientiſſimum hoc conſilium, quod muodaois videbitur delirium. Sed hoc ipſum nos ad mundi deſpectionem acriter excitare debet. Pudet profectò magnifacere paruipendentes virtutem; & iam ſiquidem mundus odit, & contemnit virtutem, noo ſatis vlciſcemur, non ſatis vindicabimus Deum, niſi ipſam oderimus, contemnamuſque muodum. Pudet auidiores ad malum, diligentioreſque mundanos eſſe, quàm Religioſos ad bonum. Proniores illos ad honorem inanem cum damoo & periculo ſuo, quàm hos ad humilitatem vtiliſſimam, multiſque gratiis, chariſmatibuſque ſancti Spiritus plenam cum imitatione Societateque I e s v. Humilibus ſiquidem dat gratiam, qui ſuperbis reſiſtit. Meritò propterea
Iacob. 4. dixit Apoſtolus Iacobus: *Amicitia huius mundi inimica eſt Dei.* Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur. An putaris, quia inaniter Scriptura dicat, *ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis; maiorem autem dat gratiam.* Quaſi zelotypia, & inuidia quadam affici Spiritus ſanctus videtur, cùm inimicos Dei ſtrenuiores videat, diligentioreſque ad mundi obſequia, quàm ſeruos Chriſti ad ſaluris ſuæ officia, & diuinæ gloriæ curam; maximè cùm Religioſi velut transfugæ ad inimicam Dei mundi amicitiam, eius honores ambiunt. Propterea dicitur Deus zelotes, & quaſi inuidere mundo, quòd tantopere à ſæcularibus ametur, cùm tam paoca & vilia donet illis, & in his paucis ſæpe fallat, & noceat: ipſe autem Deus, cùm maiorem gratiam det liberaliſſimus, & fidiſſimus nobis, minus ametur, minoriſque fiat.

Honores contemnendi, & dignitates fugiendæ propter imitationem Filij Dei.

Capvt XIV.

ET quidem potiſſima ratio eſt amor, & imitatio Chriſti Ieſu, vt non ſolùm honores contemnamus, non ſolùm formidemus, ſed auidè humiliatiooem appetamus, & lætemur in illa. Quam rationem quaſi præcipuam expreſſit noſter ſanctiſſimus Parens Ignatius, & ipſe quidem amore Ieſu plenus, lætatuſque eius ſimilitudine, opprobriis pariter & cootumeliis exultabat; ſicut de Apoſtolis dicitur, *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine I E S V contumeliam pati.* Et Apoſtolus Paulus de ſe ſcribit: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in angustijs pro Chriſto.* Potentiſſimus eſt amor I e s v, & efficax imitatio eius, vt condiat, ac ſuauefaciat omnia acerba, & amara. Verus enim amator, & imitator filij

Dei in nulla re gaudium, in nulla re voluptatem ſumit, niſi in imitatione eius, hoc eſt, in patientia, in ignominiis, in laboribus, in cruce. Crux illi delitium eſt, crux dulcedo, crux gaudium, crux omne bonum: gaudia autem mundana, & quidquid mundus magnifacit, per quod diſcedit à vita I e s v, & doctrina eius, crux illi eſt. Hinc eſt, quòd ſanctus Paulus, qui in laboribus, ignominiis, infirmitatibus, atque omni humiliate, & cruce I e s v gloriabatur, vt ſæpe in ſuis epiſtolis inculcat, ſe dixerit crucifixum eſſe mundo, & ſibi mundum, quia quæ mundus æſtimabat, ſibi crux, & pœna erant; ipſum autem iis rebus gaudere, & gloriari, quæ mundus moleſta putat, & tanquam cruces habet, & odit. In hoc voluit ſanctus Ignatius viros Apoſtolicos ſuæ familiæ imitatores fore Apoſtoli, ſicut & ipſe Chriſti imitator fuit. Idcirco præſcripſit arduam & perfectiſſimam conſtitutionem amandi propter Chriſtum contemptus, & opprobria; & quidem multi fuerunt huius præſcripti diligentiſſimi obſeruatores. Seruus Dei Frater Gineſius Cyprianus Zapata ſtudioſiſſimus huius regulæ fuit; adeò enim de omnium regularum obſeruantia ſolicitus erat, vt ferme data opera inepta aliqua diceret, quo ſtultus reputaretur, vt hanc regulam ſic exerceret, & ſummè onuſtus conuitiis gaudebat. Plura illi falſa impoſuerunt; ipſe autem nunquam excuſabatur, potiùs dicebat, impoſſibile eſt hunc virum ita de me locutum eſſe abſque certo fundamento. Quapropter in meis rationibus coram Deo ſuperabunt peccata mea lachrymas, & pœnitentiam meam.

Cæterùm ante Apoſtolos Præcurſor Domini non ſolùm honores fugit, omnia ſibi negans, & reſpuens authoritatis nomina Prophetæ, & Eliæ, cùm pluſquam Propheta eſſet, & ob zelum diuinæ gloriæ vocatus eſſet Elias in Scriptura ſancta, ſed de humiliatione ſua ſummè gaudebat. Cùm fama Chriſti Domini conuerteret ad ſe omnes, vt iam minus admirarentur, & ſequerentur ipſum Ioannem, tunc lætabatur ille quòd videret minoris ſe habere, dicens: *Hoc gaudium* Ioan 3.
meum impletum eſt, illum oportet creſcere, me autem minui.

Hæc eximia fidelitas eſt nobilis cauſa cur opprobria, contemptum, & humiliationem noſtram concupiſcere, & in ea collætari debeamus, quòd inde exaltetur gloria Chriſti, & honos diuinus. Nam ſi ſanctus Iuannes Baptiſta ſummum gaudium ducebat, transferri gloriam à ſe in Chriſtum, cùm minoris habebant omnes ipſum Ioannem, & pluris Chriſtum. Nos quoque hinc gaudere plus, & quaſi duplici titulo geſtire debemus in contemptu noſtro; tum quòd exinde Chriſtus glorificetur; tum, quia nos hanc gloriam Chriſto tribuimus gauiſi in ſimilitudine eius, & conformatione imaginis filij Dei. Vbi duplex hoc bonum, & cauſa gaudendi eſt, quòd tribuatur honos & gloria amanti noſtro I e s v, & quòd tribuatur à nobis. Sed quæret aliquis, quomodo ſit gloria Chriſti imitatio eius? Imò quomodo non erit gloria, cùm alioqui, ſi dici fas ſit, pudor, aut opprobrium videretur Redemptoris, ſi nullum aſſeclam ex redemptis haberet. Poſt tantam humilitatem filij Dei, poſtquam ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, poſtquam coarctatus fuit, donec baptizaretur ſanguine

proptio,& ignominioſiſſimo mortis genere, poſtquam tradidit iudicanti ſe iniuſtè, poſtquam ſaturatus fuit opprobriis, poſtquam fugit extolli in Regem, & non fugit extolli in crucem, tuoe infamem, poſtquam inter ſuos diſcipulos fuit tanquam miniſter, poſtquam doctrinam humilitatis toties tradidit. Nonne poſt tot diligentias filij Dei factis ſuis, & dictis, ſi nemo illum vellet audire, & imitari, recideret in iacturam gloriæ & nominis ſui, ſi nihil à nobis potuiſſet impetrare, nihilque effeciſſet? Quemadmodum enim ſi aliquis magnos ſumptus impendiſſet, plurimumque laboraſſet pro aliqua re, quæ in magni alicuius Regis obſequium exequi pollicitus fuiſſet: ſi poſtea nihil effeciſſet, nonne verecundum & propudioſum illi accideret. Cùm igitur Chriſtus tot fecerit, & tulerit, & dixerit pro gloria Dei, vt illum imitantes non offenderemus maieſtatem diuinam, ſi nihil obtinuiſſet, nullatenuſque illum imitaremur, iniurioſi profectò illi fuiſſemus, gloriæque ſuæ plurimum detraheremus, maximè cùm infinitè nos obſtrinxerit infinito redemptionis beneficio. Contrà verò multos habere imitatores quis dubitat, quin glorioſiſſimum illi fuerit? Imitemur ergo Chriſtum, qui ſemetipſum exinaniuit, & gloriam Deo, nunquam ſibi quæſiuit. Optimè B. Laurentius

Lib. de inſt. & Reg. Prel. cap. 12.

Iuſtinianus dixit. *Nuſquam reperies Dominum* I E S V M *glorificaſſe ſeipſum, ſed ſemper gloriam referre Patri, quamuis Patris honor & gloria ſit etiam filij, qui eſt coæternus, conſubſtantialis, & coæqualis ei, qui initialiter genuit illum. Pudeat itaque hominem, qui eſt terra & cinis, putredo & vermis, ſe extollere, & in præſenti ſæculo gloriam quærere, quum ille qui Deus eſt, in diebus carnis ſuæ quandiu cum hominibus conuerſatus eſt, omne humilitatis exemplum, voluntariumque honoris, ac mundi contemptum in habitu, in ſermone, in moribus, & in omni ſua conuerſatione exhibuit, vt ſuis daret formam virtutis, diſcerentque ab illo non appetere honoris altitudinem, quæ elatos deijcit in profundum abyſſi, ſed humilitatis viam, quæ vtique in futuro humiles exaltat in cœlis.* Denique non leniter nos mouere debet quantus honos apud Deum ſit contemni propter ipſum Deum à mundo, & quanta gloriæ vſura huic glorioſæ ignominiæ retribuatur. Audiamus quid

Iſai. 49.

dicit per Iſaiam. *Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum dominorum.* Ecce Chriſti elogium dici à Patre amantiſſimo animam contemptibilem, & ſuos Apoſtolos gentem abominatam à mundo, quo tamen titulo quippe glorioſiſſimo coram Deo & Angelis commendantur; velut enim in miſſiuis epiſtolis honorifici præſcribuntur tituli eorum ad quos mittuntur. Sic in hoc reſcripto Dei, & legatione ad Apoſtolos glorioſus contemptionis ſuæ titulus præmittitur. Deinde quid pollicitus eſt Deus animæ contemptibili, & genti abominatæ? *Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum.* Non minorem gloriam promiſit contemptibili animæ, & abominatæ genti, quàm reuerentiam, admirationem, & adorationem magnorum Principum.

Aliæ duæ cauſæ cur honores ſint ſeruis Dei fugiendi.

CAPVT XV.

ALTERA cauſa contemnendi honoris eſt, quia Deus ſolus dignus eſt honore; quare tota noſtra voluntas, & mens, & animus huc ferri, & hoc muniri debet, vt ſolum diuinum honorem cogitet, optet, ſollicitet; noſtri verò prorſus ſimus immemores. quare non vacat vllum ſibi honorem appetere, qui omnem Deo deſiderare, & quærere debet. Quamobrem meritò S. Laurentius Iuſtinianus concludit: *Non igitur licet nobis in hac peregrinatione honorem appetere, non licet* (inquam) *gloriam temporalem ambire, quum ſcriptum ſit, Regi autem ſæculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.* Si totus honor Deo tribuitur, cuius profectò eſt; quæ, oro, portio eiuſdem debetur homini. Beati in cœlo, tot licèt gratiæ & gloriæ dotibus præditi in nulla re ſuam quærunt gloriam, ſed ſolùm diuinam: nos miſeri, & miſerabiles, pauperes & nudi in hac lachrymarum valle, quomodo tam perditi, tam inuerecundi, tam perfidi, tam horrenda ingratitudine impij ſumus erga liberaliſſimum Dominum, vt eius honorem velimus vſurpare?

De inſt. & Reg. Prel. c. 12.
1. Tim. 1.

Tertia cauſa eſt, quia nos indigni vllo honore ſumus, imò omni humiliatione, contemptu, & irriſione digniſſimi, qui hoc conſiderat, ſeque noſcit, erubeſcit, & horret ad ſolam honoris vocem, & grande ſcelus, aut delirium putat de propria aliqua exaltatione cogitare; ſua potiùs contemptione gaudet, qui hanc ſibi ſolam deberi putat, & minus indecorùm ſe in mundo putat apparere, dum dedecus quod meretur tolerat, deformitatem ſuam minui cenſens cum decore iuſtitiæ, dum pœnam ſuſtinet ſibi conformem, tunc iam inter alias creaturas credit minus abominabilis haberi. Quid ergo fiet cùm hæ duæ rationes copulantur, quòd Deus ſolus omni honore dignus ſit, nos autem nullo digni ſimus, ſed contemptione, & irriſu? Quid ergo debet fieri cùm Dei maieſtatem ſimul & noſtram vilitatem cognoſcimus. Pulchrè hoc B. Laurentius Iuſtinianus expendit. *Neſcit Deum, & ſemetipſum prorſus ignorat, qui ante oculos hominum honorabilis apparere deſiderat. Vtique ſi ſciret Deum à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, qui vniuerſa quæ ſunt, fecit ex nihilo, cuius cuncta famulantur arbitrio, & quem Angelorum, Archangelorumque innumerabilis colit exercitus ipſi ſoli deferri concupiſceret, ipſumque corde venerando, & ore laudando timeret. Denique ſi ſemetipſum agnoſceret, profectò ſe humiliando deprimeret, neque præ ſui cordis confuſione oculos ad cœlum leuare præſumeret; quemadmodum publicanus ille Euangelicus, qui reatus ſui compunctione perterritus, pectus ſuum percutiendo, dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori. Non enim poteſt non gemere, neque honorem prætereuntem non fugere, qui propriæ infirmitatis eſt conſcius, propriæque conditionis eſt gnarus. Quomodo (quæſo) valet ſe continere à gemitu, qui mentis oculos in ſemetipſum reflectens videt ſe denſiſſimis ignorantiæ*

Vbi ſuprà.

uantia reuolutum in tenebris, diuerſarum cupiditatum irretitum vinculis, noxiarum cogitationum agitatum procellis, varijs tentationum perturbatum generibus, atque innumerabilem delictorum vinculis aſtrictum. Qua, inquam, ratione humana laudis gaudebit attolli fauoribus quiſquis conditionis ſuæ initium conſiderare ſtudet & finem? Sanè homo in peccatis natus de viliſſimo conceptus eſt ſemine, productuſque in lucem in huius peregrinationis calamitatibus plorando ſe intuetur aſtrictum.

Declinandi ſunt honores huius vitæ, ne futuræ præmium defraudent.

CAPVT XVI.

DEINDE efficax fugiendi honoris, appetendique contemptus cauſa eſt illa, quæ multos ſanctos, humiles, & timentes Deum, ſeruauit, ne in hac vita præmium ſuorum operum acciperent, pauidi ne in altera amitterent. Ttemunt ſerui Dei cùm legunt, aut audiunt id quod miſero illi diuiti epuloni renunciatum fuit: *Recepiſti bona in vita tua.* Hac ratione penè vnicè eſt vſus S. Baſilius, cùm Monachis commendauit totius honoris fugam. *Prorſus*, inquit, *ab omni ambitione alienum habere animum Monachus debet. Nam ſi in hac vita laboribus, ac rectè factis ſuis eſſe præmium vult, miſera profectò illius mercedis conditio eſt, qui pro æternarum rerum iactura, caducas paciſcatur. Si verò ſecum decreuit velle ſe in hac vita agones laborum perferre, & eorum mercedem in cœlo recipere, non modò honores vltrò ipſe conſectari non debet, ſed ne oblatos quidem admittere, potiuſque recuſare, atque reijcere, ne conſequentis vitæ gloriam, præſentis honor imminuat. Quandoquidem præſens vita vniuerſa laborum eſt, atque certaminum: contraque futura in præmijs, compenſationibuſque poſita eſt. Quemadmodum magnus Paulus de hac vita, in aliam proximè migraturus, ait: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, non hîc, ſed in illa die iuſtus iudex. Et item Saluator: in mundo hoc preſſuram habebitis. Et rurſum idem Apoſtolus: Per multas tribulationes oportet vos introire in Regnum cœlorum. Proinde ſi habes in animo in futurum regnare, hîc noli otium, noli honorem conſectari. Sed licèt in præſentia pro vera tuenda doctrina, nimirum veritatis aduerſa multa patiare, intellige te in poſterum regnaturum: nam ſuſceptis hîc pro tenenda honeſtate calamitatibus, hæc conſtituta eſt merces. Alienus autem ab incommodorum vitæ huius conflictatione, cœleſtes nolito coronas ſperare, quando hîc eos, quibus ea conſtituta ſunt, neque labores præmittis, neque certamina.* Et poſt pauca. *Athleta enim es, & operarius Chriſti: pactus es cum eo, totam te diem certaturum, & diei totius æſtum perlaturum. Quid igitur diei opere nondum completo, requiem conſectaris? Veſperam, vitæ huius finem operire, vt cùm paterfamilias venerit, mercedem tibi denumeret. Veſpere enim facto dixit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem: non meridie, aut initio poſtquam ſtatim illos conduxerat. Operire igitur finem vitæ, & tunc reuerſus mercedem auferto. Interim autem in poſtremo loco acquieſce, vt tunc primum adipiſcare.* Hæc Baſilius. Eadem quoque ratione vſus eſt ſanctus Gregorius ad formidinem honorum generandum in ſeruis Dei, cuius hæc pulchra philoſophia eſt: *Cùm valde occulta ſint iudicia diuina, cur in hac vita nonnunquam bonis ſit malè, & malis bene: tunc occultiora ſunt, cùm & bonis hîc bene eſt, & malis malè. Nam cùm bonis hîc malè eſt, & malis bene, hoc fortaſſe deprehenditur: quia & boni ſi qua deliquerunt, hîc recipiunt, vt ab æterna plenius damnatione liberentur: & mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hîc inueniunt, vt ad ſola in poſterum tormenta pertrahantur. Vnde & agenti in inferno diuiti dicitur: Memento fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. At cùm bonis hîc bene eſt, & malis malè, incertum valde eſt, vtrùm boni idcirco bona accipiant, vt prouocati ad aliquid melius creſcant, an iuſto, latentique iudicio hîc ſuorum operum remunerationem percipiant, vt à præmijs vitæ ſequentis inaneſcant. Et vtrùm malos idcirco aduerſa feriant, vt ab æternis ſupplicijs corrigendo defendant; an hîc eorum pœna incipiat, vt quandoque complenda eos ad vltima gehennæ tormenta perducat. Quia ergo inter diuina iudicia graui incertitudinis ſuæ caligine humana mens premitur: ſancti viri cùm ſibi ſuppetere proſpera huius mundi conſpiciunt, pauida ſuſpicione turbantur. Timent enim ne hîc laborum ſuorum fructus recipiant.*

Conſt. Monaſt. c. 25.

Conſt. Mon. cap. 25.

Lib 3 Mor. cap. 1.

Vtilis quoque eſt conſideratio illa diuinæ prouidentiæ, quæ familiaris fuit ſancto Regi Dauid, qui mala ab hominibus inflicta compenſanda ſperabat bonis à Deo largiendis. Ideo cùm à Semei proſcindebatur contumelioſis verbis, patientiſſimè, & credo lætè tulit, & ne quis ab eo vindictam ſumeret, præcepto prohibuit, dicens: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Nimirum, vt ſanctus Eucherius ait: *Verba contumelioſa non conuitia, ſed adiutoria credidit.* Sancti ſimiliter lætantur humiliatione, & abiectione ſua, ſperantes contemptionem temporalem repenſandam fore à benigniſſimo Domino bonis ſpiritualibus. Neque enim bonum temporale quærunt, quemadmodum expectabat Dauid ex contumeliis Semei. Sed ſpiritualia, & æterna ſemper ambiunt veri diſcipuli Ieſu. Contrà verò cùm aliquo honore, aut alio temporali bono felicitantur, timent valde, ne propter hoc præmium aliquorum bonorum operum defraudetur ſpiritualis ſuæ animæ profectus. Accedere poteſt alia vtilis conſideratio, ſi conferamus inſtantaneam ignominiam huius vitæ, & quàm contemptibiles Deo ſint contemptores aliorum, cum ſeueritate æternæ mercedis ab omnipotenti Domino reddendæ, hoc eſt, quod per Iſaiam loquitur. *Audite me qui ſcitis iuſtum, populus meus, lex mea in medio eorum, nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in generationes generationum.*

***

Quanta pericula honoribus & dignitatibus immineant.

Capvt XVII.

Alia cauſa prorſus huic contraria videtur, timor ſeruorum Dei, ne ob ſuam negligentiam à Deo puniantur, ſi habeantur honore. Habent hinc etiam quid formident: nam, vt ſanctus Gregorius ait, *Timent ne quòd diuina iuſtitia latens in eis vulnus aſpiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat.* Iterum ait. *Sicut intentionis noſtræ fortitudinem eius triſtia non premunt; ita hanc nec blanda corrumpunt. Sed quia hæc, bonorum mentem, etiam cum non ſubleuant, perturbant: ſancti viri, qui ſe in huius exilij ærumna miſeros cognoſcunt, clareſcere in eius proſperitate refugiũt.* Et quid magis timendum, quàm vulgatiſſima ſententia, veriſſima tamen, *honores mutant mores,* quandoquidem quælibet huius vitæ proſperitas, hoc periculoſum virus habet, vt plerumque bonis ſit infeſta moribus. Neque enim in honore, & exaltatione ſolùm eſt proximum periculum ſuperbiendi, aut inaniter gloriandi ſe, verùm etiam reliquarum omnium virtutum miſerum diſcrimen. Quapropter mundanus honos, quoad poſſimus, recuſandus eſt. Omnino tamen non appetendus; grandius ſiquidem malum eſt illum quærere, quàm habere; licèt enim in poſſeſſione honoris ſolum ſit periculum: at in inquiſitione, & appetitu illius non ſolùm eſt anceps periculum, ſed certum detrimentum; quod rectè conſiderans Magnus Baſilius dixit. *Qui autem ab eo, nimirum à deſiderio honoris captiui tenentur, eos inuidos, contentioſos, inſimulatores, impudentes, calumniatores, aſſentatores, veteratores, humiles, vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, ſexcentis denique alijs huiuſcemodi turbis refertos exiſtere neceſſe eſt. Etenim, qui eſt eiuſmodi, is idoneis inuidet, ac palam traducit. Quin erit ſæpenumero, cum illorum etiam interitum exoptabit, quo videlicet ſublatis de medio qui tales ſunt, in deferendis muneribus neceſſario ſuffragia ad ipſum deueniant, atque ex hoc etiam aliud ſequitur, quod ijs, penes quos illa deferendi poteſtas erit, adulabitur, atque ita multa illiberaliter, ac ſeruiliter aget: aduersùs inferiores verò, ſi aduerſentur, ſuperbè ac præfidenter ſe geret. Itaque dolos cenſuens cum machinabitur, perturbationeſque innumerabiles, ac ſuſpiciones ſibi accerſet, à ſeque animi tranquillitatem fugabit, & Deus pacis expelletur, vtpote cui locus in eo non ſit, vbi acquieſcat. Cognito igitur nos detrimento, à ratione abhorrentem iſtiuſmodi cupiditatem fugiamus.*

Lib. 5. Mor. cap. 1. 22.

Conſt. Mon. cap. 10.

Deinde periculum magnum eſt propriæ animæ in eo qui alios curaturus eſt, in quo profectò excedit honoris onus; *cæteris* quippe *negotijs*, vt ſanctus Laurentius Iuſtinianus ait, *magis periculoſum eſt regimen animarum, atque ad illud, prout oportet, miniſtrandum difficillimè quiſque reperitur idoneus. Verùm ſi quis pro ſeipſo rationem reddere nequaquam ſufficit, quanto minus pro ſe, ſibique commiſſis. Omnes (inquit Apoſtolus) ſtabimus ante tribunal Chriſti, reddituri procul dubio rationem de collatis muneribus, omiſſis bonis, perpetratis criminibus, & de miniſterio credito. Cæterùm ad hoc quis ſufficiens eſt, quis ſecurus, quis redargutione reperitur immunis? Iudicium durißimum (inquit Sapiens) fiet ijs, qui præſunt. Nempe ſi hæc homines conſiderarent, minimè ambirent præeſſe, neque Eccleſiaſticæ dignitatis cathedram tanto cum ſtudio quæritarent.* Et poſtea. *Huiuſmodi propria affectione ſeducti, ignorantes propria vulnera, dicunt ſe velle aliena curare: in interiori quidem cordis cubiculo ægroti iacent, & curare quærunt extraneos. Medere quæſo, qui talis es, vlcera tua, exterge cordis tui ſcaturientem ſaniem, tumiſcentem cogitationem, & fœtens coram Deo deſiderium principandi, vt tu ſanatus valeas languentibus, teſte experientia, ſpiritualem præbere medicinam. Alioquin dictum contra te eſſe cenſebitur, quod ſcriptum eſt: Medice cura te ipſum. Quamobrem noli altum ſapere, ſed depone æſtimationem tui, & ne audeas præſumere te alijs ſufficienter poſſe præſidendo mandare. Equidem clamat aduerſum te ignorantia tua, dum hæc arbitraris de te, quod nequaquam licet tibi. Non licet, inquam, tibi concupiſcere præpoſituram, non congruit teſtante magiſtro de cælis, deſiderare cathedras in ſynagogis, ſalutationes in foro, primos accubitus in conuiuijs, prælationes in Eccleſia, & vocari ab hominibus Rabbi. Sunt namque hæc quædam fomenta ſuperbiæ, & imprudentes facillimè ad caſum quædam impellentia.*

De inſt. & Reg. Prælat. cap. 1.

Humilitas autem ſecura eſt, optima fidei baſis, reliquarumque virtutum theſaurus, vt Baſilius dixit. *Humiliatio autem via ad cælum tuta; quapropter omnis nobis honorum inclinatio, imò cogitatio euellenda eſt.* Audiamus iterum eundem Patrem, ad ſecuritatem humilium exhortantem. *Quamobrem his eruditionibus informati pugnam debemus viriliter aſſumere contra nos, maximamque cogitationibus noſtris adhibere cuſtodiam, ne nos inaniter trahant ſupra nos. Quoties enim immiſſiones præſidendi nobis fiunt per Angelos malos, vel ſuaſiones fiunt per homines bonos, aut ex concupiſcentia carnis, & vita huius immoderata affectione, cogitationes in nobis formantur, ad propria recurramus infirmitatis examen, ad pauendumque extremæ animaduerſionis iudicium, & omnino deſiderium fugabitur dominandi; in illo quippe die nequaquam erit ſecurior, qui fuerit potentior, ſiue maior eris, qui fuerit honoratior, quin potius, qui extiterit corde humilior, rebus ſponte pauperior, conuerſatione ſanctior, & hominibus contemptibilior, ille prorſus erit in conuentu iuſtorum ſublimior, iudicanti Domino propinquior, gloria cæleſtis candore ſplendidior, atque diuinæ fruitionis contemplatione beatior. In hac quippe peregrinatione via tutiſſima, per quam ad patriam ſupernam pergitur, eſt humilitas, cognitio ſui, atque contemptus. Per hanc quicumque incedit, occaſiones peccandi, atque Diaboli effugit laqueos, qui ab aduerſario ex impetrandi ambitione parantur. Nempe qui in vno eſt poſitus loco, quamuis impellatur, tametſi in lubrico pedem ponens labatur, funditus perire non valet, dicente Propheta: Humilis cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam: at verò qui in altum conſcendit, etiam nullo impingente, ſi lapſus fuerit, conteretur. Pacatiſſimus ergo, atque ſecurus eſt humilitatis locus, quoniam habitatorem ſuum à caſu protegit, diſponit ad gratiam, & quanquam in præſidentiæ ſublimitate conſtitutum*

Inſt. Reg. Prælat. cap. 1.

prorſus

prorſus periclitari non ſinit. Quam ob rem quicūque humilitatis celſitudinem adipiſci deſiderat, prælationis fugiat cathedram, & ambitionem imperandi corde perhorreſcat, Prælatorumque conuerſationem pro poſſe, non condemnando, declinet, quatenus in iudicio humilis Domini ſecurus appareat. Latiſſimo quippe ſinu charitatis imitatorem ſuſcipit ſuum, honoris inſulas aſpernantem. Porrò humilitatis magiſter & forma, Dominus videlicet Ieſus ſciens humanam infirmitatem ignorantiæ caligine obuolutam, ſemper alta cupere, & potiùs præeſſe, quàm ſubeſſe ambire, ſeruis ſuis ac fidelibus vniuerſis indicauit, quàm periculoſum ſit, Principum regimen, quamque Prælatorum onus graue. Nam irruentibus turbis, & vt ipſum ſibi in Regem præficerent, ad ſe venientibus delitescendo fugit, ſeque ab eorum aſpectibus occultauit, non quidem vt honoris propter ſe magiſtratum formidaret, ſed vt in illo diſcerent cæteri quanta ſit in prælatione anxietas, quàm laborioſum pondus, quantumve periculum manifeſtum.

Aliæ rationes cur honores declinandi ſint.

Capvt XVIII.

PRæterea quamuis omnia tuta, & ſine periculo ſalutis eſſent, illud ſaltem damnum in honoribus deeſſe nequit, quod nos diſtrahant, & quaſi in multa diripiant, ne vnicè & omnino noſtro vacemus profectui. Vnde ſanctus Gregorius dicit de ſeruis Dei. *Cum verò taciti cogitant, quòd nec bona agunt, niſi vt ſoli Domino placeant, nec in ipſa affluentia ſuæ proſperitatis exultant: minus quidem de proſperis occulta contra ſe iudicia metuunt, ſed tamen eadem proſpera, quia ſe ab intima intentione præpediunt: ægrè ferunt, & moleſtè præſentis vitæ blandimenta tolerant, quia per hæc ſe vtcumque tardari in interno deſiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor, quàm deſpectio occupat: & magis proſperitatis ſublimitas, quam neceſſitatis aduerſitas grauat. Per hanc namque nonnunquam cùm homo exterius premitur ad concupiſcenda quæ intus ſunt, liberiùs relaxatur. Per illam verò animus dum multis parere cogitur, à deſiderij ſui curſu retinetur: vnde fit, vt ſancti viri magis in hoc mundo proſpera, quàm aduerſa formident. Sciunt namque, quia mens, dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora deriuatur. Sciunt, quia ſæpe ſic hanc clandeſtina cogitatio decipit, vt quomodo permutetur, ignoret. Penſant autem, quæ ſint interna bona quæ cupiunt, & cognoſcunt, quàm nihil ſit omne quod blandum, ac temporaliter arridet: cunctaque huius mundi proſpera mens eorum eò ægrè tolerat, quò ſuperna fœlicitatis eſt amore ſauciata: tantoque magis in præſentis dulcedinis aſpernatione erigitur, quanto hanc conſpicit, quia furtinè ſibi interna gloria deſpectu blanditur.* (*Lib. 5. Mor. cap. 1.*)

Cæterùm & ratio valde conſideranda eſt, vt honorationem non appetamus, non ſolum damnum, quod eſt in ipſa poſſeſſione honoris, ſed in deſiderio, & appetitu, & quæſitione illius, in qua non rarò non minus periculum fuit, quàm fidei; etenim non ſolum eſt damnum illud perfidiæ erga Deum, generalis omnibus peccatis mortalibus, per quæ dicimur perduelles Deo, quod tamen ſpecialiter in acquiſitione gloriæ accidit, in qua magis fidi Deo debemus exhiberi, cùm in ea peccantes, non ſolùm lethaliter, ſed venialiter, dici poſſimus infidi honori diuino. Sed eſt periculum veræ infidelitatis, & incredulitatis. Vtrumque hoc diſcrimen ſignificauit B. Laurentius Iuſtinianus, dum dixit: *Fures, & latrones ex miniſterio ſibi iniuncto gloriam propriam ex eodem vendicare conantur. Verùm maximè infidelitatis indicium eſt in hoc ærumnoſæ peregrinationis decurſu de quotidianis laboribus, ſpreta Dei gloria, laudes expectare humanas, quum ſcriptum ſit: Deus diſſipabit omnia oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Nempe qui huiuſmodi errore ducuntur, à fide alieni eſſe arbitrandi ſunt, quemadmodum Dominus Ieſus Phariſæis proteſtatus eſt. Quomodo (inquit) poteſtis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Non enim ſimul conuenire poteſt, vt quis honorem Dei, & ſui quærat. Sibi hæc omnino aduerſantur.* (*De Regimine Prælat. c. 12.*) Hinc ſanctus Baſilius meritò appellauit *appetitum honoris, ægritudinem animi acrociſſimam.* (*Conſt. Mon. c. 10.*) Neque enim ſolùm multas culpas præſefert ambitus honorum, ſed pœnas, & anxietates. Egregiè Petrus Bleſenſis ait de huiuſmodi honores poſtulantibus, & appetentibus, *ſe laboribus torquent, cruciant, curis expanſis euiſcerant: nonne figuram araneæ gerunt, qui de ſuis viſceribus telam texit, vt capiat muſcam viliſſimam? Quid eſt inanis gloria quam venantur, niſi muſca viliſſima, murmuroſa, ſordida, pungitiua.* (*Epiſt. 14.*) Nec enim temporalis deeſt ratio effugiendi honores, cùm multos labores, & curas appendices habeant. Nam, vt inquit ſanctus Laurentius Iuſtinianus: *Non* enim, *Cathedra Paſtoralis officium eſt honoris, ſed oneris, non ſecuritatis, ſed periculi, non quietis, ſed laboris.* (*De inſt. & Reg. Prælat. c. 12.*) Et alibi: *Supra modum laborioſum eſt prælationis pondus, atque intolerabile.* (*cap. 1.*)

Quomodo ij qui volunt honorari, humilientur?

Capvt XIX.

DEniqve & propter ipſum honorem omnis reſpuendus bonos erat, atque humiliatio ſincerè procuranda; nam iuxta dictum Saluatoris, *qui ſe humiliat, exaltabitur*, quod rectè conſiderans ſanctus Baſilius monet: *Caueat igitur omni ratione pietatis cultor, ne honores conſectetur, cæteriſve ſe præponi velit. Omnis enim qui ſe ipſum exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Si ſemetipſum pietatis cultor in altum extulerit, habet qui grauiter ac potenter illum affligat, & ad inferos vſque poſſit deprimere. Sin contra ſe ipſum humiliauerit, ſplendidiſſimè, magnificentiſſiméque extolletur: quippe cùm Deus (quæ ipſius potentia eſt) humiliantem ſe in altum extollat. Expectato igitur rectè extollentem, ô Monache, neque ad res vitæ huius cogitationem velis abijcere. Exemplum habemus Angeli illius ſuperbi,* (*Conſt. Monaſt. c. 25.*)

ſuperbi, qui dum exaltari voluit, humiliatus ad inferos eſt. Quod alibi idem Baſilius ſic proponit. *Inter fratres principatum nullo modo appetere Monachus debet. Siquidem Diabolica iſta peſtis eſt, & libidinis dominandi labes, quæ res inſigne eſt primæ illius Diaboli prauitatis indicium. Etenim ex hac ille quoque imperandi libidine præceps inſigni illo ſuperbiæ lapſu corruit. Et ſine dubio, qui in huius vitij poteſtate eſt, is eodem planè cum Diabolo malo laborat.* Meritò Habacuc prædixit Chaldæo Regi, *Repletus es ignominia pro gloria. Bibe tu quoque, & conſopire: circundabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Sed & quaſi naturaliter abſque diuinæ inſtitiæ extraordinario conſilio, hoc ipſo quòd honori & glotiæ tuæ inuigilas in contemptum omnium venies, talia enim faciunt ambitioſi pro futilis acquiſitione honoris, tam indigna, tam pudenda, tam ridenda, tam ſtulta, tam furioſa, tam inconſulta omnia, vt omnibus ſint riſui, & fiant contemptui.

Contrà autem, quis venerabilior habetur? Quis honoratior, quàm contemptor honorum? hunc mirantur homines, hunc amant: mirantur, quia vident ſibi ſuperiorem ea contemnentem, quæ ipſi adorant; amant autem, quia putant ſibi locum dediſſe, nullumque ab illo timent ambitionis ſuæ impedimentum, hoc eſt, vnum minus æmulum habere credunt, nolentem, quæ ipſi amant, & ideo ſua non impediturum vota.

Reuelatio facta cuidam ſanctæ animæ de fugiendis præſidendi muneribus.

CAPVT XX.

QVæ hactenus diximus placet comprobare cœleſti admonitione. Quædam anima ſerua, & ſponſa Chriſti Franciſcani Ordinis, ſanctimonia, miraculis, & cœleſtibus viſitationibus perilluſtris, cùm à Domino poſtularet, an cuidam Religioſo expediret honorificis prælationum officiis ſe miſcere. Hæc diuinitus oracula accepit. Mea voluntas eſt, ne ſeruus meus vllum ambiat officium, imò nec vllam eius habendi voluntatem ſignificet, nec vllam cogitationem toleret, aut deſiderium; ſi tamen obedientia maiorum, diſpoſitioque ſuperiorum ad aliquod officium eum adegerit, pareat iubenti; & vt obligationi ſuæ ſatisfaciat, me in oratione conſulat, ego illi lumen impertiam, aderoque cum gratia mea, vt in omnibus ſciat meam exequi voluntatem. Ne pro amicis meis officia hæc à me petatis. Petite potiùs gratiam & miſericordiam; pauci habent officia ex voluntate mea, pauci propter illa ſalui fiunt, & multi Sanctorum, qui ea habuerunt, non proinde plus ſancti fuerunt. Inuidus Dæmon boni illius, quod amici mei poſſident, cùm officiis carent, ſolicitat qui ad officia aſſumat illos, & nonnunquam mediis, quæ ſanctitudinis ſpeciem præſeferant. Multæ quippe fraudes in hoc poſſunt accidere. Dicunt à me in officiis collocatos, quod minimè ita eſt; imò potius meos ab hac occupatione remoueo propter eius ingens periculum. Plus enim placet mihi in angulo domus poſſidere eos, tanquam meos, quàm ſi miracula patraſſent, vbi cupiditas propria illos conſtituit. Relinquite vos, vt à me ducamini, ego enim dabo vobis quod magis expediat; quandocumque enim voluero, facillimè corda moueo, vt ibi vos ſtatuam, vbi vobis magis expediet abſque veſtris diligentiis. Imò quanto magis obliti, & negligentes vos metipſos fueritis, tanto magis memor, & ſolicitus ero. Vtilitatis veſtræ & Eccleſiæ meæ illos qui mei ſunt humiliare ſoleo, abigens illos ab officiis quæ appetunt; nec enim attendo eorum inclinationi, ſed deſiderio, & vtilitati, vt integrè mei ſint. Memores eſtote, & grati filio meo, quoniam humilio vos; qui autem largiri cupit quod plus eſt, nequaquam vult auferre quod minus eſt, cùm vobis expedierit. Multis quia probi ſunt, conferuntur officia, quibus carere, & caruiſſe præſtaret illis, magnum quippe peruigilium eſt, neceſſarium regendis animabus. Sæpe permitto malos præeſſe aliis, iiſdemque munia conferri, ſiue vt hoc pacto remunerem paruula eorum obſequia, ſiue ne deſperatione tententur, ſi ſemper ſe deſpectos derelictoſque videant, ſiue vt illos occupem in rebus terreſtribus, & mei filij expediti, & liberi ſint, vt orationi vacent, ſuoque profectui & ſaluti inſiſtant, ſiue vt ij ipſi mali, qui officia, gubernaculaque poſſident, exerceant, humiliant, & purificent eos qui mei ſunt, ſiue vt filij mei agnoſcant quantum bonum ipſis prouiſerim, & quot culpis illos liberauerim, dum ſine officiorum onere illos conſeruauerim. Quæ officia multos, qui antea videbantur, ſenſati vanitate ſua infatuarunt. His officiis multi annectuntur labores, vituperia, inhonorationes, curæ, multaque alia onera, è quibus omnibus eripio ego meos, amouens illos ab officiis. Vnicum dumtaxat munus volo, vt mens occupet, imitari ſcilicet filium meum IESVM Chriſtum in vita & morte. Et ego prouidebo quidquid illis vtile, & ſalutare erit. Confidant de me qui ſum Pater omnia potens, & ex corde diligo illos, atque præſtabo eis officia, & quidquid ſpiritualiter, & temporaliter ſalutarius erit. Sufficiens bellum habent filij mei in cellis ſuis cum carne ſua, & dæmone abſque eo quòd voluntate ſua in mundi diſcrimina ſe immergant per gubernandi curam.

Docta quoque cœlitus illa fœmina Prælatum ſui Ordinis ob geſtam præfecturam damnatum, exclamauit. Proh! quot in tartara detruſit hæc præſidendi paſſio. Quàm immenſa cæcitas. Quanta Dei miſericordia eſt, cùm per ſanctam ſuam voluntatem, & per intercedentes creaturas officia ab aliquo ſemouet, priuans appetitum ſua ſuperficiali dulcedine, vt vtiliora tribuat. Quis hanc veritatem cæcis hominibus intimaret, quoniam qui ſanctiſſimus eſt, & prudentiſſimus, quique rectam intentionem habet, nec ambiuit munus, ſatis negotij habet conſtitutus in aliquo officio, vt abſque conſcientiæ detrimento gubernacula adminiſtret. Deus protegat nos, atque eneruet, ac debilitet hanc peſſimam ambitionis feram, & omnem tollat cupiditatem iubendi, & excellendi in mundo.

Honores

Honores & Prælaturas non, niſi cogat obedientia, admitti oportet.

Capvt XXI.

Honores igitur ſic vitandi ſunt, vt niſi obedientia violenti non admittamus, adeò procul ab eorum appetitione oportet eſſe; nec erit obedientiæ macula, in ijs, dum licet, detrectandis diſſentiri imperanti; nam, vt rectè admonuit eximius ſpiritualis vitæ magiſter Gerardus Zeephanienſis: *Debitè ordinata voluntas, in multis aliter vult, & velle debet ex ſuo, aliter ex aliorum imperio, vel forſitan bonorum conſilio. Atque aliter reformatur voluntas reſpectu ſui, aliter reſpectu ſuperioris. Siquidem ratione voluntatis bene ordinata, & reformata exiſtit, vt ſemper ſibi velit vacare, vitare tumultus, nonnunquam tamen ſuperioris imperio cogitur inuita exterioribus officijs deſeruire.* Breuiter autem ſicut ad præſens occurrit, ſpecialiter ſunt duo, in quibus ordinata voluntas ſemper ex ſuo vult aliud, & aliud ex aliorum imperio, vel forſitan conſilio. Sunt autem hæc duo, exterior occupatio in tumultu, & gubernatio aliorum, ſiue locus ſuperior. Hæc enim duo, voluntas ordinata ex ſuo ſemper debet refugere, ac etiam cùm cogitur, debet ea non ex deſiderij libidine ſuſcipere, ſed potiùs propter onus charitatis tolerare. Nam humilis obedientia in omnibus iniunctis fideliter, & humiliter eſt implenda, & ſemper obedientia exercitiis propriis eſt anteponenda. Super his ſunt innumera dicta Sanctorum. De exteriori enim occupatione dicit Bernardus: *Abſit, abſit, vt qui Deo vacat, ad tumultuoſam aſpiret fratrum officialium vitam. Martha ſemper inſufficiens ſibi, & minus idonea videatur, alijſque magis id operis quod adminiſtrat, optet imponi.* Item de his duobus loquitur Auguſtinus decimonono de ciuitate Dei, vbi ait: *A ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi teneatur atque adminiſtretur, vt deceat, indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit necesſitas charitatis, quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipienda atque intuenda vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem.* Hæc Auguſtinus. Idem aſſerit Gregorius ſæpiſſimè in libris Moralium. Idem dicit ſanctus Thomas. Nemo ergo ſua voluntate ſibi debet aſſumere honorem, niſi qui vocatur à Deo vt Aaron, nemo ad exteriores tumultus, niſi coactus aſpirare. Sed ſunt nonnulli qui in ſpiritualibus tædio Chriſti, exteriora miniſtrare tota voluntate cupiunt, & à ſuperioribus ſuis importunitatibus licentiam acquirunt. Alij verò ſuperbia ſuperati, nec contenti in humili ſtatu, ſimiliter cogunt ſuperiores ſuos moleſtiis, vt conſentiant, quòd ad altiora conſcendant, & grauiùs inde ruant, qui tamen in eo ſe credunt immunes à peccato, eo quòd habeant licentiam ſuperioris, ſed decipiunt miſeri ſeipſos. nam Deus non irridetur. Nam, vt ait deuotus Anſelmus in libro ſuo de ſimilitudinibus, *Licentia quidem opus, ſeu factum excuſat, non autem voluntatem.* Non igitur excuſat tuam voluntatem, qua tantum ad alta anhelas, ad ſuperiora aſpiras aſcendere, quòd habes ſuperioris licentiam, imò etiam ſi ſine moleſtia, vel importunitate tua te promouerit, tu autem lætus, & voluntarius libenter aſſumis locum ſuperiorem, non excuſaris. Nam *obedientia*, ſecundùm Auguſtinum, *quantum in proſperis habet de ſuo, in tantum hominem non excuſat, ſed ipſa libido voluntatis obedientiam annihilat. Eſau benedictionem perdidit dum foras tanquam ad tumultum egreſſus eſſet, quamuis licentia ſui patris Iſaque quantum ad hæc duo, tunc voluntas eſt ordinata, cùm hoc de proprio quantum in ſe eſt, totis viribus refugit. Sed ſi cogat neceſſitas, obedientia tractus ſuſcipit. Ita ergo in omnibus eſto prompta voluntate ſubiectus, vt tamen quantum in te eſt, non ſepareris à Rachelis amplexibus, nec periculosè inuoluaris mundi tumultibus, vbi flant varij venti tentationum.*

Cap. 37. de refor. vir. animæ.

1. 2. q. 185.

Quiſque ſibi in humilitate attendere debet, ex B. Iſaia Abbate.

Capvt XXII.

Præstat prorſus attendere ſibi Religioſum, quàm diſtrahi honoribus cum diſcrimine ſalutis, quam in deſertione mundi, & humilitate Chriſti quæſiuit; nec conſultum eſt ſe rurſus immergere tumultui rerum humanarum. Attendat ſibi, attendat filio Dei, qui eligendus Rex diffugit, qui mitis fuit, & humilis corde, qui non tantùm elegit humilitatem, ſed humiliationem. Igitur *Religioſe attende tibi diligenter*, inquit B. Iſaias Abbas, *& magna cum fiducia conſidera, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cùm Deus eſſet, & ineffabilem haberet gloriam & maieſtatem, hominem pro nobis eſſe factum, ſeque nobis exemplum propoſuiſſe, vt ſequamur veſtigia eius. Formam enim ſerui accipiens, vehementer, atque incredibili modo humiliauit ſemetipſum, & pauper effectus eſt, multarumque ignominias, & contumelias pertulit: & quemadmodum ſcriptum eſt, tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum, in humilitate eius iudicium ſublatum eſt, & mortem turpiſſimam pro nobis ſubijt. Quamobrem & nos propter mandatum eius, & pro peccatis noſtris, patienti, atque æquo animo ferre debemus, ſi quis nos vel iure, vel iniuria lædit, aut afficit contumelia. Si quis ad mortem vſque perſequitur, tanquam oues nos geramus, non reſiſtentes, nec contradicentes, ſed potiùs cum ſilentio, & humilitate pro inimicis orantes. Attende tibi diligenter, & magnum lucrum exiſtima, ſalutemque animæ tuæ in eo ſitam arbitrare, ſi contumelias & ignominias, & oppugnationes propter Dominum patienter feras. Illud cogita, te multo grauiora mereri ſupplicia propter peccata tua. Et beneficij loco numera, quod dignus factus ſis, qui propter Deum plectaris, vt aliquo ſaltem modo ex multis afflictionibus, & probris Domini tui fœdiſſima ludibria & cruciatus acerbiſſimos imiteris. Et quoties affligentium te atque inſectantium recordaris, noli conqueri, ſed potiùs ex animo*

Orat. 27.

pro illis ora, vt qui tibi maximorum bonorum ſint authores. Attende tibi diligenter, vt tanquam peſtem, & mortem, atque interitum animæ, æternumque ſupplicium fugias imperij, & gloriæ, & honoris, & laudis cupiditatem. Et caue, ne te aliquid eſſe putes, aut virtute aliqua præditum, aut te alijs vel præſtantiorem, vel etiam parem. Et omne quamuis exiguum carnis deſiderium, & voluptatem penitus abſcinde. Neque cuiuſquam hominis vtero, niſi neceſſitas vrgeat, familiaritate; neque corpus alterius attinge, aut quippiam licèt pauxillulum ſit, comede præter tempus, ne paulatim ex minimis ad deteriora prolabare. Attende tibi diligenter, vt te verè, atque ex animo Chriſtianorum omnium abiectiſſimum, & peccatorem maximum arbitrare: & animus tuus ſemper humilis ſit, & in mœrore triſtitiáque verſetur. Semper vt imperitus, indignuſque tace, neque vnquam omnino, niſi neceſſe ſit, loquere. Attende tibi diligenter, ignis ille perpetuus, & ſempiterna ſupplicia, & qui illic damnati excruciantur, tibi ſemper ante oculos obuerſentur, teque ex eorum numero vnum potius, quàm viuentium exiſtima.

Non ſolùm honos eſt refugiendus, ſed humilitas amplexanda.

CAPVT XXIII.

SCIENDVM ſiquidem eſt multos eſſe qui honores minimè quærunt, imò recuſant; at poſitiuum contemptum formidant, volunt humiles eſſe, non autem humiliari, quam tentationem in nonnullis viris ſpiritualibus S. Gregorius obſeruauit.

Hom. 10. in Ezech. Alius (inquit) contempta mundi ſuperbia, honores atque dignitates huius ſæculi decreuit vitare. Vltimum appetit, inter homines locum tenere, vt tanto excelſior inueniatur in permanenti gloria, quanto humilior aſpicitur in tranſeunte vita, is fortaſſe cum ſubito ſe à proximo deſpici agnoſcit, dedignatur cur deſpicitur. Vult quidem in loco humili eſſe, ſed tamen attendi contemptibilis non vult. Hunc iam deuotio, ſed adhuc infirmitas grauat; iam ergo per deuotionem holocauſtum eſt, ſed adhuc ex infirmitate inquinatum. Hi itaque qui in eis quæ optimè deuorauerunt, aliqua infirmitate ſuæ culpa cauguntur, cùm per verba doctorum, dicta Patrum intelligunt, & in quanta culpa iaceant, agnoſcunt, ſeque ipſos pœnitentiæ lamentis afficiunt, holocauſtum in oſtio portarum lauant. Itaque & honos omnis ſpuendus eſt, & humilitas non tantùm tenenda, ſed humiliatio amanda, vt integrum, & perfectum noſtri holocauſtum offeramus. Quapropter honores velut mortem fugientes, & quidquid in mundo eſt mortuum & crucifixum, nobis reputantes, tales nos quoque exhibeamus, vt mortui quoque & crucifixi ſimus mundo, & dicamus cum ſancto Iob, Quare miſero data eſt lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? quod appoſitè idem S. Gregorius

Lib. 5 Mor. cap. 3. interpretatus dicit: Qui in amaritudine animæ ſunt, mori mundo funditus concupiſcunt; vt ſicut in ſæculo ipſi nihil appetunt, ita iam à ſæculo nulla obligatione teneantur. Et plerumque contingit, vt iam homo mundum mente non teneat, ſed tamen mundus hominem occupationibus aſtringat: & ipſe quidem mundo iam mortuus eſt, ſed ipſi mundus adhuc mortuus non eſt. Quaſi enim viuus, adhuc mundus eum conſpicit, dum aliò intentum, in ſuis actibus rapere contendit. Vnde bene Paulus cum & ipſe ſæculum perfectè deſpiceret, & talem ſe factum videret, quòd iam hoc ſæculum concupiſcere omnino non poſſet, ruptis huius vitæ vinculis liber, dicit: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Mundus quippe ei crucifixus fuerat: quia hunc cordi ſuo iam mortuum non amabat; ſed & ſemetipſum mundo crucifixerat, quia talem ſe ei exhibere ſtuduit, vt ab eo quaſi mortuus concupiſci non poſſet; ſi enim vno in loco ſint mortuus & viuens, & ſi mortuus viuum non videt, viuus tamen mortuum videt: ſi verò vtrique mortui ſunt, alter alterum nequaquam videt. Ita qui iam mundum non amat, ſed tamen ab illo, vel non volens amatur, & ſi ipſe velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhuc non mortuus videt. Si verò nec ipſe in amore mundum retinet, nec rurſum à mundi amore retinetur, viciſſim ſibi vtrique extincti ſunt: quia dum alter alterum non appetit, quaſi mortuum mortuus non attendit. Quia igitur nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mundi gloria ipſe quærebatur, & ſe mundo & mundum ſibi crucifixum eſſe gloriatur. Quod quia multi appetunt, ſed tamen vſque ad culmen extinctionis omnimodo non aſſurgunt, rectè gementes dicunt: Quare data eſt miſero lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt? Vita quippe amaricatis datur, cum huius mundi gloria triſtibus, gementibuſque tribuitur. In qua nimirum vita, pœna ſe validiſſimi timoris afficiunt: quia & ſi ipſi mundum non tenent, adhuc tamen tales eſſe ſe metuunt, qui à mundo teneantur: quia niſi ei quantumcumque viuerent, hos ad vſum ſuum procul dubio non amaret. Mare enim viua corpora in ſemetipſo retinet: nam mortua extra ſe protinus expellit.

Amor humiliationis commendatur ex ſpiritualiſſimo viro Gerlaco.

CAPVT XXIV.

VT tædium honorum, & humiliationis appetitum, rem profectò arduam, magis confirmemus iuxta noſtram regulam, producam venerabilis Gerlaci Petri pretioſiſſima verba, quæ nobis dictata putremus, vt hoc idem ſentientes in nobis, quod & in Chriſto

IESV, dicamus. Hæreditas mea in hac vita non Cap. 18. ſoliloq.

eſt, nec erit alia, nec quidquam aliud æſtimabo, quàm latere, eſſeque abiectus & nouiſſimus; ita quòd nullus requirat me, nec quærat, vel curet de me, tanquam nullius momenti, nullius æſtimationis, pauper & deſpicabilis. Ideo totis viribus die, ac nocte, intus & extra, vigilanter ad iſta, & ſimilia optanda tendam, vt cùm venerint (tanquam quæ iam dudum diuque deſiderabam) accipiam. Magna ergo relinquo magnis, doctis, & reputatis, nihil mihi horum conſcius ſum, libenter volo paruus, & minimis contentus eſſe, tanquam nullius exiſtens valoris, ſola facies ſponſi ſufficit mihi. O quàm glorioſa eſt paupertas Domini Ieſu, &

& omnium electorum eius. Quibus te laudibus extollam ignoro, omnes diuitiæ, gloria, honor, laus, & abundantia ſunt in te. Si enim ſpirituales, interni, ſubtiles, & ingenioſi ſumus, ſic experti, & profunda proferre ſcimus de cæleſtibus, & abſconditis myſteriis: ſed non afficimur ad paupertatem, & ſimplicitatem Domini Ieſu, parua, vel nulla eſt ædificatio noſtra; quæ enim ab intra ſunt, non videntur, nec ædificant. Affectus ergo paupertatis exhibitio eſt humilitatis, ſimplicitatis, & abiectionis, in omnibus & per omnia vbi cauſa poſcit, ſemper eligere ſimpliciora, viliora, & infima: vix neceſſaria ſumere de temporalibus, crucem, grauia, labores, & quæ alij abhorrent, amplecti, & ſic conuerſari, ac ſi omnes motus, mores, & opera noſtra clamarent: Regnum noſtrum non eſt de hoc mundo. Hæc & his ſimilia ſunt quæ nos ſanctificant, intuentes ædificant, Religionem ſtabilem conſeruauerunt, & conſeruant. Dominus quippe Ieſus reliquit nobis crucem ſuam portandam, non mollia, non dulcia, non commoda, non vanam laudem hominum, ſed omnem tribulationem, paſſiones, incommoda, miſerias, auerſionem à ſenſualitatibus, vt ſimus tanquam quibus nihil mundo huic commune ſit, quandiu hic viuimus. O quam ſuaue eſt iugum Chriſti? in qui te voluntario corde eius iugo ſubdidiſti cuncta tibi leuia. Idcirco enim turbationes, grauitates, & ariditates in nobis ſunt, & veniunt, quia quærimus fugere & declinare à cruce & iugo, nec affectuosè ſubmittimus nos. Quando ergo crux & iugum Domini ſapit nobis, & afficimur ad illud: quando quoque humiliationibus, paruitate, & paupertate reficimur, tunc breui perueniemus vltra omnia impedimenta, tuncque opprobrium, gaudium, humiliationem, exaltationem, egeſtatem, abundantiam, reputabimus. Tunc erimus quaſi quotidie morientes, & ecce viuimus quaſi abiecti, & inglorij, & pleni gloria, quaſi irreputatiſſimi, & opprobrium hominum, tanquam nullius momenti, & æſtimationis, anguſtiati, & afflicti, & ecce tales ſumus, quibus dignus non eſt mundus: quaſi deſperati, & ſine ſpe, & ecce ſpes noſtra multa nimis, & ſecuritas interior vbi nullus nos ab extra videt, nec attingere poteſt.

Exempla contemnentium honorem humanum.

Capvt XXV.

HINC aliqui ſerui Dei ſic oderunt honorari, ſic humiliari amarunt, vt plusquam membra ſua, & vitam ipſam, humilitatem defenderent. Amonius Monachus, ne in honorem paſtoralem aſſumeretur eûm præcidiſſet auriculam, interminatus eſt etiam linguam inciſurum, niſi deſiſterent vrgere. Beatus Anachoreta Marcus digitum ſibi mutilaſſe dicitur. Cûm ſanctus Bernardus oblatum ab Eugenio Pontifice Epiſcopatum Iamfrido Monacho Ciſtercienſi, ipſum cogeret admittere. Reſpondit ille potius ſe Monachum fugitiuum fore, quàm Epiſcopum. Conſtitit poſtea diuina reuelatione inferni pœnas euaſiſſe ob repulſam dignitatis oblatæ. Sancto Paulino pluris habita eſt humilitatis ratio, quàm id quod ipſa vita maioris ſolet fieri, ipſa, inquam, libertas. *Vnuſquiſque*, inquit Apoſtolus, *in qua vocatione vocatus eſt, in ea* 1. Cor. 7. *permaneat. Seruus vocatus es? Non ſit tibi curæ: ſed etſi potes fieri liber, magis vtere.* Seruituti nimirum, propter maiorem humilitatem, vt exponit ſanctus Chryſoſtomus, dicens: *Etiamſi in tua poteſtate ſit, vt manumittaris, & fias liber, permane potius ſeruiens.* Alij non tantùm humilitatem, ſed humiliationem contemptuſque ſibi ſolicitarunt. Dicam aliqua ex domeſticis exempla. Alphonſus Barretus ſancta quadam cupidine humiliationis & contemptus nudis pedibus, & veſte indutus lugubri in publicum forum veniens tanquam atrociſſimi criminis reus alligari ſe fecit ad marmoream pilam, quæ ad publicum ſupplicij & ignominiæ exemplum ſeruiebat; ibi omnium naſo, dicteriis, & publicæ ignominiæ expoſitus, egregium de ſeipſo, ipſoque mundo triumphum obtinuit. Eius Frater Melchior Nonnius Barretus eo ipſo die quo Doctoratus apice à Conimbricenſibus donatus fuit, pompa & apparatu præter morem affectato ad noſtrum Collegium, plena & illuſtri Academicorum caterua ductus, Religionis meliorem lauream aſſumpturus. Vix dum ſubſtiterat eûm iubetur, eo ipſo die, vt pallio mutato in detritum, & futilem amictum, humeris ſublatum veruecem mediam per vrbem dono ferat Marco Romæo Theologiæ Profeſſori litterarum, atque famæ ſtudio commendato ſatis, cuius patrocinio fuerat in ipſo Doctoratus ritu pro more vſus; præſtò fuit imperio, dorſum onerans animali inſtar baculi ſtupente populo pergit ad Romæi domum alacer, & munus offert. Ille inſolentia ſpectaculi velut attonitus hæſit. Michaël Gouierno, veteranus iam miles Chriſti, & eximius concionator, cûm ſemel ad noſtros verba facturus eſſet, tunicam ſuam diruptam tradiderat reſuendam ſartori, diu expectauerat illam, cumque ſerò iam eſſet, quodam humano pudore ſe affectum ſentiens, timens illius modi, ac erat tunc ſemiueſtitus, cum thorace ſolùm, & exteriori lacerna aliis Patribus, ac fratribus apparere; vt illum prorſus vinceret, eo modo, quo erat, prodiit in concionem ad noſtros, quam inſtituit de contemptu metus, totiuſque humanæ verecundiæ, ſuam immortificationem confeſſus, & accuſans, raptuſque impetu ſui feruoris, proiiciens lacernam exiluit in mediam coronam penè nudus cum thorace ſolùm, & femoralibus. Feruidus ſeruus Beatæ Virginis Martinus Gutierrez, & eleuatus Pater Balthaſar Aluarez, atque alij è noſtris grauium culparum, licèt innocentes, accuſari tacuerunt, nullatenus ſe excuſantes, quamuis ab aliis propterea contempti magnam nominis iacturam ad tempus fecerint. Multis mirisque modis Dei ſerui humilitatem Chriſti tenentes, omnem mundanum honorem, humanamque gloriolam dederunt peſſum. Atqui poſt tot facta vnum dictum proferam. Doctiſſimus Pater Didacus Ruiz aiebat: *Si in vniuerſo nullus alius homo eſſet niſi ego ſolus, tunc certè pro honore mei nominis non eſſem ſolicitus. At omnes quicumque ſunt in vniuerſo, ſunt nihil; cur ergo curabo gloriam meam? Quoniam magni facio homines, timeo ab ipſis deſpici, & honorari gaudeo. Oportebit igitur, quo ad hoc, flocci omnes pendere. Ad hoc autem iuuabit conferre homines cum Deo; tunc enim apparebunt nihil eſſe; rectè qui-*

dem ; de nihilo enim nihil curandum, nihil expectandum ; quare nec de hominibus, nec de ſuis honoribus, cùm omnia & omnes tanquam nihilum ante Deum. Cæterùm nec omittenda ſunt ex vetuſtis Monachis egregia quædam exempla quæ affert Dionyſius Carthuſianus. *Lib. de exēpl. & document. anth. art. 84.* Frater quidam iniuriam paſſus, & de hoc omnino nihil dolens, ſed mentaliter Deo cum tranquillitate regratians. Deinde vt virtutem patientiæ ſuæ abſconderet, cœpit quaſi ex impatientia, atque triſtitia lamentari propter iniurias ſibi factas. Alius frater præeſſe non cupiens, ſimulauit ſe deſiderium præſidendi habere. Alteri ſolitario allatus eſt botrus, qui guloſum ſe fingit, cœpitque botrum illum cum impetu manducare. Alius perditis palmarum foliis, finxit ſe inde tota die dolere. His exemplis hanc Climachus cautionem addit. Multa mentis vigilantia talibus neceſſaria eſt ne quando illudere cupientes, in illuſiones labantur. Verumtamen aduertendum, quòd iſta, & conſimilia facta noo ſunt regulariter, & ſecundùm communem legem loquenda, agenda, aut imitanda ; cùm dicat Apoſtolus : ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Itemque quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus. Imò, & ipſe Saluator : *Videte* (inquit) *ne ſcandalizetis vnum ex puſillis iſtis ; & væ homini per quem ſcandalum venit.* Si quidem proximis debemus bonam famam, bonum exemplum, laudabile nomen. Ex tali quoque fictione datetur hypocritis, & iniquis grandis occaſio, colorandi vitia ſua & ambitiones. Quòd ergo talia in aliquibus ſanctis laudantur & excuſantur, hinc accidit, quia ex aliquo occulto Spiritus ſancti inſtinctu, ea feciſſe creduntur : vel quia ex virtuoſa radice occaſionaliter proceſſerunt, videlicet ex abundanti humiditate, odio laudis humanæ, promptitudine patiendi irriſiones, aut ſimili fundamento.

Quomodo & quando proſpiciendum honori proprio.

CAPVT XXVI.

ALIQVANDO tamen oportet ſeruos Dei contentos manere ardentibus deſideriis patiendi pro Chriſto opprobria: nam licèt non reſpondere, nec excuſari conformius Chriſto ex ſe ſit ; cùm autem magnus animarum fructus inde pendet, & maior gloria Dei, præſtabit tunc cootumeliis, & falſis teſtimoniis ſatisfacere ad imitationem quoque ipſius filij Dei, qui reſpondit aliquando cùm maior gloria ſui Patris id requirebat. S. Paulus etiam Cæſarem appellauit. Idem vt eluderet iudicium capitale, monit diſſenſionem inter Phariſæos, & Sadducæos. Quando autem reſpondendum, ſiue ſatisfaciendum ſit, quod tantum fieri oportebit, cùm dilectio proximi, & gloria maior Dei nos conſtringunt, ex S. Thoma, & aliis Patribus, atque ſcholaſticis Doctoribus accipiendum eſt. Maximè iuuabit meminiſſe S. Thomæ doctrinæ, qui opuſculo quodam docet, quomodo Religioſi poſſint, & interdum debeant detractoribus ſuis reſiſtere. *Opuſc. 19. c. 14. 15. 16.* Item in iudicio contendere, & procurare perſecutores ſuos puniri ; atque alibi ait. *Tenemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit ; quandoque tamen oportet, vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo, id eſt, propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet audacia eius reprimatur, & de cætero talia non attentet,* *2. 2. q. 27. art. 3.* *ſecundùm illud Prouerbiorum: Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* *Prou. 26.* *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.* Idem repetit opuſculo decimonono, vbi ex gloſſa addit. *Opuſ. 19. c. 14.* *Sicut linguas detrahentium noſtro vitio, non debemus excitare ne pereant, ita per ſuam nequitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt meritum nobis creſcat, aliquando etiam compeſcere ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum qui bona audire poterant, corda corrumpant.* Hinc S. Auguſtinus dixit in prœmio ſecundi libri de Trinitate, *Dentem caninum vel euitat caſtiſſima, cautiſſimaque humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas.* Et S. Gregorius ſuper Ezechielem. *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterunt ; & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* *Hom. 9.* Idem cenſuit S. Bonauentura ſatisfaciens illi quæſtioni quæ Religioſis olim ſic obiecta fuit : *In Apol. quæſt.* Cùm debeatis omnia mala vobis illata patienter ſuſtinere, & nullam ſuper his querimoniam facere, vel mouere, quid eſt, quòd non ſolùm iſtud non facitis, ſed etiam non contenti Epiſcoporum iudiciis obtinetis à ſede Apoſtolica iudices, & conſeruatores, & ad illos quoſlibet moleſtantes vos etiam leuiter citatis, & grauatis laboribus, & expenſis, donec ſatisfaciant vobis pro velle veſtro contra Apoſtolum, *Delictum eſt in vobis, qui iudicia habetis.* Huic calumniationi ſic reſpondet Bonauentura. *Iniurias, & moleſtias, ex quibus aliud malum non ſequitur, niſi quod illa hora ſentiri poteſt, vt ſunt verba probroſa, vel damna rerum, ſeu verbera, & ſimilia Religioſi æquanimiter ſuſtinere debent, quia nihil aliud afferunt nocumenti, ſed vbi poſſunt grauiora damna ſubſequi, videlicet animarum grauia nocumenta, ibi non eſt expediens tolerare.* Caietanus in Summula ſcribit. *Famam propriam falsò ereptam negligere tunc eſt peccatum, cùm aliis hæc nocet, ſeu nocere timetur; nam fama propter alios neceſſaria eſt, & in tali caſu dicit Auguſtinus, qui confidens conſcientia negligit famam, crudelis eſt, quia alterum animas occidit.* Honorem autem & famam ij maximè curare debent, qui animarum ſaluti incumbunt; nam, vt optimè idem ſanctus Auguſtinus dixit: *Nobis eſt neceſſaria vita noſtra, aliis fama.* Satis de hoc vt mortificationem iam commendemus.

***

DOCTRINA III.

DE MORTIFICATIONE.

De quatuor conditionibus mortificationis quibus morti ſimilis eſt.

CAPVT XXVII.

Iob 3. QVI *expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cùm inuenerint ſepulchrum.* Quantum diſtat cælum à terra, tantum recedunt cogitationes ſeruorum Dei à cogitationibus filiorum Adam; tantum diſtant opera ab operibus, effectus ab effectibus. Quod hi timent, illi deſiderant; quod hi amant, illi oderunt; quod hi putant vitam, illi mortem; quod hi fælicitatem, illi miſeriam, quod hi egeſtatem, illi diuitias. Sicut enim contraria ſunt opera, ſic opiniones ac iudicia. Neque opus eſt multis vt hoc oſtendamus. Quid magis concupiſcunt mundani, quàm voluptates & delitias, & quotquot carni adulantur, quid magis ægrè ferunt, quàm aduersùs cupiditates ſuas inſurgere, conterere paſſiones animi, præcidere affectus omnes, vincere naturam, abſtinere voluptatibus, reiicere affluentes opes, fugere honores, & vt ſemel dicam, mori huic ſæculo, mori rebus omnibus, mori ſibi? Nihil profectò horribilius carnalibus hominibus. At viri verè ſpirituales nihil optatius, nihil concupiſcētius expectant. Hanc auent, hanc concupiſcunt mortem, in qua vita, & non qualis qualis, ſed vita Chriſti abſcondita eſt; hæc ſunt vota illorum, hæ delitiæ, hæ opulentiæ, mori mundo, & ſibi inuenire ſepulchrum, vt viui tanquam ſepulti ſint; quod omnibus diuitiis & theſauris præponunt. Sanctus Gregorius, qui iſto ſeruorum Dei ſpiritu agebatur, in horum fuit numero, atque cùm os loquatur ex cordis abundantia, de mortificationis deſiderio interpretatus verba illa ſancti Iob. *Qui* Lib. 5. Mor. cap 4. *expectant mortem, & non venit*, ſic ait: *Deſiderant quippe mortificare ſe funditus, atque ab omni vita gloriæ temporalis extinguere; ſed occultis ſæpe Dei iudiciis, vel præeſſe in regimine, vel occultari inunctis honoribus compelluntur, atque inter hæc mortificationem pleniſſimam indeſinenter expectant.* Neque hæc expectatio qualiſcumque eſt, ſed vehemens, & acris ac ſimillima auidiſſimo omnium deſiderio diuitiarum, tanquam ſi quærerent theſaurum, neque aliter exultant cum maiore ſui mortificatione, cum ſepultura ſui, quàm ſi auarus inueniſſet amplas opes. Habemus enim theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, in his ſcilicet corpuſculis debilibus, & contemptibilibus, dum ea caſtigamus & in ſeruitutem redigimus. Igitur vt ſimile mortificationis ſtudium, & aliquale deſiderium comparemus, non alio titulo illam nunc cōmendabimus, quàm mortis, & ſepulturæ, ſicut Beatus Iob ſecundùm ſanctum Gregorium illam ſignificauit, vt inde conſtet quantopere concupiſcenda ſit ſeruis Dei, ſiquidem illo ipſo nomine quo horribilis eſt mundanis, deſiderabilis ſit, ſcilicet, quia mors quædam eſt. Quid enim eſt mortificatio niſi mors anticipata; mors hominis viui, mors ante mortem, mors ſpontanea, mors voluntatis, mors difficilior? Nihil enim facilius eſt quàm mors naturalis, quæ in momento fieri poteſt, & à quocumque fieri poteſt; mors autem rationalis, mortificatio, inquam, perfecta, multum tempus requirit, nec à quocumque poteſt effici, ſed à proprio homine, ab illo ipſo qui moritur, ab illa ipſa propria voluntate, quæ iugulatur. Nihilominus iſto mortis nomine & ſimilitudine commendabilis eſt. Videamus quod habet naturalis mors; nam ſimilia inueniemus in mortificatione, propter quæ ſit amplectanda & inquirenda pluſquam opulentiſſimus theſaurus; & quinam potiùs conſulendi ſunt, de conditionibus naturalis mortis niſi naturales Philoſophi. Vnus omnium voce Seneca deffinit: *Mors* 6. nat. qq.
eſt naturæ lex, mors tributum, officiumque mor- c. 32.
talium, malorumque omnium remedium: optabit illum quiſquis timet; omnibus omiſſis hoc vnum Lucili meditare, ne mortis nomen reformides. Iiſdem quatuor conditionibus appetibilis & amplectenda eſt mortificatio, quia eſt lex non naturæ, ſed ſpiritus, & gratiæ; quia eſt tributum & debitum quod Deo pendere debemus, propter mortem ſui filij, quia eſt officium proprium Religioſorum; & denique quia eſt remedium omnium malorum huius vitæ & corporis, & animæ, & pœnarum, & culparum.

Verùm hoc priuilegium non habet quælibet mortificatio, ſed quæ verè ſit mortificatio. Quænam iſta, niſi quæ ſimilis eſt morti, idcirco quoniam ſimiles qualitates mortis mortificationi tribuimus, ſimilis quoque debet eſſe ipſa mortificatio ſubſtantiæ mortis. Quemadmodum enim non dicitur mortuus, qui ſenſu aliquo priuatur, aut actione & motu aliquo caret, ſed qui prorſus omnibus membris mortuus eſt, & omni ſenſatione & vitæ motu ſpoliatur: ita pariter mortificatio non debet eſſe partialis, non in hoc affectu, & non in alio; non in hac actione, & non in cæteris; non in hac voluptate, & non in reliquis, ſed in omnibus rebus, hoc eſt quod regula noſtra præſcribit, dicens: Maius, ac im- Reg. 12. ſum.
penſius ſtudium cuiuſque ſit quærere in Domino maiorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus quoad poterit mortificationem. Nimirum in omnibus rebus poſſibilibus; hæc eſt mortificatio, hæc mors affectuum, vt nihil deſideremus, nec timeamus huius mundi & corporis; nam, vt ſanctus Bernardus ait,
Mortuus ſi deſit, ipſa ſepultura non ſentit, ſic vi- Serm 7.
tuperantes, vt laudantes, ſic adulantes audit, vt Quadr.
detrahentes; imò verò nec audit, quia mortuus eſt. Omnino fælix mors quæ ſic immaculatum ſeruat, imò penitus alienum facit ab hoc ſæculo. Sed neceſſe eſt vt qui non viuit, in ſe viuat Chriſtus in illo. Hoc eſt quod ait Apoſtolus, Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. As ſi diceret, ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo; ſi qua verò ſunt Chriſti, hæc viuum inueniūt & paratum. Nam ſi non aliud poſſum, ſaltem ſentio, placent quod ad eius honorem fieri video, diſplicent quæ aliter fiunt. Quin

rigorem mortificationis ſimillimum morti ſic docent ipſi quidem Philoſophi ſulo lumine naturali inſtincti, vt omnem abſtractiooem ſenſuum, & paſſionum commendarint. Porphyrius hæc dicit. *Videndum quouſque & in quantum purgatio percipi poſſit, eſt enim diuortium à corpore, & ab irrationabili paſſionum motu; quomodo autem & quatenus obtingat, nunc dicendum. Primum quidem veluti fundamentum & baſis purgationis eſt noſcere ſemetipſum, animam eſſe in re aliena, & ſubſtantia prorſus diuerſa deuinctam. Secundò quòd ab hoc fundamento exſurgit, colligere ſemetipſum à corpore & quaſi è diuerſis locis, ita vt omnino liber ſis ab eius affectionibus; nam dum quis frequenter ſecundùm ſenſum operatur, licèt non cum propenſione affectus, & voluptatis perceptione, id faciat, diſtrahitur nihilominus corporis cura, dum per ſenſum cum eo coniungitur. Sed & ſenſibilium voluptatibus doloribuſve, cum animi quadam inclinatione & affectus propenſione afficimur. Ab huiuſmodi autem diſpoſitione vel in primis ſe purgare oporeet. Id autem fiet ſi neceſſarias etiam voluptates, ſenſuſque medelæ tantùm cauſa admittat, aut doloribus propulſandis ne impediatur, tollendi autem & dolores, aut ſi id fieri non poſſit, ſenſim ſubtrahendi: imminutè tamen, eo quòd ſenſu eorum non afficimur. Ira autem, quantum fieri poterit, tollenda, nec vllo modo meditato conſilio agitanda, id ſi nequeat ſaltem non admiſcendum ei animi propoſitum, vt alterius ſis ſubita, vel præmeditata commotio. Quidquid autem abſque animi propoſito fit, id inualidum & exiguum eſt. metus quoque omnis tollendus, nihil enim metuet; ſed & hic animi propoſitum abſit. Verùm enim verò vtendum & ira & metu in admonendo. Omnis etiam mali cupiditas exterminanda, cibo autem & potu non ipſe, quà ipſe, indulgebit: at verum venerearum naturalium ne ſubitos quidem & inuolantarios motus ſentiat; aut ſaltem cum leuiſſima imaginatione qualis per ſomnium animo aduerſatur: at ipſa intellectualis anima hominis purgati ab omnibus hiſce prorſus ſit pura. Studeat quoque vt corporalium affectionum motus ad irrationale, voluntate nec conſentiente, nec aduertente moueantur, adeò vt motus iſti rationis vicinia ſtatim elangueſcant; id verò non continget dum adhuc purgationi ſtudetur: verùm iis apud quos ratio in ſuo pretio eſt, quàm ſequitur illa pars verebitur: adeò vt indignetur pars deterior, ſi omnino commota fuerit; eo quòd præſente Domino non quieuerit & impotentia ſibimet ipſi exprobret.* Hactenus ille.

In ſentent.

Lex ſeruorum Dei mortificatio.

Capvt XXVIII.

IAm videamus mortis conditiones in ipſa mortificatione; quomodo ſit lex & tributum, & officium, & remedium, nimirum quatuor tituli & rationes quibus allici ad mortificationem poſſumus; quoniam illam præſcripſit Chriſtus, illam debemus Deo, illam profiteri ratione noſtri ſtatus tenemur, & denique, quia ſalutaris & vtiliſſima ſit. Itaque ex mandato, ex debito, ex officio, & ex commoditate illam oporter amplecti. In primis legem mortificandi affectus tulit filius Dei, dicens: *Si quis venit poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hæc lex iuſtiſſima militiæ Chriſtianæ, à qua ipſe Rex & legiſlator noſter Chriſtus Ieſus noluit eſſe ſolutus. Nemo ſequi Chriſtum poteſt, niſi per mortificationem & crucem. Vis huius legis maxima eſt, tum quia Chriſtus illam dixit, tum quia facto impleuit, ex quo duplicatam virtutem habet, vnam verbi, alteram exempli, & hæc quidem efficaciſſima, propterea Eccleſiaſticus mores ciuitatum, non ex qualitate legum ſcripturam collegit, ſed ex rectorum moribus, dicens: *Secundum iudicem populi, ſic & miniſtros eius: & qualis rector eſt ciuitatis, tales & habitantes in ea.* quoniam

Matth.16.

Eccl.10.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Namque ſi priuati erga priuatum, exemplum efficacius eſt lege Principum; ipſius Principis & publicæ authoritatis exemplum quantum erit? quòd ſi humanum exemplum tot vires habet, quantas habebit diuinum? exemplum humanum cogit, cur diuinum non ſuadet? Quis ſi ſapit videns Regem cœlorum, in cruce graue feret carere voluptatibus? Quis videns Ieſum ſitire, & felleum acetum guſtare pro ſalute noſtra, delitias quæret contra eius gloriam & honorem? Quis videns filium Dei & Dominum gloriæ innocenter verberatum, & conuitiis onuſtum, non diſſimulabit leuem aduerſitatem, quæ pro multis peccatis meritò patitur? Quis videns altiſſimum & omnipotentem Dominum cœli, & terræ exinanitum, & humiliatum vſque ad ignominiam crucis, non ſilebit cùm aliquem honorem non debitum, negatum ſibi nouerit? Quis videns Chriſtum cruce onuſtum, & poſtea crucifixum, ſi aliquem pudorem habet, non dicet com Apoſtolo: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quem non ligabit & vrgebit hæc potentiſſima exempli lex? quem non trahet poſt ſe Ieſus, hoc ſolum quod antecedat? profectò non opus erat verbum aliquod dixiſſe, nec pronuntiaſſe iuſtam illam & conſentaneam ſententiam: *Si quis venit poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sufficiebat anteceſſiſſe Ieſum, hoc ſolo tenebamur, hoc ſolo conſtringere nos debebamus, hoc ſolo poſt illum trahendi eramus. quemadmodum ipſe Dominus ait, *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Hanc eandem vim nouit ſponſa, dicens: *Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorũ.* Theodoretus in orat. de charitate hoc interpretatus de efficacia exẽpli legit, *Adoleſcentulæ dilexerunt te, traxerunt te retro, in odorem vnguentorum tuorum curretunt.* Et addit, *odore illo quaſi catena quadam conſtrictæ vinculum diſrumpi non patiuntur, hoc enim eſt dulce & quo voluntariè ſunt alligatæ.* Hac catena conſtringamur & nos, hoc vinculo ſpontaneo alligemur, hac dulci illecebra antecedentis Ieſu amariſſima etiam appetamus; curramus, trahamur, rapiamur poſt vitam filij Dei. Sed demus nihil huiuſmodi feciſſe Ieſum filium Dei, nec ſuo præceſſiſſe exemplo ſatis eſt conſilium mortificationis ſemel dediſſe, quanto magis cùm tota ſua prædicatione illam commendauerit & præſcripſerit. nam cùm ſumma ſapientia ſit & ipſa charitas, nec falli poterat in iudicio rerum, quominus quæ vtilia nobis eſſent, non cognoſceret,

Digitized by Google

ret, neque propter infinitam ſuam bonitatem & manſuetudinem acria & acerba præligeret nobis conſulenda, niſi ea maximè vtilia & neceſſaria nobis eſſent. Quapropter cùm auſtera & repugnantia naturæ & ſenſibus præſcripſerit, eo auidiùs amplectenda nobis ſunt, quatenus, interioſiùs ab illo amari ſcimus, atque eius pientiſſima viſcera, & manſuetiſſimum cor agnoſcimus. non vult vltrò grauis nobis eſſe dulcis IESVS; non cogitat cogitationes afflictionis, ſed pacis; ille qui mites, manſuetos, miſericordes & pacificos dixit Beatos. Quare cùm compulſus fuit mitiſſimus & ſuauior melle IESVS auſteram mortificationis legem promulgare, neceſſariiſſima nobis fuit. Sanctus Cyrillus Alexandrinus
Lib. Anthropom. c. 6. dixit, *Neceſſarium erat nos qui filij Dei appellandi eramus, ad imaginem filij potius fieri, vt & filiationis typus nobis conueniret.* Idcirco multi ſerui Dei mortificationem Ieſu Chriſti in corpore ſuo circumferentes æternum ſuis ſenſibus bellum indixerunt; multaque inuenta excogitarunt, vt aſſiduè ſenſus ſuos & voluptates impugnantes ab ipſis ſenſibus ſe abſtraherent. Deuotiſſimus Pater Ioannes Trexus ne à mortificatione ceſſaret, totam buccam, linguam, & palatum abluebat felle tanquam aqua roſacea, ipſumque maſticabat, vt interdiu amaror ille perduraret. At quid mirum ſi ſerui, ac imitatores Ieſus Chriſti ſic mortificationem eius ſibi circumdederint, vt in ſpirituales viros euaderent.

Iuſtiſſimæ legis conditiones congruunt mortificationi.

CAPVT XXIX.

QVOD ſi legis conditiones ſpectemus, vbi plenius inuenientur, quàm in mortificatione, cui per omnia quadrant quæ ſanctus Iſidorus dixit: Erit autem lex honeſta, iuſta, poſſibilis ſecundùm naturam, ſecundùm patriæ conſuetudinem, loco, temporique conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoque, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. Has omnes perfectæ legis proprietates mortificatio habet, quid honeſtius, quàm totum hominem componere, iuxta rationis & virtutis, ipſius inquam honeſtatis, præſcriptum. Quid iuſtius quàm voluntatem & affectus quibus deliquimus comprimere & coërcere. Neque rigidum hoc putemus; nam ſi delinquentes & ſceleſtos homines coërcere in cuſtodia non putatur pœna, cùm vltra carceris clauſuram ſupplicium illis iniungatur nulla habita cuſtodiæ ratione, vt proinde non minuatur pœna, non erit graue paſſiones quæ tot mala nobis immittunt, ſaltem cuſtodire & comprimere. Deinde quid magis poſſibile eſt, quàm mortificatio, cùm nemo qui illam volet non conſequatur. Concupiſcentia autem eſt, quæ difficilis & ardua eſt, imò plerumque impoſſibilis. Implere deſideria ſæcularia, delicatè viuere, poſſidere opes, coli ab omnibus, hoc arduum, hoc difficile, hoc inacceſſibile, hoc impoſſibile eſt, cùm à multis rebus & ab alieno pendeat arbitrio. At ſobriè viuere, humilem eſſe, non multa hoc requirit, non indiget apparatu, quare & poſſibile & facile eſt. Præterea quid magis iuxta naturam rationalem, quàm id vnde ratio ipſa defenditur, & ſeruatur? Licentia affectuum & vitia ſunt contra naturam, mortificatio verò per quam illa emendatur, conſentanea eſt rationi & naturæ. Congruens quoque eſt patriæ noſtræ conſuetudini; nam paradiſus patria noſtra eſt, cœlum eſt ciuitas noſtra: in paradiſo autem ſi inde exul noſtrum genus non proiiceretur, nulla eſſet inordinatio affectuum, nulla concupiſcentiæ rebellio; in cœlo ſimiliter nullus amor proprius erit, nulla voluntas propria, & mortificatio ad hoc tendit vt omnem noſtram voluntatem prorſus relinquamus. Ad hæc: quid conuenientius loco & tempori huius vitæ, dum in hac valle lachrymarum manemus, vbi mala abundant, vbi vitia pullulant, vbi omnia aduerſantur corpori, & animæ, quid, inquam, conuenientius quàm per diminutionem affectuum radices omnium malorum extirpare, quæ ſunt paſſiones inordinatæ, & per violentiam ſui cæleſte regnum conſequi, & cumulare merita? Quid conuenientius poſtquam excidimus à Iuſtitia originali, & peccandi fomitem contraximus, quàm iacturam iſtam emendare per mortificationem, & quoad poſſimus mortificatis affectibus peccandi incentiuum extinguere, & ſimilitudinem habere originalis iuſtitiæ compoſito appetitu cum ratione. Quòd ſi hæc vera ſunt, ſicut re vera ſunt, quid magis neceſſarium eſt vtile nobis? Quapropter non mirum manifeſtis & clariſſimis verbis commendatam eſſe à Chriſto Domino mortificationem, cùm alioquin per parabolas loqueretur. Quid luculentius, quàm illud, abneget ſemetipſum? Quid clarius, quàm illud, qui amat animam ſuam, perdet eam? Quid manifeſtius, quàm illud Apoſtoli, mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram? Hæc lex mortificandi ſe manifeſta & clariſſima eſt; nullo indiget interpretamento; nullam exceptionem habet: omnes comprehendit & omnia. Omnes tenemur mortificari & in omnibus rebus. Denique non deeſt mortificationi illa conditio publici boni. Etenim in hoc præſtat aliis legibus quæ potius ratione publicæ vtilitatis habent, quàm priuatæ, quæ ſæpe communi bono aduerſatur. At in mortificatione hæc duo coniunguntur, multas priuatas vtilitates habet, pariter & communes; nonne priuatum ſingulorum commodum eſt victoria ſui, & virtus & ſanctitas, & animi tranquillitas? Quid dicam de bono publico ad conſeruandam pacem communem, ad exercendam charitatem, quid efficacius mortificatione? Vnde nam deſidia, vnde iniuriæ, vnde damna inferrentur, ſi omnes eſſemus pacifici, humiles, modeſti, imitatores Chriſti? Quid ad obſeruantiam religioſam, ad cuſtodiam obedientię, ad exercitium charitatis, ad ſtatum publicum Religionis, magis efficax quàm mortificatio priuatorum? vbi hæc eſt, accidit illa fælicitas Religioſorum, de qua S. Ioànes Chryſoſtomus ait: *Conuerſationem planè cæ-* 3. de Sacerd.
leſtem elegerunt, nihilque deterius Angelis effecti ſunt. Vt enim illis nulla ineſt inæqualitas, nec alij ſucceſſibus, rebuſque ſecundis gloriantur elati, alij extremis malis & incommodis oppreſſi gemunt; ſed omnes pariter in gaudio & quiete, ſummaque illa & cæleſti gloria exultant; ita fieri quoque perſpicias in monaſterijs, nullus ibi paupertatem exprobrat,

brat, nullus diuitijs honeſtior eſt. Inde id quod omnia perturbat & peruertit, Meum, & Tuum penitus eliminatum eſt. Cuncta quippe illis communia ſunt, menſa, domus, indumentum, &, quod ſanè mirabilius eſt, vnus etiam idemque animus omnibus eſt. Omnes eadem ſunt nobilitate nobiles, omnes eadem ſeruitute ſerui, eadem libertate liberi. Vna ibi voluptas, vna iucunditas, vna delitia, vnum deſiderium, vna ſpes omnibus ineſt. Nulla ibi inæqualitas, caterùm ordo ſummus & moderatio, & conuenientia, & ineffabilis concordia ſeruanda diligentia, iugiſque ac perpetua lætitia materia. Quocirca omnes omnia & patiuntur, & faciunt, vt vnà lætentur & gaudeant. Omnia iſta bona, beneficia mortificationis ſunt.

Quomodo debeamus Chriſto pro nobis mortuo mortificationis tributum.

CAPVT XXX.

SECVNDA mortis conditio eſt debitum tributum eſſe; eadem quoque eſt & mortificationis. *Reddite omnibus debita,* ait Apoſtolus, *Cui tributum, tributum. Cui vectigal, vectigal.* (Rom.13.) Cui autem debemus, an carni, an ſpiritui & Chriſto Ieſu? Ipſe Paulus hoc dicat. (Rom.8.) *Ergo fratres debitores ſumus, non carni, vt ſecundùm carnem viuamus, ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Conſideremus igitur, cui cenſum vitæ noſtræ debeamus, an carni, per quam peccatum contraximus, an Chriſto, qui ſuo ſanguine mandauit nos, & Spiritu ſancto ſanctificauit nos? an carni, quæ in Diaboli tyrannidem nos impulit? an Ieſu, quia miſera ſeruitute nos aſſeruit? an carni, quæ occidit nos? an Chriſto, qui ſuſcitauit nos? an carni, quæ vt ipſa viuat, animam interficit? an Chriſto, qui vt nos viueremus, pro nobis mortuus eſt? Carni igitur vindictam debemus, Ieſu autem gratitudinem, & iuſtitiam: cui non ſolùm noſtræ vitæ tributum in mortificatione debemus, ſed mille vitas. Audiamus ſublimem illam & Apoſtolo dignam vocem, (2.Cor.5.) *Charitas enim Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* A quo omnia accepimus, cur ſaltem aliquid non reddemus? cui totam noſtram libertatem & vitam debemus, cur ſaltem aliquod tributum vitæ non ſoluemus? Quomodo Chriſtum agnoſcemus auctorem vitæ noſtræ, ſi totam vitam noſtram integrè nobis reſeruemus. Hoc tributum mors Chriſti meretur, vt ſaltem mortificemur. Nonne ſatis vili pretio ſatisfaciemus huic immenſo debito ſi pro morte filij Dei mortificationem, quæ non mors, ſed ſimilitudo mortis eſt, reddimus, cùm mille mortes veras oppetere deberemus pro illo. Optimè (In alleg.) deuotus Balduinus dixit: *Obedientiam vſque ad mortem requirit à nobis ſanguis Chriſti, qui pro nobis paſſus eſt; nobis relinquens exemplum vt ſequamur veſtigia eius. Hoc eſt vt moriamur & commoriamur ei, viciſſitudinem pro viciſſitudine, & mortem pro morte exigit à nobis. O rem mirandam! ô ſtupendam! inde obligamur vſque ad mortem obnoxij, vnde per mortem dimittimur a morte liberi; inde debitum mortis contrahitur, vnde debitum mortis abſoluitur. Iam ergo ex noua cauſa debitores mortis ſumus: quamuis ex veteri culpa, nihilominus ex noua gratia; ſed mors peccatorum peſſima debita cuiuſdam pœna eſt exſolutio, ſic tamen vt gratitudinis nulla ſequatur abſolutio. Pretioſa verò mors Sanctorum per mortem Chriſti eſt quædam gratiarum actio, & viciſſitudinis nonnulla viciſſitudo; hæc autem ſimilitudo mortis obedientia eſt vſque ad mortem.* Nimirum obedientia voluntatis diuinæ per abiurationem propriæ; nonne liberatio mortis æternæ hunc debitum generabit, vt ſaltem apparenter moriamur: & quid dico mortificemur vt viuamus, & hoc non qualicumque vita, ſed vita Chriſti. O debitum lucri plenum, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, vt nos viuamus pro Chriſto. Mortificatio enim carnis hæc vita eſt, ſecundùm ſanctum Paulum dicentem, ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et quanam vita viuemus? humana ne & caduca? non niſi cœleſti, & diuina: quia ſpiritum Dei habebimus, & cœleſtia reſpirabimus; vita enim ſine ſpiritu & reſpiratione non eſt. *Quæris,* inquit ſanctus Bernardus, *in quo ſit reſpiratio iſta? in eo ſi incipiat ſpiritus viciſſim concupiſcere aduerſus carnem. Huic ſi repugnas, reſpiras, ſi ſpiritu facta carnis mortificas, reſpiraſti.* (Serm.71. in Cant.) *Si hanc cum vitijs & concupiſcentijs ſuis crucifigis, reſpiraſti. Caſtigo,* inquit, *corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* (1. Corinth.9) *Vox eſt reſpirantis, imò qui iam reſpirarat. Vade & tu, fac ſimiliter, vt te reſpiraſſe probes.* Hæc Bernardus. Quid igitur beatius, & quid vitalius, quàm ſpiritu Dei reſpirare & viuere vita Chriſti? Hoc eſt quod idem Paulus dixit, *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Quòd ſi hanc vim mortificatio habet vt corpus noſtrum honoret manifeſtata in illo vita Ieſu, quid facit in anima? Si corpus mortificati viuit vita Chriſti, anima nonne viuet vita Dei? quemadmodum inordinatio affectuum & immortificatio vnà cum morte venit: ſic & mortificatio vnà cum vita intromittitur. Adam ſtatim ac mortalis factus fuit, ſenſit rebellionem carnis & appetitus, itaque paſſionum noſtrarum tumultum, ſimul cum morte experti ſumus; quare & per earumdem mortificationem, vitam recuperamus, & vitam illam, de qua ſanctus Paulus dixit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Neceſſe eſt,* inquit ſanctus Bernardus, *Vt qui non viuit in ſe, viuat Chriſtus in illo.* (Serm.7. Quadr.)

Officium Religioſorum eſt mortificatio.

CAPVT XXXI.

TERTIO, ſicut mors dicitur officium mortalium; ita & mortificatio eſt Religioſorum officium. Ideo ſanctus Ioannes Climachus Monachum definit violentiam naturæ. *Hæc noſtrum penſum eſt, hoc munus no-*

ſtrum,

ſtrum, hac militia noſtra, vim ipſi naturæ inferre. Per nos regnum cœlorum vim pati debet; nam violenti rapiunt illud. Quare S. Auguſtinus dixit:
Serm.13. de verb.Domin. *Hoc eſt opus noſtrum in hac vita, actiones carnis ſpiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frenare, interimere. Hac eſt actio noſtra, hac eſt militia noſtra. Nobiſcum quoque loquitur S. Petrus, dicens: In hoc vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Nimirum vt ſequamur Ieſum abnegantes nos metipſos, & tollentes crucem noſtram. Hoc eſt non ſolum officium, ſed ſtatus noſter, deſideria ſæculi opprimere, iugulare appetitum, trucidare omnem motum naturæ. Ad hoc autem religioſa vota emiſimus. Quemadmodum enim qui aliquam artem exerciturus eſt, inſtrumenta illius quærit: ſic nos inſtrumenta perfectionis, paupertatem, caſtitatem & obedientiam quæſiuimus; quia perfectionem, & mortificationem exercere propoſitum nobis eſt tanquam proprium officium, & profeſſionem. Ad quid relinqueremus res omnes, ſi deſideria retinere liceret. Nonne hoc ridiculum, & prorſus ſtultum eſt renuntiaſſe mundo, & ipſum auidè concupiſcere, rumpique votis, pro iis, quæ mundi ſunt. Hoc enim ipſo quod reliquimus materiam cupiditatū, & ipſas cupiditates relinquere tenemur. Quare cùm opes, cùm voluptates, cùm voluntatem ipſam depoſuimus per tria religionis vota, & ipſos affectus earundem rerum omittere debemus. Quid eſt renuntiatio proprietatis, caſtitatis obſeruatio, & alieno arbitrio viuere, niſi inſtrumenta noſtri officij, organa ſcilicet perfectionis, vt puritatem animi elaboremus, & crucem fabricemus nobis, quam tollentes ſequeremur filium Dei. Cur inania hæc & irrita facimus? qui artifex, qui in officina ſua idonea facultatis inſtrumenta collegiſſet, relinquet illa ſine vſu oblitus propriæ artis? Nos hæc facimus caſſa & inutilia, relinquimus inſtrumenta perfectionis, dum in eam per mortificationem perfectam non conamur, dum non derelinquimus affectum, dum non relinquimus effectum. Neque tantùm irrita facimus hæc organa perfectionis, ſed noxia nobis reddemus ſi cum rebus ipſis pariter & cupiditatem non ponamus. Quis enim magis miſer quam qui caret, & cupit. Vnde mœror animi, vnde anxietas, vnde acrior cupiditatis morſus cùm priuari cupitis ſe videt. Quare ratione noſtri officij, & propoſito non tantùm debemus res, ſed & cupiditatem relinquere, & vincere deſideria carnis & ſanguinis, & quidquid ſecundùm naturam eſt, non ſecundùm ſpiritum, & gratiam. Hæc vocatio noſtra, hæc profeſſio, hoc officium, & nihil hac vocatione ſublimius, nihil hac perfectione dignius, nihil hoc officio honoratius, nihil fœlicius.* Rectè ſanctus Gregorius Nazianzenus officium Religioſi
Apol.1. deſcribens dixit: *Nihil mihi fortunatius eo homine videbatur, qui clauſis, compreſſiſque corporis ſenſibus, atque extra carnem, mundumque poſitus, in ſeque collectus, nec niſi ſumma neceſſitate impellente quicquam rerum humanarum attingens, atque & ſecum ipſe & cum Deo colloquens ſuperiorem rebus in aſpectu cadentibus vitam agit, diuinaſque ſpecies & imagines puras ſemper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in ſeipſo circumfert, ac Dei, rerumque diuinarum purum omnino ſpeculum eſt, indieſque efficitur; lucique lucem, obſcuriori videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri æui bono fruitur, & cum Angelis verſatur, & licèt adhuc in terris agens, terram deſerit, atque à ſpiritu in cœlo collocatur.* Cùm ſic honorificum ſit officium noſtrum, cur patimur & facimus hoc opprobrium, quòd faber, quòd ſeruus, quòd miles ſuo curent ſatisfacere muneri, atque de hoc glorientur, & ſolùm Religioſus illud contemnat? Cùm faciliùs poſſet explere, & honorificentiùs expleat.

Omnium malorum remedium, bonorumque cauſa eſt mortificatio.

CAPVT XXXII.

QVARTO mortificatio, melius quàm mors, omnium eſt malorum remedium; mala autem, aut pœnæ ſunt, aut culpæ, vtrumque malorum genus mortificati effugiunt. *Soli enim*, ait ſanctus Chryſoſtomus, *in tranquillo portu & ſecuritate ſumma reſidentes velut ex cœlo ipſo cæterorum naufragio proſperant. Namque conuerſationem planè cæleſtem elegerunt, nihilque deterius Angelis effecti ſunt. Et quidem tum propter innocentiam, cordiſque puritatem, tum propter quamdam impaſſibilitatem, ſenſuumque, & affectionum abſtractionem Angeli dici merentur. Vnde triſtitia, vnde anxietates, vnde affectuum tumultus, vnde dolores cordis, niſi ex mortificationis defectu.* Rectè ſanctus Auguſtinus dixit: *Iuſſiſti Domine, & ita fit, vt animus inordinatus ipſe ſibi ſit pœna. Quis factus eſt ſibimet ipſi grauis, quis oneroſus, quis moleſtus, quis importunus ſibi, & alijs, niſi qui neſcit affectibus ſuis imperare, qui cupiditates non coercet.* Hoc ſatis nouit ſanctus Iacobus cùm dixit: *Vnde bella, vnde lites in vobis? Nonne* cap.4.
hinc, ex concupiſcentijs veſtris? Concupiſcetis, & non habetis, occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci, litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulaſtis. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis. Imprudentia enim & impudentia, indefectibilis cupiditatum noſtrarum ſunt tormenta, ſunt cruciatus noſtri; quia multa concupiſcimus, & quia temerè & ſtultè. Hinc fit quòd fruſtratis noſtris votis aduramur, & cruciemur, & rumpamur, & moriamur viuendo; imò vitam ipſa morte mortaliorem, & miſeriorem agamus. Per cupiditatum meam moderationem & affectuum mortificationem reſpiremus, recreemur, viuamus denique. Nam aliter viuere mori potius eſt; quare meritò dixit Apoſtolus: *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini*; hoc eſt, rumpemini, cruciabimini, & præ anxietate cordis moriemini in ipſa vita deteriori, quàm morte. *Si autem facta carnis mortificaueritis, viuetis?* hoc eſt, reſpirabitis, & quieſcetis, & recreabimini, præcipuè in communitate religioſa, vbi difficillimum eſt viuere ſecundùm deſideria ſecularia. Quot timores, tot anxietates, quot mortes quotidie patietur immortificatus. At quàm proſperè mortificatus procedet, quàm placidè, quàm tranquillè, cùm omnia videat ſuum propoſitum iuuare. De malis culpæ non erat opus dicere, cùm luce clariùs ſit omnes defectus, omnia peccata ex defectu mortificationis fieri.

Verùm non ſolùm mortificatio eſt malorum

omnium remedium ; ſed præterea eſt bonorum cornucopia, non ſolùm tollit mala, ſed largitur bona,& remedium eſt,& refrigerium. Sicut igitur duo malorum genera,& pœnæ, & culpæ aufert mortificatio,ita etiam duo bonorum genera, & gaudij, & meriti confert. Spiritualis enim lætitia Religioſi mortificati excedit omnes corporis voluptates, atque omnem ſenſuum dolorem & laborem compenſat. Vt meritò miretur S. Am-
Epiſt.82. broſius dicens: *Qualis hæc vita, in qua nihil ſit, quod timeas,& quod imitoris plurimum eſt. Ieiunij labor compenſatur placiditate,leuatur vſu,ſuſtentatur otio,aut fallitur negotio, non oneratur mundi ſolicitudine, nec occupatur alienis moleſtijs, non vrgetur vrbanis diſcurſibus.* Sanctus Dauid gu-
Pſal.70. ſtum mortificationis expertus ait: *Renuit conſolari anima mea. Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Similiter Apoſtolus. *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis,ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Ideo ſanctus Bernardus dixit:
Epiſt.111. *Guſtato ſpiritu neceſſe eſt deſipere carnem, affectanti cœleſtia, terreſtria non ſapiunt; æternis inhianti faſtidio ſunt tranſitoria.* Denique quanta æternæ beatitudinis merita per mortificationem lucrabimur, qualem vitam comparabimus, dum ad præſens,ad momentum mortui viuimus. *Vita Monachorum, mortificatorum ſcilicet*, ait ſanctus Ephrem, *Angelis ſimilis,eorumque inſtitutum diuino miniſterio plenum eſt. Continet enim vitam quæ in præſenti Deo inſeruit, & ante hanc fœnori dat, vt pro vſura vitam æternam accipiat, mutuo dat terrena,& accipit cœleſtia;ſoli Monachi ſuper terram, diuini certaminis conditionem, atque conſtitutionem norunt.* Egregiè Tertullianus inquit, *Sophia iugulauit filios ſuos*, ſic legit illud, *Sapientia immolauit victimas. Sapienter vtique iugulauit dum in vitam,ratiónabiliter dum in gloriam. O parricidij ingenium! ô ſceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit? Et ideo ſequitur: Sophia in exitibus canitur hymnis.* Hæc ille. Nunc ſermonem reſtauremus de humilitate mortificationis ſorore.

Ex Dialogis ſanctæ Catharinæ Senenſis oſtenditur perfectio mortificationis, & omnimodæ abnegationis.

CAPVT XXXIII.

QVONIAM autem in interiori mortificatione præcipuè elaborandum,ad eamque conandum nobis totis viribus, toto corde, totáque anima ſit, vt impleamus noſtram euangelicam regulam, qua monemur quærere in Domino maiorem abnegationem, & continuam mortificationem in omnibus rebus poſſibilibus, vt ſic ad perfectionem,& exactam Chriſti imitationem aſcendamus, quo pacto id præſtandum ſit exhibebimus ex colloquio & doctrina ipſius Dei. Cùm enim anima quædam ab auctore lucis illuminata, propriam fragilitatem,& miſeriam, ignorantiam ſcilicet, & pronam ad malum naturam recogooſceret, aliquaotulumque Dei magnitudinem,ſapientiam (inquam) potentiam, bonitatem, cæteraſque ipſius præſtantiæ partes ſuſpiceret, vidit quàm dignum & neceſſarium eſſet, vt idem perfectè coleretur & ſanctè. Dignum,quia cùm Pater vniuerſorum & Dominus ſit, omniaque vt ſuum ipſius nomen collaudent, & ad ſuam referantur gloriam,fecerit,congruum & æquum eſt, vt ſeruus Dominum ſuum obſeruans, ei ſeruiat, & obſequio pateat. Neceſſarium, quia cùm ipſe Deus rationale animal ſpiritu & corpore compoſitum, hac conditione condiderit, vt ſi voluntariè vſque ad mortem fidelem ſibi præſtiterit ſeruitutem,ad vitam perueniat ſempiternam, aliter fœlicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam conſequi nequit: perpaucos autem hoc adimplere, ſicque perpaucos ſaluari, quòd ferè omnes quærant quæ ſua ſunt, non quæ Dei. Vidit prætereà breues dies hominis eſſe, incertam horam,punctumque quo id momentaneum promerendi tempus finiatur; in inferno verò nullam eſſe redemptionem, ſed vnumquemque in futura vita, immutabili & ineuitabili ſententia, præmia pœnaſve, prout in hoc ſuo viuendi genere ſit emeritus, iuſta conſequi retributione. Vidit etiam multos multa dicere, & diuerſimodè multifariamque prædicare ac loqui de virtutibus quibus Deus fideli ſeruiture colatur: rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebetem, memoriam debilem, vt nequeat, vel multa percipere, vel percepta fideliter continere, ac idcirco, licèt multi ſtudeant ſemper addiſcere, quàm pauciſſimos tamen integritatis perfectionem attingere Deo vt dignum, & neceſſarium eſſet deſeruire,ſed ferè omnes curis anxios, mentis agitationibus fluctuantes, extremo ſemper in periculo degere. Videns igitur hæc omnia anima illa, ſpiritu coram Domino exurgens, ardenti deſiderio, ac vehementi affectu ab ipſius maieſtate efflagitauit, vt ſuccinctè & breuibus præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita noſtra ſanctè inſtitui, ac perfici poſſet, quæque vi ſententiarum, prædicationum veritatem, & vniuerſas complecterentur ſcripturas, quorum obſeruatione & ipſe debita ſeruiture coleretur, & ex hac breui, mortali ac miſera vita ad eam ad quam creauerat,felicitatem perueniremus. Deus itaque,qui & ſancta deſideria inſpirat, & eadem ſuſcepra irrita non eſſe permittit,ſtatim huic animæ in mentis exceſſu conſtitutæ affuit, hæc dicens: Dilecta mea, placent mirum in modum huiuſcemodi deſideria tua, & adeò placent, vt eis longè magis cupiam ipſe ſatisfacere, quàm ipſa ſibi cupiant ſatisfieri. Ingens namque meum optatum eſt, ea in vobis (volentibus vobis) beneficia conferre, quæ ſaluti veſtræ vtilia, commoda & neceſſaria ſint, atque ideo tuum adimplere deſiderium, & te voti compotem efficere paratiſſimus ſum. Quare attende, & diligenter obſerua quæ tibi ipſe ineffabilis, & nunquam fallens veritas dicturus ſum, quoniam tuæ annuens petitioni breuiter proponam quid ſit, quòd ſummam perfectionem, omneſque contineat virtutes, ac ſimul Scripturarum volumina, & multiplices complectatur prædicationes, vt ſi tuam ibi faciem ſpeculatura fueris, & te ad illud compoſueris, ac ſeruandum formaueris, quidquid patet & latet in diuinis ſermonibus, adimpletura ſis, & ſempiterna lætitia, & perpetua pace fruitura. Scias igitur ſeruorum meorum ſalutem perfectionemque hoc vno conſtare,

ſtare, vt meam ſolius faciant voluntatem, atque eam ſummo ſemper ſtudio adimplere nitantur, vt mihi vni obſequi, me vnum obſeruare, me vnum attendere, omnibus vitæ ſuæ contendant momentis, quantoque diligentiùs in id incumbant, tanto perfectioni propiùs accedere, quoniam mihi qui ſum ſumma perfectio, magis preſſiúſque adhærent, copulantur, iunguntur. Vt autem planiùs hanc (licèt ineffabilem) breuibus tamen traditam veritatem intelligas, reſpice in faciem Chriſti mei, in quo mihi bene complacui. Ipſe namque exinanitus ſeruili forma aſſumpta, factuſque in ſimilitudinem carnis peccati eſt, vt vos cæca caligine obrutos, & à via veritatis auerſos, ſuæ lucis ſplendore illuminans ad rectum iter & verbo conuerteret, & exemplo. O Benedicens fuit vſque ad mortem, ſic ſua perſeueranti obedientia vos docens, ſalutem veſtram ex faciendæ ſolius voluntatis meæ ſtabili inſtituto pendere; nam ſi quis diligenti ſtudio & conſideratione, ipſius tum vitam, tum doctrinam meditari velit, perſpiciet proculdubio, mortalium integritatem perfectionemque in nulla re alia conſtare, quàm in iugi, perpetua ac fideli meæ voluntatis obſeruatione: quod idem dux veſter toties atteſtando repetit. Ait enim. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed omnis qui fecerit voluntatem Patris mei.* Et attende quòd non fruſtrà repetit bis, *Domine, Domine*, quoniam cùm omnis tranſitoria conditio ad duo vniuerſalia genera reducatur, religioſum, ſcilicet & ſæculare; ſignificare vult neminem, cuiuſcumque conditionis ſit, æternæ vitæ gloriam conſecuturum, licèt omnem mihi extrinſecus honorem exhibeat, niſi meam fecerit voluntatem. Item alio loco. *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me Patris.* Et iterum: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Item: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et, *ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Si vis ergo Saluatoris tui exemplum imitatura, meam facere voluntatem, qua conſtat eſſe bonum tuum, neceſſe eſt vt tuam omnibus in rebus prorſus contemnas facere voluntatem, illamque abneges, & extinguas: quoniam quanto magis morieris in te, tanto magis viues in me, & quo purgatiùs eiicies quod tuum eſt, eò abundantiùs ipſe reponam quod meum eſt. Poſtquam illa anima hæc veritatis ſalubertima documenta percepit, tota lætabunda dixit: Pater & Deus meus, placent ſummopere, & pluſquam explicare queam, quæ ſeruulæ tuæ narrare dignatus es, & quàm magnas poſſum benignæ maieſtati tuæ gratias ago: quoniam quantum mea rudi intelligentia conſequi poſſum, non aliter eſt, quàm mihi per Saluatoris exemplum præclarè ac lucidè demonſtraſti. Cùm enim tu ſummum, & omne bonum ſis, non volens iniquitatem, ſed iuſtitiam tantùm, & honeſtatem, quidquid faciendum eſt, perago, ſi tuam voluntatem adimpleo; & eam impleo, ſi meam propter te abnego, quam tu minimè violare vis; quoniam mihi idcirco liberam tradidiſti, vt ego ſponte eam tibi ſubigendo, & tuam ſolius facere ſemper intendendo gratior tibi fiam, & maiora apud te mea ſint merita. Volo igitur, ac vehementer deſidero id adimplere quod præcipis. Sed non planè ſcio, quibus rebus tua contineatur voluntas, quove tibi fideli obſequio emácipari queam: ſi arrogans non ſum, & mea temeritas tua non abutitur lenitate, ſupplex obſecro, vt iuxta petitionem meam, id quoque me paucis doceas. At Dominus, ſi paucis & collectim ſcire deſideras voluntatem meam, vt eam integrè valeas adimplere, hæc mea voluntas eſt, vt ſummè & ſemper ames me, ſicut præcepto mandaui vobis, vt toto corde, tota anima, & omnibus viribus veſtris diligatis me, huiuſque præcepti obſeruatione tua perfectio continetur: quoniam finis præcepti charitas eſt, & plenitudo legis eſt dilectio. Anima ad hæc: Teneo voluntatem tuam, & perfectionem meam, in ſummo tui amore collocatam eſſe, ipſaque te (vt par eſt) ſummo amore, ac vehementiſſima dilectione proſequi vellem, ſed quonam pacto id efficere poſſim, aut debeã, ſatis mihi compertum non eſt. Quocirca orans expeto vt me hac quoque in parte breuibus inſtruas. Tunc Deus. Audi igitur, & ad ea quæ dicam, tota mentis attentione inuigila. Si me perfectè amare vis, te tria hæc facere neceſſe eſt. Primò, vt voluntatem tuam ab omni amore affectuque terreno & carnali prorſus amoueas, ſegreges, mundifices, ita vt in iſta vita nihil tranſitorium, nihil caducum, nihil temporale ames, niſi propter me, nec (quod magis & maximum eſt) ames me propter te, aut te propter te, aut proximũ propter te, ſed ames me propter me, te propter me, & proximum propter me. Quoniam diuinus amor terreni affectus, aut alterius cuiuſuis amoris conſortium pati non poteſt. Vnde quantum cum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum & in mei amore peccabis, & de tua perfectione deperdes. Mentem quippe vt munda & ſancta ſit, omnia quæ corpus ſentit, faſtidire neceſſe eſt. Effice igitur ne quidquam ex his, quæ à bonitate mea veſtros in vſus profecta ſunt, te à me amando impediat, ſed omnia adiuuent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando conceſſi, vt bonitatis meæ largitatem latiùs ex ipſis dignoſcẽtes, me abundatiore quoque amore proſequeremini. Perſtes igitur appetitu, lumbiſque ſuccincta, ac vigilanti cuſtodia te ſemper obſeruans, terrenis concupiſcentiis, quas vndecumque tibi mortalis vitæ miſeria, & corrupta ſuggerit natura, alacriter reſiſte, vt cum Propheta meo dicere poſſis: *Qui perfecit pedes meos*, id eſt, affectus, qui animæ pedes ſunt, *tanquam ceruorum*, ad fugiendum canes, id eſt, laqueos concupiſcentiæ terrenarum rerum, *& ſuper excelſa ſtatuens me*, id eſt, in contemplatione. Cùm hoc primum impleueris, ad ſecundum, quod etiam altioris perfectionis eſt, peruenire poteris, vt omnes cogitationes, actus & opera tua dirigas ad meum. Solummodo honorem & gloriam, ſemperque ſolius meæ laudis ſtudioſiſſima, des operam, precibus, verbis & exemplis, & quomodo poſſis, vt non tu tantùm ſic, ſed alij omnes tecum pariter, & eodem modo affecti ſint, vtque vniuerſi me vnum norint, amẽt, colant. Hocque mihi magis placet, quàm primum, quoniam magis implet voluntatem meam. Tertium quod reliquum eſt, ſi aſſecuta fueris, tibi nil deeſſe, teque conſummatam integritatem conſecutam ſcito. Illud autem hoc eſt, vt ſummo deſiderio quæras, nitaris & ſtudeas ad hanc peruenire mentis diſpoſitionem, vt mihi ita coniuncta ſis, tuaque, meæ (quæ perfectiſſima eſt) ita ſimilis ſit, conformiſque voluntas, vt nolis non ſolùm malum, ſed & bonum quod ipſe nolim, vtque eueniat quidquid velit, & vndecũque

Pſal. 17.

velit, in iſtius vitæ miſeria, ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus in rebus, minimè frangatur pax tua, turbeturve quies mentis tuæ, ſed inconcuſſa fide ſemper teneas, me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quàm tu te ipſam, meque tui diligentiſſimam habere curam, & multò diligentiorem, quàm tu. Quanto magis ſic te mihi commiſeris dederiſque, tanto magis te adiuuans, tibi ſemper adero, & tu ipſa clariùs cognoſces, ac vberiùs ſenties circa te dulciſſimam charitatem meam. Ad hanc autem perfectionem perueniri non poteſt, niſi per ſtabilem, conſtantem, ac abſolutam propriæ voluntatis abnegationem: quam qui præſtare negligit, ſimul hanc excellentiſſimam perfectionem negligit; qui verò libens præſtat, ſimul integerrimam voluntatem meam integerrimè exequitur, mihique ſummè placet, & me ſecum habet: quoniam mihi gratius, ac iucundius nihil eſt, quàm per gratiam vobiſcum agere, & in vobis habitare, meæque ſunt deliciæ cum filiis hominum eſſe, & vt volentes ipſi (nolo enim liberi ius arbitrij violare) à me in me per gratiam transformentur; vt ſint vnum mecum participatione perfectionis meæ, præcipuéque pacis, ac tranquillitatis meæ. Vt autem planiùs intelligas, quàm ardenti deſiderio cupiam vobiſcum eſſe, vtque magis accendaris ad ſubigendam mihi copulandamque meæ voluntatem tuam, vide & alta mente conſidera, voluiſſe me, vt vnigenitus meus incarnaretur, vtque mea diuinitas maieſtatis dignitate ſepoſita, veſtræ copularetur humanitati, vt tanto amoris ac charitatis exemplo, tanta ineffabilis dilectionis demonſtratione vos ad pariter coniungendam meæ voluntatem veſtram, vnique mihi iugiter adhærendum prouocarem, allicerem, traherem. Voluiſſe præterea, vt ille ipſe dilectus filius meus tam horrendam, immanem, crudelemque crucis mortem ſubiret, vt ſuis tormentis veſtrum peccatum tolleret. Peccatum (inquam) quod inter me & vos diuiſionem fecerat, & meam à vobis ita faciem auerterat, vt nullo vos pacto poſſem reſpicere. Paraſſe inſuper menſam maximi & parum agniti ſacramenti corporis ipſius & ſanguinis, vt in cibum ſumentes transformemini, mutemini que in me, ac ſicut panis & vinum quibus veſcimini in ſubſtantiam tranſeunt corporalem; ita & vos manducantes ipſum, qui mecum vnum eſt, ſub panis & vini ſpecie, in ſubſtantiam ſpiritualem, & in me ipſum conuertamini, & hoc illud eſt quod Auguſtino ſeruo meo his verbis dixi: Cibus ſum grandium, creſce & manducabis, nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Cùm audiſſet anima illa quænam eſſet Dei voluntas, & quemadmodum ad eam implendam neceſſaria etiam erat perfecta charitas, perfectamque charitatem propriæ voluntatis abnegatione conſtare, dixit: Significaſti mihi Domine Deus meus voluntatem tuam, ſignificaſti Domine, quòd ſi perfectè amauero te, nihil terrenum, aut mortale, nec etiam me ipſam amabo propter me; ſed quidquid amabo, ſecundùm te, & propter te amabo. Dixiſti vt ſummo ſemper ſtudio tuam ſolius laudem, honorem, & gloriam velim perquirere, ſimulque operam dare, vt alij quoque idem nitantur facere: & vt quæcumque aduerſa mihi in hac miſera adueniant vita, ea compoſita mente, & æquo animo ac lætanti tolerare contendam. Nunc quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficiéda ſunt, doce, quæſo, quonam pacto ad hanc peruenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare & aſſequi queam, vt enim per tuæ doctrinæ lumen video, tantum in te viuo, quantum in me morior: Deus autem, qui ſancta nunquam fruſtratur deſideria, ſic intulit. Perfecta tui abnegatione tuum omne bonum conſtare certum eſt, quoniam te tantum mea gratia repleo, quantum te tua voluntate euacuas: & perfectionem tuam efficit participatio diuinæ bonitatis meæ per gratiam, ſine qua humana creatura (quantum ad virtutem & dignitatem ſuam) nihil eſt. Ad hanc igitur ſi peruenire vis, tibi eſt in ſumma humilitate præſtandum, & ex vera atque intima miſeriæ & inopiæ tuæ cognitione id vnum iugiter vehementerque affectandum, vt mihi ſolùm pareas, meamque ſolius voluntatem obſerues. Quo autem id præſtare queas, neceſſe eſt vt per mentis conceptum & animi exiſtimationem tibi habitaculum circum vndique concameratum ex ſolius meæ voluntatis materia conſtruas, teque eo concludas & ſemper inhabites, vt quocumque eas, nunquam progrediaris, quocumque proſpicias, nunquam extra aſpicias; ſed tuos mentis & corporis ſenſus mea ſemper circunſtet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites, aut efficias, niſi quod mihi placet, & meæ eſſe voluntatis credas, ſicque te quidquid agendum erit, ſanctus Spiritus edocebit. Alia etiam via ad propriæ voluntatis abnegationem perueniri poteſt, ſi adſunt, qui te ſecundùm me inſtruant, regantque his propriam ſubiiciendo voluntatem, te totam, ac tua omnia his committendo, his parendo, & eorum ſemper ſequendo conſilia. Quoniam qui fideles, & prudentes ſeruos meos audit, me audit. Sed ad hæc volo, vt certa fide, alta mente, ac frequenti conſideratione mediteris me Deum tuum glorioſiſſimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creaui, æternum eſſe, ſummum, omnipotentem, vobiſque omnia quæ mihi placita ſunt facere, nec eſſe qui vel tantillum meæ poſſit reſiſtere voluntati, nec quidquam ſine eadem voluntate mea vobis accidere, nihil prorſus niſi me permittente prouenire, vt per Prophetam vobis enuntiaui, non eſſe malum in ciuitate, quod non ipſe fecerim, id eſt, permiſerim. Mediteris pariter me Deum tuum ſummæ eſſe ſapientiæ, perfectiſſimæ cognitionis, & intelligentiæ omnia certa ratione videntis, & acutiſſimè penetrantis, vt ad cœlum, terram, mundum totum, & vniuerſa gubernanda nulla poſſim ratione falli, nullo errore turbari, quod ſi non ita eſſet, nec Deus eſſem, nec ſapientiſſimus. Et vt tantillum percipias vim huius ſummæ ſapientiæ meæ, ſcias de malo culpæ & pœnæ me longè maius bonum, quàm ſit malum, elicere. Tertiò velim conſideres me eundem Deum tuum non minus ſummè bonum eſſe, & vi amoris beneuolentiæque conſtare hac de cauſa non poſſe, niſi quæ bona ſunt, vtilia & ſalubria tibi & aliis velle, non poſſe à me aliquid malum prouenire, nihil odiſſe, & hominem vt mea bonitate creaui, ita per me ſemper inæſtimabili dilectione proſequi. His verò per firmam fidem, mente ac meditatione collectis cognoſces tribulationes, tentationes, difficultates, honores, infirmitates, & aduerſa omnia ob nullam aliam cauſam me gubernante prouenire, niſi vtilitatis &

ſalutis

ſaluris veſtræ gratia, vt per ea quæ videntur vobis mala, à prauitare corrigamini & ad virtutem, qua itur ad verum & ſummum bonum vobis incognitum perducamini. Cognoſces præterea hoc fidei lumine perluſtrata, me Deum tuum magis poſſe, ſcire, velle bonum tuum, quàm tu, teque id nec poſſe, nec ſcire, nec velle abſque gratia mea; id igitur cùm ita ſit, danda tibi ſummo ſtudio opera eſt, vt voluntatem tuam diuinæ voluntati meæ prorſus ſubiicias, quoniam ſic placida ſemper mente quieſces, & me ſemper tecum habebis (factus eſt enim in pace locus meus) nec erit tibi ſcaodalum peccati, hoc eſt, offendiculum aliquod ad peccatum, nec per impatientiam, nec aliquo quouis modo: nam pax multa diligentibus nomen meum, & non eſt illis ſcandalum; tantum etenim amant legem meam, ideſt, meam voluntatem, meaque lex eſt qua cuncta reguntur, tantumque mihi per ipſam copulati ſunt, & in ipſius delectantur obſeruatione, vt eueniat quidquid velit, & vndecumque velit, cuiuſcumque generis & æſtimationis ſit, nulla te præterquam culpa hæc mihi fiat iniuria, perturbari queant. Proſpiciunt namque claro & purgatiſſimo mentis oculo à me ſummo vniuerſi gubernatore, mirifica ſapientia, charitate, & ordine cuncta adminiſtrante, non niſi bona poſſe prouenire, meque ſibi ac rebus ſuis melius, vtiliuſque proſpicere, quàm ipſimet per ſe ſciant, poſſint ac velint, ſicque omnibus in rebus quæ eueniant, quaſque ſuſtineant (vt ſint) me auctorem & non proximum firmo conſiderantes propoſito, quadam inuicta & inexpugnabili patientia ita roborantur, vt non ſolùm æquo animo, ſed libenti ac gaudenti ſuſtineant, deguſtantes in omnibus, ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus accidant, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis: quod eſt ſentire de me in bonitate; in omnibus (inquam) tribulationibus, difficultatibuſque attēdere, credere, & læto animo gratoque meditari me diſponere omnia ſuauiter, & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta prouenire. Atque huius vltimæ conſiderationis, compoſitioniſque ſanctiſſimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit & perdit, quàm propria voluntas veſtra, & amor veſtri, quæ ſi tollerentur à vobis, tolleretur & infernus vobis; tum ille qui maledictis æterno mentis & corporis tormento paratus eſt, tum ille quem in mortali vita multiplici agitatione animi ac vario curarum æſtu, imò ſuſtinetis errore. Igitur ſi viuere cupis, & in illo labenti fac ſæculo per gratiam, & in hoc ſtabili ſempiternoque per gloriam moriaris, temetipſum abnegans, & propriam voluntatem deponens. *Beati* enim *mortui qui in Domino moriuntur*. Et, *Beati pauperes ſpiritu*, quoniam tales me vident in peregrinatione per mutuum amorem, viſuri deinde in patria per gloriam & honorem. Amen. Hactenus de his; ad humilitatis commendationem peculiarem transferamus ſermonem.

***

DOCTRINA IV.

DE HVMILITATE.

Humilitas Angelica virtus.

CAPVT XXXIV.

ET in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo, & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè, & retro; & animal primum ſimile leoni; & ſecundum animal ſimile vitulo; & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti; & quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas, & in circuitu, & intus ſunt plena oculis & requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Glorioſam atque honorificentiſſimam humilitatis virtutem, tanto magis religioſis cœtibus neceſſariam & commendatam viden, quanto magis ipſa eſt virtus cœleſtis, & religioſa vita cœleſtium vitam imitari debet, ac proinde inter religioſas virtutes & magnopere neceſſarias ſpirituali vitæ præcipuo eſt cenſenda loco. Nonne virtus cœleſtis eſt, quæ non eſt in terris inuenta vſque dum de cœlo illam deferret filius Dei, & tanquam eximium bonum ad noſtram tranſportaret regionem; cuius vſu beati delectantur ſpiritus. Virtutem quippe Angelicam cœleſtis nobis communicauit Magiſter, vt cœleſtibus nos ſimiles efficeret. Qui enim reconciliauit ima ſummis, Angeloſque pacificauit cum hominibus, communi huius virtutis vſu id perfecit: nos autem erubeſcere debemus, ſiquidem ſublimes illi ſpiritus humiles ſint, cùm nos viles ſimus, permanere ſuperbos. Idcirco ad dignitatem huius virtutis noſcendam, ad pudorem nobis incutiendum, prouocandumque imitatione Angelorum, ad humilitatem, imò ad humiliationem, & denique ad omnem humiliandi ſe doctrinam, normamque tradendam oportebit conſiderare, quæ ſanctus Ioannes in Apocalypſi ſua tradidit de illis Cherubinis, ſeu Seraphinis, quæ prope thronum Dei aderant, quoniam in cœlis reperiemus eximium humilitatis exercitium; nec tantùm ſublimes illos ſpiritus humiles, ſed vt ita dicam humiliatos, humiles dum pleni oculis, antè, & retro, dum ſe cognoſcentes omnem gloriam omnipotenti Domino tribuebant: humiliatos dum aliena brutorum forma repræſentari dignantur illi, qui puriſſimæ & perſpicaciſſimæ mentes ſunt, quarum exemplo prouocati ſeniores deiectis coronis, etiam ſe coram Deo humiliarunt. Vt igitur idem faciamus, excellentiam huius virtutis in Angelis repræſentatam primùm obſeruemus. Meritò enim per Angelos demonſtratur hæc virtus, tum quoniam Angeli puriùs illam exercent, & priùs exercuerunt antequam eius vox audita in terra noſtra eſſet; tum, quoniam

Apoc. 4.

ipſa natura Angelica naturam humilitatis præfigurat. Quare in ſubſtantia ſua, & in officio, in natura ſua & in graia hanc nos Angeli virtutem docent, & commendant. Quid eſt natura & vita Angelica, niſi ſe noſcere; actio enim vitalis Angelorum, in qua vitę ſuæ eſſentia conſiſtit, aſſidua ſui cognitio eſt, iuxta doctiſſimos Theologos. Omnis quippe vita eſt aliqua actio immanens, ſeu intrinſeca, nihil enim viuere poteſt, quamdiu nihil in ſe immanentet agit. Vnde omnibus viuentibus aliqua actio interna neceſſaria eſt, dum viuunt. Et plantæ & animalia ſi à nutritione ceſſarent, non iam viuerent, ſed mortuæ computarentur. Quia propter nutritionem dicunt actionem vitalem, neceſſariam materialium viuentium. Cùm igitur Angeli ſpirituales ſint, & nutritiooe careant, alia illis neceſſaria vitæ ſuæ actio danda eſt, quæ ſpiritualis ſit, & intellectuali ſuæ competens naturæ; nec aliam commodior videtur reperiri, quàm ſui ipſius cognitio perpetua. Itaque Angelica vita erit ſe ſemper noſcere. Nonne & iſta eſt humilitatis natura, ſe ipſum noſcere, & ex ſui ipſius cognitione Deum magis noſſe, & admirari & vereri, & ſubmitti. Hinc meritò Cherubim dum humilitatem repræſentant, appellantur *animalia*. Tunc enim anima viuens audita eſt in Scriptura cùm animalia procreata ſunt, vt ſic notaretur vitam cœleſtium ſpirituum, figuram humilitatis eſſe in ſui aſſidua cognitione occupatæ. Ideo additur, *plena oculis* antè, & retrò, quia perſpicaciſſimè conſiderare ſe humilis debet, ſimul & Deum, iuxta humilis Franciſci orationem: *Noſcam te, Domine, & noſcam me.* Tum & defectus proprios, quos retro plerumque abiicimus, videt, & perinde habet, ac ſi ante oculos verſaret. Hoc etiam ſignificant illa verba, *In conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo*, inſtar ſcilicet cryſtallini ſpeculi, humilitas enim cryſtallinum hoc ſpeculum eſt, in quo ſe quiſque dignoſcet vt ad puritatem Angelicam per hanc ſui cognitionem aſpiret. *Fundamentum enim* (ait Porphyrius) *& baſis purgationis eſt noſcere ſe ipſum.*

Vide Becanum in 1. p. ſum. Theol.

In ſentent.

Præterea ſicut Angeli inuiſibiles ſunt, & ſpirituales, nullum occupantes locum, atque intellectuales; pariter & humilitas inuiſibilem ſuam dignitatem retinet, & virtus maximè ſpiritualis eſt, vt propterea à cœleſti noſtro magiſtro pauperes ſpiritu vocati ſint humiles. Tum etiam nullum humilis affectat locum habere, in quàm exiguo & minimo lætus conſiſtens. Denique humilitas intellectualis dici meritò poteſt; nam per affectationem honoris vſus ſanæ mentis, & rationis amittitur. Dictum quippe veriſſimè eſt: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis*, ſicut Nabuchodonoſor, cuius ſuperbia in beſtiam illum transfigurauit, & ſeptem annorum amentiam induxit.

Humilitatis virtutem Dominus maieſtatis è cœlo detulit & docuit primus.

Capvt XXXV.

Verum præterquam natura ipſa Angelica viua ſit humilitatis imago; ipſi eam Angeli multis colunt, & exercent officiis, antequam nota hominibus eſſet, donec filius Dei ignotam ſapientibus huius mundi virtutem, factus priùs pro nobis humilis, primus doceret. Idcirco cœleſtis virtus iure dicitur humilitas, & per mores Angelicos ſignificatur, quia non in terra fuit inuenta, donec de cœlo deſcenderet diuino magiſterio. *Hæc aqua*, inquit Auguſtinus, *humiliationis cordis, hæc aqua vitæ ſalutaris abiicientis ſe, nihil de ſe præſumentis, nihil ſua potentiæ ſuperbè tribuentis, hæc aqua in nullis alienigenorum libris eſt, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis; vbicumque etiam inueniuntur optima præcepta morum, & diſciplinæ, humilitas tamen iſta non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat, à Chriſto venit. Hæc via ab illo eſt, qui cùm eſſet altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis? Quid aliud docuit ſoluendo, quod non debebat, vt nos à debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus, qui peccatum non fecit, crucifixus, qui reatum non habebat? Quid aliud docuit niſi hanc humilitatem? Non immeritò ait: Ego ſum Via, & Veritas, & Vita.* Chriſtus enim & doctrina ſua & exemplo hanc maximè commendauit virtutem, ab huius quippe commendatione virtutis exordium cœleſtis ſuæ ſapientiæ ſumpſit, mirandam illam & profundam proferens ſententiam pro magno humilitatis honore: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, quos idem ait Auguſtinus, ſine vlla controuerſia humiles intelligimus. Deinde pro nulla alia virtute magis ſui imitationem exegit, quàm ab iſta; ſic nos amabiliter requirens: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Vnde ibidem Auguſtinus admirabundus exclamabat: *Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi in te, vt hoc pro magno diſcamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? Ita ne magnum eſt eſſe paruum, vt niſi à te, qui tam magnus es, fieret, diſci omnino non poſſet? Ita planè. non enim aliter inuenitur requies animæ, niſi inquieto tumore digeſto, quo magna ſibi erat, quando tibi ſana non erat.* Hinc poſſumus æſtimare hanc virtutem; nam, vt ſanctus Gregorius ſcripſit ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. *Quanta humilitatis virtus eſt, propter quam ſolam veraciter edocendam, is, qui ſine æſtimatione magnus eſt, vſque ad paſſionem mortis factus eſt paruus.* Primam omnium neceſſariiſſimam virtutem priùs & principaliùs omnibus commendauit modis prudens magiſter, dignum ſuæ ſapientiæ & maieſtatis donum in introitu ſuæ conuerſationis oſtendens, meritò Caſſianus ait. *Humilitas eſt omnium magiſtra virtutum, ipſa eſt cœleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum, ipſa eſt donum proprium atque magnificum Saluatoris. Iſta etenim vniuerſa miracula quæ Chriſtus operatus eſt, ſine periculo elationis exercet.* Similiter ſanctus Cyprianus. *Hic eſt primus religionis introitus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus, vt quicumque piè vult viuere, humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter paruulus attulit, & à cunabulis nos ſibi conformes fieri volens,*

In Pſal. 31.

Serm. de S. Virg. c. 31.

Ep. 36. lib. 4.

De Natiuit. Chriſti.

lens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona. Sic debuit à Domino commendari, ſic à nobis æſtimari virtus vtiliſſima, virtus oeceſſaria ſaluti, vt ferme dicerem ſolùm neceſſaria, quia ipſa nunquam ſola, ſed cum neceſſatiis, imò cum omnibus, ita vt de ea dicerem quod Auguſtinus ad Dioſcorum: *Sicut Rector ille nobiliſſimus cùm interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentia præceptis obſeruari oportere, Pronuntiationem dicitur reſpondiſſe. Cùm quæreretur quid ſecundò? eamdem pronuntiationem. Quid tertiò? nihil aliud quàm pronuntiationem dixiſſe. Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem liberet, etſi fortè alia dicere neceſſitas cogeret.*

Præterea ſicut potentiſſimus Princeps alienam ingreſſus regiooem magnos defert theſauros, vt liberaliter ſpargat in populos, & ſua etiam alienos magnificentia ditet: ſic Chriſtus in humilitate magnum oobis theſaurum, magnas opes donauit. oam, vt ſanctus Baſilius dixit, *Humilitas tutiſſimus eſt omnium virtutum theſaurus.* Cap.57. conſt. mon. Et ſanctus Ephrem, de vita ſpirituali. *Quàm pulchra, atque eximia poſſeſſio ſit humilitas, facilè norunt omnes, qui eius perferre ngum inuerecundè detrectant. Diligentes enim eam protegit, tueturque Dominus.* Similiter ſanctus Ambroſius ait: Serm. 10. *An quicquam tam pretioſum, quàm humilitas, vt naturam corporis, animæque perſpiciens, altero te ſubijcias, altero te agnoſcas.* Deoique audiendus ſanctus Bernardus in libro de conſideratione ad Eugeoium Papam, *Pretioſiſſimus fundus virtutis eſt, bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium ſpirituale constructum creſcit in templum ſanctum in Domino. Per hanc nonnulli poſſedere etiam portas inimicorum; quæ enim virtutum æquè poteſt Dæmonum debellare ſuperbiam, tyrannidem hominum. Nulla ſplendidior gemma in omni præcipuè ornatu ſummi Pontificis; quo enim celſior cæteris, eo humilitate apparet illuſtrior, & ſe ipſo.* Et in Vigilia Natalis Domini ait: *Pretioſiores panni Saluatoris omni purpura, & glorioſius præſepe auratis Regum ſolijs. Ditior denique Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctiſque theſauris ſæculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretioſius inuenitur; qua nimirum regnum cælorum emitur, & diuina gratia acquiritur? ſicut ſcriptum eſt: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

Humilitas neceſſaria ſaluti, & cælo conſequendo, cæleſtis virtus meritò dicitur. Et quomodo ſine confuſione debeamus Deo ſeruire.

Capvt XXXVI.

QVONIAM igitur humilitas Aogelica virtus eſt, & docti eam homines ſint per Angelorum Dominum, & cæleſtem Regem, meritò cæleſtis ea virtus dicitur, atque ios cæleſtium habet, & quaſi in cœlo ipſo exhibetur humilis, iuxta Saluatoris Elogium tribuentis illi Regnum cœlorum: *Beati*, inquit, *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.* Cœlum quippe ſolos humiles capit, nec enim vtilis ſolùm eſt hæc virtus, ſed neceſſaria ſaluti. Sicut iureiurando interpoſito ipſiſſima affirmauit Veritas: *Amen dico vobis, niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 18. Alibi quoque dixit Dominus: *Cùm fueris inuitatus ad prandium, recumbe in nouiſſimo loco.* Lucæ 9. Ad cœnam quippe gloriæ inuitati ſumus, nouiſſimum quærat locum qui velit illic recumbere. Hioc meritò Characteriſmus prædeſtinationis, *humilitas* dicitur. *Mens*, inquit ſanctus Gregorius, *quæ diuino Spiritu impletur, habet euidentiſſima ſigna ſua virtutis, ſcilicet humilitatem, quæ ſi profectò in vna mente conueniunt, liquet, quòd de præſentia ſancti Spiritus teſtimonium fuerat.* Et alibi. *Quia Redemptor noſter corda regit humilium, & Leuiathan iſte Rex dicitur ſuperborum, apertè cognoſcimus quòd euidentiſſimū reproborum ſignum eſt ſuperbia, at contrà humilitas electorum.* Lib. 35. Mor. Idem reſcripſit in libro collationum ſecundo S. Odo Cluniacenſis: *Manifeſtiſſimum ſignum reproborum ſuperbia eſt, & è contra humilitas electorum. Itaque ſuperbia abominatio eſt, humilitas ſacrificium.*

Cæterùm ad incrementum gloriæ, per totius virtutis profeſſionem plurimum iuuat homilitas, cùm pleroſque inanis quidam pudor, & peſſima hominum conſideratio, opinioque ab aggreſſu excellentium operum retardet; hæc quidem erubeſcentia à fatua quadam ſuperbia originem ducit; ſed audiant quid Dominus dicat, *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Lucæ 9. Et per ſanctum Marcum. *Qui enim me confeſſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum, cùm venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis.* Meritò quidem ſæuiſſimo hoc talione puniendus eſt qui Deum, Angeloſque pro hominibus contemnit. Optimè de hoc ſanctus Bonauentura: *Qui tali feruore ad religionem venit quòd pro omnibus, quæ et mundus promittere, vel dare potuit, noluit damnari in hoc ſæculo, nec pro diuitijs, honoribus, vel delitijs, nec amore amicorum, vel proprij corporis, dubitauit ſe tradere carceri pœnitentiæ propter Deum, non debet modò vilior eſſe, quàm tunc fuit, vt pro verbis hominum deſerat modò viam Dei, à cuius ingreſſu nec terroribus, nec blanditijs potuit auerti. Quod ſi timet de ſingularitate notari, & ob hoc alijs fieri odioſus, ſciat quòd nullus Sanctorum ſingularis gloriæ factus eſt in cœlo, niſi qui inter homines poſitus, ſtuduit eſſe in ſanctitate vitæ ſingularis; quod tamen de ſingularitate virtutum dico, non tantùm de ceremonialibus obſeruantijs, paruam atque nullam habentibus vtilitatem virtutis: ſtudia autem ſanctitatis in his conſiſtunt. In cauendo omne peccatum, omne ſcandalum, quantum in ſe eſt, in ſtudendo omnibus virtutibus humiliter. Et in quærendo familiaritatem Dei per affectum deuotionis internæ. Aduersùs huiuſmodi nulla eſt bona conformitas, per quam hæc ſtudia deſtruerentur. Cùm verò pro iuſtitia ſicut & pro fide debeamus pati non ſolùm irriſiones & deſpectiones, ſed etiam perſecutiones quaſlibet, & mortem, ſicut ſunt paſſi ante nos, & patientur poſt nos in diebus nouiſſimis, potius quàm fidem deſerere, vel iuſtitiam vitæ peccando relinquere. Ita in nos*

peccan

peccantibus relinquere diſcamus in paruis verborum & deſpectionum tribulatiunculis, vt ſi grauiora nobis immineat pro Chriſto certamina, ſciamus per patientiam ſuperare. Nam qui à leui flatu deycitur, quomodo ſtabit à vento maxima tempeſtatis? Hoc præmuniendum cor præmiſi contra retrahentes à ſtudio proficiendi in virtutibus. Quia qui tali ſtudio non in ſe diligit, vix poteſt pro alys ſecum morantibus æquanimiter ſuſtinere. Vnde ſicut illi non dimittunt conſuetudines ſuas malas propter nos, & noxias: ſic non oportet nos bona & vtilia ſtudia abycere propter illos; quia ſi volunt ad vitam æternam venire, oportet eos nobiſcum viam Dei, non ſuam ambulare. Diſcamus ex ſancto Dauid qui nouit hominum dicta ac dicteria

Pſal. 101. pati. *Tota die,* inquit, *exprobrabãt mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduerſum me iurabant, quia cinerem tanquam panem manducabam; & potum meum cum fletu miſcebam.* Diſplicet quippe peccatoribus eorum vita, qui ſeriò pœnitentiam aſſumunt. Grauis eſt, inquiunt impij, etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius; idcirco qui priùs erant amici, propter mutationem vitæ auerterunt ſe à Dauide, & facti ſunt eius inimici exprobrantes illi auſteritatem aſſumptam. Hi deriſores ſunt illi, qui, iuxta eumdem Prophetam, *in cathedra peſtilentiæ* ſedent. Alij iuxta Hebræum legunt, *in cathedra deriſorum.* Rectè quidem, ob perniciem ſuam, peſtilentia vocantur. Nam, vt ait Seraphinus Firmanus, *Nimia inceditur garrulitate vitium deriſionis, quod quàm ſit pernicioſum, eius colligitur ex affectionibus: legimus ſiquidem pueros quoſdam Eliſeum deridentes fuiſſe coram eo ab vrſis duobus aggredientibus dilaniatos; & ob ludibrium, quo affecit Rex Ammonitarum nuntios, Dauid ſubſecutum eſt eius, totiuſque Regni illius exitium, quod ſanè vſque adeò hodie inualuit vitium, vt Chriſtianam Chriſtianes inter agere vitam ducatur amentia; multique pia ſectarentur opera, ni illudi vererentur.* His bonorum & obſeruantium deriſoribus competit quod dixit Dominus, *Cæci ſunt, & duces cæcorum*, qui ſicut ipſi in vita ſua nihil perfectum habent, ſic in fratrum ſuorum conuerſatione damnant feruorem & obſeruantiam religioſæ diſciplinæ, & vocant ſingularitatem quidquid non eſt ſocordia & relaxatio, quorum propterea dictis aures ſunt occludendæ, vt aduersùs eos ſimus conſtantes pro virtute & pro Deo. Sic enim per Iſa-

Iſai. 51. iam alloquitur ſuos Dominus: *Audite me, qui ſcitis iuſtum, populus meus, lex mea, in medio eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorauit eos tinea, ſalus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in generationes generationum.*

Humilitas gratiſſima Deo eſt, & honoratiſsima virtus.

CAPVT XXXVII.

EXPENDAMVS nunc aliqua verba Euangeliſtæ Ioannis quæ de Cherubinis dixit, atque humilibus congruunt: *& in medio ſedis,* inquit, *& in circuitu ſedis quatuor animalia.* In hoc vicinia deſignatur, quam humiles cum Deo habent, quia gratiſſimi diuinæ Maieſtati ſunt, iuxta illud: *Quantò magnus es humilitate, in omnibus, & coram me inuenies gratiam.* Tertullianus in tractatu de velandis virginibus, ait: *Si de natura dubitatur, diſciplina quod magis Deo ratum ſit oſtendit. Nihil eſt illi carius humilitate, nihil acceptius modeſtia, nihil peroſius gloria & ſtudio hominibus placendi.* Meritò S. Hieronymus Celantiam ſic monuit. *Nihil habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius. Hæc eſt enim præcipua conſeruatrix, & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium; nihilque eſt quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quàm ſi vita meritò magni, humilitate infimi ſimus.* Rectè

quod conſiderauit ſanctus Auguſtinus. *Nulla ferè pagina eſt ſanctorum librorum in qua non ſonet, quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem* Lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 23.

dat gratiam. Quid aliud ſonat, *Tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Pſal. 17. Quid aliud ſonat, *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Quid aliud ſonat, *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Quid aliud ſonat? *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos.* Et alibi, *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?* Item, *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* Et rurſus, *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipſe ſaluabitur?* Meritò igitur Beatus Iſaias Abbas dixit, *Scriptura maxima cognitio eſt, vt te humilem præbeas fratri tuo.*

Neque enim caret myſterio, in throno ipſo Dei hæc animalia aſtitiſſe; quo loco nullus honorificentior eſt, vbi oſtenditur veriſſimè dictum eſſe, *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, quod

confirmans Salomon ait: *Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Prou. 29. Et iterum, *Gloriam præcedit humilitas.* Prou. 15. Eccleſiaſticus quoque: *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere illum faciet.* Eccl. 11. Quid amplius audire opus eſt, quàm quod ipſa veritas dixerit: *Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.* Idcirco hortatur ſanctus Petrus,

Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis. 1. Pet. Legerant tot excellentias honorificentiſſimæ huius virtutis ſancti Patres, & ſimilibus eam commendationibus col-

laudant. Sanctus Auguſtinus ait: *Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium.* Tract. 104. in Ioan. Hom. de hum. Sanctus Baſilius. *Hæc eſt hominis ſublimitas, hæc gloria & magnificentia, verè cognoſcere hoc quod magnum eſt, & illi conglutinari, ac gloriam à Domino gloriæ quærere. Nam ea demum perfecta & omnimoda glorificatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius iuſtitiam quis extollitur, ſed agnoſcit ſe vera iuſtitia deſtitui ſine Chriſto.* Sanctus Bernardus ſermone de Aſcenſione Domini. *Dilectiſſimi, perſeuerate in diſciplina, quam ſuſcepiſtis, vt per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis; quia hæc eſt via, & non alia præter ipſam; qui aliter vadit, cadit potius, quam aſcendit; quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam.* Audiamus quo-

que ex aureo D. Chryſoſtomi ore quantæ ſit non ſolùm vtilitatis, ſed gloriæ humiliter de ſe cogi- Hom. ad Pop.

tare,

tare, iuxta illud Chriſti. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſerui inutiles ſumus. Nolimus*, inquit, *extolli, ſed nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur. Nam ſi te quidem dixeris probabilem, licèt probabilis exiſtas, inutilis factus es; ſi verò te nominaueris inutilem, factus es vtilis, licèt ſis improbandus; propterea meritorum obliuiſci neceſſarium eſt.* Rurſus ait: *Nam & nos ſeruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm poſtquam omnia beneuolè miniſtrauerint, nihil magnum feciſſe ſe cenſent. Itaque ſi tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna eſſe putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, & propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus. Sic & Paulus, dicens: Non ſum dignus vocari Apoſtolus, & propter hoc omnium primus factus eſt. Itidem & Ioannes: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius, & ideo amicus quoque fuit ſponſi. Et manum quam dixit eſſe calceamento indignam, hanc vſque ad caput ſuum Chriſtus attraxit. Sic & Petrus dicebat, Exi à me, quia peccator homo ſum, Domine, & idcirco factus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quam cum extremis peccatoribus ſemetipſum connumerare. Hoc eſt totius ſapientiæ principium.*

De confuſione & cognitione ſui quam debent habere humiles.

CAPVT XXXVIII.

VERVM quantum humiles honorificati ſunt, tantum ipſi ſe contemnunt & confundunt, dum ſe reſpicientes, propriam vilitatem conſiderant, & diuinæ maieſtatis infinitatem admirantur. Hoc ſignificat mare vitreum ſimile cryſtallino ſpeculo, vbi ſe reſpiciunt: hoc ſignificat oculorum multitudo & in circuitu & intus. Hoc etiam demonſtrat velamen faciei in ſanctis illis ſpiritibus, de quibus Iſaias ait:
cap. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum, Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Apud Ezechielem quoque dicitur. *Vnumquodque duabus alis velabant corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur.* Totus hic Angelicus habitus confuſionem notat, quam humiles præ ſe coram Deo ferunt, confuſionem propriam vndequaque captantes; atque inde vberrimos ſpiritus ſui fructus carpunt. In hoc enim propriæ confuſionis ſtudio, vt dixit humillimus ſeruus Dei Beatus Franciſcus Borgia, maxima ſpiritualis fructus pars poſita eſt, vt noſtram infirmitatem & miſeriam agnoſcamus. Quod qui conſequuti ſunt, atque eiuſmodi fundamento iacto ædificare cœperunt, poſſunt illi reliquam partem tutò ſuperextruere, nam qui ſecus opus ædificant, his cùm altius opus ſurrexerit, ſolet corruere. Accidit enim vt orationis conſolationes, quæ ad virtutes ſolent conferre, niſi humilitate conſeruentur, in falſas, fallaceſque conſolationes euadant; ita boni deſideria, bona quidem ſunt, ſed ſi ea nobis ita tribuamus, vt non Dei eſſe beneficia agnoſcamus, cùm magnopere fallimur, tum non poſſumus tam infirmo iacto fundamento, quicquam firmum extruere. Quamobrem qui ſua vult opera eſſe perfecta, eaque confuſione incipiat & conſeruet, nec niſi confuſione comitante progredi quicquam audeat: ita fiet vt qui confuſionem nunquam deſerit, à Deo nunquam deſeratur, qui cor contritum & humiliatum nunquam deſpicit, ſed cum humilibus libenter conuerſatur. Hanc poſſumus dicere nuptialem veſtem, quia qui erit indutus, à nuptiis non excludetur. Hoc eſt inſigne filiorum Dei; hac indui oportet, qui Chriſtum ſequi velit, quando ipſe ita ea indutus eſt, vt diceret, *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.* Pſal. 43.
Quòd ſi etiam Chriſti faciem confuſio cooperuit, qui eſt Angelorum ſpeculum, & Sanctorum gloria, cur non ea peccatoris facies cooperiatur? aut qui niſi ea indutus in Dei conſpectum venire audeat, cùm ſcriptum ſit: *Induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua?* Attende porrò dicentem Dominum; *ſuper quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Quod ſi iuſtos etiam induit Deus confuſione, non eſt quòd ſe putet peccator ſine ea viuere poſſe: cùm præſertim non ſolùm iuſti in terra, ſed etiam in cœlo Sancti veſte hac induti ſint. Quod vel ex illis Euangelij verbis intelligi poteſt, quibus Chriſtum in die iudicij ita alloquuntur. *Quando te vidimus eſurientem, & pauimus te?* Id enim dicunt tanquam admirati, tam paruis operibus tanta ſe præmia meruiſſe: id, quod ſatis ſanctus Auguſtinus indicat, cùm ſic dicentes inducit: *Domine cur tantam & talem nobis gloriam præparaſti?* Quòd ſi hæc nos humilitas in cœlum euehit, æquum eſt eam hîc amplecti, eique nos tanquam tabulæ in naufragio credere, neque dubitare futurum, vt ei innixi periculoſo miſeriæ huius vitæ pelago, traiecto in cœleſtem tandem aliquando portum Dei miſericordia perueniamus.

Exercitium propriæ confuſionis, ex Beato Franciſco Borgia.

CAPVT XXXIX.

EXEMPLAR aliquod nutriendæ humilitatis, & confundendi ſe, opportunum erit proferre ex magno illo humiliationis Magiſtro Beato Franciſco Borgia. Qui dum omnium ſtatuum confuſionem deſcribit in Collyrio ſpirituali, conuertens ſe ad Religioſos ita inquit: Religioſus multo debet coram infidelibus, & Chriſtianis reliquis confundi, quando ei non ſolùm fidei lumen datum eſt, Chriſtique iugum dulce impoſitum, ſed & vita omni ſolicitudine vacua ſpeciali quodam priuilegio conceſſa. Confundatur quòd ex tam multis millibus electus ſit, qui ſi

vocati fuiſſent, multo erant Deo gratiores futuri. Confundatur, quòd tam negligens & diſtractus ſit in choro, vbi Deo aſſiſtunt Angeli. Confundatur ob ſeruitia fratrum in culina, in valetudinario, atque aliis locis ipſi exhibita, qui neque cui ſeruiatur, neque qui ſeruiat, dignus eſt. Confundant eum in cœnaculo fercula quæ Deus ipſi ſine vllo ipſius labore, aut ſolicitudine apponenda curat: veſtes etiam quibus induitur, & omnis domeſtica ſupellex in eius vſum parata; eomque bis homines quorum opera, agri etiam quorum cultu, omnia denique, quibus tanquam medius res eæ in hunc tandem ſtatum ad eius vtilitatem deuenerunt. Super omnia verò debet eum confundere, quia ſeruus Dei dicitur, qui ei tamen ſemper ſit inimicus. Nomen certè id eſt, de quo Virgo Beatiſſima tanquam gloriabatur cùm ſe diceret *Ancillam Dei*, quodque magnopere ſuperbos quoſque confundere debeat. Confundat prætetea Religioſum magis, magiſque domus Dei, quam tanquam filius inhabitat, cùm tamen à Patris cæleſtis perfectione tam lonè abſit; quotque in ea paſſus conficit, tot tanquam fluctibus in confuſionis pelago immergatur. Nam ſi domum Domini decet ſanctitudo, quomodo in ea iniquum fert Deus? aut cur ab orationis domo non eiicitur indeuotus? Si porrò eiuſmodi eſt domus Domini, & magnus & Rex & Propheta Dauid eligat in ea potius, quàm alibi habitare, ſeque in ea contemptum & abiectum eſſe pro beatitudine ducat: quanta eius debet eſſe confuſio, qui illic inuitus maneat? Aut ſi maneat libenter, tanto tamen eſt Dei beneficio ingratus. Et vt iam ad interiora veniamus: Confundere, ô homo de memoria tua, cùm enim hanc admirabilem potentiam iam tibi ſcias à creatore in id eſſe datam, vt ſui poſſes & ſemper, & ſuauiter meminiſſe; tu tamen in ea vilia quamplurima repoſuiſti, hiſque eam ita occupaſti, vt vix eius, qui eam dedit, poſſes recordari: itaque fit vt nulli ipſa minus, quàm Creatori ſeruiat. Confundere igitur quòd ea in Domini tui iniuriam abuſus ſis, quodque cùm in mentem tibi ſæpe reducatur ab Eccleſia quidem qui ſis, admoto quotannis cinere capiti, atque illis verbis additis: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*; à Scriptura verò, nunc quidem finis tuus, cùm dicit, memorare nouiſſima tua; nunc verò ea quæ cauſa tui Chriſtus paſſus ſit, cùm dicit: *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis*; aliàs autem ſæpe alia: tu tamen nihil minus, quàm hæc, & huiuſmodi alia meminiſſe videare, & meritò flere debeas, & cum Propheta dicere: *Renuit conſolari anima mea, memor fuij Dei, & delectatus ſum; eoque magis confundi, quòd in Dei aliquando oblinione fuerit recreata.* Iam verò vt ad intellectum tranſeamus, quantus ſe in eo confuſionis campus aperit? Qui cùm intelligat ſe in eum finem creatum eſſe, vt ſummum bonum intelligeret, ſæpe tamen non vana modò, & inutilia, & tranſitoria, ſed peſſima etiam cogitat: atque in his denique occupatur, quibus intelligit minimè debere eſſe intentum. Flendum tibi certè eſt malum hoc, & quanta poſſis confuſione deplorandum. Quid autem de voluntate dicemus, qua cùm Deum ſuper omnia deberes diligere, & tamen fueris proſequutus, quæ vel etiam cogitare pudeat, nedum dicere? Quid tibi, inquam, dicam, ô cæca voluntas, quæ bonis æternis ſenſuum delitiis prætuliſti? quam cùm dulcis Dei charitas in Seraphinorum ebo ro poſſet conſtituere mundi fœdus, amor to inferna deiecit. Meritò quidem, ô anima, tuæ te debeor potentiæ confundere, in quibus tam fœdatam videas imaginem Dei: poſſis tu quidem eas, & debes cum dolore iis verbis reprehendere; *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt*, deque eis in hunc modum conqueri: Quis vos, ô potentiæ, ô imago Dei, quis, inquam, vos perdidit? Quis tibi, ô memoria, Dei memoriam abſtulit? Quis tibi, ô intellectus mentem eripuit? Quis te decepit, ô voluntas? O quàm illud quadrat in te, ô anima, *facti ſunt principes eius, ſicut arietes, non inuenientes paſcua.* More enim arietum, cùm paſcua non inueniunt, potentiæ tuæ, quaſi in Deo paſcua non habeant, venenata paſcua quæſierunt: adeoque ea cauſa viribus defectæ ſunt, vt magna debeas confuſione confundi. Ad ſenſus tranſeamus. Dedit quidem Deus oculos, vt creaturarum pulchritudine conſpecta, in te omni ſe amares, ipſique pro omnibus gratias ageres: tu verò contrà quæcumque vides conſumis, aut ira veluti incendens, aut auaritia concupiſcens. Itaque cùm oculi tui coram Deo eſſe deberent, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, baſiliſci (qui quæcumque conſpicit viſus interficit) oculi facti ſunt. Confundere igitur quòd lumen tibi datum in tenebras verteris, quodque aures, & ſanctis inſpirationibus claudis, & murmurationibus aperis: quòd qua deberes Deum lingua benedicere, hominibus maledicis: quòd cùm ſolicitus ſis, ne quicquam malè oleat, graue olens tamen peccatum, non ſentis: quod denique durom eſſe videatur, ſi quid eſt pro Chriſto patiendum; ſuaue verò ſit quod pro mundo pateris. Deplora itaque ſenſuum mala, atque eius rei memoria humiles tibi, & confuſionis plenas lachrymas exprimat. Quòd ſi necdum ſatis hæc ſunt, te caput tuum confundat, quod ſpinis preſſum non ſit. Confundant capilli, quòd non ſint euulſi, manus autem & pedes, quòd non tranſfixi clauis: reliqua te membra confundant, quòd cùm niſi Dei virtute moueri non poſſint, fueris tamen tu pedibus Chriſtum perſequutus, manibus autem, atque operibus ipſum vulneraris, & lingua læſeris. Denique ſi rectè rem putes, tu tibi magna ſolus confuſionis materia es: nec enim eſt in te quicquam de quo ſi diligenter cogites, non debeas magnopere confundi. Quòd ſi in te ſint, quæ non intelligas, vel ea cauſa maximè confundi debes, quòd ea ipſe plenè non noueris. Nam vel quæ ſit anima, aut quid in ſe habeat, aut corpori quemadmodum vnita ſit, denique vt ſit à corpore ſeparanda, ſi ex te ipſe quæras, non poteris reſpondere. Quòd ſi in rebus propriis tam es inſcius, quàm eris obſecro in alienis? Illud interim verum eſt, & in his, quæ de te ſcis, & in his, quæ ignoras, magnam tibi confuſionis materiam ſuppetere. Quòd ſi mihi quiſquam hoc loco obiiciat, non in bonis, ſed in malis tantùm operibus confuſionis cauſam reperiri, id ego negauerim; puto enim

in

in boois etiam propterca nos debere confundi, quòd ad bonum ſimus admodum imbecilles, adeò verò procliues in malum, vt magis mirum ſit ex tam corrupta natura boni aliquid prodire, quàm ex roſario roſam naſci; eſt enim id roſeto oaturale, vt roſam proferat, at perfectum opus non ſola hominis natura poteſt producere: nec enim Deo gratum quicquam ſine eius gratia eſſe poteſt. Qui ergo miratur inter ſpinas ortam roſam, multo magis mirari debet boni aliquid à ſe factum, tantoque magis confundi, quod videt in ſterili ſolo, dignoque quod ob peccata in Deum maxima ſale conſpergatur, operetur mira Deus, atque id excolere perſeueret. Quare non de malis tantùm operibus nos, ſed de bonis etiam confundi poſſumus, & debemus. Si qua enim facimus bona, Deus eſt, qui ea in nobis cœpit, fecit, atque perfecit: noſtrum illud eſt vt magis, magiſque confundamur, atque humiliemur, qui Deo tam ſæpe reſtiterimus, eamque, quam meruimus pœnam, eius clementia euaſerimus. Ne verò quicqnam confuſioni depereat, aduertendum io conuerſationibus, vbi maiora ſolent eſſe pericula, vt ſi de manſuetudine agatur, veniat in mentem irarum tuarum: ſi de rebus pulchris, tuorum peccatorum fœditatis recorderis: ſi de magnatum potentia ſermo fiat, id conſideres, quàm nihil ſis, nihilque poſſis; tum etiam cùm maximè aliquid efficere coneris: ſi de auaritia quis loquitur, tua inordinata deſideria; ſi de humilitate, tuam ſuperbiam memineris, atque ita in reliquis. Cùm mentio fit vitiorum, noſtrorum recordemur: cùm autem virtutum, eas nobis deeſſe cogitemus. Ita fiet vt confuſionis materia nobis ſemper ſuppetat, idque in conuerſationibus, præſertim vbi maius eſt confuſionis admittendæ periculum.

Conſiderationes aliquot ad cognoſcendam propriam fragilitatem, ex venerabili Thoma Malleolo.

CAPVT XL.

ADRICIAM alias cooſiderationes ad propriam agnoſcendam vilitatem, quibus mellifluus Thomas Malleolus auſpicatur libellum ſuum *de recognitione propria fragilitatis*, ad illud Prophetæ: *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* Hæc, inquit, verba ſont ſancti Prophetæ, & humilis Regis Dauid. Quid ergo tu vilis homo ad hæc dicis, qui terra es, & cinis? Quid grande aliquid de te imagioaris, & alta vanitate delectaris, aut cur te alicui bono homini comparare audes, cùm ſis re vera peccator, & totus in peccatis natus, & totus vitiis, ac concupiſcentiis plenus? Verè ſi in veritate te diſcutis, & intueris, omnibus deteriorem te rectè iudicabis. Dic mihi qualem meretur confuſionem, ac pœnam, qui Dominom terræ, aut principem regni cotumelioſis verbis, & factis indignis offendit? Vel certè quantæ vituperationis iaculo ille ferieodus eſſet, qui in conſpectu

Pſal. 118.

Th. Malleol.

Regis, & miniſtrorum eius fœtidiſſimum cadauer tangeret, aut lutum immundum reuolueret? Nonne ſtatim confuſibiliter expellendus eſſet, aut etiam carceri tradendus ab omnibus iudicaretur? Tu es (proh pudor!) ſtultus ille, qui peſſimam hanc rem feciſti. Nam ecce in præſentia diuinæ maieſtatis, & ſanctorum Angelorum eius peccare non timuiſti. Multa etiam illicita phantaſmata verſaſti, quæ citiſſimè reſpuere deberes, & pluſquam lutum platearum deteſtari. Inſuper permittis cor tuum, in omne penè ſæculum euagari, etiam tempore orationis, & in loco ſacro, vbi cum maiori reuerentia, & ſolicitiori attentione iuberis aſſiſtere, ac ſoli Deo, & tibi ipſi firmiſſimè vacare. Quomodo ergo dignè dicendus eſt Religioſus, tam longè à Deo, & à corde tuo abſtractus? Nonne propter tua grauia & multa demerita velut canis immundus meruiſſes à conuentu ſanctorum fratrum expelli, ac duris increpationibus caſtigari? vt fieret vltio de inimicis Regis, quem offendiſti peccatis quamplurimis, nec adhuc peccare deſiſtis? Sed, ô quanta eſt miſericordia Dei ſuper te, ô homo miſertime, quòd etiam poſt tantas offenſiones, patitur te Deus in hac luce viuere; & pro tantis malis tam multa bona largitur indigno, & ingrato? Si quis in faciem tuam ſpuiſſet, ac verbis contumelioſis confudiſſet; quantam indignationem aduersùs eum de illatis iniuriis conciperes? Vel quali eum correptione puniendum cenſeres? Sed quis tu, & cuius poteſtatis in comparatione Dei, cuius faciem offendiſti? Verè magna miſericordia Dei ſuper te, quòd iam conſumptus non es, quòd adhuc iudicium differt, nec furorem ſuum in te exagitat; ſed clementiſſimè tuam emendationem expectat, & propter pœnitentiam vindicare ſuam iniuriam diſſimulat, vt agnoſcas, quia ſuauis & mitis eſt, & multæ miſericordiæ Deus, in omnibus operationibus ſuis. Quomodo poteris obliuiſci omnium miſericordiarum Domini, ab initio viæ tuæ vſque ad hanc horam? Proinde ſis gratus & humilis; ſis manſuetus ad omnia ferenda contraria propter peccata tua delenda, & propter iram Domini ſuper te mitigandam. Niſi enim citiùs, ac diligenter vitam tuam emendaueris, & in alterum vitum te mutaueris, veniet ſuper te calamitas, quam neſcis, & ſtabunt contra te cœlum & terra, & omnes creaturæ conclamabunt aduersùs iniquitates tuas; quia indigno ſeruiunt, ad neceſſitates varias, & tu creatori tuo dignè non ſeruis. Sed ne diuina iuſtitia ſuper te repentè & furibundè oriatur, & ſtipulam ſiccam perſequatur, & conterat: dum adhuc tempus miſerendi eſt, & locus veniam inquirendi remanet, loquere cum Propheta io Pſalmo, *& ora humiliter, & confidenter*, dicens:

Fiat miſericordia tua vt conſoletur
me, ſecundùm eloquium
tuum ſeruo tuo.

* * *

Humiles gaudent humiliatos eſſe.

Capvt XLI.

PRæter humilitatem humiliationem quoque inecceſſariam oſtendit ſanctorum Cherubim repræſentatio ſub ignobilibus brutorum formis. Animal, inquit, primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo. Sublimes illæ & intellectuales naturæ, atque puriſſimæ mentes, non dedignatæ ſunt quaſi exinaniri, formam brutorum accipientes cùm Dominum maieſtatis viderint pro nobis exinanitum formam ſerui accepiſſe. Ne nos erubeſcamus, ſaltem formam noſtram peccatorum non metiri. Neque enim æquè humiliatos eſſe poſſumus, ac meremur. Non minus videri poſſumus, quàm ſumus; ſumus enim peccatores, miſeri, & miſerabiles, cæci, pauperes & nudi. Quapropter impoſſibile eſt vt ſimus humiles niſi toleremus eſſe humiliatos; nec enim humilitas erit ſine cognitione ſui: at ſi quis ſe agnoſcet, dignum omni confuſione & humiliatione, ſe inueniet. Quòd ſi eum hac notitia velit extolli, quam humilitatem habebit? Præterea ipſa humiliatio humilitati ſeruit, quatenus ſopit humiliatos ſpiritus, qui cognitionem ſui obnubilant: humiliatio enim recta eſt humilitatis via. Hinc ſanctus Bernardus ſcripſit ad

Epiſt 87. Ogerium Canonicum regularem. *Humilitas ad quam vtique ducit humiliatio, totius eſt ſpiritualis fabricæ fundamentum: ſiquidem humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam; ſi virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam ſi non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.*

Pudeat non poſt Chriſti humiliationem non humiliari, cùm Dauid ante exemplum filij Dei,

2. Reg. 6. dixerit: *Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero ſimilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus loquuta eſt, glorioſior apparebo. Ecce,* inquit ſanctus Gregorius, *quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, ſeſe ſub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubiectarum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum cæteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit vilia, vel extrema vt humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus egerat fortia. Quid de eius factis ab alijs ſentiatur ignoro. Ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo, quàm pugnantem: pugnando quippe hoſtes ſubdidit, ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit.*

Oportet igitur veris Religioſis ſi humiles velint eſſe, humilia & humiliari quærant, quos vti-

Doctr. 25. liter adhortatur ſanctus Dorotheus: *Opera & exercitia vtcumque ſint, humilia & abiecta aggredere libenter, & amplectere cum omni humilitate.* Hoc idem ſanctus Ignatius Parens noſter,

Reg. 13. commendans ait: *In exercendis officijs abiectis & humilibus, promptiùs ea ſuſcipi conuenit, à quibus ſenſus magis abhorrebit.* Idem monet ſanctus

cap. 23. Baſilius, in Conſtitutionibus Monaſticis, dicens: *Etiam intelligendum illud eſt, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum ſtudio, magnáque cum animi alacritate ſuſcipere, ſcientem nihil minutum eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed grande & ſpirituale, & eiuſmodi, quod cœlum nobis & præmia cæleſtia conciliat. Quamobrem licèt communibus vtilitatibus inſeruientia ſarcinaria, ſequi iumenta oporteat, recuſare tamen non debet. Siquidem venire in mentem Apoſtolorum debet, quàm alacriter illi Domino paruerunt, quando ipſis mandauit vt ad ſe pullum adducerent: cogitareque & illos quoque quorum cauſa iumentorum curam ſuſcipiat, fratres Domini eſſe, & tributam illis beneuolentiam ſtudiumque in ipſum Saluatorem redundare, qui dixit: Quatenus feciſtis vnus de ijs fratribus meis, mihi feciſtis. Quod ſi ſua facit, quæ minimorum ſunt, ſine dubio multo magis quæ electorum ſunt, ea ſibi vendicabit, modo ne officium cauſam ad licentiam exiſtimet. Quin ſumma potiùs animi attentione munire ſeipſum debet, vt cùm ſibi, tum cæteris in quoſcumque eum caſus detulerit, pariat vtilitatem. Porrò ſi de muneribus ijs, quæ abiectiora ſint, aliquid exercendum ſit, ſcire conuenit Saluatorem ipſum diſcipulis miniſtrare, & abiectiora opera facere non recuſaſſe: magnumque homini eſſe ſi Dei imitator exiſtat, cùm per hæc, quæ humilia ſunt, ad altitudinem illam, quod illum eſt imitatus, aſcendat. Quamquam quis iam humile auſit quippiam appellare quod Deus ipſe attingere non recuſauit.* Idem in Regulis fuſioribus ait: *In adhibendis verò curationibus ijs, qui vitioſo animi affectu aliquo laborant, conſuetudinem imitari Medicorum debet, vt videlicet ægris non iraſcatur, ſed contra morbum ipſum pugnet: in eoque impugnando, duriore victus ratione, ſi ita res poſtulat, animi vitia ſanet: veluti inanem gloriam abiectioribus exercitijs imponendis: futilem, & otioſam loquacitatem ſilentio: in modicum ſomnum peruigilio, & excubijs orationum; ſegnitiem corporis laboribus imponendis grauioribus: edacitatem indecoram ieiunio, murmurationem, à reliquis ſegregatione: vt videlicet neque ex fratribus quiſquam vnà cum ipſo eſſe in opera velit, neque opus, quod ipſe elaborauerit, vnà cum reliquis reliquorum miſceat, niſi ſi quando ſuſcepta alacritate, ac citra pudorem vllum pœnitentia morbo eo liberatum eſſe illum appareat. Tum enim opus, quod murmurans elaborauerit, admitti poterit: verùm ne ſic quidem id in vſus fratrum vllos erogetur, ſed ad alium aliquem vſum diſpenſetur.*

Omne id, à quo abhorret voluntas, aggredi viriliter oportet, & contrariis contraria opponere, atque curare; nam, vt inquit ſanctus Ignatius, *Anteuertere oportet tentationes, adhibitis earum contrarijs: vt cùm quis animaduertitur ad ſuperbiam eſſe propenſus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum ipſum vtiles futura videantur: & ſic de alijs prauis animæ propenſionibus.* Quod rurſus commendauit S. Baſilius, iubẽs adhibere appoſita ad ſingulos defectus remedia, *Eiuſmodique quibus vno eodemque tempore & noxa caſtigetur, & animus ad tollendas perturbationes, vitiaque aſſueſiat. Veluti iracundia aliquis elatus eſt, aduerſus æquæuum fratrem? hunc ille pro magnitudine delicti ſibi conciliari cogito, ac miniſtrare. Siquidem hæc huiuſcemodi ad humilitatem exercitatio, iracundiæ veluti neruos elidit, quando animi elatio illa eſt, quæ iracundiam plerũque nobis ingenerat. Alieno tẽpore cibum aſſumpſit?*

ſumpſit? ad multam diem ieiunus permaneto. Inter veſcendum ſe immodeſtè geſſiſſe animaduerſus eſt, & indecorè? ieiunus ipſe accumbentes, ac cibum cum decoro capientes cæteros ſpectare cogito. Hoc enim modo & abſtinentia ille caſtigabitur, & quod in huiuſmodi pars eſt, decorum diſcet retinere. Verbum emiſit otioſum? contumeliam in proximum? mendacium, aut aliud quidpiam de ijs, quæ minus licent? inedia vẽtris, ac ſilentio plectitur.

Excellentiſſimi noſtræ Societatis viri etiam in dignitate conſtituti, religioſæ humilitatis minimè immemores, tametſi necunde ab aliis humiliarentur, vltro ipſi minima exercebant, Patriarcha Ioannes Nonnius Barretus non ſolùm impatienter ferebat ſeruitia quæ à quoquam ſibi exhiberi nullo modo tulit; ſed ipſe amantiſſimè impendebat omnibus; ipſe accumbentibus noſtris miniſtrabat, ipſe coqui fidus comes, & aſſiduus adiutor; ipſe ollas, pyxides, lances, cætera coquinaria vaſa depoſito anulo abluebat, ipſe domum verrebat, rudera humillimè colligebat. Nec indignum ratus eſt pontificiis manibus hæc virtutis Chriſti munera exercere. Idem cùm Tituanum ad iuuandos Chriſtianos captiuos miſſus fuit, ſub noctem collectas captiuorum ſordes deportabat, & fœtida ergaſt.la expurgabat. Similia humilitatis opera amabat Andreas Ouiedus, Epiſcopus iam Hieropolitanus; quicumque ex noſtris aliunde aduenerat, eius abluebat pedes, & cùm careret aqua Domus noſtra Oliſiponenſis, ex vicinia aſportauit ſæpiùs fictili amphora ſupra dorſum oneratus humillimus Pontifex. Ego noui Patrem Gundiſaluum Marinum, qui præceptor meus fuit, & ad vſque vltimum ſpiritum infimæ claſſis pueros docuit, quos cùm ad ſuperiores claſſes mittebat, poſtulabat veniam, oſculabatur pedes, quo etiam humilitatis officio compeſcebat immorigeros. Ad humiliationem quoque expectat fuga laudum, in quo excelluit Petrus Paulus Acebedus, ſicut in multis aliis virtutibus. Multa de eius humilitate dici poterant; ſat ſit ad eius demonſtrationem ferè in hac virtute peccaſſe ex odio propriæ laudis: nam cùm humilitatis germana ſit charitas, adeò excandeſcebat ad ſuas laudes, vt charitatem penè violaſſet, acerbius aduersùs laudatores affectus, quàm inimicos, tantus horror erat illi honoris, cùm pleraque honoratione & laude digna feciſſet, vt impos ſui videretur, iratus ſeriò ſi à quoquam ſe laudari reſciret, & ferè implacabilis. Clariſſima enim agnitio vilitatis & (vt ita dicam) nihilitatis propriæ, & ardor diuinæ gloriæ cui omnia referenda ſunt, cogebat illum ſic ſuccenſere. Simili impatientia ferebat ſi cuipiam vel minima in re coram ſe detraheretur. Portio quædam humilitatis eſt nullum velle niſi ſe honore carere.

Humilitas virtus eſt fortis, patiens, prudens, contemplatiua.

Capvt XLII.

Formæ autem eorum animalium, quas induiſſe Cherubim legimus, non carent arcana doctrina pro maiori humilitatis laude; cuius conditiones in naturis illorum animalium ſignantur. Per leoninam formam fortitudo humilitatis notatur. Nam, vt ſcripſit ſanctus Ambroſius, ſiue alius alter, ad Demetriadem: *Huic malo* (ſuperbiæ) *firmiſſimum bonum humilitatis occurrit: quam ideo diximus veram, quia omnium virtutum inexpugnabilis fortitudo, & quadam ſuorum eſt vita membrorum.* Et in Pſalmum centeſimum decimum octauum, *Humilitas virtutum omnium caput eſt, quæ totum velut quoddam noſtrorum actuum fouet corpus.* Sanctus Chryſoſtomus ſimiliter dixit: *Nihil humilitate potentius, fortior eſt petra, ſolidior adamante, & in maiorem ſecuritatem nos collocat, quàm queant vel turres, vel vrbes, vel muri, omnibuſque Diaboli machinamentis ſublimior facta contingere volentibus inſuperabiles facit.* Idem ait. *Vbique modum ſeruemus, & bonis operibus noſtris humilitatem quaſi fundamentum ſubſtruamus, vt ſecurè virtutes ſuperſtruere valeamus. Virtus enim non eſt, niſi coniunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem, ſtructuram excitare. Hæc eſt inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non ſinens ipſum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à ſpirituum vi deyci, ſed omnibus inſidijs inacceſſum facit, & inuictum, quaſi ex adamante conſtructum eſſet, magnaſque nobis diuina largitatis retributiones affert.*

In Acta hom.20.

In Geneſ. hom 35.

Per vitulum mãſuetudo patientiæ deſignatur, neceſſaria humilitatis comes. Nam, vt ſanctus Bernardus ait, *Collectanea ſunt humilitas, & manſuetudo, in eo confœderata germanius qui dicebat: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et Tertullianus. *Quos fœlices Dominus niſi patientes nuncupauit? Beati pauperes ſpiritu, illorum enim eſt regnum cœlorum. Nullus profectò ſpiritu pauper, niſi humilis; quis enim humilis niſi patiens, quia nemo ſubycere ſe poteſt ſine prima patientia ſubiectionis ipſius.* Locupletiùs ſanctus Ambroſius. *In Euangelio*, inquit, *Dominus Ieſus, docens virtutem, atque inſigne patientia, ait: Qui te percuſſerit in maxillam, præbe ei & alteram. Vult enim diſcipulos ſuos, & iniuriarum eſſe patientes nec referire facilè, ne dum referire potens, iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberet. Patientia enim humilitatis indicium eſt.* Id verò declarat paulo pòſt exemplo Regis Dauidis, his verbis. *Quippe cùm conuitiaretur Semei filius Gera ſancto Dauid, virum ſanguinarium appellans, & malediceret ei, quando fugiebat filium ſuum Abſalon, parricidalia ad tempus bella declinans, tacebat Rex, & ſummum patientia inſigne præſtabat. Etenim cùm tentationis ſuæ tempus intelligeret, vt ei parricidale prælium moueretur, magis humilem ſe volebat videri, quo Domini mitigaret offenſam, quàm exaſperandum eius arbitrabatur in ſua tentatione iudicium, ſi fortè ſuas iniurias vltum iret. Inde & populi duci Abiſai vindicari cupienti ait: Quid mihi, & vobis fily Saruia? ideo maledicit mihi, quoniam Dominus dixit illi, vt maledicat: Ecce filius meus qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam: ſi autem modò extraneus maledicit mihi, dimitte illum vt maledicat, quoniam Dominus dixit illi, vt videas humilitatem meam, & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Quod & prophetico dixit ſpiritu, & probauit euentus. Cùm enim repleta fuerit humilitas, peccatum ſoluitur.*

Vitulus quoque mortificationis victimam quæ coniuncta bumilitati eſt, optimè notat. Neque enim ſine mortifiatione multarum rerum humiles eſſe poſſumus; mortificatio autem nequit ſine patientia eſſe, quapropter humilitatem perfectam debet patienria comitari, quia ſine mortificatione non eſt. Quod Ioannes Caſſianus ſic
Inſt. c. 32. obſeruat. *Nullo modo poterit in anima noſtra virtutum ſtructura conſurgere niſi prius iacta fuerint veræ humilitatis in noſtro corde fundamenta; quæ firmiſſimè collocata, perfectionis & charitatis culmen valeant ſuſtinere; ita ſcilicet, vt quemadmodum diximus, primum fratribus noſtris humilitatem veram intimo cordis exhibeamus affectu, in nullo ſcilicet acquieſcentes eos contriſtare, vel lædere. Quod nullatenus poterimus implere, niſi abrenuntiatio vera, quæ in expoliatione omnium facultatum ac nuditate conſiſtit, in nobis fuerit Chriſti amore fundata: deinde obedientia iugum, & ſubiectio ſimplici corde, ac ſine vlla fuerit ſimulatione ſuſcepta, itaut præter Abbatis mandatum, nulla penitus voluntas viuat in nobis.* Cæterùm contumeliis perferendis patientiam quoque eſt neceſſe mortificatione fulciri. Hanc legitimam oſtendit bumilitatem doctiſſimus P. Alphonſus Deza, Theologiæ ſui æui lumen, probatam non ſemel lydio patientiæ lapide, cùm vir quidam primatius dignitate, cæcus inſano ardore iræ, aſinum per conuiuium illum appellaret, modeſtiſſimè & alacris reſpondit: Gratulor alium neminem nomen meum nouiſſe.

Hominis autem forma prudentiam bumilita-
Prou. 11. tis deſignat; quamobrem dixit Salomon, *Vbi eſt humilitas, ibi eſt ſapientia.* Et ſanctus Paulus,
Philip. 4. *ſcio & humiliari.* Ex quo meritò intulit ſanctus
Lib. 2. de officijs. Ambroſius. *Non ergo indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam, & ſcientiam, laudi datur. Eſt enim humilitas formidinis & imperitia atque ignorantiæ. Ideo & Scriptura ait, & humiles ſpiritu ſaluabit. Præclarè enim dixit: Scio & humiliari, id eſt, quo in loco, qua moderatione, quo fine; in quo officio, in quo munere. Neſcinit Phariſæus humiliari, ideo deiectus eſt; ſcinit Publicanus, ideo iuſtificatus eſt. Sciebat & abundare Paulus, qui animum habebat diuitem, etſi theſaurum diuitis non habebat. Sciebat abundare, quia non quærebat datum in penuria, ſed requirebat fructum in gra-*
Lib 6 in Ioan. *tia.* Beatus quoque Cyrillus ait: *Quinimo ipſe,* inquit, *qui verè humilis eſt, exultans in Spiritu ſancto. Confiteor,* ait, *tibi Domine Pater cæli & terræ, quoniam abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Itaque venit in hunc mundum, vt paruulos, & qui ſuæ cæcitatis ſunt conſcij, illuminaret, illis in erroris caligine demiſſis, qui ſibi videntes videntur.* Et iterum: *Hæc planè humilis de ſe exiſtimatio & propria indigentiæ confeſſio diuinæ largitatem gratiæ affatim conſequitur, & cæleſte impetrat auxilium. Contrà verò qui grande aliquid & ſublime de ſe exiſtimant, arrogantque maiora, quàm ſibi adſint; diuino deſtituti præſidio aridi relinquuntur, bonorumque omnium egent. Id Propheta nos edocet: Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.*

Aquila verò donum contemplationis promittit humilibus. *Lumen enim intelligentiæ,* ait ſanctus Gregorius, *humilitas aperit, ſuperbia abſcon-* *25 mor. c. 17.*
dit; nam ſecretum quoddam pietatis eſt, vt tanto minus ad illud animus perueniat, quanto magis intumeſcit, quia eo ipſo foras repellitur, quo inſanius inflatur. Idcirco & filius Dei dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Cùm ſimplicibus quippe eſt ſermocinatio eius; & Dauid ſimplicitatem ſuam humiliter profeſſus canit. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Poteſt etiam per *aquilam* celer bumilium profectus denotari, qui creſcunt de virtute in virtutem. Sex Angelorum alæ idem nos docent, dum quatuor alis ſe velant, duabus autem peruolant; occultando quippe noſtras virtutes, citiùs ad perfectionem accedemus.

Humilitatis eſt honorare Deum, & homines, hiſque ſummitti libenter.

Capvt XLIII.

Docent quoque nos hæc Beata Seraphim, aut Cherubim bumilitatis officium revereri, ſubiici, honorare & glorificare Deum, ſiquidem non habebant requiem die & nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, & cùm darent illa gloriam, & honorem, & benedictionem, ſedenti ſuper thronum, & viuenti in ſæcula ſæculorum, ad eorum exemplum procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Hoc igitur eſt honorificentiſſimum humilitatis munus honorandi Deum, de quo hæc habet ſanctus Bernardus, ſermone de ſubiectione noſtræ voluntatis. *Totius humilitatis ſumma in eo videtur conſiſtere, ſi voluntas noſtra diuinæ vt dignum eſt ſubiecta ſit voluntati, ſicut ait Propheta: Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? Scio quidem creaturam omnem velit, nolit ſubiectam eſſe creatori. Sed à creatura rationali voluntaria ſubiectio quæritur, vt voluntariè ſacrificet Domino, & confiteatur nomini eius, non quia terribile & ſanctum, non quia omnipotens, ſed quia bonum eſt.* Et ſanctus Ambroſius in Epiſtola ad Demetriadem, *In eo proprietatem ipſius* (humilitatis) *definimus, quod per omnia Deo ſubditur. Nec poteſt quicquam de meritis ſuis perdere, quorum cauſas, atque prouectus, non in ſe, ſed non authore ſuo conſtituit.*

Neque tantùm eſt bumilitas Deo ſubiici, quoniam hoc debitum & glorioſum, ſed & hominibus ſubmitti, non tantùm ſuperioribus, ſed inferioribus quoque. Deo quidem propter maieſtatem ſuam ſubiici debemus; quid autem propter vilitatem noſtram, propter improbitatem, propter tot peccata, nonne & hominibus, & omni creaturæ humiliandi ſumus. Illa humiliatio ſubmittendi ſe Deo, & ſuperioribus, melioribuſque, etiam ante aduentum Chriſti nota fuit,

atque

Digitized by Google

atque exercita ignorantibus verum Dei cultum; hoc autem Chriſtus addidit, vt etiam peioribus ſubdi velimus, iuxta ſancti Petri exhortationem. *Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Hæc eſt enim gratia in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Idem de inferioribus dicendum. Vnde ſanctus

In Geneſ. hom. 13. Chryſoſtomus monet: *Nos non eis tantùm, qui ætate nobis ſunt maiores, vel etiam æquales, honorem exhibeamus; non eſt enim humilitas, quod facere debes neceſſitate; vera autem eſt, quando cedimus iis, qui nobis videntur eſſe minores, & eos veneramur, qui nobis videntur eſſe magis indigni, quàm nos. Quod ſi rectè ſapimus, nullos etiam nobis eſſe minores arbitrabimur, ſed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico non de nobis qui innumeris immerſi ſumus peccatis, ſed etiamſi quis ſibi plurimorum bene geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat, quòd omnium ſit poſtremus, nulla ei futura vtilitas eſt ex omnibus ſuis bonis operibus.* Et ſanctus Bernardus in Canticis: *Non eſt periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem, quàm ſis, hoc eſt, quàm ſe veritas habeat. Eſt autem grande malum horrendumque periculum ſi vel modicè plus vero te extollas, ſi vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam ſuperiorem. Quamobrem noli te, homo, comparari maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid ſcis enim, ô homo, ſi vnus ille quem fortè omnium viliſſimum, atque miſerrimum reputas, ſi melior te mutatione dexteræ Excelſi in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero iam ſit? Et propterea Dominus non mediocrem, non ve penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos eligere locum nos voluit, ſed recumbe, inquit, in nouiſſimo loco.* Neque vlla excuſatio eſt magnitudinis, aut dignitatis, quominus propterea humiliemur, imò propterea qui maior eſt, & dignior, magis humiliari debet. Meritò hoc commendauit Chryſoſtomus in illa verba Iſaiæ, *Vidi Dominum. Venerunt duæ naues habentes onus, ambæ in portum tendebant; ſed Publicanus appulit in portum; Phariſæus autem naufragium perpeſſus eſt, vt diſceres quantum mali ſit animi tumor. Flores rectè factis? ne probra iacias in proximum. Quanto maior eſt, tanto magis ſubmitte te ipſum. Attende quod dicitur chariſſime; magis iuſtus metuere debet arrogantiam, quàm peccator, eo quòd peccator habet conſcientiam velut, nolis mobilem, humilem, ac ſubmiſſam; iuſtus autem ob benefacta extollitur. Vt ergo fit in naufragiis, qui vacuam habent nauem, non metuunt piratarum inſultum, ſed qui habent onuſtam, piratæ enim eò properant, vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides pretioſi ſunt, ſic & Diabolus non facilè perſequitur peccatorem, ſed iuſtum, vbi multæ ſunt opes. Quanto maior ergoos, tanto magis ſubmitte te ipſum. Cùm aſcenderis in altum, opus eſt vt tibi proſpicias, ne cadas. Vnde & Dominus dixit: Cùm omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Et ſanctus Augu-

De ſancta Virg. ſtinus. *Cùm*, inquit, *Chriſtianis omnibus cuſtodienda ſit humilitas, quandoquidem à Chriſto Chriſtiani appellantur, cuius Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inueniat: tum maximè virtutis huius ſectatores, & conſeruatores eos eſſe conuenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, vt magnopere curent illud quod primitus poſuit: Quanto magnus es, tanto humilitate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Proinde, quia perpetua continentia, maximéque virginitas magnum bonum eſt in ſanctis Dei, vigilantiſſimè cauendum eſt, ne ſuperbia corrumpatur.* Optimè quoque iterum ſanctus Ambroſius ad Demetriadem ait. *Prima humilitatis ratio in communis vitæ verſatur officiis, cùm ſecundùm doctrinam Apoſtolicam inuicem ſe homines honore præueniunt, & alter alterutrum ſuperiorem exiſtimantes, amant ſeruire ſubiecti, & neſciunt tumere prælati, cùm & pauper diuitem non ſibi dubitat anteferre, & diues pauperem ſibi gaudeat æquare, cùm & ſublimes non ſuperbiunt de claritate proſapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ: cùm denique non plus tribuitur magnis operibus, quàm bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iuſtitia.*

Qualiter humiliari & ſubiici hominibus debeamus.

Capvt XLIV.

Optimam tandem humiliandi ſe hominibus & ſubmittendi praxim hanc habuit, & docuit Beatus Franciſcus Borgia, qui in Collyrio ſpirituali dicit. *Simul ac cum proximis aliquid agendum ſit, eum vnumquemque in honore habeamus, tanquam ſi noſtri eſſent omnes aut domini, aut præceptores; eáque vnumquemque attentione audiamus, eorumque conſilia ſequamur, tanquam ſi nobis per eos Deus loqueretur, caueamuſque magnopere noſtrum illorum iudicio iudicium præferre. Qua in re duabus de cauſis peccari ſolet; altera quòd nemo in cauſa propria idoneus ſit iudex, altera quòd aliquando adulatione, ſæpe verò ex ignorantia pauci de rebus ſentiunt, vt par eſt. Itaque nonnunquam aſtuti & vafri tanquam prudentes laudantur, & qui omnia irrident, ſapientes habentur, cùm contrà tamen de iis ſentiendum eſſet. Quocirca tutum eſt etiam in bonis tum gratia, tum natura, & timere ne decipiamur, & Deo in omnibus quæcumque in aliis viderimus, gloriam dare, omniaque ſemper in meliorem partem interpretari. Quòd ſi contingat eos aliquid facere, quod rectum eſſe non videatur, ne vtique iudicemus, quando niſi noſtri, non nobis licet, iudices eſſe; ſed vel excuſemus factum, vel inde mente auerſa, eorum bene acta conſideremus, noſtraque cum illorum virtutibus vitia comparemus, ne vllum confuſionis gradum (ſi aliter agimus) amittamus. Itaque ſi viderimus vel mortaliter peccantes, id cogitemus, vel feciſſe ex ignorantia, vel iam ad Dei gratiam per pœnitentiam rediſſe, futurumque illis peccatum maioris hîc pœnitentiæ, adeóque gloriæ in cœlo perfectioris occaſionem.*

Salutaris etiam eſt doctrina veræ ſubiectionis ab Antiocho Monacho tradita in ſacræ Scripturæ pandectis, vbi ait: *Quiſquis propoſitum* Hom. 13. *arripit religioſæ ſubiectionis, primùm omnium propria ſe exuat, ac ſpoliet voluntate, & ſalutaribus documentis Saluatoris noſtri induatur, crucemque tollat ſuam iuxta verbum dominicum, poſtque eum incedat ac ſequatur. Qui in ſubiectione vitam inſtituis*

Digitized by Google

inſtituit ſuam; iam emortuas ſuas voluntates derelinquat cum præmortuis, & anteuertat, ſiue occupet viuentem, cum viuentibus. Qui conuerſationem ſuam ſtudet in ſtatu ſubiectionis componere, ab iſtius temporariæ vitæ vix extricabilibus curis ſe mortificet, & velut mortuus expediat: in eorum ſe referat album, qui nullo digni ſunt ferendo de alijs ſuffragio; ſicque illi ad vitam æternam interior dabitur acceſſus. Qui libera electione deſtinat rectà percurrere viam mandatorum Domini, & ad altitudinem vſque cordis occurrere, atque illuſtrari, is ſit vt veſtis in fullonaria officina. Quemadmodum enim veſtis qualibet à fullone pertunditur, proteritur calcibus, eraditur, & confricatur, deinde inalbeſcit, & candicat niuis inſtar: ita & qui in ſubiectione cùm ſit, ſi perquam multis appetatur iniurijs: purgatur enim & fit velut argentum, quod igne exploratur, natiuo ſuo præniteens ſplendore. Qui cupit ad perfectam ſubiectionem promoueri; is vtique deſerit cuncta, quæ ad eius conſequutionem certò nouit nihil conducere, quo ea apprehendere mereatur, quæ ad illam conferunt, & fiat veridicus Chriſti diſcipulus, vt cum Petro auſit dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? A nobis igitur fratres voluntates noſtras excutiamus; quæ nihil aliud, quàm repunt humi, viles, & abiecta; mandatum quoque Saluatoris noſtri aliud altiuſculum (quippe quod in ſupernam vſque Hieruſalem nos rectà prouehit) obſeruemus. Dicit Dominus: Qui audit vos, me audit, qui autem me audit, audit eum, qui me miſit. Neceſſe itaque ſit eos, qui ſe diſciplinæ ſubſtrauerunt; tanquam patres vt decament ſuos (ſi modò veri ſunt) doctores, & quaſi principes, timori eoſdem vt habeant, ac vereantur; non enim per amoris mutui familiaritatem illos aſpernentur, aut certè à rigore arrepto ſinant ſe reſolui, & emolliri. Scriptum enim eſt in Sapientia: Qui honorat patrem, peccatis impetrat veniam, & qui timet Dominum, honorabit patrem ſuum, & quaſi Domino ſeruiet ei.

Varij humilitatis gradus.

Caput XLV.

Cæterum iſta ſubiectio Dei & hominum, ſublimatio humilium eſt; tanto enim aliquis coram Deo exaltatur, quanto in ſe deiicitur; tanto aſcendit in gratia, quanto in ſui cognitione, contemptuque deſcendit, tot ſunt exaltationis gradus, quot & humiliationis, quos oportebit ſcire vt aſcenſiones humilitatis in corde noſtro diſponamus. Ad thronum, vbi Cherubim coram Deo adſtant, non niſi per congruus ſcanditur aſcenſus. Hi igitur humiliandi gradus diuerſimodè à Patribus numerantur. Ego producam nonnullorum ſententias: vtcumque enim numerentur vtiliter audiemus. Sanctus Anſelmus libro *de ſimilitudinibus*, numerat ſeptem humilitatis gradus. Quorum primus ſit contemptibilem ſe eſſe cognoſcere. Secundus de hoc docere. Tertius hoc confiteri. Quartus perſuadere, vt ſcilicet hoc velit credi. Quintus vt patienter ſuſtineat hoc dici. Sextus, vt patiatur contemptibiliter ſe tractari. Septimus, vt hoc amet. Author Gloſſæ ordinariæ in Matthæum tres aſſignans gradus, *Perfecta*, ait, *humilitas tres habet gradus. Primus eſt ſubdere ſe maiori, & non præferre ſe æquali, qui eſt ſufficiens. Secundus eſt, ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori; & hoc dicitur abundans. Tertius gradus eſt ſubeſſe minori, in quo eſt omnis iuſtitia.* Caſſianus autem decem ſtatuit, indiciaque humilitatis vocauit: *Humilitas*, inquiens, *his indicijs comprobatur.* 4. inſt. c. 39. *Primo ſi homo mortificatus in ſe habeat omnes voluntates. Secundò ſi non ſolùm actuum ſuorum, verùm etiam cogitationum, nihil ſuum velauerit ſuperiorem. Tertium, ſi nihil ſuæ diſcretioni, ſed iudicio eius vniuerſa committat, ac monita eius ſitiens, libenter auſcultet. Quartò, ſi in omnibus ſeruet obedientiam, manſuetudinem, & patientiæ conſtantiam. Quintò, ſi non ſolùm iniuriam inferat nulli, ſed ne ab aliquo quidem, ſibimet irrogatam doleat, atque triſtetur. Sextò, ſi nihil agat, nihil præſumat, quod non vel communis regula, vel maiorum cohortentur exempla. Septimo, ſi omni vilitate contentus ſit, & ad omnia ſe, quæ ſibi præbentur, velut operarium malum iudicarit indignum. Octauò, ſi ſemetipſum cunctis inferiorem, non ſuperficie pronunciet labiorum, ſed intimo cordis credat affectu. Nonò, ſi linguam cohibeat, vel non ſit clamoſus in voce. Decimò, ſi non ſit facilis ac promptus in riſu.* Ex his indiciis ſanctus Benedictus eo poſterior videtur confeciſſe ſuos gradus. Qui in regula ſua duodecim numerat humilitatis gradus pro Monachis, quos breuiter hîc deſcribam. *Primus, ſi timorem Dei ſibi ante oculos ſemper ponens, ſemper ſit memor Dei, & præceptorum eius. Secundus, ſi vocem Domini factis imitetur, dicentis: Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Tertius, vt pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat maiori, imitans Dominum, de quo Apoſtolus ait, factus eſt obediens vſque ad mortem. Quartus, ſi in ipſa obedientia duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis iniurijs patientiam amplectatur. Quintus, ſi cogitationes malas, vel mala à ſe abſconſè commiſſa per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. Sextus, ſi omni vilitate, & extremitate contentus ſit Monachus, & ad omnia, quæ ſibi iniunguntur, velut operarium malum ſe iudicet & indignum. Septimus, ſi omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm lingua pronuntiet, ſed etiam intimo cordis credat affectu. Octauus, ſi nihil agat Monachus niſi quod communis monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. Nonus, ſi ſeruet ſilentium, monſtrante Scriptura, quia in multiloquio non effugietur peccatum. Decimus, ſi non ſit facilis in riſu. Vndecimus, ſi humiliter cum grauitate pauca, & rationabilia verba loquitur, & non ſit clamoſus in voce. Duodecimus, ſi non ſolùm corde, ſed etiam corpore humilitatem, vbique indicet inclinato ſemper capite, & defixis in terram aſpectibus reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans.* Sanctus Bernardus in tractatu *de gradibus humilitatis*, prolixè exponit duodecim gradus ſuperbiæ ad rectiùs intelligendum duodecim gradus humilitatis ſancti Benedicti, iuxta illud Philoſophi, *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt.* In ſententiis verò ſuis ita ſcribit. *Septem gradus deſcenſionis habet humilitas. Abdicationem rerum, exemplo Apoſtolorum: abdicationem veſtium, ſicut Elias & Ioannes: corporis exercitium, vt Paulus: directionem in proſperis inſtar Dauid pauperie*

&

& Regis. Patientiã in aduerſis ſicut Iob & Tobias. Et paulo pòſt. *Humilitatis virtus habet hæc tria. Superiori ſubdi, vt ad eius æqualitatem nulla ambitione, vel inuidia rapiatur. Æquali non præferri, ne illicito appetitu ſuperior velle fieri videatur. Minori ſubdi potius, quàm præponi, vt ex hoc humilitatis veritas comprobetur.* Sanctus Ignatius Parens noſter, tres humilitatis gradus ſtatuit, in quibus totius perfectionis ſummam conclusit, dicens: *Primus humilitatis modus hic eſt ad ſalutem neceſſarius, vt me penitus ſubdam diuinæ legi obſeruandæ, vtque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ diſcrimine obiecto, tranſgrediar ex deliberato mandatum vllum diuinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus maioris eſt perfectionis, vt fixo animo ad diuitias, paupertatem, honorem, ignominiam, breuitatem vitæ ac longitudinem æquè ſim propenſus vbi æqualis eſt diuinæ laudis, & ſalutis meæ occaſio, vtque nulla, vel humana, quantacumque fœlicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſita, adducar vnquam, vt culpam, licèt venialem tantùm, decernam admittere. Tertius eſt modus humilitatis abſolutiſſimè; vt priores duos iam adeptus, etiamſi nullo ſuperaddito laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Chriſti, eligam potiùs cum eo paupere ſpreto, & illuſo pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem.* Cùm humilitas ſit totius perfectionis radix, omniumque virtutum ſeminarium, non eſt mirum inuoluant Sancti quidquid ad alias virtutes, ipſamque perfectionem ſpectat, ſub humilitatis elogio.

De mâgnanimitate humilium, ex venerabili Gerlaco Dauentrienſi.

Caput XLVI.

TANDEM oportebit monere humilitatis generoſitatem, & magnitudinem cordis, quam animi nobilitatem deſpicientis omnia terrena, indoles quatuor nobilium animalium ſignificat, quorum vultibus quadriga illa cherubica exornata fuit ad naturam humilitatis demonſtrandam. Leo contemptor aliarum beſtiarum eſt, & generoſiſſimus. Tantus quoque nihil timet, animoſus eſt. Aquila regia auis & ſublimis. Homo animalium omnium nobiliſſimus, per omnem faciem magnanimitas humilitatis prædicatur, caduca omnia & temporaria contemnentis. Verus enim humilis non tantùm ſe contemnit, ſed omnia: nam ſi ſe, qui ad imaginem Dei creatus eſt, & rationis compotem, & immortali anima præditum deſpicit, cætera caduca & temporalia cur non deſpiciet? Vnum igitur Deum ſolum magnificabit, & propter Deum omnia; neque enim humilitas eſt vilitas animi, ſed potiùs magnitudo, eamdem quippe cenſeo virtutem humilitatis cum magnanimitate: quo autem pacto hæc omnia in humilium corde componantur, ſic docet, & conſulit
[illegible].c.34. ſublimis vir Gerlacus. *Sint tibi omnia pro tanto, ait ipſa Veritas, pro quanto mihi ſunt modò creatura. Quidquid in memoriam inciderit de omnibus, quæ humanus animus appetere poteſt præter Deum, & iam in his, quæ apparent eſſe ſancta ab extra, quæ ſi habeat, homo nihil eo magis ſanctus & beatus eſt: ſi non habeat, nihil minus ſanctus & beatus eſt. Illa non plus mouent me ad appetendum, quàm lignum aridum, & flos pedibus conculcatus; quia omnia aruerunt in corde meo. Et è contra, poſſum libero humili corde ſubire quæ ſenſualitas fugit & inclinat, vbi poteſt, vt ſint omnia ex vtraque parte perfecta, in vno ſimplici & nudo aſpectu. Omnes homines ex corde veneror tanquam thronum gloriæ ſanctæ Trinitatis, & vnumquemque habeo ſicut qui erit in infinitum ſublimior me in futura beatitudine: quamuis & ego non ſim dignus vel minimus eſſe, nec tale aliquid de me præſumero. Si omnes veneror, ſed nullum vereor malè, ita vt comprimar intus ab illo, eo quòd fortè potens & durus ſit, & hoc, vel hoc paſſurus ſim ab eo. Quid enim ſi deprimor, vexor, contemnor, & deſpicior ſine mea culpa, ſi ſim minimus, vel ineſtimatiſſimus in domo, incuratus, proiectus tanquam vas perditum cunctis diebus exilij mei, vel quidquid ſenſualis affectus perhorreſcere poteſt. Numquid ad me prouenire poterunt talia, vel ſimilia, vbi in ſublimibus ago, vel (potiùs) agor, patiens diuinam inactionem, vbi nihil alienum appeto, nihil pertimeſco? Superior ſum in animo ante faciem, & in facie veritatis incommutabilis omni exaltatione exteriori, inferiorque in affectu omni humiliatione quæ à mortalibus mihi fieri poteſt, quantumcumque abundent tribulationes & incommoda. Vos ergo beatos, vos glorioſos appello, & nullos alios, qui ſic ſuper omnem appetitum eſtis exaltati, ſic infra omnem depreſſionem voluntario corde ſubmiſſi, vbicumque, vel quicumque etiam fueritis, ſiue ex neceſſitate in honore & dignitate conſtituti, ſiue deſpecti & deſolati. In hac enim parte nec attendo habitum, nec ſtaturam, nec ſtatum, nec gradum, nec bonam valetudinem corporis, nec pompam externam, ſiue exteriora quantumlibet magna apparentia, quia hæc præcipuè non reſpicit Dominus, quæ & pro magno habenda non ſunt. Nec magna mihi cura eſt in hac parte quomodo accidat cum exterioribus meis, ſiue ſcilicet induar ſacco, ſiue bona veſte, ſiue morer in angulo domus, ſiue aliter, ſiue contemnar, ſiue habear in reuerentia, ſiue alij præferantur mihi, ſiue non. Quæ omnia qualitercumque acciderint, non poſſunt me attingere. Parua enim & valde tenuis eſt adhuc in homine interior ſpiritualis conuerſatio, & ſtatus mentis debilis, & deſtructioni proximus, ſi adhuc talibus exterioribus agitatur & vacillat; videlicet quod pro eſt affectando, & quod contra eſt fugiendo, & nimis magnum dedecus eſt in conſpectu Domini animum tam nobilem & ſuſceptibilem ſummi boni in ſe circa eam vilia & indigna curam habere.*

Hactenus de honorabili & magnanimi humilitate dixiſſe ſatis eſt, clariſſima propter Angelicæ naturæ ſimilitudinem ac vſum, in ipſiſque Cherubim ac Seraphim demonſtrata. Quid reſtat niſi imitatio tantorum ſpirituum, quam nobis docent viginti illi quatuor ſeniores, qui ſimul ac Angelos humiles & ſubmiſſos viderunt, ſe quoque humiliarunt deponentes coronas ex ſuis capitibus: quod ſi exemplum Angelicum hoc potuit efficere, quid efficiet diui-

num atque ipſius filij Dei imitatio, de quo dicitur: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis.* Et per Dauidem, *Ego ſum vermis, & non homo, opprobium hominum, & abiectio plebis.* Parum hoc, niſi & exinanitus diceretur, ad cuius imitationem exhortans Apoſtolus, auream illam ſententiam, noſtriſque infigendam cordibus, protulit. *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Nunc veniamus ad ſolicitudinem, qua veri humiles & ſerui Chriſti inſtar Angelicarum mentium ſeruire Deo diligentiſſimè debent.

DOCTRINA V.

DE CVRA RERVM exiguarum.

De minimis magnopere curandum eſt ad conſequendam perfectionem.

CAPVT XLVII.

Cant. 5. MANVS *mea diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* His verbis oſtendit nos Salomon falſam eſſe eorum opinationem, qui ſolidarum virtutum viros, eos putant qui parum minuti ſunt, neque valde ſatagunt rerum paruarum, ſed ſubſtantialium. Dictitant nouitiorum, vtpote incipientium, & imperfectorum eſſe, his minutiis attendere, quas adultos & ſolidos in virtute non habent opus curare. Quod dicunt in vniuerſum de rebus omnibus, præſertim de mortificatione affirmant, quæ condimentum debet eſſe omnium operum noſtrorum, omniumque virtutum eſt ſal. Ad nouitios inquiunt pertinet, non ad antiquos, aut prouectos minutis occupari mortificationibus. Sed iſta verba non Dei ſunt, ſed Belial, non Spiritus ſancti, ſed mundani: non religioſi hominis, ſed ſæcularis, ſed cæci, ſed organi Satanæ. Profectò non ſunt verba Religioſi Societatis noſtræ, qui ſi perſpectas regulas ſuas habet, prout debet habere, inueniet in illis quanti momenti ſint minima ad ſolidarum virtutum conſequutionem. Nam in ea parte ſummarij noſtrarum conſtitutionum, vbi commendantur virtutes ſolidæ, quæ incipit à regula decimaquinta ſummarij, præmittitur hæc ſententia quam cordibus noſtris inciſam habere deberemus: *Omnes conſtanti animo incumbamus, vt nihil perfectionis, quod diuina gratia conſequi poſſimus, in abſoluta omnium conſtitutionum obſeruatione, noſtrique inſtituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus.* Quare ſecundùm noſtras regulas minima non ſunt negligenda, cùm nihil iubeant prætermittere. Et quemadmodum originalis Hiſpana dicit, nec punctus perfectionis negligendus, nec omittendus apex, cui conſentaneum eſt quod ſanctus Baſilius ait: *Cum affirmauerit Dominus, quia iota vnum, aut vnus apex non tranſibit à lege, donec omnia fiant; & rurſum definierit, quia de omni ſermone otioſo, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij; nihil oportet contemni tanquam paruum. Qui autem ſpernit minima, paulatim defluit.* Reg. fuſ. 1. 8. Conſonat ſanctus Ambroſius, qui interpretatus vigeſimam octauam manſionem filiorum Iſraël in Beneiaacan, quod excolationem ſignificat, ſic ait: Lib. de 42. manſ. n. 28. *Qui in Dei diſciplina ſtationem habet, ſtudium omne, omnemque operam, vt ne minimum quidem ex ipſa Dei lege violatum intercidat; ſedulò impendere debet.* Poſtea ſubdit: *Lex igitur Dei exactiſſima quaque cenſura examinanda, & omni, qua poteſt maiori ſedulitate, ſeruanda, ne ab ea fortè excidamus. Hoc nos præſens manſio docet. Beneiaacan enim excolationem ſignificat. Qui autem legem Dei percolat, ne minima quidem nec ſyllaba, vel apex negligenter labatur, diligenter obſeruat.* Et quidem vir ſpiritualis & anima ſancta, quam depinxit nobis Rex Salomon ſub ſponſæ nomine, quæ virtutes ſolidas poſſedit, & ad perfectionis culmen aſcendit, minima non prætermiſit, neque tantùm maiora opera, & ſubſtantialia curauit, ſed minutiſſimas quaſque mortificationes. Sic ait: *Manus mea diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Quid per manus intelligit niſi opera, quid per digitos, niſi minuta opera, & minimos adhuc animi motus, ſecundùm Gregorium Niſſenum, circumſtantiaſque maiorum operum. Omnia curauit, & magna, & parua, & opera, & affectus, & ſubſtantiam, & circumſtantias, omnem mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſe circumferens, & grandem, & exiguam. Quaſi diceret, ſicut Theodoretus ait: *Perfecta mortificatione ad extremas vſque particulas affecta ſum.* Nihil præterij mortificationis, nec punctum perfectionis contempſi; & quando hoc dixit? An quando nouitia fuit? quando incipiens? Non niſi poſtquam iam perfecta eſſet, poſtquam in cellam amoris vinariam introducta fuit, poſtquam ordinatam in ſe charitatem habuit, poſtquam ad hortum & delitias ſponſi vocata; tunc ſcilicet, cùm feruidior erat, cùm ait, Surrexi, nimirum vt aperiret dilecto, & facie ad faciem illum videret, illum amplexaretur. Cùm decreuit purior eſſe per expiationem omnium venialium culparum. Hæc enim ſunt, iuxta Richardum, peſſulum oſtij, quod impediebat ſponſum. Tunc igitur cùm prouectior fuit, decreuit minimarum rerum mortificationem, & vſque ad extremas particulas, putans non aliter vitari poſſe peccata venialia, cum quorum contemptu nec puritas animi, nec perfectio, nec profectus poteſt conſiſtere. Quapropter meritò ſanctus Anſelmus conſulit: *Si ergo de virtute in virtutem, de profectu ad profectum vultis aſcendere, ſemper timete in ſingulis minimis Deum offendere.* Epiſt. ad Mon.

re. *Non debetis conſiderare quàm parua ſit res, quam contra prohibitionem facitis, ſed quantum malum ſit inobedientia, quam pro parua re incurritis.* Igitur perfectæ virtutis, & verè ſubſtantialis, atque ſolidæ eſt ſollicitari de minimis. Idcirco dicit Sapiens digitos plenos, vt oſtenderet, non eſſe inanis, & apparentis virtutis, ſed plenæ & ſolidæ curare minutias, & extremas vſque particulas. Alij legunt, *Et digiti mei myrrham plenam*, nempe diſtillauerunt, quod Cantacuzenus interpretatur *Myrrham ſecundùm veritatem perfectiſſimam, non ſecundùm phantaſiam.* Opportunè confirmabunt hoc quæ in noſtris hiſtoriis leguntur. Neapoli Collegio noſtro præerat eximius ille vir miraculis & ſanctimonia clariſſimus, Andreas Ouiedus. Præſidebat tamen vt tempus illud ferebat ſuperintendentis, nomine P. Bobadilla. Hos tamen inter duos nequaquam ſatis conuenire videbatur. Cùm quicquid ille adſtringeret, hic laxaret. Putidum Bobadillæ videbatur ſanctitatem Societatis exiguis quibuſdam legibus alligari, cenſebatque domeſticam diſciplinam non tam ad minutiſſimam legum normam, regulamque, quàm ad ſolidæ virtutis rationem, officiique dirigendam. Quaſi verò ſolida virtus quicquam, quod gratum ſit Deo, minutum putet: vel conſiſtere, & abſolutionem ſuam habere ſine bis ornamentis, & coloribus poſſit. Fraus eſt hæc communis ferè mortalium, & eorum maximè, qui fugitant laborem, ſuiſque res ponderibus non expendunt; vt minima parui pendant, & quæ videntur minuta, contemnant; cùm tamen hæc plus habeant ſæpe in receſſu momenti, quàm in fronte. Sed Bobadillæ ſententiam breui refellit euentus. Namque ex ſolutiore quodam vitæ genere, & leuiorum neglectu legum, veluti quibuſdam fractis vinculis, fluere ſenſim diſciplina domeſtica viſa eſt, nonnulliſque de Societate dilabi. Quod vbi cognouit ſanctus Ignatius Parens noſter, iuſſit Ouiedum ſuo munere tota libertate defungi, nec ſe interponere Bobadillam, aduigilarique ad cuſtodiam legum minutiſſimarum. Sentiebat enim in his violandis plus plerumque latere periculi, quàm in maximis: propterea quòd maximarum damnum, ſi violentur, apparet, facilique in promptu eſt: at earum, quæ pro minimis habentur, exitium, niſi progrediente tempore, non ſentitur. Quare ſolicitudo minimarum rerum, non eſt nouitiorum, ſed perfectiſſimorum, non adumbraticæ & phantaſticæ virtutis, ſed ſubſiſtentis & ſolidæ, imò probatiſſimæ. Veriſſimè ſanctus Valerianus dixit, *Virtus magna in minoribus ſemper experimenta capit.* Et ideo ſeruus Dei Pater Balthaſar Aluarus dicebat ſubſtantiam mortificationis in eo conſiſtere, vt in rebus omnibus etiam minimis adhibeatur, vt non ſolùm rectus ac perfectus in ipſo ſuo ſtatu eſſet, ſed etiam eius minutiis, ſponſam æmulando, cuius manus ſtillabant myrrham, & digiti vſque ad extremitatem pleni erant myrrha probatiſſima. Et qui eò vſque peruenerit, dicere poterit, conſummatum eſt, quicquid ſcilicet Dei voluntati repugnabat, ventumque ad extremum, quò ex parte noſtra poteſt peruenire. Hæc enim minimorum mortificatio abſolutior, & fidelior eſt. Qua alia ratione Salomon dixit ſimpliciter, ma-

Hom. 16.

nus diſtillare myrrham, digitos autem addic plenos eſſe myrrha probatiſſima, niſi quia virtus probatior in minoribus eſt, & maior mortificatio, maior animi intenſio, maior contentio requiritur ad obſeruanda minima. *Hac quidem*, ſanctus Baſilius ait, *dum ſimpliciter hoc modo dicuntur, leuia videntur, ac nullius penè difficultatis. Euiuſmodi ſunt tamen in quibus ſeruandis magna opus eſſe contentione ipſe nos vſus docuerit.* Appoſitè Philoſophus quidam admiratus in paruis naturam dixit: *Rerum natura nuſquam magis, quàm in minimis tota eſt.* Et iterum. In his tam paruis atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? De cura autem, & ſolicitudine qua illa, quæ minima videntur, cauenda ſunt, optimè ſanctus Chryſoſtomus dixit: *Solet mibi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe vitanda, quanto parua & vilia.* Mirum dictu, ſed optima ratione probat, *Illa* inquit, *vt aduerſemur, ipſa peccati natura efficit; hac autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt, & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere; vnde citò ex paruis maxima ſunt negligentia noſtra.* Sanctus Baſilius ait: *Nullum omnino ſit erraturn, quod parui pendeas, eſto quamis illud tenuiſſima beſtiola, minutius ſit, potiuſque eo magis ſedulò contende, & per pœnitentiam illud emendes.* Conſpirat vtrique ſanctus Gregorius. *Quia*, inquit, *nonnunquam in parua deterius, quàm in maiori culpa peccatur. Maior verò quo citiùs, quia ſit culpa agnoſcitur; eo enim celeriùs emendatur. Minor verò dum quaſi nulla creditur, eo peius quo ſecurius in vſu retinetur. Vnde fit plerumque vt mens aſſueta malis leuibus, non grauiora perhorreſcat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perueniat, & tanto in maioribus contemnat pertimeſcere, quanto in minima didicit non timendo peccare.*

Epiſt. ad Canonic.

Plinius l. 11. c. 2.

Hom. 87. in Matth.

Serm. de Abd. rerum.

Part. 3. poſt c. 34.

Exiguæ obſeruantiæ maioris momenti ſunt quàm creduntur.

Capvt XLVIII.

Videamvs ergo qnibus aliis rationibus quamtumlibet minima, negligenda non ſunt, imò diligentiſſimè præcauenda. Primò, quia minima non ſunt in ſe, non leuia, non parua: quidquid enim contra Deum eſt, vel quidquid pro Deo fit, non eſt minutum, aut exiguum; ideo quidam legunt myrrham copioſam, & vberem diſtillatam è digitis, quia neque ipſa minima ſunt exiguum quid, ſed copioſum, & in ſe magna. Dicuntur autem leuia, aut parua non abſolutè, ſed comparatione maximorum; quemadmodum ſanctus Bernardus dixit in libro de præcepto & diſpenſatione: *Non quod vel minimum herum qua iubentur contemnendum putet; ſed minimum eſt ex comparatione maiorum. Nouit verus humiliſque obediens & minima non contemnere, & maximè curare, qua maxima ſunt.* An ne leue reuera erit, cap. 11.

vocati fuiſſent, multo erant Deo gratiores futuri. Confundarut, quòd tam negligens & diſtractus ſit in choro, vbi Deo aſſiſtunt Angeli. Confundatur ob ſeruitia fratrum in culina, in valetudinario, atque aliis locis ipſi exhibita, qui neque cui ſeruiatur, neque qui ſeruiat, dignus eſt. Confundant eum in cœnaculo fercula quæ Deus ipſi ſine vllo ipſius labore, aut ſolicitudine apponenda curat: veſtes etiam quibus induitur, & omnis domeſtica ſupellex in eius vſum parata: cumque his homines quorum opera, agri etiam quorum cultu, omnia denique, quibus tanquam mediis res eæ in hunc tandem ſtatum ad eius vtilitatem deuenerunt. Super omnia verò debet eum confundere, quia ſeruus Dei dicitur, qui ei tamen ſemper ſit inimicus. Nomen certè id eſt, de quo Virgo Beatiſſima tanquam gloriabatur cùm ſe diceret *Ancillam Dei*, quodque magnopere ſuperbos quoſque confundere debeat: Confundat præterea Religioſum magis, magiſque domus Dei, quam tanquam filius inhabitat, cùm tamen à Patris cæleſtis perfectione tam lonè abſit; quotque in ea paſſus conficit, tot tanquam fluctibus in confuſionis pelago immergatur. Nam ſi domum Domini decet ſanctitudo, quomodo in ea iniquum fert Deus? aut cur ab orationis domo non eiicitur indeuotus? Si porrò eiuſmodi eſt domus Domini, & magnus & Rex & Propheta Dauid eligat in ea potius, quàm alibi habitare, ſeque in ea contemptum & abiectum eſſe pro beatitudine ducat: quanto eius debet eſſe confuſio, qui illic inuitus maneat? Aut ſi maner libenter, tanto tamen eſt Dei beneficio ingratus. Et vt iam ad interiora veniamus: Confundere, ô homo de memoria tua, cùm enim hanc admirabilem potentiam iam tibi ſcias à creatore in id eſſe datam, vt ſui poſſes & ſemper, & ſuauiter meminiſſe; tu tamen in ea vitia quamplurima repoſuiſti, biſque eam ita occupaſti, vt vix eius, qui eam dedit, poſſes recordari: itaque ſit vt nulli ipſa minus, quàm Creatori ſeruiat. Confundere igitur quòd ea in Domini ſui iniuriam abuſus ſis, quodque cùm in mentem tibi ſæpe reducatur ab Eccleſia quidem qui ſis, admoto quotannis cinere capiti, atque illis verbis additis: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*; à Scriptura verò, nunc quidem finis tuus, cùm dicit, memorare nouiſſima tua; nunc verò ea quæ cauſa tui Chriſtus paſſus ſit, cùm dicit: *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis*; aliàs autem ſæpe alia: tu tamen nihil minus, quàm hæc, & huiuſmodi alia meminiſſe videare, & meritò flere debeas, & cum Propheta dicere: *Renuit conſolari anima mea, memor filij Dei, & delectatus ſum; eoquè magis confundi, quòd in Dei aliquando obliuione fuerit recreata.* Iam verò vt ad intellectum tranſeamus, quantus ſe in eo confuſionis campus aperit? Qui cùm intelligat ſe in eum finem creatum eſſe, vt ſummum bonum intelligeret; ſæpe tamen non vana modò, & inutilia, & tranſitoria, ſed peſſima etiam cogitat: atque in his denique occupatur, quibus intelligit minimè debere eſſe intentum. Flendum tibi certè eſt malum hoc, & quanta poſſis confuſione deplorandum. Quid autem de voluntate dicemus, qua cùm Deum ſuper omnia deberes diligere; & tamen fueris proſequutus, quæ vel etiam cogitare pudeat, nedum dicere? Quid tibi, inquam, dicam, ô cæca voluntas, quæ bonis æternis ſenſuum delitiis prætuliſti? quam cùm dulcis Dei charitas in Seraphinorum choro poſſet conſtituere mundi fœdus, amor in inferna deiecit. Meritò quidem, ô anima, tuæ te debent potentiæ confundere, in quibus tam fœdatam videas imaginem Dei: poſſis tu quidem eas, & debes cum dolore iis verbis reprehendere; *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt*. deque eis in hunc modum conqueris. Quis vos, ô potentiæ, ô imago Dei, quis, inquam, vos perdidit? Quis tibi, ô memoria, Dei memoriam abſtulit? Quis tibi, ô intellectus mentem eripuit? Quis te decepit, ô voluntas? O quàm illud quadrat in te, ô anima, *facti ſunt principes eius, ſicut arietes, non inuenientes paſcua*. More enim arietum, cùm paſcua non inueniunt, potentiæ tuæ, quaſi in Deo paſcua non haberent, venenata paſcua quæſierunt: adeoque ea cauſa viribus defectæ ſunt, vt magna debeas confuſione confundi. Ad ſenſus tranſeamus. Dedit quidem Deus oculos, vt creaturarum pulchritudine conſpecta, in re omni ſe amares, ipſique pro omnibus gratias ageres: tu verò contrà quæcumque vides conſumis, aut ira veluti incendens, aut auaritia concupiſcens. Itaque cùm oculi tui coram Deo eſſe deberent, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, baſiliſci (qui quæcumque conſpicit viſus interficit) oculi facti ſunt. Confundere igitur quòd lumen tibi datum in tenebras verteris, quodque aures, & ſanctis inſpirationibus claudis, & murmurationibus apetis: quòd qua deberes Deum lingua benedicere, hominibus maledicis: quòd cùm ſolicitus ſis, ne quicquam malè oleat, graue olens tamen peccatum, non ſentis: quod denique durum eſſe videatur, ſi quid eſt pro Chriſto patiendum; ſuaue verò ſit quod pro mundo pateris. Deplora itaque ſenſuum mala, atque eius rei memoria humiles tibi, & confuſionis plenas lachrymas exprimat. Quòd ſi necdum ſatis hæc ſunt, te caput tuum confundat, quod ſpinis preſſum non ſit. Confundant capilli, quòd non ſint euulſi, manus autem & pedes, quòd non transfixi clauis: reliqua te membra confundant, quòd cùm niſi Dei virtute moueri non poſſint, fueris tamen tu pedibus Chriſtum perſequutus, manibus autem, atque operibus ipſum vulneraris, & lingua læſeris. Denique ſi rectè rem putes, tu tibi magna ſolus confuſionis materia es: nec enim eſt in te quicquam de quo ſi diligenter cogites, non debeas magnopere confundi. Quòd ſi in te ſint, quæ non intelligas, vel ea cauſa maximè confundi debes, quòd ea ipſe plenè non noueris. Nam vel quæ ſit anima, aut quid in ſe habeat, aut corpori quemadmodum vnita ſit, denique vt ſit à corpore ſeparanda, ſi ex te ipſe quæras, non poteris reſpondere. Quòd ſi in rebus propriis tam es inſcius, quàm eris obſecro in alienis? Illud interim verum eſt, & in his, quæ de te ſcis, & in his, quæ ignoras, magnam tibi confuſionis materiam ſuppetere. Quòd ſi mihi quiſquam hoc loco obiiciat, non in bonis, ſed in malis tantùm operibus confuſionis cauſam reperiri, id ego negauerim; puto enim

in

in bonis etiam propterea nos debere confundi, quòd ad bonum ſimus admodum imbecilles, adeò verò proeliues in malum, vt magis mirum ſit ex tam corrupta natura boni aliquid prodire, quàm ex roſario roſam naſci; eſt enim id roſero naturale, vt roſam proferat, at perfectum opus non ſola hominis natura poteſt producere: nec enim Deo gratum quicquam ſine eius gratia eſſe poteſt. Qui ergo miratur inter ſpinas ortam roſam, multo magis mirari debet boni aliquid à ſe factum, tantoque magis confundi, quod vider in ſterili ſolo, dignoque quod ob peccata in Deum maxima ſale conſpergatur, operetur mira Deus, atque id excolere perſeuerer. Quare noo de malis tantùm operibus nos, ſed de bonis etiam confundi poſſumus, & debemus. Si qua enim facimus bona, Deus eſt, qui ea in nobis cœpit, fecit, atque perfecit: noſtrum illud eſt vt magis, magiſque confundamur, atque humiliemur, qui Deo tam ſæpe reſtiterimus, eamque, quam meruimus pœnam, eius clementia euaſerimus. Ne verò quicquam confuſioni depereat, aduertendum in conuerſationibus, vbi maiora ſolent eſſe pericula, vt ſi de manſuetudine agatur, veniat in mentem irarum tuarum: ſi de rebus pulchris, tuorum peccatorum fœditatis recorderis: ſi de magnatum potentia ſermo fiat, id conſideres, quàm nihil ſis, nihilque poſſis; tum etiam cùm maximè aliquid efficere cooeris: ſi de auaritia quis loquitur, tua inordinata deſideria; ſi de humilitate, tuam ſuperbiam memineris, atque ita in reliquis. Cùm mentio ſit vitiorum, noſtrorum recordemur: cùm autem virtutum, eas nobis deeſſe cogitemus. Ita fiet vt confuſionis materia nobis ſemper ſuppetat, idque in conuerſationibus, præſertim vbi maius eſt confuſionis admittendæ periculum.

Conſiderationes aliquot ad cognoſcendam propriam fragilitatem, ex venerabili Thoma Malleolo.

Capvt XL.

Adiiciam alias conſiderationes ad propriam agnoſcendam vilitatem, quibus melliſluus Thomas Malleolus auſpicatur libellum ſuum *de recognitione propriæ*
Pſal.118. *fragilitatis*, ad illud Prophetæ: *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua*
Th.Malleol. *humiliaſti me.* Hæc, inquit, verba ſunt ſancti Prophetæ, & humilis Regis Dauid. Quid ergo tu vilis homo ad hæc dicis, qui terra es, & cinis? Quid grande aliquid de te imaginaris, & alta vanitate delectaris, aut cur te alicui bono homini comparare audes, cùm ſis re vera peccator, & totus io peccatis natus, & totus vitiis, ac concupiſcentiis plenus? Verè ſi in veritate te diſcutis, & intueris, omnibus deteriorem te rectè iudicabis. Dic mihi qualem meretur confuſionem, ac pœnam, qui Dominum terræ, aut principem regni contumelioſis verbis, & factis indignis offendit? Vel certè quantæ vituperationis iaculo ille feriendus eſſet, qui in conſpectu

Regis, & miniſtrorum eius fœtidiſſimum cadauer tangeret, aut lutum immundum reuolueret? Nonne ſtatim confuſibiliter expellendus eſſet, aut etiam carceri tradendus ab omnibus iudicaretur? Tu es (proh pudor!) ſtultus ille, qui peſſimam hanc rem feciſti. Nam ecce in præſentia diuinæ maieſtatis, & ſanctorum Angelorum eius peccare non timuiſti. Multa etiam illicita phantaſmata verſaſti, quæ citiſſimè reſpuere deberes, & pluſquam lutum platearum deteſtari Inſuper permittis cor tuum, in omne penè ſæculum euagari, etiam tempore orationis, & in loco ſacro, vbi cum maiori reuerentia, & ſolicitiori attentione iuberis aſſiſtere, ac ſoli Deo, & tibi ipſi firmiſſimè vacare. Quomodo ergo dignè dicendus eſt Religioſus, tam longè à Deo, & à corde tuo abſtractus? Nonne propter tua grauia & multa demerita velut canis immundus meruiſſes à conuentu ſanctorum fratrum expelli, ac duris increpationibus caſtigari? vt fieret vltio de inimicis Regis, quem offendiſti peccatis quamplurimis, nec adhuc peccare deſiſtis? Sed, ô quanta eſt miſericordia Dei ſuper te, ô homo miſerrime, quòd etiam poſt tantas offenſiones, patitur te Deus in hac luce viuere; & pro tantis malis tam multa bona largitur indigno, & ingrato? Si quis in faciem tuam ſpuiſſet, ac verbis contumelioſis confudiſſet; quantam indignationem aduersùs eum de illatis iniuriis conciperes? Vel quali eum correptione puniendum cenſeres? Sed quis tu, & cuius poteſtatis in comparatione Dei, cuius faciem offendiſti? Verè magna miſericordia Dei ſuper te, quòd iam conſumptus non es, quòd adhuc iudicium differt, nec furorem ſuum in te exagitat; ſed clementiſſimè tuam emendationem expectat, & propter pœnitentiam vindicare ſuam iniuriam diſſimulat, vt agnoſcas, quia ſuauis & mitis eſt, & multæ miſericordiæ Deus, io omnibus operationibus ſuis. Quomodo poteris obliuiſci omnium miſericordiarum Domini, ab initio viæ tuæ vſque ad hanc horam? Proinde ſis gratus & humilis; ſis manſuetus ad omnia ferenda contraria propter peccata tua delenda, & propter iram Domini ſuper te mitigandam. Niſi enim citiùs, ac diligenter vitam tuam emendaueris, & in alterum virum te mutaueris, veniet ſuper te calamitas, quam neſcis, & ſtabunt contra te cœlum & terra, & omnes creaturæ conclamabunt aduersùs iniquitates tuas; quia indigno ſeruiunt, ad neceſſitates varias, & tu creatori tuo dignè noo ſeruis. Sed ne diuina iuſtitia ſuper te repentè & furibundè oriatur, & ſtipulam ſiccam perſequatur, & conterat: dum adhuc tempus miſerendi eſt, & locus veniam inquirendi remanet, loquere cum Propheta in Pſalmo, *& ora humiliter, & confidenter*, dicens:

Fiat miſericordia tua vt conſoletur
me, ſecundùm eloquium
tuum ſeruo tuo.

* * *

Serm. 18. in Cant.

tur. Et ſanctus Bernardus ait, *Quantis quod præ amaritudine prius exhorrebant, vſu ipſo mala conſuetudinis in dulce conuerſum eſt? primum tibi importabile videbitur aliquid: proceſſu temporis ſi aſſueſcis, iudicabis non adeò graue, paulo poſt, & leue ſenties, paulo pòſt etiam delectabit: ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in auerſionem.*

Minimæ res ſunt occaſiones maximarum.

CAPVT L.

ALIVD capit, vnde æſtimari poteſt quantum momenti habeant minima, eſt ab euentibus ſuis cùm maioribus rebus ianuam pandant, & vias liberas maximis explanent. Cui conſiderationi opportuna eſt illa verſio, quæ pro myrrha probatiſſima digitorum ſponſæ legit, *myrrham tranſeuntem*; fructus enim ſedulitatis circa paruas res non in ſe ſolùm ſpectandus eſt, ſed vlteriùs, cùm ad maiora tranſeat. Quid grandius, quàm per minima incurrere maxima; quid grandius, quàm quod S. Chryſoſt. dixit: *Hoc ipſum eſt omnium malorum cauſa, quod ob puſilla non indignamur. Ob id enim maiora ſcelera ſubierunt, quod minoribus debita correctio non adhibeatur.* Idem prorſus Damaſcenus ſcribit. *Ob id maiora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas noſtras imperium obtinent; quoniam iis, quæ minora eſſe videntur, conſentanea correctio minimè adhibetur.* Similiter S. Ephrem. *Res nullius momenti ſæpe magnorum malorum cauſa efficitur, & ex parua negligentia ingentia atque incurabilia fiunt vulnera.* Et quid mirum accidat in anima quod in corpore cùm magis obnoxia malis & tenera ſit anima, quàm corpus; membra animæ, ſcilicet affectus citiùs inordinantur ac læduntur, quàm artus corporis. Idcirco ſanctus Chryſoſtomus ait. *Quemadmodum in corporibus quæ vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique: itidem & in animis, qui puſilla diſſimulant, maiora inuitant.* Et in Commentariis Epiſtolæ ad Romanos ait. *Exhortor initio vt caueamus vel puſilla fugientes mala; nam magna ab his naſcuntur. Etenim qui in vnoquoque peccato edoctus eſt dicere, non in hoc poſitum eſt ſalutis momentum, is poſterùm omnia peſſumdabit. hoc igitur vitioſitatem ipſam attraxit; hoc ianuas reſerauit prædoni; hoc vrbis mœnia deiecit; nimirum quoties ad vnumquodque peccatum dicis, non hoc magnopere ad rem pertinet, ſic & in ipſis corporibus vſu venire videmus, vt magnæ ægritudines augentur quoties paruas negligimus.* Appoſitè dixit Ariſtoteles, *Modica tranſgreſſio à veritate diſcedentibus fit longè decies millies maior.* Principium rerum paruum ſolet eſſe, ſed dimidium facti dicitur. Sic & ſemina herbarum minutiſſima ſunt, & tamen inde grandis frutex ſubcreſcit, à minimis enim magna enaſcuntur. Sicut ſanctus Gregorius inquit, *In vnoquoque lapſu à minimis ſemper incipitur, & ſuccreſcentibus defectibus ad grauiora peruenitur.* Egregiè Richardus Victorinus hoc conſiderauit, dum dixit: *Statua quæ ex auro incipit, in teſtam deſinit: puto, quia nemo repentè fit turpiſſimus; ſed qui minima negligit, paulatim decidit, ſicut quibuſdam profectuum gradibus ad alta conſcenditur, ſic rurſum gradatim ad ima deſcenditur.* Mox reprehendens eos qui in initio conuerſionis ſuæ opus ſuum inchoant ex auro, & tandem conſummant luto, addit. *Nec tamen qui huiuſcemodi ſunt, ſtatim ſe in infima demergunt, ſed prius de bono in peius, dehinc de minus bono in malum, & demum de malo in deterius corruunt.*

In epiſt. ad Galat. c. 1.

Suprà.

Lib. 2. de cœlo tit. 33.

Non minus ſolent ſpiritum affligere paruæ immortificationes, quàm magnæ.

CAPVT LI.

NEQVE ſolùm maxima culpæ mala ex minimis naſcuntur, ſed & magna pœnæ damna. non ſolùm per exigua incurrimus magna peccata, ſed magnas afflictiones, dolores animi, turbationes, inquietudines, quas non minus efficit paruarum rerum cupiditas, & quàm maximarum amor. Paſcitur enim in minoribus ſecura cupiditas, & quia ſe putat abeſſe à graui periculo, actiùs effunditur. Inde tenaciùs hæret illis, & ad grandia inſtruitur; quid hinc naſcitur niſi quòd infeſtent & turbent nos indomiti affectus. Optimè ſanctus Cæſarius. *Non ſatis prodeſt quòd à nobis qualeſcumque facultates excludimus, quando ipſa nobis reſederunt cupiditates; inde eſt quòd interdum de rebus paruiſſimis excitamur, & pro rerum vilium appetitu viliſſimas intentiones mouemus: hoc quare? quia licèt reliquerimus in rebus exteriora bona, adhuc tamen in cordibus mala interiora retinemus.* Audiamus quoque ſanctum Petrum Damianum. *Cui tota rei cuiuſlibet intercluditur vniuerſitas, excuſationis aufugium de minutis non lucratur; & cui totum ceſſit, pars proculdubio non remanſit: præſertim cùm hæc ſit mentis humanæ natura, vt ita occupetur circa minima ſi ſit indigens, ſicut erga multa ſi diues. Siue enim ſumptuoſa diuitiarum inundatione circumfluas, ſiue tenuiſſimè te rei familiaris anguſtia premat, ſententia illa mutari non poteſt: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.* Crœſus & Amiclas diuerſi quidem poſſeſſores, ſed non diuerſas circa hæc quibus fruuntur exhibent voluntates: licèt enim ille aurum metiatur, iſte milium numeret, diſcreta quidem facultatum quantitate cæduntur; ſed non diſſimilis circa illa, quæ cuique viritim ſuppetunt, amore tenentur. Comparemus tamen maximarum rerum cupiditatem cum appetitu minorum. Alterutrum grandius malum eſt. *Quid differt* (inquit Caſſianus) *vtrùm quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat ſpecies? niſi quòd in eo reprehenſibilior iudicandus eſt, quòd qui maxima ſpreuerit, minimis obligetur.* Exigua tamen iſta differentia eſt, maior enim à ſancto Cæſario agnoſcitur cùm dixit: *Habendi amor niſi ad intimum reſecetur, ardentior eſt in paruis, & plus torquetur in minimis; & niſi ex corde atque affectu pauper ſis, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria iudicanda eſt.*

Hom. 5. ad mon.

Col. 4. c. 21.

Hom. 4. ad mon.

Ad bonum quoque ſimiles vires, & ſimiles effectus, id eſt, magnos, habent minima, atque vt alia taceam, magnum quid eſt, obſeruantia flo-

rens

rens decuſque religionis. Conteſtatur hoc ſanctus Anſelmus. *Certiſſimum namque eſt, quòd in multis Eccleſijs experimento didicimus, quia in Monaſterio, vbi minima diſtrictè cuſtodiuntur, ibi rigor Monachorum inuiolabilis permanet, ibi pax inter fratres, & in Capitulo conclamationes conquieſcunt.* Semper in hac obſeruantia conſeruari debemus. nam, vt quidam dixit, *Semper homo bonus eſt tyro*; atque vt hoc clariùs adhuc noteſcat, de eodem argumento ſequentem ſermonem inſtituemus.

Epiſt.6.ad Mon.Ciſt.

DOCTRINA VI.

QVOMODO NIHIL ſpernendum ſit, quod ad profectum ſpiritualem ſpectet.

Nihil contemnendum eſt, quantumuis exiguum videatur.

CAPVT LII.

Eccleſ.19.

QVI *ſpernit modica, paulatim decidet.* Sæpiſſimè mirari ſolemus multorum Dei ſeruorum lapſus, multorum charitate feruentium diſſolutam remiſſionem, multorum virorum pridem ſpiritualium ſæcularitatem, multorum denique hominum diu mortificatorum ſubitam mutationem, vt iam non eoſdem, ſed alios reputemus. Quænam igitur cauſa erit huius transformationis, & tantæ ruinæ? an ingens aliqua & violenta? minimè quidem; ſed quod potiùs in admirationem maiorem nos rapiet, cauſa imbelles res ſunt, exiguæ, & minutæ, & tamen cùm infirmæ ſint, in tantum malum valent impellere; nam negligentia noſtra potentes & validas eas reddit, quod Sapiens rectè nos admonuit, cùm dixit: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Vtinam poſſemus eruere huius dicti medullas. Quis huius breuiſſimæ ſententiæ latiſſimum fundum præuaderet? Quis grauidum ſenſu, &, vt ſic dicam, myſteriorum oraculum penetraret. Illud tamen negligimus, non minus quàm ipſa modica, & minima, quæ cauſam magnæ ruinæ pronunciat. Quid inde ſequitur, niſi quod diximus, lapſus, caſus, tepor, diſſolutio non tantùm priuatorum, ſed ipſarum Ordinum, communitatúque religioſarum. Contemptio huius ſententiæ peſtis eſt vitæ ſpiritualis, peſtis religionum, non ita Sancti contempſerunt, ſed tanquam gemmam multis præditam viribus, & ſalutaribus virtutibus refertam, & efficacem magni fecerunt, tanquam radicem plurimorum & pulcherrimorum fructuum, tanquam perennem fontem ingentium bonorum, & vt omittam quantum noſtri Ordinis conſtitutiones, & hiſtoriæ commendent, nobis diligentiam atque ſtrenuitatem in minimis, vt nihil nec punctum proficiendi prætermittamus, producam ſanctum Auguſtinum, qui magna in hoc dicto myſteria agnouit; etenim dum commendaret ſanctus Doctor diligentiam, quæ maximam minimorum rationem debet habere, atque ex nouo Teſtamento proferret dictum illud, *de modico fermento corrumpente totam maſſam*, addit: *Quid autem proferri manifeſtius de veteri Teſtamento contra iſtam dormitationem animi poteſt, per quam fit, vt non ſentiamus minutatim ſerpentem perniciem, quàm illud, quod à Propheta dictum eſt: Qui ſpernit modica, paulatim decidet? De qua ſententia ſi opportunum eſſet feſtinantibus, copioſiſſimè diſputarem: atque ſi à nobis nunc ſuſceptum munus flagitaret, fortaſſe demonſtraremus quàm ſint alta myſteria, quæ imperitiſſimi & ſacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim iam decidunt, ſed magno lapſu præcipites eunt.* Hæc ſanctus Auguſtinus. Ecce quàm præditam profundis ſenſibus, quàm refertam myſteriis peruidit Auguſtinus iſtam ſententiam; quàm acriter notet illius contemptores, qui curam minimorum non maximè faciunt, quos non paulatim, ſed impetu lapſos dicit. Sanctus Dorotheus etiam in principio ſextæ doctrinæ monens dicta ſanctorum Patrum repetita memoria alere inter illa commendat ſententiam de ſtudio exiguarum rerum, *Si enim*, inquit, *vt præclarè* (illi aiebant) *quæ exigua ſunt, & nullius momenti non contempſerimus, ad ea, quæ maiora ſunt, & grauiora peccata prolabi non poterimus.* Nos quoque reuereamur illud dictum, & myſteria ſapientiſſimi huius oraculi veſtigemus. Quænam iſta myſteria ſunt? quæ tanta bona à ſolicitudine circa minima pendent? Sunt quidem magna mala, quæ per eam effugimus, & magna bona, quæ conſequimur: nonne hoc magnum myſterium, quod hinc ſequitur, vt pari cura minima curanda ſint, ac maxima: nam ſi ex minimis maxima pendent, per minima ſunt quærenda maxima, neque minus ſatagendum de illis, quàm de iſtis, cùm iſta ſine illis non ſint. Voluntas quæ effectum intendit, pari intentione cauſam requirit, neque finis efficaciter amatur, ſine efficaci mediorum amore nec viator in deſideratum locum venire conſtituit, quin pariter viam pergredi ſtatuat; media & via, quibus ad magna venimus, parua ſunt; quapropter nemo maxima efficaciter concupiſcere, & verè curare poteſt, quin minima curet; & hoc certè myſterium videtur tam annexas grandibus exiguas res eſſe; atque vt ſpecialiùs aliqua explicemus. Nonne myſteria ſunt quòd à minutis rebus emanent diſſolutio, & feruor ſpiritus, iactura, & lucrum æternum, ruina & ſalus hominis, periculum & ſecuritas noſtra, difficultas, aut facilitas bonorum operum, turbatio, & pax animæ, mors, & vita ſpiritualis, euulſio vitiorum, & plantatio virtutum. Veriſſimè ſiquidem dixit ſanctus Dorotheus, *Rectè agere & peccare à minimis ortum habet, & ad magna vel bona vel mala paulatim perducunt.* Circa duo hæc præcipuè verſari debet cura exiguarum rerum, ſicut & ſolicitudo noſtra, in declinando ſcilicet à malo, & exequendo bonum; nobis dictum putemus illud Hieremiæ: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper* cap.1.
regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices & plantes. Nam, vt dixit

ſanctus

ſanctus Hieronymus, *Neque ædificari poterant bona, niſi destructa eſſent mala; nec plantari optima, niſi destruerentur peſſima.* Et auctor Epiſtolæ ad Demetriadem. *Neque enim tibi ſufficit à malis otioſam eſſe, ſi otioſa fueris à bonis, cum lex Dei duplici mandatorum genere diſtincta ſit, & mala prohibens bona imperet, atque ab vtraque parte contemptum vetet. Non enim tantùm ille ſeruus contempſit dominum, qui prohibita fecerit, ſed & qui iuſſa non fecerit.* Igitur euellenda ſunt vitia radicitus vſque ad minima, & prorſus diſſipanda. Diſſipatio autem non tantùm dicitur de qualibet deſtructione permagna, ſed de ea, quæ vſque ad cæmenta, & ad minuta & velut ad vſque puluiſculum pertingit. Virtutes quoque nobis colendæ ſunt, non vtcunque per maiora, ſed à fundamentis extruendæ, & à minimis tanquam principiis ſerendæ & plantandæ. Itaque & minimi defectus vitandi ſunt, vt viriliter euellamus, deſtruamus, diſperdamus, & diſſipemus vitia; nam qui modica contemnit, corruet in magna. Tum etiam minima virtutum officia, diligentiſſimè ſunt operi mandanda, vt firmiter & ſolidè compingamus ſpirituale ædificium, & ex plantatione noſtra vberes virtutum fructus carpamus. De iis dicemus priùs, & poſtea de aliis duobus minimis, quæ commendauit ſanctus Bonauentura. Iuxta quem quatuor minimorum genera ſunt diſtinguenda, quibus ſedulò ſtudere debemus atque inuigilare, hoc eſt, de minimis beneficiis gratias agere, & minimas quaſque culpas & negligentias (nempe in minimis virtutum officiis) cauere, & minima quæque aduerſa patienter tolerare. Nos de iis omnibus, licèt non eodem ordine, agemus, producentes quid de hoc ſenſerint ſancti Patres, cuius ſententias exhibebimus.

Minimi defectus magnopere euitandi ſunt.

CAPVT LIII.

PRIVS dicemus de auerſione mali, quo pacto minimas quaſque culpas declinare debemus, ne per illas paulatim decidamus; quod optimis ſimilitudinibus explicuit

Hom. 8. in 1. ad cor. ſanctus Chryſoſtomus, *Quando parum deliquerimus, aut etiam pigri ac ſocordes fuerimus, ne illud parum negligamus; citò enim neglectum fit magnum: ita etiam veſtimentum ab initio ruptum, & neglectum, per totum producit ſciſſuram; & tectum, ſi cùm pauca tegula deciderint, fuerit neglectum, totam domum deiyciet. Nos ergo hæc conſiderantes parua nunquam deſpiciamus, ne in magna incidamus.* Similiter Caſſianus ſcribit, *Domus nunquam ſubitaneo ad ruinam procumbit impulſu, niſi aut antiquo vitio fundamenti, aut larga inhabitantium deſidia, ſtillicidiys primum paruiſſimis penetrantibus corrupta ſenſim fuerint munimenta tectorum; quibus per vetuſtam negligentiam in maiorem modum patefactis atque collapſis, riuatim poſt hæc influit pluuiarum, imbriumque tempeſtas.* Et ſanctus Anſelmus: *Sicut piſces decurrente aqua viuarij moriuntur, ſi clauſura ipſius minutatim, ac ſæpe crepant, nec reſicintur. Ita omnis religio monaſtici Ordinis funditus periit, ſi cuſtodia eius per modicarum contemptum culparum, paulatim à feruore ſuo tepeſcit, atteſtante Scriptura quæ dicit: Qui modica ſpernit, paulatim decidet.* Eadem ratione ſanctus Gregorius interpretatur illud, quod de Behemoth dicitur, *Stringit caudam quaſi cedrum. Primum quidem,* inquit, *ſerpentis ſuggeſtio mollis ac tenera eſt, & facilè pede conterenda; ſed ſi hæc inualeſcere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter præbetur, tanta ſe virtute exaggerat, vt captam mentem deprimens vſque ad intolerabile robur increſcat. Caudam itaque quaſi cedrum ſtringere dicitur, quia ſemel eius in corde recepta tentatio, in cunctis, quæ ſubſequenter intulerit, velut ex iure dominatur; huius ergo Behemoth caput herba eſt, cauda cedrus, quia ex prima quidem ſuggeſtione blandiens ſubſternitur; ſed per vſum vehementer inualeſcens, ſuccreſcente tentationis fine roboratur: ſuperabile namque eſt omne quod initio ſuggerit, ſed inde ſequitur quod vinci vix poteſt.* Quapropter Beatus Ægidius dicere ſolebat, *Parua negligentia & exigua culpa magnam poſſe amitti gratiam, quæ poſtea reparari vix queat.* Commoda quoque comparatione vſus ſanctus Ioannes Damaſcenus ait: *Vt in corporibus qui parua vulnera negligunt, ſaniem plerumque ac mortem ſibi ipſis accerſunt; ad eumdem modum etiam in animis hoc vſu venit, vt qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, grauiora ſibi inuehant.* Et ſanctus Ephrem: *Si per tenuem aliquam rimulam telo aditus patefaciat, ſtrenuo militi mortem affert.* Hoc mortis periculum docemur ſub figura vxoris Ieroboam, de qua dicitur. *Cumque illa ingrederetur limen domus puer* 3. Reg. 14.
mortuus eſt; limen domus noſtræ, hoc eſt anima, ingreditur Dæmon cùm in prauis peccatis incipit nos poſſidere, & ea nos contemnimus, quod ſignum eſt mortis & labendi in mortalia; ergo vt tuti à mortalibus ſimus, timere venialia debemus: vt Dæmon expellamus tota domo noſtra, nec veſtibulum eius poſſidere patiamur, atque vt nos non occidat in magnis, conemur ne nos vincat in paruis. Veriſſimè quidem dixit ſanctus Antiochus: *Qui facilè ſinis intercipi ſe ac vinci à re permodica, à magnis neceſſe eſt hunc in ſeruitutem redigi.* Pudeat nos Ethnicos idem docuiſſe; pudeat nos prophanorum verba ſanctiora videri quàm opera noſtra ſint; & meliùs illos locutos, quàm nos operatos. Galenus ait. *Hac quoque emendationis indigere ei, qui animum ſuum exercuerit, & à cunctis affectibus vindicauerit, haud dubium eſt, quamuis eadem euitare propterea quòd parua ſunt, magis arduum ſit.* Tullius quoque dixit. *Quæ parua videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum.* Pudeat nos eam eſſe noſtram inertiam, vt ædificium ſpiritualis perfectionis, totum penè infectum relinquamus, ne minimum agamus. Optimè ſanctus Chryſoſtomus ait, *Nec mihi dicas, maiorem partem expediui, quia niſi totum emendaſti, nondum te quicquam feciſſe puta: hoc enim exiguum neglectum & omne reliquum deſtruit.* Pudeat nos, qui mundi pompam ſuperauimus, à minimis ſuperati, vt meritò ſanctus Ephrem dicat, *Turpe eſt eos qui ſibi maxima ſubiecerunt, à vilioribus vinci.*

Minima virtutum officia exercenda.

CAPVT LIV.

DEINDE non tantùm minimi defectus vitandi ſunt, ſed minima virtutis opera exactiſſimè curanda, & amplectenda, ad imitationem Dei, qui etiam minima perfectiſſimè facit, & exigua opera maximè curat. quod mitatus Thiophridius dicit. *Corde & ore dicamus Deo ſalutari noſtro, quàm terribilia, quàm magnifica ſunt opera tua Domine; nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ; quia quàm terribilis eſt in conſilijs ſuper filios hominum, & licèt magnus in magnis; glorioſius tamen mirabilia operatur in minimis.* Hoc eſt alterum minimorum genus, iuxta ſanctum Bonauenturam, quod debemus cauere, negligentias ſcilicet in minimis virtutum officiis; quam ſic monuit ſanctus Petrus Damianus, dicens: *Huius vitæ idoneus executor ſic ſe per maiora opera, ex deſiderij feruore dilatet, vt etiam cautus quæ ſunt minima non relinquat.* Rectè quoque ph oſophatur Simplicius: *Prorſus autem qui maiora immodicè appetunt, modica deſpiciunt, eaque reſpuunt, cum maioribus comparantes, cùm tamen, vt aiunt, impoſſibile ſit maiora adipiſci ante parua & ante modica maiora conſequi.* Quemadmodum enim exiguæ culpæ initia ſunt maiorum, ſic & ab exiguis operibus maiora auſpicamur. Quapropter ſanctus Gregorius ſcribit. *Nemo repentè fit ſummus, ſed in bona conuerſatione à minimis vitijs, in maximis prorumpit; ita à modicis virtutibus gradatim ad ea quæ ſunt excelſa contendit.* Quod optima comparatione explicuit ſanctus Petrus Damianus: *Sicut fluuius ex ſui fontis origine perexiguus oritur, ſed proceſſu longioris decliuij, riuis hinc inde confluentibus, dilatatur; ſic interior noſter homo in ſancta conuerſationis itinere tēnuis & velut aridus incipit, paulatim verò per incrementa virtutum quaſi riuis vndique concurrentibus conualeſcit.* Accipiamus igitur ſalutare monitum ſancti Chryſoſtomi. *Cum videmus egregia facinora ſuperare captum noſtrum, minora perfeciſſe nihil pudeat. Reijcere enim parua, vbi magna conſequi non vales, extrema dementia eſt, quam omnibus modis effugiamus; quemadmodum enim opes corporis accumulantur cùm amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt; ſic ſpirituales diuitiæ.* Immenſum quippe meritorum theſaurum comparare poſſumus ex minimis virtutum, & mortificationis actibus, qui inredit nobis occurrunt, ſi eos non negligeremus; quorum aliquam praxim ſic admonet ſanctus Vincentius. *Mox Deo gratus eſt aliquid de potagio Chriſto pauperi ſemper in ſcutella dimittere. Si eſt tibi cibus inſipidus ex defectu ſalis, vel aliqua quacumque cauſa, noli apponere ſal, nec aliud condimentum, propter Chriſtum felle & aceto potatum, ſed ſenſualitati reſiſte. Similiter quacumque ſalſamenta, quæ ad nihilum valent, niſi ad gulæ excitamentum dimittere occultè potes. Quandocumque aliquem bolum gratum tibi circa finem apponitur, iſtum dimitte propter Deum.* Eadem dicit de caſeo, fructibus, vino meliore, & aliis oblectamentis. Et concludit: Si miſeris propter Chriſtum hæc, non dubito quòd tibi parabit in dulcedine Chriſtus Dominus cibum conſolationis ſpiritualis, etiam in alio cibo quo contentus es propter Chriſtum. Huiuſmodi in aliis rebus, in veſtitu, in lecto, in cubiculo minimæ obſeruantiæ occurrent, quæ diligenter eas lucrantibus plurimorum meritorum occaſionem dabunt.

Quælibet minimæ mortificationes non prætereundæ.

CAPVT LV.

TOLERANDA quoque ſunt minima aduerſa, & mortificationes minimæ aſſumendæ, ſecundùm Bonauenturam. *Sic ſenex quidam ſolitarius, de quo in vitis Patrum ſcribitur, interrogatus, cur ad quædam conuitia puerorum opilionum in ſe prolata, nihil reſponderet? Prudenter dixit, Si parum hoc non porto, quomodo ſi maior mihi tentatio aduenerit portabo? Et ideo illis nihil dico vt fiat mihi conſuetudo portandi.* Hac arte ſanctus Dorotheus vt nouitium Doſitheum voraciſſimum, qui ſex panis libras vno paſtu conſumebat, reduceret ad communem Monachorum abſtinentiam, iuſſit primùm quartam partem panis, quæ pendebat libram, detrahere. is modicam initio famem ſentiebat, ſed poſt aliquot dies, aſſuetus minori illi cibo, non ampliùs eſuriebat, tunc ſanctus Dorotheus ſemilibram demit; paulo pòſt aliquot item vncias iubet relinquere, quod ſæpiùs per interualla factum fuit. Sic Doſitheus ſenſim ac minutatim ex ſex illis panis libris quas primò comederat, ad octo demum vncias peruenit. Rectè ſiquidem ſanctus Petrus Damianus ſcripſit: *Qui conſueuerit ventrem breui panis aridi menſura reficere, non facile de inadipatis nouit edulijs iudicare; qui timet aquam ad ſatietatem bibere, mulſi ſe potionibus ingurgitare non quærit.* Quapropter veriſſimè ait ſanctus Valerianus: *Virtus, quæ in paruis promittitur, faciliùs in maximis exhibetur, ſi dum conſueſcimus minora vincere, maiora diſcimus tolerare.* Sic virtutum ſolidatum acquiſitio ordinatè procedit, nec accidit quod reprehendit Auctor epiſtolæ ad Demetriadem. *Quid hoc, quæſo, conſilium tuum? Quænam hæc noua viuendi ratio eſt? Res difficiles & laboris plenas ſecurus aggredior, & faciliora non poſſe fieri credo: vinco maxima, vincendus à paruis; excelſa & ardua indefeſſus exſupero; & cùm venitur ad plana, deficio.* Etenim qui exigua non ſuperat, nequaquam ad ſoliditatem virtutum & puritatem ſpiritus aſſurget. Nam, vt inquit ſanctus Valerianus, *Non ille ſine triumpho paruo diem tranſigit qui caſtigatis vitijs animo purificatus incedit.*

Rectè Caſſianus ridiculum dixit eſſe illorum morem, quos tanto ſtudio cernimus in his, quæ penitus abſcindi non poſſunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamuis parua, leuiaque ſint, eſſe deuinctos, vt horum cura priſtinarum omnium facultatum ſuperet paſſionem. Nonne relictarum opum affectum in exiguas transferunt res. Nam *vitium*, inquit, *cupiditatis,*

& auaritia, quod erga ſpecies pretioſas exercere non poſſunt, circa viliores materias retinentes non abſcidiſſe, ſed commutaſſe probant priſtinam paſſionem. Nam minima diligentia deuincti erga curam pſiathij, ſportella, ſaccelij, codicis, maſta, aliarumque ſimilium rerum, quamuis viliſſimarum, eadem tamen, qua antea, libidine retinentur, qua etiam tanta æmulatione cuſtodiunt, atque defendunt vt pro ipſis aduerſus fratrem commoueri, & quod eſt turpius, etiam litigare non pudeat. Demum ait: *Quid differt vtrùm quis perturbationem cupiditatis erga res amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat ſpecies? niſi quòd in eo reprehenſibilior iudicandus eſt quòd qui maxima ſpreuerit, minimis obligetur.* Quamobrem Chriſtus Dominus iuſſit Apoſtolos, *Nihil tuleritis in via, neque virgam; nonne minimas nos res monet etiam relinquere. Quid amplius* (inquit Saluianus) *dici poteſt? Pedum de Apoſtoli manu rapuit, & peragrantibus vniuerſum mundum miniſtris ſuis vſum vnius virgulæ non relinquit.* Clariſſimè ſanctus Auguſtinus ait: *Illa Apoſtolis loquebatur, vt ſecurè non poſſiderent, neque portarent huic vitæ neceſſaria, neque maxima, neque minima.* Et mox: *Illud quod dictum eſt, neque virgam, intelligatur nec minima quidem res. Voluit quippe benignus Dominus ſuos cordis tranquillitatem poſſidere, nec ſic inſipere, vt qui magno pretio libertatem ſpiritus emimus, paruo vendamus. Quod ſanè,* inquit ſanctus Dorotheus, *non niſi ex amentia multa, & ſtoliditate prouenit, vt qui magnas & pretioſas res dimiſimus, minimis quibuſdam & viliſſimis, noſtros affectus & vana deſideria expleamus.* Siquidem quemadmodum ſanctus Petrus Damianus ait, *Mentis humana natura ita occupatur circa minima ſi ſit indigens, ſicut erga multa ſi diues.* Quapropter vt veram libertatem ſpiritus poſſideant Religioſi, & magna parua curare debent, & minima quæque cauere, vt omnia relinquant, & ab omnibus mundi vinculis ſe aſſerant. Idcirco patres ſpirituales & informatores religioſæ vitæ minuta valde notant quibus religioſos oporteat abſtinere. In regula ſancti Pauli & Stephani ex regula ſancti Benedicti, vtiliter præſcribitur. *Nulli fratrum liceat vel pomum, vel quodcumque olerum, vel condimentorum, vel aliud aliquid ad ſuos vſus quaſi peculiari apparatu habere, ne maligno detur occaſio.* D. Iſaias Abbas monet, *Pallium contegat pedes tuos, genua tua ſint inter te coniuncta, cùm aquam bibis, guttur tuum ne ſinas ſonum edere.* Poſtea, *Dentes in riſu nunquam aperias, cùm ambulat, manus ad zonam inter ſe coniunctas componat; neque illas concutiat.* Huiuſmodi obſeruantiæ licèt minutiſſimæ, magnopere decent Religioſos.

De minimis beneficijs grati etiam debemus eſſe Deo.

Capvt LVI.

Qvartvm genus minimorum, de quibus ſoliciti debemus eſſe, iuxta ſanctum Bonauenturam ſunt, beneficia diuina, quorum ratio exigenda nobis eſt, vſque ad vltimum quadrantem. Quomodo audient ij, qui contemnunt, non dico minima, ſed & mediocria, & maxima, illud ſolue quod debes, cùm Deus vltimum quadrantem non negligat, & nos contemnimus talenta, ſepelientes illa, & otioſa retinentes. Diſcamus ab ipſo Deo curam minimorum magnifacere, ſiquidem & ipſe curam habet quadrantis, & numeratos habet omnes capillos capitis noſtri, & panum multiplicatorum iuſſit colligere fragmenta ne perirent. *Diligenter,* inquit Bernardus, *conſidera quæ apponuntur tibi, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non mediocria, non puſilla.* Denique iubemur colligere fragmenta ne pereant, id eſt, nec minima beneficia negligere. Propter contemptum vnius ſanctæ cogitationis, ſeu inſpirationis metuerunt puniri à Deo priſci Sapientes, de quibus Apoſtolus loquitur in Epiſtola ad Romanos, qui tam ſeuerè puniti fuere, vt traderet eos Dominus in paſſiones ignominiæ. Ij autem, qui grati de minimis quibuſque ſunt, maximas vltra gratias recipient: conſtituet quippe liberaliſſimus Dominus ſuper multa eos ſeruos, quos fideles in paucis reperit.

Verùm ſi conſideremus minima Dei beneficia, non ſunt ita exigua, quin infinitam gratitudinem mereãtur. nam ex amore infinito erumpunt, & donorum menſura non quantitas eſt, ſed animus, quo donantur, & amor, qui per illa demonſtratur. Amor autem diuinus immenſus eſt; quare in quibuſque minimis Dei donis infinitam eius beneficentiam adorare debemus. Præterea non ſunt reputanda minima beneficia ea, quæ nobis conferuntur ad ſalutem animæ; ſiquidem oportuit, vt nobis donaretur quodlibet minimum auxilium gratiæ quo bene operamur, incarnare filium Dei, fundere pretioſum ſanguinem, pati, & mori. Quæ igitur infinito pretio comparata ſunt à Deo, non minimo æſtimanda nobis ſunt, ſed affectu gratificanda maximo per eximia virtutum opera demonſtrando. Quanta autem diligentia hoc ſit præſtandum, nunc diſſeremus.

DOCTRINA VII.

DE DILIGENTIA.

Multis Dei promiſſis, & minis tenemur diligentiſſimè agere res diuini obſequij.

Capvt LVII.

Sit *timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite; non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas.* Ingentia bona, & quæ exordia ſunt, atque cauſæ 2. par. 19.
multorum bonorum, ſic cupit diuina bonitas appeti, amari, & amplecti, & ſuper bonitatem,

& vſum, quem ex ſe habent, adiiciat nouas appetitionis rationes, ſiue annectens illis noua promiſſa & gratias, ſi ea proſequamur, ſiue interminans mala, & ſupplicia, ſi contemnamus, vt partim illecti ſuperpondio ſuæ liberalitatis, partim velut coacti timore punitionis noſtrum ipſum bonum quæramus. Huius generis eſt diligentia, & attenta noſtræ perfectionis cura. Etenim quantumuis commendabilis per ſe diligentia videatur, vtpote quæ ex ſe ſit bonorum innumerabilium origo, contraria autem negligentia malorum ſeminarium; nihilominus, vt ſolicitiores, & diligentiores huius tanti boni eſſemus, adiecit Deus multas minas, & maledicta negligentibus, multaque promiſit bona diligentibus & ſolicitis. Hinc ſanctus Rex Ionathas, vt diligentiam commendaret, timorem diuinæ iuſtitiæ priùs commendat, deinde cõmemorat diuinam æquitatem in remunerando. *Sit*, inquit, *timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.* Etenim ſi conſideraremus quot mala, quot maledicta tepidis & pigritantibus præparat infinita Dei bonitas, abſque dubio timebimus Dominum, & cum Domini timore omnia, quæ ad noſtram perfectionem ſpectant, cum diligentia faciemus. Deinde ſicut malorum timor ſolicitudinem operabitur in nobis, eandem pariter generabit expectatio, cupidoque bonorum, quæ Deus pollicitus eſt feruidis, & propriæ ſalutis ſtudioſis. Deus quippe æquiſſimus & fidelis remunerator eſt; non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, ipſe fideliter retribuet quæcumque diligentibus promittit. Itaque ob duplicia mala, & ob duplicia bona ardorem aliquem, & diligens noſtræ perfectionis ſtudium excitare debemus; ob mala quæ ſecum affert, ipſius negligentiæ, & torporis conditio, & ob mala, quæ ſuperpoſuit diuina prouidentia; ob bona quæ ſecum affert ipſa diligentiæ natura, & ob bona quæ annexuit illi paterna Dei ſolicitudo. Et quidem bona, quæ per ſe diligentiam comitantur, & mala ſocordiæ annexa multis teſtimoniis, & ipſa diligentiæ natura conſtant.

Menander.
Tullius.

Quidam propterea dixit, *diligentiam eſſe matrem bonæ fortunæ.* Alter, *Diligentiæ omnia ſubdita ſunt.* Alius ait, *Raro diligentiam cum infortunio ſociabis.* Alius, *diligentia omnibus in rebus plurimum valet.* Hæc præcipuè colenda eſt nobis; hæc ſemper adhibenda: hæc nihil eſt, quod non aſſequatur.

Reg. fuſ.

Atque S. Baſilius ait, *In rerum natura nihil eſt, quod non diligentia corrigatur.* Quòd ſi in rebus temporalibus, quæ difficiliora obtentu ſunt, quàm ſpiritualia; ſi in rebus, quæ ab alieno arbitrio pendent, & à caſu, & ſunt extra noſtram poteſtatem, ac mille difficultates habent; ſic poteſt ſolicitudo diligens, vt vincat omnia & conſequatur, vt fortunæ meritò comparetur, quid non poterit in iis bonis, quæ facilia comparatu ſunt, & à nobis dumtaxat pendent, & quibus nemo poteſt impedimentum adhibere, niſi nos velimus, cuiuſmodi ſunt bona animæ, quàm efficax, quàm potentiſſima, quàm quæſtuoſa, quàm bonorum plorimorum mater erit, ſi diuinæ gratiæ reſpondeat, & cooperetur.

* * *

Quàm exoſa & maledicta ſit negligentia in diuino obſequio.

Capvt LVIII.

Veniamvs iam ad ea, quibus diuinæ prouidentiæ ratio diligentiam commendat, & primum à timore Domini propter mala adiuncta diligentiam, vt ſic dicam, negligentibus. Cùm ergo, inquit Dionyſius Carthuſianus, *Timor Dei diligentiam gignat, conſtat quod homo timoratus nihil negligat.* Quis non timebit, ſiquidem, idem Auctor ait, *Deus maieſtatis immenſæ in ſuo obſequio deſpicit indeuotum, euomit tepidum, negligentem, & impium deteſtatur. Si Principes ſæculi huius exigunt ſibi reuerenter, & promptè ſeruiri à ſuis miniſtris, quanto magis Dominus vniuerſorum, cuius excellentia eſt penitus infinita, vult, iubet, & requirit, vt ei cum præcipua diligentia obſequamur.* Hinc meritò natiuis negligentiæ malis ſuperpoſitæ ſunt minæ diuinæ.

Reform. can. præfat.

Quid formidabilius, quàm illa Dei vox per Ieremiam. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Nonne maledictus Cain? vtique, & ob negligentiam, de cuius peccato locutus S. Ambroſius ſic Deum loquentem inducit. *Nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læſit. Deſpexi munera tua meo iudicio, non illius voto. Opus enim bonum negligenter egiſti. Recta fuiſſet oblatio tua, ſi fuiſſet recta diſcretio. Sciens cui offerres, ſcire debueras quid voueres. Non dignè inter me, & te diuiſiſti, quoniam tibi electiora ſeruaſti.*

Ierem 48.
Lib. de vocat. gent. cap. 4.

Et quidem increpatio Domini ad Cain non fuit de ſubſtantia operis, ſed de modo; non inquit, ſi *bona* egeris, ſed ſi *bene* egeris: nec inquit, ſin autem *mala*, ſed ſin autem *malè*. Maledictio autem Cain ignauos comprehendit, quos profugos à virtute videmus, vagos, inconſtantes propoſitis bonis, & trementes; quippe qui ſemper timeant fingentes ſibi magnas difficultates in itinere perfectionis. Maledictus igitur qui facit opus Dei negligenter, quæ maledictio apud Hieremiam eo formidanda magis eſt, quoniam ad eos dirigitur, qui non ſuum profectum, non ſuam ſalutem operaturi erant, ſed alienum interitum. Quippe litteralis eius loci ſenſus eſt de Chaldæis negligentibus in occiſione Moabitarum. Vnde meritò Theodoretus infert: *Si iuſſu Dei*, inquit, *ſermo Propheticus ſubdit maledictioni eos qui negligenter occidunt; quantas nos pœnas exoluemus, ſi munus ſpirituale paruipenderimus.* Imò ſi noſtram neglexerimus ſalutem, noſtram vitam, noſtram perfectionem, & Dei gratiam. Si illi maledicuntur, qui opus periculoſum facturi erant, vbi ipſi occidi poſſent, cur immunes erunt, qui negligentes ſunt in opere ſalutari, innoxio, & ſecuro. Si illi maledicuntur, qui in opere laborioſo, & inutili ſibi deſident: quid merebuntur, qui in opere torpent facili, & vtiliſſimo ſibi, & iucundo. nam etſi aliqua media, aut inſtrumenta perfectionis videantur acerba, qualiter mortificatio, aſſuetis tamen iucundiſſima fit, vt meritò etiam maledicantur, qui in ea torpent. *Maledictus*, inquit, *qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.*

Igitur cauendum, ne amiſſo diligentiſſimo proficiendi ſtudio veluti primogenito cordis noſtri deſiderio reparetur Hiericho in nobis, &

illam incurremus maledictionem Ioſue, prout Galfridus expoſuit. *Imprecatus eſt Ioſue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaceat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius. Per Hiericho, quod interpretatur luna, meritò intelligitur corpus noſtrum. Sicut enim luna quotiens inter eam & Solem mediam ſeſe terrena moles obiecerit, tenebreſcit: ſic caro noſtra, ſi terrenus amor incumbat, rationi huius obediens, vitijs obſcurata ſordeſcit. Quum autem ſemel tubarum clangore ſeptemplici, prædicatione videlicet ſpirituali mortificata, Hiericho proſtrata corruerit: maledictus quiſquis eam reædificauerit; vt carne conſummetur, cum ſpiritu cœperit. Cuius etiam fundamentum ſine primogeniti amiſſione non iacitur, ſine vltima prolis exitio porta non ponitur. Quid eſt enim in reſtaurationem Hiericho huius fundamenta collocare, niſi totis niſibus, & ſtudijs importunis vitam corporis communire? Et quid primogenitum, niſi quod præcipuum nos oportet gerere ſtudium, quærere videlicet Dei regnum? Quid verò aliud eſt portas huius Hiericho ponere, quàm aduersùs eloquia veritatis aures etiam corporis obturare? Et quid proles nouiſſima, niſi bona quæuis extrema, vel minima? Quotiens igitur in deſiderijs curam carnis perficimus, principalia bona amittimus. Quòd ſi ipſum auditum à veritate auertimus, nec extrema iam bona, vel minima retinemus. An aliter potius ciuitatis huius portæ clauduntur, dum homines moriuntur? Hoc ſi recipimus, in primogenito noſtro fundamenta ponuntur, cùm amore carnis initium ſapientiæ timor diuinus amittitur: & in nouiſſimo clauduntur portæ, dum nouiſſima etiam ſpes nobis perit in morte.* Deſtructis itaque paulatim virtutibus amiſſo proficiendi ſtudio conſtruitur Diaboli munitio, quod ſub alia allegoria optimè notauit Hugo de Foilleto ad illum Machabæorum

Mach. 1. locum, *Poſt duos autem annos miſit Principem tributorum in ciuitates Iuda.* *Cupiditas*, inquit, *tributa recipit, quia & in Eccleſia, & in qualibet anima exactiones complures agit. Cùm magna turba venit Hieruſalem, vt conturbet ſimplicium pacem. Super ciuitatem irruit, & populum ſimplicium cogitationum ex Iſrael perdit. Et accipit ſpolia ciuitatis, quando mentem virtutum ſpoliat indumentis; & eam igni ſuccendit, dum concupiſcentiæ flammis comburit. Interius deſtruit domos, & in circuitu eius muros, id eſt, intus conſcientias, & in circuitu operationes perfectas. Et captiuas duxerunt mulieres, imperfectas ſcilicet mentis affectiones: & natos, id eſt, actus imperfectos. Pectora eorum poſſidens; cùm Diabolus vel carnis appetitus in poteſtate ſua irrationabiles animi motus retinet. Et quæ filij Iſrael cuſtodire conſueuerãt, Antiocheni mactant & manducant; ciuitatem Dauid ædificant, dum mentem cuiuſlibet manu fortis, id eſt, bene operantis, in partem contrariam mutant. Muro magno, & turribus firmis muniunt, dum peruerſa opera, & eorum diſſenſiones in circuitu ponunt. Et facta eſt illis in arcem, id eſt, in ſummam peruerſa mentis elationem. Et poſuerunt ibi gentem peccatorum viros iniquos. in anima, ſcilicet gentem vitiorum: in Eccleſia verò hæreticos graues, Chriſtianæ fidei inimicos. Et poſuerunt eum illis arma, & eſcas. Arma, defenſionis verba: eſca, delectationes terrenæ. Huiuſmodi cibis arcem muniunt, qui terrenis delectationibus mentem paſcunt.*

Huiuſmodi homines deplorans Hieremias ait, *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* *Croceus* (inquit idem Hugo) *in Oriente naſcitur, colorat, & ſaporat. In croceis ergo nutriuntur, qui initio conuerſationis ſuæ interius ſapore virtutum reficiuntur, exterius verò boni operis exemplo colorantur. Sed ij, qui ſic in croceis nutriuntur, amplexantur ſtercora: dum poſt ſobrietatis, & continentiæ vitam, reuocat eos ventris cura.* Et quidem notandum eſt poſt duos annos Principem tributorum miſſum: pleriſque quippe poſt duos probationis annos feruor deficit, & laxiorem vitam arripiunt.

Deinde quæ maior interminatio aduersùs remiſſionem animi, quàm quod Saluator mundi dixit: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Vxor Loth hac vna retroſpectionis cauſa damnata eſt, quod conſiderans Philo ait. *Lothi vxorem, poſtquam reſpexit, Scriptura narrat verſam in ſalis ſtatuam, & meritè. Quia ſi quis in anteriora viſu, auditúque digna non proſpicit, hoc eſt, in virtutes, & earum opera, malens à tergo relicta reſpicere, vanam gloriam, cæcas diuitias, inſenſatam corpulentiam, dementem formoſitatem, & id genus alia conſectando; ſtabit in anima ſtatua, tabeſcetque paulatim. Sal enim eſt res parum ſolida.* Et quidem velut ſal diſſoluitur aqua, totus feruor remittetur iis qui retrò incipiunt ire. Idem Philo alibi dixit. *Sic ait vxorem Loth retrorſum verſam mutatam in ſtatuam, non fabulam fingens, ſed rei proprietatem indicans; quiſquis enim contempto præceptore per innatam ſimul, & conſuetam ſocordiam relinquit anteriora, per quæ poſſet videre, audire, alijſque vis potentijs ad res naturales dijudicandas: & circumacta retrorſum ceruice. Cæca vitæ negotia pluris facit, quàm partes ſui corporis: infamis ſtatua fit, nihil à ſurdo inanimatoque lapide differens. Non habent enim, vt Moſes loquitur, tales mores cor vt intelligant, oculos vt videant, aures vt audiant, ſed cæcam, ſurdam, ſtupidam, omni ſenſu orbatam, minimè vitalem vitam ſibi reddiderunt.*

Lib. de ſomniis.

Lib. de Profugis.

Denique in Apocalypſi acerbæ minæ iactantur in deſides, cùm tepido illi, & negligenti Epiſcopo dixit Dominus, incipiam te euomere ab ore meo. Sic faſtidit Dominus ignauos, & tepidos, quoniam iam computentur ſerui mali, cùm eſſe meliores negligant, & nolint optimo Domino bene ſeruire; idcirco vt dixit S. Baſilius, *Dominus ipſe pigritiam cum malitia coniunxit, cùm dixit, ſerue male, & piger*; tum quia licèt nondum mali fuerint, erunt tandem peſſimi, & in deterius ruent. S. Dorotheus omnem cauſam noſtri regreſſus à via perfectionis religioſæ defectui diligentię imputat. *Hoc autem* (inquit) *inde prouenit, quia nullam de nobis curam, nullam de profeſſione noſtra rationem, nullam denique attentionem, & diligentiam in corde gerimus.* Proinde Ipſe S. Dorotheus monet. *Cauete ne vos ipſos negligatis, in maxima enim pericula plerumque nos adducit vel minima negligentia.* Datur quippe locus Dæmoni, qui per ſocordiam noſtram opportunè nos inuadit; quapropter S. Ambroſius dixit; *Opus Dei præproperam feſtinationem exigit. Maledictus*, inquit Propheta, *qui facit opus Dei negligenter, ideo diſcipulus ille, qui citius Petro ad monumentum præcucurrit, immodicè commendatur in via Dei, vel feſtinam oportet progreſſio*

Interr. 37.

Serm 1.

Lib. de 42. manſ. n. 26.

Digitized by Google

progreſſionem eſſe, vt Diabolus qui ſtat ſemper à dextris, quo Sanctis aduerſetur certum iter impediendi, ſpatium non relinquatur. Alioqui ſubitò Dæmon noſtris ſe actibus immiſcens, multis eos polluit, ac corrumpit modis, vt opera noſtra diſpliceant Deo, & ingrata ſacrificia reddantur, vt

Orat. 1. Naz.

meritò Nicetas, *Pecudes ægrotas quæque ad ſacrificia non admittebantur, eos dixeris ſignificare, qui non fortiter, ac robuſtè, ſed negligenter, & languidè Deo ſeruiunt.*

Nouit hæc pericula negligentiæ, & Dæmonum inſidias ſanctus Teridius, ſiue ſanctus Cæſarius, qui in vltima Monachorum regula ſalutariter exhortatur. *Rogo vos, venerabiles filij, vt quantum eſtis ſecuri de præteritis, tantum ſitis ſoliciti de futuris. Omnia enim crimina, vel peccata citò ad nos reuertuntur, ſi non quotidie bonis operibus expugnantur. Audite Petrum Apoſtolum, dicentem, Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens, aliquid deuorare quærens circuit. Quandiu in hoc corpore viuimus, diu noctuque Chriſto adiutore, vel Duce, contra Diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod peius eſt, negligentes, & tepidi, qui de ſolo Chriſtianitatis vocabulo gloriantur, & putant quòd illis ſufficiat veſtem mutaſſe, & Religionis tantùm habitum ſuſcepiſſe; neſcientes illud Propheticum: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Nec ſententiam Pſalmiſtæ conſiderantes, Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras. Et illud quod Apoſtolus dixit: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Veſtes enim ſæculares deponere, & religioſas adſumere, vnius horæ momento poſſumus. Mores verò bonos iugiter retinere, vel contra malè dulces voluptates ſæculi huius, quandiu viuimus, Chriſto adiutore, laborare debemus, quia non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit.*

Neque prætermittenda eſt ſententia Antiochi Monachi, qui optima comparatione oſtendit, quàm meritò iraſcatur Deus negligentibus Reli-

Hom. 94.

gioſis: *Si quiſpiam noſtrûm veſtem dederit fulloni, nouam quidem illam, atque incolumem, & hanc à fullone recipere velit; fullo autem ſi fruſtillatim conciſam & diſſectam reddiderit, itane (quæſo) accipiet eam Dominus veſtis? Nunquid non cum illo velitaribus verbis delitigabit, vitioque illi vertet, dicens: Veſtimentum dedi in manus tuas ſanum, & incolume; quid ita lacerè concidiſti, vt nulli iam vſui accommodum redderes? Quòd ſi vnus aliquis pro qualicumque veſtimento, ad eum modum mœrore conficitur, pugnaque velitari contendit, quia non integrum recipit, quantum nos adituros ſupplicij par eſt credere, vltore Domino; qui cùm ſpiritum acceperimus, nulla contage decolorem, ſed ſanum, ipſum mœrere fecimus, quodque vitam hanc noſtram minus compoſuimus religioſè, reddidimus inutilem, adeò, vt nulli iam vſui eſſe poſſit Domino ſuo? Vſus enim ipſe ſpiritus noſtri, noſtra ipſorum culpa deperijt. Dum enim ſic per contentionem, zelum, & omnuariam iniquitatem, vitam traducimus; vtique nulli obſcurum eſt, quin ipſi nobiſmet apud Dominum conciliemus iram, denique & mortem.*

Neque ſolùm regredi periculoſum eſt tepidis, ſed ſtare; nam & ipſum *ſtare* regredi eſt, iuxta ſanctum Bernardum, qui dixit, *non progredi regredi eſt.* Et quidem in ſcala Iacob nullus Angelus dicitur ſtetiſſe, ſed omnes iugi motione, aut deſcendentes. Rectè idem Bernardus rogat. *Numquid ſedentem vidit quemquam? Certè non; quia non habemus hîc manentem ciuitatem: nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus, & vt eam conſequamur, & in ea eis ſimiles ſimus, Angeli ſummo ſtudio aſcendunt, & deſcendunt.* Hæc ille. Docent nos Angeli regnum Dei ſedentibus, morantibuſque non acquiri. Semper procedere debemus, ne ruamur. Lapis in cœlum pulſus medio nequit ſiſtere aëre, atque vt primum deſit ille procedere, inde recidit.

Gratiſſima Deo diligentia.

CAPVT LIX.

AD annexos diligentiæ fauores nunc tranſeamus. Quid propitius, & vtilius, quàm illa admonitio: *Confortamini, &*

2. Paral. 19.

agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum in bonis. Si tantùm dixiſſet, *& erit Dominus vobiſcum,* largiſſima diligentiæ commendatio eſſet, cùm in ſacra Scriptura magnus ſoleat cumulus gratiarum ſignificari, cùm Dominum cum aliquo eſſe pronuntiatur. Angelus propterea ſalutans Reginam ſuam, & Matrem proximè futuram Dei, *Dominus tecum* dixit, poſtquam gratiæ plenam ipſam prædicaſſet. Cùm autem hîc non tantùm dicatur, *Dominus erit vobiſcum,* ſed adiiciatur *in bonis*; vberrimum notat bonorum fontem, quæ Deus ſuperiecturus eſt diligentibus, & diuini obſequij ſollicitis. Quamobrem S. Cæſarius dixit,

Hom. 3. ad mon.

Vbi viderit Deus deuotionem animi, ardentiorem inſinuabit affectum, & quantum nos addiderimus ad ſtudium, tantum ille apponet ad adiutorium: quantum nos appoſuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam. Neque exiguum diligentiæ fructum Salomon ſignificauit, cùm dixit: *Hominem velocem vidiſti in opere ſuo; coram Regibus ſtabit.*

Prou. 22.

Quis homo velox in ſuo opere, niſi ſtrenuus, ſolicitus, & magna diligentia acris, ac conſtans. Hic ſanè non vulgarem poſſidebit ſanctimoniam, non quamlibet virtutem, ſed perfectam, & conſummatam, aſcendetque ad magnam dignitatem coram Deo, & Angelis, magniſque ſanctitate viris, qui Reges in cœlo ſunt, conſociabitur. Rurſus Eccleſiaſticus monet: *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.*

Eccli.

Cùm dicat *in omnibus operibus*, nullum excludit opus, vel quàm libet minimum, & plerumque in minimis operibus maior eſt adhibenda diligentia; nam præterquam quòd ea ſit ſæpe rerum natura, vt maxima ab exiguis dependeant; quod ad noſtrum attinet profectum, nihil eſt parum exiſtimandum, nihil in rebus ſpiritualibus paruipendendum eſt, & maior ſolicitudo impendenda eſt pro paruula obſeruantia, & quàm minima re ſpirituali, quàm pro omnibus rebus temporalibus, & totius orbis imperio ambitioſiſſimus quiſque conſtitueret. Mulierem illam Euangelij, non pro ſeſtertio, non pro talento, ſed pro exigua drachma legimus diligentiſſimam. Quippe *accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit dili-*

Lucæ 15.

genter, donec inueniat, & cùm inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram. Optimè Antiochus commendans ſedulitatem in diuino obſequio dicit: *Diligens, & ſtudioſa ſolicitudo, quæ ſecundùm Deum eſt nullo non tempore, nulla non in re bona comprobatur. Sed & Dominicum illud primum mandatum eſt, quod populum à ſeruitutis iugo tranſcribit in libertatem ac vindicat. Etenim populo illi mandatum fuit, cum feſtinatione, vt ſe ex Ægypto reciperet, vtque in terram bonam, è tenebricoſa ſeruitute, curſu concito properaret ad lumen genuinæ libertatis; commiſſumque illi, paſcha vt comederet cum feſtinatione. Paulus proinde per epiſtolam ſuo dicit Timotheo: Solicitè cura, te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem. Et inducit: Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.*

Hom 87.

Cæterùm ſicut exhibuimus Caim negligentiæ exemplum, malorumque, & diuinæ maledictionis, quæ torpentibus, atque ignauis adiicitur; præſentemus quoque ſanctum Abraham perfectam ſolertiæ formam cum bonorum cumulo, quem diligentia aggerit. Quàm acceleratè opus difficillimum iniunctum conatus eſt peragere, de nocte ſurrexit ſe properaturum dixit, quod ſanctus Chryſoſtomus conſiderans ait: *Mox Abraham tam celeriter decreuit iuſſis cæleſtibus eſſe paratum, quàm fuerat diuinitus imperatum. Verebatur, ne votum mora offenderet, aut iuſſionem tarditas impediret. Denique properat quod iuſſum eſt perficere; feſtinat, quod præceptum eſt adimplere.* Et ſanctus Ambroſius: *Exurgens autem non ſolùm ſequenti die, ſed etiam diluculo vt attuliſſe nox moras ſtudio feſtinantis patris videretur.* Deinde oculis feſtinanter locum præcepti ſacrificij quæſiuit, ſic diligens, & feruidus, vt in eo reuocando à filij cæde nominis appellationem Deus iterarit. *Repetinit*, inquit S. Ambroſius, *vocem, tanquam veritus, ne præueniretur ſtudio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non poſſet.* Ad diligentiam quoque ſancti Abrahæ ſpectat non deterreri labore, non ardui operis impedimentis ex cæſione lignorum, ex occultatione, ſilentioque faciendi operis, ex labore itineris omnia vicit diligens ſancti ſenis prudentia, & feruor, quæ meritò idem S. Ambroſius conſiderat, & miratur. *Semel*, ait, *abundans ſeruitiorum non quæſiuit commeatus ſui agmina; ipſe quoque ligna concidit, & obſequia maiora viribus ſuis non intermiſit.* In illo quoque ſancti ſenis matura ſapientia emicuit, quod ipſe Ambroſius ait: *Captioſè loquebatur cum ſeruis ſuis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obſtreperet, aut fletu.* Similiter S. Chryſoſtomus: *Vide & hic iuſti magnam prudentiam. Puerus vult eſſe occultum: per omnia declarans, quòd cum feruenti alacritate, & intento deſiderio implere vellet, quod Deo probabatur.* Denique conſideranda eſt intenti animi vis, & cupido ad exequendum mandatum. Rurſus S. Ambroſius, loquens de profectione Abrahæ ad montem, hæc dicit: *Solicitè explorat, qui properat implere, quamuis ſenilem ſtudio celeraret gradum, tamen hoc ſerum putans præcedebat oculis. Vigebant ſingulorum officia membrorum, licèt ſenilia membra non poſſent vigere, ſolet hebeſcere viſus ſenum, vt etiam propinqua non facilè aſpiciant. Hic non ſolùm vidit locum, ſed etiam longè poſitum aſpexit.* Huius autem diligentiæ præmium, & ſuperpondium auſim dicere infinitum fuiſſe; nam præter multas benedictiones, quibus propterea donauit Deus Abraham, Iſaac, Iacob, & alios Abrahæ poſteros, incarnatio filij Dei ex Abrahæ ſemine in retributionem fuit promiſſa. Sic Deo perplacuit ſolicita, & diligens ſancti viri obedientia, vt dixerit. *Per me metipſum iuraui, dicit Dominus; quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Ita ſimiliter diligentibus in diuino obſequio, qui nihil ſibi parcunt, nec primogenito ſui cordis affectui benedicat Dominus. Multiplicabitque virtutes ſuas, quæ ſunt familia iuſti, purificabitque illos ſicut ſtellas cæli, & conſtantes reddet, patientes, & humiles, ſicut arenas maris, victoreſque efficiet aduersùs Dæmones, & vitia, & ſenſuum, qui portæ animi ſunt, fallacias, benedicenturque per aduentum Spiritus ſancti in eis, & imitationem filij Dei.

Hom. de fide Abr.

Lib. 1. de Abrah c. 8.

Vbi ſuprà.

Hom 47. in Geneſ.

Vbi ſuprà.

Operam quoque nauatam à Iehu in excidenda familia Achab, & comparanda ſibi regni ſecuritate, licèt impius ipſe Rex fuerit, qui non receſſit à peccatis Ieroboam, larga Dominus mercede rependit, quia diligentiſſimè fecit, cui dixit Dominus, *quia ſtudioſè egiſti, quod rectum erat, & placebat oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab: filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſraël.* Non merebatur Iehu æternam mercedem, quia tamen maximè placet Deo rerum agendarum diligentia, vt quo poſſit modo muneretur, quòd æterna non debuit, temporali qua potuit fœlicitate ſoluit. Quanta autem rependet gratia diligentiam rerum diuinarum, qua nullum occidimus, ſed viuificamus nos, nullum deſtruimus, ſed ædificamus domum noſtram ſpiritualem, cùm ſtudioſè agimus quod rectum eſt in diuinis oculis, & diuinam voluntatem per omnia exequimur.

4. Reg. 10.

Poſt hæc omnia in Deo magis fidendum, quàm noſtris viribus nitendum eſt. Noſter ſanctus Patriarcha Ignatius in rebus ſuſcipiendis ſæpiſſimè videbatur nulla humana prudentia vti, ſed diuina tantùm niti prouidentia: in exequendis tamen, & ad finem perducendis omnes vias tentabat, vt inchoata perficeret, ea tamen cautione, vt non in humanis ſubſidiis (quæ tanquam efficiendi inſtrumẽta ſumuntur,) ſed in Deo bonorum omnium effectore ſpem efficiendi defigeret. Imitatus eſt hoc S. Carolus Cardinalis, qui miro modo ſummam diligentiam cum omnimoda fiducia Dei coniunxit, duo, quæ pugnantia videntur, copulans. Carolus Epiſcopus Nouar. author ſuæ vitæ, ſic ait, *Ex altera parte ſi ſpectaueras, totam rem admirabili quadam fiducia diuinæ prouidentiæ ita commiſſam videbas, vt nihil ſpei penitus in humana diligentia officijs relictum videretur: ex altera verò cùm nullum officij, ſtudij, curæ, induſtriæ munus, tempuſve prætermitteretur, nihil in diuina ope poſitum propemodum arbitrabare.*

Ribad. lib. 5. vit. c. 11.

Lib. 7. c. 9.

DOCTRI

DOCTRINA VIII.

CONTRA IGNAVOS & negligentes.

Damna ignauiæ, & defectus feruoris in vita ſpirituali.

CAPVT LX.

Pſal. 142. COLLOCAVIT *me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis.* Ad promouendum feruorem, diligentiamque excitandam, nouumque Adamum in nobis indies renouandum valde efficax erit Dauidis exemplum, qui cùm defectum ſpiritualis perciperet vitæ, profuſis confeſſus eſt lachrymis ſe collocatum in tenebris tanquam veteres, & antiquos mortuos, ſecundùm
Super hunc Pſal. interpretationem Hieronymi; mortuus enim ſæculi Adam eſt; vetus & antiquus ille mortuus, qui à ſæculo primo prior omnibus mortaliſſima animæ morte mortuus fuit, omneque humanum genus in ſe occidit. Igitur vt nos reparemus, vtile erit triſtem illam Dauidis conſiderare ſententiam, cùm ait: *Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus*, vt ſenium ſpiritualis vitæ, & conformitatem cum vetuſto homine, cum Adamo, inquam, mortuo, aut deponamus, aut timeamus, ſolicitiùs, & feruidiùs deinceps viam perfectionis progreſſuri; nam licèt magnis etiam peccatoribus Dauidis conueniant verba, fortaſſe commodiùs, & vtiliùs ea ſibi dicta putabit ſpiritualis homo, cùm tardiùs ambulare cœpit in nouitate vitæ, & ſplendore illo, ac pulchritudine feruentis ſpiritus. Nam illa comparatio, *ſicut mortuos ſæculi*, non tam ſupponit mortuum, quàm ſignificat ſimilem mortuo, qualis eſt ignauus, & torpens Religioſus, & quicumque in ſpirituali defecerit feruore. Atque ideo damna tepiditatis ſatis indicauit Dauid. Pharmacum tamen languoris ſibi & nobis ſimul porrexit orationem, & meditationem, cui ſpecialiter nos oportet dedere. Ideo ſubiicit, *Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis.*

Quem non commouebunt, vt ſui miſereatur, & nouo ardore charitatis feruefcat, miſeriæ, remiſſionis, & acediæ, quas hoc loco Regius Vates ſignificat? Duplicia ſunt iſta damna, & vt ſic dicam, ſupplicia Religioſi tepidi: quædam ſentiuntur, quædam non ſentiuntur; iſta profectò maiora multo ſunt, & quæ reuera damna ſint. Quemadmodum in altera vita duæ ſunt pœnæ, vna quæ ſentitur, altera quæ non ſentitur, & hæc multo maior eſt, & quæ propter exceſſum meruit appellari pœna damni, quaſi ipſius comparatione alia pœna damnum non eſſet: ſic in hac vita duæ pœnæ ſunt, remiſſionis, & tepiditatis. Pœna quæ non ſentitur, & grauior pœna eſt, eſt vilitas in quam nos deprimit negligentia noſtra, ignominia conuerſationis terrenæ eorum, quorum conuerſatio cœleſtis aliquando fuit, qui ſolum Deum, & diuina ſpirare debebamus. Obtenebratio mentis in his qui ad lucem Chriſti mundanas tenebras vidimus & fugimus? Hypocriſis & mendacium vitæ cùm ſanctiſſimo Religionis nomini feruor non reſpondeat, nec opinionem ſuperet ipſa vitæ veritas: carentia demum diuinorum donorum, quibus tamen feruidi locupletantur, pœna damni eſt. Pœna autem quæ ſentitur, eſt tribulatio ſpiritus, anxietas cordis, conſcientiæ aculeus, inordinatio affectuum, exceſſus inutilis triſtitiæ, inanis metus, impatientia diſciplinæ, & ipſa denique acedia. Vtramque pœnam expertus Dauid, de vtraque lamentatur, vt exemplo ſuo diſcamus. Vnius meminit cùm ait, *Humiliauit in terra vitam meam, collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi.* Secundam ſtatim memorat, dicens, *Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* Meminit priùs pœnæ illius damni, & inſenſibilis, quippe quæ maior multo ſit, de qua etiam nunc dicturi ſumus, vt intelligamus damna negligentiæ, quæ non ſentimus, vt erubeſcamus, quod non dolemus. Sed præmoneo quæ ſanctus Cæſarius in ſimili occaſione præmiſit. *Hæc fratres non ideo ſuggero, quòd vos tales eſſe cognouerim, timentis enim magis animo, quàm reprehendentis loqui præſumo.* Hom. 11. Profectò non ſine pudore, & magno cordis ſenſu audio prima illa verba Dauidis, quòd poſſim ego nunc verè dicere, & quòd aliquis Religioſus poſſit eò venire, vt aliquando dicat verè, *Collocauit me inimicus in obſcuris ſicut mortuos ſæculi.* Religioſus quidem habitu ſum, ſed eò me induxit hæc inimica ignauia, & negligentia mea, vt nihil à ſæculari, & mundano homine diſcernar: promiſi viuere Chriſto, ſed eò veni, vt penitùs ac mortuus ipſi Chriſto haberi poſſem. Collocatus inter Angelos fui illuſtratus cœleſti luce, ſed languor meus in obſcuris me depoſuit, ac ſi mortuus in ſæculo eſſem. Ego, ego qui ad vitam euangelicam vocatus fui, pro qua nec patrem mortuum ſepelire debui, ſed relinquere mortuos ſepelire mortuos ſuos, iam ipſe tanquam mortuus ſepultus ſum, & in obſcuris collocatus. Nolim profectò me offenderet mors in hac miſeria, & lamentabili remiſſionis ſtatu; nam non eſt idonea diſpoſitio ad mortem tanquam mortuum ſæcularem viuere. Hoc idem timuit Dauid; idcirco ante verba dicta præmiſit, non intres in iudicium cum ſeruo tuo. Non Domine, non opportunè venies, dum ego non propero ad te, tepidus ſum, nec potero effugere magnos ſaltem Purgatorij ignes, plenus imperfectionibus ſum, nec iuſtitiæ tuæ poſſem ſatisfacere, propterea exaudi orationem meam; at modò non intres mecum in iudicium, donec referuaueam, & ex languore mei ſpiritus conualeſcam. Licèt enim in gratia Dei decedat Religioſus tepidus, multum eſt quod timeat, & erubeſcat, nihil magnum pro Chriſto feciſſe, nec tuliſſe. Igitur caueamus, quod Vmbertus monet: *Cauendum eſt ei, qui ad Religionem venit, ne ſub habitu regulari animum ſæcularem gerat.* Hoc eſt, mortuum, & S. Bernardus ait: *Attende ſolerter quid diligas, quidve metuas, vnde gaudeas, aut* 4 part l. s. cap 2.

triſteris,

triſteris; & ſub habitu Religionis animum ſecularem, & ſub panno conuerſionis inuenies cor peruerſum. Caueamus ne de nobis queratur Deus, ſicut per Prophetam Amos queritur. *Nunquid non vt filij Æthiopum vos eſtis mihi filij Iſrael.* Quaſi diceret, quid diſtat populus electus à gẽte incircumciſa? Quid Religioſus à ſæculari? Caueamus, ne illa Hieremiæ querimonia de nobis dici queat, *candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Magna certè* (inquit Gilbertus) *collaudatio, ſed miſera cõmutatio. Candor niuis, lactis nitor, eboris rubor, pulchritudo ſapphiri & puritas, carbonis obducitur nigredine. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Non ſunt vtique pro Nazaræis cogniti iam in plateis. Silebo de alijs, Ordinis noſtri cernite viros, quàm admirabile erat nomen eorum in vniuerſa terra. In initijs quando vix erant in plateis, ſtatim cogniti pro ſanctitatis ſigno erant in eis. Nunc autem nullo Religionis loco, diſcrimine nullo, priuilegio conuerſationis aut nullo, aut pertenui diſtincti, & ſignati ſunt à cæteris, ideo non ſunt cogniti quaſi Nazaræi in plateis.* Hæc ille. Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam ſpeciem inducit. Cauendum quoque eſt, ne de nobis dici poſſit, quod per Ezechielem pronuntiatur, verſa eſt mihi domus Iſraël in ſcoriam, omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum & plumbum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt.

Amos 9. *Thr. 4.*

Vilitas Religioſi negligentis.

Capvt LXI.

Videamvs tamen ſpecialiùs quæ ſunt obſcura iſta, quibus fit ſæculari ſimilis Religioſus negligens. Nonne obſcurum, & abiectum quid eſt vilitas & ignominia terrenæ conuerſationis, in quam deprimimur negligentes, terreſtria ſapientes, terreſtria amantes; hoc eſt, quod Dauid dixit: *Humiliauit in terra vitam meam*, quod ſtatim pro more ſuo aliis iterauit verbis, dicens, *Collocauit in obſcuris.* Hæc vilitas, hæc degeneris deiectio animi, hæc denigratio vitæ obſcuritas eſt, quam cum Hieremia poſſumus, qui negligentes ſumus, deflere, & dicere, *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum.* Quomodo ſplendor feruoris noſtri pretioſus ſuper aurum, & lapidem pretioſum extinctus, & obſcuratus eſt? Quomodo albus color & mundiſſimus eaodor conſcientiæ mutatus eſt in nigrorem tetrum, conſpurcatus eſt ſordibus? Quomodo conſtantia ſaxea in operibus excellentium virtutum diſſoluta eſt, tanquam ſi in capite omnium platearum viueremus, tanquam ſi eſſemus extra religioſæ clauſtrum diſciplinæ tanquam ſæculares, & forenſes homines. Et addit: *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli.* Vaſa teſtea mundani ſunt, qui nihil niſi terra ſunt, nihil niſi terrena ſapiunt. Cum his reputati ſunt inclyti filij Dei, qui auro feruentis charitatis ornati erant, ſed caduca iam ſimiliter ſapientes, humiliari & alliſi ad terram ſunt per puſillanimitatem & vilitatem cordis terreſtria, & caduca magnifacientis, cœleſtia parum curantis. Nonne iſta turpis, & obſcura humiliatio eſt, cùm ſic depreſſerit nos ad terram inimicus. Sanctus Auguſtinus ait. *Humiliauit,* (inquit Dauid) *in terra vitam meam*; alio loco dicitur, *curuauerunt animam meam.* Quid enim nobiſcum agit quiſquis perſequitur, niſi vt relicta ſpe cœleſti terram ſapiamus. Hinc venit cùm in corde ſæcularibus aſſimilati fuerimus, quod in reliqua conuerſatione exteriori illis quoque adæquabimur eadem tractabimus, negotiis ſæcularibus implicabimur, de iiſdem loquemur, ipſos mundanos admirabimur ob caduca ſua bona.

Pſal 142. *Thren. 4.*

Hinc accidet magis humiliatam in terra vitam noſtram eſſe, quàm ipſorum ſæcularium; nam ipſi deſpicient nos, & meritò; nos autem illos ſuſpiciemus ſtultè, & mirabimur: nam cùm mundani agnoſcunt nos ſimiles ſibi in verbis, in factis, in deſideriis, neque in nobis odorantur aliquid ſublimius, neceſſariò debent nos contemnere, cùm ſuperiores nobis ſe cognoſcant in bonis mundi, quæ nos vident magnifacere. Seque comparatione noſtri fœlices putant, nos miſeros, & indigentes ſua fœlicitate. Hæc eſt alia cauſa, cur minoris nos faciant, quòd videant ſuis nos indigere rebus, & ope, cùm illa magni pendamus, quibus caremus, ipſi tamen poſſident. Præterea cùm in rebus & prudentia mundi magis experti ſint, & callidi, ſi cùm nobiſcum agunt, de iiſdem rebus loquitur cum illis, in quibus ipſi Doctores ſunt, non poſſunt non parui nos æſtimare, cùm nobis excellere ſe videant. Accedit alia cauſa & iuſtiſſima contemnendi ſimiles Religioſos, quòd degeneres eos agnoſcant, deficientes à profeſſione ſua, ingratos Chriſto, & deteriores ſe cùm inter bonos, in ipſa diſciplina religioſa, in paradiſo Dei, in porticu cœli non ſimus meliores, quàm ipſi in medio mundo. Quare authoritatem religioſæ dignitatis ſeruare non poſſumus, niſi contemptu authoritatis mundanæ, ſcilicet earum rerum, quas mundus maximi facit, atque in amore, & ſolicitudine cœleſtium, ac conuerſatione verè ſpirituali, in qua ſolùm ſuperiores mundanis eſſe poſſumus. Quòd ſi hoc omnibus Religioſis neceſſarium eſt, maximè operariis noſtræ Societatis Iesv, cùm inter ipſos ſæculares magis verſentur, maiorique apud illos authoritate indigeant, vt cœleſti aliquo fermento correptam mundi maſſam repurgent, & condiant: nam propter maiorem familiaritatem faciliùs odorantur ſæculares, ſi quid ſæculare in nobis ſit. Quare oportet, cœleſtia ſapiamus, cœleſtia amemus, cœleſtia ſpiremus, de cœleſtibus loquamur, quod ſi inter nos non fecerimus, minus cum ſæcularibus faciemus. Sed præterquam quòd vilis in ſe ſit vita Religioſi negligentis, & à ſæcularibus contempta, qui deſpicient nos: viliorem nos metipſi illam facimus, & nouo deprimimus præcipitio, allidimuſque nos ipſos ad terram, admirando, & venerando mundanos ob illa bona, quæ aliquando contempſimus, & ſemper contemnere deberemus. Proh immenſam vilitatem noſtram, & triplicatam humiliationem, quando tepeſcimus, cùm viles iam ſimus, rurſus vilificamur à vilibus, à mundanis, inquam, à mortuis, à putridis peccatoribus,

ribus, & tertiò à nobis ipſis deprimimur. Amatores rerum caducarum bis humiles, hoc eſt, bis abiecti, & viles ſunt, viliores tamen illis ſunt admiratores eorum. *Quid eſt enim*, inquit Chry-
In Pſal. 142. ſoſtomus, *abiectius, & humilius ijs, qui ſeipſos infodiunt in diuitijs, potentia, & gloria? ij enim ſunt duabus rationibus humiles, & quòd humi ſerpant, ac trahantur, & quòd ea magna exiſtiment, quemadmodum parui pueri pilas, talos, & huiuſmodi ludrica magnifaciunt. At hoc non eſt ſignum, quòd ea magna ſint, ſed quòd qui ea admirantur, mentem habeant imperfectam, & humilem. Sed illud quidem eſt ætatis, & naturæ defectus; hoc verò eſt culpa voluntatis. Cùm enim ſit vir & perfectæ, ac maturæ ætatis, menſas, luxum, & diuitias res putat eſſe magnas. Quo quid eſſe poteſt abiectius, & humilius? Atqui multi eos eſſe magni, & excelſi animi exiſtimant. Sed hi ſunt illis longè humiliores. Rurſus ergo diſcamus, quæ ſit vera altitudo, & quid vilitatem, & humilitatem efficiat. Nihil enim æquè facit excelſum, ac deſpicere.*

Hanc vilem depreſſionem Religioſorum ſic deplorandam ſcribit ſanctus Odo Cluniacen-
Lib. 1. ſuarum collat. ſis. *Beatus Iob voce dolentis Eccleſiæ dicit: Effudi in terram viſcera mea. Nam quia viſcera in humano corpore interiùs ſunt, viſcera Eccleſiæ vocantur, qui Religionis habitu induti ad intima eius ſacramenta deſeruire debent. Cùm ergo malignus hoſtis quoſdam ex eis ad ſæcularia deſideria, vel negotia pertrahit, eiuſdem Eccleſiæ viſcera infundit in terram, quia illos in infimis conculcat, qui ad hoc vocati ſunt, vt ſpiritualibus inhærerent. De his iterum ſcriptum eſt, ſub ipſo erunt radij Solis: quod tunc fit, cùm hi qui intra ſanctam Eccleſiam, altiori gradu vel acumine ſapientiæ reſplendere videntur, aut diabolicis ſuaſionibus, aut terrenis poteſtatibus praue dumtaxat agentibus ſe ſubmittunt, oblitique cæleſtium terrena ambiunt. Hinc iterum dicitur. Sternet ſibi aurum quaſi lutum, ideſt, eos, qui ſpirituales videntur, conculcat quaſi carnales. Præterea auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, ſicut per Prophetam dicitur, Calix aureus Babylon. Quid enim Babylonis nomine niſi huius mundi gloria deſignatur? qui calix aureus dicitur, quia dum pulchra eſſe oſtentat temporalia, ſtultas mentes in ſua concupiſcentia debriat, vt falsò ſpecioſa temporalia appetant, & inuiſibilia verè pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima ſponte ſua debriata eſt Eua, quam omnes vtique imitantur, qui in Eccleſiaſticis diſciplinis poſiti, ſæcularia qualibet blandimenta ſicut illa in paradiſo ſuſcipiunt. Totiens igitur Leuiathan, qui hæc facere perhibetur, vel radios Solis, vel aurum ſibi ſternit quaſi lutum, quotiens aliquos de habitu Religionis per quædam vitia tanquam ſæculares ſupplantat. Hinc item dicit: Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Per fluuium ſæculares, per Iordanem Eccleſiaſtici viri deſignantur. Neque enim magnum putat, ſi illos deuorat, qui terrenis concupiſcentijs impulſi, deorſum quaſi fluuius fluunt: ſed magnopere ſatagit, vt in Eccleſiaſtico gradu poſitos abſorbebat, quos & per ſuæ calliditatis inſidias tanquam Iordanem degluttiens, necat aliquando. Hinc rurſus dicitur quòd ignis quem Dominus vocauit ad iudicium, partem domus eius conſumpſerit, quoniam illos quoque gehenna deuorat, qui in habitu Religionis negligenter viuunt.*

Miſera inſipientia negligentium.

CAPVT LXII.

DEINDE collocantur in obſcuris negligentes Religioſi, quatenus obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, ſiquidem nihil magis peruident veritatem, quàm mortui ſæculares. Nam excœcati mente nihil ſentiunt in ſe quod & in Chriſto Ieſu, ſed omnia quæ mundus, eadem ſentientes cum eadem diligant. Inde quid ſequetur, niſi quòd ſagittent in obſcuris rectos corde, & ſimplices pernicioſis dictaminibus, conſiliis, & ſermonibus illis obſcuris, de quibus Sapiens ait, *Quoniam ſermo obſcurus in va-* *Sap. 1.*
cuum non ibit, & os quod mentitur occidit animam. Iſti ſermones, quibus impugnatur rigor perfectionis ſub ſpecioſo aliquo prætextu, nunquam emittuntur in caſum ſine aliquo effectu lethifero. Sunt enim quædam inuiſibilia mendacia tam acerrimæ peſtis, vt ferè ſemper occidant animam audientium ſimplicium, & rectorum corde. Cùm enim negligentes tempus orationis ſine fructu conſumant, & magis dormitent, quàm orent, cùm rigorem obſeruantiæ ægrè ferant, cùm affectus immortificatos habeant, & ad terreſtria propendentes, meritò priuentur cœleſti lumine, & iudicia rerum ſibi peruertunt, cùm intellectum ferant poſt ſe affectus; laxas proinde interpretationes regulis imponunt. Minutarum rerum curam dicunt ſcrupulos, aut ſtultitias. Obſeruantes regularum vocant moleſtos, diſſolutionem appellant affabilitatem, immortificationem nominant neceſſitatem, rigorem obſeruantiæ pro commoditate commeotantur, & deñique totum Euangelium emendant. Suot ij de quibus S. Paulus Galatas monuit, *Qui volunt* *Galat. 1.*
conuertere Euangelium Chriſti. hoc eſt, ſicut alij legunt, *inuertere*; S. Hieronymus *corrumpere* dixit. Et quidam Author ſcribit; *Præbent hæ loquen-* *Nigronius de*
di formula maximum argumentum, eos, qui ſic lo- *cura miniſt.*
quuntur, infectos eſſe veneno diabolicæ doctrinæ, *p. 2. arg. 8.*
quæ grandia numerat in minimis, hoc eſt, peccato *num. 40.*
mortiſero eſſe obcæcatos. Si pernicies iſtorum ſermonum in proferentibus conſtringeretur, dumtaxat tolerabile eſſet, ſed proſerpit vt cancer, ac diffunditur in multos alios, quibus ſua erronea affricant tepidi iudicia. *Qui*, vt ait Apoſtolus, *1. Timoth. 3.*
proficient in peius errantes, & in errorem mittentes. Itaque obſcuratio cordis, obtenebratio mentis, error iudicandi aliquorum imperfectorum noxius eſt toti communitati, atque tanto malo vnius ſufficit ſermo. *Vnus* (inquit S. Bernardus) *Serm. 74. in*
eſt qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert, *Cant.*
& tamen illud vnum verbum in vno momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit, & ſunt ſpecies peſtis huius multæ. Credo hanc peſtem eſſe cauſam relaxationis ſanctarum familiarium; ſicut enim illa loca, quæ aër noxius perflat inſalubria, & habitatores relaxant, ac corrumpunt: ſic illa communitas relaxabitur, ſuoſque inficiet alumnos, in qua noxios iſtos inſpirat Dæmon ſermones. Nam quemadmo-

dum Spiritus ſanctus per Prophetas, & Apoſtolos locutus eſt ad vtilitatem totius Eccleſiæ; ſic ſpiritus malus per Religioſos tepidos loquitur ad perniciem totius communitatis, de quibus ſanctus Leo ait, *quorum ad alios decipiendos diabolus & ingenijs vtitur, & linguis.* Et ſanctus Chryſoſtomus: *Diaboli linguam habet, qui vt Diabolus loquitur.* Hos ſermones per conſentanea ſibi organa loquutus eſt Diabolus in prima omnium Religione Apoſtolici Collegij in Paradiſo ipſo, & credo in ipſo cœlo per ſe ipſum, vt multos peruerteret Angelos; ne putemus eſſe aliquem locum tam ſanctum, vbi non auſus ſit hoc inſtillare virus. Per Iudam quid locutus eſt? *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis.* Ecce vt impugnaret opus illud ſanctiſſimum, & eximiæ charitatis vngendi Chriſtum, quam ſanctam cauſam prætexuit. Deinde quàm ſubitò hic virulentus ſermo tranſfuſus in aliorum diſcipulorum corda, qui cœperunt etiam intra ſe dicere, *Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? Poterat enim vnguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denarijs, & dari pauperibus, & fremebant in eam.* Videamus proſapiam huius damni in Religioſiſſimo illo Chriſti ordine, ortum duxit à concupiſcentia terrenarum rerum, hæc relaxauit Iudam, relaxatio Iudæ iudicium eiuſdem corrupit, vt ambularet in obſcuris, & fortaſſe re vera ille ſic iudicauit melius fuiſſe, ſi venundaretur illud vnguentum, quàm quod impenderetur in Chriſti Domini obſequium; ſed cum peruerſa intentione illud dixit, qui neque volebat pretium diſtribui pauperibus, ſed ſeruare ſibi. Deinde errans Iudas in iudicio, & peccans in intentione in alios diſcipulos, ſimilem immiſit errorem. In Paradiſo quoque vertit primos noſtri generis parentes per ſerpentem non intelligentem, quid loquebatur falſis, ſed veroſimilibus ſermonibus, decipiens per illum ſimplicem Euam, vt agnoſcamus Diaboli loquelam, & conſilia eſſe, quæ contra obſeruantiam, & arctam regularum intelligentiam ſunt, quæque dilatant nos ad licentiam ſumendam, quæ tanto pernicioſiora ſunt, quanto veriſimiliora componuntur. *Nequaquam moriemini*, (inquit,) abuſus æquiuocatione mortis, deinde aperiendos illis oculos annunciat; etiam hic illuſio ſermonis eſt. nam ad confuſionem ſuam aperuerunt illos; promiſit quoque eſſe ſicut Deos ſcientes bonum, & malum, ſed cognoſcendo cum dolore, & ſine remedio humano damnum ſuum; quemadmodum Angeli mali, qui potuerunt Dij vocari. Quis non videbit, quantum diſtant ſenſus Dæmonis loquentis, & Euæ audientis, Eua magnum aliquid bonum intelligebat, atque honorificum, Dæmon Sophiſtarum pater nonniſi pernicioſum, & ignominiam magnam, ſummamque miſeriam. *Moleſtiſſimum*, ait Rupertus, *hoc fallaciæ genus eſt, in quo is qui decipit, & palmam obtinet mendacij, & gloriatur quod verum ſit, verumque dixerit. Qui autem decipitur, non habet vnde inſultantem ſibi falſitatis arguere poſſit, quam libet ille fallaciſſimus ſit.* Similes multos ſermones inſpirat Dæmon in omnibus religioſis cœtibus, qualia ſunt: Quid hoc refert, quid intereſt: non debemus nos occidere; prudentia in omnibus opus eſt: non oportet fieri graues aliis: Scriptura commendat habere curam de bono nomine; iſtæ ſententiæ veriſſimæ profectò ſunt, ſed talibus proferuntur occaſionibus, vt magnopere violent religioſam diſciplinam. Cùm dicitur illud, non debemus nos occidere, eſt ad remittendum ſtudium mortificationis, & relaxandum nos. Cùm inquiunt, prudentia opus eſt in omnibus, eſt, ad amittendam ſimplicitatem obedientiæ. Cùm profertur, non debemus fieri graues aliis, eſt, vt propter humanos reſpectus laxè interpretemur regulas, & contemnamus minutam rerum obſeruantiam, in qua eſt decor diſciplinæ religioſæ. Cùm inculcatur illud, Habe curam de bono nomine, eſt vt humiliationem refugiamus, vt ſuperioribus reſiſtamus, aut multis fatigemus querelis. Illud, Quid intereſt hoc, quid refert, pernicioſiſſimum verbum eſt, nam ſi ſemel non intereſt, intereſt multum conſuetudo, quæ multarum rerum pernicioſarum communitatibus inde generatur. Plura alia ſancta verba ad perniciem noſtram proferunt multi Prophetæ falſi, & organa Dæmonis, à quibus nos oportet attendere, & cauere, iuxta Chriſti conſilium, quos cognoſcemus à fructibus ſuis, hoc eſt, ab operibus. Nam qui hæc & ſimilia dictitant, non ſunt obſeruantiores, non ſpirituales, ſed imperfecti, tepidi, ac omnino terreni homines. Nam quemadmodum locutus eſt Dæmon mulieri in Paradiſo per ſermonem ſerpentis; ita nunc loquitur in paradiſo Religionis per imperfectorum ſermones; & quemadmodum tunc elegit, vt organum ſuum eſſet, animal prudentiſſimum, & quod per terram repit, ipſique adhæret ſemper: ſic nunc eligit illos Religioſos, qui prudentia ſæculari, & mundana excellunt, quique in terram ſemper propendunt, & incumbunt, terreſtria amantes, & loquentes, qui neſciant quid loquantur; quantumque virus refundant. Hi ſunt cæteris fratribus magnæ tentationi. Nam Diabolus, ſicut inquit ſanctus Laurentius Iuſtinianus, ad tentandum humano vtitur inſtrumento, potiſſimum aduersùs eos, qui in monaſterio, & congregatione Deo militant. Hæc namque eſt fraus maxima, & ad cognoſcendum difficilis. Hoc enim argumento primum hominem de loco deliciarum deiecit, expoliauit tunica immortalitatis, priuauit gratia, & obligauit ad mortem. Hac arte Apoſtolorum Principem ad Chriſtum negandum induxit. Hoc medio Martyrum mentes emollire, ac flectere curauit. Hoc inſtrumento complures ſuperauit, quos dinumerare longum eſt. Prouidè itaque in via Dei incedendum eſt, & prudenter inſpiciendum, ne iniiciamus pedes in tendicula inimicorum. Nec minus ſolerter elaborandum eſt, ne nos ipſi efficiamur laquei proximorum, atque vices geramus Dæmoniorum: quod in magnis congregationibus frequenter euenire conſueuit.

Serm. de Natiuit.

Hom. 76 in Matth.

Ioan. 12.

Marc. 14.

De diſcipl. & perfect. Mon. c. 13.

Miſera

Miſera & vilis hypocriſis negligentis Religioſi.

Capvt LXIII.

Collocantvr quoque in obſcuris imperfecti Religioſi, quatenus in tenebris ſedent, & in vmbra mortis per mendacium, & ſimulationem vitæ, cùm aliud ſint, quàm videntur, & debent eſſe, quos, vt ait ſanctus Gregorius, *vmbra duplicitatis obſcurat*. Collocantur ſicut mortui in obſcuris, id eſt, in ſepulchris. Propterea meritò vocantur ſepulchra dealbata; obiectant exteriorem habitum ſanctitatis, cor penitus prophanum celant. Nonne hoc eſt in obſcuris latere, cùm id quod ſimus, obſcurum, & ignotum ſit, & quod non ſimus, id præferamus: atque ratio (*Lib. 4. de Prou.*) eſt (Saluianus inquit) vt ipſi nos falſa opinione fallamus, exiſtimantes ſcilicet, quòd opitulari nobis inter mala, quæ agimus, nomen ipſum poſſit. Dixi iam quanta ſit ignominia, & obſcuritas imperfecti Religioſi, quatenus à ſæcularibus meritò deſpicitur. Nunc addo. Quamuis ab illis non deſpiceretur, ſed magnifieret, etiam vilis eſt, imò tanto vilior, quanto plus illos falleret, ſi ſuperficie tenus exterioris conſeruationis æſtimabilem ſe illis præſtaret, intus tamen ſua profeſſione degener maneret. Quid hoc niſi hypocriſis erit abominabilis Deo, & Phariſæorum vitium odibile manſuetiſſimo Iesv. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Si vnam virtutis actionem, cum hypocriſi ſimulare turpiſſimum eſt, & deteſtandum. Quid dicemus de Religioſo, qui totam vitam ſimulat in ſpecie exteriori, & profeſſione habitus promittit ſanctitatem, & obſeruantiam in omnibus actibus, ac re vera in omnibus diſſolutus eſt. Nonne hoc ignominioſum, nonne obſcurum, imò obſcuritatis abyſſus, ſuper cuius faciem tenebræ ſunt horrendę. Nonne periculoſiſſimum in iſta obſcuritate perire. Audiamus Prophetam (*Amos 7.*) Amos: *Vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, & deuorauit abyſſum multam, & comedit ſimul partem. Iudicium*, inquit ſanctus Gregorius (*Lib. 35. Mor. cap. 6.*), *ad ignem vocatur, cùm iuſtitiæ ſententia ad pœnam iam æternæ concremationis oſtenditur, & multam abyſſum deuorat, quia iniquas, & incomprehenſibiles hominum mentes concremat, quæ nunc ſe hominibus ſub ſignorum miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur, quia illos quoque gehenna deuorat, qui nunc quaſi in ſanctis actibus de electorum numero ſe eſſe gloriantur.* Quare reſpondeant opera noſtra profeſſioni, imò ſuperent. Audiamus ſalutare Caſſiodori (*1. var. 18.*) conſilium: *Sumpſiſti nomen ex meritis, cuſtodi, vt ſemper lateris veritate vocabuli. Nam cùm omnis appellatio ad declarandas res videatur impoſita; nimis abſurdum eſt portare nomen alienum, & aliud dici quàm poſſit in moribus inueniri.*

Alia miſeria negligentium.

Capvt LXIV.

Præter hanc hypocriſim totius vitæ ambulant in obſcuris imperfecti ſingulas actiones occultantes, & ſubmouentes ſe ab hominum pręſentia, potiſſimè Prælatorũ, magnopere ſoliciti, ne videantur, ne teſtem habeant. Reuerentes homines non Deum, qui vbique eſt, ſcrutans renes, & corda noſtra, nihil amore Dei, nihil timore ſancto, nihil metu conſcientiæ faciunt, ſed omnia timore humano. Quid inde ſequitur, niſi quòd nullam mercedem apud Deum habebunt: deinde innumeri enaſcentur defectus, & immedicabiles. nam cùm prouidentia humana compeſcere corda hominum nequeat, imò nec exteriora omnia peccata opprimere poſſit: fiunt multæ culpæ, quotcumque ſcilicet putantur celari poſſe; atque cùm interiora continere non valeat, relicta radice viua erumpunt ex malè ſano affectu amariſſimi culparum fructus, nec vlla diſciplina, nec obſeruantia talem Religioſum corriget, aut diriget. Nam *ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum* (*Sap. 1.*); adeò enim contriſtant Spiritum ſanctum, vt è ſuis effugiat cordibus, deſeratque incommoda, & obſcura domicilia. Præter hæc, quod magis extimeſcendum eſt, inde ex libertate cordis non timentis Deum, etiam venit, quòd nec homines timeat; ſed audeat palàm irrumpere regularum obſeruantiam. Et hoc etiam eſt, eius, qui exiſtit in obſcuris, quemadmodum ſanctus Chryſoſtomus ait: *Eſt eorum qui ſedent in tenebris turpia ſecurè audere admittere.* (*In Pſal. 141.*) *Hoc etiam faciunt, qui nequiter viuunt, tanquam qui ſedent in tenebris, & perinde ac ſi nemo homo ſit, qui quæ fiunt reſpiciat, omnia tam ſecurè perpetrant in medijs vrbibus, tanquam in ſolitudine.*

In obſcuris denique iacent imperfecti, & ignaui propter pericula, quibus exponuntur. *Eſt eorum qui ſedent in tenebris*, ait idem Chryſoſtomus, *non videre mala, quæ inuadunt. Hoc etiam eis accidit qui non vident, quæ iuxta eos ſita ſunt* (*Vbi ſuprà.*) *calamitates, & in voragines, foſſaſque & præcipitia deturbantur.* Nullus locus tam ſanctus eſt, nulla Religio tam fœlix, vnde aliqui non poſſent perire: nam & Angeli in cœlo peccauerunt, Adam, & Eua in paradiſo, ſanctus Petrus & Iudas in Collegio Apoſtolico, & beatiſſima illa Societate Iesv: neque ſolùm in tam ſanctis locis deliquerunt, ſed perierunt multi. Seraphim in cœlo, in Religione prima omnium obſeruantiſſima, & ſub diſciplina Chriſti, & cum optimo aliorum Apoſtolorum exemplo Iudas miſerè lapſus. Ergo ſi in Religionibus poſſunt condemnati aliqui, & reuera nonnulli damnati ſunt, de quibus hoc præſumendum eſt, de feruidis, de obſeruantibus, de mortificatis, de humilibus, de ſolicitis pro minutis rebus? An de tepidis, de diſſolutis, de negligentibus, qui nec peccatorum venialium curam habent? De his profectò, qui ad vomitum reuertuntur, terreſtrem conuerſationem, & amorem quem è ſe expulerunt, miſerè reuocantes, meritò iis minatur Dominus euomere ex ore ſuo, non

ampliùs reuerſurus ad illns, oec comeſturus horrendam ſpurcitiem, ea pœna animaduertens in eos, quæ contraria eſt ſuæ culpæ. Illi reſumunt,& remanduot vomitum, ſed meritò Deus illns euomet, erudiens nos qualiter mundum abominari debemus, quemadmodum ipſe abomioatur Religinſum imperfectum & negligentem tanquam fœtidum, & putridum ſtercus, quod hortorem, vel cogitatum incutiat, vt nec ad mundum vel cogitatiooe redeamus. Quis noo timebit hunc periculoſiſſimoin tepidntum ſtatum? Maximè ſi conferamus illum cum ſalutari, & fœliciſſimo feruidorum. Audiamus quid per Iſaiam,& quid per ſanctum Ioannem loquatur Dnminus? Quid de feruidis,& quid de tepidis dicat. Sic cum illis per Iſaiam tenerrimè & dulciter loquitur: *qui portamini à meo vtere, qui geſtamini à mea vulua; vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo.* Quid ſecotius, quàm ſic cuſtodiri à Deo, ſic molceri diuinis viſceribus. At cum tepidis quàm diuersè agitur in Apocalypſi. *Scio opera tua*, ioquit Dominus, *quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis, quòd diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Narrantur aliqua damna, & pericula negligentis Religioſi. nam expoſitus eſt tentationibus Dæmonum tanquam inermis, & nudus inuaſus à fortiſſimis armatis, vt miraculum ſit non vinci paſſim, ſed ideo credn miraculosè ſeruari propter ſocietatem aliorum fratrum ſeruorum Dei, & ſanctos eiuſdem Religionis, qui cœlum iam incolont. Deinde miſerabilis valde eſt propter multitudinem peccatorum venialium, quibos oppletus & onuſtua eſt, ooo aliter quàm ſi videremus hnminem vulneratum à planta pedis vſque ad verticem capitis, plurimis læſum, & horridum vlceribus, ac plagis, quarum licèt nulla lethalis eſſe propter multitudinem valde miſerandus foret, maximè ſi nulla adhiberetor cura, nec diligentia, qua ſanari poſſet, & cum periculo eſſet vitæ; quemadmodum tepidus, qui non leoe diſcrimen ſalutis æternæ habet; quæ autem comparatio poteſt eſſe miſeriæ corporalis cum miſeria ſpirituali? Miſer quoque eſt, hoc eſt, vilis propter ignominiam ſtatus, in quo iacet, & vileſcit Deo, Angelis & hominibus. Pauperiem aorem animæ quis dicere poſſit, qoot donis priuatur, quanta defraudatur Dei gratia, quanta fruſtratur gloria? Quòd ſi priuatin gratiæ, & gloriæ ſumma pœna damni eſt damnatis, ſimilem pœnam patitur imperfectos propter negligentiam ſuam, qui licèt habeat aliquam gratiam, eſt valde exigua,& hæc minimè ſecura; priuatur tamen maximis gratiæ & gloriæ incrementis. Accedit poſt tot damna, poſt tot pericula, poſt tot miſerias, quòd nihil videat, nihil in ſe formidet, nihil horreſcat, ſed cœcus ad peruidendom mala ſua, non conetur per ardorem vitæ reſipiſcere.

Iſai.46.3. — Apoc.3.15.

Quàm intrinſecam miſeriam patiantur negligentes?

CAPVT LXV.

AD alia negligentię dãna pergamus. Ipſe Dauid ait: *Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meũ.* Pſal.142. Hæc eſt miſera mortalium conditio, cùm præcipua hominis pars mens ſit, atque excellentior, & actior animi facultas intellectus, minos tamen percipimus quæ ratio nos dictat, quæ mens penetrat, quæ intellectus percipit, quàm quæ ſenſu haurimus. Hinc fit cùm mainra negligentiæ mala ſint, ignominia ipſius, diſcrimen ſalutis ęternæ, iactura gratiæ, multorum Dei ſpoliatio donorum, nno ita nns atterent, quia nullo nos ſenſu ſui adurunt, nullo aduertunt dolore. Propterea infinita illa diuinæ pronidentiæ benignitas, & ſuauitas ſalutariter conſuluit nnbis abſinthium, & fel inſtillans ſin mollem oegligeotium vitam, vt ſenſu & dolore aliquo conſternati noſmetipſos faſtidiamus, aut noſtrimet miſereamur. Neque enim tantùm ſunt inſenſibilia damna, qoibus tepidi puniuntur. Multa quoqoe magni ſenſus, & anxietatis illos exurunt, quorum etiam poſt prima illa meminit Dauid, vtpote expertus omnia, dicens: *& anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* Quas cordis anxietates, quos affectuum tumultus, qnos metus, quas deſnlationes patitur miſer Religioſus, qui nomine ſolùm mancipatur virtuti: non ſolùm corporales cruciatus pertimeſcendi ſuot, acrinr eſt animi dnlor, & ſæoior tortura. Nec enim ſine cauſa à ſumma veritate miſer, & miſerabilis dicitur geminata ſignificatione miſeriæ; quoniam non ſolos miſerandus eſt, cuius tetra lues artus exedit, qui ſæoo laniatus viſcera cruciatu gemit, qui ſecator, qui vritur, crudeliores animos cruces patitur, profundiora excipit vulnera, tanto magis miſer, & miſerandus, qui animo patitur, quàm corpore, quanto animus corpore beatior poteſt eſſe. Atqui inter afflictos, & dolentes animo, cuius cruciatus excedit corporeo, Religioſus antecellit ignauus. Quare & in qualitate tribulationis, & in quantitate miſerior miſeris ſæcularibus eſt. Hoc benigniſſimæ prouidentiæ nrdinatum conſilio, vt quos non mouent inſenſibilia ſni ſtatus pericula, ſentita commoueant damna, & dicamus cum ſancto Bernardo. *Exurgamus obſecro quicumque eiuſmodi ſumus, reſarciamus animas, ſpiritum recolligamus, abycientes pernicioſam tepiditatem, & ſi non quia periculoſa eſt, & Deo ſolet (vt interdum miſerabiliter plangemus) etiam vomitum prouocare, certè quia moleſtiſſima, plena miſeria, & doloris, & inferno planè proxima vmbra meritus iure cenſetur.* Serm.6. de Aſcenſ. Videamus igitur hos dolores inferni, qui imperfectos circumdant, quanı umque laborioſior, & mortalior illos vita deuexat, quàm ipſos mortuos ſæculi, quàm ſimiles inferno meritò dixit Bernardus; & credo ſatis indicauit ille, qui eſt ignis ardens, tartaream hanc tepidorũ miſeriã, cùm vni eorum dixit: Tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cœcus, & nudus. Miſer eſt Religioſus tepidus, quia omni conſolatione ca-

iet,

Digitized by Google

ret, miſerabilis, quia multa cordis tribulatione abundat. Hoc ſcilicet in inferno eſt, vbi duo iſta mala copulantur, nulla ibi inuenitur conſolatio, & omnis præterea adeſt tribulatio. Nonne in hoc iam deterior eſt conditio Religioſi imperfecti, quàm ipſorum mundanorum; hi enim licèt ſpiritualibus deſtituantur gaudiis, habent tamen ſuas voluptates temporarias, & corporales lætitias. Religioſi autem tepidi carent vtriſque; neque enim libertatem habent, nec facultatem ſæcularium, vt ſimiliter delitiari valeant, & inſuper carent cœleſtibus conſolationibus, & ſanctis gaudiis, quibus ineffabili cordis dilatione imbuit Deus ſeruos ſuos, quibuſque remiſſi indignos ſe faciunt. Nam quomodo diuini ſpiritus ſuauitas, & puriſſimus ros deſcendet in corda prophana fœculentis terræ ſordibus oppleta? Quomodo conficiet fauum, quomodo ſuæ dulcedinis inſtillabit mel, petram, non ceram inueniens, in dura ſcilicet corda, nulla deuotionis teneritudine blanda. Quomodo illos Spiritus ſanctus conſolabitur, qui ipſum ſanctum Spiritum contriſtant. Quomodo aquæ amaræ dulceſcent, vbi non eſt immerſum ſanctæ crucis lignum, vbi imitatio Chriſti crucifixi abeſt, qui non compatiuntur Chriſto, quomodo congaudebunt Chriſto. Impoſſibile enim eſt cœleſte ad nos gaudium traduci, niſi per crucem Chriſti, per mortificationem, per victoriam ſui. Nam, vt inquit

Vbi ſuprà. mellifluus Bernardus; *Praeoccupatum ſæcularibus deſiderijs animum delectatio ſancta declinat, nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, vt pariter ſapias, quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.* Itaque cùm ſpiritualia gaudia non mereantur, & temporalia non aſſequantur, miſeri & miſerrimi ſunt, qui ſub religioſa diſciplina ſegniter viuunt cùm neutris bonis, nec terræ, nec cœli liceat illis frui. Sunt ſanctorum Religioſorum ſocij in tribulatione, non in conſolatione, ferunt pondus regularis obſeruantiæ ſine ſuo refrigerio, & commodo participant dolores terrenos, non delitias cœleſtes; mundanorum autem ſocij ſunt in votis, in anxietatibus, in periculis, in culpis denique, non in libertate, non in vſu voluntatis ſuæ, non in delectationibus. Quod durius habet Religio, & quod peius habet, ſæculum in illis copulatur ſine vllius compenſatione præmij, nec cœli, nec terræ; imò ſine ſpe vlla, ex cœlo nihil expectare audent, ex mundo nihil poſſunt, cum ipſa illos, vel inuitos regularis coërceat diſciplina, ex Religione habent artitudinem vitæ, ex mundo multitudinem culparum; ex vtroque tribulationes, ex neutro ſolatium. Miſeri quia ſine vllo gaudio viuunt, nec cœleſtis, nec mundani; miſerabiles, quia cum omni cordis tribulatione, & ſæculi, & Religionis, & penè inferi; ideo dixit Dauid iuxta originalem Iudæorum ſermonem, deſolatum eſt cor meum; nam deſolatum dicitur, quod penitus dirutum, & deſertum eſt. Sic cor Religioſi tepidi omni gaudio deſolatum, & deſertum mœret. Addidit Propheta, *in me*, quaſi diceret, iuxta ſanctum Chryſoſtomum, mœrorem, & turbationem ſui cordis maiorem eſſe, quàm dici poſſet in ſe ſolùm ſentire illam; verbis autem explicare non poſſe. Quæ maior pauperies, quàm eius, cui domus, & omnis ſubſtantia combuſta eſt. Hoc accidit tepidis. nam ſan-

In vita S. Malachiæ. ctus Bernardus dixit: *Status hominis negligentis domus eſt ruinoſa, & negligentia, ignis validus in domo accenſus.*

Deterioris conditionis fiunt negligentes Religioſi, quàm ſæculares.

Capvt LXVI.

CVm cor ſæculare habeant imperfecti Religioſi, eadem, quæ ſæculares vouent, deſiderant, eadem ambiunt, iiſdem ſe indigos faciunt, & cùm non ſit eadem illis, quæ ſæcularibus licentia, gemunt cum votis ſuis, quæ ad exitum perducere nequeunt. Ideo infortunatiores, infœliciores, miſerabiliores, pauperiores; idcirco tepidi illius Epiſcopi miſeriam explicaturus Dominus pauperem compellauit. Quænam eſt totius miſeriæ, & triſtitiæ cauſa, niſi non poſſe habere quod vis, & neceſſum eſſe habere quod non vis, illud infortunium eſt, iſtud calamitas; vtrumque in imperfectis Religioſis ſænit, infortunatiſſimis profectò, & calamitoſiſſimis. Sæcularis gaudia licentiæ, quæ volunt, nequeunt habere. Regularis officia diſciplinæ, quæ faſtidiunt, exequi compelluntur. Sufficiebat ad deplorandam horum miſellorum conditionem omni conſolatione priuari: quantus miſeriæ cumulus aſſurget, ex perpetua iſta calamitate, cùm pro votis nihil obtineant, cùm omnia quibus repugnant neceſſum ſit habere. Explanemus ampliùs infortunatam iſtam miſeriam tepidorum, quam paupertatis nomine Dominus obiurgat. Vera enim paupertas non eſt inopia rerum, ſed copia deſideriorum; neque enim pauper eſt qui multis rebus caret, ſed qui eget vel paucis. Egere autem ſolùm vota noſtra faciunt: nam nemo ea eget re, quam non velit. O miſeram imperfectorũ Regularium paupertatem, cùm non ſolùm æqualibus, ac ſæculares votis laborent, ſed pluribus, & acrioribus. Quoniam priuatio irritat appetitum, acuit deſideria, incendit voluntatem. Igitur cùm Regulares priuentur pluribus rebus, & delectationibus deſtituantur mundanis, acriùs illas concupiunt, & peramant; quare maiora ſupplicia ab ipſis ſuis votis perpetiuntur. Deinde ex his ipſis rebus, quæ in religioſo ſtatu cum aliqua imperfectione magis inueniuntur, quàm tolerantur, ſuam moleſtiam fabricant: gaudium namque, & triſtitia non eſt in rebus, ſed in affectu cordis ipſis adhærente; quare eaſdem, aut maiores paſſiones in paruis patiuntur, quas ſæculares in magnis; neque enim refert, an parua, vel magna res ſit, cui adhæreas; ſed ſolùm an parum, vel magnopere adhæreat illi cor humanum. Quapropter licèt Religioſi magna non poſſideant, magnas tamen circa parua poſſunt habere paſſiones, & plus circa minimas res angi & conturbari, quàm circa maximas mundani, quod tamen ipſi non timent, nec aduertunt. De quibus Caſſianus dixit, *Quaſi verò differentia tantummodo metallorum, & non ipſa paſſio cupiditatis habeatur in noxa, & pro rebus quidem magnis iraſci non liceat. Pro vilioribus verò hoc ipſum feciſſe ſine culpa ſit, & non idcirco pretioſiores abiecerimus materias, & faciliùs diſceremus viliora*

contemnere. Quid enim differt vtrùm quis perturbationem cupiditatis, erga opes amplas, & magnificas, an erga viliores exerceat ſpecies? niſi quod in eo reprehenſibilior iudicandus eſt, quòd qui maxima ſpreuerit, minimis obligatur. Ideoque perfectionem cordis abrenuntiatio iſta non obtinet, quia cùm cenſum habeat pauperis, non abijcit diuitis voluntatem. Itaque in hoc non diſcernitur laicus à Religioſo. Vterque eaſdem anxietates, eaſdem ſpiritus moleſtias, eoſdem animæ mœrores, eoſdem cordis tumultus ſentiet: nam cùm omnes animi ægritudines efficiat in ſæcularibus amor terrenarum rerum, eaſdem idem amor in imperfectis Regularibus fabricat, & plerumque maiores, quia vehementius adhærent paruis rebus, quàm ſæculares magnis, qui paucas res habet, aut vnicam plutis huic vni adglutinatur affectu, quàm multis, qui plures poſſidet, ſiquidem affectum quem locupletior diſgregat, & velut ſpargit per plura, miſer vnit, & condenſat in paucis: ille, qui vnicam ouem, & hanc paruulam habebat, quomodo adhæſit illi

2. Reg. 12. 3. à Nathane Propheta proponitur. *Creuerat apud eum & cum filijs eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens; eratque illi ſicut filia.* Sic eſt. Religioſi, non minus hærent paucis, & minutis rebus, quàm ſæculares plurimis, & grandibus: imò arctiùs adſtringunt affectum paucis, cùm tota cupiditatis vis in exiguo reſumatur. Sæculares autem dilatiorem habeant, nec ita proinde affixam ſingulis. Quid hinc ſequitur niſi quòd non minus vexet cupiditas Religioſos imperfectos, quàm prophanos ſæculares. Inde pro rebus quas concupiunt, quot timores tolerant, quot triſtitias patiuntur, quot curis vexantur. Vruntur deſideriis, donec obtineant, torquentur timoribus, ne amittant, excruciantur mœroribus, ſi auferantur, iraſcuntur fratribus, iraſcuntur Prælatis, dilaniantur curis ſemper, multas inter hæc culpas committunt, regulas violant, anxiatum ſpiritum trahentes, conturbatum cor habentes, circa impares res habent pares curas, & angores cum ſæcularibus; imò maiores circa minores. Meritò

Epiſt. ad Mon. S. Bertini. S. Bernardus dixit. *Nos Monachi, quorum velimus, nolimus in labore vita eſt, planè miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, ſi pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim inſipientia, imò quid inſania eſt, vt qui maiora reliquimus, minora cum tanto diſcrimine teneamus.* Hæc ille. Vbi eſt, quod in Religione quærebamus, nonne pacem & tranquillitatem cordis, cur quam voluimus emere relinquendo omnia, nunc vendimus reſumendo aliqua, & hæc minima, & vilia, cur quod tanti fecimus, nunc vilipendimus: ipſum quoque cœlum pro quo dedimus omnia, & fecimus magna, nunc reuendimus, ſicut viliſſimi mercatores accipiendo minima, faciendo nihil pro illo. Illi qui reuendunt merces, maiori pretio eas vendunt, quàm emerunt, nos multo minori gloriam reuendimus, quàm mercati fuimus. Veriſſimè Chriſtus tepidum vocauit pauperem, qui tantam inopiam, & miſeriam conſolationis patitur, vt neceſſe habeat vili vendere cœlum, quod tam magno emerat. Dat illud Religioſus imperfectus pro vna exigua re, quod præmercatus fuerat pro ſuis omnibus. Et quod deterius eſt, dat cœlum pro inferno, quem in hac vita prægustat inordinatione affectuum; ſinguli enim ſuum tormentum habent, cùm à ratione deuiant.

Miſera cœcitas negligentium.

Capvt LXVII.

Ampliatvr hæc miſeria tepidi Religioſi ex cœcitate ſua, quapropter cœcus à Chriſto Domino dicitur. Profectu cœcus, & ignorans eſt ob prudentiam ſæcularem, imò ob ſcientiam ſpiritualem quam habet, & vtraque magna illi fiet occaſio dolorum cordis, quorum exemplum Sampſon eſt ab Allophylis captus, qui poſtquam oculos perdidit, ad molam deputatur, nimirum S. Gregorius ait: *Maligni ſpiritus poſtquam tentationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.* Lib. 7. Mor. cap. 13. Neque mirum eſt propter prudentiam humanam dici ignorantem, & inſipientem, ſiquidem ipſa prudentia mundi inſipientia atque ſtultitia ſit. Id plus eſt dici cœcum, etiam ob ſcientiam rerum ſpiritualium, quæ in religioſis cœtibus habetur, inueniturque in nonnnullis, quamuis valde imperfectis. At nihilominus mihi videtur iure appellari cœcitatem, quia imperfecti admiſcent ſpiritui multa corporalia, ac confundunt ſpiritualia cum humanis, ſi quando tamen rerum ſpiritualium doctrinam puram ſeruant, cùm non deducant ad opus, tantumdem illis eſt, ac cœcitas, & ignorantia, imò maiori condemnationi illis erit. Quid differt à cœco, qui apertos habet oculos, ſi æquè in foueam cadat, nec rectum, & ſecurum peragat iter. Et tandem, quia ex aſſuetudine culparum lumen mentis quod habebant, amittunt, iure poſſunt appellari cœci, de quibus eleganter ſanctus Gregorius ait. *Sæpe & recta operatio exteriùs proditur, & tamen adhuc rationis lumen in corde retinetur, Propheta Hieremias inſinuat, qui dum Sedechiæ captiuitatem narrat, ordinem captiuitatis internæ denuntiat, dicens: Occidit Rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha in oculis eius, & omnes nobiles Iuda occidit Rex Babylonis, oculos quoque Sedechiæ eruit: Rex quippe Babylonis eſt antiquus hoſtis, poſſeſſor intimæ confuſionis, qui priùs filios ante intuentis oculos trucidat; quia ſæpe ſic bona opera interficit, vt hæc ſe amittere ipſe qui captus eſt, dolens cernat. Nam bona plerumque gignit animus, & tamen carnis ſuæ delectationibus victus, bona quæ genuit, amans perdit, & quæ patitur damna, conſiderat, nec tamen virtutis brachium contra Regem Babylonis leuat. Sed dum viuens nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati vſu perducitur, vt ipſo quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis Rex extinctis priùs filijs, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus ſpiritus ſubductis priùs bonis operibus, pòſt & intelligentiæ lumen tollit. Quod rectè Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe multa hæc interpretatur. Ei enim quandoque & lumen rationis clauditur, qui prauo vſu ex iniquitatis ſuæ multitudine grauatur.*

Videamus igitur hoc, quomodo apertis oculis cum tanta ſua prudentia nequeant ſe tueri, nec prouidere tepidi, quin imò magis eos lædat ſua erga ſe prouidentia, quàm ſi cœci, & ignorantes

eſſent. Cauſa eſt, quia prudentia ſæcularis non in veritate, ſed in vanitate fundatur, non in vera rerum æſtimatione, ſed in falſa opinione, inde præter angores, quos in illis efficiunt cupiditates, addunt alias imaginationes, & apprehenſiones vanidæ: nam leges mundi, in quas iurat ſæcularis prudentia, inuenta ſunt inanis opinioois, ad torquendum nos, atque, vt taceam alia, ex hac regula honor debet haberi curæ, infinitas fabricat phantaſias prudentia humana, moleſtiſſimas triſti, & miſello Religioſo, qui illas ſuſtinet. Nunc inquietatur, quòd honorem debitum non videatur ſibi exhiberi à fratre illo. Nunc quòd videatur detrahi ab altero, nunc deſpici ab alio, nunc à ſuperioribus minoris haberi, nunc poſtponi alicui. Deinde multa intentat, quæ ipſum magis contemptibilem reddunt, multa agit ridenda, ne parui habeatur, ſed colatur ab omnibus. Angitur, conturbatur multis curis, peruigiliis, diſcurſibus quo opinionem ſuam reparet, aut tueatur. Ad ſingula verba & actus aliorum aduritur, in ſingulis putat honoris ſui rationem habendam. Accedit ad hoc, cùm prudentia ſæcularis etiam inter ſæculares ſit valde infœlix, inter Religioſos neceſſe eſt infeliciorem, & contemptibiliorem eſſe. Hinc v nit multa agi, aut dici à tepidis, quæ videntur ſibi prudenter fieri, & neceſſaria ſuo nomini, & exiſtimationi, quæ tamen in maiorem nominis iacturam illis recidunt. Hinc acriùs rumpuntur, excruciantur. Hæc quaſi naturaliter eueniunt; nam præterea diuina prouidentia iuſtiſſimè diſponit res, vt ſapientibus mundi in ſua ipſa ſapientia illudat, & prudentes in ſua ipſa intercipiat prudentia ad maiorem confuſionem. Quemadmodum vltra anxietates & triſtitias, quæ naturaliter ſequuntur deprauationem affectuum, merentur extraordinaria prouidentia, addititiis affligtari mœroribus. Præterea offendit illos ſimplicitas aliorum, & ſinceritas religioſæ conuerſationis, quòd auget anxietatem miſerorum cùm vident alios humiles, & obſeruantes contrarios omnino ſuis moribus, & opinionibus, non poſſunt non ſauciari alienæ exemplo virtutis.

Ipſa quoque ſpiritualis ſcientia in cruciatum vertitur miſeris, dum opere reſiſtunt doctrinæ, operantes cum morſu conſcientiæ, cum timore, cum pudore ſui, cum verecundia aliorum, nec alieno attenti exemplo, nec conſcientiæ propriæ, nec menti ſuæ, nec iudicio, diuiſis, & repugnantibus inter ſe præcipuis animæ membris intellectu, & affectu, vt alter (inquit Bernardus, cuius doctrinæ nihil addi poteſt) ſumma petere, alter appetere infima videatur. Quantus verò is dolor, quàm grauis animæ cruciatus, dum ſic diſtrahitur, ſic dilaceratur, ſic abrumpitur à ſeipſa, vel ex ea ſaltem, quam omnibus experiri in promptu eſt, corporis ſciſſione coniiciat: ſi quis in ſuo ſpiritu animaduertere pernicioſa, & periculoſa inſenſibilitate non neglexerit. Diſtrahuntur hominum crura, & longioris obice ligni remouentur ab inuicem pedes: & dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille eſt cruciatus? Sic ſic affligi plangimus miſeros, qui corporaliter inter nos conuerſantes, illuminati fortè ſimiliter, ſed diſſimiliter inueniuntur affecti. Intelligunt pariter bona quæ faciant, ſed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorantia fratres, quænam excuſatio nobis, quibus nunquam doctrina cœleſtis, nunquam diuina lectio, nunquam ſpiritualis eruditio deeſt. Quæcumque vera ſunt, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc diſcitis, & accipitis, hæc auditis pariter, & videtis, in exemplis videlicet, & verbis eorum, qui inter vos ſunt perfecti, quorum & hortatio, & conuerſatio plenius erudit vniuerſos. Vtinam autem hæc vt intellectum admonent, moueant & affectum, ne ſit intus amariſſima contradictio, & diuiſio moleſtiſſima, dum hinc quidem ſurſum trahimur, ſed retrahimur inde deorſum. Nimirum aduertere potes in omnibus ferè religioſis congregationibus, viros repletos conſolatione, ſuperabundantes gaudio, iucundos ſemper & hilares, feruentes ſpiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò ſuſpicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, ſollicitos obſeruatores conſcientiæ, & deuotos ſectatores bonorum operum; quibus amabilis diſciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuerſa denique conuerſationis huius auſteritas refrigerium videatur. Contrà ſanè inuenire eſt homines puſillanimes, & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia; puſillanimis triſtitia eſt, quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio: quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione, quos denique (vt videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix diſciplina coërcet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè ſuſtentantur, ſocij planè tribulationis, ſed non conſolationis.

Miſera nuditas, & imbecillitas negligentium.

Capvt LXVIII.

Miserabilis denique dicitur à Chriſto tepidus, quia nudus. Quæ maior miſeria, quàm compelli hominem nudum, imbellem, exermem cum armato congredi; omnia enim occurrunt tepido, terribilia tanquam hoſtes armati. Ideo Salomon, qui pigrum nobis repræſentauit dormientem, & manus conſerentem, ad quieſcendum quippe nudum in lecto, addidit, *& veniet tibi quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi vir armatus*. Quod maius onus, quàm compelli debilem; opus aggredi, quod armatus, & robuſtus vix poſſit. Quæ maior anxietas, quàm neceſſe habere mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè ſuſtentantur. Quantus dolor, & aſſiduus hic vexat cruciatus imperfectos. Opera Religionis ſupra vires illorum ſunt, ad quæ tamen adiguntur; non ſunt opera carnis, ſed ſpiritus, deficienteque in illis feruore, & ſpiritu importabilia videntur, & tamen coguntur ad illa. Quomodo non anxiati erunt, quomodo non conturbati corde, quomodo

Serm. 6. de Aſcen.

Prou. 24.

modo non rumpentur, cùm inuiti compellantur exequi millies quotidie, quæ ſemel nollent, ad pulſum campanæ conſternantur, ad vocem obedientiæ exuruntur. quæ maior miſeria, quæ miſerior anxietas, quàm conari ſupra ſe, & contra ſe, & hoc non ſemel in die, ſed in vna hora pluries, & toties aduri, & pungi, quoties audit ſuperiorem. *Prou. 15. 19.* Verè Salomon dixit: *Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum, via iuſtorum abſque offendiculo*, vbique difficultatem inuenit, vbique ſpinas, vbique tribulos, & ad omnia ille nudus, & infirmus. Quemadmodum ſi nudus homo iuberetur per rubeta, & ſpineta incedere, ſine dolore non fieret: ſic Religioſus tepidus, nudatus ſpiritu, vbique pungitur ſpinis, vbique occurrit, vnde gemat. Ad hæc cùm nudus ſit, & imbellis, acriùs vexatur tentationibus, nonnunquam ſcrupulis, quod interdum miſericordia Dei eſt; in tepidos enim diligentiùs immittit Dæmon tentationes, *Matth. 13. 25.* quod ſignificauit Saluator, dicens: *Cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici.* Accidit interdum corporis ægritudinibus affligi, partim diuina diſpenſatione prouidenti, vt pœnitentiam, quam ille non aſſumit, Deus infligat, ne omnino vacuus meritò decedat, nec penitus ocioſus Religioni ſit, ſed patiatur, quæ non operatur. Verùm & naturaliter euenit, & tot animi anxietatibus redundare morbos in corpus, putreſit ſanguis, melancholia excreſcit, contriſtatur cor inde corruptis humoribus, concreſcunt varia corporis vitia. Hæc miſera tepidorum conditio, hoc negligentiæ moleſtiſſimum præmium afflictio ſpiritus, conturbatio cordis, obtenebratio mentis, angor animæ, pudor conſcientiæ, dolor aſſiduus, iactura temporalis vitæ ſimul & æternæ, vt vel ex compaſſione noſtri, & amore proprio, atque commoditate temporali excutere ſocordiam, & referuere ſpiritu deberemus, lucraturi vitam præſentem pariter & futuram.

Confertur miſeria negligentium cum fœlicitate diligentium Religioſorum.

Capvt LXIX.

Conferamvs miſeriam negligentium cum fœlicitate feruidorum; certè ſi non aliud pretium feruoris in alia expectarent vita, locuples, & abundans præmium in hac miſeriarum, & lachrymarum valle obtinent læti inter miſerias, conſolati inter ærumnas, diuites in paupertate, illuminati inter tenebras mundi, induti veſtimentis gloriæ, protecti diuinis donis, potentes gratia Dei, fœlices, fœliciſſimi, & valde inuidendi. Fœlices, quia carent tribulationibus, & ſpinis huius vitæ, fœliciſſimi, quia abundant conſolationibus alterius, prægustantes hîc beatam illam ſpem, quemadmodum vitam tepidorum inferno proximam. Sanctus Bernardus dixit: *Quia omni conſolatione carent, abundant omni tribulatione: ſic feruidorum vitam non inuenio cui nam bono pro dignitate aſſimilem, niſi gloriæ, cùm nullas ſentiant ſpinas, nec miſerias mundi, atque cœleſti iugiter fruantur lætitia.* De hac diſtantia inter miſeriam imperfecti, & fœlicitatem feruidi, dixit Dominus per Malachiam, *Malach. 3.* *Conuertimini, & videbitis quid ſit inter iuſtum, & impium, & inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei.* Quomodo angi poſſunt, quomodo turbari, qui armati ſunt omnibus virtutibus, quarum armatura ſic protegit ſuos, vt cuſpides vertat in flores, ſpinas in roſas. Qui humilis eſt, non affligitur contemptu, potiùs collætatur, cùm id inueniat quod quærit, cùm videat ſibi alios opem ferre ad humiliationem, quam optat? Qui obediens eſt, onus diſciplinæ non ſentiet? Qui patiens ſub labore non murmurat? Qui pauper ſpiritu in rerum defectu exultat? Qui continens cum mortificatione gaudet? Qui amator Chriſti verus, qui vnitus Deo, qui imitator Iesv in totius propriæ voluntatis abnegatione triumphat. Quæ ianua reſtat anxietatibus, quæ rima doloribus cordi, quam pacatiſſima virtutum militia non occludat? Quid eſt virtus ex ſententia maximorum Philoſophorum? Inſtrumentum Beatitudinis, organum ſecuræ lætitiæ. Ergo ſi virtutes naturales organa fœlicitatis ſunt, quid dicere poſſumus de virtutibus ſupernaturalibus, & diuinis, quibus ſpiritualis verè homo, & feruidus exornatur Religioſus cum tot inſtrumentis, & quàm optimis beatæ vitæ cum tanto apparatu tranquillitatis, cum tot machinis fœlicitatis? quem locum miſeriæ, & tribulationi relinquet? Tepidi non eſt mirum ſi doleant, ſi angantur, ſi turbentur. Quoniam carent virtutibus vnicis lætitiæ veræ organis; abundant tamen vitiis; nam ſicut virtutes ſunt inſtrumenta beatè, atque fœliciter viuendi, vitia quoque ſunt inſtrumenta miſeriæ, organa dolorum. Nec enim putandum eſt Religioſos tepidos minora habere vitia, quàm ſæculares. nam licèt vitia eorum non ſint magnarum rerum; ſunt tamen magna ipſa, quamuis rerum minutum, atque quoad cruciatum animi parum refert materia, & quantitas rerum ſi affectio eſt magna. Quomodo igitur negligentes cum tot inſtrumentis dolendi non gement. Quomodo feruidi cum multiplici artificio gaudendi non lætabuntur. Singula vitia ſuum tormentum connectunt inſeparabile ſibi. Deinde ſunt cauſa multarum anxietatum, & tumultuum cordium ex ipſis erumpentium. Virtutes autem ſingulæ ſint beneficæ, & pacificæ. Singularum actus ſatisfaciunt animæ, recreant mentem, exhilarant cor. Nihil eſt iucundius, quàm ex virtute operari. Deinde cauſæ ſunt maioris iucunditatis, lætiſſimæ tranquillitatis. Quamuis opificium virtutum ſolùm eſſet pax animi, ſedatio affectuum, tranquillitas cordis potentiſſima in aduerſis, locupletiſſimum præmium feruidorum eſſet. Attamen accedunt inſuper plura cordis iubila, multa ſpiritus gaudia, quibus imbuuntur cœlitus. Seruorum Dei gaudia non ſunt dumtaxat, quæ ex ipſis virtutibus quaſi naturaliter corriuantur, multo maiora & plura cœlum in illos ſuperfundit, & fluit. Quare meritò commendari poſſunt, diuerſis ac tepidi damnantur titulis. Dicantur diuites, nam re vera ſunt, cum terreſtribus diuitiis, & commoditatibus non egeant, nec illas velint, & cœleſtibus abundent. Vocentur videntes, cùm cœlitus illuſtrati veritatem agnoſcant, & ſequantur, appellentur armati, cùm adeò robuſtos gratia diuina illos reddat, adeò potentes vt vincant naturam, ſuperent mundum, ferant læti pondus Religionis, ipſis tamen leuiſſimum,

&

& ſuaue. Qua via angi, turbari, contriſtari poſſunt, cùm onus illos recreet, labor delectet, humiliatio lætificet, incommoda iuuent. Gaudia virtutis præter priuilegium magnitudinis (nulla enim maiora ſunt) habent aliud ſecuritatis & conſtantiæ, cùm nulla valeant aduerſitate opprimi. Incredibile videtur hoc, & eſt quidem inexpertis & ignauis. Re vera tamen non ſolùm poſſibile eſt, ſed ita fit. Anne mentitur ſanctus Iacobus Apoſtolus, cùm dixit: *Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis.* Anne decepit nos ſanctus Lucas, cùm ſcripſit: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Anne ſanctus Paulus otioſè verba perdit, cùm monet, *ſemper gaudere.* Audiamus S.Baſilium, *Anima quæ ſemel modis omnibus deſiderio ſe adstrinxit ſui conditoris, iamque inſueuit oblectare ſe illius pulchritudinis contemplatione, prorſus non ſinet vehemens illud gaudium, animique ſui iucundiſſimam diffuſionem intercipi, aut immutari propter multitudinem, & ſuccedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius, quæ alijs mœrorem afferunt, & triſtitiam, in cumulum ſibi vertet, & acceſſionem lætitiæ, cuiuſmodi erat Apoſtolus, dum ſibi admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in perſecutionibus.* Non ad tepidos hæc ſpectant, ſed ad feruidos, & verè ſeruos Dei, quibus præter gaudia ipſos virtutum actus ſequentia in hac vita, acceſcit aliud ingens ex ſpe futuræ, cuius ſolùm memoria is ipſe Dauid, qui cùm tepuit, anxiatus traxit ſpiritum, & turbatum cor. Exultauit, & inquit, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Si tanta lætitia hic geſtiit, quòd audiret ſolùm futuram, quanta exultabit, qui prægustat. Euge, euge ſerue Dei, euge Religioſe feruide, euge humilis, duas beatitudines obtinebis, in hac lachrymarum valle gaudebis, & in domo Dei lætaberis; tecum loquitur ſanctus Paulus monens ſemper gaudere in hac vita, & ventura gaudebit ex gaudio præſentis vitæ. Inter tot pericula collige quanta erit lætitia futuræ in ſumma ſecuritate. *Si hîc*, inquit

Homil. de S.Philogenio.

Chryſoſtomus, *vbi morbi, vbi inſectationes, vbi prematura mortes, vbi calumnia, vbi inuidia, vbi perturbationes, vbi ira, vbi cupiditates, vbi innumerabiles inſidiæ, vbi quotidianæ ſollicitudines, vbi perpetua ſibique ſuccedentia mala ſunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit fieri poſſe, vt ſemper gaudeamus, ſi quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque ſuam rectè compoſuerit: multo magis poſtquam hinc demigrauerimus, facilè compotes erimus eius boni, cùm hæc omnia ſublata fuerint, aduerſa valetudo, morbi, peccandi materia, vbi non eſt meum, ac tuum, frigidum illud verbum, & quidquid eſt malorum in vitam noſtram inuehens, innumeraque gignens bella.*

***

Negligentiæ cauſa eſt defectus orationis quotidianæ, quæ alimentum eſt ſpiritus feruentis.

CAPVT LXX.

TANDEM ſubdit Dauid. *Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis.* Efficacem ſocordiæ antidotum, ſecurum periculorum aſylum, ſuauiſſimum anxietatum ſolatium, maximum languoris refrigeriũ, omniumque malorum, & miſeriæ ſuæ præſentiſſimum remedium. Tãdem agnouit Propheta eſſe orationem, ad eamque profugit, tanquam ad tutum tranquillitatis portum, officinamque feruoris, ideo poſtquam expoſuit miſerandam conditionem, in quam inimicus tepor detruderat eum, deponens in obſcuris tanquam mortuos ſæculi anxiato ſpiritu, & conturbato corde in ſe, hoc eſt, iuxta S. Chryſoſtomum, pluſquam dici poteſt vnicum tantorum malorum pharmacum nobis ſtatim ſignificauit meditationem, dicens: *Memor* Pſal.141. *fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis.* Idem ipſe ſanctus Dauid in illa oratione pauperis, cùm anxius fuerit, ſcilicet tepidi, qui verè pauper eſt, iuxta dictum Chriſti in Apocalypſi, & verè anxiatus ſpiritu, quemadmodum vidimus, fatetur cauſam languoris, & ariditatis ſuæ fuiſſe intermiſſionem conſuetæ orationis, & meditationis, cuius per aliquot dies immemor vixit, & nomine panis ſignificanter expreſſit: *Defecerunt*, inquit, *ſicut fumus dies mei, & oſſa* Pſal.101. *mea ſicut cremium aruerunt, percuſſus ſum, vt fœnum; & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Sicut enim defectus orationis cauſa eſt teporis, & negligentiæ noſtræ, ita etiam orandi ſtudium erit cauſa inflammandi, ac renouandi ſpiritus, omniumque malorum, & anxietatum, quæ tepiditatem comitantur, efficax medicina; in quo ſtudio velim, imitaremur Dauidem, qui in tepiditate & defectu ſpiritus, quem habuit aliquando, ſimiles ſumus. Sumamus eandem medicinam, qui eodem languemus morbo: perſuadeamus nobis, intimoque figamus cordi, amorem orationis, ſine qua vita veri ſpiritus conſiſtere nequit, ad quam comparandam, conſeruandam, reparandam, & promouendam vnicè neceſſaria eſt cœleſtis conuerſatio, vt nec vnus dies ſine otio meditationis nobis elabatur, nec vlla hora, imò nec vllus quadrans horæ ſine memoria Dei, quem furtiuis ab aliis negotiis reſalutemus orationibus crebris, timeamuſque defectum orationis, vel vno dumtaxat die valde periculoſum, quanto magis ſi per aliquam prætermitteretur hebdomadam, aut, quod idem eſt, ſi negligenter, & diſtractè haberetur. Quem non terrebit lapſus feruentiſſimi Regis Dauidis, qui poſt dulcem deuotionem magnum feruorem heroica virtutum opera, ſolùm ob defectum orationis, ſicut ipſe fatetur, non tantùm tepuit ſpiritus remiſſione, ſed obriguit charitatis frigore. Quis ſibi plus fortitudinis promittere poteſt, quàm ille qui in medio aulæ melior fuit, quàm alij in templo Domini. Qui plus charitatis in militia habuit, quàm multi

probatiſſimi Sacerdotes, & perfecti Monachi in clauſtris, qui erat ſecundùm cor Dei, & tamen quia oblitus fuit per aliquot dies comedere quotidianum orationis panem, languens, & aridus miſerè corruit. Defectus enim orandi relaxauit in minimis Dauidis feruorem, contempſit deinde curam modeſtiæ, ex cuius defectu impegit tandem in exitium. Hi gradus perditionis ſunt. *Primus*, orationis negligentia, *ſecundus*, contemptus minimarum rerum, *tertius*, lapſus in magna. Igitur memor Dauid dierum antiquorum, cùm in prophanitate aulæ in tumultu militiæ, ſic conſeruarat ſpiritum feruidum, & attentum Deo, ſicut Samuël in templo, & ſicut poſtea Baptiſta, Paulus, & Antonius in eremo, atque agnoſcens hoc ſtupendum miraculum fuiſ-
Pſal.118. ſe orationis aſſuetæ beneficium: (nam ſepties in die orabat, & media nocte ſurgebat ad confitendum Domino, & meditandum diuina,) idem putauit medicamentum reparandi feruoris, quod pridem fuerat comparandi fomentum, rediitque ad priſtinam orandi conſuetudinem, quam omnino neceſſariam duxit ſeruando, & reſtituendo ſpiritui: idcirco *panem* illam vocauit; nam quemadmodum cibus materialis omnino neceſſarius eſt vitæ corporali: ſic oratio penitus neceſſaria eſt vitæ ſpirituali, ne langueat, & areſcat, vel vt languida recreetur, feruorque innouetur. Quantum ad hoc iuuet, ſignificauit nobis Angelus Eliæ; deferbuerat quondam hic ardentiſſimus diuini honoris zelator; iacebat remiſſus, & deficiens corpore, & ſpiritu, vt ne gradu ſuo ſubſiſtere valeret. Qua diligentia recreauit illum Angelus? Quo fomento inflammauit? non niſi pane ſubcinericio oblato ſpiritualem ſignificante cibum, atque ita confortauit illum, qui pedibus ſuis ſtare non poterat, vt vires locupletiſſimè infunderet, quibus percurreret Propheta longiſſimum iter, ambulans in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus abſque vlla quiete, aut morula. Apertiſſimè hîc monſtratur neceſſitas, & vis ſpiritualis cibi; ſine illo tepuit ardor Eliæ adeò laſſi, & afflicti ſpirituali tædio, vt peteret animæ ſuæ, vt moreretur, cùm illo reflagrauit, & vires ad miraculum reſumpſit. Nonne hîc videmus alimentum animæ efficacius eſſe, quàm cibum corporis, & animam plus indigere nutrimento ſuo, quàm corpus, cùm ad maiorem imbecillitatem veniat de defectu ſui cibi, & cibus ſpiritualis maius impertiatur robur.

Nihilominus credere hoc non poſſumus, aut nolumus; quare experientia noſtri damni & ratione id conabor explanare. Nam idcirco opus eſt, reparare victu quotidiano vitam corporalem, quia illud quod vires nobis corporales ſuppeditat, ad functiones corporis conſumitur. Hoc idem accidit in anima, quoniam illud, quod vires ſpirituales ſubminiſtrat ad functiones ſpiritus, deficit etiam, & velut deteritur; dictamina langueſcunt, ſenſa mentis quaſi conſumuntur, vt non ſe ſentiat æquè robuſta anima ad ea, quæ paulo antea facillimè valuit. Dum enim viuida, & recens eſt cognitio alicuius veritatis fidei, roborat voluntatem, excitat mentem ad egregia opera, quæ tunc vltrò, & facillimo exequimur negotio. Attamen marceſcenti poſtea illa cognitione, marcet quoque voluntas, vt ægerrimè deinceps peragat, quæ paulo antè viriliter, & promptè. Cauſa eſt, quia illa veritas, illaque vis mentis, quæ ad actiones ſpirituales communiebat animam, remittitur, deteriturque. Quare niſi reparetur, imbellis, &, vt ſic dicam, exanimis ipſa anima relinquetur; quapropter debet refici nouis conſiderationibus, quemadmodum corpus nouis cibis, quod fit oratione, partim meditationis ope, partim impetrando à Deo ſupercœleſte lumen, ſecundùm S. Iacobi conſilium:
Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat *Iacob.1.5.*
omnibus affluenter, & dabitur ei. Quin iſta refectionis neceſſitas maior eſt in vita ſpirituali, quàm corporali, tum quia experimur minus valere mente, quàm corpore; tum quia plura contraria habet anima, quàm corpus, quæ vires ſpirituales magis conſumunt. Quis non experitur facilius & fortius poſſe gubernare artus corporis ad naturales vſus, quàm affectus qui ſunt tanquam membra animæ ad ſua munia, quibus ſuapte natura apta nata ſunt. Imò membra corporis vix eſt qui non valeat mouere ad id cuius cauſa conſtituta ſunt, & affectum aliquem vix eſt quis bene vtatur. Signum euidentiſſimum hoc eſt imbecilliorem, infirmioremque eſſe animam ex ſe quàm corpus, & quid mirum cùm vulnus peccati vires ſpirituales omnino fregerit, non corporales. Experimur etiam quotidie hanc infirmitatem: nam in iis ipſis quæ in oratione matutina decernimus intra diem exequi, ante meridiem, imò ante duas horas deficimus; cùm tamen in labore corporali diutiùs permaneremus ieiuni. Vnde hoc niſi, quia anima languidior eſt ad functiones vitæ ſpiritualis, quàm corpus ad corporalis vitæ munia. Quamobrem plus indiget cibo ſuo, vt nouas recreet vires: accedit multitudo contrariorum animæ, quæ multo maiora numero, & efficacia ſunt, quàm contraria corporis; ſiquidem habet anima eadem ipſa contraria quæ habet corpus. Frigus, æſtus, inclemétię aëris, fames, hoſtes corporis ſunt, ſed pariter aduerſantur & animę, quę omnes corporis iniurias patitur. Præter hæc habet ipſum corpus ſibi contrarium & totum mundum, qui opponitur vitæ ſpirituali: tanto igitur magis habebit opus anima refectione, & reparandis ſuis viribus, quanto ipſa ex ſe imbecillior, & pluribus oppugnatur; neque ſuæ refectionis annonam alibi quàm in oratione capiet. Quapropter mirum non eſt, ſi benigniſſimus Deus rem tam neceſſariam nobis, non tantùm commendarit, ſed ſeuerè mandarit, neque ſolùm ſimpliciter orare, ſed orare ſemper, & aſſiduè, quia anima propter inexplicabilem imbecillitatem ſuam neceſſe habet iugiter reparari, & nouo paſſim refici robore. Eccleſiaſticus inquit,
non impediaris orare ſemper. Similiter ſanctus *Eccleſ.18.22*
Paulus: *Sine intermiſſione orate, hæc eſt enim vo-* *1.Theſſ.5.*
luntas Dei. Demum ſapientia æterna filij Dei
monet, *oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* *Luc.18.1.*
Nam ſine oratione occluſa eſt alia via noſtræ ſaluti, & profectui, & perfectioni. Ex alio etiam capite illucebit orationis neceſſitas, quatenus precatio eſt; quapropter diuinum nos præceptum ad orandum benigniſſimè compulit: quoniam perfectionem, vel ſalutem nemo ſine diuina poteſt obtinere ope, etiam poſtquam præuentus ſit miſericordi, & gratuita vocatione, oportet, niſi perire velimus, ad orationis profugere aſylum: nam ſuam Deus ſtatuit non porrigere manum, niſi petentibus. Quid aliud voluit ſignificare, cùm
ait: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenie-* *Matth.7.7.*
tis,

tis, pulſate, & aperietur vobis. Clarè ſanctus Auguſtinns. *Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante, venire: nullum inuitatum ſalutem ſuam, niſi auxiliante Deo, operari: nullum, niſi orantem, auxilium promereri.* Et ſanctus Chryſoſtomus ait: *Qui fiat, vt quis virtutem exerceat, niſi continenter ſupplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur hominibus.* Vult Deus, cùm liberaliſſimus ſit, rogari pro bono noſtro, quia vtiliſſimam nnbis nouit oratiooem, & valde neceſſariam, vt identidem ad eum accedcotes ſua bonitate paſcamur, ipſumque agnoſcamus optimum, pulcherrimum, vnicum gratiæ, ſalutis, omniumque donorum auctorem, atque eidem gratias agentes ampliùs diligamus Ipſum. Igitur cùm tanta ſit orandi neceſſitas, imitemur Dauidem non ſolùm hiſce diebus dedentes nos largiter orationi, ſed deinceps æterno animi ſtatuamus decreto, orationis ſtudium promouere: nonquam intermittere ſi feruorem ſpiritus alere concopimus. Memoreſque cum ipſo Dauide ſimus dierum antiquorum, vt noſtræ nos ſuppudeat ignauiæ. Dies antiqui ſunt dies priſtini feruoris initio ſaltem conuerſionis, & vocationis noſtræ, & erubeſcamus minus gratos nunc Deo eſſe, cùm ma:is debemus. Decernamuſque meliotes nunqnam fuiſſe, quàm deinceps futuri ſumus, memores quoque ſimus diebus tepiditatis noſtræ, quomodo defecerunt ſicut fumus, denigratis & diſſipatis operibus, quæ in iis exegimus, quorum nullus iam reſtat fructus, nec veſtigium boni, non magis quàm ex fumo, quem ingruens diſſipauit turbo. Recordemur etiam dictum antiquorum noſtrorum Patrum, cùm primitiuus ſocietatis feruor exarſit, noſtramque vitam ad eorum normam componamus, æmulemur præcipuè ardentiſſimam eorum famem orandi.

Lib. de orando Deo.

Aliæ conditiones Orationis.

CAPVT LXXI.

NEQVE ſolùm cibus animæ dicitur oratio, quia ſine illa vitam ſpiritualem agere nequimus, ſed propter delectationem quoque, & dulcem ſaporem, quam limpidis, & ſanis mentibus inſtillat. Quemadmodum corporali cibo, quia neceſſariò vitæ corporis connexuit Deus ſaporem, & delectationem, vt ſaltem ineſcari hac illecebra non omitteremus, quod neceſſarium eſt vitæ, compenſaretque aliquo præmio laborem quærendi, atque ſumendi victus, qui labor quotidianus ſine omni guſtu intolerabilis profectò eſſet. Eodem modo cibo ſpirituali orationis annexuit cœleſtem iucunditatem; neque eoim minus prudens, & benignus eſt in rebus maioris momenti. Quapropter quanto excellit interuallo anima corporis, quanto plus indiget nutrimento, tanta maiori imbuit ſuauitate orationem ſanctam. Nonne boc promiſit per
Iſai. 56. 7. Iſaiam. *Hæc dicit Dominus, adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis.* Dauid antea expertus, id fatetur: *Signatum*
Pſal. 4. 6. *eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo. In ipſo corde*, inquit Augu-
In Pſal. 4. ſtinus, *vbi habitat charitas, in illo cubili, vbi orandum eſt.* Quanta ſit hæc delectatio, ipſe Auguſtinus explicat, *Et quis hanc lætitiam diuinorum Sacramentorum cùm ſana doctrinæ luce clareſcunt, non præferebat vniuerſi mundi huius imperij inuſitata fælicitate pacatis.* Quamobrem, licèt neceſſaria penitus non eſſet oratio, quamuis nullum haberet commodum, ſolùm ob delectationem quam habet, appeti mille cordibus debet.

Epiſt. ad Ianuarium 119. c. 16.

Cibus corporalis etiam quando inutilis eſt & noxius, ſumitur ſolùm propter goſtū, & delectationem palati: cur cibus ſpiritualis, qui nunquam lædere poteſt, appetendus non eſt, ob maiorem iucunditatem? Dicet inexpertus, & tepidus ſe hanc non ſentire ſuauitatem, verùm propterea magis cngendus eſt, ne orationem relinquat. Culpa cur cibi dulces acerbi ſint ægrotanti, oon eſt in ipſis cibis, ſed in ægroto. Eodem modo vitium noſtrom eſt, & maxima animi ægritudo, atque imbecillitas, quòd oratione non delectetur, ſed difficilis, & ardua putetur; & quemadmodum ægri, qui abominatione ſtomachi, ciborumque tædio laborant, compelluntur comedere apparentem ſibi amarum cibum, ne penitus deficiant. Sic etiam compelli debemus, ne deſeramus orationem, quamuis ardua nobis videatur; alioqui omnino peribimus, tunc enim magis indigemus orare, cùm magis id faſtidimus. Poſtquam autem vim aliquandiu intulerimus nobis, conualeſcemus, & delitias cœleſtis conuerſationis perſentiemus. Hoc enim, iuxta ſanctum Gregorium diſtare inter delitias corporis, & cordis ſolet, quòd corporales dilitiæ, cùm non habentur, graue in ſe deſiderium accedunt, cùm auidè eduntur, protinus in faſtidium per ſatietatem veniunt. At contrà ſpirituales delitiæ, cùm non habentur, in faſtidio ſunt; cùm verò babentur, in deſiderio. Tantoque à comedente ampliùs eſuriuntur, quanto ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, experientia placet. Augent enim ſpirituales delitiæ deſiderium io mente, dum ſatiant, quia quanto magis earum ſapor percipitur, eò ampliùs cognoſcitur, quod auidiùs ametur, & idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur.

Hom. 36 in Euangel.

Adiungitur neceſſitati, vtilitati, & dulcedini orationis excellentia, & bonor ipſius, oe quid ſit, vnde non ſit appetenda. Quid præſtantius, & honorificentius, quàm non ſolùm adeſſe, & alloqui Deum, ſed idem cum ipſo munus habere, cœleſtes, æternaſque veritates, ipſumque Deum cognoſcere; atque, vt Nazianzenus ait, *veſci lumine ſanctiſſimæ Trinitatis.* Hæc diuinitatis occopatio, hoc Beatorum in cœlo penſum. Quid magis honorificum, quàm idipſum agere in valle lachrymarum, quod Angeli, & Deus ipſe in æterna beatitudine. Atque ne diſcedamus à ſimilitudine corporalis cibi, quid excelſius, quàm epolari cum Deo, conuiuamque diuinum eſſe, iiſdem mentis delitiis ſaginari. Ad cœnam dicimur inuitari à Deo in beatitudine alterius vitæ, quia in iſta præcedit contemplationis prandium, & orationis ientaculum. Hæc eſt menſa potentis, ad quam cùm ſederimus cum Principe, oportet iuxta conſilium Salomonis ſtatuere cultrum mortificationis gutturi noſtro, ne quid terrenum, & mortale ſapiamus, atque attendere diligenter, quæ oppoſita ſunt,

ne vanè diſtrahamur. Vbi eſt ambitio noſtra, ſi hunc honorem non inbiamus, vbi mens, vbi ſenſus. Veriſſimè ſanctus Chryſoſtomus: *Quiſquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduè frui, is mortuus eſt, & vita carens, experſque ſana mentis. Nam hoc ipſum eſt euidentiſſimum amentia argumentum, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi ſtudium, nec hoc habere perſuaſum, quòd anima mors ſit, non proueluí ad Dei genua. Quin inſuper, quòd oporteat quauis morte triſtius exiſtimare, ſi quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo dumtaxat arceri ab orando.* Si tantum honoris putauit Chryſoſtomus orationi eſſe, & verè quidem, ſolùm quatenus eſt humilis ſupplicatio & colloquium cum Deo, quantum habebit, quia comeſſatio & conuiuium cum Deo eſt. Terrenus Rex multos ſupplices audit, plures quotidie admittit ad colloquia. Ad menſæ tamen honorem vix aliquem in vita, quia nullum tanto honore, & priuilegio dignum putat, cùm locutiu inferiores tolerer, menſa tamen æqualium ſit. Quæ igitur maior excellentia & honor, quàm ad idem epulum cum Rege mundi ſedere, cùm grandior putetur mundi honos ad regiam admitti menſam, & tamen nos diuinam contemnimus.

Lib. 1. de orando Deo.

Dan. 6.

Diſpoſitiones ad orationem, vt diligentiam & feruorem excitet.

Capvt LXXII.

IAm ſiquidem cibus neceſſarius, & iucundum animæ epulum oratio ſit. Quid cauſæ eſt, cur multos qui ex inſtituto vitæ vacant quotidie aliquot horas orationi, parum adultos, imò valde debiles, atque infirmos in oratione videamus. Cauſa eſt, quia ſine diſpoſitione, & non conſtanter, ſed diſtractè, atque irreuerenter orant, quod tantumdem penè eſt, ac non orare, imò minus periculoſium poteſt eſſe non orare, quàm oſcitanter, & contemptim orare. Innumeri ſunt, qui ex alterutro ex his defectu ſemper tepeſcunt, & imperfecti manent in Religionibus perfectiſſimis, quia non habent ſtudium orationis, aut ſi habent, diſſolutè, atque diſtractè orant. Erubeſcamus quanta præparatione, auiditate, mora, intenſione animi; (nam toti in hoc ſunt) ad epulum corporis accedant ſæculare, vnde ſæpe mortem, aut morbos graues conciliant. Et nos tam negligenter audemus ſedere ad menſam ſpiritualem coram Deo, & Angelis? Cur magis contemnimus, quod animam ſaluat, quàm id quod corpus ſolet occidere. nam non pauciores ingluuies necanit, quàm bellum. Quare ſicut neceſſitatem orationis ex collatione cum cibo corporali commendauimus, eadem ſimilitudine monebimus præparationem, & circunſtantias eiuſdem orationis, vt ſalutaris ſit, ſcilicet vt verè oratio ſit, non impudentia, & diſſolutio. Neque graue videatur, ſi requiramus pro ſalute, & vita animæ, multo minus, quàm impendimus pro vita corporis, ſiue potiùs pro morte quæ ex inordinato, & nimio cibo accidit ſæpiſſimè. Tanta cura cibus corporalis præparatur, vt ferè tota vitæ occupatio hæc ſit, agricultura, paſtoritia, piſcatoria, atque innumera commercia, & munia publica, quid ſunt niſi præparatio victus, tum commeatus anni comparatur ſingulis familiis in ſtatis menſibus. Præterea ſingulis diebus cogitant, quid comedendum ſit, totum manè conſumitur, concoquendo cibos, deinde ſternuntur menſæ, mox lauantur lances; anne tantam operam meruit vita corporis, & non vita animæ minorem? anne tantam præparationem meruit cibus corruptibilis, & eſcam ſpiritualem per vnum horæ quadrantem præparare negligimus? Dauid ſatis iudicauit neceſſariam præparationem orationis, cùm *panis* nomine ſignificauerit. Cur non dixit illam fructum, aut aliud genus edulij, quod ſine multo labore, & diligentia poſſet comedi; ſed eum cibum, qui maiori præparatione & labore conſtat, vt in panis conficiendi præparatione totus penè mundus, & totus annus, & vita occupetur, iam arando terram, iam ſeminando frumentum, iam expurgando ſata, iam metendo, iam triturando, iam cribrando, iam moliendo, iam bis & ter ſuccernendo, iam ſubigendo, & fermentando, & tandem coquendo, ſi res bene expendamus, nullum inuenienus cibum, quem plures præparationes, quàm panem præcedunt: idcirco *oratio* meritò ſignificatur *panis* nomine, qui plus omnibus aliis cibis præparatur, ne putemus ipſam præparatione non egere.

Deinde ad ſumendum cibum corporalem manus abluuntur, cur minor puritas requiretur ſpirituali eſcæ, cùm ſit maxima orandi diſpoſitio puritatem vitæ ſeruare; idcirco dixit Saluator, *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; nam puris conſcientiis communicatur Deus, & ſicut lumen non penetrat quæcumque corpora quamliber pretioſa ſint, niſi munda, & diaphana: ita ſimiliter plus iuuat orationis donum puritas, quàm ſanctitas. nam hæc duo puritas & ſanctitas non omnino eadem ſunt. Puer recèns baptizatus, purior eſt, quàm multi Religioſi magnæ ſanctitatis, qui pluribus auſteritatibus, & meritis, multo maiorem ſunt promeriti gratiam, in qua præcipuè eſt ſanctitas, cum qua tamen compatiuntur imperfectiones & peccata venialia. Hæc dico impedire orationis donum; quo autem anima magis purificatus eſt culpis, & pœnis adhuc peccatorum venialium, quo pacatiores affectus habet, quo magis in ſe collecta abſque terrenarum rerum occupationibus, & cogitatibus, eo aptior eſt contemplationi diuinorum, hoc eſt, quod V. Beda dixit, *Multum iuuat orationis puritatem, ſi in omni loco, vel tempore, nos ab actibus temperemus illicitis, ſi ſemper ab otioſis ſermonibus auditum pariter caſtigemus, & linguam.* Quæcumque enim ſæpiùs agere, & loqui, vel audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpiùs animum quaſi ſolitam propriamque recurrant ad ſedem, & ſicut ſues volutabra, ſiue paluſtria, columbæ limpida ſolent frequentare fluenta: ita cogitationes puram mentem immundæ perturbant, caſtam ſpirituales ſanctificant. Hæc puritas non ſolùm neceſſaria eſt, vt diſponatur anima ad diuinos in contemplatione ſuſcipiendos radios, ſed ad cœleſte in precatione auxilium impetrandum. Quapropter oportet ſpirituali viro, & orationis ſtudioſo minimarum culparum ſtri-

De templo Salomonis.

ctam

ctam tationem babere, eas interdiu quoad poſſit vitando, & de commiſſis ante orationem pœnirendo, vt cum nuptiali veſte ad cœnam ſpiritualem accedat. Illarum præcipuè culparum, propter quas in oratione diſtrabimur, cura adhibenda eſt. Hæ ſunt faciles, perturbatio paſſionum, negligentia, otium, ſcurrilitas, inutiles denique occupationes.

Poſt manuum ablutionem materiales pranſuri eſcas accumbunt, aut ſedent, reiicientes interim alia negotia, & nonnulli tam auidè ferculis ſe dedunt, vt toti in hoc ſint anima ſimul & corpore cibos deuorantes, omnes potentias, etiam ſpirituales in ciborum delectationem immergentes, nihil aliud cogitant, nihil aliud attendunt. Sic etiam cibum ſpiritualem ſedendo, & ex otio ſumere debemus quibuſcumque aliis negotiis & cogitationibus ſuperſedentes interim, toti cœleſtibus dediti rebus, toti orantes. Quemadmodum homines voraces cum ipſa anima videntur deuorare corporalem cibum, deprimentes mentem ad materiam: ita etiam ſpirituali cibo tradi nos totos oportet, vt toti in hoc ſimus quaſi ipſo pariter orantes corpore, eleuantes grauem carnis ſarcinam in cœlum. Ad hoc oponet liberum perturbationibus ſeruare cor, & oblitam ſui voluntatem. Hoc eſt, quod deprimit animam, quod per caduca diſpergit, quod diſtrabit mentem, cùm voluntas ſe reſpicit, cùm hæret ſibi; qui verò abnegatus eſt, & verè obediens, qui neſcit proprium velle, hic parum bærens terreſtribus, & corruptibilibus rebus, cùm nec ſibi adhæreat, expeditius ſe tradit in oratione diuinis, & iucundiùs cœleſtia guſtat fercula. Quot ſunt qui propter victum corporalem alieno ſe mancipant obſequio, alienam in omoibus voluntatem ſequuntur, ſuam neſciunt. Cur propter ſpirituale nutrimentum, Dei, & ſuperiorum voluntati non ſtabimus, noſtræ penitus obliuiti.

Requiritur quoque exercitatio materiali eſui, vt ſalutaris ſit, ne noceat, quod ad vitæ adiumentum aſſumitur. Idcirco, qui curam valetudinis habent, ſolent ante prandium aliquo corporis exercitio capiendis præparari cibis, atque obſonari famem. Alij poſt cœnam per horam deambulant, vtcumque tamen neceſſaria ſunt iis, qui largiter comedunt aliqua corporis exercitamenta: nam cibus ea cauſa ſumitur, vt vires corporis reparet ad functiones corporales; quare ſi nulla functio peragatur, nec vllo modo exerceatur, in magnum valetudinis virium vitæque detrimentum tecidit per otium; & quamuis multum comedat, qui otioſus torpet, non valde illi augentur vires, ad quarum incrementum, & validum robur exercitatio eſt neceſſaria. Itaque ad vires corporis conſeruandas duo hæc requiruntur, cibus commodus, & exercitium earumdem virium. Idem mihi accidere videtur in vita, & cibo ſpirituali, cui coniungenda eſt exercitatio mortificationis, quæ magoopere iuuat ad bene orandum, & bona oratio iuuat mortificationem. Quid iuuat ſanctos mores orationi incumbere longas horas, ſi nihil exercemus eorum, quæ in meditatione decreuimus ad gloriam Dei exequi, nec vincimus nos viriliter. Relinquere ante meridiem propoſita orationis matutinæ, quomodo ſalutare erit animæ? nō videtur mihi aliud eſſe in oratione proponere, & ſtatim propoſita reſcindere, quàm euomere ſpiritualem cibum, quem ſumpſimus. Et ſicut ille qui cibos vomet, nequit magnum robur habere, quantumuis ſe inferciat nutrimento: ſic ille qui mortificationis curam non habet, nec ſancta propoſita ſeruat, nec exequitur, exiguas, aut nullas ferioris vires ex oratione reſumet. Præterea ſicut exercitium ante cibum iuuat valetudinem, conſumit prauos humores, & famem excitat, vt iucundiùs ſapiant eſcæ: ſic mortificatio diſponit ad orationem, quam magnopere iuuat; nec vlli plus guſtant cœleſtes delitias, quàm mortificati, qui terreſtres proculcant. Hâc curam ſociandæ mortificationis cum oratione ſatis ſignificauit Dominus per coruos demittens eſcas ad Prophetam Eliam, quod ſimiliter cum aliis viris ſanctis actum eſt, vt myſticè admoneret nos, eum, qui cibo orationis paſcitur, debere vincere naturam ſuam, non aliter ac coruus Eliæ, qui cùm natura vorax ſit & crudelis, vt filios non paſcat, ſupra naturam tamen propriam abſtinens, & miſericors cibum elargiebatur viro Dei; ideo non columba, non alia mitior eligitur auis, ſed coruus, eo aptior ad monendum Prophetam victoriam ſui, quo alienior ab eo munere. Hoc notaſſe Prophetam voluit Dominus, dicens illi; *coruis precepi, vt paſcant te.* Addit Baſilius Seleucenſis: *Ne innatum his in pullos odium imitere: quin potiùs imitare eorum in te curam. Hi commedato tibi obſequio naturam vicerunt.* Orat. 11.

Habetur quoque temporis ratio ad ſumendum ſtatis horis cibum, neque vlla occurret occupatio adeò inſtās, & vrgens, quæ omnino prandere excuſet: deinde præter ſolitas maioris prandij horas, ientacula ſumunt imbecilles. Oportet ſimiliter ſtata orandi tempora conſtanter ſeruare; neque vllus prætextus probetur relinquendi vel vno die orationem; ſiquidem nullæ accident occupationes, tam neceſſariæ, propter quas relinquamus corporalem vnius diei menſam. Hîc certè maxima fallacia Dæmonis eſt. Putamus interdum nos fortes, vt poſſimus aliquando ſine orationis adiumento tranſire: interdum aliqui contenti ſunt ſanctarum exhortationum auditione. Hoc ſatis non eſt, niſi per orationem in ſe conuertant nutrimentum ſpirituale, quod non aliter fit, quàm oratione: diuersè enim creſcunt viuentia, atque inanimatæ res, metalla, & lapides; illa per intus ſumptionem, hæc per iuxtapoſitionem. Sermones, atque exhortationes ſanctæ extrinſecus nobis adueniunt, atque ſi his ſolùm contenti ſumus, duri, & ſicci, lapidum inſtar manebimus. Neque magno liquefiet feruore noſter ſpiritus; quapropter oportet vitaliter nutrire per internam conſiderationem, & meditationem cœleſtium veritatum omnia in nos conuertendo, & animæ conſubſtantiando. Hæc eſt cauſa, cur eadem veritas, quæ audita ſæpiſſimè non commouit nos, ſemel meditata nos peruincat. Sicut enim odor, & nidor cibi corporalis non roborat ſicut eſus ipſe: ita etiam veritates nullo pacto intellectæ, ſic nutriunt animam, ſicut meditatione ruminatæ. Quamobrem inexcuſabile eſt quotidianum orandi ſtudium. Quæ autem de Manna legimus, idem explicat: quotidie colligi neceſſe erat, quod in ſequenti die inutile erat. Breuibus præterea orationibus aſſueſcendi ſumus, vt quaſi obiter, & in tranſitu iaculatoriis aſpirationibus guſtemus diuina, quibus magnopere illuminatur, recreaturque ſpiritus. Quemadmodum Ionathæ inuen-

tum in curſu mel deguſtanti illuminati ſunt oculi,& confortatus eſt. Imò omnia reliqua exercitia religioſæ vitæ cum his orationibus condienda ſunt cum memoria, & præſentia Dei; idcirco commodè appellatur *panis* à Dauide *oratio*, quia ſicut panis omnibus aliis eduliis adiungitur: hic oratio adiungenda eſt omnibus piis officiis, nimirum lectioni ſpirituali, & aliis operibus quę ſimul cum eadem oratione nutrimenta animæ ſunt.

Epiſt. de 3. ſt.ss. voti. *Ecce fratres charißimi* (cum Humberti verbis obſigno hunc ſermonem) *qualiter in multis vos instruxi, qui ipſe indigeo erudiri. In loco namque peregrinationis noſtræ quandiu prauum eſt cor hominis, proeliuum ad vitia, languidum ad virtutes, mutuæ exhortationibus indigemus. Hinc eſt, quòd omni virtute vos precor, & moneo conſcientias per eum, qui ſuo venerendo ſanguine nos redemit, & vitæ nobis portam pia ſua morte reſerauit: vt veſtræ profeßionis, veſtrique propoſiti non immemores ſemitarum memineritis antiquarum: per quas antecesſores veſtri currere feſtinarunt in ſpiritu vehementi, & iam regnant cum Chriſto, beata requie perpetuo conſolati. Ad quam cum & nos diuina ſuffragante gratia peruenerimus, erit animabus noſtris cognitio primæ veritatis, dilectio ſummæ bonitatis, ac diuina fruitio maieſtatis. Erit & corporibus claritatis pulchritudo, agilitatis promptitudo, ſubtilitatis aptitudo, & impaßibilitatis inuictiſſima fortitudo. Ibi erit affluentia diuitiarum, & fluentia omnium bonorum. Ibi gaudebimus ſupra nos de diuina intuitione, infra nos de loci amœnitate, intra nos de corporis, & animæ glorificatione, iuxta nos de Angelorum, & hominum in vnum aſſociatione. Quid plura? Ibi euaſio periculorum, diſtinctio manſionum, & concordia voluntatum. Ibi amœnitas vernalis, candor lucis æſtiualis, vbertas autumnalis, ac requies hyemalis. Illic, inquam, vita ſine morte, certum ſine ſorte, dies ſine nocte, libertas ſine timore, gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, regalis dominatio ſine fine. Hæc nobis preparare dignetur, qui eſt principium ſine principio, & finis omnium ſine fine.*

IOAN

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

Doctrinæ Aſceticæ.

LIBER QVARTVS.

DOCTRINA I.

DE VIRTVTIBVS ſolidis.

Eximia opera Deo offerenda ſunt: vbi de virtutum diſtinctione agitur.

CAPVT I.

Pſal.65. HOLOCAVSTA *medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis.* Nunc conſequens videamus, qualia opera debeant eſſe, in quibus tanta ſit diligentia adhibenda; quoniam nemo eſt, ſi potentiſſimi alicuius Principis venari voluntatem ſtudeat, & id muneribus oblatis ſperet obtinere, qui non eligat potiora, quæque magis grata illi credat futura, alioqui aut ruſticitatis, aut impudentiæ damnabitur ab omnibus; non igitur ius eſt inurbaniores, aut impudentiores erga Deum nos exhibere, cuius captare beneuolentiam tanti refert. Neque enim ſat eſt, offerre ſacrificia, niſi ea opima præparentur; non holocauſta quælibet, ſed pinguia, & electa. Cain obtulit quidem ſacrificium, ſed quia non ex adipe frumenti, aut olei, non ex immaculatis agnis, non eſt melioribus reiectus fuit, & cœleſti prodigio intellexit eximiam hoſtiam Abelis fratris acceptam fuiſſe, & prælatam oblationi ſuæ. Iratus quoque Dominus offerentibus ſacrificia, quia non eximia, & electa, ſic per Malachiam queritur: Malach.1. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum, nonne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam.* quaſi diceret; hoc na vile munus audebis offerre Principi, & duci tuo? Cur Deo offers? poſtea terribiliùs ſubdit. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino, quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.* Nam quòd terrenus Rex non pateretur, ſed indignum maieſtate ſua iudicaret; cur volumus, patiatur Rex ille omnium Regum Rex, & dominantium Dominus, atque Angelorum Imperator? Quare ſanctus Dauid, qui diuina quadam prudentia & vrbanitate præditus fuit, quoniam Rex erat, iuſtiſſimum cenſuit eodem modo ſibi agendum cum cœleſti Rege, ac volebat ſecum agere regni ſui ſubditos. Et cùm ſibi offerre deteriora, aut obuia quæque non vellet, ſed præſtantiſſima, & electa, id ipſum iudicauit ſibi cum Deo faciendum. Quare cùm ſemel concepiſſet vota mactandi hoſtias Domino, non qualiacumque ſacrificia decreuit reddere, ſed omnium præſtantiſſima, nimirum holocauſta. Neque hæc vtcumque, ſed pinguia, eximia, ſelecta; *Holocauſta*, inquit, *medullata offeram tibi.* Sanctiſſimi huius Regis exemplum ſumamus vt ſacrificia quoque noſtra, nimirum actiones virtutum, quas Deo offerimus, holocauſta fiant, & eximia, & medullata; tales virtutes exerceamus, vt per eas totos nos Deo offeramus, reſoluentes nos in nihilum, nihil noſtri retinentes, nihil propriæ voluntatis reſeruantes, quin per charitatis ignem conſumamus. Ipſæ tunc virtutes non erunt inanes, & fictæ, ſed medullatæ, & ſolidæ, ſicut à nobis requirit ſanctiſſimus Patens noſter Ignatius, etenim in regula ſummarij vigeſima ſecunda exhortatur nos ad veras, ſolidaſque virtutes inſiſtere, & alia regula præſcribit, omnes qui ſe Societati addixerunt, in virtutum ſolidarum, ac perfectarum, & ſpiritualium rerum ſtudium incumbant. Reg.16. ſum.

Sciendum itaque eſt, virtutes alias eſſe veras, alias falſas. Et rurſus, virtutes veras alias eſſe non ſolidas, & imperfectas; alias verò ſolidas & perfectas: nobis autem non ſufficere veris virtutibus inſiſtere; ſed properandum eſt, vt ad perfectas, & ſolidas promoueamur. Infans verus homo eſt, non pictus, nondum tamen perfectus eſt homo, oportet creſcere, vt perfectus & ſolidos ſit. Agnus quoque verum animal eſt, non ſimulachrum animalis, eiuſdem quidem naturæ cum ariete, nondum tamen perfectus aries. Ita etiam ſunt aliquæ virtutes pictæ, & apparentes. Deinde ſunt aliæ virtutes veræ, nondum tamen perfectæ, ſed pueriles & teneræ. Sunt denique aliæ virtutes perfectæ, ſolidæ, & adultæ: nos autem contenti eſſe non debemus ſi inanes & fictas

exclu

excludamus; oportet, vt poſtquam noſtræ virtutes veræ ſint, ſint inſuper conſummatæ, & cum debito incremẽto, & perfectione, quod ſignificauit Dauid, dum dixit, *holocauſta medullata*. nam iuxta Hebræum aliqui legunt, *holocauſta agnorum*, quo oomine notatur veritas, & ſinceritas, & innocentia neceſſaria virtuti, vt vera ſit, non inanis, & ficta. Sed non contentus Dauid veritate, & ſimplicitate; addidit, *cum incenſo arietum*; in quo perfectas, adultas, ſolidaſque virtutes ſignificauit: nomine enim arietis perfectum iam animal denotatur. Itaque oon ſolùm ſubſtantiam virtutum, ſed perfectionem, & virilem ſoliditatem ac robur deſiderauit in nobis noſter Parens S. Ignatius; & quidem iis qui ad perfectionem contendunt, puerilitas & imoerfectio omnis relinquenda eſt. Hoc nobis ſignificat quod
3.Reg.19. in libris Regum dicitur. *Venit Elias in Berſabee, & dimiſit ibi puerum ſuum.* In quem locum Odo de Morim ſcribit. *Berſabee vertitur in puteum abundantia, & hic puteus eſt plenitudo legis, id eſt, dilectio. Ipſa virtutum omnium radix & perfectionis vinculum. Ipſa fons proprius, cui non communicat alienus: ipſa eſt qua redditur, & ſemper debetur: hauritur, nec exinanitur; effunditur, & creſcit, diuiditur & augeſcit, datur & tenetur, dimittitur & habetur. Huc veniendum eſt, quia æmulanda eſt charitas, & ſectanda, ſed puer dimittendus; quia à dilectione procul puerilitas eſt arcenda. Dimiſſo verò puero ſecurè iam pergitur in ſolitudinem. Puer enim ſqualorem eremi, laborem itineris tolerare nequiret: ardorem ſitis, famis inopiam ferre recuſaret. Quanti cum puero pergunt in ſolitudinem, & eius impedimento deficientes in via, non perueniunt ad montem Dei Oreb. Solitudo, ſiue deſertum, Religionis profeſſio eſt, & diſciplina de cælo cæleſtis. Deſertum, quia deſerit noxia, abdicat inhoneſta. Solitudo, quia vnitatem diligit, ſolùm quod bonum eſt, exequitur.*

Quæ ſint virtutes apparentes.

Capvt II.

Verùm vt diſtinctiùs procedamus, operæpretium erit præmittere quæ ſint virtutes apparentes, quæ autem reapſe virtutes ſint veræ. Et quidem hoc ſcire magnopere oportebit, ne dum merita aliqua nos lucratos putemus, non niſi vera vitia commiſiſſe reperiamur, & magna quidem ignorantia in diſcernendis vitiis à virtutibus ij, qui ſpirituales ſunt, laborare ſolent, vt ſanctus Laurentius Iuſtinia-
De caſto con- nubio c. 17. nus dicat: *Nullus autem inuenitur, qui hac careat ignorantia. Hinc eſt quod Propheta ait, Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. O quam ſæpe virtus putatur vitium, & vitium virtus. Nam ira, zelus; præſumptio, authoritas; libidinoſa voluptas, fraternus amor; gula diſcretio; remiſſio humilitas; acidia compunctio; rancor iuſtitia; auaritia prudentia; inſenſibilitas fortitudo; rectitudo crudelitas, malitia ſapientia; manſuetudo timiditas; audacia libertas; liberalitas prodigalitas; inepta lætitia iucunditas; vanitas charitas; puſillanimitas mitis nuncupatur. Sunt millia huiuſmodi quorum humanum genus plenum eſt ignorantia. Non autem hoc magnum* *eſſet, ſi in ſolis talis ignorantia dominaretur peccatoribus. Nam peccatis obuoluti, & iniquitatibus referti, nequaquam valent interna gratia ſplendorem aſpicere. Tenebroſi quidem effecti, imò tenebræ verbi lucem recipere non merentur, hoc teſtante Ioanne, qui ait: Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Verùm etiam ipſi iuſti, qui per adoptionis gratiam filij Dei nuncupantur, & ſunt hac multifariam inuoluti ignorantia, non damnabili, & pernicioſa, ſed tolerabili ac laborioſa.* Hoc multis exemplis confirmatum videmus, ſufficeret vous Abſalon, quem omnes laudabant charitatis, humanitatis, & zeli iuſtitiæ erga Iſraëlitas, cùm adirent ad tribunal Patris ſui Dauid; at non virtutes illæ erant, ſed vitia; non zelus iuſtitiæ, ſed tyrannis; oon charitas, ſed ambitio; non humanitas, ſed impietas erga optimum patrem, cuius inhiabat Regnum. Verùm quantumuis cæteri virtutes putabant actiones Abſalonis; ipſe tamen noſcebat intentionem ſuam, ſuaque ipſa conſcientia ſibi dictabat illas noo eſſe virtutes, ſed vitia ſimulata. Sunt autem aliæ actiones, quæ contrarium prorſus habent, quas ipſe, qui eas operatur, virtutes exiſtimat; aliis verò hominibus peccata videntur, quemadmodum fuit ſacrificium Saulis, quòd ipſe Saul Religionis virtutem iudicabat: Samuël autem, & qui bene ſentiebant, non niſi ſuperſtitionem, ad minus inobedientiam. Aliæ porrò actiones deteriores ſunt, quæ ſcilicet operanti virtutes videntur, & id ipſum aliis hominibus, vtplurimum apparere tamen ipſa, & coram Deo vitia ſunt. huius generis, eſt clementia & benignitas Regis Achab, dum victo Regi Syriæ Bennadab vitam dimiſit, & benignè proſtratum, & humilem poſcentemque veniam accepit. Ipſe Achab videbatur ſibi magnanimiter, & planè regiè feciſſe, cæteri id ipſum iudicarent, niſi diuino oraculo, & ſupplicio conſtaret in ea clementia iniuſtum fuiſſe.

Bona intentio neceſſaria veris virtutibus.

Capvt III.

Nvnc videamus vnde hoc accidit, nimirum quaſdam virtutes eſſe fictas, alias veras? Ex duplici capite hoc contigit, aut ex defectu intentionis, aut ex defectu diſcretionis. Prius de intentione dicamus, quæ ſi bona non ſit, nihil medullatum, oihil gratum Deo poſſumus offerre: nec noſtra munera ſuſcipiet Dominus, qui per Malachiam Prophetam dicit, *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* De intentione io virtutum actibus S. Auguſtinus ait. *Noueris non* Lib. 4. cont. Iulian.
officijs, ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes; officium eſt autem quod faciendum eſt, finis verò propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare cùm vincitur. Et poſtea. *Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quidquid facerent, propter illam, vel adipiſcendam facerent, vel tenendam. Abſit autem, vt virtutes*

tutes

tutes vera cuiquam ſeruiant, niſi illi, vel propter illum, qui dicimus: Deus virtutum conuerte nos; proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel commodis, & emolumentis corporalibus ſeruiunt, vera prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſeruire volunt, nec ipſa vera ſunt. Vera quippe virtutes Deo ſeruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Bona intentio eſt, quæ coronat virtutes, quæ gratas Deo facit, quæ accepta ſacrificia. Sine illa mutilatæ & truncæ, & mortuæ ſunt, non aliter, atque animal ſine capite: finis enim caput eſt, & principium omnium actionum. Quare bona virtutis actio ſine bono fine noſtrum eſt, & trunca virtus. Quapropter non eſt opportuna hoſtia illi Domino, qui nihil monſtroſum, nihil maculatum, nihil mutilum offerri ſibi permiſit. Et quidem ij, qui virtutum actus operantur, non propter Deum, non quidem Deo offerunt ſacrificium, ſed Baal, & idolo ſuæ cupiditatis. Optimè enim Stephanus Cantuarienſis ad illud libri tertij Regum;
3.Reg.16. *dentur nobis duo boues*, dixit. *Deus habet ſuam victimam, Diabolus ſuam, qui enim macerant ſe, & labores ſuſtinent, vt ſuperiores efficiantur in hoc mundo, ſunt bos interfectus à Prophetis Baal, qui ſuperior interpretatur; qui verò pro Deo ſe mortificant, ſunt bos mactatus ab Helia. Igitur ſi medullata holocauſta offerre volumus cum bona intentione, & charitate, quæ medulla virtutum eſt, omnia faciamus.*

Diſcretio neceſſaria veris virtutibus.

CAPVT IV.

DEINDE diſcretionis defectus eſt altera cauſa, quæ virtutes falſas reddit. Ideo
Lib.1. Mor. cap 14. S.Gregorius dicit: *Niſi virtutes reliqua ſapientia epulis repleta, ea quæ appetunt prudenter agant, virtutes eſſe nequaquam poſſunt.* Et
Lib.18. c.6. iterum. *Plerumque enim virtus, cùm indiſcretè tenetur, amittitur, cumque diſcretè, intermittitur, plus tenetur.* Copioſè S. Laurentius Iuſtinianus loquitur de diſcreta prudentia. Hæc virtus ma-
De ligno vitæ cap.3. giſterium habet cæterarum virtutum. Nam diſcretio, & prudentia omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem, & perpetuitatem confert. Non ſolùm virtus eſt, ſed virtutum moderatrix, ordinatrix affectuum, & doctrix morum, quæ fixo gradu poſſeſſorem ſuum perducit ad Dominum. nulla enim virtus perfici poteſt ſine diſcretione. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ. Sine hac virtute quaſi de lumine ad tenebras currimus. Sicut qui importunè radios Solis aſpicit, tenebreſcit, & inde nihil videre compellitur, vnde ampliùs cernere conatur; ſic dum nos metipſos plus iuſto diſcutimus, de iſto diſcretionis ſtudio indiſcretiùs erramus, quia plerumque virtus, quum indiſcretè tenetur, amittitur, & quo plus ſe noſſe contendit, eo ſine prudentiæ moderamine deterius in præceps ruit. Bona Domini nobis multiplicat commiſſa. Theſaurus quippe deſiderabilis in tabernaculo prudentis, ſed imprudens homo diſſipabit. Nam quemadmodum prudens virtutibus modum imponit, ne fiant vitia; ita è contrario imprudenti ſi adſit timor, tranſit in deſperationem, ſi dolor in amaritudinem, ſi amor in adulationem, ſi ſpes in præſumptionem, ſi lætitia in diſſolutionem, ſi zelus in furorem. Hæc virtus lucerna eſt in viam paradiſi dirigens. Quare à S. Antonio, & aliis Patribus prælata diſcretio fuit omnibus virtutibus, & apud Caſſianum vocatur fons & radix cunctarum virtutum, oculus & lucerna corporis, vt in Euangelio habetur, & Sol;
quemadmodum S. Paulus dixit, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Vitæ gubernatio Ephes.4.
& conſilium, quibus manifeſtiſſimè declaratur, inquit Caſſianus, nullam ſine diſcretionis gratia perfectè poſſe vel perfici, vel ſtare virtutem; & ita tam Beati Antonij, quàm vniuerſorum ſententia definitum eſt diſcretionem eſſe, quæ fixo gradu intrepidum Monachum perducat ad Deum, prædictaſque virtutes iugiter conſeruet illæſas. Cùm qua ad conſummationis excelſa faſtigia minore poſſit fatigatione conſcendi, & ſine qua multi etiam propenſiùs laborantes perfectiones nequiuerunt culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, cuſtos, moderatrixque diſcretio eſt. Hanc diſcretionis lineam tenere valde difficile eſt, & niſi de cœlo doceamur, & optima vita id mereamur, difficilè obſeruabitur. Quamobrem media, quæ ſanctus Gregorius tradidit ad diſcernendas veras à falſis virtutibus, oratio eſt, & mortificatio. *Semel*, ait, *virtutum ſenſus, hoc eſt, pon-* Lib.5. Mor.
dera, & quantiquaque ſit virtutis actio ac qualis, melius preces, quàm diſcuſſiones inueniunt. Nam ea quæ præſcrutari in nobis metipſis nitimur, ſæpe veriùs orando, quàm inueſtigando penetramus: cùm enim mens per quamdam compunctionis machinam ad alta ſuſtollitur. Omne quod ei de ſe ipſa occurritur, ſub ſe ipſa dijudicando certius contemplatur. Et poſtea. *Sed hac*, inquit, *agere nequeunt, niſi hi qui priuſquam cogitationes ad opus prodeant internos, ſuos motus ſollicitè circumſpicientes frenant. Hæc cauere neſciunt, niſi hi qui virili cuſtodia munire mentem nouerunt.* Itaque oratio & mortificatio Doctores nobis erunt verarum virtutum; per orationem enim impetrabimus cœleſtem lucem vt medium, quod perficit virtutes, inueniamus, ad quod valde etiam mortificatio proficiet; nam cùm noſter error plerumque ſit amoris proprij effectus, qui ſuo ſe exuit amore, aptior fit veritati liberiùs perſpiciendæ. Maximè quoque iuuabit non proprio confidere iudicio, vbi ſpirituales, & verè ſancti viri, niſi ſuperiorum aditus pateat, conſuli poſſunt: nam, vt inquit ſanctus Laurentius Iuſtinianus,
Magna etenim eſt, & infinita prudentia, quam De ligno vitæ cap.3
nemo ſic aſſequitur, vt eam non neceſſario per Col.2.c.10.
alios quærere videatur. Et Caſſianus ait. *Nullatenus enim decipi poterit quiſque ſi non ſuo iudicio, ſed maiorum viuat exemplo, nec valebit ignorationi eius callidus hoſtis illudere qui vniuerſas cogitationes in corde naſcentes pernicioſa verecundia neſcit obtegere, ſed eas maturo examine ſeniorum vel reprobat, vel admittit.* Hinc eſt celebre dictum Abbatis Moyſis, *vera diſcretio non niſi vera humilitate conquiritur.*

Cùm igitur diu quis in arcta mortificationis

ſemita proceſſerit, lumen cœleſte, vt ſancti Reges Magi, ſui itineris ducem habens, ſuperiorum, ſpiritualiumque virorum præſcripta obſeruauerit, diſcernere iam valens inter bonum & malum attentiſſimus ſit, & inſtans ſemper, vt medium teneat virtutis perpetua putatione ſubnaſcentium, & introducentium ſe vitiorum. Quemadmodum ſanctus Bernardus nos admonet, his verbis. *Medium vitiorum virtus tenet, ac* Serm. 58. in Cant. *proinde ſedula eget non ſolùm putatione, ſed circumciſione. Alioqui verendum eſt ne circumquaque à lambentibus, vel potiùs à rodentibus vitijs illa, dum neſcis, paulatim elangueat, aut ſi ſuperuenerint ſuffocetur. Vnum in tanto diſcrimine conſilium eſt, obſeruare diligenter, & mox vt renaſcentium capita apparebunt, prompta ſeueritate ſuccidere. Non poteſt virtus cum vitijs pariter creſcere. Ergo vt illa vigeat, iſta creſcere non ſinantur. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt: vtilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas, vt virtus roboretur. Nobis fratres putationis ſemper eſt tempus, ſicut ſemper eſt opus.*

Verùm quia non ſolùm culpa voluntaris, ſed actu Dæmonum per multiplicitatem cogitationum à medio, vel ſimplicitate virtutum deuiare ſolemus, hîc quoque debet diſcretionis manus opportunam ferre opem, quod in ſacrificio Abrahæ ſatis ſignificatur, cùm deſcendebant volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham. *Importunæ* ſcilicet *cogitationes*, inquit Hugo de Foilleto, *quæ in ipſo noſtræ orationis ſacrificio quando-* Geneſ. 15. *que ſe ingerunt, & quod in nobis Deo immolamus, hoc rapere, vel commaculare volunt, ſed Abraham abigente defugiunt volucres, quia manus ſanctæ diſcretionis intus fugat immundos ſpiritus, & peruerſas cogitationes: non ſolùm autem volucres, ſed & muſcæ de Ægypto venientes ſacrificantes in deſerto ſequuntur. Tres ſunt muſcæ Ægypti, id eſt, vanitas, curioſitas, & voluptas. Muſca vanitatis inquietat, & maculat ſacrificium humilitatis cordis. Muſca curioſitatis ſacrificium orationis. Muſca voluptatis ſacrificium mortificatæ carnis.*

Quæ ſint ſolidæ virtutes?

CAPVT IV.

VERVM non ſatis eſt virtutes legitimas & veras conſequi, oportet quoque, vt ſolidæ, & perfectæ ſint, viriles & robuſtæ, conſtanteſque in bono. Etenim multi ſunt præditi veris virtutibus rectam intentionem habentes, & prudentem in vſu earum diſcretionem, nihilominus in bono firmi non ſunt, aut deficiunt prorſus, vbi difficile aliquid occurrit, aut ordinaria, & facilia ſolùm exequuti opera ea, quæ maioris ſunt momenti, dum arduum aliquid vident, non audent aggredi, nimirum quia earum virtus, licèt germana & vera ſit, paruula eſt, & exiguarum virium, & vſque dum adoleſcat, & perficiatur, non habet conſtantiæ robur, & ſolidam ſuam perfectionem, ad quam debet peruenire; habent ſiquidem virtutes ſuos gradus & incrementa, non aliter quàm infans vſque ad ætatem virilem perficiendus, & plantæ vſque ad maturitatem fructuum increſcentes. Vnde ſanctus Gregorius ait: *Cùm deſideria bona concipi-* Hom. 15 in Ezech. *mus, herba ſumus: cumque in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iam plenum frumentum in ſpica proferimus. Herba enim Petrus fuerat, qui paſſionis tempore per amorem Dominum ſequens, hunc confiteri ante ancillæ vocem timebat. Erat enim iam viriditas in mente, quia credebat omnium redemptorem, ſed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Iam in ſpicam ſurrexerat, quando eum quem moriturum confiteri timuerat, nunciante Angelo in Galilæa viuentem videbat. Sed ad plenum granum in ſpica peruenerat, quando veniente deſuper ſpiritu & ſuam mentem in illius amore roborante, ita ſolidatus eſt, vt vires perſequentium caſus deſpiceret, & redemptorem ſuum liberè inter flagella prædicaret.* Ad hoc autem robur, & ſolidam perfectionem non venit, niſi qui omnibus virtutibus eſt præditus; tunc enim ſolidas virtutes & perfectas, & robuſtas habebimus, cùm non vnam, vel alteram ſolùm, non aliquas dumtaxat, ſed omnes poſſidemus. tunc quippe virtutes conſtantes ſunt & ſolidæ, & viriles. Ratio eſt, quia cùm occurrit alicuius exercitium virtutis, cuius materia impedita, aut ardua ſit, quia coniungitur cum alterius virtutis materia, niſi hanc virtutem habeamus, quæ tali dominatur materiæ, alteram quæ ab hac, depẽdet facilè exercere nequibimus. Quare oportet omnes habere, vt ſingulæ robuſtæ ſint, neque in ſui exercitij occaſione deſiſtent. Exemplum ſit, qui virtutem miſericordiæ habet, quam virtutem commodè exercere nequibit, niſi liberalitatem ſimul habeat, aut paupertatem ſpiritus, & humilitatem, & mortificationem. Nam ſæpe occurret tale miſericordiæ exercitium, vt opus ſit, cum pecunia ſubuenire pauperi, aut dimittendo, quod tibi debet. Ideo liberalitate & paupertate ſpiritus, neceſſe eſt, ſit præditus, qui perfectè, & ſolidè miſericors eſt futurus. Accidet aliquando, quòd miſer pecunia non egeat, ſed opera, & ſeruitio tuo, ad hoc interdum erit opus te humiliare, interdum laborare. Vnde ſi humilitatem, & mortificationẽ, & patientiam non habeas, à miſericordia deſiſtes. Itaque vt fortiter & perfectè exerceatur aliqua virtus, plures alias eſt neceſſe exerceri, & haberi. Quare perfecta vndique virtus non eſt, niſi cum cæteris omnibus: nam quod de miſericordia diximus, de cæteris dicere poſſemus; ſicut enim connexa eſt miſericordia, vt perfectè exerceatur cum liberalitate, cum paupertate ſpiritus, cum humilitate, cum patiẽtia, cum mortificatione: ſimiliter & hæ virtutes cum aliis colligatæ ſunt, & aliæ cum aliis; quare nulla eſt ſatis perfecta & ſolida, & robuſta, niſi cum reliquis omnibus. Deinde ſicut ſolidum aurum, aut argentum, dici nequit rudis gleba, quæ è minis extrahitur, vbi metallum cum terra mixtum eſt: ſic ſolidæ virtutis nomen non meretur vbi vitia aliqua admiſcentur: vt autem nullum vitium ſit, omnis eſſe virtus debet. Obſtetrices Hebræorum miſericordiam exercentes, dum mendacium admiſcuerant, ſicut ſoliditatis virtutis caruiſſe oſtenderunt; ſic & plena virtuoſi operis remuneratione caruerunt, vt de illis dicat ſanctus Gregorius: *Be-* Lib. 18. Mor. *nignitatis obſtetricum merces quæ eis potuit in æterna vita retribui, pro admiſſa culpa mendacij in terrenam recompenſationem declinata eſt.*

Adeò

Digitized by Google

Adeò refert non miſcere defectus ſanctis operibus,& omnium virtutum ſatellitio ſtipari & obſtare culpis ne bonorum operum gloriam euacuent. Quamobrem qui aſpirare debemus ad ſolidas, perfectaſque virtutes, ad omnes anhelare eſt neceſſe, & confectum ex omnibus thymiama gratiſſimum Deo exhalare. Hoc eſt,quod voluit Dauid non contentus ſimplicitate verarum virtutum, dum dixit, holocauſta agnorum offeram tibi, addit cum incenſo arietum, iuxta Græcum,cum incenſo, & arietibus. Vbi per incenſum thymiama intelligunt multi, qui perfectas, & ſolidas virtutes arietum nomine denotatas' volunt, non eſſe niſi cùm ex omnibus thymiama conficiatur. Quapropter meritò ſcribit ſanctus Gregorius. *Neque enim vnaquaque verè virtus eſt, ſi mixta alijs virtutibus non eſt.* Lib.1. Mor. cap 9. Exod.33. *Vnde rectè ad Moyſem dicitur: Sume tibi aromata, & ſtacten, & onycham, galbanum quoque boni odoris, & thus lucidiſſimum, facieſque thymiama compoſitum ex opere unguentarij mixtum diligenter, & purum. Thymiama quippe ex aromatibus compoſitum facimus, cùm in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus, quod mixtum & purum ſit,quia quanto virtus virtuti iungitur, tanto incenſum boni operis ſincerius exhibetur.* hoc eſt, vnde admirabilis ſponſa eſt, de qua inquiritur, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto,ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.* Hoc pertinere ad virtutum ſoliditatem & perfectionem, idem Gregorius alibi ſic docuit. Lib.22. Mor. cap.1. *Quiſquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet, cùm vitijs ex aliqua parte non ſubiacet. Nam ſi ex alio vitijs ſubditur, nec hoc eſt ſolidum vbi ſtare putabatur. Vnaquaque enim virtus tanto minor eſt, quanto deſunt cætera. Nam ſæpe quoſdam pudicos quidem vidiſſe nos contigit, ſed non humiles; quoſdam verò quaſi humiles, ſed non miſericordes: quoſdam quaſi miſericordes, ſed nequaquam iuſtos; quoſdam verò quaſi iuſtos, ſed in ſe potius, quàm in Domino confidentes. Et certum eſt,quia nec caſtitas in eius corde vera eſt, cui humilitas deeſt: quippe, quia ſuperbia ſe intrinſecus corrumpente fornicatur, ſi ſemetipſum diligens à diuino recedit amore. Nec humilitas vera eſt, cui miſericordia iuncta non eſt: nec debet humilitas dici, quæ ad compaſſionem fraternæ miſeriæ neſcit inclinari. Nec miſericordia vera eſt, quæ à rectitudine iuſtitiæ exiſtit aliena, quia quæ poteſt per iniuſtitiam pollui, neſcit proculdubio ſibi metipſi miſereri. Nec iuſtitia vera eſt,quæ fiduciam ſuam non in conditore omnium, ſed in ſe fortaſſe, aut in rebus conditis ponit: quia dum à creatore ſpem ſuberabit, ipſe ſibi principalis iuſtitiæ ordinem peruertit. Vna itaque virtus ſine alijs, aut omnino nulla eſt, aut imperfecta. Vt enim, ſicut quibuſdam viſum eſt, de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia,fortitudo, atque iuſtitia, tanto perfectæ ſunt ſingulæ, quanto viciſſim ſibimet coniunctæ. Diſiunctæ autem perfectæ eſſe nequaquam poſſunt, quia nec prudentia vera eſt, quæ iuſta, temperans, & fortis non eſt: nec perfecta temperantia, quæ fortis, iuſta, & prudens non eſt: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & iuſta non eſt: nec vera iuſtitia, quæ prudens, fortis, & temperans non eſt. Beatus itaque Iob, quòd non vnam ſine alia, ſed coniunctas in ſe virtutes habuerit, enumerando ſingulas innoteſcit; nam bona pudicitiæ inſinuans dicit. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere. Atque vt eidem pudicitiæ demonſtraret humilitatis gratiam nullatenus defuiſſe, poſt cætera ſubiungit: Si contempſi iudicium ſubire cum ſeruo meo. Qui vt humilitati ſuæ oſtenderet miſericordiam fuiſſe coniunctam, paulo pòſt dicit. Si negaui quod volebant, pauperibus. Atque vt miſericordiam ſuam oſtenderet de iuſtitiæ radice deſcendere, paulo ſuperius præmiſit, dicens: Si ambulaui in vanitate, & feſtinauit in dolo pes meus. Atque vt monſtraret, quàm fuerit ad cuncta pauidus, & ad omnia circumſpectus, inferius aſſerit, dicens: ſemper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Dominum.*

Sine humilitate, & mortificatione, nec ſolidæ nec veræ virtutes conſiſtent.

CAPVT VI.

EX his omnibus concludendum eſt,tum vt veras virtutes habeamus, tum vt ſolidas comparemus humilitati, & mortificationi præcipuam dari operam expedire. Nam vt rectam intentionem habeamus, cuius defectu omnis virtus falſa, & inanis redditur, quid opportunius, quàm humilitas poteſt eſſe, per quam nunquam nos,nunquam honorem noſtrum,ſed diuinum curabimus. Deinde cùm humilitati adiungitur mortificatio,vnde poterit patere aditus ſiniſtræ & impuræ intentioni; nec enim verè mortificatus quærit commoda ſua, non voluptatem aliquam; quapropter nec ex parte commoditatis, aut delectationis noſtræ pura animæ intentio contaminabitur, quia mortificatio hoc non feret; neque ex parte etiam propriæ gloriæ, & æſtimationis, quia humilitas hunc ſuffocat appetitum. Neque minus diſcretionem & medium virtutum attingent, & ſeruabunt humilitas, & mortificatio, vt cæteras virtutes in ſua puritate, atque veritate retineant. Quoniam excedere medium virtutis, & ſanctum, ac rationabilem eius modum non ſectuare, inde fit, quoniam aut iudicium proprium, aut amor proprius nos decipiunt. Sed aduersùs iudicium proprium, quod ſemper aliqua ſuperbiæ labe corrumpitur, humilitas pugnat. Amoris autem proprij antidotus mortificatio eſt. Quare cùm hæ duæ virtutes obſtent iis rebus, quæ nos faciunt excedere in ſeruando medio virtutis, ipſæ erunt quibus magis ſanctam comparabimus diſcretionem, & ſpiritualem prudentiam. Accedit, quoniam cùm hæc ſancta ſapientia diuinum donum ſit, & lux cœleſtis optimæ ad illam impetrandam diſpoſitiones erunt humiliatio, & afflictio noſtra. Neque ſolùm ad veritatem virtutum,ſed ad ſoliditatem,& perfectionem earum iſtæ duæ ſorores humilitas,& mortificatio maximam ferent opem; nam ſi virtutum ſoliditas, & perfectio tunc eſt, cùm non vnam, vel aliquas, ſed omnes ſimul poſſidemus virtutes,quid magis ad hoc iuuare poteſt, quàm humilitas,quæ propterea dicitur omniũ virtutum fundamentum,&

radix, & nexus. Deinde mortificatio, qua validè ſibi ſeruus Dei vim infert, contundit voluntatem, & omnes proterués appetitus, & inordinatos affectus, maximè explanabit viam ad omnium virtutum exercitium: nam cùm virtutum materia aliquam difficultatem habeat, quæ debet ſuperari earum exercitium, ægrè feret, & ſæpe relinquet, qui neſcit ſibi vim inferre & dominari. Cùm autem mortificati officium ſit hæc victoria ſui, promptus, & expeditus redditur ad cæteras comparandas, exercendaſque virtutes. Denique vt opera prorſus Deo grata & pinguia, eximiaque holocauſta noſtrorum actuum offeramus, oportet in his imitari, & comitari Chriſtum, tunc maioris meriti virtutiſque erunt; hoc eſt, quod iuxta ſanctum Brunonem nobis commendatur in illa

Leu 12. lege: *Sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato. Offert igitur* (ait S. Bruno) *homo duos turtures, vel duos pullos columbarum, Chriſtum videlicet, & ſeipſum, in holocauſtum illius paſſionis agendo memoriam, ſed pro peccato macerando, & agendo pœnitentiam.*

Sententia deuotiſſimi Gerlaci Petri, vbi deſcribitur, qualis ſit virtus verè ſolida.

Capvt VII.

Nvnc oportebit producere exactam effigiem veræ, & ſolidæ virtutis, prout reperio in ſoliloquio ignito deuoti, & eleuatiſſimi viri Gerlaci Petri, qui ſicut eodem tempore vixit cùm Thomas de Kempis, idemque vitæ inſtitutum eſt profeſſus, eodem pariter ſpiritu illuxit. Igitur *vt virtutem ſolidam poſſideas, oportet, vt ſtantem te ſicut quadratum lapidem inueniat omnis caſus, vel euentus. Virtus in ſe, quæ Deus eſt, manet ſemper eadem plena, & incommutabilis, nec augetur, nec minuitur. Sed virtus quam nos habemus, ſemper poteſt creſcere, & decreſcere, quamdiu hic viuimus. Quæ tanto pretioſior & glorioſior in nobis eſt coram Domino, quanto contrarijs, & diuerſis agitata turbinibus, occupationibus, tumultibus, & conflictibus, inuenta fuerit conſtantior, neque vnquam veraciter radicem habuit in nobis tempore quietis, & tranquillitatis, ſi defecerit tempore tribulationis. Incomparabiliter ſuauior eſt virtus retenta fortiter in ſiniſtris, & diuerſis occaſionibus, quàm in dextris, & quiete. Virtus in ſeipſa nullis vnquam ſubiacet, nec inclinatur caſibus. Quæ ſi animum hominis ſibi vnierit, & fecerit eſſe quodammodo omnia quæ ipſa in ſe eſt, ſcilicet faciendo ipſum participem: tunc non ſolum viriliter agit omnia bona, verùm etiam fortiter manſueto animo ſuſtinet vniuerſa contraria, vt (cùm omnia benefecerit) nihilominus arguatur, contemnatur, & reijciatur ab alijs tanquam nullius momenti. Scit videre, audire, perpendere, & conſiderare omnia ſimilia, & diſſimilia turbata, & quieta, contraria, & multiplicia, omne denique quod infra Deum eſt, & nihilominus ſtabilis & conſtans permanere, nec à quoquam faciliter impediri, & omnia parui facere perſpiciens omnia acuto & æquali animo, non habens neceſſe declinare, vel non animaduertere vnum, vel aliud, quantumlibet diſtortis, & intricati euentus ſint: ſed ibi compellit mori, & euaneſcere vnumquodque (quod eum aliter mouet, quàm debet) vbi eruitur. Vincenti enim fortiter, & non declinanti, ſeu diſſimulanti dabitur Manna abſconditum, & nomen nouum, quod nemo nouit niſi qui accipit. Quidquid ſic in eo agitur, firmum & ſolidum erit, vt, qualibuſcumque impulſus caſibus, quadrati lapidis ſimilitudinem habens ſemper in quadrum ſuum ſecurè cadet. Si ſic fuerit perfectus in ſeipſo, à nullis lædetur alienis, ſed in omnibus lucrabitur. Sed nunquid, quia extra Deum nullam recipit conſolationem; ergo inglorius & abſque conſolatione remanebit? An parua gloria, quod habet ſcientiam, & perſecutionem veritatis & amoris? Vel, quod amplius, quòd ipſemet quodammodo amor effectus eſt per participationem; quòd habet conformitatem interioris & exterioris hominis: quod ſupra omnia eſt quæ in mundo, & extra Deum ſunt, nullius exiſtentium impeditus amore, nulliuſve timore. Denique quòd tantum diligit Dominum Deum ſuum, vt ſui ipſius oblitus, ſi poſſibile eſſet, quòd ipſe eſſet Deus, ipſum vellet eſſe Deum, tam vehementi accenſus eſt amore ſimul & fauore erga Dominum ſuum. Eſt adhuc aliud in quo quando gloriatur, liberrimus eſt, videlicet in ſua paupertate, paruitate, & abiectione, quod à nemine curatur in afflictione, in contemptu, in pœna; quod omnibus minor & inferior cupit haberi. Impellatur iſte quocumque vento, non colliditur, quia nihil ei nouum, aut inopinatum ſuperueniet, ſed omnia ſunt præuiſa, & quod ab æterno illi præordinatum eſt, cum æqualitate animi expectat. Ipſa enim æterna ſapientia, omnium potentior, ditior, ſuauior, & glorioſior antecedit eum, oſtendens ei pulcherrimam & latiſſimam viam. Progreditur eum eo deducens & confirmans eum honeſtè in via, inſequiturque iter eius, vndique eum muniens ſeipſa, & fœliciter ad finem perducens. Per ipſam captiuat in ſe omnem cogitatum, intellectum, & affectum ſibi diſſimilem. Per ipſam collocat vnumquodque quod occurrit vbi voluerit, & vbi decuerit. Ad ipſam dirigit omnem pugnam, & impedimenta, vt (ſi poſſint) cum illa congrediantur & diſceptent. Per ipſam frequenter colligit omnes vires, affectus, ſenſus interiores, & exteriores, repræſentans eas totas & integras (non aliunde vtcumque detentas) ante vultum incommutabilis Dei, extra tempus & locum, & omne accidens, & ibi ſe & omnia ponit, vbi æterna veritas ea ponit. Nec totus mundus ſimul poteſt eum tantum exaltare, magnifacere, & honorare, quantum ipſe ſe ſolus abijcere, contemnere, & annihilare. E contrà ex alia parte quod ad abiectionem, puſillanimitatem, & propriam ſui ipſius ſcrupuloſam dubietatem, non valent eum omnia tantum deijcere, deprimere, & deſpicere, quantum ipſe ſolus (bona conſcientia comite) ſe valet erigere, & ex omni parte inconcuſſus permanere. Præſentia enim incommutabilis veritatis, & æquitatis Dei, non ſinit eum aliter ſapere quodcumque exiſtens, quàm ipſe (ſemper præſens validiſſimè) iudicat ſapiendum. De omnibus quæ ab alijs citra Deum deſiderari poſſunt, ſiue honoribus, exaltationibus, alto ſtatu, ſiue quibuſcumque alijs modis, non quantum oculo claudi poteſt, ſeu acie acus contineri deſiderat, quia frequenter ardentiſſimè anhelat, & ponit ſe ſupra commoda, & incommoda, dulcia & amara, ſupra & extra omnia*

acciden

accidentia: hæc enim omnia in æquali ſtatera in eius animo dependent: nec quidquam alteri præponderant, qualitercumque etiam acciderit, nihil vlterius petens, aut anhelans ſecundum propriam commoditatem, ſed omnia iſta oportet foris manere, & quodammodo ſtare tanquam arida & inutilia extra oſtium; tanquam ob ſui imbecillitatem non valentia pertingere ad illum ſtatum, vbi animus ſupra ſe, & omnia vnione verbi fruitur. Tam incurius eſt de ſeipſo, qui intus cum Deo vnitus eſt, vt ſi maior honor Dei eſſet eum immediatè cadere in profundum inferni, quam in ſupremo eſſe choro Angelorum, nullam omnino internam ſentiret contradictionem. Quæ enim cura iſti de paruis, & quotidianis caſibus, qui ſic de æternis ſolutus corde liber viuit. His ſatis conſtabit quæ ſit virtus vera & ſolida, quæ cùm vera ſapientia ſit & cœleſtis, quantum ſit antehabenda terrenæ, ſequenti ſermone dicemus.

DOCTRINA II.

DE SAPIENTIÆ & virtutis æſtimatione.

Sapientia quatenus vera virtus, eſt omnibus rebus anteponenda.

CAPVT VIII.

Prou. 8. DOMINVS *poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Sapientiam omnibus anteponendam rebus, nihil fortaſſe frequentiùs in libris ſacris reperiemus, & Salomon partim prædicans laudes ipſius ſapientiæ, ante omnia alia illam ſe habere fatetur, partim conſulit aliis idipſum facere, partim exemplo Dei nos prouocat, qui ſapientiæ præcipuam æſtimationem habet, quaſi qui prima illius cura ſolicitus cunctis creaturis præponat, vt eam nos quoque omnibus creatis rebus anteferamus. Idcirco multis illam modis commendat, & ſuadet.
Ibid. *Melior*, inquit, *eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Item:
Prou. 7. *Dic ſapientiæ, ſoror mea es, & voca prudentiam*
Prou. 16. *amicam tuam.* Ruſus. *Poſſide ſapientiam, quia*
Prou. 27. *auro melior eſt.* Et poſtea. *Stude ſapientiæ fili mi,*
Eccli. 31. *& lætifica cor meum.* Et alibi. *Decor enim vitæ eſt in illa, & vincula eius alligatura ſalutis, ſtolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis ſuperpones tibi.* Hæc annotaſſe placuit ad confirmationem vtiliſſimi illius moniti ſanctiſſimi Parentis noſtri Ignatij, quod habemus regula decimaſexta ſummarij, vbi ſapientiæ & doctinæ non primas, ſed ſecundas, aut vltimas curas nos habere iubet. Quid? anne contra ſacras literas, contra oracula ſancta, contra conſilium Spiritus ſancti, contra exemplum diuinum? Nequaquam, imò iuxta ſacras literas, iuxta oracula Spiritus ſancti, & ad imitationem Dei, non eſt ſcientia & erudino præponenda cæteris curis; non eſt prima ratio doctrinæ habenda, ſed virtutis ſolidæ, & perfectæ, quæ ipſi ſapientiæ eſt anteponenda, ſicut noſtræ conſtitutiones anteponere nos iubent. Itaque hæc ſententia non eſt contra ſacras literas, ſed iuxta illas, quæ duplicem ſapientiam diſtinguunt; vnam cœleſtem, alteram terreſtrem: vnam diuinam, alteram diabolicam: vnam ſpiritualem, aliam ſæcularem: quanto vnam commendant, tanto alteram condemnant; quanto vnam extollunt, tanto deteſtantur alteram. Vnam vocauit S. Iacobus pudicam, pacificam, modeſtam, ſuadibilem, bonis conſentientem, plenam miſericordia, & fructibus bonis, alteram terrenam, animalem, & diabolicam, de qua etiam Sapiens dixit: *Eſt ſapientia quæ abundat in malo.* Similiter S. Ignatius Parens noſter, duplex ſtudium diſtinguens, vnum virtutis, alterum doctinæ, & eruditionis humanæ, illud iſti præponit. *Omnes,* Reg. 16. ſum.
inquit, *qui ſe Societati addixerunt, in virtutum ſolidarum, ac perfectarum & ſpiritualium rerum ſtudium incumbant, ac in huiuſmodi maius momentum, quàm in doctrina, vel alijs donis naturalibus, & humanis conſtitutum eſſe ducunt, illa enim interiora ſunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanere ad finem nobis propoſitum oportet.* Multa vtilia in hoc monito docentur. *Primò,* maximam curam virtutis habendam eſſe. *Deinde* nullo modo faciendum eſſe ingenium, doctinam, & ſapientiam pluris, quàm virtutem. *Tertiò* doctrinam, & ſapientiam humanam adiumentum, & efficaciam trahere à virtute; ſine illa tamen inutilem eſſe. Ex his colligitur ſapientiam, & doctrinam, quam tot noſtris laboribus, & vigiliis comparamus ſine ſanctimonia & ſpiritu Dei, eodem gradu eſſe ac ſapientiam ſæcularem, quam ſacræ literæ deteſtantur, tanquam inimicam Dei, & crucis Chriſti; atque vt de ſingulis attingamus aliqua, præmittemus æſtimandam, & magnifaciendam eſſe virtutem ſupra doctrinam, & ſcientiam, & omnia alia dona naturalia, ex hoc ipſo, quòd in Salomonicis libris ſapientia præponatur cunctis rebus; nam ea ſapientia, quæ commendatur in ſanctis libris, non eſt diuerſa à virtute, & timore Dei, atque amore, vt multis ex locis conſtat Propheta Baruch, qui conſulit increpans ſapientem ſæculi, dum ait. *Diſce vbi ſit* cap. 3.
prudentia, vbi ſit virtus; niſi monere eodem loco eſſe prudentiam & virtutem, quaſi quæ eadem ſit cum ſapientia illa, quæ tot elogiis commendatur à Deo. Quid illuſtrius, quàm cùm dicit Iob. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, &* Iob 28.
recedere à malo intelligentia; quod tantumdem eſt, ac ſi vno diceret verbo, *Ecce ſapientia virtus eſt.* Sed nemo clarius, quàm ipſe Sapiens eſt locutus. *Plenitudo*, inquit, *ſapientiæ eſt timere* Eccleſ. 1.
Deum. Et rurſus. *Initium ſapientiæ timor Domini.* Ibid.
Itaque & principium & finis ſapientiæ dicitur timor Dei. quaſi diceret, tota ſapientia, & principium, & terminus eius eſt virtus & pietas, quæ per timorem Dei ſignificatur. Iterum è conuerſo dixit: *Conſummatio timoris Dei ſapientia, & ſenſus.* Et rurſus clariſſimè. *Dilectio Dei ho-* Sap. 1.
norabilis ſapientia. Item, *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ*

ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente Eccleſ. 3. *iniquitate.* Eccleſiaſticus quoque ait. *Filij ſapientia, Eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.* Quibus omnibus teſtimoniis ſuaſus dixit ſanctus Iſidorus Peluſiota: Lib. 1. ep. 96. *Si tu veræ ſapientia amator eſſe cupis, veram ſapientiam ama; quæ non ſermonem dumtaxat, ſed etiam vitam exornat, ac veram Religionem docet. Nam ea quam nunc profiteris, & nunc ridicula eſt.*

In vera virtutis ſapientia omnia mundi bona poſſidentur.

CAPVT IX.

ITAQVE virtus eſt vera ſapientia, quæ ſuper omnem doctrinam, & eruditionem humanam, & omnia bona mundi extollenda eſt, & multo maioris facienda. In illa enim, & ſalus animæ eſt, & vita, & gaudium, & honus, & diuitiæ, & omnia bona ſunt. Si deſideramus ſalutem, in hac vera virtutis ſapientia inueniemus, de qua Sapiens ait: Sap. 9. *Per ſapientiam ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine ab* Eccli. 4. *initio.* Si vitam, de ea dicitur, *Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirẽtes ſe, & præibit in via iuſtitiæ; qui tenuerit illam, vitam hæreditabunt, &* Sap. 8. *quò introibit benedicet Deus.* Et alibi: *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ;* lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam. Si Sap. 7. lætitiam, de ea ſcribit Sapiens: *Lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater eſt.* Sap. 8. Et rurſus. *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa; non enim habet amaritudinem conuerſatio, illius nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam* Eccleſ. 37. *& gaudium.* Si laudem, *vir ſapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt.* Si Ibid. honorẽ, *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternũ.* Si diuitias, *infinitus theſaurus eſt hominibus.* Et alibi ipſa de ſe te- Prou. 8. ſtatur. *Mecũ ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia, vt ditem diligentes me, & theſauros illorũ repleam.* Si amplius, ſi omnia bona, ipſe hoc teſtatur Sapiẽs: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Et Sap. 8. iterum. *Qui tenuerit eam, beatus.* Poſt hæc omnia quomodo non aduolamus ad illam; nec volumus audire dulcem, & benignam eius vocem Prou. 8. nos alloquentis, & imitantis. *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum; intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite. Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam. Doctrinam magis, quàm aurum eligite; melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Eccli. 24. Et rurſus. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & a generationibus meis adimplemini; ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Hinc Salomon eam dicit omnibus prætuliſſe re- Sap. 7. bus. *Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & prapoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem pretioſum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Alibi dicit. *Vidi, quòd tantum præce-* Eccl. 2. *deret ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris.* In quæ verba dicit Salonius. *Quis ergo iſte ſapiens, qui tantum diſtat ab ſtulto, quantum lux à tenebris. Numquid ille, qui philoſophicæ tantum diſciplinæ pollet affluentia, vel liberalium artium ſplendet eloquentia? Nonnunquam ſæcularis prudentia inimica Deo eſt, & carnalis ſapientia, quamuis eloquentiæ floribus exornetur, nullum tamen in ſe ſpiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet. Sed ille veraciter eſt ſapiens, qui Dominum diligit, qui eius mandata cuſtodit, & quantum poſſibile eſt humanæ fragilitati, eius voluntatem in omnibus ſtudet implere.*

Curandum eſt, ne humana ſapientia præferatur virtuti?

CAPVT X.

HINC etiam dicit Salomon non ſolùm à ſe præpoſitam cunctis rebus ſapientiam eſſe, ſed à Deo, quam propterea ab æterno prædicat ordinatam, antequam quidquam eſſet, & primogenitam, ante omnem creaturam, & initium viarum Domini, vt nos ſimiliter, quod primum poſſideamus, ſit cœleſtis ſapientia virtutis, quæ initium ſit viarum noſtrarum; hoc eſt, actionum noſtrarum, quas ſecundùm præſcriptum virtutis ordinemus, eam ſemper in antiquis, & primis habentes, & vniuerſis aliis curis præponentes. Idcirco ſanctus Auguſtinus dixit. *Amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem.* Serm. 13. de Verb. Dom. Nec tamen propterea ſapientiam negat eſſe virtutem, ſed ſupponit quod alibi apertiùs dixit, *hominis ſapientia pietas eſt.* Optimè quoque Petrus Damianus ſcribit: *In animo tuo &* In euch. c. 1. *temporalis vita, & ſcientia ſæcularis tanquam in mentis calce depreſſa ſubſidat. Amor autem æternæ vitæ, & ſpiritualis ſtudium ſapientiæ, velut in ſumma cordis tui conſtitutus arce præcellat, quatenus dum fragilem hanc vitam cum ſua ſapientia deſpicis, repleri diuino ſpiritu, qui ad æternam te prouocet gloriam, fœlici viciſſitudine merearis.* Nec ſolùm ſufficit animo, & æſtimatione præferre virtutem ſcientiæ, ſed reipſa diligentiùs curare. Nam, vt optimè dixit idem Petrus Damianus: *Abſurdum præterea eſt, & ſatis inhoneſtum,* Lib. 8. ep. *vt eadem prudentia, eademque ſubtilitas rebus adhibeatur humanis, quæ ſpiritualibus impenditur & diuinis. Hinc eſt, quod Moyſi Dominus ait: Sume tibi aromata ſtacten, & onychã, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, facieſque thymiama compoſitum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum. Thymiama quippe ex aromatibus compoſitum facimus, cùm in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum fit; quia quanto virtus virtuti iungitur, tanto incenſum boni operis ſincerius exhibetur. Vbi & bene ſubiungitur: Cumque in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contuderis, pones ex eo coram teſtimonio tabernaculi. In tenuiſſimum pul-*

uerem aromata vniuerſa conterimus; cùm bona noſtra quaſi in pila cordis occulta diſcuſſione tundimus, & ſi veraciter bona ſint, ſubtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem redigere, eſt virtutes recogitando terere, & vſque ad ſubtilitatem occulti examinis reuocare. Et notãdum quod de eodem puluere dicitur: Pones ex eo coram teſtimonio tabernaculi; quia tunc nimirum bona noſtra veraciter in conſpectu superni iudicis placent, cùm hac mens ſubtilius recogitando, conterit, & quaſi de aromatibus puluerem reddit. Nec eroſum, durumque ſit bonum, quod agitur; ne ſi hoc arcta retractationis manus non comminuat, oderem de ſe ſubtilius non aſpergat. Hoc planè ſtudium, tantaque ſubtilitatis inſtantia non rebus eſt adhibenda terrenis, ſed ad hoc tantùm habenda eſt, vt placere valeamus obtutibus Creatoris: nec vt in ſaculo videamur inſignes, ſed vt coram Deo in noſtra ſimus examinatione prudentes. Vnde illic additur. Talem compoſitionem non fatietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino; moxque ſubiungitur: Homo quicumque fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis. Quiſquis ergo, ſiue literarum ſacularium diſciplinis, ſiue rebus quibuſque terrenis hoc ſtudium exhibet, quod ad placendum Deo examinationi duntaxat intima principaliter debetur, meritò perit; quia thymiama, quod ſoli Deo debuit, rebus temporalibus, & caducis impendit.

In vita eius cap.4. Idcirco cauit deuotus Ludouicus Bloſius. *Sic fratres permittimus pro tempore, vel ætate dare operam politioribus literis, vt tamen per illarum ſtudium labem ſuperbia, & vana gloria in ſe non traijciant, ſed omnia ad honorem Dei purè referant. Alioquin præſtat, Monachos idiotas eſſe, quàm elegantes. Vtilis ſatis eſt ſimplicitas, per quam meliùs conſeruatur humilitas.* Et alibi præcipit. *Si quis viſus fuerit omnino ad vanitatem dare operam politioribus litteris, ac propter earum ſtudium curam pietatis deſerere, impediatur, arceaturque à vana, & damnabili occupatione.* Nam, *Vbi ſuprà.* vt idem Bloſius ait, *Niſi iuuentus, qua exercetur in litterarum ſtudijs, freno timoris Domini contineatur, facilè amore eloquentia correpta, illectáque dulcedine, curam pietatis deſereret, & effecta veluti Ethnica, ac ſine Deo abibit in vitiorum præcipitium.* Quaptopter eum charitatis, & noſtri profectus iactura, nulla eſt danda opera doctrinæ; nam non eſt Dei voluntas vt quidquam cum detrimento virtutis diſcamus, & debemus *Præfat. in Pſalm.6.* cum S. Auguſtino dicere. *Nos igitur quod neſcire nos Dominus voluit, libenter neſciamus.* Neque tamen propterea iacturam aliquam ſcientiæ ſen- *In ſpecul. diſcipl. c.7.* tiemus: nam, vt inquit S. Bonauentura, *Scientia qua pro virtute deſpicitur; per virtutem poſtmodum meliùs inuenitur.* Quare modus in diſcendo adhibendus eſt, & priùs diſcenda virtus, quæque ad noſtram ſalutem, & profectum ſpectant; *Rom.12.* quemadmodum Apoſtolus nos monet. *Dico autem, per gratiam qua data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Optimè S. Petrus Chryſologus dixit. *Omnium quidem ciborum ſal ſalubre eſt condimentũ, ſi menſura non deſit. Alioquin ſi ſine modo, & ipſum perit, & quod ſalierit, perdit. Amaricat enim nimietas quod poterat ſapere menſura. Sic qui in nobis eſt ſenſus, ſi modum teneat, dat ſaperem, intellectum parit, cor dilatat, auget ingenium, maturat diſcenda, audienda componit, ſitque ſibi dulcis, & deguſtantibus tota dulcedinis plenitudo. Et planè erit ille melleus ſenſus, qui ore proferat nil amarum. Ad hoc enim inuitat Apoſtolus, cùm ait: Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

Sapientia humana ſine virtute noxia erit.

CAPVT XI.

CÆTERVM non tantùm in ſe, & per ſe pretioſa eſt virtus ſuper omnem eruditionem, & doctrinam, ſed quia ſine illa omnis doctrina & ſcientia humana, quæ alioqui ſæpe neceſſaria & vtilis eſt miniſteriis noſtris, redditur infructifera, imò noxia, & in noſtram cedens perniciem: quippe quæ non diſtinguatur à ſapientia ſæculi, quæ multis opprobriis damnatur à Spiritu ſancto, Iſaias clamat. *Peribit ſapientia ſapientibus eius, & intellectus* *cap.29.* *prudentium eius abſcondetur. Va qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? Quis nouit nos.* S. Iacobus monet: *No-* *cap.3.* *lite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem; non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* S. Paulus ſcribit. *Prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiri-* *Rom 8.* *tus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta; nec enim poteſt.* Hanc inimicitiam inter ſæculatem, & cœleſtem ſapientiam ſignificauit bellum illud in quo quinque Reges, qui ſubeſſe noluerunt Chudorlahemor à quatuor Regibus ſuperati *Gen.14.* ſunt. Et vbi? in valle ſylueſtri, quæ nunc eſt mare ſalis. *Qui ſunt*, ait Petrus Damianus, *qua-* *Lib.8. epiſt.9.* *tuor Reges, niſi quatuor virtutes, quas Scriptura ſacra nominat principales? Quid verò per quinque Reges, niſi totidem ſenſus corporis, ac per eos exterior ſcientia deſignatur? Sicut autem illa quatuor virtutes velut ex originali matris ſua, rationis ſcilicet fonte, procedunt; ſic iſti in terrena ſapientia vanitate, velut in conualle ſalſuginis, immorantur, ibique à ſuis hoſtibus ſunt proſtrati; quia dignum eſt, vt in anima omnis ſpiritualis ſapientia vincat, & carnalis prudentia calliditas pereat.*

Ipſa ſapientia ſæcularis ſine virtute, ignorantia veræ ſapientiæ redditur, eùm ſapientia ſumma, & Doctor veritatis Chriſtus Ieſus dixerit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terra, quia* *Matth.11.* *abſcondiſti hac à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Ignorantia quippe cœleſtis ſapientiæ ſcientia humana eſt, quæ inflat, & hæc eſt minor calumnia, quæ de illa dici poteſt. Hoc idem Baruch dixit. *Viam autem diſciplina igno-* *cap.3.* *rauerunt, neque intellexerunt ſemitas eius, neque filij eorum ſuſceperunt eam, à facie ipſorum longè facta eſt. Non eſt audita in terra Chanaam, neque viſa eſt in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, qua de terra eſt, negotiatores Merrha & Theman & fabulatores, & exquiſitores prudentia, & intelligentia; viam autem ſapientia neſcierunt.* Vnde ſanctus Petrus Damianus rurſus ſcribit. *Sacularem prudentiam aſſequi* *Lib.8. ep.9.* *cupientes, & ſpiritualem ſapientiam contemnentes, filij ſunt Agar, non Sara, & manzeres facti.*

Iſmae

Iſmaëlitæ iure cenſendi ſunt, non Iſraëlitæ; & quoniam Agar aduena interpretatur, ij non ſunt ſapientiæ filij, ſed aduenæ, & peregrini, nec ex illis ſunt, quibus aiebat Apoſtolus: Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei. Hanc eandem ſæculi ſapientiam ſignificauit Dominus per inimicos populi ſui Raſin, & filium Romeliæ, & Aſſyriorum aquas interminans ijs, qui veram virtutis, cœleſtemque ſapientiam reliquerint propter mundanam, ab ipſa mundana ſapientia malè habendos, & ſuffocandos. Sic per cap.8. *Iſaiam ait: Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloe quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin, & filium Romeliæ, propter hoc, ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet, & erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel.* Siloë interpretatur miſſus. Vnde aquas Siloë intelligunt Sancti doctrinam filij Dei, qui ad nos miſſus fuit. Sanctus Epipha- Hæreſi 35. nius ſic ait: *Aqua Siloam eſt doctrina eius qui miſſus eſt. Quis autem fuerit hic quàm Dominus noſter IESVS à Deo Patre miſſus? Placidè autem procedit eo quòd nihil inane, nihil confictum, ſed in veritate ſanctam ſuam ſponſam docet, quæ ab ipſo columba propter innocentiam, & manſuetudinem, ac puriſſimam vitam in Canticis Salomonis appellatur.* Sanctus Hieronymus com- cap.47. mentans illud Ezechielis: *Ecce aquæ egrediebantur ſubter limen domus ad Orientem*; has aquas docet eſſe doctrinam Saluatoris. *Iſtæ*, inquit, *ſunt aquæ Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, de quibus loquitur Iſaias: Haurietis aquas in gaudio* In cap.12. Iſaiæ. *de fontibus Saluatoris.* Et rurſus. *De eius fontibus aquas prædicat hauriendas: nequaquam de aquis fluminum Ægypti, quæ percuſſa ſunt, neque de aquis fluminis Raſin, ſed de fontibus IESV.* Hæ ſunt aquæ ſuper quas fertur Spiritus ſanctus.

Ex ſancta Brigitta proferuntur aliqua teſtimonia de vera, & falſa ſapientia.

CAPVT XII.

VT diſcrimen hoc inter mundanam, & cœleſtem ſapientiam ampliùs explicetur, & ij qui litteris dant operam, doceantur modum rectè diſcendi, proferam quæ cœleſtis Magiſter Chriſtus IESVS dixit ſanctæ Lib 1. Reuel. cap.33. Brigittæ, cuius hæc ſunt verba: *Amici mei aliqui ſunt ſcholares mei, qui habent tria. Primò conſcientiam intelligentem ſupra naturam cerebri. Secundò ſapientiam ſine homine, quia perſonaliter doceo eos intus. Tertiò, pleni ſunt dulcedine, & diuina dilectione qua vincent Diabolum. Sed è contrario nunc addiſcunt homines. Primò volunt eſſe ſcientes propter iactantiam, vt dicantur boni clerici. Secundò volunt eſſe ſcientes, vt habeant, & obtineant diuitias. Tertiò volunt eſſe ſcientes, vt obtineant honores, & dignitates. Propterea cùm adeunt ſcholas ſuas, & ingrediuntur, ego exeo ab eis, quia ipſi addiſcunt propter ſuperbiam, & ego eos docui humilitatem. Ipſi ingrediuntur propter cupiditatem, & ego non habui, vbi caput meum reclinarem. Ipſi ingrediuntur, vt habeant dignitates inuidēſe alijs ſe eſſe ſuperiores, & ego iudicabar à Pilato, & ab Herode deridebar. Ideo ego exeo ab eis, quia non addiſcunt doctrinam meam. Sed tamen quia mitis ſum, & bonus, do vnicuique quod petit. Qui enim petit à me panem, ipſe habebit: qui autem ſtramen, dabitur ei. Amici autem mei ipſi petunt panem, qui ſapientiam diuinam, in qua eſt charitas mea, quærunt, & addiſcunt. Sed alij petunt ſtramen, id eſt, mundialem ſapientiam. Quia ſicut in ſtramine nulla eſt vtilitas, ſed & cibus animalium irrationabilium: ſic in mundi ſapientia, quam ipſi quærunt, nulla eſt vtilitas, nulla animæ refectio, niſi tantùm nomen modicum, & labor vacuus. Quia cùm homo moritur, omnis ſapientia eius annihilatur, & à quibus laudabatur, non poteſt videri. Vnde ego ſum quaſi magnus Dominus, multos habens ſeruos, qui diſpenſas ex parte Domini, quæ omnibus neceſſaria ſunt, ſic Angeli boni & mali ſtant ad imperium meum. Qui autem ſapientiam meam, id eſt, ſeruire mihi addiſcunt, hic adminiſtrant boni Angeli, reficientes eos conſolatione, & delectabili labore. Sapientibus autem mundi aſſiſtunt Angeli mali, qui eis quod volunt inſpirant & informāt eos iuxta voluntatem eorum, & inſpirāt, cogitationes cum labore magno. Verumtamen ſi ad me reſpicerent, ego ſufficerem eis dare panem abſque labore, & mundum ad ſatietatem, de quo nunquam ſatiantur, quia dulce vertunt ſibi in amarum.*

Rurſus idem mundi Dominus dixit: *Diuina* Lib.2. Reuel. cap.25. *ſapientia non eſt præciſè in litteratura, ſed in corde, & bona vita. Quicunque cogitat ſedulè viam ad mortem, qualitatem ipſius mortis, & iudicium poſt mortem, hic ſapiens eſt. Quicumque abijcit à ſe vanitatem mundi, & ſuperflua, quicumque contentatur de ſolis neceſſarijs, & laborat in amore Dei, quantum poteſt, hic habet edulium ſapientiæ, quo voluntas bona & diuina præmeditatio ſapiunt meliùs. Quando enim homo cogitat mortem, & in morte nuditatem; quando enim homo perpendit iudicium Dei terribile, vt nihil occultatur, nihil dimittitur impunitum; quando & cogitat mundi inſtabilitatem, & vanitatem. Nunquid non tunc gaudet & dulciter ſapit in corde reliquiſſe voluntatem ſuam Deo, & abſtinuiſſe ſe à peccatis? Nunquid non tunc confortatur caro, & ſanguis melioratur, id eſt, omnis infirmitas animæ, ſcilicet acidia, & morum diſſolutio propellitur, ſanguis diuinæ charitatis fit recentior. Quia conſiderat rationabilius fore diligenda ea, quæ æterna ſunt, quàm quæ caſura. Ergo diuina ſapientia non eſt præciſè in litteratura, ſed in bono opere, quia multi ſapientes ſunt ſecundùm mundum, & ad deſideria ſua, ſed omnino inſipientes ſunt ad Dei mandata, & voluntatem eius, & refrenationem corporis ſui. Et hi non ſunt ſapientes, ſed inſipientes, & cæci, quia ſciunt ea quæ caſura ſunt, & ad momentum vtilia. Æterna verò deſpiciunt, & obliuiſcuntur. Alij ſunt inſipientes ad mundi delectabilia, & honorem eius, & ſapientes ad conſiderandum quæ Dei ſunt, feruentes in obſequio eius. Hi veraciter ſapientes ſunt, quia ſapit eis præceptum Dei, & voluntas eius. Iſti veraciter illuminati ſunt, & apertos habent oculos, quia conſiderant ſemper, quomodo veniant ad veram vitam, & veram lucem.*

Digitized by Google

cem. Alij verò ambulant in tenebris, & delectabilius eis videtur, eſſe in tenebris, quàm viam inquirere, per quam venire poſſent ad lucem.

Lib.5. Reuel. cap.19. Alibi quoque pronuntiauit Deus: *Magis peccant contra me, qui nunc dicuntur ſapientes. Ego enim dedi eis ſenſum, & intellectum, & ſapientiam, vt me diligerent, ſed ipſi nihil niſi ad ſuam vtilitatem temporalem intelligunt. Oculos habent in occipite, videntes ſunt ad ſua delectabilia, ſed cæci ſunt ad gratias agendas mihi, qui dedi eis omnia, quia ſiue boni, ſiue mali, nullus poſſet ſine me ſentire, & intelligere, licèt permitto malis voluntatem ſuam flectere, ad quod voluerint.*

Quantum opituletur charitas ſcientiæ.

Capvt XIII.

Verum cùm miniſteriis noſtris neceſſaria ſit ſcientia humana, ne iſta noxia ſit, imò vt ſalutaris & vtilis fiat, à virtute, & charitate robur accipit. Hoc nobis ſignificat Regis Ioas hiſtoria, de quo dicitur: *Fecit Ioas rectum* (*4.Reg.12.*) *cunctis diebus Ioiada ſacerdotis. Ioas*, inquit Stephanus Cantuarienſis, *interpretatur memoria Domini. Ioiadas dilectus Domini. Memoria ergo Domini bonum facit, ſi ſit cum dilectione Dei, aliter non; hoc eſt, quod ſcientia cum dilectione ædificat, ſine charitate ſiquidem inflat; ſicut Ioas malum fecit, & elatus eſt mortuo Ioiada. Deinde dicit Scriptura: Mortuo Ioiada Ioas vniuerſum argentum, quod potuit inuenire in theſauris Domini, miſit Azaëli Regi Syriæ. Eodem modo, ait Stephanus, imbutus ſacris literis omnem ſcientiam mancipat Regi Syriæ, id eſt, ſuperbiæ: niſi habeat ſecum Ioiadam, id eſt, dilectionem Domini: niſi memor ſit mandatorum Dei ad faciendum ea. Quid tandem? Surrexerunt autem ſerui eius, & coniurauerunt inter ſe, percuſſeruntque Ioas. Duo ſerui ſunt mundus & caro, qui interficient te, licèt habeas memoriam Domini, & multa ſcias, niſi caueas tibi per bona opera.* Itaque à dilectione vim, & energiam ſapientia ſumit, vt in ſalutarem, & cœleſtem conuertatur. Nam cùm diſcitur amore Dei deſinens ſæcularis, & profana, & terrena, & animalis, & diabolica, & inanis eſſe transfunditur in ſpiritualem, & ſanctam, & diuinam. Vnde S.Petrus Damianus, quem ſæpiùs laudauimus, dixit, *Quia ergo à temetipſo hoc obtinere non potes, vt in mundalis executione negotij omnino careas ſerpentis aſtutia, vel hoc ſatage, vt terrenam prudentiam tuam ſapientia ſpiritualis abſorbeat, eamque velut in ſui corporis arcana conuertat. Sicut de maleficiis Pharaonis Scriptura prologuitur. Proiecerunt, inquit, ſinguli virgas ſuas, quæ verſa ſunt in dracones, ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum: virga quippe Aaron maleficiorum virgas abſorbuit; quia ſapientia Chriſti, quam illa ſignabat, omnes huius mundi ſapientias annullauit.* Annullat quidem virtus dãnum ſæcularis eruditionis, & humanæ ſcientiæ. Veruntamen & commodum eius iuuat. Ideo eleuatus vir P. Balthaſar Aluarez dicebat. *Quemadmodum Martha poſtulabat à Maria iuuari: ſic eruditio humana à cœleſti virtute ſapientiæ debet opem ſumere, & implorare.* (*2.Petr.1.*) Rectè ſanctus Petrus monet: *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam.*

Iuuat quippe charitas ſcientiam, quatenus interior ſpiritus illam animat, & viuificat, ſecundùm dictum S. Pauli: *Spiritus eſt, qui viuificat*, quoniam validiores ſunt rationes, & verba, quæ à ſpiritu, & zelo diuinæ gloriæ promanant, quàm quæ ſolùm ex ſapientia humana proferuntur. Et diuina gratia iis ſermonibus aſſiſtit etiam in auribus auditorum, quibus in ore pronuntiantis afficit; ea enim quæ vt dicerentur gratia Dei iuuit, eadem gratia iuuat, vt audiantur, & ſic dicuntur cum merito proferentis, & excipiuntur cum audientium fructu.

Deinde iuuat doctrinam virtus vt exemplum perſuadeat, quod ſuaſit ſermo; hoc ſignificauit Eliſæus dum iubet Regem Ioas: *pone manum ſuper arcum.* (*4.Reg.13.*) *Hic eſt ordo rectus*, inquit Stephanus Cantuarienſis, *quia ex quo didiciſti ſacram Scripturam, manum debes ponere ſuper eam, hoc eſt, in opus conuertere quod didiciſti. Alioqui*, inquit Auguſtinus, *ſi magnitudine ſua præcedit ſcientia magnitudinem charitatis, non ædificat, ſed inflat.* (*In Pſal.118.*) Supponit ſapientem ſine virtute, & charitate aliis non prodeſſe, & ſibi certò nocere. Aliis non prodeſt, quia non ædificat; ſibi nocet, quia inaniter ſuperbiens inflatur. Ezechieli apertus liber non eſt oſtenſus, niſi vt comederet illum: in noſtram quippe vtilitatem conuertere tenemur quod ſcimus, prius nobis noſtra ſit vtilis ſcientia, quàm extraneis; nec nos famelici alios ſaginare debemus. *Ecce*, inquit Ezechiel, *manus miſſa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me.* (*cap.2.*) Et poſtea. *Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo, & dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi; & comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* (*cap.3.*) In quæ verba hæc addit Philippus Abbas. *Pulchrè itaque Propheta, & Sacerdos, qui ad filios Iſrael mittitur, prius cibatur volumine, quia clericus, cuius officij eſt pagina ſcientiæ alios impinguare, non debet inedia laborare, & qui iubetur doctrinæ ſalutaris crapulam eructare, ab eadem procul dubio non debet ieiunare. Quomodo enim vitalem doctrinæ alimoniam indigentibus poterit miniſtrare, qui preſſus faſtidium mortiferum ignorantiæ languorem limæ ſtudij noluit extirpare. Inexcuſabilis quippe ignorantia eſt, cui negligens voluntas in culpa eſt.* (*De ſcient. Cler.*) Ignorantia autem intelligi poteſt non ſolùm inſcitia rerum, ſed ignauia operum: perinde ſiquidem eſt, ac ſi ignoraret, qui inutiliter ſcit; quoniam id quod ſcit, non ſcit operari.

Iuuat quoque virtus doctrinam, quatenus per humilitatem ædificans, animos audientium conciliat, & loquentis cõmendat authoritatem. *Viri namque arrogantes & docti*, inquit S. Gregorius, (*Lib 27 Mor. cap.27.*) *cùm rectè non viuunt, ſed tamen recta dicere doctrinæ impulſionibus compelluntur, ipſi damnationis ſuæ aliquo modo præcones fiunt: quia dum ea quæ agere reſpuunt, prædicãtes inſinuant, ſuis ſe vocibus damnatos clamant. Contra quos bene per Pſalmiſtã dicitur: Conuerſi ſunt in arcum peruerſum. Arcus quippe peruerſus ipſum à quo intẽditur percutit. In dictis autem ſuis arrogantiũ lingua arcui peruerſo ſunt ſimiles: quia dum contra elationem verba faciunt, in ſuis authoribus ſagittas figunt. Vnde ſũma cura prouidẽdum eſt, ne accepta ſapiẽtia cum ignorãtiæ tenebras illuminat, lumẽ humilitatis tollat, vt iam ſapientia eſſe nequeat. Quæ etſi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen veluminæ cor loquentis*

obſcurat. Propter hanc igitur neceſſitatem virtutis comitantis ſcientiam, iis qui pro ſalute animarum laborant, deſideratiſſimæ, in decima noſtrarum conſtitutionum parte S. Ignatius Parens noſter admonet nos huiuſmodi. (§. 1.) *Ad aſſecutionem finis, quem ſibi præfigit auxilij animarum ad vltimum & ſupernaturalem ſuum finem conſequendum, media illa, quæ cum Deo inſtrumentum coniungunt, aut diſponunt, vt à diuina manu rectè gubernetur, efficaciora ſunt, quam quæ illud diſponunt erga homines. Huiuſmodi eſt probitas, virtus, ac præcipuè charitas, & pura intentio diuini ſeruitij, & familiaritas cum Deo in ſpiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus ſincerus animarum ad gloriam eius, qui eas creauit, ac redemit, quouis alio emolumento poſthabito.* Proinde Sapiens dixit. *Sapientia omnium mater eſt, quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico.* Quid eſt ſine fictione diſcere, niſi cum pura intentione, de qua ſtatim agemus, hanc ſalutarem intentionem noſtræ eruditionis, & ſcientiæ, doctrinæ, & diſciplinæ præhabere debemus, vt Eccleſiæ Dei, & proximis vtiles eſſe poſſimus. Prodeſſe omnibus, humanam eruditionem excuſat. Stannum humanarum ſcientiarum aurum charitatis illuſtrat. Nam, vt inquit Eccleſiaſticus, (cap. 41.) *Sapientia abſcondita, & theſaurus abſconditus, quæ vtilitas in vtriſque.* (Epiſt. 1.) Rectè Hildebertus dixit. *Aurum melius diſperſum rutilat, quam ſignatum. Nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, niſi in medium deducantur: ſcientia quoque diſtributa ſuſcipit incrementum, & auarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur. Noli ergo claudere riuos doctrinæ tuæ, ſed iuxta Salomonem, deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide.* Idem paulo antè dixerat: *Citra profectum proficit quiſquis alteri, cùm poteſt, non prodeſt. Virtus eſt etiam malè vſuro virtutis miniſtrare materiam.* Optimè ſanctus Bernardus cenſuit, lucere vanum, ardere parum, lucere, & ardere perfectum: per ſcientiam lucet prædicator, per charitatem ardet, per vtramque perficitur, & perficit. Mixtio enim charitatis, & ſcientiæ pretioſiſſima eſt, quemadmodum argentum, & aurum mixtum conficiunt maſſam ipſo auro pretioſiorem, quæ electrum dicitur. Sic & ſcientia charitati coniuncta conficit virtutem perfectam pretioſiorem, & vtiliorem Eccleſiæ Dei. Ideo Ezechieli repræſentatus eſt Dominus electri ſpecie, vt hac ratione commendaret mixturam charitatis, & doctrinæ.

Sententia ſancti Bernardi de modo, & ordine ſciendi.

Capvt XIV.

Appendam quoque quæ ſanctus Bernardus docet de modo ſcientiis imponendo, & de ordine ſciendi. Rectè ſiquidem monuit Caſſiodorus: (Præf. diuin. inſt.) *Moderamini ſtudioſi fratres deſideria veſtra per ordinem, quæ ſunt legenda diſcentes, imitantes ſcilicet eos, qui corpoream habere deſiderant ſoſpitatem.* Ad illa igitur verba Apoſtoli, *Dico autem per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Sic ait ſanctus Bernardus. (Serm. 36. in Cant.) *Quid eſt autem ſapere ad ſobrietatem? Vigilantiſſime obſeruare quid ſcire magis priuſve oporteat. Tempus enim breue eſt. Eſt autem quod in ſe eſt, omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit: ſed tu qui cum timore, & tremore tuam ipſius operari ſalutem pro temporis breuitate feſtinas, ea ſcire prius, ampliuſque curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti. Nonne Medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere in ſumendis cibis quid prius, quid poſterius, & quemadmodum quidque ſumi oporteat? Nam etſi bonos conſtat eſſe cibos, quos Deus creauit, tu tamen ipſos tibi, ſi in ſumendo modum, & ordinem non obſerues, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc ſentite & de ſcientijs; ſed melius mitto vos ad magiſtrum. Non eſt enim noſtra iſta ſententia, ſed illius, imò & noſtra, quoniam veritatis. Qui ſe, inquit, putat aliquid ſcire, nondum ſcit quomodo oporteat eum ſcire. Vides quoniam non probat multa ſcientem, ſi ſciendi modum neſcierit? Vides, inquam, quomodo fructum, & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi? Quid? niſi vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat? Quo ordine? vt id prius, quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi. Sunt namque qui ſcire volunt eo fine tantùm, vt ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Qui profectò non euadent ſubſannantem Satyricum, & ei qui eiuſmodi eſt decantantem: Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Et ſunt item qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, vt ædificent, & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt vt ædificentur, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli vltimi duo non inueniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Reliqui omnes audiant: ſcienti bonum, & non facienti peccatum eſt ei. Ac ſi per ſimilitudinem dicat: Sumenti cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt ei. Cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet, atque actus tranſfuſa, atque digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ nouerit, vita atteſtante & moribus, bona efficiatur: nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuerſus in prauos noxioſque humores? An non malus humor peccatum? An non mali humores praui mores? An non inflationes, & torſiones in conſcientia ſuſtinebit qui huiuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum, & non faciens? An non reſponſum mortis, & damnationis totiens in ſemetipſo habebit, quotiens in mentem venerit ſermo, quem dixit Deus, quia ſeruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis? & vide ne fortè in perſona talis animæ Propheta plangeret, dicens: Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. Niſi quòd ipſa ingeminatio geminum*

videtur

Digitized by Google

videtur innuere ſenſum, vt præter hunc, quem diximus, etiam alium requiramus. Puto enim quòd in ſua perſona potuit hoc dixiſſe Propheta, quòd videlicet ſcientia plenus, & æſtuans charitate, & omnino effundere cupiens, non inueniret, qui curaret audire; & ſic quaſi oneri ſua ſibi ſcientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Eccleſiæ Doctor tam illos qui ſcire cõtemnunt quomodo ſit viuendum, quàm illos qui ſcientes, malè nihilominus viuunt. Et hoc pro eo, quòd eundem ſermonem Propheta repetit. Aduertiſne iam quàm verum ſenſit Apoſtolus, quia ſcientia inflat? Volo proinde animam primò omnium ſcire ſeipſam, quòd id poſtulet ratio & vtilitatis & ordinis. Et ordinis quidem: quoniam quòd nos ſumus, primum eſt nobis; vtilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum. Niſi enim ſuper humilitatis ſtabile fundamentum, ſpirituale ædificium ſtare minimè non poteſt. Porrò ad ſe humiliandum nihil anima inuenire viuaciùs, ſeu accommodatiùs poteſt; quoniam ſi ſe in veritate inuenerit, tantùm non diſſimulet, non ſit in ſpiritu eius dolus, ſtatuat ſe ante faciem ſuam, nec ſe à ſe auertere abducatur.

De vtilitate ſcientiæ, ex Radulpho.

Capvt XV.

PRo vſu quoque ſalutaris ſcientiæ interpretatus Radulphus legem illam Leuitici: *Si autem de auibus holocauſti oblatio* Leu. 1. *fuerit Domino, de turturibus & pullis columbæ offeret eam ſacerdos ad altare*; ſic ait. Aduertendum attentiùs, quòd Dominus cùm aues ſibi in holocauſtum offerri iubeat, non cygnum expetit, qui magnitudine corporis præſtat, qui plumarum candore nitidus, etiam colli protenſione caput in altum leuat: nec mergulo delectatur, qui frequentiùs aquis immergitur; nec accipitri, qui mortibus paſcitur alienis, ſed turturem petit & columbam: quarum columba ſocietatis, turtur verò caſtitatis amator eſt. Vtraque tamen hæc auis gemere, non canere ſolet. Per *aues* ſcientia figuratur. Manifeſtum eſt igitur non illam à Domino ſcientiam approbari, quæ ſibi magna videtur, iuxta illud, *Vah qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, vel quæ de nitore eloquẽtiæ gloriatur*; vt de quibuſdam ſcriptum eſt: Poſuerunt in cœlum os ſuum. Sed nec illa placet, quæ ſicut mergulus aqua, ſic carnalibus voluptatibus abſorbetur. Nec illa quoque accepta, quam accipitris inſtar malitia comitatur. Sed turturem amat Dominus & columbam. Ergo ſcientiæ ſanctimonia cum pace aſſocianda eſt, ſine quibus nemo videbit Deum. Monemur quoque in auibus iſtis, illam magis ſcientiam appetendam, quæ gemitum doceat, quàm quæ plauſum: quæ miſeriam noſtram nobis aperiat, quàm quæ riſum. Hæc eſt enim vera ſcientia, de qua Salomon ait: *Qui apponit ſciẽtiam, apponit & dolorem.* Notandum verò quòd auium holocauſtum ad ipſum altare offertur. Altare, cor noſtrum eſt. Soli igitur ſunt, qui perfectè ad corda redeant, ij qui per ſcientiæ ſtudium, & ſanctam meditationem apud ſe in arcano mẽtis habitare nouerunt. Addit Scriptura: *Veſiculam verò gutturis, & plumas proijciet prope altare ad Orientalem plagam in loco in quo cineres infundi ſolent.* Recolendum, quòd ſtudiorum oblationem tractamus. Quid verò ſtudioſis magis timendum eſt, quàm tumor elationis? ſcientia enim inflat. Huius igitur auis noſtræ veſicula gutturis proijciẽda eſt, tumor ſcilicet, qui de eloquentiæ põpa oriri ſolet, penitus excludendus. Plumæ verò quę ſunt, niſi peregrinorum leuitas ſtudiorum? vt verſificandi peritia, Dialecticorum garrulitas, quæ omnia menti Dominum metuẽti, & circa lamenta potiùs occupatæ, nihil remedij, nil poterunt vtilitatis conferre. Plumæ ergo & ipſę proijciantor, vt à ſeruis Dei huiuſmodi ſtudia contemnantur. Vbi autem hæc proijci debeant, lex ſignanter expreſſit. *Prope altare*, inquit, *ad Orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi ſolent.* Per Orientem vnde mundo lux immittitur, diuinæ cognitionis illuminationem intellige. Ad Orientem ergo inflationem noſtram abiicimus, quum Dei magnitudinem aliquatenus contemplantes, de nobis humilia ſentire incipimus. Ad Orientem quoque plumæ cadunt: quia fidei percepto lumine mentem quam penetrat timor Dei, quam ſalutis ſuæ cura ſollicitat, minimè ſuperfluis ſtudiis operam dare delectat. *In loco, in quo cineres effundi ſolent*, in loco cineris, id eſt, mortis meditatione, veſiculam cum plumis proiice: vt dum iugiter finem tuum conditionemque mortalitatis recogitas, inanem iactantiam cum omnibus ſuperfluis mox deponas. Deinde ſubdit legiſlator diuinus, *Confringetque aſcellas eius, & non ſecabit, nec ferro diuidet eam. Aſcellas frangere*, eſt acumen ingenij non ſibi tribuere, ſed ſub diuino munere humiliter infirmitatem propriam cogitare. *Et non ſecabit, nec ferro diuidet eam.* Non eſt auis noſtra ſecanda, nec ferro diuidenda: quia quicumque cæteris amplius aliquid in ſcientia profecerint, caueant omnimodis neceſſe eſt, ne corpus Chriſti diuidant, ne ſuæ eruditionis præſumptione à doctrina Patrũ recedere pręſumant.

DOCTRINA III.

DE PVRITATE intentionis.

Quàm pulchram reddit animã puritas intentionis.

Capvt XVI.

CANDIDIORES *Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Thren. 4. Antidotus ſcientiæ quæ inflat, corona ſapientum, ornamentum religioſæ vitæ, venuſtas animæ, ſalus bonorum operum, flos ſpiritus, decus cordis, pulchritudo conſcientiæ, recta intentio eſt, cui potiſſimam operam nauare nos oportet, tum propter bona, quæ ſecum adducit, tum propter mala, quæ in nos confluent, ſi deſit. Maxima enim bona ſicut magnum ſecum emolumentum afferunt,

ſic ſolent abſentia æquale damnum relinquere. Inter bona autem conſcientiæ, aut maximum, aut maius puritas eſt intentionis. Quare ſi eius curam habuerimus, nihil vtilius agere valebimus. Si autem oeglexerimus illam, nihil noxios nobis accidet. Quapropter in noſtris conſti-

Reg. 17. ſum.

tionibus maximè commendatur, atque operæpretiom erit eius bonum, & neceſſitatem indicare. Neque mulras hîc cumulabo rationes; ſufficient tres, aot quatuor. Primum, quia gratiſſima Deo eſt, adeò, vt abſque bona intentione nihil habeat Deus gratum. Præterea, quia bonitas ſua non in ſe ſolum ſubſiſtit, ſed in multa alia bona refuodirur. Ex illa enim velut è fonte innumera deriuantur commoda, totoſque nos bonos ipſa facit. Deinde à contrario, quia ſine illa neceſſe eſt diſpliceamus Deo, & deformes, & tetri, & viles, & miſeri fiamus, multiſque impetamur malis. Dicemus quoque, qualis debeat eſſe hæc recta intentio quæ tot bona præſens conferet, & abſens tot mala relinquet. Idoneum ad omnia hæc argumentum verba Hieremiæ præſtabunt; dum de Nazaræis loquitur, cuius puchritudinem eloquentiſſiıoè extollit, ſicut & deformitatem deprimit. *Candidiores*, inquit, *Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Quid elegantius dici potuit, vt commendaretur pulchritudo rectæ inteotionis. De qua hunc locum S. Booauentura, & Balduious, imò S. Gregorius interpretantur. Deinde defectus illius quo pacto proponi poterat tetrius, & horribilius, quàm cùm ſubdit Propheta: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis, adhæſit cutis eorum oſſibus; aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Ille decor eſt bonæ iotentionis; iſta turpitudo prauæ: illa venuſtas eſt ſimplicis animi; iſta deformitas duplicis. Illa pulchritudo eſt quærentis ſolum Deum; iſta fœditas quærentis ſe. Eligamus inter hæc tam aduerſa quid malimus. Sed conſideremus primum puræ intentionis decus, & gratiam, vt ex eius collatione enormem ſui defectus monſtroſitatem formidemus horridiùs. S. Propheta Hieremias rem tam gratam Deo, tam decoram animæ, tam pulchram noo aptius, quàm per decorem, & puchritudioem ceoſuit explicandam; neque taotùm per decorem vtrumque, ſed per totius decoris, & pulchritudinis exceſſum. Sic venuſtos, & decoros pingit Nazaræos, per quos Religioſi veri, recti corde, & ſimplices intentione intelliguntur, vt ſuos candor ſuperet alborem niuis; ſuæ cutis leuitas vincat nitorem lactis; aureum ſuum capillitium excedat ruborem eboris. Puritas autem oculorum, & cæſius, atque amœnus eorum color cœleſtem obſcuret ſapphiri pulchritudinem. Sic nobiles interpretes hunc locum accipiunt commodè ad inſtitutum noſtrum, cùm io ſacra Scriptura iotentio ſignificetur per oculos. Hieremias autem vltimam Nazaræorum gratiam in pulchritudine oculorum excedẽtiom ſapphiri venuſtatem conſtituit, per oculos intentiooem adumbrans, iuxta vſum, vt dixi, Scripturæ, per ſapphirum, qui cœleſtis habet colorem rectitudinem eiuſdem intentionis, dum tota cœleſtis eſt, & nihil de terra quærit, ſed in cœlum ſemper attollitur, in quo ſigoificauit vltimum religioſæ perfectioois decus, &, vt ſic dicam, vltimam perfectionem eſſe eximiam puritatem intentionis, quæ eſt obtutus, & reſpectus, & quaſi oculus animæ. Vnde S. Booauentura, & deuotus Balduious ita ad huoc locum notant: *Ordine pulcherrimo perfectionis pulchritudo commendatur. Primus gradus perfectionis, eſt ab omni corruptione vitæ præſentis immaculatum ſe cuſtodire, quantum permittit humana fragilitas. Secundus, curam proximi omnino non negligere, quantum ſuppetit humana facultas. Tertius in calore ſanctæ devotionis, & cum rubore ſancti pudoris, dura & indigna fortiter tolerare, quantum ſinit humana infirmitas. Quartus eſt, in bonis agendis, & in malis perferendis, ſemper oculum intentionis ad Deum dirigere, & ad eius gloriam cuncta referre, quantum præualet humana poſſibilitas. In corde ergo Nazaræorum ſic eſt puritas intentionis, vt in decoro vultu oculorum pulchritudo.*

Et quidem meritò Hieremias tam pulchram depinxit puræ intentionis pulchritudinem, cùm ea ſit, quæ amorem Dei ſic deuincat, vt amatorio vulnere ſaucium ſe fateatur. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* *Cant. 4.* *In vno oculorum*, inquit Honorius, *idest, in vna intentione, qua de vnam rem tantùm petit anima à Domino, vt inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ; & in vno crine colli ſui, hoc eſt, in vna cogitatione intellectus, qua intelligit Deum eſſe ſummum bonum.* *Honorius* Hoc certè pulchrum, & pulcherrimum, hoc gratiſſimum Deo cum ſancta anima ſolum Deum cogitat; ſolum Deum quærit, ſolum Deum reſpicit, & in ſolum Deum omnes ſuas intendit vires. *Auguſtodunenſis in Cant.* Hoc quidem vulnerat cor Dei, hoc deuincit omnipoteotis amorem, hoc extra ſe Deum rapit; ideo ipſe ait: *Auerte oculos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Alij legunt, *ſuperbire fecerunt.* Sic enim placet ſummo bono ſimplex, & rectus animæ ſanctæ reſpectus, cùm in ſe ſolùm oculos mentis, & cordis defigit, vt in hoc glorietur, & ſic exultet amatoriè, & tenere requirens ſanctam animam, ironicè prohibeat, quod magis optat, vt propterea magis iubeat. Quanta gratia, & ſplendor eſt, cùm de his Nazaræis dicat Eccleſia: *Splendorem Deo dederunt*; propter quem ſic alloquitur lumen ipſum inacceſſibile, quaſi diceret animæ. Nequeo ampliùs lumen & pulchritudinem tuorum oculorum ſuſtinere. Nequeo radiationem tuæ intentioois iotueri; nam ſicut illi, qui Solis radios aduerſos non perferunt, manu teguntoculum, & faciem auertunt aliorſum, idem mihi contiogere videtur, quòd velut nequeam lumen, & iubar reſpicientis me animæ ferre, ſed præſtrictus nimio ſplendore extra me rapiar, & quaſi exurar præ amore. Vnde ſpooſa mea rogo modicas inducias mihi largiaris ſpiritui recuperando, & liqueſcenti corde præ amore refocillando. Vel oſtendit ſponſus, ſic gloriari in tali reſpectu, & amore animæ, vt ſi de aliqua re ſuperbire poſſet, de hoc eſſet, quòd tam pulchram ſponſam haberet, ac ſit per puram, & rectam intentionem. Rurſus, cùm pulchritudioem eiuſdem ſponſæ miraretur, oculos potiſſimum commendat, ob eandem gratiam puræ intentionis. *Ecce tu pulchra es amica mea. Ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Quæ nam tanta pulchritudo, oimirum puritas, & ſimplicitas columbini obtutos. Vnde idem Honorius ait: *Oculi ſunt ratio, quia vera à falſis diſcernit, & intentio qua facienda præuidet.*

[..]et. Hi oculi columbarum ſunt, ſi bona quæ elegit, bona intentione facit: oculi autem coruorum ſunt ſi bona quæ facit, mala intentione peragit, ſcilicet ſi lucri, vel laudis gratia. Et Cardinalis Hailgrinus. *Iſti oculi ſunt innocentes, & ſimplices, cum intellectus eſt ſine errore, & in veritate Scripturæ nihil intelligit niſi veritatem: cùm affectus in Deum eſt abſque mundana concupiſcentia, & in opere Dei nihil concupiſcit mundanum, nihil quærit niſi Deum.* Poſtea cùm bis deſcriberet per partes venuſtatem ſponſæ, ab oculorum decore ſemper exorditur, & repetit, *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum.* (cap.4.) Hinc factum, vt ſponſam toties vocet columbam, quoniam quod magis in ea ſibi placeret, erat hic purus, ſimplex, & columbinus reſpectus intentionis. Tam grata eſt Deo ſimplicis intentioois puritas, vt diuinum cor, & amorem poſt ſe trahat, & cuius comparatiooe pulchrius aliud in noſtris operibus non videat, imò ſine illa pulchrum nihil videat. Tam grata, & placens Deo, vt eius gratia remuoeret noſtra opera. Neque enim tenetur Deus præmio aliquo donare quæ alio intuitu fiunt, quàm vt ipſi obſequamur. Hoc eſt quod in Canticis nobis ſignificatur, cùm vocatur ſp·.oſa vt coronetur, clamabat ſponſus ad illam: (Cant.4.) *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano; veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Ecce vocatur ad præmium, & coronam, & Regnum. Sed quo titulo? *quia vulneraſti*, inquit, *cor meum in vno oculorum tuorum*, quia placuiſti mihi in voitate tui affectus, quia me ſolum requiſiſti; me ſolum deſideraſti. Hoc enim ſolùm tenetur Deus retribuere quod eius cauſa fit. Numerauerat artus ſpooſæ cum ſingulorum commendatione, & capillos, & dentes, & labia, & genas, & collum, & vbera. Primo autem loco oculos, mox vocans ad coronam & præmium, illud imputauit oculorum pulchritudini, non aliorum membrorum decori. Cur hoc, quia licèt egregia opera aggrediamur, licèt ardua patiamur, niſi in his omoibus habeat aoima oculos intentionis puros, non placebit ſponſo: nam illud quod potiſſimum Deo placet, bona intentio eſt; & illud ſine quo nihil Deo placet, & omnia diſplicent, eadem bona intentio eſt; hæc vulnerat Deum, hæc exigit præmium à Deo, propter hanc nos Deus coronat. (Lib.4. in Matth. col.350.) Quia, inquit B. Paſchaſius; *licèt virtutum genera hinc inde reſplendeant ex vno fidei, qui per charitatem operatur, oculo vulneratur Chriſtus amore dilectionis.*

Pura intentio omnia opera gratiſſima Deo facit.

CAPVT XVII.

HInc ſequitur alia rectæ intentionis commendatio, quoniam non ſolùm ipſa in ſe pulchra, & grata Deo eſt, ſed omnia opera noſtra fiunt per illam grata, & accepta ſummo bono, noſque decoros, & pulchros reddit, quod optimè explicuit filius Dei exemplo lucis. Nam quemadmodum accenſa fax non ſolùm in ſe lucet, ſed totum cubiculum in quo eſt, illuſtrat. Similiter bona inteotiooon ſolùm io ſe pretioſa, & pulchra, & illucida eſt; ſed omnia opera noſtra lucida reddit, totoſque nos pulchrè facit. Hoc eſt, quod Saluator dixit: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* (Matth.6. & Luc.11.) Nam *ſicut oculis iſtis carnalibus*, inquit Paſchaſius, *omnia corporis membra ordinatè ad operationem diriguntur: ita intentione mentis, & luce fidei cuncta virtutum genera vt lucidum corpus perficiant, illuſtrantur.* (Lib.4. in Matth. col 349.) Hinc etiam ſponſus poſtquam laudaſſet oculos ſponſæ, cætera eius membra commendauit. (Cant.4.) Et vbi Hieremias Nazaræos vocat ſapphiro pulchriores, propter cæleſtem ſapphiri colorem, quem in oculis habebant, aliarum quoque partium commendauit decus, tum coloris à candore niuis, tum cutis à nitore lactis, tum Cæſariei à rubore eboris. Ideo Symmachus vertit, *ſapphirus membra eorum*; quaſi tota pulchra, tota decora, tota ſapphirus, hoc ipſo, quòd oculos pulchros, & ſapphirinos haberent: nam internæ iotentionis pulchritudo in omnes artus, & vſque ad externa redundat opera. Itaque ex bonitate puræ intentionis tot bona deriuantur, quot facimus: locupletiſſimuſque meritorum erit, qui omnia ad Dei honorem, & propter eius amorem operatur. Quod certè magna conſideratione dignum eſt, ſiquidem defectu ſanæ intentionis innumerabilia merita amittemus; cum bona autem intentione non ſolùm ſeruamus voluntaria, & bona opera, ſed lucramur indifferentia, & neceſſaria, quæ fieri pro conſeruatione naturæ eſt neceſſe: plenique diuitiis meritorum erimus, quæ nos exhortatus aggregare Dominus per hanc ipſam puritatem intentionis, dum dixit: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* (Matth.6.) Ad litteram loquitur Saluator mundi de puritate intentionis, vt ex contextu, & præcedenti reprehenſione hypocritarum patet, & ſatis notauit ſanctus Paſchaſius. *Hæret*, inquit, *hæc ſententia circunſtantialiter, vbi ait: Ne videaris hominibus ieiunans; quia ieiunat, ſeu reſeruando quod non edit, ſeu gloriam ſibi quærendo, quod abſtinuit. In terris vtique ſibi theſaurizat: omne enim, quod pro terrenis commodis gerimus, in terris theſaurizamus, & omne quod propter Deum agimus, ad cælum tranſponimus: cælum autem hoc loco pro æternitate ponitur, terra verò pro tranſitoriis. Vnde quidquid agimus, vel quantum agimus, pro æternis agere debemus, & in ſpiritualibus, vt in æternum viuere poſſimus.* (Sup. col.347.) Et poſtea. *Vnde illa quæ gerimus ſemper eo ſtudio agere curandum eſt, vt Chriſto placeamus, atque per hoc in illo theſaurorum arcana nobis recondita ſolerter præparemus. Vbi nec ærugo, nec tinea comedunt, neque fures effodiunt, nec furantur. Prætermiſſa igitur vana laudis cura, & inuidorum obtrectatione, quibus dumtaxat pretioſi corrumpuntur theſauri animarum, ponamus omnem ſpem noſtram in cæleſtibus, & ibi theſaurizemus, vbi per ſpem iam ſumus, per fidem adhuc gradimur, per charitatem amplectimur.* (Col.348.)

Verùm hic omnia metallorum ſplendentia ærugo conſumit, & veſtimentorum renitentia tinea, vel vetuſtas vaſtabit. Et, vt euidentiùs loquar, quæcumque in mundo poſſidentur, præteribunt, vnde tribus iſtis verbis, omnis concupiſcentia mundi, & auaritia luxus condemnatur. Nam & moraliter, ſi quid in carne gerimus, theſauros in terra condimus, dum pretioſos corporis ſenſus terrenis deſiderijs occupamus. Ergo cùm gula, ſeu fornicatio exercetur, talentum in terra confoſſatur ærugine conſumptum; profectò quia ferreas mentes libido domat, & erodit; deinde morum indumenta, ira, ſuperbia, timor, & arrogantia, ſeu omnis vitiorum exercitus vaſtant, cum quibus ſi quid reſiduum fuerit, fures, Dæmonum ſcilicet multitudo, effodiunt, & furantur. Vnde Beatus Iob tactus dolore Iob 30.17. *cordis plangit, dicens: Et qui me comedunt, non dormiunt, à multitudine* (inquit) *eorum conſumitur veſtimentum meum ſicut à tinea. Quibus ſanè verbis oſtendit quòd etiam, quos Deus probat interdum multis inſidiarum dentibus corroduntur, & atteruntur, ſicuti à tinea paulatim, dum eorum indumenta ſurripientium fraudibus corrumpuntur. Quod bene paucis verbis veritatis Magiſter cauere ſuos inſtituens, ſimul omnia comprehendit. Theſaurizate, inquit, vobis theſauros in cœlo. Ac ſi dicat, cùm ieiunatis, aut aliquid boni operis agitis, ibi recondite, vbi non adulatio, non vana gloria corrumpat. Cùm verò terrenarum aliquid propter abſtinentiam, quod etiam natura ipſa exigit, vobis ſubtrahitis, hoc & aliud, quod habetis, ibi reponite conſeruanda, quò nunquam fures, vel corruptio poſſit accedere. Poſtremum quidquid illud eſt quod opere ſit agendum, ſpiritualiter agite; quia qui ſeminat in carne ſua, de carne metet & corruptionem, & qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Qua de cauſa theſaurizate in ſpiritualibus, ideſt, in cœlis, vt de ſpiritualibus vitam percipiatis æternam. Et hoc notandum, quòd non ait, theſaurizate mihi, ſed vobis, quia quidquid boni operis pro eius amore facimus, non illi,* Pſal. 15. *ſed nobis proſumus. Hinc Dauid ait. Conſerua me Domine, quoniam bonorum meorum non eges. Nihil igitur eget alterius, & ideo quidquid illi tribuimus, nobis ſeruatur.*

Præter meritorum cumulum, alia bonæ intentionis bona computari poſſent pax animi, fiducia in Deo, illuminatio mentis, charitas Dei, charitas hominum, atque vnio fraterna. Hoc eſt, quod dicit Eccleſiæ verſio; *Splendorem Deo dederunt, & ſicut lac coagulati ſunt.* quemadmodum Nicetas notauit, quòd *ſicut lac in caſum condenſatur, ſic ipſi quoque ad concordiam concreti ſunt, atque ad vnum pietatis zelum diffuſi.*

Deformitas & damna ex defectu bonæ intentionis.

CAPVT XVIII.

NVNC deformitatem prauæ intentionis ſpectemus, vt toti horreamus, & formidemus mala, quæ ex illa pronaſcuntur; quanto enim pulchra & grata Deo eſt puritas animi, tanto eſt horrenda, & deteſtabilis infecta mens prauo fine. Etenim cùm cordis noſtri acies rectà in Deum non intendit, ſed ad terreſtria dimittitur, pulchritudo rectitudinis ſuæ, enormiter incuruatur intorta & deformis, cuius rude veſtigium virga Moyſes videtur, quæ vbi demiſſa fuit ad terram, torta eſt retorta, & verſa in tetrum colubrum. Rurſus autem elata in propriam reſtituta eſt rectitudinem; neque ſolùm ſiniſtra intentio deformior eſt atro angue, ſed peſtilentior, & magis noxia, quæ non aliter, atque Naas Rex, qui ſerpens interpretatur, dicit, & tyrannicè facit: *In hoc feriam pactum vobiſ-* 1.Reg.11. *cum, vt eruam omnium veſtrùm oculos dexteros, ponamque vos opprobrium in vniuerſos Iſrael.* Praua enim voluntas excæcat nos, proinde tanquam Samſon riſus & ludibrium hominum, imò Dæmonum fimus, quòd ſi viſus corporalis tanti ſit, vt patientiſſimus Tobias dixerit, quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video, quanti faciendus eſt viſus ſpiritualis, & reſpectus non huius materialis cœli, ſed inuiſibilis? ſed quid opus eſt, aliunde proponere deformitatem obliquæ intentionis, quàm ex ipſis Hieremiæ verbis: *Denigrata eſt*, inquit, *ſuper carbones facies eorum.* S. Theodorus Studita legit, *Caligat vultus faciei*; ſplendor enim animi totus in caliginem, & fœtorem vertitur. Sed præter fœditatem animi malè volentis, hoc eſt, ſemetipſum quærentis, multa illi accreſcunt damna, & ſatis damnorum eſt nulla vtilitas bonorum operum, quod ſignificauit aptè Propheta Oſeas; *Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent.* cap. 8. *Culmus ſtans non eſt in eo; germen non faciet farinam, quod & ſi fecerit, alieni comedent eam.* Qui enim magna opera efficiunt, & non propter Deum, non aliud efficiunt, quàm ſeminare ventum, & vanitatem fouere. Quis autem fructus ex ſemente venti, niſi procella, turbatio mentis, anxietudo, & inſtabilitas cordis. Solidum autem nullum fructum afferent: nam licèt aliis prodeſſe poſſint, & proderunt, ſe autem minimè iuuabunt, ſteriles ſibi ſunt. Idem Propheta ait. *Dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici;* Oſee 9. *area & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis.* propter eamdem fructuum penuriam, & terribilitatem: ideo addit Hieremias, *& non ſunt* Thren 4. *cogniti in plateis; adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Obliti enim finis noſtri, immemores noſtræ profeſſionis, digreſſi licèt paululum à cœleſti via. Quid inde ſequi poteſt, niſi licenter per plateas & latam perditionis viam diuagari ignotos Deo, & Angelis: neque enim Deus agnoſcet, nec remunerabit quærentium ſemetipſos opera, quantumuis egregia, & ardua videantur. Vnde inæſtimabilis iactura erit ex tot occaſionibus merendi, flaccidos, aridos, & vacuos coram Deo inueniri, factos tanquam lignum arens, &, vt Olympiodorus ait, humorem ſpiritus non habentes. nam ſicut fuſtis arida ſterilis eſt, vt nullum queat fructum ferre: ſic ij, qui non operantur propter Deum, ſed ob aliquam commoditatem propriam, infœcundi ſunt ad merita, & nullum proferunt gloriæ fructum, quia, vt idem Olympiodorus dicit, *exciſi è vita* Zach. 11. *Dei ſunt*, hoc eſt, quod per Zachariam dicitur, *O Paſtor, & idolum, derelinquens gregem, gladius ſuper brachium dextrum eius, & ſuper oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.* Significantiùs Septuaginta legunt. *O qui paſci-*

tis

paſcitis vana. Alij, *Væ Paſtori vano.* Et ſanctus Cyrillus Alexandrinus: *Paſtores vanorum.* Ij namque qui nullam curam babent dirigendi opera ſua ad Deum, & affectus ſuos non gubernant ratioois baculo, nec ad paſcua ſalutis deducunt. Qui idola, hoe eſt, vani ſunt, paſcentes vanitates ſuas, ij excœcabuntur deprauata intentione, & manu dextera areſcent, ne quid operentur dignum retributione æterna. Vnde ſanctus Cyrillus ait: *Parietur itaque, qui non rectè paſcit, nimirum affectus ſuos, brachij, & oculi mutilationem, hoc eſt, & à corporea, & à ſpirituali robore deſeretur. Non enim quippiam boni praſtare poterit, Deo illum non corroborante, & animo obſcurabitur, qui diuini luminis expers eſt.* Quapropter dirigendi ſunt affectus, contundendæ, ac præcidendæ paſſiones, vt puram, & defœcatam intuendo Deo aciem animi ſeruemus. Aptè propterea legit Origenes, *Exciſi ſunt*, nimirum Nazaræi ſapphiro pulchriores, quia ad pulchritudinem, & puritatem affectus non niſi per mortificationem, & truncationem affectionum peruenient. Idcirco gladium habeant in oculo dextro, & in brachio dexrto, vt quæ ſiniſtra ſunt videant, & ſuccidant, alioqui quæ ſiniſtra ſunt, perdent dextra Neque lenius ſupplicium eſt ſolùm dextro oculo, & brachio priuari, relictis ſiniſtris partibus; nam per hoc ſignificatur non ſolùm inhabiles ad bnna efficienda eſſe, qui ſcopum vitæ, & actionum ſuarum Deum non habent, ſed (quod duplex malum eſt) potentes eſſe ad mala: videbunt quidem, ſed vt perdantur, ſiniſtro ſcilicet oculo, quæ terrena ſolùm reſpicit: operabuntur quidem, ſed ad interitum proprium, ſiniſtro ſcilicet brachio, quod nihil bene faciet. Neque ſolùm in vanum laborabunt, ſed in detrimentum, & perniciem ſuam. Ad bonum autem, quantumuis operentur boum, infœcundi, & mutili, & debiles ſunt. Hanc quoque imbecillitatem eum deformitate animi iunxit Nabum Propheta, dicens: *Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata, & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum, ſicut nigredo ollæ.* Anima enim quæ ſua quærit, non quæ Dei ſunt, in mille curas ſcinditur, per mille dilaceratur affectus, in vniuerſis diſſipatur virtutibus. Eius cor ad bonum tabeſcet, neſciens viriliter proponere, & deſiderare ſalutem. Genua, renes, & omne robur ad meritoriè operandum langueſcit. Denique quæ cum bona intentione venuſta, & grata Deo erat, candidior niue, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, ipſoque auro Arabiæ, & ſapphiro pulchrior, denigrata eſt, ſicut olla retoſta, & fuliginoſa, & ſicut carbo extinctus. Nahum 2.

Sancti Paſchaſij ſententia ad verba Hieremiæ citata de damnis impuræ intentionis, & vanæ gloriæ.

Capvt XIX.

Sed vt maioris auctoritatis interpretamento dicta confirmentur, proferam S. Paſchaſij verba, qui ex citata ſancti Prophetæ Hieremiæ lamentatione improbæ nocumenta intentionis, & affecti ad propriam gloriam animi colligit: *Vtinam, inquit, quod ad decorem Chriſti & laudem ſponſæ prædicatur, fauor vanæ laudis, & deceptio prauæ ſimilitudinis, proh dolor! non obfuſcaret: quia plerumque dum virtutum copia, etiam pluſquam expedit, proſperatur, in quadam ſui fiducia mens adducitur: & malè decepta propria præſumptione certæ, aut vanæ laudis, repentè peccato ſubripiente fuſcatur: & quod diu videbatur virtutibus nitidiùs reſplendere, Diaboli fraudibus deprauatur. Vnde rectè ſubiungitur ſub Heth litera. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum. Nigri ergo poſt candorem fiunt: quia emiſſa Dei iuſtitia, cùm ſuæ laudis fauorem quærunt, aut cùm de ſe malè præſumunt, ad ea etiam quæ non intelliguot, neque præuidere queunt, peccata delabuntur. Et quia poſt amoris ignem ad frigus corporis, vel etiam poſt candorem vitæ ad ignauiam vanæ laudis veniunt, non immeritò facies eorum extinctis carbonibus nigrior comparatur. Propterea igitur via regia gradiendum eſt, & Scriptura: Ne ſis (inquit) nimium iuſtus. Quia profectò, dum quidam nonnunquam Dei timorem ex ſui fiducia præſumentes deſeruut, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus rectè ſubditur, & non ſunt cogniti in plateis. Platea quippe à Græco ſermone veniens, pro latitudine præſentis vitæ dicitur. Quid verò eſt humanæ mentis anguſtius, quàm voluntates proprias abnegare, deſideria carnis frangere, nullius laudis gratia, vel deceptionis à iuſto, & recto deflectere. De cuius nimirum vitæ ingreſſu Veritas dicit: Intrate per anguſtam portam. Sed quid latius quàm nullis ſubire legibus, propriiſque deſeruire voluntatibus, & nullis obuiare impulſibus? Alioquin niſi tales ſua quærerent, nunquam tantis decorati virtutibus in plateas deueniſſent. Platearum namque latitudo eorum eſt, qui ſua quærunt, & ad omnia ſe defendunt. Idcirco hi non ſunt cogniti in eiſdem plateis: quia non ſunt qui videbantur, cùm Dei iuſto iudicio inſpiciente, reprobi inueniuntur. Qui ergo per fiduciam ſanctitatis poſtpoſito meliorum iudicio voluntates proprias ſequuntur, quaſi per plateas pergunt, ſed non ſunt cogniti in plateis: quia de vita ſua vt aliud oſtenderent, quando frangendo voluntates proprias, in anguſto calle ſe retinebant: aliud verò cùm de ſe præſumentes, poſt ſui cordis intentionem fiducialiùs vadunt. Vnde ſequitur: Adhæſit cutis eorum oſſibus. Quid per oſſa niſi duritia fortitudinis deſignatur? Quid per cutem niſi mollities noſtræ infirmitatis exprimitur? Cutis ergo adhærere oſſibus dicitur, quia ab eis prauè ſentientibus, infirmitas vitiorum duritia virtutis putatur: vel etiam, quia cutis omnia interiora circumtegit, rectè oſſibus adhærere dicitur: dum omnia, quæ exteriùs geruntur, intus fauoribus vanæ laudis quaſi oſſibus iunguntur. Hæret namque cutis oſſibus, dum adulatio pro rebus exteriùs bene geſtis, intus virtutibus ſociatur. Quibus ita coniunctis, merces euacuatur: dum & infirma ſunt, quæ faciunt, atque elationis fiducia decepti, fortioribus de ſe ſuſpicionibus blandiuntur. Vnde, quia magna de ſe ſentiunt, propterea ex ſua nequitia ſe emendare contemnunt. Hinc quoque adiungitur:* In cap. 4. Thren.

gitur: *Aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Culpa quippe eorum tanto inſenſibilior redditur, quanto apud eos etiam, ac ſi vera virtus laudabilis habetur. Quam rectè mox aridam aſſerit, quia nulla veræ virtutis gratia intus virideſcit: ſed facta plangitur quaſi lignum. Hinc ſanè eſt quod nonnulli à proximis dum corriguntur quaſi lignum inſenſibiles remanent: atque ab omni virore gratiæ alieni, intus areſcunt. Quod & ſæpe eis contigit, qui altiora ſe appetunt, & intus bonorum conſortia, quaſi bona habeant opera, occultè vitiis deſeruiunt. Candent quidem exteriùs niue pulchriùs, & lacte candidiùs: ſed conſcientia vitiis denigrata eſt, eo quòd omnem calorem Dei, ardoremque intus amittunt. Qui bene à prudentioribus in plateis non ſunt agniti; quia dum per latam intus & voluptuoſam vitæ viam ambulant, non cognoſcuntur eſſe, quod ſe fingunt. Sed aridi Spiritus ſancti gratia inueniuntur, qui cùm correpti à ſuis, vel increpati fuerint, tanto inſenſibiliores, vt lignum inueniuntur, quanto aridiores intus fuerint, & occultiùs peccare probantur. Dedignantur igitur aliud videri quàm quod ſe fingunt: vnde, & rubicundiores ſe iactant ebore antiquo, ſcilicet ſanctis præcedentibus electis meliores: atque eiſdem inter eos, qui iam cœleſtem ducunt vitam, pulchriores: quo longè diu indurati impudentiæ ſupercilio, quaſi lignum arefacti, inſenſibiles iotus fiunt. Vnde nonnunquam nullis verberibus, nullis correptionibus, nulliſque terroribus, & nullis perſuaſionum, ſeu blandimentorum alloquiis emendantur, ſed ſemper deteriores fiunt. Quid & moribus eorum, qui ſub hypocriſi honeſtiora virtutum, atque præcipua meritorum opera iactant ſe habere, bene congruunt vtrique verſus; quia dum ſapphiro pulchriora exteriùs ſuorum facta operum oſtentant, intus omnia morum ornamenta, & nigriora carbonibus, & mortua iacent. Quorum areſacta eſt virtus: & vt lignum, cuncta eis ſine fructu, putribilia iacent: neque poteſt ſentire anima talis, falſis decepta coloribus, quantum intus à Deo præciſa inſenſibilis iaceat.

Doctrina S. Baſilij de damnis deprauatæ intentionis.

CAPVT XX.

CÆTERVM quamuis damna corruptæ intentionis ſatis ſignificauerimus, multum credo adhuc iuuabit magni Baſilij doctrina in conſtitutionibus Monaſticis. Fugienda, inquit, cum primis inanis gloria eſt: quæ non ante labores, à laborum nos ſuſceptione deterret (ſiquidem leuius hoc eſſet malum omnino,) ſed iis iam exantlatis, mercedis præmiis exuit, ſpoliatve. Illa expugnatu difficilis, & callida ſalutis noſtris inſidiatrix, illa vel in ipſius cœli conuexis, inſidiarum aduersùm nos collocatrix, virtutes ramis in cœlum vſque licèt expaſſis ac porrectis adornatas profligare, ac deturbare pertinaciſſimè contendit. Simulat enim illa pietatis mercatorem euiuſque modi virtutum mercibus onerariam mentis nauem ſuffarcinaſſe, & com- Cap. 11.

pleſſe animaduerterit, procella ſua ocyùs excitata in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat, atque aquis peſſundet. Illius enim qui ad Regnum ſuperum nauigationis ſuæ curſum inſtituerat, mente illa ad res humiles, gloriaſque hominum contemplandas detorta, vniuerſas repentino ſpiritu ex animo diuitias exufflat, & ſubrutis virtutum fundamentis proceritate ſua ad cœlum vſque pertingentes labores deturbat, & terræ allidit. Cùm nos, vt eorum ab hominibus præmia expectemus, impellat, quos æquum erat, cùm oculos in ſolum Deum haberemus intentos, illique vni rectè facta noſtra reſeruaremus, meritam ab eo ſolùm mercedem referre. Nos verò cùm ad amplectendas virtutes, hominum iudicio impulſi potius accedamus, quàm Dei, inanemque ab illis gloriæ mercedem flagitemus, iure optimo diuinorum præmiorum fruſtrationem incurrimus: quippe qui non propter Deum labores adeamus, ſed hominibus operarios nos metipſos locemus: à quibus cum mercedis loco, mercedis iacturam auferamus, quid eſt, quod nobis adeò reddi amplius poſcamus, propter quem animum, vt operis aliquid faceremus, noſtrum nunquam induximus? Quòd autem hoc verum ſit, animaduerte, quod ſacroſanctum Euangelium dicat de iis hominibus, qui hominum cauſa, quæ recta ſunt, faciunt: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Age igitur, quando hæc ita ſunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium opum exſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eandemque mellis illitu fraudis ſuæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem, quod opinor ea de cauſa facit, vt vitio ſe illi auidiùs ingurgitent, nec vlla illius expleantur ſatietate. Dulce quid humana imperitis gloria eſt. Quin & qui ab hac captiui tenentur, ij facillimè ab ea impelluntur, recto rerum iudicio aberrent. Qui enim hanc concupiſcit, is ſpreto domeſticorum conſilio, id vnum tantummodo perfectum, & magnifaciendum iudicabit, quod apud imperitiam, ac promiſcuam multitudinem in admiratione eſſe animaduerterit. Quo fit, vt ſi nequiſſimi etiam, ac omnis prorſus iudicij expertes ſint, qui quæ mala ſunt admirentur, neceſſariò tamen ea omnia, quæ à ſtudiorum ſuorum iudicibus probata eſſe crediderit, facturus ſit, qui laudari ſe cupit. Ex quo intelligi facilè poteſt, inanem gloriam non ad euertendas modò honeſtas actiones valere, ſed ad improbas etiam iter munire. Quocirca danda opera eſt, ne quoquam omnino à recta ratione, Deove rectæ rationis authore oculos dimoueamus: ſed iter illud, quod à Deo nobis monſtretur, teneamus. Atque in huiuſmodi curſu, ſiue is ab aliquibus laudetur, ſiue contrà vituperetur, coniectis in cœleſtem laudatorem oculis, neque illorum laudes magnopere curemus, ſed tantùm de recto in rebus bonis iudicio illorum gratulemur, neque iſtorum vituperatione ab eo vllo modo dimoueamur, potiuſque eorum vicem, tanquam recto iudicio carentium atque in grauiſſimis tenebris verſantium doleamus.

Qua

Quæ requirantur ad puram intentionem habendam.

Capvt XXI.

Reliqvvm eſt, vt dicamus, qualis debeat eſſe hæc bona intentio, quæ tam pulchra & vtilis eſt habenti illam, & tam noxia ſolet eſſe carenti. Hoc pariter Hieremias indicauit: neque enim ſine cauſa ſanctus Propheta dum commendat Nazaræos, ſapphiro pulchriores illos vocat; non ait pulchros ſicut ſapphiros, ſed *ſapphiro pulchriores*; nam per *ſapphirum*, cuius color ſimilis eſt cœlo, cœleſtium ſpes ſignificatur. At perfecti Nazaræi, & Religioſi, quorum puritas, & pulchritudo animi tantopere celebratur, non in hoc debent ſubſiſtere, vt ſolùm propter cœlorũ Regnum, & ſpem æterni præmij bene agant. Pulchrior, & nobilior debet eſſe eorum affectus, omne proprium commodum, & reſpectum, ipſumque cœlum tranſcendunt, & ſolius Dei amore, licèt nullam expectarẽt remunerationẽ beneoperari, ſummo placere bono ſtudent, ac conantur. Deinde oportet, hunc affectum non tantùm in eumm ini habere, & ſolùm circa vitæ ſtatum, verùm etiam circa ſingularia quoad poſſimus opera, vt in ſingulis mulceat cor noſtrum hæc ſancta cogitatio, hoc faciam amore ſolo creatoris mei; quod etiam ſubmonuit Hieremias ſecundùm aliam verſionem, dicens de Nazaræis: *Sapphirus membra eorum*; ac ſi diceret, ſingula opera, quæ in Scriptura non ſemel per membra intelliguntur, ſapphirum bonę intentionis habent.
Ezech. 10. Sancta quoque, & myſtica illa animalia in throno gloriæ Dei omnes artus plenos oculis habebant, quos non ſolùm in capite geſtabant, ſed in collo, & manibus, & pennis, quia ſerui Dei, qui gloriam Dei ardenter quærunt, non ſolùm in communi, & præcipua ſuæ vitæ ratione ad Deum intendunt, ſed in ſingulis ſuis actibus diuinum ſemper reſpiciunt, & quærunt honorem. Hæc duo quæ apud Hieremiam inuenimus adumbrata, in noſtris conſtitutionibus clariſſimè admonemur.
Reg. 17. ſum. & p. 3. c. 1. § 16. *Omnes*, inquit, *rectam habere intentionem ſtudeant, non ſolùm circa vitæ ſuæ ſtatum, verùm etiam circa res omnes particulares: id ſemper in eis ſyncerè ſpectantes, vt ſeruiant, & placeant diuinæ bonitati propter ſe ipſam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus præuenit nos potius, quàm ob timorem pœnarum, vel ſpem præmiorum (quamuis hinc etiam iuuari debeant) & in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum, vt affectum vniuerſum in ipſarum creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo iuxta ſanctiſſimam, ac diuinam ipſius voluntatem.*

Huc aſpirare debemus, hîc conniti, vt mero & puriſſimo Dei amore omnia faciamus, quò certè pauci pertingunt, ſed omnes illuc contendere oportet, ſi noſtræ profeſſioni ſatisfacere velimus, quæ eſt perfectionis diſciplina: nam ij, qui metu aliquo temporali, aut timore ſolùm æterni ſupplicij religioſam vitam eligunt, dum vltrà non aſcenderint, longiſſimè ſunt à profeſſione ſua, & perfectionis conatu: ab ipſa, inquam, religioſa vita, de quorum negligentia ſufficiet dicere, quæ ſanctus
De Perfect. Monach. c. 4. Petrus Damianus deplorat. Nonnulli namque (quod ſine gemitu dicere nequeo) ſic ad nouæ Religionis tranſeunt Ordinem, vt tamen præteritæ vitæ nunquam deſerant vetuſtatem: hi nimirum Gabaonitæ ſunt, non Iſraëlitæ. Notum quippe eſt, quòd Gabaonitæ mortis timore perterriti ad Iſraëliticum populum cum fraude & calliditate venerunt, ita vt ſe veteribus veſtimentis induerent, panes etiam ſiccos, vtres, ſaccos, calceiamenta, atque omnia ſimul inueterata portarent: quibus ſcilicet, poſtquam impetrato fœdere vita donatur, conſequenter etiam fraus patefacta cognoſcitur, quos Ioſue comperto dolo ſub maledictione damnauit, & aquæ geſtatores, lignorumque cæſores perpetuo iure conſtituit. Qui ſunt autem Gabaonitæ, qui ad Iſraëlitas mortis formidine tranſeunt, niſi ij, qui ad ſeruitutis diuinæ militiam non perfectionis amore, ſed tremefacti ſcelerum ſuorum immanitate confugiunt? Sed eorum nonnulli veſte, non mente mutati, ſiccos panes ad eſum portant, quia azyma adhuc ſinceritatis, & veritatis ignorant: vetuſtis veſtibus conteguntur, quia in veteri adhuc homine conſtituti, nouum induere neſciunt, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Poſtremò omnia videntur inueterata, quæ geſtant: quia in præteritæ vitæ vitiis perſeuerant, non obtemperantes præcipienti Apoſtolo. *Renouamini*, inquit, *ſpiritu mentis veſtræ*; nec illa eis ſententia congruit, qua dicitur: *Vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia noua.* Ad nouitatem quippe ſuperficie tenus venientes, re ipſa in vetuſtate perſiſtunt: quia emendationem, & nouam conuerſationem in ſuis moribus non oſtendunt. Tales itaque maledictione plectuntur, nec ad ſortiendam cum Iſraëlitis hæreditatem aliquatenus admittuntur. Non enim ex illorum numero ſunt, quibus dicitur, *In hoc vocati eſtis, vt benedictionẽ hæreditate poſſideatis.* Aqua autem inſipida eſt, & ligna dura: ligna ergo cædere, & aquas vectare iubentur; quia guſtu intelligentiæ ſpiritualis ignari, duris, atque inſenſibilibus exterioris exercitij negotiis occupantur. Sic igitur aliquam quidem in exterioribus videntur vtilitatem Eccleſiæ ſeruiendo conferre: ſed quia ſeruiliter viuũt, hæreditatem inter Iſraëlitas nequeunt poſſidere. Talium tamen nonnulli ſi frequenter admoniti fuerint, ſi eis correctionis ſeueritas adhibetur, ſi pœna prauis irroganda proponitur, ſi terror denique tremendi iudicis intentatur, de ſeruitute ad libertatem veniunt, & ad capeſſenda cum cæteris iura hæreditariæ poſſeſſionis aſſurgunt. Quorum ſcilicet typum Tribus illæ tenuerunt, quæ & priùs præcipiente Moyſe, deinde Ioſue exequente, ad maledicendum ſunt conſtitutæ. Sic enim Scriptura teſtatur. *Omnis populus, & omnes maiores natu, duceſque, ac iudices ſtabant ex vtraque parte Arcæ, in conſpectu Sacerdotum, qui portabant Arcam fœderis Domini, vt aduena, ita & indigena; media eorum pars iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal.* Porrò ij, qui ſtabant iuxta Garizim, benedicebant factores legis; qui verò iuxta Hebal, maledicebant tranſgreſſores legis. Quid enim deſignant iſti, qui benedictionis funguntur officio, niſi eos procul dubio, qui non pœnarum metu, ſed ſpe cœleſtium præmiorum, & perfectionis amore ad ſeruitia diuina confugiunt, & iugiter Deũ ſanctæ conuerſationis operibus benedicunt: Quid autẽ illi, qui ad maledicẽdum poſiti ſunt, niſi eos, qui non amore perfectionis æſtuant, non deſiderio gloriæ cœleſtis anhelant; ſed ad hoc tantùm, quæ in lege præcepta ſunt, ſeruant, vt gehennæ pœnas euadant? Ad maledicendum itaque miſſi ſunt, vt dum maledicunt, ipſi ad con-

ſcientiam redeant,& perpendentes pœnas in Scripturis peccatoribus conſtituras, à peruerſitate peccandi, ſe vel timore compeſcant. Hinc eſt planè, quod illæ Tribus, quæ ad benedicendum conſtitutæ, nobiliores ſunt, filij videlicet vxorum; quæ autem ad maledicendum ignobiles, vt puta ancillarum, ideſt, Gad, & Aſer, Dan, & Nephthalin, inter quos erat Ruben, qui maculauerat thorum patris, & Zabulon Liæ vltimus. Notandum autem, quia omnes ſtetiſſe circa Arcam fœderis referuntur, quia omnes tam nobiles, quàm ignobiles, ac per hoc ſiue tepidi, ſiue in Dei amore feruentes à ſancta Eeclesia non recedunt. Hoc autem à Moyſe quidem præceptum, ſed longè poſt Ioſue eſt executione completum. Quid per Moyſem niſi lex, quid per Ioſue, niſi Euangelium figuratur? Benedictionem ergo iuſtis debitam, & maledictionem peccatoribus irrogandam, non ſolùm lex vetuſta prædixerat, ſed Euangelicæ nouitatis gratia manifeſtat. Sed quamquam iſti ſint nobiles, ideoque benedictionis potiantur officio, ignobiliores illi, ac per maledictionis formidinem terreantur: quia tamen aduersùs hoſtes vnanimiter dimicant, quia communi laboris inſtantia iure fiunt ſubimet inuicem cohæredes. Verumtamen valde clarius eſt, vt feruentes atque robuſti nobilium inueniamur titulis inſigniti, quàm molles in aliquo degeneri compellamur ignobilitate notari. Fugiamus ergo Hebal, contemnamus multo magis & Gabaonitas: vt neque exterioribus implicatos ſeruilis nos conditio deprimat, neque ſolo gehennæ timore conſtrictos inter ignobiles filios deſidiæ torpor abdicat. Vindicemus virtutum armis hæreditatem noſtram, vt poſſeſſionis noſtræ terminos aſſiduæ culturæ ſudoribus dilatemus.

De his, qui præmij expectatione ſeruiũt Deo,

CAPVT XXII.

ILLÆ autem Tribus montis Gazirim præmia cuſtoditæ legis prædicantes, quamuis perfectam intentionis puritatem non demonſtrẽt, negare non poſſumus, quin nobilis prætextus ſit ſpes præmiorum, & vicinus charitati, quique ad perfectionem extimulet, ac propterea à multis cõmendatus Patribus, & quidam aliquando ea ſpe adiuti ſunt. S. Auguſtinus ſic ait: *Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incommutabilis veritatis, atque ſapientiæ, vt etiamſi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ, pleni delitijs, & circumfluentia temporalium bonorum rectè meritoque contẽnerentur.* Idem Doctor dicit: *Chriſtus inquit: Hæc eſt vita æterna, vt credant te verum Deum, &c. Hic fructus omnium Eccleſiæ laborum eſt, quos illa iam parit cum gemitu, & dolore, tum læta producet, & exultans: iam gignit in ſpe, tum in viſione iam rogat & petit, tum laudes, & benedictiones offeret. Ideoque perfectum hoc eſt, quia omne opus & ſeruitium, & quidquid bene agimus eò tendit, ad hos fructus, & in hanc viſionem refertur: hic liber expetitur, non alterius rei gratia, ſed propter ſeſe. hic ſcopus, & finis rerum omnium eſt. Huius gratia viuimus, morimur: ideoque nihil ſupra, aut præter hoc deſideramus. Hoc Philippus ſentiebat, cùm diceret: Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Audiendus quoque S. Chryſoſtomus. *Conſideratio Regni cœleſtis, & pœna infernalis operetur in nobis vitæ, & morum emendationem, quod ait Sapiens: Fili memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Item: *Homo natura ad omnem humanitatem, & virtutem inſtitutus, ille non alicuius ſpe præmij, non timore pœnæ, ſed propter Chriſtum Chriſto ſeruiet, exemplo Pauli; quæ tamen vtraque ingi conſideranda ſunt nobis meditatione: ſi quomodo à vitijs exſurgamus, eaque amplectamur quæ docet. Si qua voluptate afficeris, veniat in memoriam Regnum Dei; cõparatione huius vileſcit. Si quis terror, pœna, vel atrox incurret, comparatione gehennæ voluptas reputabitur.* Sic etiã Clemens Alex. ait: *Qui magna vi contendit, vt perueniat ad ſummum cognitionis, moribus ornatus, habitu compoſitus, habens omnia commoda eius, qui eſt verè cognitione præditus, pulchras reſpiciens imagines: multos quidem, qui rectè, & ex virtute ſe antea geſſerunt; Patriarchas, plurimos autem Prophetas, & innumerabiles Angelos, & poſtremum Dominum, qui nos docuit, & oſtendit, fieri poſſe, vt ſũmam illam vitam aſſequamur. Propterea omnia mundi bona, quæ ſunt in promptu, & ad manum, non diligit, ne humi remaneat, ſed ea, quæ ſperãtur. Hac ratione labores, tormenta, & afflictiones ſuſtinet: non vt qui ſunt fortes, apud Philoſophos, propter ſpem: quod præſentes quidem ſint ceſſaturi dolores, ſint autem rurſus iucundorum futuri participes, ſed cognitio ei perſuaſionem ingenerauit firmiſſimam futurorum ſpei recipiẽdæ; quocirca non ſolùm, quæ hic ſunt ſupplicia, ſed etiam iucunda contemnit omnia.* Iſte quidem maximis à Deo præmiis coronandus eſt, quorum tamen neque cura, neque expectatione torquetur: ſatis certus quanta ſuauitate Deus & liberalitate complectatur amantes ſui. Tandem Hildebertus aduertit: *Magnum ſuſcepta Religionis eſt diſpendium, dum modica ſuſpirant, quæ reliquerunt, quanta pro relictis expectent, non attendunt. Tales profectò bona quæ diligenda ſunt inutiliter eligunt, dum prædictis exterriti procellis, ad non diligenda mente reducuntur.*

De lib. arb. lib. 3. c. vlt.

In Ioan. tractat 101. & in Pſ. 115. & ſerm. 1 fer. 2 Pent. & de Ciuit. Dei, lib. 10. c. 4.

Eccl 7.

In 2. Theſ. c. hom. 2.

7. ſtrom.

Epiſt. 31.

Perfectiſſima intentio ſolum Deum per ſe ipſum reſpicit, & amat.

CAPVT XXIII.

VERVM licèt laudabilis ſit hic titulus bonorum operum, dum retributio gloriæ nos inſtigat tantorum bonorum ſpe allectos, plus tamen meretur Deus, & vlteriùs aſſurgit pulchritudo intentionis puræ, vltra ſapphirum, vltra cœlum ipſũ, atque in creatore ſolo ſiſtit, & quieſcit: puritas enim & munditia cordis eſt ſolum Deum reſpicere, iuxta Saluatoris dictum, qui meritò mundos corde beatos pronũciauit, quoniam ipſi Deum videbunt in omnibus ſuis actibus Deũ reſpiciunt, & mille in Deum oculis intẽdunt: aliud autem nihil reſpectant, quod fiet cùm incenſa anima diuino amore, & igne charitatis flagrãs nulla ſpe retributionis, ſed ſole Dei dilectione agit quæcumque agit. Hoc ſubindicauit Origenis lectio, qui de Nazaræis inquit, *igniti ſunt*, igniti, inquam, charitate, & propter charitatem perfecti Religioſi operantur omnia. Hoc docuit Iuonem Dominicanum occurrens fœmina, lebetem vna manu geſtans carbonibus plenum, & altera amphoram aquæ; & roganti Iuoni, cur hæc geſtaret, reſpondit:

Digitized by Google

Volo his carbonibus adurere paradiſum, & hac aqua extinguere infernum; cur ita? iterum rogauit Ino. Vt nemo, inquit, fœmina operaretur ſpe paradiſi, aut timore gehennæ, ſed vnicè propter Deum ſolum. Qualiter hoc faciendum ſit, qua lege, qua fide, quo amore, imò quo amoris exceſſu, operæpretium erit demonſtrare ex priſcorum Patrum dictis vtique & factis; quippe fecerunt Sancti, quod dixerunt. S. Auguſtinus ſic ait. *Qui propter beatitudinem ſempiternam, & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam Sanctis futura promittuntur, vult fieri Chriſtianus, vt non eat in ignem æternum cum Diabolo, ſed in Regnum æternum intret cum Chriſto; verè ipſe eſt Chriſtianus: cautus in omni tentatione ne proſperis rebus corrumpatur, & ne frangatur aduerſis. Qui etiam proficiendo perueniat ad talem animum, vt plus amet Dominum, quàm timeat gehennam, vt etiamſi dicat illi Deus: Vtere delitijs carnalibus ſempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennas mitteris, ſed mecum tantummodo non eris: exhorreſcat, & omnino non peccet. Non iam vt in illud quod timebat non incidat, ſed ne illum, quem ſic amat, offendat. In quo vno eſt requies, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quam præparauit diligentibus eum.* Accedat ſanctus Hieronymus. *Perfecta* (inquit) *dilectio foras mittit timorem. Nam qui diligit, non ideo imperata cuſtodit, quia aut timore pœnarum, aut præmij auiditate compellitur: ſed quia hoc ipſum, quod à Deo iubetur, eſt optimum.* Audiamus etiam ſanctum Leonem. *Diligenti Deum ſufficit ei placere, quem diligit; quia nulla maior expetenda eſt remuneratio, quàm ipſa dilectio. Sic enim charitas ex Deo eſt, vt Deus ſit ipſe charitas, quod vtique pius & caſtus ita gaudet animus implere, vt in nullo extra illum cupiat delectari. Veriſſimum namque eſt, quod dicit Dominus, Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Locupletiùs Clemens Alexandrinus ſic diſſeruit: *Eſt perfecti hominis opus, non à malis abſtinere; ea enim eſt baſis maximi profectus, ſed nec aliquid boni facere, vel propter metum (ſeruilem ſcilicet.) ſcriptum eſt enim: Quo fugiam, & vbi abſcondar à facie tua? ſi aſcendero in cœlum, illic es: ſi abiero vſque ad extrema maris, illic eſt dextera tua: ſi deſcendero in abyſſos, illic ſpiritus tuus. Sed neque propter ſpem promiſſi honoris, ſcriptum eſt enim: Ecce Dominus, & merces eius à facie eius, vt reddat vnicuique ſecundùm opera eius, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, quæ præparauit Deus ijs, qui ipſum diligunt, hoc eſt, viri perfecti nequaquam ſolliciti ſunt, quam mercedem præſtiti laboris referant, ſciunt ſatis, quod pretium illos maneat, qui Deum ex toto corde diligunt. Sed qui perfectus eſt, opus bonum eo ſolo expetit, quoniam honeſtum eſt, & quia Deum amat: ea operum ipſius cauſa longè grauiſſima eſt, auſim enim dicere, non eo operatur, quòd ſaluus eſſe velit. Si quis ergo ei per poſitionem propoſuerit, vtrùm malit Dei cognitionem, an ſalutem æternam (ſint autem ea ſeparata, cùm ſint omnino eadem) nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem: propter ſe iudicans expetendam eam, quæ per charitatem fidem tranſcendit. Hæc ergo prima eſt eius beneficentia, qui perfectus eſt, quando non fit propter aliquem vſum eorum, quæ ad ſe pertinent. Cùm autem iudicauerit pulchrum eſſe, & honeſtum facere id, quod bonum eſt, vehementer incitata operatio bene ſe gerit in omni actione, non in aliqua quidem rectè, in alia verò non: ſed in benefaciendi habitu conſtituta, neque propter gloriam, neque propter mercedem, aut ab hominibus, aut à Deo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei vitam peregerit. Et qui huiuſmodi ſunt, dicit Dominus: Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter. Et caro eſt mortua, viuit autem ipſe ſolus, vt qui ſepulchrum in templum ſanctum Domino conſecrauerit.* Idem alibi ſcribit. *Qui nudæ vocationi obedit, quatenus vocatus eſt is, neque propter timorem, neque propter voluptates tendit ad cognitionem. Non enim conſiderat an aliquod vtile lucrum, vel delectatio aliqua extrinſecus conſequatur, ſed tractus à dilectione, quæ veri amatoris, & ad id quod oportet adductus, pius eſt Dei cultor. Vnde nec ſi per poſitionem à Deo acceperit poteſtatem faciendi ea, quæ ſunt prohibita citra vllum pœnam: neque ſi propterea eum beatorum bona accepturum promiſſum fuerit: ſed nec ſi perſuaſum habuerit fore, vt Deum lateant ea quæ gerit (quod quidem fieri non poteſt) in animam vnquam eſſe inducturum, vt aliquid agat præter rectam rationem: cùm id quod verè eſt honeſtum, & ex ſeipſo eligendum, & ea ratione expetendum amandumque, ſemel elegerit.* Rurſus ait. *Hi qui ſe ex recta ratione componunt, deinde cùm Deus vocauerit prompto, & alacri animo ſe tradentes, confirmant vocationem ex eo, quòd nihil temere, & præcipitanter de ſe conſtituerint, atque ita ſeſe probāt viros, de quibus Scriptura teſtatur: Viriliter agite, & conſortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino. Neque ergo metu maiorum minora tolerant, vt reliqui: neque timentes, ne vituperentur ab ijs, qui ſunt eiuſdem loci & ſententiæ, in confeſſione perſiſtunt vocationis; ſed propter ſuam in Deum charitatem libentes parent vocationi; nullum alium ſibi ſcopum proponentes, niſi vt Deo placeant, non autem propter præmia laborum. Nam alij quidem propter gloriæ cupiditatem, alij verò quod vitent aliud grauius ſupplicium, alij verò propter quaſdam lætitias, & voluptates poſt mortem futuras, patiuntur pueri in fide: beati quidem, ſed qui nondum ſunt viri in ea charitate, quæ erga Deum eſt. Sunt enim quomodo in Gymnicis certaminibus, ita etiam in Eccleſia coronæ virorum, & puerorum. Charitas autem ipſa propter ſe eſt eligenda & expetenda, non propter aliquid aliud.* Hæc ille.

Lib. de catechiz. rudib. cap. 17.

Epiſt. ad Damaſc. de filio prod.

Serm 7. de ieiun ſeptem. menſ.

Matth. 6.

4. Strom.

7. Strom.

Neque prætereundus eſt author libelli de diuinis motibus ad imitationem Dei, puritatem intentionis commendans. *Eſt mos Dei, quòd in omnibus operibus ſuis & ordinatione nihil commodi ſui reſpicit, ſed purè & principaliter æternæ & immenſæ bonitatis ſuæ abundantium, & hoc ad humanæ, & angelicæ creaturæ vtilitatem. In creatione quippe, & conſeruatione cœlorum quatuor elementorum, & omnium quæ in eis ſunt, non conſiderat ſuum commodum, ſed hominum & Angelorum fructum. Similiter quidquid ordinat in creaturis quibuſcumque, ſiue ſit temperies, ſiue intemperies, ſiue penuria fructuum, ſiue abundātia ſiue ſanitas, ſiue peſtilentia: quidquid etiam facit circa homines conferendo gratiam, ſiue ſubtrahēdo, ſiue permittit eos ſanos eſſe, fortes, debiles, vel infirmos, pauperes, ſiue diuites, viuere, ſiue mori, ſiue permittit regnare bonos, ſiue malos, intueri, ſiue affligere pauperes, ſiue iuſtè iudicare, ſiue iudicium peruertere, omnia ordinat, omnia facit, omnia permittit propter ſuam inæſtimabilem bonitatem, & hominum communem*

Opuſc. 62. S. Thomas c. Deus non quærit commodū ſuum.

vtilitatem. Similiter in omnibus deſiderijs, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, verbis noſtris, & in alijs. Omnibus quæ facimus, dimittimus, ſuſtinemus à Deo, pura debet eſſe intentio noſtra, vt nec placentiam, nec diſplicentiam hominum, aut noſtrum commodum attendamus, aut gratiam in præſenti, aut gloriam in futuro, ſed tantummodo purè, & principaliter propter Dei admirabilem bonitatem, & ſecundariò proximorum ſalutem: ſed quando magis & purius partem Dei reſpicimus, & quanto minus noſtram, & aliorum vtilitatem attendimus, tanto acceptabilius eſt Deo, & tanto vniuerſitati fructuoſius opus noſtrum. Heu, quantum Deo deperit, & vniuerſitati, quòd in factis noſtris aliquid reſpicimus, niſi purè Dei bonitatem. Cùm enim ventilabro ſuo ſeparabit paleam à tritico, per ſapientiam ſuam purum diuidet ab impuro, tunc ſolum triticum in horreum aſſumet, palea comburente, id eſt, ſolum id quod propter Deum factum eſt purè, vel dimiſſum, vel paſſum, in cœlo remunerabitur, & vniuerſitati vtile reddetur, dicente Propheta: Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.

Qualis ſit pura intentio, ex ſancto Chryſoſtomo docetur.

CAPVT XXIV.

IVCVNDVM eſt recolere amatorum Dei ſuauiloquos affectus, cùm omnem priuatum tranſcendentes amorem, ſe vnicè creatori dedunt, ſe totos dulci IESV Redemptori ſuo liberaliter prodigunt. Quòd ſi hoc audire, aut legere dulciſſimum eſt, quid erit facere: nos paruuli qui minus facimus, ſaltem non grauemur audire, vt ſaltem ſanctorum Patrum pia æmulatione accendamur. Ad hunc dulcem & pretioſum animi affectum, puriſſimæque intentionis pulchritudinem, cuius exemplum adhuc ex ſancto Chryſoſtomo, & Bernardo producemus, vt noſtris illam cordibus conſtantiùs infigamus. Primus Chryſoſtomus loquatur.

De fide Annæ hom. 5. 1. Reg. 12. *Anna Samuelis mater non ſimpliciter Deo loquitur: Læta ſum, ſed lætata ſum in ſalutari tuo; non exulto quòd bene mihi ſit, ſed quòd per te Deus meus, quòd tu vocem deprecationis meæ exaudieris. Ad eum modum afficitur anima ſanctiſſimi cuiuſque quæ in Deum datorem tota conuerſa, doni magnitudinem peræquè non attendit: quia ſcilicet Deum ipſum ſui amoris finem ponit, non munera, quæ eatenus probat, & accipit, quoniam de manu Dei veniunt. Hoc vtique decet gratos famulos & miniſtros, vt Deo ſuæ primas iure meritoque debitas ſemper tribuant: atque vtinam noſtrum omnium ſit idem animus, vt cùm in peccatum aliquod delapſi ſumus, omnibus modis doleamus: non quia pœnas & tormenta ſentimus, ſed quòd Dei offenſam ſcelere noſtro incurrimus.* Iterum. *Si bene quicquam in nobis factum eſt, reſpectus noſter non erit ad præmium cœleſte, ſed quia actiones noſtræ illi placuerint, qui cœlorum Dominus eſt, lætari poſſumus. Enimverò cor viri intelligentis timet Deum offendere, quàm vel gehennam, vel aliud quiduis: maioris facit Dei bonitatem, quàm Regnum & Imperia. Eſt ſingularis illa Dei gratia, adeoque præſtantiſſimum munus, ſi cui contingat pro Deo quidquam pati, & vera, & perfecta corona, & merces in hoc ſæculo talis, & tanta, quæ reſpondeat futuræ gloriæ: quod ijs ſolis exploratum eſt, qui Deum toto corde diligunt.* Neque minus ingenuè, & liberaliter idem Chryſoſtomus alibi loquitur. *Nihil tam præclarum dilectiſſimi ad gloriæ rationem & fiduciæ, quàm à Deo diligi, & ipſum diligentem tanquam Deum diligere. Hoc Angelos facit ſplendidos, hoc Principatus, & Poteſtates, hoc Reges maiores. Propterea hoc Paulus ante regnum poſuit, propterea & incorporeas virtutes beatas exiſtimo, quòd eum diligunt, & in omnibus parent. Hinc & Propheta eas admirabatur, dicens: Benedicite Deum omnes potentes virtute, facientes verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Dominum omnes virtutes eius, qui facitis voluntatem eius. Imitemur & nos. Nihil eſt quod non ſuperet amor cum deſiderio; cùm autem & Dei ſic deſiderium, omnium eſt altiſſimum, & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, non infirmitas, non mors, nec aliud quid huiuſmodi graue videbitur poſſidenti talem amorem, ſed omnia deridens ad cœlum volabit, aliud nihil intuens: non cœlum, non terram, non mare, ſed ad vnam tantùm pulchritudinem intentus illius gloriæ. Capiamur igitur hoc amore, huic enim nihil par eſt. Quin inſuper propter ipſam amoris naturam liberabimur & à præſentis vitæ, & à futuri ſæculi ſupplicijs, & regno fruemur. Verumtamen neque Gehennæ abſolutio, neque regni detectatio magnum aliquid eſt ad id, quod eſt dicendum. Hoc enim omnium eſt maximum, Chriſtum & amatum ſimul, & amatorem habere. Si enim hoc in hominibus contingens omni voluptate ſuperius eſt, cùm hæc vtraque circa Deum euenerint, qui ſermo, quæ mens exprimere poterit huius animæ beatitudinem? Nulla profectò, ſed experientia ſola. Vt itaque per experientiam diſcamus hanc ſpiritualem lætitiam & beatam vitam, & mille bonorum theſaurum, omnia dimittentes illam charitatem retineamus.* Idem alio loco ait. *Quid ſit homo, & quanta ſit nobilitas noſtræ naturæ, quantaque capax virtutis, hoc vel præcipuè ex omnibus Paulus oſtendit; non tamen ille aliam ſortitus eſt naturam, quàm nos. Neque verò hoc ſolum in illo mirabile eſt, quod præ abundantia deuotionis quodammodo non ſenſit dolores pro virtute ſuſceptos, ſed etiam quòd virtutem ipſam pro mercede penſauit. Nam nos equidem pro ea nec mercede propoſita certamus, quam ille complectens etiam ſine præmio diligebat: cuncta illa quæ aſperitate ſui videntur impedire virtutem cum omni magnanimitate perpetiens, qui neque infirmitatem corporis, neque multitudines circumſtantium vndique negotiorum, neque tyrannidem naturæ, neque quidquam aliud omnino cauſatus eſt, cùm vtique maior illi, quàm cunctis, & militiæ Principibus, & Regibus terræ eſſet cura commiſſa; ſed quotidie celſior, quotidie aſſurgebat ardentior, & intentis ſibi periculis noua ſemper alacritate pugnabat; idque ſignificans, dicebat: Eorum quæ retro obliuiſcens, in ea verò quæ priora ſunt, extendens. Qui cùm ſibi iam mortem imminentem videret, ad communionem delectationemque gaudij alios prouocabat, dicens: Gaudete, & congratulamini mihi, ac periculis, iniurijs, opprobrijſque propoſitis, rurſus exultat. Et Corinthijs ſcribens,*

Hom 64 ad pop. & de cōpunct. cordis lib. 2.

Pſal. 102.

Chryſoſtom. hom. 2. de laud. S. Pauli. & tom. 5. hom. de nullo Regni ſp. vel honore.

Philip. 3.

2. Cor. 12.

bens, ait: Placeo mihi in periculis, & infirmitatibus meis. Itaque cùm in medijs inſidijs inimicorum verſaretur, ouans tamen de omni eorum impugnatione victorias referebat, & vbique caſus verberibus, affectus iniurijs atque maledictis, quaſi triumphales pompas ageret, crebra trophæa ſtrue-
1.Cor.2. *ret, orabat, gratiaſque referebat Deo, dicens: Deo autem gratias qui ſemper triumphat nos. Itaque ad confuſionem, & iniurias quas ob prædicandi ſtudium ſuſtinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potiùs, quàm vitam appetens; paupertatem, quàm opulentiam: & multo ampliùs laborem deſiderans, quàm alij requiem poſt laborem, ac mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem: ſtudioſius pro inimicis orans, quàm alij aduerſus inimicos. Vnum enim illi formidandum erat, offenſa nimirum Dei, nec quicquam aliud omnino. Ergo nec deſiderabile illi aliud erat, niſi ſemper placere Deo. Nec dico nihil præſentium deſiderabat, ſed nec aliquid ipſorum futurorum. Non enim mihi dicas vrbes, exercitus, gentes, prouincias, poteſtates. Hæc enim ille quaſi arenam vilia reputauit: ſed ea ipſa penè quæ promittuntur in cœlis, & tunc eius ardentem in Christo amorem videbis. Hic ſiquidem præ illius dulcedine, non Angelorum, non Archangelorum admiratus eſt dignitatem, nec quicquam horum ſimile concupiuit. Quod enim erat maius omnibus, Chriſti amore fruebatur, cùm hoc beatiorem ſe cunctis putabat: ſine hoc autem, neque Dominationum, neque Principatuum ſocius eſſe cupiebat, ſed cum hac delectatione magis eſſe extremus optabat. Hoc enim erat illi maximum & ſingulare tormentum ab hac charitate diſcedere. Hæc illi erat gehenna, hæc ſola pœna, hæc infinita, & intoleranda ſupplicia, ſicut etiam perfrui charitate Chriſti, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præſentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promiſſio, hoc bona videbantur innumera. Sic deſpiciebat vniuerſa, quæ cernimus, vt ſolet herba*
Chryſoſt. ep. ad Epheſ. hom. 8. & ad Coloſ. 12. hom. *iam putrefacta contemni.* Et alibi. *De magnis illis quid dicam? Etiamſi nullam haberet mercedem res iſta, hoc tamen ſolum magnum eſt præmium, hoc multa retributio, quòd iſta mala propter dilectum feruntur,* &c. *Non eſt ideo bonum pro Chriſto ligari, quia inde regnum cœlorum acquiritur: ſed ideo bonum, quòd pro Chriſto fit. Non ideo beata prædico vincula, quòd in cœlum deſtinant ligatum, ſed pro Domino cœli feruntur.* Hactenus ille, adiectis aliis multis, & pulcherrimis rationibus. Quod de catenis, de iis etiam omnibus accipi debet, quæ ad Dei laudem agimus, aut patimur: vt ſcilicet omnia ad Deum referamus, neque in alio quoquam laborum noſtrorum finem collocemus, quàm in charitate Dei. Idem ſuper Mat-
Hom. 17. in Matth. thæum ſcribit: *Etſi multi gehennam omnium malorum ſupremum, atque vltimum putant: ego tamen ſic cenſeo, ſic aſſiduè prædicabo, multo acerbius Chriſtum offendere, quàm gehenna malis vexari. Hortor vos, atque oro, vt mecum hac in re ſentire velitis: hoc enim modo & gehennam fugiemus, & Chriſti gloria perfruemur.*

Quid ſenſerit ſanctus Bernardus de puritate intentionis, & amoris Dei.

CAPVT XXV.

NVNC mellifluum audiamus Bernardum. *Quærit,* inquit, *anima verbum, cui* Serm. 83. in Cant.
conſentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatem. Non ſine præmio diligitur Deus, etſi abſque præmij intuitu diligendus ſit. Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt; quippe non quærit quæ ſua ſunt. Affectus eſt non contractus: nec acquiritur pacto, nec acquirit. Spontè afficit, & ſpontaneum facit; verus amor ſe ipſo contentus eſt. Habet præmium, ſed id quod amatur: nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas quo amoris finis pertendit, non propter quod tendit. Paulus non euangelizat, vt comedat, ſed comedit, vt euangelizet: eo quòd non amet cibum, ſed Euangelium. Verus amor præmium non requirit, ſed meretur. Præmium ſanè nec dum amanti proponitur, amanti debetur, perſeueranti redditur. Denique in rebus inferioribus ſuadendis, inuitos promiſſis, vel præmijs inuitamus, & non ſpontaneos. Quis enim numerandum hominem putet, vt faciat, quod & ſponte cupit. Et poſtquam aliquot amoris gradus expoſuiſſet, ita ait. *Ex occaſione frequentium neceſſitatum crebris neceſſe eſt imprecationibus Deum ab homine frequentari: frequentando, guſtari: guſtando, probari quàm ſuauis eſt Dominus: ita fit, vt ad diligendum purè Deum, plus iam illius guſtata illiciat ſuauitas, quàm vrgeat noſtra neceſſitas. Iſte eſt tertius amoris gradus, quo iam propter ſeipſum Deus diligitur. Sic amat, qui dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus.* Pſal. 117.
Fœlix qui meruit ad quartum vſque pertingere, quatenus nec ſeipſum diligat homo niſi propter Deum. Quando huiuſcemodi experitur affectum, vt diuino inebriatus amore animus oblitus ſui, factuſque ſibi ipſi tanquam vas perditioni, totus pergat in Deum, & adhærens Deo, vnus cum eo ſpiritus fiat. Beatum dixerim & ſanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita rarò interdum, aut vel ſemel, & hoc ipſum raptim, atque vnius vix momenti ſpatio experiri donatum eſt. O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nil iam admixtum relinquitur; eò dulcior, & ſuauior, quo totum diuinum eſt, quod ſentitur. Sic affici, Deificari eſt. Impoſſibile eſt tota hæc ex toto ad Deum colligere, & diuino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili, & ærumnoſo corpori intenta & diſtenta neceſſe eſt ſubſeruire. Tunc ſummum obtinebit facilè gradum, cùm in gaudium Domini ſui promptiſſimè, & auidiſſimè feſtinabit. Putamus tamen hanc gratiam, vel ex parte ſanctos Martyres aſſecutos, in illis adhuc victorioſis corporibus conſtitutos. Magna vis prorſus amoris illas animas introrſus rapuerat, quæ ita ſua corpora foris exponere, & tormenta contemnere voluerunt. At profectò doloris acerrimi ſenſus, non potuit niſi turbare ſerenum, etſi non perturbare. Deni-

que cùm cupiditas rectè à ſuperueniente charitate ordinabitur, diligetur corpus, & vniuerſa corporis bona tantùm propter animam, anima propter Deum, & Deus propter ſeipſum. Neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur. Aſſerunt hoc, qui experti ſunt; mihi, fateor, impoſſibile videtur. Erit proculdubio, cum ſeruus bonus, & fidelis introductus fuerit in gaudium Domini ſui. Idem ait: *Exigit Deus timeri vt Dominus, honorari vt Pater, vt ſpõſus amari. Quid in his præſtat, quid eminet? nempe amor: abſque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Seruilis eſt timor, quamdiu ab amore non manumittitur: & qui de amore non venit honor, non honor, ſed adulatio eſt. Is per ſe ſufficit, is per ſe placet, & propter ſe. Ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt amor, præter ſe non requirit cauſam, non fructum, fructus eius vſus eius. Amo, quia amo: amo, vt amem. Cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari: quippe non ad aliud amat, niſi vt ametur, ſciens ipſo amore beatos qui ſe amauerint. Magna res amor, ſed ſunt in eo gradus. Sponſus in ſummo ſtat. Suſpectus eſt mihi amor, cui aliud quid adipiſcendi ſpes ſuffragari videtur. Impurus eſt, qui & aliud cupit: purus amor de ſpe vires non ſumit, nec tamen diffidentia damna ſentit. Sponſa hic eſt, quia hoc ſponſa eſt, quæcumque eſt. Eſto quòd honor Regis diligat iudicium: ſed ſponſi amor, imò ſponſus amor ſolam amoris vicem requirit, & fidem.* In amore ipſum Deum intelligit Bernardus, quemadmodum & Apoſtolus. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Alibi quoque, cùm de iis egiſſet, qui in Dei ſeruitio proſperam fortunam, & alia caduca ambiunt, qui metu gehennæ, aut vt ſpiritalem in anima guſtum, & deuotionem ſentiant, aut tandem vt filij Patrem reuerentur & colunt ſpe hæreditatis & gloriæ cœleſtis, ita ait: *Inuenitur tamen alter gradus ſublimior, & affectus dignior iſto, cùm penitus caſtificato corde, nihil aliud deſiderat anima, nihil aliud à Deo quærit, quàm ipſum Deum. Crebrò ſiquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti ipſum, ita vt iam ex affectu cordis & ſententia clamet illud de Pſalmo: Quod mihi enim eſt in cœlo, & à te, quid volui ſuper terram. Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Neque enim ſuum aliquid, non fœlicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam priuato ſui ipſius amore deſiderat anima, quæ huiuſmodi eſt, ſed tota pergit in Deum, vnicumque ei, ac perfectum deſiderium eſt, vt introducat eam Rex in cubiculum ſuum, vt ipſi adhæreat, & ipſo fruatur. Vnde & iugiter reuelata facie quoad poteſt cœleſtis ſponſi, gloriam ſpeculando, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Ex hoc planè audire meretur: Tota pulchra es amica mea. Audet & ipſa loqui: Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Atque in huiuſmodi fœliciſſima, & iocundiſſima confabulatione delectatur cum ſponſo.

Serm. 83. in Cant.

1. Ioan. 3.

Ser. de variis anim. affect.

Septem qualitates puriſſimæ intentionis.

CAPVT XXVI.

IGITVR ad hunc amoris apicem, & legitimum puræ intẽtionis gradũ Religioſi, qui veri Nazaræi ſunt, ſcandont, qui non ſolùm candidiores niue per innocentiam vitæ coruſcant, ſed igniti etiam, ſicut legit Origenes, per diuinæ charitatis incendium ardent, in Seraphicum tranſgreſſi chorum. Verùm in hoc vltimo, & genuino bonæ intentionis gradu, adhuc aliquot inueniuntur gradus, ſiue conditiones, quas deſignare operæ pretium erit. Sunt quidem ſeptem, quas adũbratas video in ſeptem lucernis aurei candelabri, quas etiam oculos vocauit Zacharias, in ſeptem lucernis & animalibus oculatis, quæ ante thronum Dei adſtare ſanctus Ioannes ſcribit: nam bonam intentionem per lucernam, & oculum ſacræ deſignant literæ. Debet igitur bona intentio, actualis, vnica, fidelis, libens, certa, ſpiritualis, & prompta eſſe. Hæ ſunt ſeptem lucernæ, quibus lux ſanctorum virorum ſeptempliciter lucebit, quemadmodum Iſaias prædixit de ſanctimonia legis gratiæ, *& lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram eius ſanauerit.* Neque enim par erat minus attendere ſeruos Dei diuinis rebus, quàm mancipia Diaboli ſuo lucro, de quibus Sapiens dicit: *Datus inſipientis non erit vtilis tibi: oculi enim illius ſeptemplices ſunt, nos quoque ad bonum ſeptemplices, & multiplices pudeat non eſſe.*

Iſai. 30.

Eccli. 20.

In primis oportet, quemadmodum iam præmiſimus, non ſolùm in communi vitam noſtram ad Deum dirigere, neque ſolùm initio diei, & exordio præcipuarum actionum diuinæ Maieſtati offerre quidquid fecerimus; ſed ſæpiſſimè, & penè paſſim aſſidua traditione, atque oblatione noſtri dedendo nos Deo, lenire cor, & mentem noſtram ſuauiſſima voluntatis, & beneuolentiæ diuinæ memoria. Etenim obliuio Dei, & huius plenæ oblationis quotieſcumque aliquod auſpicamur opus, incredibili iactura meritorum nos fraudabit, & maximo diuini luminis & gratiæ priuabit theſauro; quare iugi & actuali deditione noſtri, & meritorum cumulum aggregare, & honorem Dei (quod præcipuum eſt) quærere indefeſsè debemus. Hoc etiam myſticè nos docet candelabrum aureum oſtenſum Zachariæ Prophetæ, qui ſic ait: *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius, & duæ oliuæ ſuper illud.* In his verbis ſatis conſtat, quanta ratio habita ſit, vt perpetuò arderet, & nunquam lucendo ceſſaret, ſiquidem tot infuſoria parata erant, quot lucernæ. Et præterea, ne oleum deeſſet, duæ oliuæ præſtò, & vicinæ aderant, etiam de animalibus ſanctis in circuitu, & intus oculatis, per quæ ſancti viri reſpicientibus Deum in omnibus ſuis operibus ſubnotantur. Dicit ſanctus Ioannes, *& requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus,* ſcilicet, aſſiduè, & actualiter dabant gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum.

cap. 4.

Apoc. 4.

Deinde

Digitized by Google

Deinde ſimplex debet eſſe pura intentio, & vnicè propter Deum operari omnia, præſtituens ſibi ſublimiorem omnium finem, Deum ſolum, eiuſque beneplacitum. Etenim multi ſunt, qui opera ſua Deo libenter dedicant, ſed alium commiſcentes affectum, aut quia expectant aliquam commoditatem, aot quia iuxta eorum voluntatem eſt, ſibique placet quod faciunt. Hæc intentio pora non eſt: nam puriſſima intentio cum Deo ſolùm ſe ligat, Deum ſolum ambit, Deum ſolum amplectitur, omnem alium finem, ſi malus eſt, abominatur, ſi bonus obliuiſcitur. Itaque excludit non ſolùm prauos fines, ſed etiam bonos cum optimo contenta. Tota charitas eſt, tota dilectio; idcirco candelabrum illud ſeptem lucernarum totum aureum dicitur, non excludens ſolum plumbum, & ſtaonum, ſed argentum etiam ex ſola pretioſiſſima auri materia conflatum. Quicumque huc non peruenerit, aliquas ſemper habebit imperfectiones, neque prorſus mortificatus verè erit; quare per omnimodam affectuum & deſideriorom, totiuſque propriæ voluntatis abdicationem ad hunc gradum debemus contendere.

Neque dicta ſufficient, vt integrè dedicetur Deo animus noſter, niſi etiam fidelis ſit, diuinæ Maieſtati ſe & ſua vniuerſa tradens: quoniam aliqui ſunt, qui in multis bonis operibus actu, & vnicè Deum quærunt, in aliis autem ſe quoque. Hæc profectò non eſt fidelitas, niſi taliter nos componamus, vt in nulla re noſmet requiramus, ſed in omnibus Deum, fidique amantes ſimus; neque enim coniux fidelis viro ſuo erit, ſi coniugale debitum ſolum reddat eum amore, niſi etiam nunquam alteri ſe iungat. Alij ſunt qui bona omnia opera Deo quidem offerunt, ſed mala quæ illis accidunt ferre, aut contigiſſe ſibi nollent. Hi etiam non ſunt per omnia Deo fidi, cùm non ſolùm io efficientia bonorum, ſed in patientia etiam malorum, neque ſolùm in operibus virtuoſis, ſed in tolerantia iniuriarum, opprobriorum, paupertatis, & dolorum diuinæ ſemper voluntati attendere debeamus, vt non ſolùm eam in omnibus faciamus, ſed feramus; hi quidem ſunt omnino Deo fideles, qui nec in bonis, nec in malis ſe quærunt, qui non in paucis, nec in pluribus ſolùm, ſed in vniuerſis Deum reſpiciunt, ſolumque eius honorem cupiunt, ſolumque diuinam voluntatem & efficere, & in ſe effici ambiont. Hæc fidelitas etiam denotatur in ſacris illis animalibus, quæ nunquam ceſſabunt honorem & gloriam Deo tribuere, quamtumuis fulgoribus, & tonitribus deterrerentur, quam fidelitatem imitati ſunt vigintiquatuor ſeniores, qui procidentes ante ſedentem io throno adorabant viuentem io ſæcula ſæculorum, & mittebaot coronas ſuas ante thronum, dicentes: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem, & virtutem.* Quænam erat iſta coronarum abiectio, niſi propriæ voluntatis abdicatio, vt diuinam honoremus, quæ Deo pro corona eſt, ſicut S. Anſelmus dixit. Qui verò ſuæ propriæ voluntati proſpicit, hic per omnia Deo fidelis non eſt, cùm diuinam coronam, quæ eſt vſus ſuæ voluotatis, ſibi vſurpet.

Vlteriùs aſcendendum eſt vſquequò libenter placidè, & ſine contradictione impulſi Dei beneuolentia aggrediamur, quæ pro Deo fecerimus, omnem mœrorem, & turbationem procul amandantes, etiam in rebus arduis, & difficilibus. Satis eſt Dei amor, vt omnem condiat, & ſuauefaciat acerbitatem mortificationis; hic placidus, & libens operandi modus throoum in noſtro corde præparabit, de quo dicitur, *Et factus eſt in pace locus eius.* *Pſal. 75.* Hoc denotat arcus Iris, qui erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ, cui quatuor illa animalia oculata, cùm tria ex genere ſuo ferocia eſſent, pacificè aderant; & quamuis de throno, quaſi horribilis nimbus ingrueret, & fulgura, & tonitrua; nihilominus ſeptem lampades perſeuerabant inextinctæ ante thronum, & in media tempeſtate tranquilla ardentes, quoniam nulla difficultas, nec terror à pace ſua, & collibentia turbare ſanctos viros debet.

Iuuat quoque ad rectitudinem, & puritatem intentionis certò, & indubitanter diuinam ſequi, atque exequi voluntatem; neque enim ſatis eſt offerre noſtra opera Deo, niſi talia ſint, quæ dignè Deo offerantur, iuxta diuinum beneplacitum: nam etiam vt homini placeamus, non ſatis eſt offerre illi, quod nos volumus, ſed qood ille vult ſibi offerri. Hoc quidem maximè conſiderandum eſt, ad rectum & purum mentis noſtræ affectum, vt in omnibus rebus Deo velimus placere, & ea ſolùm velimus, quæ Deo qoidem placent; etenim ea quæ ſunt opera mala, tam abeſt, vt ea dirigi ad Deum debeant, vt magna impudentia eſſet ea dirigere, quid aliud hoc eſſet niſi velle Deo placere malis operibus, aut putare Deum talem eſſe, vt mala illi opera placeant; quapropter eligenda ſunt bona opera, aut ſaltem non mala, vt ea offeramus diuinæ Maieſtati. Ob hanc diſcretionem, & certitudinem diuini beneplaciti per tot lucernas, totque animalium oculos intentio pura in ſacris adumbratur litteris. Cumque interdum accidat ambiguum nobis eſſe, vtrùm Deo placeat opus faciendum, nullatenus exequendum eſt, quòd oobis non conſtet bonitati diuinæ fore placiturum, ſed dum opus præ manibus habemus, in ſolam Dei voluntatem dirigere illud debemus, quod ipſam Dei voluntatem eſſe indubitata teneamus fide, alioqui relinquendum. Verùm, quia difficile eſt perſpectum hoc habere, aliquot documenta dabimus ex pio quodam ſcriptore cum cauſis huius dubitationis. *Prima* igitur horum dubiorum genitrix *In Reg. Perfect. p. 1. c. 11.* cauſa eſt, quòd ignoret aliquis, vtrùm in rebus indifferentibus partem Deo acceptiorem elegerit in re qnauis agenda, vel omittenda, cui occaſionem præbet, quod tradita obliuioni regula, qualiter de re decernendum ſit neſcius, ad incongrua diiudicandi media ſe recipiat, æternam videlicet rem ipſam conſulendo, facienda ne ſit, an non, hoccine, an aliud agendum, vt Dei beneplacitum adimpleatur. Cui obuiam procedatur, ſciendum eſt, tale iodicium per diſcuſſionem internam, non autem per rem ipſam externam fieri oportere; per intuitum ſcilicet, ac examen intentionis, quæ ſi rectà voluntatem Dei ſpectet, tum id verè ſumptum eſt, quod eidem voluntati erat conſentaneum, quandoquidem in rebus huiuſmodi indifferentibus intẽtioni obſecundet opus, non verò operi intentio. *Alterum* dubiorum genus in rebus exiguis occurrere aſſolet, atque ex illarum vtilitate originem ſuam deducit, quæ efficit, vt eos nullo apud Deum loco eſſe multi perſuaſum habeant, & quodammodo dicant,

dicant, multum ſanè hæc, vel illa Deum ſollicitum habeant; vel quid Deo cum iſtiuſmodi tricis. Cui malo antidotum eſt, vt in memoriam reuocemus, ſicut non tantummodo facultatum noſtrarum partem, ſed omnes omnino vires Dei ſeruitio deberi: ita etiam non aliqua dumtaxat noſtra opera, ſed prorſus vniuerſa eiuſdem beneplacito eſſe mancipanda, & conſequenter parua, non minùs, quàm magna. Vt item Deum non ex valore externo, ſed potiùs ex intentione interna operis præſtantiam metiri, quod mundo exigui habentur momenti, grandis apud Deum eſſe poſſe æſtimationis. Vt enim craſſior aliquis pannus, vndique auro obductus, gemmiſque diſtinctus, pretioſior eſt ſolis holoſericis abſque alio ornamento ſuperaddito; palliumque è pano holoſericis heteromallis duplicatum, pluris eſt, quàm aliud è ſerico ſimplici panno duplicatum: ita minimum opus externum, cum perfecta intentione ſublimius eſt alio quantumuis magno, ſi hac intentionis perfectione deſtituatur. Denique modus huic dubio medendi eſt moniti Apoſtolici meminiſſe, dum ioquit, *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite.* Dum ſiquidem *omne* dixit, ne vel minimum prætermittit. Et Diuus Auguſtinus in hoc argumentum

Super Pſ.146 ait: *Deum laudas, cùm tuum peragis negotium.* *Tertium* genus rerum, quæ huiuſcemodi dubia in animis noſtris pariunt, eſt earum quæ ad ſenſum, & voluptatem ſpectant, vt ſunt comedere, bibere, genio indulgere, & ſimilia: quidam enim animaduerſo quàm iſta naturæ ſenſuique grata ſint, & placeant, non ſyncerè ſibi viderentur acturi, at potiùs ſimulaturi, Deoque quodammodo illuſuri, ſi ad ea ſe dicerent, ad ſolam eius voluntatem, atque illi complacendum induci; cui errori ortum præbet peruerſus ille contractus habitus, quo ſolo delectationis impulſu, & ſenſualis oblectamenti lenocinio, ad ſimilia peragenda alliciuntur, excuſſa omni voluntatis diuinæ ſollicitudine. Recepta ſiquidem conſuetudine adeò inueterata, iſta ſectandi, quo appetitui belluino obtemperetur, abſque vlla in Deum mentis eleuatione (quod porcis in hara contingit) aliter illa fieri debere non exiſtimant, & ne poteſtatem quidem ſibi relictam eſſe ea ad voluntatem Dei dirigendi opinantur. Ad hunc errorem ex animis eruendum, atque ad has tenebras diſſipandas, poterit lector ſeſe recipere tam ad rationes ſecundo dubio in medium productas, quàm ad luculenta Apoſtoli in hanc rem

1. Cor. 10. verba, dicentis: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et Diuus Auguſtinus rectè conſtitutam animam

In Pſal. 146. ſic alloquitur. *Deum laudas, cùm cibum & potum capis, laudas cùm in lectulo quieſcis, laudas cùm dormis.* *Quartam* & poſtremam dubitandi anſam ſufficiunt, quæ etſi naturæ ſint conſentanea, vilia tamen, atque abiecta habentur, quibus etiam rubor aliquis, ac verecundia eſt annexa: cui remouendo appoſitiſſimè congruunt, tum rationes omnes in ſecundum, & tertium dubium allatæ, tum etiam illud D. Pauli, quod huc

1. Cor. 12. videtur facere: *quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.* Nec in illis æquum eſt præſentiam Dei perdere, cùm Sol non minus coruſcos radios in fimum, quàm in viride ridenſque pratum iaculetur.

Vltra hoc oportet, vt ſpiritualiter magis, quàm corporaliter faciamus ea opera, quæ propter Deum facimus, hoc eſt, vt in ſpiritu magis attendamus diuinæ voluntati, quam per omnia implere cupiunt ſerui Dei, quàm ipſi operi externo. Etenim illa eadem animalia, quę toties bonæ intentionis exemplaria propoſuimus, non ſolùm extrinſecus habebant oculos, ſed intrinſecus. *In circuitu, & intus plena ſunt oculis,* dicit ſanctus Ioannes. Quæ operatio ſpiritualis in hoc conſiſtit, vt viua fides comitetur intentionem, & *Apoc. 4.* prout opus peragendum cognoſcimus eſſe voluntatem Dei, ita & fide viua, intuituque perſpicuo, ac defixo, vt tale illud conſideremus. Quem modum operandi ita declarat myſticus quidam Doctor: Oportet, inquam, animo opus cernere, non vt opus, verùm, vt hanc voluntatem, non opus externum: at diuinum beneplacitum internum, inſpiciendo, non vt quid creatum, ſed vt voluntatem Dei increatam: etſi enim huic operi inſit quidpiam creatum, illud tamen nihil eſt eius comparatione, quod inibi increatum reperitur: & licèt vtrumque exiſtat, nihilominus non æquè vtrumque eſt contemplandum, ſed ab vno oportet animum auertere, vt alteri liceat fixiùs inhærere, quia quemadmodum huiuſmodi res nihil confert luminis, qua opus humanum eſt, aut creatum; ſed quia voluntas Dei eſt, & quid increatum: ita etiam non eſt animus ei applicandus qua opus humanum eſt, ſed qua voluntas diuina: cùm fieri nequeat, vt mens noſtra ad pulchritudinem, præſtantiamque vnius cernendam accedat, quandiu obſcura imagine alterius eſt obfuſcata. Quamuis enim lumen voluntatis diuinæ nos inſtruat opus externum, vel internum quod ipſa requirit eſſe faciendum, attamen non operi, ſed ipſimet voluntati diuinæ eſt inhærendum. Nam veluti nemo poteſt huius voluntatis lumen videre, qui operi recuſat manum admouere: ſic nec quiſquam poteſt idem lumen contemplari, qui ſoli operi vult vacare. Verùm vti bene inſpiratur anima ad opus huius voluntatis ductu aggrediendum: pari quoque modo bene illuminatur, dum huic voluntati intenta, opus non vt opus, ſed vt voluntatem Dei intuetur. Si quis percontetur qua nam ratione fieri poſſit vt opus exequatur, ſi illud non reſpiciat. Reſpondeo neque nos contendere, vt abſolutè opus non reſpiciat, verùm vt in illud non qua opus, ſed qua voluntas Dei eſt, mentis oculos conijciat. Nam ſicuti vult Deus, vt opus perficiat, ita etiam poſtulat, vt non in quantum opus, ſed in quantum ſua voluntas eſt conficiat, ideoque ſolam Dei voluntatem debet in opere reſpicere. At non poteſt (inſtabis) inter operandum opus non intueri. Reſpondeo, licèt fieri nequeat, vt operis in ſe viſum impediat, attamen arbitrio eius ſubiacet, velit ne opus, vt opus, an vt voluntatem Dei videre iuxta gradum hunc viuæ fidei. Quòd ſi pro virili certauerit vt opus, non vt opus cernat, & voluntati diuinæ fixa adhæreat, quidquid in animo eius reſtabit operis, id totum in Dei voluntatem conuertetur, cuius ita fert beneplacitum: ideoque vt tale ab illa acceptari, & reſpici debet, quo pacto aliud nihil quàm Dei voluntatem videbit. Per hunc gradum, quem (perſpicuè) dicimus viuace fide operantem,

tantem, areetur ſegniries omnis, & ſomnolentia fidei, quæ magnos plerumque ſpiritali profectui obices prætendit, multoque nos priuat lumine, notitiaque Dei, quo ſomnolentiæ vocabulo nolo innuere omnimodam incredulitatem, quaſi opus ſic peractum nullatenus ſit voluntas Dei, ſed deſidiam quandam animi intelligo, & negligentiam in interna eius, quod creditur, praxi, in actu ſcilicet contemplandi tale opus vt voluntatem Dei, non autem vt actionem, opus, vel vt manum; adeò vt dum fides, quæ habetur, non exercetur, vltraqne operationem humanam non extẽditur, nec animus omni certitudine fretus ad diuinam hanc voluntatem exigitur; contingit, nec intellectum coruſco huc lumine illuſtrari, nec voluntatem ardenti hoc amore inflammari, nec animam eximio hoc decore illaqueari, maieſtate nobilitari, celſitudine ſubleuari, deniquenec viuifico boc Dei ſpiritu excitari, verùm vti ſopita in penuria viuit, ab obſcuritate naturali, idque, quia negligit in praxim redigere quod cognoſcit, fidemque ad id quod credit extendere; illum in hoc imitata, qui enſe ad latus præcinctus ſeſe patitur enecari, dum pigritia eundem euaginandi detinetur: vel qui ſe morbo ſinit perire, dum antidotum in officina repoſitum negligit ſumete, vel denique, ipſi cui cùm nec cibi in culina, nec vina deſint in cellaria, ſe tamen fame, ſitive confici permitit, dum illos accommodandi, ſeu hæc promendi oſcitabundus laborem ſubterfugit: verùm enimverò per hunc viuæ fidei gradum, perque actualem aſpectum, fixamque contemplationem, ac intuitum diuinæ voluntatis omnis hæc abſcedit miſeria, diffugiunt tenebræ, vniuerſa obſcuritas euaneſcit, animaque permanet ad hanc voluntatem experrecta, atque ineffabili modo Deo vnita, illuſtrata, viuificata, ac eleuata.

Tandem oportet promptè operari, hoc eſt, celeriter, & expeditè dirigendo ad Deum quæ facimus, neque hoc differre ad exitum, vel medium operis, ſed ipſo ingreſſu eius. Hanc celeritatem nobis commendat Aquila, vnum ex quatuor animalibus oculatis, quæ non ſolùm in ipſa ſua ſpecie agilitatem ſignificat, ſed in geſtu quo à ſancto Ioanne exhibetur. *Quartum*, inquit, *animal ſimile aquila volanti*, cùm ſufficeret dicere, *ſimile aquila*; addidit nihilominus *volanti*, vt bonæ intentionis promptitudinem clatiùs exprimeret. Hic gradus tarditatem reiicit, moraſque omnes rectificandæ intentionis quantociùs rumpendas monet, vt primum quiduis facere, vel perferre ordimur, quæ moræ non tarò omne nobis operis emolumentum, ac meritum ſubripiunt, dum quandoque minus dignæ intentioni, quàm ſit ſola Dei voluntas, operando ſubnitimur; nonnunquam omni prorſus recta intentione deſtituimur, immò & culpam contrahimus, ſubinde ac delinquimus, vt dum actioni, vel paſſioni noſtræ prauam intentionem obtendimus: quæ omnia non aliunde, quàm ex defectu promanant diligentiæ, ac celeritatis in ipſo ſtatim principio intentionem diſcutiendi, vt poſtulat hic gradus. Si quid tamen offenſæ ratione huiuſcemodi torporis obrepſerit, reparandum illud prn viribus primo quoque tempore erit, intentionem dirigendo, vbi primum ſuus reflectendi patuerit error. Notandum præterea eſt, poſſe ſalua integritate præcedentium, in eos qui ordine poſtremi ſunt gradus delinqui, vti contingere poteſt, quàmquam minore aliqua perfectione præditum maiore deſtitui: at fieri nequit, vt quis in vno, vel pluribus eorum qui primi ſunt, offendat, quin eadem opera in cæteris etiam omnibus qui ſubſequuntur deficiat, cùm maiorem neceſſe ſit deſiderare perfectionem in eo qui minore orbatus ſit. At ſi quis defectus contingat in principio operis, admitti non oportet aduertentem ſpe omni proiecta perſeuerare, at potiùs memorem adagij, *Præſtat ſerò quàm nunquam*; expedit in progreſſu ſaltem, vel exitu operis obliquam intentionem in rectum formare iuxta hoſce gradus, ac per rectam diuinæ voluntatis normam, vnumquemque defectum oppoſito ſibi gradu caſtigando. Et huic exercitio animum totum, ac diligentiam, curam omnem, ac vigilantiam inter operandum, æquum eſt impendi: videlicet intentionem per hoſce gradus diſcutiendo, atque expoliendo ſuper omnia, an vniuerſi adſint attenta mentis acie perſcrutando: an verò ob quorumdam defectum, aliquo proprij amoris næuo eius venuſtatem deturpante contaminetur, vel nube aliqua propriæ voluntatis coruſcum eius ſplendorem obfuſcante obſcuretur: quæ intentionis directio, ac examen tantum in ſe habet ſeu præſtantiæ, ſeu emolumenti; vt etiam atque etiam rogem, quáque poſſum contentione obteſter quotquot hanc ſibi regulam, & methodum præfigere in animum induxerint, vt illi ſeſe totos dedant, vtpote quod compendioſiſſimum, manifeſtiſſimum, ac directiſſimum iter ad perfectionis apicem ſternat, ad noſtri cognitionem nos velut manu deducens, abditum proprium amorem patefaciens incognitas paſſiones denudans, latitantes affectiones in publicum producens, cunctas denique noſtras imperfectiones velut digito demonſtrans. Defectuque exacti huius examinis, ſollicitæ curæ, & continuæ exercitationis circa interiora: complures anima hoſpitio excipit paſſiones, & inſpirationes rara; multis aſſentitur affectibus ſacros illos motus opinata, amore proprio eſt referta, amorem eſſe Dei arbitrata: denique veteris hominis obtemperat voluntati, eam noui deſiderium eſſe ad credendum inducta. Enimverò in hoc examine nemo ſibi nimium credulus ſit, aut primo cuique in ſua interiora aſpectui fidem habeat, nec bene ſecum per omnia agi putet, ſi primo intuitu nihil quod lima egere videatur reperiat: id enim vtplurimum euenire ſolet, non abſentia culpæ, at ſanè carentia luminis; non quin adſit multum amoris proprij qui prodatur, ſed, quod abſit, acutus viſus, qui eum diſcernat, quod lumen, viſuſque ei qui in ſuo interiore permanſerit, proculdubio obtingét. Vti enim is, qui è coruſca luce, Solis aliquod obſcurum ingreditur cubiculum, ſtatim ſub ingreſſu nihil videt: quòd ſi paulìſper ibi moras trahat, clarè quidquid ibi latet perſpicit: ſic & anima quæ ex tumultu, ſtrepituque externorum negotiorum ſeſe in interiùs ſuum domicilium recipit, principio nihil aduertit: vbi verò aliquantulum temporis inibi demorata eſt, extemplo cernit quid eſt imperfectionis.

DOCTRINA IV.

DE PRÆSENTIA DEI.

Qui aſſiduam Dei præſentiam habet, Angelis comparatur.

CAPVT XXVII.

Exod 25. DVos *quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus Propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium.* Præcipuum ſpiritualis vitæ inſtrumentum, & quod puræ intentionis perfectio includit, præſentia Dei eſt, cùm anima, quæ conditori ſuo omni corde placere concupiſcit, ante oculos ſuos Deum ſemper habet, aſpicit, amanter & humiliter ſuſpicit, cuius ſalutaris ſtudij nec immemor noſter legiſlator ſanctus Ignatius, cùm de recta intentione egit, commendauit Deum in omnibus rebus, etiam particularibus intueri, & quærere eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo iuxta ſanctiſſimam, ac diuinam ipſius voluntatem, ad inſtar ſcilicet illorum duorum Cherubin, qui Propitiatorio aderant, velut captantes diuini beneplaciti oraculum, ſe viciſſim reſpicientes ſimul cum propitiatorio, & propitiatorium ſecum pariter in Deum ſemper intendentes; quamuis attenderent creaturam, qui ſanè idoneum exemplum exhibebunt eius, quod S. Ignatius Pareos noſter deſiderat circa puritatem intentionis, & præſentiam Dei, ſine qua Dei præſentia, vt dixi, perfectio rectæ intentionis nequit inueniri; neceſſum quippe eſt, vt in Deum ſemper intendamus, diuini honoris ſolliciti, eum ſemper reſpicere, & ante nos verſare. Quapropter quoniam de intẽtionis puritate iam egimus, opportunum erit appendere aliqua de præſentia Dei, cuius exercitij excellentiam, & fructus in his duobus Cherubin reperiemus. Noſtrum enim inſtitutum eſt doctrina, prædicatio, & ſalus animarum: cœleſtium veritatum ſciẽtia illuminando rudes, & ad propitiatorium Dei reconciliando peccatores. Igitur ſi Apoſtolicæ noſtræ vocationi ſatisfacere velimus, hos Cherubin imitari debemus, maximam diuinæ præſentiæ curam adhibentes, ne vnquam reſpiciamus proximos; nec ad creaturas deſcendamus, nec in exterioribus ita occupemur, quin Deum pariter reſpiciamus, & Ieſum, prout nomen noſtrum ſignificat, comitemur, eidemque adſtemus. *Chri-*
Lib. 1. de expoſit. taber. *ſtus enim,* ait Petrus Cellenſis, *eſt arca in incarnatione, propitiatorium in paſſione.* Quæ præſtantior occupatio, quàm iſta per Angelos meritò ſignificata, quoniam Angelicum officium, hoc eſt, Saluator noſter, in hoc demonſtrauit cœleſtium mentium dignitatem, dicens: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, ac ſi hoc eſſet quod excellentius habent Angeli: ſufficeret quidem ad commendationem huius aſſidui in Deum reſpectus exercitium hoc, & munus Angelicum eſſe. Cùm autem hoc ſit, quod in illis exceſſit, augetur ſuæ commẽdationis ratio. Quin & magnorum Angelorum, qui ſuperiorum Ordinum ſunt, hæc maxima commendatio eſt. *Ego enim ſum* (inquit) *Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Idcirco S. Nilus ait. *Angelis efficitur ſimilis, qui per veram orationem cupit videre faciem Patris, qui in cœlis eſt.* *Tob. 12.* *In locatem de orat.*
Quapropter Religioſi inſtituti informatores magnopere commendant Dei præſentiam, & aſſiduè occupatam mentem ſanctis meditationibus. Caſſianus ait. *Hic ergo nobis principalis debet eſſe conatus, hæc immobilis deſtinatio cordis iugiter affectanda, vt diuinis rebus, ac Deo mens ſemper inhæreat. Quidquid ab hac diuerſum eſt, quamuis magnum, ſecundum tamen, aut etiam infimum, aut certè noxium iudicandum eſt.* Idcirco præſcribitur in Regula S. Pachomij. *Qui percutit ad veſcendum, dum congregantur fratres, meditetur aliquid in percutiendo. Qui ante fores conuiuij egredientibus erogat fratribus dulciamina, in tribuẽdo meditetur aliquid de Scripturis.* Iterum: *Si ſignum datum fuerit, vt egrediantur ad opus, hi qui vadunt, quò pergunt, non interrogabunt; ſed vnuſquiſque de Scripturis aliquid meditetur. Operantes nihil loquantur ſæculare, ſed aut meditentur quæ ſancta ſunt, aut certè ſilebunt.* Rurſus, *Quãdo farinam conſpergunt aqua, & maſſam ſubigunt, nemo alteri loquatur. Et quando tabulis ad furnum deportant panes, ſimile ſilentium habebunt, tantum de Pſalmis, aut de Scripturis aliquid meditentur.* S. Cæſarius in ſanctimonialium regula non ſemel ait; *meditatio verbi Dei, & oratio de corde non ceſſet.* *Collat. 1. c. 8.*

Hoc modo fiet, quod S. Paulus ait: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt, noſter*, inquam, *municipatus*; vt alij legunt; quoties enim à cœleſtium rerum conſideratione mentem auertimus, toties noſtra nos exulare patria credamus, etiamſi praua cogitata nõ habeamus; quemadmodum S. Bernardus ad Eugenium Pontificem ſic ſcripſit. Et hoc velim ſolerter aduertas, quia toties peregrinatur cõſideratio tua, quoties ab illis rebus (æternis) ad iſta deflectitur, interiora, & viſibilia, ſiue intuenda ad notitiam, ſiue appetenda ad vſum, ſiue pro officio diſponenda, vel actitanda. Si tamen ita verſatur in his, vt per hæc illa requirat, haud procul exulat. Non igitur peregrinemur à Domino, non exulemus cœlo, ſed mente cœlum habitemus, illuc per memoriam, & complexum Ieſu aſcendentes; hoc enim modo etiam dum corpore in terra manemus, ſpiritu extollemur, ſecundùm Auguſtinum, qui dixit: *Affectu curre, amore ambula, charitate aſcende. Quid quæris? viam? inhære Chriſto, qui deſcendendo, & aſcendendo ſeipſum facit viam. Vis aſcendere, aſcendentem tene.* Scriptum quippe eſt, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo.* Solus Chriſtus aſcendit, vt nos niſi cum ipſo aſcendere nequeamus. Quare inhærere, & tenere, imò, vt Paulus dixit, induere Chriſtum aſcendentem, & habitantem in cœlis debemus. Induimini, inquit, Dominum Ieſum Chriſtum. *Induimini*, ait S. Baſilius, *non ſecundùm exteriorem hominem, ſed mens noſtra Dei memoria circumamiciatur*; atque, vt S. Ephrem ait, *Semper Dei memineris, & cœlum mens tua euadet.* *234. ſerm. de tempore.* *Ioan. 3.* *Rom 13.* *In Pſal. 44.* *ſer. Paræn. de 2. aduent. Domini.*

Quantum

Quantum iuuet Dei præſentia puritatem animæ.

CAPVT XXVIII.

NEQVE ſolùm cœleſtes incolas, & ſocios Angelorum iugis Dei præſentia homines reddit, vt adhuc in hac miſeriæ valle aſſiduo Dei reſpectu fruantur, ſed etiam in ſpiritus puritate, in miniſterio actionis, in magnitudine mentis, in charitate; cùm enim Angelicos & cœleſtes reddat homines iugis attentio in Deum, meritò per Cherubin ſignificatur. Additur quoque, *aureos, & productiles facies*, hoc eſt, non ſolidos, & plenos arte fuſoria factos, ſed auro ductili malleorum ictibus extenſos. Hnc nos monet, non niſi mortificationis labore perfectam Dei præſentiam comparari, ad quam faciliùs peruenit, qui à rebus mundi magis ſe abduxerit; namque, vt ait S. Baſilius, *ipſa quæ ex Euangelio pietatis cultura, ſtudiumque ineundæ apud Deum gratiæ, in eo tota poſita ſunt. Si quis animum ſuum ab omnibus prorſus mundi huius ſolicitudinibus auocarit, ſeſeque funditus à quauis re, vnde anima, menteve diſtrahi poſſit, abduxerit.* Per aurum autem ex qua materia conſtabant Cherubin, puritas commendatur, quam aſſidua Dei præſentia & exigit, & efficit; quapropter Saluator mundi dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quantum iuuet puritatem cordis Dei memoria, ſic B. Laurentius Iuſtinianus aſſeruit. *Illum arbitror eſſe beatum, qui quandiu à Domino peregrinando, degit in corpore, per cenſuram diſciplinæ ſpiritualis omni cuſtodia ſeruat cor ſuum, & in cunctis negotijs ſuis interius diſponendis, vel peragendis exterius in lumine fidei, & ſapientiæ ſplendore Dei præſentiam meditatur in ſpiritu, Prophetamque imitatur, qui ait: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Nihil quippe eor ſic efficax ad internam adipiſcendam munditiam, & ad virtutum arcem conſcendendam, nec non ad conterendas carnis delectationes, quæ aduersùs animam militare noſcuntur, quemadmodum cogitare ſe aſtare ſemper ante oculos iudicis cuncta cernentis. Tali profectò ſtudio, & huiuſmodi frequẽtata meditatione adquiritur cordis munditia, tenetur, poſſideturque, cooperante nihilominus diuina miſericordia, & mediatoris gratia, quæ perficit opera noſtra.* Et S. Ephrem libro de virtute. *Nihil peius, grauiuſque eſt, quàm ipſius Dei obliuionem capere. Continua enim Dei recordatione turpes animæ paſſiones recedunt, inſtar maleficorum Prætore accedente; vnde & mundum Spiritus ſancti habitaculum efficitur. Vbi verò memoria Dei abeſt, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omniſque res improba exercetur.* Egregiè S. Diadochus ſcripſit; *Qui igitur vult cor ſuum purgare, ſemper illud recordatione Domini IESV inflammet, in eo ſolum occupatus, & hoc tantùm ſine intermiſſione agens; non enim oportet quandoque quidem orare, quandoque verò non, eos, qui volunt tabem ſuam abijcere, ſed potiùs dare ſemper operam orationi in cuſtodia mentis, tametſi extra oratorium ſint. Vt enim cùm quis vult aurum purgare, ſi paulìſper ignem in fornace ceſſare ſinat, facit vt rurſus materia auri, quæ purgatur, dureſcat: ſic qui aliquando memor Dei eſt, aliquando non eſt, quod is videtur per orationem comparare, hoc perdit otio. Eſt autem eius, qui ſtudio virtutis tenetur proprium, id quod eſt in corde terrenum recordatione Dei conſumere. Vt anima conſumpto ad hunc modum vitio ab igne huius bonæ recordationis ad ſplendorem ſibi naturalem (id eſt, naturæ ad Deũ creatæ conformem) cum maiori gloria perfectè redeat.* Caſſianus quoque ad illud Dauidis Regis, vbi laudatiſſimum ſuum morem, Deum ſemper ante oculos verſandi eſt faſſus, *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.* ſic ait: *Ille etenim ſolus vim, atque intellectum huius carminis efficaciter aſſequetur, qui perueniens ad iſtam, de qua loquimur, corporis, & animæ puritatem, intelligit ſe cunctis momentis, ne rurſus ad eamdem reuoluatur, à Domino conſeruari, dextraſque ſuas, id eſt, operationes ſanctas ab eodem iugiter communiri. Dominus enim Sanctis ſuis non à ſiniſtris (quia nihil habet ſiniſtrum vir ſanctus,) ſed à dextris ſemper aſſiſtit; à peccatoribus verò, & impijs non videtur, quia non habent illas dexteras, quibus Dominus conſueuit aſſiſtere, nec poſſunt dicere cum Propheta: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Quod nullus poterit veridicè profiteri, niſi qui vniuerſa quæ ſunt in hoc mundo, aut noxia, aut ſuperflua, aut certè inferiora ſummis virtutibus iudicãs, omnem intuitum ſuum, omne ſtudium, omnem curam erga cultum ſui cordis, & caſtimoniæ defixerit puritatem, atque ita mens iſtis exercitijs elimata, & profectibus expolita, ad perfectam corporis, atque animæ perueniet ſanctitatem. Alioqui ſi Dei non meminerimus, ſequitur quod Dauid dixit, Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

Obſtat defectibus, & peccatis præſentia Dei.

CAPVT XXIX.

PVRITAS enim cordis primum ſtat in abſtinentia peccandi, vitiorumque euacuatione: ad iſtud autem quantum iuuet recordatio Dei, oſtendit Clemens Alexandrinus, dicens, *hac ſolùm ratione fit, vt quis nũquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat.* Et S. Ignatius Martyr ad Heronem Diaconum ſcribens, ſic conſulit. *Memento Dei, & non peccabis. Duobus autem modis Dei præſentia antidotum peccandi præſtat, & quia nos Deum intuemur, & quia Deus nos intuetur. Etenim quem memoria Dei occupat, minus patet alijs cogitationibus, & præſertim malis. Deinde quatenus à Deo conſpici credimus coram tanto arbitro, & iudice noſtro, peccandi audaciam cohibemus.* Simeon Metaphraſtes ſcribit, S. Ephrẽ hoc antidoto ſcortum quoddam publicum ex ſordibus ſuperioris vitæ ad virtutis ſtudium reuocaſſe. Nam cùm imprudenter eum ad ſecum dormiendum ſollicitaſſet, illeque reſpondiſſet ſe contentum, modò id fieret in medio ciuitatis, atque illa contrà obſtitiſſet, id ſine ſummo pudore coram hominibus fieri non poſſe. Ephrem reſpondit: *Quantò minus fieri debet coram Deo, qui omnia etiam occultiſſima intuetur.* Quo reſpõſo meretrix perculſa, veniam ſupplex petiit facti, & conſilio Ephrem monaſticæ vitę in perpetuum ſe

Margin notes: De' conſt. mon.c.5. — De grad perfect.c.6. — De perfect. c.97. — Pſal.27. — Lib.3.Ped. — Epiſt.9.

ſe addixit. Quapropter pro peccandi amuleto Deum ſemper cogitemus immenſum illum ſpiritum cordi noſtro intimiſſimè adſiſtentem, in ipſoqoe aoimæ fuodo latentem cum omnium perfectionum diuinarum diuitiis, cum tota omnipotentia, omniſcieotia, ſanctitate, bonitate, maieſtate, beatitudine, & omnibus aliis infinitis opibus, quæ reconditæ ſunt in ſapientiæ, & potentiæ illius inexhauribilibus theſauris, ipſumque momento vno poſſe nos beatos reddere, quamlibet glorioſi luminis ſciotillam aſpergendo, aut ſi offendatur ſubitò perdere, & æternis tradere cruciatibus, aut in nihilum reſoluere, cui nec latent noſtri cordis penetralia, cuius oculi ipſo Solis radio millecuplo lucidiores intuentur, & diſpiciunt omnes cogitationes noſtras, omnes intentiones, omnes affectus, omnia opera externa, atque interna; nuda omnia, & aperta illi ſunt, qui multipliciter vbique adeſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, quoniam immenſus eſt in omnibus rebus exiſtens, quoniam infinitè perſpicax, omnia videns, quoniam omnipotens, omnia conſeruans. Cùm igitur in præſentia tantæ Maieſtatis verſemur, quanta reuerentia, & humilitate gerere nos debemus: ne quid ſiue exterius, ſiue interius indecorum committamus. Nemo enim putare debet (inquit S. Cæſarius in Regula) ab aliis ſe noo videri, cùm hæc facit; videtur omnino à quibus ſe videri noo arbitratur; ſed ecce lateat, vt à nemine hominum videatur. quid facit de illo ſuperinſpectore, cui latere omnino non poteſt; timeat ergo diſplicere Deo. Maxima quidem impudentia, & temeritas eſt in conſpectu magni alicuius Regis ipſius edicta violare: cùm autem obliuiſcimur Dei, quoniam diuinæ Maieſtatis pudor non compeſcit affectus noſtros, in omnium malorum barathrum nos agemus præcipites, vt appoſitè interpretatur Balduinus illud quod per Baruch
cap. 3. dicitur. *Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, commoratus es cum mortuis, deputatus es cum ijs, qui in inferno ſunt.* Terra noſtra eſt memoria creatoris noſtri, in qua dignis moribus conuerſando, ſemina fidei, & ſanctitatis ſollicitè ſeminamus, & ex ea fructum contemplationis diuinæ, & æternæ beatitudinis metimus: aliena verò terra, quæ & inimicorum dicitur, obliuio Dei eſt, quæ diuina poſtponentes mandata ab illa ſupernæ pacis regione captiuos abducit, & æternorum bonorum penuriæ miſerabiliter ſupponit. In hac terra tepidus Iſraël damnabili vetuſtate vileſcit, cùm homo ad Dei contemplationem conditus bonum ad quod creatus eſt, quærere negligit: & terrena in quæ meritò ſuæ tranſgreſſionis proiectus eſt infideliter, amplectitur & diligit. Cum mortuis commoratur, cum praua conſuetudine, peccatis quibus mors æterna debetur, inuoluitur. Cum iis, qui in inferno ſunt, deputatur, cùm ex abundantia malorum mortifera deſperatiooe deprimitur. Et quæ talium malorum cauſa? *Dereliquiſti*, inquit, *fontem ſapientiæ.* In fontes ſolent inſpicientes ſuos vultus agnoſcere: quod autem exterior homo in fonte, hoc agit interior io veritatis contemplatione.

Sententia S. Ambroſij de vtilitate habendi Deum præſentem aduersùs omnia vitia.

Capvt XXX.

Locvpletiſſime tamen efficaciam huius eximij ſtudij Deum ante oculos verſandi, rurſus inculcare libet, non propria, ſed ſanctiſſimi Ambroſij ſententia, vt tanti Doctoris auctoritate commenda teoàcius inſigatur. *Nam vt quis*, inquit, *intemperatiſſimus* In Pſal. 118. ſerm. 1.
captus adulterina cupiditatis æſtu, & victus libidine, vel indulgens flagitijs, qui repugnare nolit appetentiæ ſuæ carnis, conuerſus huc, atque illuc, ſi neminem fortè videat flagitij ſui teſtem, in facinus ruit: idem tamen quamuis inueniat paratam occaſionem potiendi, explorat diligenter omnia, in diuerſum oculos ſuos incurioſus iuſtitiæ, ſolicitus famæ, detorquet frequenter, erubeſcens teſtimonium erroris, qui non erubeſcit errorem: ac ſi quem fortè ſpectatorem cognouerit facinoris ſui, verecundia ſequeſtrat intemperantiam, & quamuis cum ancilla, vel meretrice vulgari, vbi nullum ſit deprehendendi periculum, tentamenta moliatur libidinis, pudore tamen inceptum deſerit. Quanto magis ſi quis alleuet mentis oculos, & conſideret plena eſſe Angelorum omnia, aërem, terras, mare, Eccleſias, quibus Angeli præſunt (miſit enim Dominus Angelos ſuos ad defenſionem eorum qui hæredes futuri ſunt promiſſorum cœleſtium) concepto poteſt renunciare peccato. Et poſt pauca. *Tenebræ in circuitu, & parietes me operiunt, peccatorum meorum non erit memor Altiſſimus. Non vererisne eſſes Angelorum præſentiam, ſi præſentes eſſe crederes? Non metueres, non dicam facere, ſed loqui, aut etiam cogitare, quod prauum eſt, ſi tibi diuina Scriptura ſuaſiſſet, quia Deus cogitationum arbiter, ſecretorum teſtis eſt verax, ſicut ipſe ait: Eſtote mihi teſtes; & ego teſtis: dicit Dominus Deus, & puer meus quem elegi? Hominem vereris præſentem, Dei Patris & Filij non vereris præſentiam. Sed non vis credere, ne poſſis cauere: non vis audire, cùm legitur, quia Deus nouit occulta hominum, ne incipias ſcire quod timeas, & timere non pecces. Audi ergo Scripturam diuinam, vt conuertaris à via praua & maligna. Noli ſicut cæcus oculis corporalibus, aut ſicut ſurdus, qui eo quòd non poteſt videre, nec audire præſentes, ſolum eſſe ſe credit, & in plurimorum cœtu, dum putat nullum eſſe præſentem, perpetrare adoritur, quod arbitratur eſſe ſecretum; non poteſt enim videntes videre, qui non videt. Similiter, & tu mentis cæcatus oculis noli æſtimare, quòd ſine teſte delinquas, quia hominis præſentiam declinare potuiſti. Plures ſunt qui redarguunt, quàm quos cauere potuiſti. Ipſum te fugere tui accuſatorem non potes, quem conuincit propria conſcientia. Et ſi negas alijs, tibi non negas. Et ſi homini inficiaris, Deo fateris. Et ſi volueris negare, tuæ te cogitationes reuincunt. Heliſæo aſſiſtebant Angeli, quos videbat: & ideo agmina hoſtium non timebat, ſed timebat puer eius qui Angelos non videbat. Aperuit oculos eius ad vocē Prophetæ gratia Dei, vidit Angelorum exercitus, & credidit eſſe præſentes, quos antea, quia nō videbat,*

putabat

putabat abſentes. Et tu lege Prophetam vt videas, lege vt aperiat oculos tuos, nec te hoſtilis regio perterreat, & obſeſſum eſſe te credas, qui liber es, qui munitus es ſpiritualibus turmis, ſi Prophetã non derelinquas. Cùm tibi Propheta loquitur, quia Deus dixit: Ego cœlum & terram compleo. Cùm tibi Propheta dicit, quia plures nobiſcum ſunt, quia in circuitu noſtro Angeli ſunt: attolle oculos mentis, & videbis non ſolum Angelos, ſed etiam Deum, qui dicat tibi: Aperi mihi ſoror mea, proxima mea, pulſa ad ianuam, & quando tu dormis: ſi tamen vel excitatus euigiles, vel vocatus ianuam tui pectoris aperias, introibit. Rurſus aliis interiectis ſubdit: *Putas te ſolum eſſe cùm fornicaris, & non recordaris, quia oculi Domini vidẽt orbem terrarum? Non audis dicentem: Ecce venit hora, vt diſpergamini vnuſquiſque in ſua, & me ſolũ relinquatis; ſed non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Adeſt ergo Pater, adeſt & Filius Dei: adſunt miniſtri, adſunt Cherubin, & Seraphin, qui dicunt: Sanctus, Sanctus, Sãctus, plena eſt terra maieſtatis tua. Plenus eſt enim mundus ſanctarum virtutum, quia plenus eſt nequitiarum. Plenus eſt orbis terrarum remedijs, quia plenus eſt laqueis. Putas, quòd in lupanari Chriſtus te non videat, quem videt lupanar ingredientem? Putas quòd in adulterio te non deprehendat, quem videt adulterium cogitantem? Num parietes refugit, qui ſpectas errores? & ſecretum criminis auerſatur, qui ſcenam criminis intuetur? An putas tunc primum te intrare meritorium, cùm fornicem meretricis ingrederis? Intraſti iam quando cogitationes tuas meretrix introiuit: intraſti iam quando ad ponendam proſtibuli cupiditatem greſſu mentis intraſti. Pulſaſti lupanaris fores, quando ad mulieris concupiſcenda decorem oculos mentis aperuiſti. Et ſi verum audire vis, quomodo te in lupanari non vidit Chriſtus, quando te vidit, qui adulterando in corde tuo te ipſum lupanar eſſe feciſti? Ac tandem, ſed acquieſco tibi quòd IESVS te nolit videre, nolit reminiſcere, qui nolis accuſare: nolint videre & Angeli; ſed videt Diabolus, qui tecum introiuit, immo qui te introduxit. Vident miniſtri eius qui te circumdederunt, ne videres Angelos Dei. Vidit Belial, vidit legio, qui te impulerunt, ne quis reuocaret, ne quis te teneret. Noli putare quod colludium tibi præſtet ſilentij, qui volet tecum ſupplicij habere conſortium. Studet plures ſimiles ſui videre, & in eo habet gloriam, quòd plures perditos fecerit. Ipſe eſt incentor, ipſe accuſator.*

Omnium virtutum perfectionem promouet Dei præſentia.

CAPVT XXXI.

NEQVE ſolùm præſentia Dei euacuat peccata, & corda purificat, ſed virtutum omnium profectum promouet, hoc ſignificat productiles Seraphin eſſe iuxta Abbatem Petrum Cellenſem. Ideo Abrahamo dixit Deus: *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.* De viris conſummatis eodem modo loquitur Scriptura. De Henoch dicit, *Ambulauit Henoch cum Deo.* S. Patriarcha Iacob de hac ſuorum maiorum ſpirituali nobilitate gloriatus ſic precatur: *Deus in cuius conſpectu ambulauerunt Patres mei Abraham, & Iſaac, benedicat pueris iſtis.* Elias dicebat: *Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto.* Michæas ait: *Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Et Dominus per Ieremiam pollicetur. *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam ſtabis.* Idem Iſychius expendens Scripturæ ſacræ phraſim, cùm ſanctos viros ambulare coram Deo toties inculcat, ait: *Coram Domino omnia præcipit fieri. Oportet quippe omne virtutis opus, vtpote vidente Deo peragi, & non corrumpi, neque vitiari, cùm permiſcemus ei voluntatem noſtram.* Nam, vt S. Chryſoſtomus inquit, *Aurigæ prætercurſo totius populi theatro contendunt eo loci aduerſariorum currum ſubuertere, vbi Regem viderint ſedentem, & vnum oculum tot vultibus digniorem putant.* Meritò quoque dixit Minucius Fœlix: *Quis non miles ſub oculis Imperatoris audacius periculum prouocat.* Scribit S. Dorotheus Abbas, ſe chariſſimo diſcipulo ſuo, cùm vitam monaſticam arripuiſſet, hoc præceptum dediſſe aureis literis deſcribendum. *Nunquam cordi tuo Deus excidat, cogita ſemper Deum tibi præſentem, & te coram illo ſtare.* Fecit hoc Doſitheus ſedulò, adeò vt nec in ægritudine quidem, licèt grauiſſima, & extrema, cogitationem tam ſalutarem dimiſerit. Atque hac exercitatione conſecutus eſt, vt quinquennij ſpatio, ex milite nobili, adoleſcentulo diſſoluto, vitiis ante, & luxu ſæculi infecto, ſanctiſſimus iuuenis, & Monachus perfectus euaſerit; & poſt obitum quibuſdam ſanctitate claris per viſum inter Beatos Anachoretas in cœlo regnantes conſpectus fuerit.

Geneſ. 17.
Geneſ. 5.
3. Reg. 18.
Mich. 6.
Ierem. 3.
Hom. de humil.
In vita Doſithei.

Charitatem præcipuè notat aurum, quod ſicut excellentiſſimum eſt omnium metallorum, ita charitas cunctis præcellit virtutibus, adiuuaturque & alitur memoria dilecti: ideo iſti Cherubin apud Iſaiam Seraphin appellantur, vt nobiles Doctores dicunt. Ideo & duo ſunt; nam, vt inquit Petrus Cellenſis, *horum ad ſeſe charitas, & concordia perfecta deſignatur cùm duo fieri iubentur.* Quantum iuuet hanc regiam, & ſuperexcellentiorem virtutem Dei memoria, ſic confirmat S. Baſilius. *Omni humanarum rerum cura abiecta, ſummo ſtudio & diligentia par eſt nos cor noſtrum obſeruare, ac ſimul etiam, atque etiam videre, ne quando cogitationem de Deo abijciat, aut dum res ſtultas, atque nihili agitat, memoriam rerum omni admiratione dignarum deponat, verùm vt in contemplatione Dei optimi maximi aſſiduè verſetur, & ſinceram eius doctrinam, perpetuamque recordationem in penetralibus ſuis, veluti ſignum quoddam quod deleri non poteſt, impreſſam habens, ſanctitatem eius colat, obſeruetque. Hac enim ratione amore flagrabimus Dei, qui nos excitabit ac inflammabit ad mandata eius religioſè perſequenda, & ab illis ipſis rurſus ad conſtantiam, atque ſtabilitatem quandam.* Sciendum hîc eſt vt vtilior ſit Dei præſentia, non ita debere eſſe, vt Deum imaginationi noſtræ præſentem dumtaxat feramus; ſed oportet ſuperiori animæ portione aſſiduè illum intueri, imò quaſi in fundo ipſo animæ ſentiſcere, neque hoc ſimpliciter intellectu tenus experiri, ſed ad voluntatem & affectum procedere, vt ſit hæc viſio, & reſpectio Dei ſapida, iucunda, feruida, auida, & ſitiens

Lib. 1. de expoſit. Tabern.
Orat. 1. de amore diuino.

ipſum Deum, quemadmodum cùm canes prædam, aut offam intuentur, non ſolùm oculis illi inſtant, ſed impetu inhiant appetitus, atque auiditate magna. Sic nos non ſimpliciter Deum intueri, ſed auere pariter, concupiſcere, anhelare, ſpirare expedit, vt præſentiam Dei & amor, & timor, & admiratio, & reuerentia, & cupiditas, ſitiſque ipſius Dei, atque humiliatio ſui comitentur; ita vt conſtet Dei præſentia multarum virtutum exercitio; quemadmodum pigmentarij ex variis aromatibus ſuauiorem, præſtantiſſimamque quandam confectionem componunt.

Aliæ conſiderationes circa præſentiam Dei.

Capvt XXXII.

EX auro quoque erant Cherubin propter lætitiam, quam cœleſtis cum Deo conuerſatio in corde Sanctorum gignit, aurum enim cordiale eſt, exhilarat, & roborat cor: teſtis eſt Dauid, qui ait. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Et rurſus. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear, propter hoc lætatum eſt cor meum.* Nam ſi Eccleſiaſticus dixit, *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij in omni ore, quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini.* Quid faciet memoria amantiſſimi Dei, Regis, & Patris noſtri, benigniſſimi Redemptoris, & fratris noſtri Ieſu, ſuauiſſimi glorificatoris, & ſponſi noſtri Spiritus ſancti, cuius non ſolùm memoria, ſed præſentia lætificabit pia corda, vt miſerias huius vitæ præſente optimo Patre, Maximo Rege, dilectiſſimo Fratre, iucundiſſimo ſponſo alacriter feramus. Idcirco Pſalmographus ait. *Exultate iuſti in Domino.* Quæ verba ſic Baſilius interpretatur, *Quaſi locus quidam iuſtorum capax eſt Dominus, in quo qui eſt neceſſe ſit prorſus, vt lætetur, & gaudeat: in ipſo namque Domino cùm ſimus, quoad licet, ipſius mirabilia ſpeculemur, atque ita ex eorum contemplatione lætitiam noſtris cordibus comparemus.*

Pſal.46.

Eccli.49.

Hom.8. in Pſal.32.

Additur ex vtraque parte oraculi, Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum. In hoc ſignificatur aſſiduitas diuinæ memoriæ, vbique conſeruandæ, ſiue in actione, ſiue in oratione, ſiue in clauſtro, ſiue in foro, ſiue in dextris exercitiorum ſpiritualium, ſiue in ſiniſtris, neceſſitatum corporalium, ſiue in cordis pace, ſiue in corporis modeſtia, ſemper & vbique adeſſe Deo debemus diuini beneplaciti captantes oraculum, nihil niſi diuina cogitantes, nihil niſi quod Deus vult volentes, hoc eſt, quod ſponſus deſiderauit, dicens: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Ideo Salomon monet: *In omnibus vijs tuis cogita illum*, Deum nimirum, *& ipſe diriget greſſus tuos.* Deuotus Pater Ioannes Suarius, quem ego adoleſcens ſatis noui Compluti, & veneratus ſui, hoc exercitium diuinæ præſentiæ habebat, vt quotquot greſſus pedibus faceret, tot charitatis actus ad cœlum mitteret. Sic mente peruolabat, qui gradiebatur corpore. Celebrata fuit illa mulier Lacena, quæ ad filium ex vulnere in bello accepto claudicantem dixit: Macte fili non gradum pones ſine memoria virtutis. *Melior gratulatio eſt ſeruis Dei, non gradum ponunt ſine memoria diuinæ bonitatis.* Aſſidua hæc Dei recordatio cœleſtibus viſis remunerata fuit P. Martino Guttierrez: accidit aliquando inter colloquendum, vt ſubitò palleret cadaueris inſtar; cauſam rogatus humillimè reddit, quoniam vidiſſet tunc Chriſtum Dominum, eo modo quo ductus fuit in Caluariæ montem ad ſupplicium crucis. P. Ioannes Sebaſtianus cùm coram illo tranſiſſet Pater Alphonſus Corteſius, vidit comitantem ad latus huius Patris Chriſtum pulcherrima forma confabulantem cum illo, cumque illum rogaſſet Pater Ioannes Sebaſtianus, an cogitaret tunc de Chriſto Domino, faſſus eſt; quin ipſe Alphonſus Corteſius dicebat ſibi videri Ieſum Chriſtum ſemper ad latus habere, cuius ſocietate plurimum ſolatij capiebat. Hanc Dei iugem attentionem in priſcis Monachis, etiam dum exterius occupati erant, ſic laudat Caſſianus. *Sicut nullum ferme ab eis otio tempus excipitur, ita nec meditationi quidem ſpirituali finis imponitur. Nam pariter exercentes corporis, animique virtutes, exterioris hominis ſtipendia cum emolumentis interioris exæquant; lubricis motibus cordis, & fluctuationi cogitationum inſtabili operum pondera, velut quandam tenacem, atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas, ac peruagatio cordis innexa, intra cellæ clauſtra, velut in portu fidiſſimo valeat contineri; atque ſpirituali meditationi tantum, & cuſtodia cogitationum intenta, non modo ad conſenſum praua cuiuſque ſuggeſtionis peruigilem mentem corruere non ſinat, verùm etiam ab omni ſuperflua, otioſáque cogitatione cuſtodiat: ita vt quid ex quo pendeat, haud facilè poſſit à quoquam diſcerni: id eſt, vtrùm propter meditationem ſpiritalem inceſſabiliter manuum opus exerceant, an propter operis iugitatem, tam præclarum profectum ſpiritus, ſcientiæque lumen adquirant.* Cùm enim nunquam deſiſtat Deus nobis benefacere, nunquam ab eius reſpectu & animi gratitudine ceſſare debemus. Natura noſtra, & omnia bona animi, & corporis pendent à Deo, & quaſi aſſiduè creantur: totum enim quod ſumus, & quod habemus, ab ipſo ſingulis momẽtis accipimus, vt totum ſit nouum beneficium ſingulis momentis. Nec enim ſemel, ſicut in beneficiis humanis accidit, ſed ſemper accipimus ab optimo Patre, & Creatore noſtro quidquid ſumus, & valemus. Si momento ceſſaret à liberaliſſima ſua largitate, ſubitò reſolueremus in nihilum. Sicut enim Sol niſi aſſiduè radios ſuos diffunderet, ſtatim operiremur tenebris: ſic niſi perpetuò omnipotentia & beneficentia Dei nos conſeruaret, faceſſeremus in nihilum. Vnde S. Ambroſius dixit: *Sicut non poteſt eſſe momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia: ita nullum debet eſſe momentum, quo præſentem eum non habeat in memoria.* S. Gregorius Nazianzenus in oratione de Theologia. *Neque verò*, inquit, *hæc quiſquam ita accipiat, quaſi Deum perpetua memoria colendum eſſe negem. Nec enim tam ſæpe ſpiritum ducere, quàm Dei meminiſſe debemus: imò, ſi dici hoc poteſt, aliud nihil, quàm hoc faciendum.*

Prou.3.

Lib.2.inſt. cap.14.

Orat.1.

Nam

Nam & ego inter eos nomen meum profiteor, qui eam legem probant, quæ die ac nocte iubet meditari: veſpere, & manè, & meridie narrare, ac benedicere Dominum in omni tempore (ſiue, vt verbis Moyſis vtar, dormias, ſiue à ſomno exurgas, ſiue iter facias, ſiue aliud quid agas) memoriáque ipſa ad puritatem informari. Itaque Deum quidem ſemper in animo habere per me ſanè licet cuique. Et alibi in oratione de cura pauperibus præſtanda. *Non tam ſæpe reſpirare oportet, quàm Dei meminiſſe.* Deus enim perpetuò, & continenter nobis benefacit, in eſſe conſeruare, & neceſſaria miniſtrans. Nam ſi vel minimo momento oculos à nobis remoueret, in nihilum redigeremur, ſicut imago noſtri in ſpeculo apparens in nihilum redigitur, quàm primum nos loco mouemus: & ſicut color ab aqua recedit, quoties ab igne, vel ſole remouetur. Vt corpus animæ, rami arboris trunco, ſolares radij Soli vniri, vt ab illis virtutem ſuam trahant, eſſe debent: ita mente ſemper Deo vniti eſſe deberemus. *Accedite ad eum*, ait Propheta, *& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Nunquam Deus noſtri obliuiſcitur, & nunquam Dei obliuiſci debemus. Iſai.49. Per Iſaiam dicit: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui.* Pſal.31. Per Dauidem quoque ait: *Firmabo ſuper te oculos meos.* Quid nos facere oportet, niſi quod Auguſtinus ait: *Non à te auferam oculos meos, quia & tu non aufers à me oculos tuos.* Imitemur igitur ſancta illa quatuor animalia plena oculis, vt mille Deum oculis intuerentur ſemper; idcirco requiem non habebant die, ac nocte, dicentia, Apoc 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Optimè S.Bonauentura praxim aſſiduæ Dei præſentiæ huiuſmodi tradidit. S. Bonauent. 25. memorial. in 22. tom.7. *Solutus* (ait) *ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu, deſiderijque feruore circa tuum creatorem intendas, vt, (quaſi omnium inferiorum oblitus) quidquid agas, vbicumque ſteteris, & quibuſcumque negotijs impliceris, die ac nocte, ac omni momento & hora, Deum ſemper habeas in memoria, credens & cogitans eſſe veriſſimè coram eo, & ipſum cogitans vndique te aſpicere. Hæc autem cogita cum magna reuerentia ac timore pariter & amore, & cum magna diſcretione: nunc ante pedes immenſæ Maieſtatis eius proſtratus, corde amariſſimo peccatorum veniam poſtulando: nunc ſacratiſſima paſſionis Filij Dei gladio compaſſionis coram eius cruce vulneratus cum eo lachrymoſus, & flebilis apparendo: nunc totius vitæ illius decurſum obliquitati tuæ, velut rectitudinis lineam proponendo: nunc inenarrabilia, & immenſa Dei beneficia mente pertractans gratiarum actionibus inſiſtendo: nunc ſtimulis ipſius amoris ardentiſſimè punctus, ipſum in creaturis omnibus intuendo: nunc potentiam, nunc ſapientiam, nunc bonitatem & clementiam eius attendens, eum deuotiſſimè in cunctis operibus ſuis collaudando: nunc deſiderio patriæ cœleſtis attractus, ad ipſum gemebundis ſuſpirijs anhelando: nunc circa nos viſcera inæſtimabilis charitatis eius aſpiciens, latabunda quadam exceſſiua admiratione corde ac animo in ipſo deficiendo: nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem, nunc Deum te timentem, ſubleuantem, retinentem & attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia concernentem conſiderans, ineffabilibus diuinæ miſericordiæ viſceribus tibi patefactis, nimio in eo charitatis ardore te conſerens, totum te fletibus reſoluendo: nunc verò occultiſſima, profundiſſima & ſummè arcana, nimiumque ſtupenda iudicia iuſtitiæ eius diligenter attendens, eum in omnibus fidelis & conſtans cum ſummo amore, ingenti quoque timore ac tremore diſcretus, ſupplex & humilis venerando: præ omnibus autem continuam & viuam memoriam ipſius ſacratiſſimæ Paſſionis in animo & corde tuo ferens.* Hæc Bonauentura.

Quomodo Angelos cuſtodes noſtrorum fratrum revereri præſentes debeamus.

CAPVT XXXIII.

TANDEM dicitur, *reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in Propitiatorium.* In Hebræo legitur, *& facies viri verſa erat ad fratrem ſuum.* Etenim non ſolùm charitatem Dei diuina præſentia alit, ſed proximi etiam. Optimè Petrus Cellenſis dixit, *non vertunt vultus in propitiatorium, qui ſeſe mutuo non reſpiciunt, quia qui proximum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo diligere poteſt?* Lib.5. In mutuo reſpectu fraterna dilectio, inuerſo vultu in Propitiatorium humilis reuerentia ad creatorem noſtrum intelligitur. Hunc igitur ſanctum morem habeamus, vt in fratribus noſtris Deum agnoſcamus, revereamur, laudemus: Deum in illis adorantes & amantes, & illos propter Deum cum charitate honorantes.

Oportet quoque reſpicere conſeruos noſtros, ipſos conſiderando, & venerando Angelos, qui inter nos ſunt, eorum verum iudicium æſtimantes, potius quàm humanum: nam ſi Dei præſentia homines reddit Angelos officio & occupatione, reddat pariter communicatione, & conſamiliares noſtros revereamur, & amemus, quorum crebra memoria iucunda erit, & grata Deo, quæque ipſius Dei meminiſſe nos faciet. Quapropter vbi viderimus aliquem hominem, eius potiùs Angelum ſuſpiciamus; vbi autem plures homines ſunt, plures colamus Angelos, neque in cœtum aliquem ingredientes, aut forum, vbi hominum multitudo conuenit, prætermittamus tot Angelorum reuerentiam, & opportunum erit aliquod ſpirituale bonum deprecari, vbi tot nuntij, teſtes, & adiutores noſtri affectus, & orationis ſunt. Quando aliquis pudor hominum nos deterret, quo minus humiliemur officio, aut actu aliquo mortificationis, & humilitatis: non tam homines præſentes metuamus, ſed Angelos eorum aſtantes reſpiciamus; non dicta humana, ſed iudicia Angelica æſtimantes, ſic nobiſcum rem expendentes. Quid? Quatuor homines hîc ſunt. Ridebunt me propter hanc mortificationem, & prorſus contemnent. At Angeli ſimiliter hîc ſunt, non minus, nec pauciores, quàm homines, quorum tamen iudicium verius, ſanctius, ſublimius. Et præſtat bonam opinionem apud meliores habere: quare ſi quatuor homines me deſpicient, quatuor Angeli me honorabunt. Quid, quatuor Angeli plures ſunt, & plurium ſuffragium vincere debet. Neque enim ſi coram quatuor hominibus ero, totidem ſolùm Angeli adſunt; ſemper quippe excedit Angelorum numerus;

Digitized by Google

rus; nemo ſiquidem poteſt eſſe coram quatuor hominibus, quin ſit coram quinque Angelis, quatuor ſcilicet hominum præſentium, & quinto Angelo ſuo cuſtode.

Expedit etiam ſemet interdum, imò ſæpiſſimè reſpicere. Dixerat quidam Monachus Abbati Siſoy: Sic afficior bene, vt ſemper memoriam meam fixam Deo geram. Cui Abbas retulit: Non eſt hoc magnum, ſi memoriam in Deo poſueris: illud autem magnum erit, ſi te ſub omnibus creaturis vidiſſes vniuerſis inferiorem. Hęc conſideratio & labor corporis corrigit hominem, & ad humilitatis viam illum deducit. Illud denique cauendum, tunc potiſſimum iacturam pati Dei præſentiam, cùm homines magis præſentes habemus, tunc maximè diuini colloquij obliuiſci, cùm conuerſamur cum hominibus. Ex confabulationibus hominum præcipuè diſturbantur cogitatus diuini. Quapropter circa cuſtodiam oris diligentiſſimam operam nauare debet qui Dei memoriam cupit poſſidere, tum perpauca loquendo, & audiendo, tum nec loquendo, nec audiendo verba, niſi quæ de diuinis rebus, aut pro diuino obſequio dicantur, quod iam explanabimus.

DOCTRINA V.

DE BONO SERMONIS VSU.

Multum refert in religioſa communitate non niſi de rebus diuinis ſermones haberi.

CAPVT XXXIV.

1. Petr 4.

SI quis loquitur, quaſi ſermones Dei. Quemadmodum eæ Regiones, quę ſalutari aura fruuntur, vbi limpidi, ac innoxij ſpiritus perflant, ſalubres ſunt, & vitales: ſic eæ communitates, in quibus aura pura cœleſtis doctrinæ, tanquam aura cœli, flatuſque diuini Spiritus recreat animos, & ad virtutem, perfectionemque viuificat, in obſeruantiæ rigore, ſuoque vigore præſtabunt: vbi autem hoc ceſſauerit, flatuſque ſæcularis ſapientiæ, & mundanæ ſermocinationes fuerint introductæ, non aliter quàm terræ peſtilenti aëre infectæ valetudini corporali noxiæ ſunt; ita in his vitæ ſpiritualis ſalutis animæ ac perfectionis detrimentum ſequetur non leue. Vnde S. Gregorius dixit. *Sic enim verba proximorum audiendo quotidie ſumimus in mente, ſicut flando, atque reſpirando aerem trahimus corpori; & ſicut malus aer aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ita peruerſa locutio aſſiduè audita infirmantium inficit animum, vt tabeſcat delectatione praui operis aſſidui iniquitate ſermonis.* Et S. Baſilius. *Quemadmodum* — Hom. 9. in Ezech.

enim in peſtilentibus locis ſenſim tractus aer latentem corporibus morbum inijcit: ſic item in praua conſuetudine, & conuerſatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur. Hoc præuidens noſter prudentiſſimus legiſlator S. Ignatius, cautum reliquit, vt aura aliqua paradiſi, & Spiritus ſancti afflatus per noſtros ſermones ſpirarent in concionibus domeſticis, tum & colloquiis priuatis, de iis crebrò tractantes, quæ ad ſui abenegationem, & in virtutibus profectum, omnimodamque perfectionem attinent, ad ea ſe inuicem exhortando, & præcipuè ad vnionem, & charitatem fraternam. Incredibile enim eſt, quantum iuuent ſpiritum harum rerum colloquia, & ignitæ exhortationes tum publicæ, tum potiſſimum familiares; ſicut enim ſilex ſilice percuſſus, ignem emittit: ſic mutui ſermones de Deo, de mortificationis valore, & fructu, de inæſtimabili pretio virtutis, de perfectionis altitudinę ignem diuinum, & cœleſtia deſideria accendunt in religioſis cordibus. Et quemadmodum ij qui herbam mandunt, quam Angelicam vocant, dulcem, & ſuauem, ſpiritum dicuntur emittere: ſic ij qui Angelicam vitam imitantur, loquente ore ex cordis abundantia cœleſtem quemdam ſpiritum in alios immittunt. Contrà autem, cùm locutiones ſæculares ſunt ſæcularia proſeminantes dictamina, fœtidum mundi halitum intrudentia in Religiones, cùm aut curam corporis, aut honoris, quamuis ſpecioſo prætextu commendant, cùm dilatant laxis interpretamentis regulas, cùm diſcernunt iuſſa ſuperiorum, cùm narrant imperfectiones aliorum, maxima & vix reparabilia damna inferunt, & Tartareum contagium communicant. Neque minor differentia eſt inter hos, & illos ſermones, quàm inter ſuggeſtiones Diaboli, & inſpirationes Spiritus ſancti. Hi ſunt inferni virus, illi ros gratiæ: hi Religionum peſtis, illi ſalus: per hos Sathanas tentat, per illos Spiritus diuinus inſpirat: per hos Dæmon loquitur, per illos Deus. Quapropter commendans ſanctus Petrus idem quod ſanctus Ignatius, ait: *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei.* Sermones Dei dixit, quia non debemus loqui ſermones noſtros, quos humana prudentia dictat, quos ſæcularis ſenſus excogitat, mundanaque corda effundunt, ſed qui ſunt iuxta Euangelium, & cœleſtem Dei doctrinam, quam vnigenitus Patris è cœlo nobis detulit, tum quia ſunt multi ſermones, qui non ſunt Dei, ſed carnis, aut mundi, aut Dæmonis, ſiue, vt vno verbo dicam, omnes Diaboli: nam linguam carnis, & mundi, etiam Diabolus gubernat. Hos ſermones debemus fugere, & potiùs præcidere mille linguas, ſi haberemus, quàm ſemel, vel vnicam pronuntiare, & mille aures obturare, quàm ſemel voluntariè audire.

Reg. 18 ſum. expoſ. 3. c. 1. § 21.

* * *

Diabolus

Diabolus loquitur per eos, qui vana & falſa loquuntur: & qui ſint ſermones Diaboli, mundi, carnis, & qui Dei.

Capvt XXXV.

In cap. 4. Exod.

OPTIME quidem dixit Origenes: *Eorum qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit; vereor autem, ne ſint quorum è contrario os Diabolus aperiat: nam qui loquuntur mendacium, certum eſt, quòd Diabolus aperit os eorum, ſicut aperuit os Iudæ.* Rectè quidem mendacij vocabulo comprehendit quidquid non loquitur Deus: etenim illa dogmata, quæ non ſunt iuxta doctrinam Chriſti, qui veritas æterna eſt, mendacia, & falſa ſunt. hæc enim non minus dicta erunt à Diabolo, quàm ſunt inſpirata, & ſuggeſta: quidquid enim cogitatum tentatio eſt, idem etiam & dictum erit, niſi quòd cogitatum tentatio vnius eſt, dictum erit tentatio plurium. Quapropter ſicut malæ ſuggeſtiones Diabolo tribuuntur, ſic & malæ locutiones eidem imputari debent, cùm plus noxiæ ſint, ideo ſeruus Dei P. Didacus Sauta, cùm quoſdam in hora recreationis videret vana loqui, conſpexit Dæmonem iuxta illos lætiſſimum, fouentemque illos ſermones, quem ſanctus Pater ſputo fugauit. Contrà accidit in alia recreatione, vidit Chriſtum in medio noſtrorum benigniſſimo aſpectu, quippe tunc de rebus ſanctis loquebantur, quos ſermones, ſicut inſpirat ſpiritus Chriſti, ita & vanos atque mundanos ſpiritus tenebratum ſuggerit. Quòd ſi velimus ſcire, quando loquitur caro, aut mundus, aut Dæmon per homines, hoc eſt, quando ſermones Diaboli ſunt, eadem regula dignoſci poſſunt, ac cogitationes diſcernuntur, an à malo, vel bono ſpiritu ſint. Audiamus ſanctum Bernardum hæc docentem, qui tres malè in nobis loquutores diſcernens ait. *Quis ſpiritus ſit qui loquitur, ipſa ſuggeſtio declarabit. Semper enim ſpiritus carnis mollia, ſpiritus mundi vana, ſpiritus malitia ſemper amara loquitur. Quoties ergo importunè (vt aſſolet) carnalis cogitatio mentem pulſat: verbi gratia, cùm de potu, de cibo, de ſomno, cæteriſque ſimilibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardeſcimus deſiderio, certum ſit nobis ſpiritum carnis eſſe qui loquitur, & tanquam aduerſarium repellamus eum, dicentes: Vade retro Sathana, quoniam non ſapis ea quæ Dei ſunt; ſed magis ſapientia tua inimica eſt Deo. Cùm autem non de illecebris carnis, ſed de ambitione ſæculi, de iactantia, & arrogantia, cæteriſque ſimilibus cogitatio vana verſatur in cordibus noſtris, & ſpiritus mundi eſt qui loquitur, longè pernicioſior hoſtis, & maiori ſolicitudine repellendus. Interdum verò ſatellitibus iſtis terga vertentibus, Princeps ipſe habens iram magnam tanquam leo rugiens inſurgit aduerſus nos, cùm videlicet non ad voluptatem carnis, aut ſæculi vanitatem, ſed ad iram, ad impatientiam, ad inuidiam, ad amaritudinem animi prouocamur, importunè ingerendo ſi quid minus amicabiliter, minuſvè diſcretè factum videtur, aut dictum: ſi qua denique aut in ſigno, aut in opere quolibet data videtur indignationis occaſio, materia ſuſpicionis. Huic ergo cogitationi non aliter, quàm ipſi Diabolo reſiſtendum eſt: nec aliter ab ea, quam ab ipſa perditione cauendum; ſcriptum eſt enim: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Non alium Patrem, & Authorem verba exterius ſanantia habent, quàm quæ intus nos decipiunt, & illudunt. Quare colloquia non Dei, ſed carnis erunt quæ commoditatem noſtram reſpiciunt, & recreationes, ac voluptatem cibi & potus. Hæc profectò ſunt ſtultæ carnis verba, & tanquam inimica Deo refellenda: quæ autem honorem noſtrum, & factum iuuant, hæc mundi voces ſunt; quæ verò diſcordiam ſeminant, vt detractiones, & ſcommata hæc, Diaboli verba ſunt. Videamus nunc quæ verba erunt Dei. Hoc ſimiliter S. Bernardus explanauit. *Quoties,* inquit, *ſuper caſtigando corpore, humiliando corde, ſeruanda vnitate, & charitate fratribus exhibenda, ſeu cæteris virtutibus acquirendis, conſeruandis, amplificandis, ſalubris cogitatio in mente verſatur, diuinus ſine dubio ſpiritus eſt, qui loquitur, aut per ſe ipſum ſanè, aut per Angelum ſuum.* Eadem prorſus ſunt hæc, ac ea de quibus noſter Parens S. Ignatius loqui nos vult. vt contra tres linguas carnis, mundi, & Diaboli, vnam Dei locutionem opponamus triplex loquendi argumentum continentem, vt contra ſermones carnis commendemus mortificationem, & humiliationem eius. Contra ſermones mundi loquamur cum contemptu eius de æſtimatione virtutis, noſtrique profectus. Contra ſermones Diaboli quibus charitas fraterna violatur, ad mutuum nos viciſſim amorem, & vnionem hortemur. Ad hæc tria capita reducuntur ſermones Dei, iuxta S. Bernardum, & noſtrum P. S. Ignatium, quæ idem S. Bernardus alio loco indicauit in tribus proprietatibus verbi Dei, quod gladiũ dixit eſſe, & cibum, & quietem. Gladius, vt deſideria carnis ſcindat, & affectus noſtros reſecet. Cibus, quia vitam ſpiritualem per virtutum profectum nutrit. Quies, quia pacem, & charitatem fratrum tranquillitatis animis fouet.

Serm. de 7. ſpirit.

Vbi ſuprà.

Quàm noxij ſint Religioſis ſermones vani, & qui non ſunt de Deo, quomodo vitari debent.

Capvt XXXVI.

HIc antidotus eſt contra peſtilentem illam luem; nec enim minus quàm contagioſa peſtilentia medicanda. Sunt colloquia praua bonos corrumpentia mores, neque ſancti alio nomine aptius noxiam eorum declarant, quàm ſimilitudine peſtis. Dauid beatum dicit virum, qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit, peſtilentiam vocans, falſa & ſæcularia dogmata, quibus perfectionis rigor irridetur. Vnde iuxta Hebræum legunt alij, *in cathedra deriſorum.* Et iuxta Græcam *in cathedra peſtium*; tot ſiquidem peſtes Religioſis ſunt, quot loquuntur verba ſine æſtimatione perfectionis, & mortificationis. Quia tamen aduerſum peſtem non ſolùm armamur ſalutaribus herbis, nec ſolùm medicamentis præmunimur, ſed eam non expectamus;

potiùs autem fugimus: ſic aduersùs Dæmonis afflatus non ſolùm armari debemus, ſed illos prorſus vitare, atque fugere, vt prima diligentia aduersùs hanc tabem ſit verba carnis, aut mundi, aut Diaboli non loqui; ſecunda non audire, tertia non credere, quarta contraria prorſus loqui, hoc eſt, ſermones Dei, & de diuinis rebus conferre, de his omnibus pauca dicemus. Oportet in primis non loqui verba mendacia, hoc eſt, quæ ſæculi prudentiam ſapiunt. Primò, ne ſimus Dæmonis organa, atque Vicarij. Rectè ſanctus Laurentius Iuſtinianus dixit: *De diſcept. & perfect. mon. conuerſ. c. 13.* *Nec minus ſolerter elaborandum eſt, ne nos ipſi efficiamur laquei proximorum, atque vices geramus Dæmoniorum, quod in congregationibus Deo dicatis frequenter venire conſueuit.* *Ibidem.* Nam, vt idem Sanctus ait: *ideo ad tentandum humano Dæmon vtitur instrumento, potiſſimum aduersùs eos, qui in Monaſterio, & Congregatione Deo militant. Hæc namque eſt fraus maxima, & ad cognoſcendum difficilis; hoc enim argumento primum hominem de loco delitiarum deiecit, ſpoliauit tunica immortalitatis, priuauit gratia, & obligauit ad mortem.* Primò igitur vitanda ſunt hæc verba, quia Deo diſplicent: quapropter de ſermonibus mundanis, qui prorſus mendaces ſunt, dixit Salomon: *qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt apud Deum.* Septuaginta addunt, *immundus, & abominabilis eſt.* Et Iſaias ait: *cap. 5.* *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* De iiſdem dicitur per Malachiam, *cap. 2.* *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis: In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini.* Alij legunt, *fatigaſtis, & laſſaſtis.* Septuaginta, *prouocaſtis,* quo magis declaratur, quantum Deus iraſcatur ſimilia loquentibus. De iiſdem per eundem Prophetam dicitur. *cap. 3.* *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me.* Pungunt, imò quaſi crucifigunt Deum iſti ſermones. Septuaginta legunt, *ſi ſupplantabit.* Alij, *an fraudabit, an ſpoliabit, an opprimet;* adeò oneroſæ, & moleſtæ Deo ſunt linguæ vanæ ſæculares, & mēdaces. Secundò, quia in damnum noſtrum hoc recidet; nam ſanctus Paulus dixit; *qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque ille eſt.* Quod ſic ſanctus Thomas interpretatur, *qui remouet vos à debito ordine, portabit iudicium,* id eſt, condemnationem, & quantæcumque ſit authoritatis, non parcetur ei, ac propterea Sapiens dixit: *Eccleſ. 5.* *Lingua imprudentis ſubuerſio eſt ipſius.* Tertiò, quia detrimentum hoc non ſolùm pœnæ erit, ſed culpæ, permittens Deus talia loquentes in peius ſemper ruere, vſquequo è religioſa vita penitus excidant; grauiſſimum enim apud Deum crimen eſt, aliis eſſe ſcandalum, aut cauſam deficiendi in via diuini obſequij. *2. Tim. 3.* *Currebatis benè*, inquit S. Paulus, *quis vos impediuit veritati non obedire.* ſtatim addit: *Mali homines, & ſeductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.* Salomon quoque dixit, *De fructu oris homo ſatiabitur bonis, anima autem præuaricatorum iniqua.* Iuxta Hebræum legunt aliqui, *De fructu oris quiſque comedet bonum, anima autem præuaricatorum iniquitatem*, nimirum comedet. Quartò, quia aliis ſcandalum obiiciunt. Deus per Ezechielem queritur: *Ezech. 13. 22.* *Mœrere feciſtis cor iuſti mendaciter, quem ego non contriſtaui: & confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, & viueret.* Hi ſermones ſæculares, in quibus mundana dictamina iactantur ſimplices, fallunt cùm in iis videant commendari, quæ contra Euangelium Chriſti ſunt, aut ſaltem infringi laxis interpretamentis rigorem religioſæ diſciplinæ.

Sermones ſæculares non ſunt audiendi.

Capvt XXXVII.

IDcirco oportet, ne audire quidem ſæculares ſermones, iuxta conſilium Eccleſiaſtici. *Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum ſubuerſione tua ambulas; audiens verò illa quaſi in ſomnis, vide, & vigilabis.* *cap. 13.* Similiter nos monito ſanctus Ambroſius inſtruit: *Non ſolùm nihil ipſi indecorum, loqui, ſed ne aurem quidem debemus huiuſmodi præbere dictis, ſicut Ioſeph, ne incongrua ſua audiret verecundiæ, veſte fugit relicta. Quoniam quem delectat audire, alterum loqui prouocat.* *Lib. 1. offic. c. 18.* B. Iſaias Abbas etiam dixit: *Si aures tuas cuſtodieris, lingua tua non peccabit.* *Orat. 3.* Et ſanctus Bernardus ait: *Facilè lingua labitur, nec minus facilè illabitur cordi: ita vt multis inter loquendum minus profuerit, quòd propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam.* *Ser. de 3. cuſtodiis.* Rectè proinde conſulit ſanctus Cyprianus: *Procul ab huiuſmodi cogitatione diſcedite, & ſermones eorum velut cancer, & peſtem vitate.* *Epiſt. 40. ad Plebem.* Vitate lupos, qui oues à paſtore ſecernunt, vitate linguam Diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax ſemper & mendax mentitur, vt fallat, blanditur, vt noceat. Nam, vt S. Bernardus ait: *Vnus eſt, qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen illud vnum verbum, in vno momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit, & ſunt ſpecies peſtis huius multæ.* Quemadmodum enim vnus affectus peſtilenti tabe à flatu ſuo multos contaminare poteſt, diſpergens noxium virus: ſic etiam vnus Religioſus ſæcularem habens animum ſæcularia verba eructans, & mundi dictamina probans, multos poteſt ſimplices perdere. Quapropter cautiſſimè non ſolùm loqui, ſed audire oportet, & aut fugere, aut arcere nobis, qui vana, qui ſæcularia, qui ridicula, qui detractoria loquuntur, ſicut Salomon dixit: *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.* *Prou. 4.* Quod venerabilis Beda explicans, dicit: *Tua labia, ne detractionibus aſſueſcant, & alios quoque quos huic vitio ſubditos noſti, ne te corrumpant, fugias.* *In c. 4. Prou.* Apoſtolus quoque hortatur. *Sicut ergo accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut & didiciſtis abundantes in illo in gratiarum actione.* *Col. 2.* *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Hi ſunt de quibus S. Leo dicit: *Quorum ad alios decipiendos Diabolus & ingenijs vtatur, & linguis.* *Serm. de Natiuit.* Iuxta doctrinam Pauli admonuit S. Baſilius: *Cum huiuſmodi viris nec ſit tibi vlla commixtio, nec velis cum eis ſermocinari; ſæpe enim per vnam ouem morbidā grex totus polluitur, & modica pars fellis magnam dulcedinem in amaritudinem vertit.*

Hinc

Hinc ipſe S. Paulus tanquam ſupremum, maximumque diſcrimē vltimo loco dixit: *Periculis in falſis fratribus.* Primò, inquit S. Thom. præmittit minora. Secundò ſubdit grauius periculum, quod in falſis fratribus, nimirum in Pſeudo-Apoſtolis, iuxta eundem Doctorem; iis nimirum, qui mendacia verba, & diabolica, non Dei loquuntur: ſunt autem diabolica verba, quæ mundani pronuntiant, & tepidi Religioſi patrocinantes legi carnis, non ſpiritus.

1. Cor. 11. Ad hunc locum.

Damna autem quæ ex auditu ſæcularium verborum ſequuntur, licèt partim indicauerint alij Patres, tot ſunt, vt vniuerſorum malorum cauſam ea putauerit S. Chryſoſtomus, qui propterea monet: *Obturemus igitur aures noſtras contra vana colloquia; non enim eſt illinc modicum malum, cuncta ex eo mala naſcuntur.* Quòd ſi ex ſolis verbis vanis, quæ nec falſa ſunt, nec detractoria, nec malum docentia tantum malum oritur quantum timere debemus, cùm non tantùm otioſa, ſed quæ ſcandalo poſſunt eſſe verba, effunditur, id ſaltem damnum audienti accidat, licèt nullum ſcandalum accipiat; licèt nullam doctrinam falſam hauriat, licèt nullum mundi dogma imbibat. Ad minus tempus amittet, & distractus manebit; quod ſo m ſufficeret, vt illa audire nolimus; & propterea S. Bernardus vitanda præcipit. *Fuge* (inquit) *ſermones ſæculi, & vana, ac ſæcularia colloquia, quæ mentem diſtrahunt, & inquietam reddunt, & in pace eſſe non permittunt.* Hoc ſatis detrimenti eſt turbarum gerere animum, & diſtractam mentem ex vanarum rerum auditu, licèt nullam inde aliam maculam fricaremus nobis, neque boni mores, nec propoſita proficiendi abrogarentur; cùm autem ex ſæcularibus verbis quæ prudentiam mundi ſapiunt, ſugamus ſimilia dogmata, vt iam minus ſimus inimici mundo, neque nobis crucifixus ſit, neque nos illi, hoc eſt immendicabile malum, & lethifer morbus, quem celeri, certoque contagio tandem contrahemus. Veriſſimè ſiquidem ſanctus Chryſoſtomus dixit, *Ad ſermocinationes, & colloquia formatur, & componitur animus.* Ita ad ſæcularia verba ſæcularis fit animus noſter, maximè cùm proniores ſimus ad malum, quàm ad bonum, faciliuſque contages irrumpat, quàm valetudo reſtituatur. Rectè enim quidam Philoſophus dixit: *Ab ægritudinibus quibuſdam ægrotant appropinquantes ſani: nullus autem ex hoc, quòd appropinquet ſano, curatur.* Quòd ſi hoc vſu venit in morbis corporalibus, multo deterius accidet in ægritudinibus ſpiritualibus, & peſte iſta animarum; quoniam, vt S. Hieronymus ſcribit: *Procliuis eſt malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi neſcias, citò imitaris vitia. Atqui ſicut loquentes vana audire non debemus: ſic oportet audire libenter eos, qui de Deo loquuntur, cui magna iniuria fiet ſi diuinos, ſalutareſque ſermones audire nolimus, de quo ipſo Dominus per Prophetam Amos queritur: loquentem perfectè abominati ſunt.* Poſtea dicit, *& fortia peccata veſtra, ſcilicet maxima, à quibus explicari difficillimum eſt, in quem non dico morbum, ſed mortem incidet, qui venenum vorat, & antidotum reſpicit. Sic qui virus ſæcularium, & pernicioſorum verborum paſcit, & remedium ſalutaris doctrinæ reiecit, in quæ peccata non incurret.*

Hom. 2. in 2. ad Theſſal.

De octo punctis mendicantibus.

Suprà.

Ariſt. in Prol.

Epiſt. 7 ad Lucam.

Amos 5.

Verba hominum non ſpiritualium, etiam ſi ſpeciem boni præferant, non ſunt facilè credenda.

CAPVT XXXVIII.

VERVM quoniam non ſemper excuſare verba hominum licet, & aliquando ſeruis Dei inuitis inſuſurrentur verba carnis, & mundi, & Diaboli, oportet non credere illa, & ſuſpecta ſaltem habere, quæ rigorem euangelicæ perfectionis non promouent. contra hos ſermones ſalutare propinat pharmacum ſanctus Cyprianus dum ait. *Hinc tamen fratres dilectiſſimi, hinc admoneo pariter, & conſulo, ne pernicioſis vocibus temere credatis, nec fallacibus verbis conſenſum facilè commodetis. Ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio, mortem pro ſalute ſumatis. Nec ætas vos eorum, nec authoritas fallat.* Oportet enim diſpicere ſermones, & ſimplicitati columbinæ adiicere ſerpentis prudentiam, quod S. Bernardus ſic monet. *Vtilis eſt frater, qui tibi loquitur, ſapiens eſt, Religioſus, ac timens Deum, plus dico Angelus eſt, & Angelus lucis, etiam ſic caue tibi, ne audias, vnde lædaris. Nec perſonam velim tibi ſuſpectam eſſe, ſed linguam, præſertim in ſermocinatione communi. Bona quidem columbæ ſimplicitas, ſed in hac parte quoque ſerpentis aſtutiam non omittas. Maria ne Angelicum quidem verbum ſine diſcuſſione prætereens cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Solet Dæmon decipere nos palliatis ſermonibus, & ſub virtutis imagine: nam, vt idem Bernardus ait, *Proficientium ſanctioribus ſtudijs, minimè quidem ſe opponere contrariæ virtutes apertè audent; ſed ſolent ex occulto inſidiari, quaſi quædam fraudulenta vulpecula, ſpecie quidem virtutes, re autem vitia.* Priùs tamen eamdem fraudem Dæmonis notauit S. Chryſoſtomus, dicens: *Illud profectò Diaboli artibus, aſtutè fieri ſcire debemus, vt veritati ſemper errores connexi, atque inſerti per ſimilitudinem facilè decipiant leuiores: propterea non alia ſemina, ſed Zizania immixta dixit, quæ tritico in ſpeciem ſimillima ſunt.* Et Caietanus de Dæmone dixit: *Sub ſpecie boni ſuggeſtiones ſuas palliabat, vt non cognoſceretur hoſtis, ſed ſuggerens bonum mulieri, & viro eius.*

Epiſt 40 ad plebem.

Serm. de triplici cuſt.

Serm. 64 in Cant.

Hom. 47. in Matth. 13.

Hoc damnum fucatorum ſermonum ſpeciem boni præferentium, re autem vera venenatorum potiſſimum venit ex iis, qui reuerentiam regulis amiſerunt, qui earum diſciplinam, & cœleſtem doctrinam non maximi faciunt; nam iuſto Dei iudicio in exitialia quædam dictamina incidunt. Sic Dominus per Ezechielem obiiciens Iudæis beneficium datæ ipſis legis, dicit: *Dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo viuet in eis*; leges enim, & regulæ ſunt iudicia, & ſententiæ, & oracula Dei, quæ tamen contempſerunt; quemadmodum mox ipſe Dominus queritur, dicens, *In præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea præiecerant, quæ faciens homo viuet in eis.* Idcirco puniendos peruerſitate ſenſus, & iudicij minatur. *Ergo, inquit, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent, & pollui*

eos in muneribus ſuis. De iiſdem dicit Dominus. Ezech 22. 26. *Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea. Inter ſanctum, & prophanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum, & mundum non intellexerunt, & à ſabbatis meis auerterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum.* Coinquinatur in illis Deus dum non intelligentes inter pollutum, & mundum adulterant diſciplinam Religioſi rigoris. laxa dictamina, & interpretamenta obſeruantiarum intrudentes ſub ſpecie prudentiæ, aut maioris alicuius boni; horum tamen ſermones tam noxij & potentes ad malum ſunt, vt de iis queratur Malach. 3. Dominus per Malachiam dicens: *Inualuerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus*, hoc eſt, præualuerunt ob magnitudinem ſui damni; nam plus deſtruunt, quàm ſancta exempla, & verba ædificent, vt demum præualeant contra doctrinam Chriſti. Cumque latens ſit malum, & inſenſibile venenum iſtorum verborum, quandoquidem ſpeciem boni prætendunt, magis pernicioſum eſt cùm ſimplices cauere illa neſciant, imò ſæpiſſimè nec prudentes; quapropter neceſſe eſt ad orationem confugere, vt Deus nos illuminet. Pſal. 119. Sic fecit Dauid, qui poſtulabat, *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.* In hunc Pſal. *Quæ eſt*, rogat S. Auguſtinus, *lingua doloſa?* Et reſpondet ipſe: *Subdola, habens imaginem conſulendi, & perniciem nocendi. Ipſi ſunt qui dicunt, & tu hoc facturus es, quod nemo fecit? Et tu ſolus eris Chriſtianus? Non poteris fortè implere: multum eſt, quod aggrederis: incipis aſcendere, cadis. Monere videtur; ſerpens eſt, doloſa lingua eſt, venenum habet. Roga ergo contra illam, ſi vis aſcendere, & dic Deo tuo: Domine libera animam meam à labijs iniuſtis, & à lingua doloſa.* Etenim ſine diuinæ gratiæ ſpeciali ope noſcere Diaboli dolos nequibimus. *In medium oris eius quis intrabit*, dicitur ſancto Iob. Iob 41. Lib. 33. Mor. c. 22. *Subaudi*, inquit Gregorius, *niſi ego qui per diſcretas electorum mentes ſuggeſtionum eius verba diſcutio, & non ita hac eſſe, vt ſonuerunt manifeſto; bonum namque videntur promittere, ſed ad perditum finem trahunt. In medium igitur cordis eius intrare eſt calliditatis eius verba penetrare, vt nequaquam penſetur quid reſonant, ſed quò intendunt. Intrare Adam in medium oris eius noluit, quando intentionem perſuaſionis illius cautè penſare neglexit; diuinitatem quippe ſe per illum accipere credidit, & immortalitatem amiſit. Vnde ergo ab intellectu verborum eius incautè exterius ſtetit, inde ſe ori illius deuorandum funditus præbuit.* Hoc eodem modo conatur detrudere nos à cœleſti paradiſo religioſæ vitæ, ac Parentes noſtros deiecit à terreſtri. Nam, vt inquit ſanctus Bernardus, *Verè Religio paradiſus eſt.* Et ſanctus Baſilius de Religioſis, ait: Cap. 19. conſt. Mon. *Hi ſine controuerſia primo Parentis noxam contegentes antiquum bonum in priſtinum reuocant.* Neque refert, an per ſerpentem, an per homines, & fratres noſtros nos fallat, ſi quomodolibet fallat; quare nec fratribus noſtris fidendum, imò nec Angelo, ſi quid contra Euangelicum noſtratum conſtitutionum ſpiritum audierimus, præterquam audiuimus à ſanctis noſtris Patribus, anathema reputemus, & nobis dictum exiſtimemus illud Pauli: Gal. 1. *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti, licèt nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquã quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*; nec contentus hoc anathemate, addit: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.*

Loquendum Religioſis de Deo.

CAPVT XXXIX.

OPORTAT quidem mortifera, falſa, & amara colloquia Diaboli mutare in ſalutaria, & dulcia, & vera, permixto ſale euangelicæ doctrinæ, & veritatis, quemadmodum S. Hieronymus dicit. In cap. 45. Ezech. *Aquas Eliſæus euangelico, & Apoſtolico curauit ſale, vt vbi ſterilitas erat, & mors, ibi veritas eſſet, & vita.* Vbi autem veritas eſt, ibi ſapor & dulcedo eſt. nam, vt idem Doctor ait: In c. 5. Iſai. *Poſſumus dicere, quòd omnia dogmata contraria veritati amara ſunt, & ſola dulcis veritas. Remedium contra praua colloquia, atque aſtutias diaboli poſtulans Dauid, ſic precatur: Domine libera* Pſal. 119. *animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Tum quaſi reſponſum diuinum accipiens, ſubdit: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatorijs.* quaſi diceret, *hæc præſidia erunt aduersùs noxios ſermones, ſi bonos adhibueris. Sagitta potentis acuta*, ait Auguſtinus, In hunc Pſ. *verba ſunt Dei.* Et meritò ſermones ſalutares ſagittis comparantur, atque carbonibus deſolatoriis, ſeu prunis ignitis. nam feriunt ſancta corda, & pios incendunt animos; carne autem exuunt nos, hoc eſt, amore proprio. Oportet quidem armis reſiſtere, atque præliari aduersùs praua ſenſa, & verba carnis, & ſæculi & Angeli tenebrarum. Hæc arma verba ſancta ſunt. Gedeonis panis gladius dictus fuit, quia idem verbum Dei, qui cibus eſt ſpiritualis, eſt quoque gladius aduersùs Dæmonis dolos, & carnis aſtutias, quod ſanctus Paulus apertiùs dixit. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. In Apocalypſi pariter propoſitus nobis Chriſtus forma loquendi de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Docuit nos non ſæcularia, & mollia verba, quæque carni, & amori proprio blandiuntur, ſumenda nobis in ore, ſed quæ inſtar gladij ſunt, vt omnes prauos affectus, & amorem ſæculi amputent, iugulentque viuas animæ paſſiones. Hunc gladium ſpiritus aſſumere debemus, tractantes quæ ad noſtram abnegationem pertinent iuxta noſtras conſtitutiones, quod idem eſt, ac quod in Carmelitanis regulis dicitur; *gladius autem ſpiritus, quod eſt verbum Dei, abundanter habites in ore, & cordibus noſtris.* Velut enim miles ſine armis inhonoratus eſt, & breui vinci poteſt, nam deficiet in prælio; ſic anima nec dignitatem ſpiritualis vitæ, nec perſeuerantiam in bono obtinebit, ſed citò deficiet, quæ ſanctorum ſermonum curam neglexerit.

Igitur Dei ſerui ſæcularia verba nunquam audire debent, minus loqui: ſalutaria, & quæ de Deo ſunt, audire poſſunt, & aliquando etiam loqui.

qni. Rectè S. Cbryſoſtomus dixit: *Propterea tibi & linguam dedit Deus, vt Deo gratias agas, vt proximum ædifices; quod ſi ædificium deſtruas, melius eſt ſilere, & nunquam loqui. Nam manus artificis, quæ pro contexendis muris, didicerunt deſtruere, iure exſcindentur.* Didicit hoc ex ſancto Paulo dicente: [*Epheſ. 4.*] *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus; & nolite contriſtare Spiritum ſanctum.* In quæ verba Caietanus notat: [*In c. 4. Epheſ.*] *Non dicit, vt ſermo gratus, aut acceptus ſit audientibus, ſed vt det audientibus gratiam, ad ſignificandum, quorſum tendit vtilitas ſermonis, ſcilicet, vt det audientibus gratuitum aliquod donum; puta inſtructionis, aut ſuaſionis cautela, & huiuſmodi.* Etſi enim ſilentium laudabile ſit, & arctè obſeruandum viris ſpiritualibus; cùm autem opus fuerit ædificationi, aut ſaluti proximi, rumpendum eſt laudabiliter, & fœliciſſima tunc lingua eius, quæ pro ſui creatoris gloria ſoluitur; meritò enim dixit S. Hieronymus, [*Apud Hug. Card. in Pſal. 49.*] *Fœlix lingua, quæ non nouit, niſi de diuinis componere ſermonem.* Sanctis enim conuerſationibus de Deo, de æternitate, de peccatis, de morte, de vanitate ſæculi, de Paſſione Chriſti, de diuinis beneficiis, & aliis huiuſmodi magnopere iuuari poſſunt, qui nos audiunt: nam, vt S. Chryſoſtomus ait, [*Hom. 2. in 1. ad Theſ.*] *Quod nauigiis ſunt flatus, hoc animis ſunt ſermones, quocumque voles transferes illos, & curuabis; quapropter admonens quidam dicit: Omnis narratio tua ſit in lege Altiſſimi.* Et Malachias ait, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Alia commoda ſimilitudine fructum ſpiritualium ſermonum commendat idem S. Chryſoſtomus huiuſmodi, dicens: [*Ibid.*] *Eſt enim animus inſtar ceræ cuiuſdam: nam ſi frigida colloquia induxeris, ſolidaueris ipſum, atque indurauevis; ſi verò calida, & feruentia, emollitur; emollitum autem ad quodcumque voles, finges, ac formabis, imaginemque illi Regiam inſculpes. Quare ſi loqui debemus, ſint Dei ſermones calidi, ferentes, prunæ deſolatoria, & ignita.* [*Pſal. 118.*] *Dauid ſiquidem dixit, Ignitum eloquium tuum.* [*Cant. 5.*] *Sancta ſponſa, dum quærens per plateas ſponſum, de eo feruidè locuta fuit, ſic in eius deſiderium inflammauit filias Ieruſalem, vt dicerent illi: Quò abiit dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? Quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum.* Sic eſt, vbi feruidè quis de Deo loquitur, audientes deſiderio Dei & virtutis accendit. Idcirco S. Thom. dicebat, *Viro religioſo, cuius anima ſponſalitia cum Chriſto celebrauit, non niſi cum Deo, aut de Deo loquendũ eſt. Hic eſt Chriſti bonus odor, quem effundere debemus. Sicut is qui fert aromata* (ait S. Ioannes Climachus) [*Grad. 26.*] *etiamſi nolit, ex odore proditur, ita & qui ſpiritum Dei habet, ex verbis ſuis agnoſcitur.* Viri quidem ſpirituales hunc ſuauem Chriſti odorem per verba exhalant vbique, & ſemper; ſiue cum deuotis agant, ſiue cum ſæcularibus, & mundanis, ſiue ſeriò, ſiue recreationis cauſa, ſemper modum inueniunt, quo laus Domini ſemper ſit in eorum ore. Antiqui noſtri Patres hoc ſalutari recreationis genere vſi fuere. In orbem diſpoſiti ſinguli ſecundùm vicem ſui loci, prout alter alteri ſuccederet, gratias, & laudes diuinæ Maieſtati agebant pro ſpeciali aliquo beneficio Dei. Illud commemorans, & gratias liberaliſſimo benefactori referens. Accidit ſemel, cùm Patri Balbæ, qui Complutenſis Eccleſiæ Abbas, Doctor eius Academiæ, & publicus profeſſor Theologiæ, Societatem noſtram amplexus fuerat, ſors gratificandi Deo in eo pietatis ludo incidiſſet: Immortales, inquit, gratias Deo habeo, & ſingulare agnoſco beneficium; quoniam cùm obſtrictus Religionis voto tenerer, idque valde timerem, quaſi per inſidias obſeruabam actiones omnes P. Alfonſi Decæ, num aliquam numeris omnibus minus abſolutam, & compoſitam deprehenderem in eo, vt animus meus iacturam aliquam faceret æſtimationis, qua religioſam vitam venerabar: libenter enim eupiebam hac parte falli, vt ingreſſum meum, & votum poſſem excuſare, quo minus inſtitutum Societatis Ieſu non amplexarer. At nullum minus decorum actum obſeruaui, nullum non congruum ſpirituali, & cœleſti vitæ. Imò vnde tepefieri volebam, magis inflammabar, vt eius inſtitutum mihi quærerem, donec tandem obtinui. Procurrente deinde ſorte dicendi pro more ludi ad P. Decam. Quas, inquit, gratias referre poſſum Deo meo? Quoniam cùm tot defectus habeam, cùm tam tepidus, & irreligioſus ſim, innumeras tamen imperfectiones meas, ſic diuina bonitas celauerit ſeruo ſuo, ne ſcandalum pateretur in me, & omnes orbaremur eius ſocietate. Itaque totus hic ludus virtutum palæſtra erat. Pietas & Religio in Deum, reuerentia & charitas erga proximum, contemptus, & humilitas erga ſe vtiliſſimè exercebantur. Sic ſanctorum hominum conuerſatio apum examen eſt, qui ex variis virtutum floribus gratiſſimum fauum conficiunt. Colloquia verò imperfectorum concurſus muſcarum, ſeu ſcarabeorum eſt, dum non niſi, vt ſtercus lambant, conueniunt. Idcirco ex eorum colloquiis cùm in Religionibus aliquando permittuntur, ne arcus nimium intentus frangatur, magna ſpiritus iactura accidit, vt propterea dixerit B. Iſaias Abbas: *Recreatio mihi credite, & relaxatio, & inanis gloria omnem Monachi fructum excutiunt, quia nimirum imperfecti abutuntur colloquendi venia.* [*Orat. 8.*]

Propterea non ſolùm fructum proximorum, ſed noſtrum quoque quærere debemus in ſermonibus ſanctis, & cum iis agere, qui nos exemplo, & conſilio iuuare in ſpiritu poſſint, quemadmodum S. Baſilius admonet: *Perfectorum virorum conſortio fruere, & contubernio abſtinentium delectetur anima tua, & à colloquiis eorum ne auertas: verba enim vitæ ſunt verba eorum, & incolumitas animæ his, qui ea libenter attendunt. Sicut enim Sol oriens effugat caligines, ita Sanctorum doctrina à ſenſibus tuis expellit tenebras.* [*Admonit. ad filium ſpirit.*] Itaque ſermonibus ſanctis repugnandum eſt prauis locutionibus mundi, quemadmodum Malachias dicit, feciſſe eos, qui iuſti, & timorati erant. Cùm enim impii multa falſa, & fallacia verba effunderent, vt inualuerint ſuper Dominum, opportunè ſteterunt ex aduerſo ſancti, quod tam gratiſſimum Deo fuit, tam libens audiuit, vt propterea ſuos illis defectus dimitteret, & in libro memoriali ſuo ſcriberet, vt æternum remuneraret. *Tunc* (inquit) *locuti ſunt timentes Dominum, vnuſquiſque cum proximo ſuo, & attendit Dominus, & audiuit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius, & erunt mihi, ait Dominus* [*cap. 3.*]

exercituum , in die qua ego facio in peculium : & parcam eis , ſicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi. Hæc ſufficiunt de ſermonis optimo vſu dicta, nunc de corde & operibus , quibus Deo ſeruire debemus, diſſerendum eſt.

DOCTRINA VI.

DE MAGNANIMITATE ſpirituali.

Magno animo ſeruiendum Deo.

CAPVT XL.

2. Mach 1. DET vobis cor omnibus , vt colatis eum , & faciatis eius voluntatem corde magno,& ammovolenti.* Diuinum ſeruitium,& perfectio noſtra , nec tam iodigoa occupatio eſt , nec tam leuis, vt illam aggredi niſi generosè,& magnanimiter deceat. Virtutis enim tum emioentia , tum difficultas magnum cor poſtulant, & nubilem , ac ingeouum animum requirunt ; tantus hoоos eius eſt , vt totis noſtris viribus , & ampliſſimo corde appeti debeat ; tantus labor,vt niſi iiſdem viribus, & ingenti corde acquiri nequeat ; accedit infioita Dei magnitudo cui ſeruimus ; accedit iofinita obligatio noſtra, qnam cùm re & effectu ſoluere non valeamus, animo ſaltem & nobilitate cordis ad id conemur. Quemadmodum enim Deus ingenua planè,& profuſa liberalitate , aſſidua in nos confert beneficia ſine modo,& numero; ſic oportet liberales oos eſſe , & magoanimos , vt grati ſaltem oſtendamur , neque pnſillo, & vili corde ſeruire liberaliſſimo & magnanimo Domino , ac benefactori noſtro. Sine termino benefecit nobis , vt pariter ipſi ſine termino ſeruire, & obſequi velimus : ille enim qui dixit , *Quid eſt , quod debui vltrà facere vineæ meæ , & non feci* , iuſtiſſimè iraſcetur iis , qui cùm poſſent vltrà facere pro gloria ſua,oon fecerunt,volentes Chriſto ſolùm ſeruire intra certas quaſdam metas , non quantum poſſunt,quibus per Oſeam ſic minatur : *Facti ſunt Principes Iuda , quaſi aſſumentes terminum ; ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Hæc puſillanimitas, imò hæc vilitas eorum , qui aſſumentes terminum , dicunt : Huc vſque me vincam , & mortificabo; vſque ad hoc faciam, & laborabo pro virtute,hactenus ſeruiam Deo,non audentes amplius ; ex igoobilitate animi,& cordis paruitate hoc naſcitur , quemadmodum per eundem Oſeam queritur Dominus, *& factus eſt Ephraim , quaſi columba ſeducta , & non habens cor.* Non ita puſillanimiter Deo ſeruiendum eſt, ſed animosè , feruidè , & magno corde, leonum inſtar; quemadmodum Michæas dixit: *Erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum , quaſi leo in iumentis ſylnarum , & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum.* Sic Eſdras,ſic Nehemias , ſic Mardochæus , ſic Iudas Machabæus fuerunt : imò ſic docuerunt etiam ij , qui Deum, non vt nos agnouerunt, nec homines ita obligatos infinitis diuinæ bonitatis beneficiis viderunt. Idcirco quidam eorum dixit, *Contra affectus impetu,non ſubtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus , ſed incurſu auertendum.* Validi ergo & viriles ſine termini præſcriptione , ſine vllis voluntatis anguſtiis magnanimi erga Deum ſimus,ei largientes , ſiue potiùs reddentes , & ſi minus quàm volumus , non minus quàm poſſumus. hoc eſt quod deprecantur Hieroſolymitani Iudæi ſuis fratribus,vt colerent Deum,diuinamque voluntatem exequerentur magno corde , & animo volenti. Et Dauid: *Viriliter agite,& confortetur cor veſtrum.* Vehementiùs ipſe Deus coli , & diligi ſe præcepit ex toto corde noſtra , ex tota anima , & tota mente , & omnibus viribus. Et quid pro Deo Abraham oon faceret,cùm vincens ipſam naturam , tam generosè cum Deo egerit,vt chariſſimum filium nō dubitauerit mactare. Quòd ſi hæc faciebant , & dicebant Sancti , & Dominus depoſcebat eo tempore cùm non viderat humanum genus latus benigniſſimi Redemptoris noſtri apertum , & amantiſſimum eius cor patefactum , quid faciendum nobis , & quid à nobis requiri poterit , cùm Deum tam liberalem,&,vt ſic dixerim, prodigum videamus, vt Pater Filium dederit , Filius ſe , ſanguinem ſuum,& corpus,& vitam , & Spiritum ſanctum ſuum. Spiritus autem ſanctus ſuam gratiam,non ſtillatim , ſed vbertim profuderit. Nonne multo plùs tenemur liberales,& magnanimi,imò,ſi fieri poſſet,profuſi cum Deo eſſe ex toto corde, & ex aoimo illi ſeruire. Idcirco ſanctus Paulus , qui hoc nouit, Coloſſenſes monet , *ex animo operamini, hortatus illos,ne puſillanimes in rebus diuini obſequij forent , vt non puſillo exequerentur animo Dei iuſſa, ſed magno & volenti.* Idem ad Epheſios ait : *Facientes voluntatem Dei ex animo , & quidem planè magnifico,& regio.* Quapropter regale ſacerdotium ſanctus Petrus nos dixit:oportebat quoque ſpiritum Euangelij non minus generoſum,& heroem eſſe, quàm antiquorum Patrum , quorum vnus Dauid deprecatur , ſpiritu principali confirmari , hoc eſt , ſpiritu nobili, ſpontaneo , & planè regio. Hoc igitur debemus agere cum Deo liberaliter , & magnificè ; quam; & ipſe per Oſeam ait:*Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontaneè.* Hebraicè eſt , *animo liberali, magnifico,regio.* Ita ſanctus Paulus liberalis Deo, cui totum ſe iuſtiſſimè prodigens,dicebat, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti ?*

Iſai.c.5. — Oſea 5. — Oſea 7. — Mich.5. — Fabian.apud Senec.lib 1. de breuit. vit c.10. — Coloſſ.3. — Epheſ.6. — Oſ.14.

De diuinis inſpirationibus, & an ſit peccatum,ijs non reſpondere?

CAPVT XLI.

QVAPROPTER in noſtris conſtitutionibus monemur : *Magnopere confert deuotè quoad fieri poterit,ea munera obire,in quibus magis exercetur humilitas , & charitas. Et in vniuerſum loquendo , quanto aliquis ſe arctiùs Deo aſtrinxerit , & liberaliorem erga ſummam maieſtatem ſe præſtiterit , tanto eum in* Reg 19.ſum. & p.3. conſt. c.1 §.22.

ſe

ſo liberaliorem etiam experietur, & ipſe in dies magis idoneus erit ad gratias, & dona ſpiritualia vberiora recipienda. Ad hoc oportet diuinis inſpirationibus obedire, & loquenti in nobis Spiritui ſancto ſurdos non exhibere nos, ſed imitari illum, qui dixit: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Auſcultemus tenuem diuinæ vocis ſibilum, & ſalutarem ſuſurrum eius, qui dixit: *Ego cogito cogitationes pacis*, nimirum quia factus eſt in pace locus eius, ſi dulcem hoſpitem Spiritum ſanctum immorari apud nos velimus, eius ſalutationi, eius alloquio ſalutari, non obſurdeſcamus; manſionem quippe ſuam conſtituit in anima fideli, quæ inſpirationes eius admittit. Magna in hoc diligentia conſtituenda eſt: nam ſicut maximi profectus cauſa eſt hæc interna, & præcordialis obedientia Dei: ſic & maximi interitus occaſio poteſt eſſe diuinarum inſpirationum neglectio, aut repulſa. Quinque virgines fatuæ obinde excluſæ ſunt à Regno Cœlorum, quia lampadibus, hoc eſt, fidei, illuſtrationibuſque diuinis oleum non adiunxerunt, hoc eſt, bonorum operum exercitium, prout Origenes, S. Hilarius, & S. Damaſcenus intellexerunt. Ille etiam, qui talentum acceptum ſeruauit, non autem cum illo negotiatus fuit, damnatur tanquam ſeruus nequam: tremenda comminatio illa eſt,

Prou.1.

Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis euenerit. Sapientes illi Philoſophi, quia illuſtrati cognitione Dei ſanctam cogitationem neglexerunt, in reprobum ſenſum traditi ſunt; quemadmodum ad Romanos D. Paulus ſcripſit.

Rom.1.

Propter quod, inquit, *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam.* Et poſtea, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt repletos omni iniquitate.* Sponſa, quia pulſanti ſponſo oſtium aperire aliquantulum diſtulit, ab ipſo derelicta eſt, myrrha, & amaritudine plena.

Cant.5.

Manus mea (inquit) *diſtillauerunt myrrham.* Nonne delictum inter homines putaretur ſi ſponſus ſponſæ, aut amicus amici fores pulſet, & intus exiſtens nollet aperire abſque iuſtiſſima cauſa, ſolùm ob ſocordiam, & pigritiam, & diminutum amorem erga pulſantem. Cur tolerabile erit pulſanti Deo ad oſtium animæ ingreſſum denegari, oſtiumque fortiter claudi, cùm nulla adſit iuſta cauſa. Filius prodigus exemplar exhibebit miſerrimæ conditionis, quam diuinarum inſpirationum neglectus infert, innumera ſpiritualia bona prodigens, & eximia virtutum opera dilapidans. Niſi quòd deterioris conditionis ſit, qui diuinas inſpirationes negligit, quàm qui aurum ſpargit: quanto excedunt bona ſpiritualia corporalibus, & æterna temporalibus, tanto ille miſerior eſt. Prodigalitatis vitium, iuxta S. Thomam, in eo conſiſtit, quòd aliquis

2. 2. q.119. art.1.

aut excedat in largitione propriorum bonorum, aut in acquiſitione nimium deficiat, eorum quæ aliunde illi aduenire poſſent. Quæ autem bona, & quæ diuitiæ maiores, quàm rerum ſpiritualium. Quapropter, qui neglectim ſe gerit in iis acquirendis per ſanctæ inſpirationis repulſam à turpiſſima prodigalitatis ſpiritualis labe, nequaquam excuſabitur. Quòd ſi multi Doctores pro-

In 3.p.q.82. art.10.

digalitatis accuſant Sacerdotes rarò celebrantes propter neglectum ingentium bonorum, quæ ex deuota celebratione acquirere potuiſſent, cur non erunt pariter reprehendendi, qui prædiuites virtutum actos quotidie negligunt. Deinde quomodo liberalis erga illum Dominus erit, qui tot collatorum bonorum prodigus eſt. Vnde S. Gregorius dixit. *Diffidit mens ſe accipere poſſe in oratione, quod appetit, quæ reminiſcitur, nolle ſe adhuc facere, quod diuinitus audiuit. Dignus eſt enim, vt ab eius beneficijs ſit extraneus, cuius iuſſionibus non vult eſſe ſubiectus.*

Lib.10. Mor. cap.17.

Hæc omnia oſtendunt, quantum Deo diſpliceat, imò & offendat ſanctis inſpirationibus non reſpondere: nam, vt rectè cenſuit Cardinalis Toletus, & alij Doctores, non fit ſine aliqua culpa, quamuis enim non teneamur ad conſilia, tenemur ad diligendum Deum ex toto corde, & ex totis viribus, ratione cuius præcepti poteſt euenire, vt ad aliqua conſilij opera teneamur.

Lib.3.c.2.

Et qui diuinis inſpirationibus non obedit, faciet contra illud primum, & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Quomodo Deum huiuſmodi diliget, qui ipſum negligit audire, & ſeruire quod poteſt, & Deus vult, & monet. Religioſi autem præcipuè obſtringimur huic ſancti Spiritus obedientiæ inſtigantis nos ad bona, cùm præcipuè ad procurandam perfectionem S. Thomas nos adſtringat. Modum autem vtendi ſanctis inſpirationibus repræſentauit nobis Saluator mundi in illis ſeruis vigilantibus, & Dominum ſuum expectantibus, qui ſuccincti erant, vt promptitudinem ſuam oſtenderent. Lucernas in manibus habebant, hoc eſt, ad manus & opus ſanctas illuſtrationes perducere, & tam citò ac inſpiratio admittitur operi mandare. Dicuntur quoque expectare Dominum, non ſolùm audire, non ſolùm aperire, ſed cum ſumma diligentia præſtolari; nam vbi de tanto Dei obſequio, & bono noſtro agitur, non ſolùm negligentia reprehenſibilis videtur, ſed diligentia non maxima. Hic ſeruus diligens, qui expectat vigil ſuum Dominum, ex iis eſt, quibus repoſitam coronam iuſtitiæ S. Paulus dixit. *Repoſita eſt*, inquit, *mihi corona iuſtitiæ, non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum eius.*

2.Timoth.4.

Adiicit Caſſianus, *non illum tantùm aduentum, qui etiam nolentibus apparebit, ſed etiam hunc, qui quotidie in ſanctis commeat animabus.*

Lib.5 inſt. cap.17.

Liberaliſſimè debemus agere cum Deo in honore diuino ſolicitando, & gloria æterna generosè poſtulanda.

Capvt XLII.

Videamvs nunc quibus in rebus liberales, ac magnanimi oſtendi debemus Deo: credo in duobus, vnum in contemptione noſtri honoris, alterum in ſedula procuratione diuini. Etenim ſupernaturalis ſeruorum Dei magnanimitas eadem debet cenſeri cum liberalitate erga Deum, cui cùm nihil vtile ſit, non vtilitatem

ſuam

ſuam à nobis requirit, ſed honorem. Quare quod liberaliter illi impendere debemus, gloria ſua, & honos eſt, obſequendo, & colendo illum. Deinde licèt magnanimitatem moralem conſtituerit Ariſtoteles in appetitione honoris, generoſior tamen ſeruorum Dei magnanimitas in eo ſtat, quòd honorem diuinum appetat, & ſoliciter, proprium tamen contemnat, & quidquid temporale eſt. Quapropter ſanctus Bonauentura dixit: *Philoſophus, quòd magnanimus eſt in appetitu honoris, ſed quidquid dicat ipſe, hoc non docet veritas, niſi cùm honor eſt æternorum.* Pro æternis autem & diuinis humanum honorem contemnere, hoc profectò magnificum eſt, & regium, ad quod ſic nos hortatur Auguſtinus: *Si peruerſitas ſæculi admitteret, vt honoratiores eſſent quique meliores, nec ſic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius eſt ponderis fumus. Sed vtamur etiam in his rebus beneficio Domini Dei noſtri, conſideremus quanta contempſerint, quæ pertulerint, quas cupiditates ſubegerint pro humana gloria, qui eum tanquam mercedem talium virtutum accipere meruerunt; & valeat nobis etiam hoc ad opprimendam ſuperbiam, vt cùm illa ciuitas, in qua nobis regnare permiſſum eſt, tantum ab hac diſtet, quantum diſtat cœlum à terra, à temporali lætitia vita æterna, ab inanibus laudibus ſolida gloria, à ſocietate mortalium ſocietas Angelorum, à lumine Solis, & Lunæ lumen eius, qui fecit Solem & Lunam, nihil ſibi magnum feciſſe videantur tantæ patriæ ciues, ſi pro illa adipiſcenda fecerint boni operis aliquid, vel mala aliqua ſuſtinuerint, cùm illi pro hac terrena iam adepta tanta fecerint, tanta perpeſſa ſint.* Et ſanctus Baſilius: *Nos,* inquit, *neque diuitias, neque honores, neque Regnum ipſum, neque quidquid mundanorum magnum quiſpiam dixerit, magni æſtimamus, ſed vires omnes animi ad futuræ vitæ præparationem intendimus.* Hinc eſt, quòd ſanctus Ignatius exercitia humilitatis, quibus proprius honos deſpicitur, notantiſſimè commendauit, vt liberaliter, & magnanimiter cum Deo ageremus.

Super Geneſ. de luminar.

Lib. 5 de ciuit. c. 17.

Orat. ad Iuuenes.

Oportet deinde generoſa humilitate æterna ambire, & ſolicitos eſſe, vt Deum ſolum honoremus per omnium virtutum perfecta opera. Optimè ſanctus Gregorius ait: *Magna promiſit, qui magna præcipiendo docuit; vt magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Magnum quippe eſt ſoli Domino ſeruire, videlicet inſtanter bona agere, bonis actibus reproba non miſcere; ſed ô quam maximum in huius vitæ tranſitu poteſtatem cruentorum ſpirituum non incurrere, nullas in via horribilitates cernere, contrarietates obiectionum nullas inuenire, æternas pœnas euadere, liberatoris noſtri præſidia ſentire, momentaneam ſæculi lucem perdere, ſed repentè ineffabilem claritatem æternitatis inuenire: audiant ergo, audiant, qui de Philiſthym liberari deſiderant, præparate corda veſtra Domino, ſeruite illi ſoli.* Idem dixerat: *Magnus eſt, qui æterna concupiſcit.* Atque ingenuè ſanctus Leo clamat: *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire.* Sanctus Bernardus etiam dicit: *Iam verò magni patrisfamilias, ſeu regiæ maieſtatis ſchema apparere exiſtimo his, qui accedentes ad cor altum, de maiore ſpiritus libertate, & puritate conſcientiæ magnanimiores facti conſueuerunt audere maiora, inquieti prorſus, & curioſi ſecretiora penetrare, & apprehendere ſublimiora, & tentare perfectiora non modò ſenſuum, ſed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem; nec eſt omnino in omnibus apothecis ſapientiæ, à quo Deus ſcientiarum Dominus arcendos cenſeat cupidos veritatis, vanitatis non conſcios. Talis erat Moyſes, qui audebat dicere Deo: Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi te ipſum. Talis Philippus, qui ſibi, & ſuis condiſcipulis patrem poſtulabat oſtendi. Talis & Thomas, qui niſi ſua manu tangeret vulnus, & foſſum latus, credere recuſabat: puſilla fides, ſed de magnitudine animi miro modo deſcendens. Talis quoque Dauid, qui & ipſe dicebat Deo: Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Tales itaque magna audent, quoniam magni ſunt, & quæ audent, obtinent iuxta verbum promiſſionis ad ipſos, quod eſt iſtius modi: Quemcumque locum calcauerit pes veſter, veſter erit. Magna ſiquidem fides magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus poſſidebis.* Et paulo pòſt. *Iſtiuſmodi magnis ſpiritibus magnus occurrit ſponſus, & magnificabit facere cum eis.*

Lib. 3. in 1. Reg 7.

Lib. 3. Mor. c. 34.

Serm. de Natiuit.

Serm. 32. in Cant.

Magna opera & perfecta pro Deo efficienda.

CAPVT XLIII.

HANC curam Deo ſeruiendi magno, & ingenuo animo, perficiendique opera noſtra commendatam etiam habemus; nam in vigeſima ſummarij regula præſcribitur, *Poſtquam aliquis in corpus ſocietatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, ſed in ſuo perfici, & obſequio Dei, & gloria eius ſeſe impendere.* Quemadmodum eſt proprium Magnifici iuxta Philoſophum, perfecta, & accurata, & magna opera facere; ſic nos cum illo, qui magnificauit facere nobiſcum miſericordias ſuas, obſequia reddere debemus digna tanto Domino, perfecta, & accurata, ad imitationem vtique eius, qui bene, & perfectè omnia fecit. Illuſtre exemplum perfectè operandi per Zachariam exhibetur ipſe Deus, dicens: *Ecce lapis quem dedi coram IESV: ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego cælabo ſculpturam eius.* Deus enim totus oculus intentus operi inſtans, vt propterea ſeptem oculi dicantur ſuper lapidem cælandum eſſe, docet nos diligentiam, attentionem, & ſolicitudinem exactè operandi, quam æmulari oportet; ſicut ſanctus Thomas dixit: *Eſt mos Dei, quòd omnia opera ſua in ſummo benefecit, opus quippe cœli, & terræ, Angelorum, & hominum, & aliarum creaturarum adeò benefecit, vt meliùs excogitari non poſſet. Similiter opus redemptionis, quod nemo alius in cœlo, nec in terra facere potuit, ſicut legitur in Apocalypſi, in ſummo benefecit, prudenter vincendo Diabolum in ligno quo vicerat, ſub humana fragilitate ſemper celans diuinam potentiam: quia ſi dæmones cognouiſſent, vt dicit Apoſtolus, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, id eſt, crucifigi perſuaſiſſent. Similiter quidquid hodie facit, ſine pec-*

Reg. 20. ſumm. & p. 3. c. 4. §. 5. & in exam. c. 4. § 5. & 6.

Zach. 3.

De diuinis moribus.

cata

cata vindicet, ſiue diſſimulet propter pœnitentiam, ſiue gratiam ſubtrahat electis, ſiue conferat, ſiue fideli anima, quandoque ſe familiarem, quandoque alienum exhibeat, ſiue ſit ventus, ſiue pluuia, ſiue aura frigida, ſiue calida, ſiue ſicca ſit via, ſiue madida, ſiue fructus terra abundet, ſiue pereat, pro illo tempore melius fieri non poſſet, quia ex nimia charitate, & benignitate immenſa ſua ſapientia ſingula debito tempore operatur. Opus verò remunerationis in ſummo bene faciet, cum ſingulis peccatis, & ſingulis membris, quæ fuerunt arma iniquitatis, reddet iuſtam pœnam pro quantitate, & qualitate commiſſionis, & tamen ſingulis bonis voluntatibus, verbis, factis, & exemplis iuſtam mercedem reſtituet pro quantitate charitatis. Similiter & nos diligentiam apponere debemus, vt ſingula opera noſtra quantum vnquam meliùs poſſumus, faciamus ex omni virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, & cum omni deſiderio triumphantis, & militantis Eccleſiæ, & ſub nomine Creatoris, quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & vniuerſitatis vtilitas ex vno opere dependeat, quaſi nunquam ad id opus reuerſuri, neque opus aliud poſtmodum incœpturi. Quotiens enim aliquod opus facimus, aut aliud opus feruenter properantes ex ſolo deſiderio alterius operis, ſtatim laceſſit animus in opere, in quo ſumus; verbi gratia, cùm ſumus in oratione, vel in alio opere, & proponimus ſcribere, vel aliud opus facere, ſtatim orationem minuit noſter affectus, & citiùs abſoluimur ab incepto.

Audiendus quoque eſt ſanctus Petrus Damianus ad operum, & vitæ perfectionem, & animosè Deo ſeruiendum, ſic nos exhortans. *Chariſſimi, in vires vos, Chriſto auxiliante, colligite, eiuſque militiam, in cuius arma iuraſtis, non ſegniter, non eneruiter, ſed feruidè potiùs, ac viriliter baiulate; vt rudimenta conuerſationis veſtræ, quæ adhuc in quodam meditullio poſita ſunt, non ad nihilum, quod abſit, per negligentiam redeant; ſed per continui ferueris inſtantiam ad perfectionis culmen excreſcant. Mementote, quod Angelo Sardis Eccleſiæ dicitur: Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Quia enim plena coram Deo eius opera non inuenerat, moritura etiam illa, quæ iam bene geſta fuerant, perhibebat. Si enim quod mortuum in nobis eſt, ad vitam non accenditur; hoc etiam extinguitur quod quaſi adhuc viuum tenetur. Perdit quippe quod egerat, qui quod faciendum eſt, non conſummat. Quid enim prodeſt, ſi in matere vtero formari corpus incipiat, & tamen ad naturalis incrementi plenitudinem non pertingat? Non enim vos latet, de qua ſobole dicitur: Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundo. Abortiuum planè opus Deus non approbat, qui perſonarum & officiorum, conditionum, & ordinum actus in ſtatera prouida diſcuſſionis examinat, & diuerſas habet lances per ſingulos ordines. An ad trutinanda Regis opera ſtateram habilem non habuerat, eaque actas illius appenderat, cui per manus articulum in pariete deſcribebat: Regnum tuum appenſum eſt in ſtatera, & inuentus eſt minus habens? Atque idcirco preſtò ſubiunctum eſt: Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Si ergo regnum, ſimul & vitam illi Deus omnipotens abſtulit, non ob aliud crimen, niſi quia tam boni operis, quale Regem decuerat, in eo plenitudinem non inuenit; quid de nobis eſt ſentiendum, qui ſub profeſſione monaſtica & ſcandere perfectionis excelſa promiſimus, & adhuc tamen ſub torpore deſidiæ in imperfectionis noſtræ conualle iacemus? Vt quid homo totis nisibus non ſatagit implere, quod iactat: ob id ſaltem ne perdat omne, quod præterito labore quæſierat? Nam quantumlibet itineris quiſque perrexerit, quid, quæſo, proficit, ſi ad locum propoſitum non attingat? Porro ſi quiſpiam Regi vehementer infenſus, non aliter redire in gratiam poſſit, niſi centum argenti libras appenderit, certus, quia poſt ſolutum exactionis regiæ debitum, non ſolam gratiam, ſed & magnæ cuiuſdam dignitatis erit infulas accepturus: nunquid non fatuus erit, ſi nonaginta nouem libras, quæ publicis ærarijs illata iam fuerant, perire patitur, niſi ſola vna, quæ de ratione remanſerat, perſoluatur? Nonne melius eſt, vt modicum id, quod reſtat, plenè ſoluatur, & gratiam ſimul cum dignitate homo recipiat, quam & quod datum eſt, perdat, & quod terribilius eſt, in Regis indignatione permaneat? Dedimus, fratres, vt confidenter dicam, dedimus nonaginta libras argenti Regi noſtro Chriſto, pro cuius intuitu poſſeſſa reliquimus, coniugium ſpreuimus, eſum carnium dignitates, mundi pompas, & gloriam perhorreſcimus, nitorem ſæcularis habitus humili veſte mutamus. Magna ſunt hæc, ardua ſunt, fateor, magniſque ſuperna retributionis muneribus compenſanda; ſed adhuc reſtat vnde præfixum debeat pondus impleri, vt in gazophylacium Regis æterni mereatur admitti. Quæritis quid ſit hoc? Occurrit mihi protinus, vt vobis iſta reſpondeam: Obedientia, charitas, gaudium, pax, patientia, cæteraque virtutes, quas gentium Prædicator enumerat. Sed volo compendiosè perſtringere, quo menti veſtræ valeat faciliùs, ac per hoc arctiùs inhærere. Itaque nihil eſt aliud, niſi feruor in Deum, & mortificatio in temetipſo.* Hactenus ille. Hæc operum perficiendorum cura ampliùs in ſequentibus capitulis declarabitur.

In perfect. Monach.

DOCTRINA VII.

DE EXCELLENTIA qua operari debemus.

Excellenter operandum eſt, non ſolùm quoad ſubſtantiam operum, ſed quoad circunſtantias.

CAPVT XLIV.

IN *omnibus operibus tuis præcelleas eſto, ne dederis maculam in gloria tua.* Eccleſ. 33. Solicitudo, & eximia perfectionis cura ſeruis Dei & neceſſaria, & chara, non eſt tantùm excellentia, & heroica opera peragere, ſed & minima, & humilia excellenter, atque heroicè facere, non tantùm eximia, ſed eximiè operari, non tantùm in ſubſtantia & mole, ſed etiam in mo-

do. Excellentia opera, ſi excellenter non fiant, quanto excellentiora ex ſe ſunt, tanto poterunt fieri ignobiliora: exigna autem & humilia, ſi excellenter fiant, excellentia redduntur; itaque modus potius nomen operi imponet, quàm ipſa quantitas operis. Hinc Eccleſiaſticus non tam conſulit opera præcellentia facere, quàm in omnibus operibus præcellentem eſſe. Dum ait *in omnibus*, & magna, & parua comprehendit, & hanc eximiam gratiam, & elegantiam operandi admonet, vt omnia ſic operemur, vt in exiguis & minimis præcellentes ſimus. Hoc autem ſubſtantia, & magnitudo operis præſtare ſemper nequit; quare modus & ſolicitudo noſtra operis perficiendi præſtabit: ille quidem præcellens erit, qui præcellenter operatur, & in omnibus ſic operatur; proinde dixit S. Cyprianus. (*De ſing. Cler.*) *Non bene ſuccedit quidquid agitur paſſim, & ſanctum non eſt, quod geritur ſanctum, niſi ſanctè quod ſanctum eſt, peragatur.* Hoc eſt, quòd iuſtus admonetur, (*Deut. 16.*) *Iuſtè, quod iuſtum eſt, perſequeris vt viuas, & poſſideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Similiter & Sapiens ait; (*Sap. 6.*) *Qui enim cuſtodierint iuſta, iuſtè iuſtificabuntur.* Neque enim bonis & iuſtis operibus, niſi etiam benè, & iuſtè fiant, terra cœleſtis promiſſionis retribuetur. Vnde Gerſon dixit: (*Dial. Franc. Gall.*) *Deum non remunerari verba, ſed aduerbia.* Neque enim bona & iuſta opera ſunt abſolutè bona & iuſta, niſi benè & iuſtè fiant. Optimè Elias Cretenſis dixit: (*Epiſt. 87.*) *Bonum niſi bene fiat boni nomen amittit.* Et S. Bernardus ſcribens ad Ogerium Canonicum. *Per hoc iam quia bene non fit, non eſt bonum; ſcriptum eſt enim: Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccaſti.* Prædocuit nos ſanctus Spiritus, quod Philoſophia negare non eſt auſa, quæ modum etiam requirit ad ſubſtantiam virtutis. Princeps diſciplinæ moralis ſic fatetur. (*Ariſt. lib. 2. Ethic. c. 4.*) *Quæ ſecundùm virtutes fiunt, non ſi aliquo modo ita ſeſe habeant, continuò iuſtè, ac temperanter aguntur. Sed ſi etiam qui agit aliquo modo affectus agat. Primum quidem ſi ſciens; deinde ſi eligat, atque eligens propter ipſa. Tertiò ſi ſtabili, atque immobili affectu.* Alius ait: (*Seneca epiſt. 95.*) *Præſtabunt tibi fortaſſe præcepta, vt quod oportet facias: non præſtabunt, vt quemadmodum oportet; & ſi hoc non præſtant, ad virtutem non perducunt. Faciet quod oportet monitus, concedo, ſed id parum eſt. Quoniam quidem non in facto laus eſt, ſed in eo, quemadmodum fiat.*

Quomodo iuuandi ſumus fide ad bene operandum.

Capvt XLV.

Discamvs ab ipſis Philoſophis conditiones operis benè, & virtuosè peragendi. Tres aſſignat Peripatetica ſchola, vt nuper ex eius Magiſtro, & Principe vidimus, Scientia, electio, & conſtans ſtabilitas. Has ipſas leges nunc ad ſupernaturalia virtutum opera aptemus, quas ad moralia Philoſophi exigebant. Oportet igitur, vt bene operemur præcedat fides, ſapientia Chriſtiana, & ſublimis Dei notitia: etenim qui nouerit operationis ſuæ ſeſtem iudicem, & remuneratorem Deum, quo pacto non curabit illud perficere. Quapropter S. Bernardus ait: (*Serm. 1. in Pſal. 90.*) *Expedit omni animæ Deum ſemper attendere tanquam proprium, non modò adiutorem, ſed etiam inſpectorem; quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem ſe Deum, nunquam deſinit intueri, aut quomodo non quaſi proprium illum habere videtur, qui ſic eum ſuper ſe videt intentum, vt omnia interiora eius, & exteriora omni hora conſiderare non ceſſet. Omneſque non ſolùm actus, ſed etiam ipſos ſubtiliſſimos animæ motus perſcrutetur, atque dyiudicet.* Deinde Angelos conſideremus noſtrorum operum arbitros, quòd non leuiter excitabit nos, vt coram tantis inſpectoribus exactè omnia peragamus. Hac cogitatione reuerentiam, & attentionem ſanctus Dauid ſibi comparabat: ſic ipſe ait, (*Pſal. 131.*) *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* S. Chryſoſtomus legit, *è regione Angelorum.* Alij iuxta Hebræum, *contra Angelos*, quaſi per ſanctam æmulationem cum Angelis conaturi ſumus perficere mandata Dei, vt non minus diuina voluntas in nobis, & à nobis in terra fiat, ac in cœlis fit ſimili ac ſanctis ſpiritibus, vigilia, promptitudine, ſtudio, amore, fortitudine. Diſertiſſimè S. Bernardus, Angelos reuereri monet, cùm orauerimus. (*Serm. 7. in Cant.*) *Credimus*, inquit, *Angelos ſanctos aſtare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum, vbi tamen ſine ira, & diſceptatione leuari puras manus perſpexerint. Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam. Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas: ego obtuli orationem tuam Domino. Puto id vobis ſatis, & alijs Scripturæ teſtimonijs perſuaſum. Nam quòd pſallentibus quoque dignanter admiſceri ſancti Angeli ſoleant, quid eo manifeſtius, quod Pſalmiſta ait: Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum? Vnde & dicebat: In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Doleo proinde aliquos veſtrùm graui in ſacris vigilijs deprimi ſomno, nec cœli ciues reuereri, ſed in præſentia Principum tanquam mortuos apparere, cùm veſtra ipſi alacritate permoti, veſtris intereſſe ſolemnijs delectentur. Vereor ne veſtram deſidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant: & incipiat vnuſquiſque veſtrùm ſerò cum gemitu dicere Deo: Longè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi. Et illud: Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria. Item. Qui iuxta me erant, de longè ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Pro certo enim ſi ſe à nobis boni ſpiritus elongauerint, impetus malignorum quis ſuſtinebit? Dico ergo his, qui eiuſmodi ſunt. Maledictus qui opus Dei facit negligenter. Dicit quoque, non ego, ſed Dominus. Vtinam te calidum, aut frigidum inueniſſem; ſed quia te tepidum inueni, incipiam te euomere ex ore meo. Eapropter attendite Principes veſtros, cùm ſtatis ad orandum, vel pſallendum, & ſtare cum reuerentia, & diſciplina, & gloriamini, quia Angeli veſtri quotidie vident faciem Patris: nimirum miſſi in miniſterium propter nos, qui hæreditatem capimus ſalutis: deuotionem noſtram in ſuperna ferunt, referunt gratiam. Vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium, vt in ore infantium, & lactentium perficiatur laus. Dicamus eis: Pſallite Deo noſtro, pſallite. Atque audiamus eos viciſſim reſpondentes:*

Digitized by Google

tes: Pſallite Regi noſtro, pſallite. Laudem ergo cum cœli cantoribus in commune ducentes, vtpote ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, pſallite ſapienter. Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit. Poſt pauca addit. *Anima ergo in his exercitata cœleſtes ſeſe nuncij ſamiliares exhibent, & frequentes, præſertim ſi frequenter orantem perſenſerint. Quis dabit mihi per vos, ô benigni Principes, petitiones meas innoteſcere apud Deum? Non enim Deo, cui etiam cogitatio hominis confitetur, ſed apud Deum, hoc eſt, ipſis, qui cum Deo ſunt, tam beatis virtutibus, quàm carne ſolutis ſpiritibus. Quis ſuſcitabit me de terra inopem, & de ſtercore eriget pauperem, vt ſedeam cum Principibus, & ſolium gloriæ teneam? Non ambigo quin gratanter in palatio colligant, quem dignanter in ſterquilinio viſitant. Denique lætati ſunt de conuerſatione, & in aſſumptione non agnoſcent.*

Cum qua electione & diſcretione operandum eſt.

Capvt XLVI.

Altera conditio eſt diſcreta electio, cuius defectu Cain, & eius ſacrificium repudiatum legimus; cui Dominus dixit: *Nonne ſi rectè auferas, rectè autem non diuidas, peccaſti.* Sic multi Patres, cum Septuaginta legunt. Vulgata etiam non videtur ſubſtantiam operis, ſed modum reprobare. *Nonne*, inquit, *ſi bene egeris recipies. ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Non ait, *ſi bona egeris*, ſed *ſi bene*, qualitatem, non ſubſtantiam actionis demonſtrans. Dicunt plerique Patrum peccaſſe Cain in bono ſacrificio, quia non bene obtulit, quatenus non diſcretè, quoniam non elegit, nec rectè diſcreuit quid offerret, ſed quidquid obuium fortuitò habuit, illud obtulit: quod Abel non ita egit, potiùs de melioribus, & ſelectis diligenter diſcernens maieſtatem, cui offerebat, ſelegit quod offerret dignum Deo. Cain autem defectu diligentioris delectus culpam commiſit, vnde duplicis culpæ accuſauit illum ſanctus Ambroſius. *Duplex*, inquit, *culpa; vna, quòd poſt dies obtulit. Altera quòd non ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur, & gratia.* Ideirco idem Ambroſius ait, *Oportet offerentem Deo magnam in diſcernendo adhibere diligentiam.* Locupletiùs hanc diligentem diſcretionem, & totum Scripturæ locum interpretatur ſanctus Auguſtinus. *Rectè*, inquit, *offertur ſacrificium, cùm offertur Deo vero, cui vni tantummodo ſacrificandum eſt. Non autem rectè diuiditur, dum non diſcernuntur rectè vel loca, vel tempora, vel res ipſa, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel ij quibus ad veſcendum diſtribuitur, quod oblatum eſt, vt diuiſionem intelligamus hîc diſcretionem, ſiue cùm offertur vbi non oportet, aut quod non ibi, ſed alibi oportet, aut quod non tunc, ſed aliàs oportet; ſiue cùm electiora ſibi eiuſdem generis rerum tenet homo, quàm ſunt ea, quæ offert Deo: ſiue cum eius rei, quæ oblata eſt, fit particeps profanus, aut quilibet, quem fas non eſt fieri.* Hæc Auguſtinus, vbi nos docet, quæ ſit neceſſaria electio, diſcretio, atque circumſpectio circunſtantiarum, vt plenum boni nomen opera noſtra mereantur. Nouit hoc Apoſtolus; atque idcirco ſcribit ad Romanos modum operum, non minus quàm opera commendauit, dicens, *Qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate dilectio ſine ſimulatione, odientes malum, adhærentes bono, charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes.* Quod ita obſeruauit Chryſoſtomus. *Videte, quomodo vbique vehementiam requirat. Non enim dicit, date tantummodo, ſed date largiter: neque præſitis ſolùm, ſed cum ſolicitudine; neque ſimpliciter miſereamini, ſed cum hilaritate; neque tantùm honorate, ſed præcedite, & præuenite. Neque diligite tantummodo, ſed ſine ſimulatione; neque ſimpliciter abſtinete à malo, ſed odio proſequamini; neque adhærete ſolùm bonis, ſed conglutinemini illis; neque tantùm diligite, ſed propensè amico affectu diligite; neque ſtudete tantummodo, ſed non pigrè: ita & non ſimpliciter dicit, ſpiritum habetote, ſed feruentem exigite ſpiritum, hoc eſt, vt ſitis feruentes, ac concitati. Nam ſi, quæ dicta ſunt, habueris, ſpiritum attrahes. Si enim hic penes te fuerit, faciet ad prædicta diligentem, reddenturque per illum, & per dilectionem omnia faciliùs; ſiquidem vtrinque fueris incenſus.* Sic te ardente gratiſſimum Deo tuorum operum holocauſtum facies.

Lib de Abel. c.7.

Hom.18. in Geneſ.

Lib 15. de ciuit. c.7.

cap.12.

Hom.21. ad Roman.

In vniuerſum tamen commendandus eſt omnium operum modus, ſi hilari, prompto, & læto animo fiant, quam animi hilaritatem, ſingillatim commendauit Apoſtolus, dum miſerendi modum præſcripſit, quia oneroſa plerumque ſunt facienti opera miſericordiæ, quippe, aut labore corporis, aut diſpendio facultatum efficiuntur. At omnia in vniuerſum opera hilaritas commendat, *hilarem enim datorem diligit Deus.* nam ſic ait Chryſoſtomus, *etiam ſi modica dederis, multa tamen dediſti. Quemadmodum, etſi cum mæſtitia dederis, licèt multa dederis, ex multis tamen pauca feciſti. Sic & vidua illa multa talenta duobus obolis ſuperauit, larga ſiquidem mente dedit. Quid igitur das Deo? Doles*, inquit idem Pater, *omnem boni operis fructum perdens? Quis enim Regnum accipiens mæſtus eſt? Quis peccatorum remiſſionem accipiens in mærore manet? Si enim qui ſeminat gaudet, tametſi incertum ſeminet: multo magis qui cœlum quaſi agrum colit.* Hæ conſiderationes Chryſoſtomi magnopere excitabunt alacritatem, vt plus circumſtantia interdum mereamur, quàm ſubſtantia operis, plus affectu, quàm effectu, plus animo, quàm operatione, plus intentione, quàm executione, plus modo, quàm facto.

Vbi ſuprà.

***

Cum conſtanti ſpiritus feruore exactè ſemper operandum.

Capvt XLVII.

Tertio loco meritò commendatur feruidus affectus cum ſtabilitate, & conſtantia bene operandi. Magna profectò booi operis elegantia eſt bonæ voluntaris feruor, atque robur; nam quod præcipuè in virtute penditur, animus eſt, cuius præcipuè vehemens, & conſtans affectio virtuoſum opus decorar. Ad haoc fortitudinem affectus, oportebit feruentes ſpiritu eſſe, hoc eſt, amore ardentes: nam, vt ſanctus Laureotius Iuſtinianus ait, *Vis animi amor eſt*. Hæc vis & feruor ſpiritus iubet, vt exactè, & præcellenter bona opera fiant: ideo oportebit magis explicare quid feruor ſit, & quot eius vtilitates, quem legimus commendaſſe Apoſtolum cùm ſolicitudine non pigros, & ſpiritu feruentes monet eſſe. Sanctus Baſilius quæ-
Rom.12. rens quis dicatur ſpiritu feruens? *Eſt*, inquit, *qui cum ardenti ſtudio, & inexplicabili cupiditate, & aſſidua diligentia voluntatem Dei facit.*
Reg.259.ex breui. Neque diſcrepat à S. Baſilio S. Thomas, qui feruorem definit intenſum deſiderium. Alij ardorem amoris, ſiue amorem feruentem: nam idem Angelicus Doctor præcipuum amoris actum, feruorem iudicauit. Qualis hic feruor debeat eſſe, ſanctus Chryſoſtomus declarauit ſimilitudine flammæ tauris impoſitæ, qua concita-
Hom 21 in epiſt.ad Rom. bantur in curſu. *Non vides* (inquit) *quomodo tauri illi flammam in tergo ferentes omnibus ſint intolerabiles? Non aliter tu quoque Diabolo eris intolerabilis, ſi vtramque hanc flammam, diligentia mmiram, & dilectionis adeptus fueris.* Ex comparatione quoque aquæ feruentis optimè declaratur, qualis noſter feruor debet eſſe: tunc aqua è terra attollitur contra naturam propriam, ebullit, vt ſurſum aſcendat, in ſe quieſcere nequit, mutat qualitates, quæque ex natura ſua grauis, & frigida eſt, & impatiens alicuius ſpiritus, atque in ſe concreta, redditur cùm feruet leuis, & calida, impletur ſpiritibus, vapores ſurſum emittens. Similia faciet in nobis feruor, facit vt vincamus, & penè mutemus naturam, vt quæ antea oderamus, poſtea per ſpiritus feruorem appetamus; qui antea graues, & terreſtres erant, poſtea ſpiritu ferueutes leues & ſpirituales reddantur, ſurſum attollentes ſe, qui nullum locum Spiritui ſancto dabant, poſtea ſpiritu pleni fiant, qui lenti, & frigidi in ſe manebant, poſtea calidi, & acres in ſe nequeant conſiſtere, ſed reſoluant ſe ſanctis deſideriis perfectionis intenſis ſuſpiriis pro cœleſti patria, & aſſiduas orationes emittentes in cœlum. Antiochus Monachus ſimilitudine candentis ferri feruorem Monachis commenda-
Hom.37. uit. *Quemadmodum*, inquit, *ferrum igni candens totum a propria natura in eam, quæ natiua eſt igni, tranſit, fitque propemodum ignis: ita & qui Deo propius adiungitur, par eſt, a ſe vt vitæ iſtius ſita ferrugineo, & tenebricoſo obductas curas excutiat, & vniatur igni (quem Dominus venit mittere in terram) fiatque totus ignis, ne à quoquam aduerſariorum intercipi poſſit.* Nihil igitur terrenum, nihil proprium, nihil frigidum feruor ſpiritus retinet, ſed quaſi in igneam Seraphinorum ſubſtantiam tranſlatus totus igneus, cœleſtis, Angelicus, & ſpiritualis efficitur. Hinc Angeli cùm vident Religioſos feruidos, ob ſimilitudinē ſuam, quam in illis reſpiciunt, lætantur; Dæmones autem ægrè ferunt, qua conſideratione excitare in nobis feruorem oporteret, vt idem Antiochus ait. *Dæmones*, inquit, *nullo non genere veteratoriæ malignitatis obarmari conſueuerunt per omnem omnino vitam aduersùs Monachos piæ actionis ſtudioſos, & eos qui requietam, tranquillamque delegerunt viuendi formulam, ſuarum exacuere gladios tentationum. Et quo quiſque ſtudet eſſe arrepti propoſiti obſeruantior, eo aduersùs talem copias ſuæ malignitatis apparat inſanius Dæmon, & promouet perplexos vixque tolerabiles conflictus, vt quo pacto diuellere hunc ab oratione poſſit. Opus igitur fuerit, vt virtutis ſtudioſus ad opus iturus orationis, ſuam alacritatem oſtentet exprompram, & præferuidam; vt Angeli, perſpecta hac promptitudine exhilareſcant, ac proinde cum tali perſeuerent; è diuerſo, Dæmones tanto feruore flagellati ſe in fugam proripiant refugæ.* Debet igitur, vel ob hoc, cultor virtutis feruere ſemper ſpiritu.

Oportebit quoque meminiſſe antiqui feruoris initio conuerſionis, & ſpiritualis vitæ, & pudere nunc imperfectiores, & languidiores eſſe poſt tot annos ſanctæ diſciplinæ, quàm cùm rudiores eramus rerum ſpiritualium; quapropter curandum eſt, non minus nunc eſſe, quàm in principio fuimus id ipſum principium identidem reſtaurando, aut continuando, nobiſque aptemus illud, tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctum. Item illud: *Ego di-* Pſal.76.
xi, nunc cœpi; illum quippe benè & ſanctè diem habebimus, in quo nobiſcum ſit principium, quem ſic tranſigamus, ac primum diem noſtræ conuerſionis. Hic dies profectò virtutis eſt, hic dies clarus nobis erit in ſplendoribus Sanctorum; ſplendebit quippe in eo ſanctitas, in eáque augebimur, euntes de virtute in virtutem vſque ad perfectum diem, vſquequo aſcendemus montem ſanctitatis & perfectionis. Aptè quidem ſanctus Hieronymus legit, *in montibus ſanctitatis*. Iuuabit quoque conſiderare feruoris vſus, quos ſignificauit S. Laurentius Iuſtinianus, & operæpretium erit ſcire, vt tot commoditatum illecebris ad illum extimulemur, loquens de feruore ſub nomine deſiderij ait. *Ma-* Lib. de Caſto conn. c. 3.
gna victoria pars eſt vincendi deſiderium, deſiderium vires auget, cor attollit, debilitat aduerſarium, laborem temperat, exhilarat mentem, diſponit ad gratiam, & Deo reddit amabilem. Hæc ille breuiter, quæ latiùs meditari ſingillatim oportet. Tandem ſpes cœleſtium, patientia terreſtrium, orationis inſtantia excitabant feruorem, quæ adiumenta propterea commendauit Apoſtolus, poſtquam ſpiritu feruere iuſſiſſet, quod notauit Chryſoſtomus, dicens: *Vt oſtendat quomodo flamma illa ſpiritus accendatur, dicit ſpe gaudētes, in afflictione patientes, precationi inſtantes. Omnia ſiquidem iſta ignis huius incitamenta ſunt. Spes enim ſtimulat deſiderium, hilaritatem efficit, præſtat vires*, vt idem Chryſoſtomus dixit: *nihil enim mentem hominis adeò virilem facit, & ad omnia audentem, vt ſpes bona.* Spes autem optima infiniti boni quid non efficiet. Patientia autem efficit, ne ſpiritus acediæ, & tepiditas,

Digitized by Google

tepiditas nos ſubigat. Oratio denique aſſidua fouet ſpiritum, retrahit à terrenis, & impetrat à Deo perſeuerantiæ gratiam. ſic fatetur Vates dicens: *Os meum aperui per orationem, & attraxi ſpiritum.*

Humilitas ad bene operandum commendatur ex Hildeberto, & S. Odone.

CAPVT XLVIII.

HAs operum bonorum conditiooes firmat, & ſeruat humilitas; hæc per puram intentiooem noſtrum ad Deum reſpectum dirigit, hæc diſcretiooem docet, hæc cooſtaotiam promouet. Superbia verò per ioaois gloriæ complacentiam oon Deo, ſed oobis attendere imperat, oculum ſanctæ diſcretionis obſcurat, & inutilem reddit boni propoſiti tenorem. Rectè quidem
Epiſt.31. Hildebertus Cœnomanceſis monet: *Actum fortaſſe putas, & pleaam iactas victoriam; ſi nulla moleſta, ſi nulla lata propoſitum tibi Religioais extorſerint: cæterùm malè te dec . us, & inaaem ſomnias valetudiaem, ſi aoadum ſuperbia tumores humilitatis cataplaſmate ſubſederunt. Superbia totum virtutis corpus inficitur, vitale columen emarceſcit, formoſa quæque deformaatur. Superbia natioae cæleſtis, ſublimes appetit mentes; & velut ad proprios ortus reuolans, in gloriam, & puritatem irrumpit hominum, qui à gloria, & puritate prorupit Angelorum. Ea primùm in cœlis, dehinc in terra triumphans; ſic Angelis innata eſt, vt ab eis non recederet, ſic homines infecit, vt à Deo ſepararet. Et quaſi modicum profecerit cùm Angelum diiecit & hominem, adiecit Deum tentare pariter & hominem; vt quem videbat ſimilis conſortem naturæ, conſortem faceret & ruinæ. Prima hæc, & vltima pernicies, ante omnia vitia ſuperauit, poſt omnia ſuperatur. Nam & poſtquam fidelis anima de abyſſo vitiorum emergens, ſalutare virtutum culmen aſceadit, velut ex inſidijs proſilit, & occurſat elatio, totum Domus Domini ædificium concuſſura ad ruinam quod ſurrexerat ad conſummationem. Quid enim pernicioſius iuſto, quàm quod iuſtus videri deſiderat? Quod ad ſalutationes in foro hilareſcit, & exultat; quod adulatorio fauore demulcetur, quod penè hominem diffiteas, æqualem ſe ſuperis metitur, & meatitur? Qui dum malè gloriatur, & præſumit quod non eſt, in confuſionem proſternitur, & amittit quod eſt. Tantoque fit à Deo per parietem ſuperbiæ remotior, quanto ſibi videbatur per celſitudinem virtutum propinquior. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Vides igitur quanta morum dilapidatio ſit ſuperbia, quam neceſſaria in bene geſtis, humilitas? Sine humilitate, per prudeatiam eligere quod diligendum eſt, erronea diſcretio eſt: aduerſa per fortitudinem ſuperare, iacens victoria: illecebris, per temperantiam reſiſtere, temulenta ſobrietas.* Hæc ille.

Placet quoque adiicere quæ S. Odo Cluniacenſis libro ſecundo collatiooum ſcripſit, vt omni ſuperbiæ labe abſtergamur, & certo exitio eripiamur. Nam ille *qui eſt principium viarum Dei, primus per ſuperbiam corruit. Vnde & Saluator, ne diſcipuli de accepta ſignorum poteſtate ſuperbirent, prolapſum Angelum eis ad memoriam reuocat, dicens: Videbam Sathanā ſicut fulgur de cœlo cadentem. De quo etiam Beato Iob Deus tam mira in quibus fuit, & quæ amiſit, inſinuat, vt territo homini oſtendat quid ipſe ſi ſuperbiat, de elationis ſuæ culpa paſſurus ſit, ſi feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis eleuauit. Conſiderat ergo homo quid elatus in terra mereatur, ſi & prælatus Angelis Angelus proſternitur. Vnde & bene per Prophetam dicit: Inebriatus eſt in cœlo gladius meus, ac ſi apertè diceret; Qua ira feriam ſuperbos terra perpendite, ſeipſos etiam quos in cœlo iuxta me condidi percutere pro elationis vitio non peperci. Per hanc ergo Sathanas corruit, per hanc vtrumque hominem ſe ſpernentem ſternit. Hæc ſi in corde recepta fuerit, non ſolùm quibuslibet vitiis hominem tradit, ſed de ipſis quoque virtutibus, quas fortè egerit, ſibi hanc ſeruire facit, dum de his vanam gloriam quærit. Alios autem ex temporalibus rebus, alios ex ſpiritualibus tentat. Nam alius intumeſcit auro, alius eloquio, alius infimis rebus, alius cæleſtibus Vna eademque res tamen ante Dei oculos agitur: quamuis in diuerſorum cordibus diuerſo, ne cognoſci valeat, amictu pallietur, niſi fortè, quia tunc periculoſior eſt, cùm de virtutibus pullulat, quoniam in eo, qui ſanctus creditur, nullus hanc arguere præſumit. Ditioribus autem, vel diuitiis, vel virtutibus ob hoc durius dominatur, quia apud illos, eo maiorem intumeſcendi materiam habet, quo in eis maiori poteſtate, aut laudabiliori ſanctitate fulcitur.*

DOCTRINA VIII.

DE ORDINE EXERcitiorum ſpiritualium & cooperatione gratiæ.

Cooperandum diligentiſſimè gratiæ Dei.

CAPVT XLIX.

OPORTET tameo maximopere ad perficienda opera implere gratiam Dei oobis commuoicatam, & obſeruare illud, quod in ſummarij regula viceſima prima cauetur. *Omnes ſuum tempus rebus ſpiritualibus impendant, & deuotioni quærenda pro menſura gratiæ ipſis communicatæ inſiſtant.* Hoc ipſum hortatur D. Paulus; *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum* 2. Cor.6.1.
gratiam Dei recipiatis: ait enim, Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Idem vult Apoſtolus, quod ex S. Ignatio protulimus, vt vteremur tempore ad Dei gloriam, & pro menſura gratiæ nobis commuoicatæ reſponderemus diuinæ liberalitati, nullam gratiæ particulam in vacuum accipientes: nam, vt explicuit

Digitized by Google

Primaſius, *In vacuum gratiam Dei recipis, qui cùm Dei gratia non laboras, nec adiungis ſtudium ſuum, vt poſſit Dei præcepta ipſo adiutore implere.* Ad hoc generoſè conari cum Apoſtolo debemus. Quid animoſius, quàm vox illa B. Pauli; *1. Cor 15.10.* *Gratia eius in me vacua non fuit.* S. Ambroſius legit, *Gratia eius egena in me non fuit.* Alij, *inanis, & otioſa non fuit*; vſus quippe fuit accepta gratia pro eius menſura ſibi communicata, nec otioſam, hoc eſt, ſine effectu illam reliquit, neque egenam, hoc eſt, ſine meritorum diuitiis, quæ per illam comparauit eidem cooperando, idip- *Hebr. 12. 15.* ſum Hebræos monet, dum ait: *Contemplantes,* *1. Tim. 4. 14.* *ne quis deſit gratia Dei.* Similiter & Timorheum: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt.* Et iterum, *admoneo te, vt ſuſcites gratiam Dei.* Sic etiam Salomon precatur. *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, &* *Sap. 9. 10.* *mecum laboret.* Hinc Caſſianus dixit. *Magiſter* *coll. 13. c. 13.* *gentium, licèt gratia Dei Apoſtolatus gradum ſortitum ſe fuiſſe teſtetur, dicens: Gratia Dei ſum id quod ſum, tamen ſe quoque diuinæ gratiæ reſpondiſſe pronuntiat, dicens, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui; conatum proprij ſignificat arbitrij, cùm dicis, non ego, ſed gratia Dei mecum; virtutem diuinæ protectionis oſtendit, cùm dicit mecum, non otioſo, neque ſecuro, ſed laboranti, ac deſudanti eam cooperatum fuiſſe declarat.* Quæ verba, licèt ſecundùm mentem Caſſiani, qui Maſſilienſibus adhæſit, non accipiamus, iuuari illis oportebit ad cooperandum gratiæ; licèt enim ſine vllo merito & labore, aut conatu, aut parte noſtra nos Deus ſua gratia præueniat, nos ipſi debemus reſpondere, ne in vacuum gratiam Dei accipiamus, alioqui magnam iniuriam irrogabimus gratiæ Dei, nec impunes remanebimus. Sic ſan- *Iacob. 4.* ctus Iacobus dixit. *Scienti bonum, & non facienti peccatum eſt illi. Seruus cognoſcens voluntatem domini ſui, & non faciens, vapulabit multis.* Quænam, & quot iſta multa? Apoſtolus dixit. *Rom. 1.* *Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Qui enim veritatem cœli, & ſanctam cogitationem, quæ bonum ſuggerit opus, contemnit, hic gratiæ Dei inſpirantis ſibi in iniuſtitia detinens, ne operetur in vanum accipit, irritamque facit; atque idcirco ira Dei reuelatur in talem hominem, tradens illum in reprobom ſenſum in deſideria cordis, in immunditiam, & fœdiſſima ſcelera. Nam ſi is, qui ſacramenta in caſſum accipit, ita vt nullam in eo gratiam operentur, ſacrilegus eſt, quia iniuriam ſacramento irrogat, cur impunis euadet, qui ipſam gratiam Dei in vanom accipit, cur non ipſi ſufficientem iniuriam irrogabit, vt dicere Paulus potuerit, detineri in iniuſtitia; ingratus prorſus, incurius, & malignus Deo eſt, qui gratiæ ſuæ non reſpondet; qui autem ſecundùm illam operatur, iuſtus, & bonus. Idcirco Dauid dixit. *Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum,* nimirum facientibus opere, quod bonum eſt cogitatum. Idem ait de viro timente Dominum, *qui in mandatis eius cupit nimis, itavt ea exequatur, gloria, & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Iuſtitia enim quædam vitis eſt ſanctis reſpondere gratiæ Dei, & eius illuſtrationes in iniuſtitia non detinere. Sic comparant gloriam æternam, meritorum congregant diuitias, virtutum actus implent, & in ſanctitate creſcunt de virtute in virtutem, vſque ad perfectum diem, & perfectionis ſplendorem: congruere iis poterit, quod Dauid ait, *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum.* Sanctus Hieronymus legit, *in montibus ſanctitatis*, principium quippe operum gratia Dei eſt. Is autem quo cum gratia eſt, & ipſe cum gratia eidem cooperans, veniet ad perfectum virtutis diem, & ad ſanctitatis montem.

Congruum tempus impendendum eſt orationi, & rebus ſpiritualibus.

Capvt L.

Porro congruum tempus, & liberaliter quidem impendendum eſt exercitiis ſpiritualibus, vt noſter Parens ſanctus Ignatius edixit; ſed ea ſolet eſſe iniqua conditio rerum, vt iis rebus, quibus etiam æternitati vacare debemus, neque breuis hora libenter inſumatur, neque inueniatur iis rebus tempus. Quare meritò queri, atque iraſci Deus poteſt, ſicut per Aggæum fecit. *Populus iſte dicit: Non-* *Aggæi 1.2.* *dum venit tempus, domus Domini ædificanda*; refellit autem Dominus hanc ingratam excuſationem, dicens. *Numquid vobis tempus eſt, vt habitetis in domibus laqueatis?* Habemus tempus, vt amittamus illud, vt inutilibus rebus prodigamus, vt faciamus quod volupe, imò quod noxium nobis eſt: vt autem operemur noſtram ſalutem, & profectum, atque exactè peragamus ſpiritualia exercitia, nondum veniſſe tempus opportunum cauſamur. Quid inde ſequetur, niſi quòd ſimiliter puniamur, vt nunquam proficiamus in ſpirituali vita. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum. *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comediſtis, & non eſtis ſatiati, bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Hoc certè iuſto Dei iudicio fit, vt poſt multa bona opera exiguum fructum conſequamur. Neque ſatisfaciant nobis, nec pinguedinem deuotionis, nec ſaturitatem ſpiritualem præſtent pia alioqui, & ſancta exercitia, neque calorem charitatis augeant, ſed tanquam ſi in ſacculum pertuſum infunderemus omnia, perinde maneamus ſteriles, indeuoti, & aridi, & tepidi, ac ſi nihil feciſſemus, hoc ſolo quòd tempore breuiori, aut parum opportuno illa peragamus feſtinanter, & diſtracti tanquam parergon, aut perfunctorii aliquod opus. Oportet meminiſſe, quomodo Deus ſumet congruum tempus ad opera noſtra etiam bona diiudicanda: *Cum accepero tempus*, inquit, *ego iuſtitias iudicabo.* Ideo ſanctus Chryſoſtomus dixit, prolixum Dei iudicium futurum. Quòd ſi Deus ex otio nos iudicaturus ſumet tempus, cur nos celeriter, & perfunctoriè, & intempeſtiuè facimus, quod ex propoſito, & cunctanter, & prolixè examinandum, iudicandumque eſt. Quid tunc inueniet iuſtus ille iudex, qui dixit: *Scrutabor Ieruſalem in lu-* *Soph. 1. 12.* *cernis, & viſitabo ſuper viros defixos, in fæcibus ſuis.*

ſuis. Planè inoeniet opera noſtra non eſſe opera lucis, ſed luti, & fæces, & ſordes, & cœnum; cùm propterea, quod affectuum noſtrorum fæcibus affixi ſumus rapti eo, quò noſtra affectio impellit, diſtrahimur in ſanctis operibus; eaque obitet, & feſtinanter facimos, ne exterioribus quibus magis propendimus, deſit nobis tempus. Quid dicet iuſtus iudex, cùm talia opera noſtra videat, idem quod Hiram Rex Tyri, cùm vidiſſet oppida, quæ illi dedit Salomon, nec placuerunt ei.

3. Reg. 9. 13. *Hacine ſunt ciuitates quas dediſti mihi, frater, & appellauit eas terram Chabul,* id eſt, lutoſam. Deiode adiiciet, quod per Ma-

Malach. 2. 3. lacbiam dicitur: *Ecce ego proyciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſe-*

Hab. 2. 6. *cum.* Subinde etiam exclamat Habacuc: *Va ei qui multiplicat non ſua? Vſquequò, & aggrauat contra ſe denſum lutum.* Quippe multi rebus exterioribus occupantur libenter, & multiplicant opera non ſua, ſed cognatorum, aut amicorum, aut vanitatis, aut mundi, aut Diaboli, & nihil aliud faciunt, quàm coogregare lutum; atque ipſa opera bona, quæ faciunt, dum diſtracti, indeuoti, & feſtinantes ea faciunt, ſordida, & lutoſa reddunt.

Stata tempora decernenda ſunt exercitijs ſpiritualibus.

CAPVT LI.

IVVABIT etiam, noo ſolùm cnngrunm tempus exercitiis pietatis impendere, ſed ſtatas horas iis depiuare, quas immutare, & peruertere non liceat, dimidiando dies noſtros cum Deo, ſiue potiùs cum operibus ſpiritualibus, & corporalibus: nam totos nos diuinæ conſecrare debemus maieſtati etiam per ipſa opera exteriora, & oaturæ oeceſſaria, cum iis autem dimidiare opera ſpiritualia pietatis, pœnitentiæ, & Religionis debemus, non ſicut pecca-

Pſal. 4. tores, de quibus Pſalmiſta dixit: *Non dimidiabunt dies ſuos. Dimidiare dies* (inquit ſanctus Gregorius) *eſt tempus malè in voluptatibus ductum ad pœnitentia lamenta diuidere, atque hoc ad bonum vſum partiendo reparare, quod vtique bonorum eſt. Iniqui autem dies ſues nequaquam dimidiant, quod nec peruerſam mentem in extremo tempore permutent.* De neceſſitate autem diuideodi, ſeu dimidiandi dies per ſtatas horas, opti-

Lib. de diſciplin. & perfect. Mon. c. 10. mè B. Laurentius Iuſtioianus dixit. *Singuli itaque Deo famulantes ſtudeant proprias interioris, atque exterioris hominis loco, & tempore dirigero actiones, ne anteponenda poſtponat, & agenda prætereant, quia frequenter ſeductoria perſuaſione decipiuntur, qui abſque ſedula diſenſſione in via Dei pergere aſſueſcunt. Maxime proculdubio periculi res eſt, prout ſuggerit animus velle degere. Propterea cunctis conſulēdum eſt, vt taliter vnumquodque diſponant opus, quatenus qualibet hora propriam habeat actionem. Sciant quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum ſit, ne acedia ſpiritu in mentis dubietatem, vel hebetudinem euecti tempus ſuum inaniter conſumant. Semper ſtudeant potiora opera quietiori, & congruentiori tempore coaptare. O quoties immundorum ſpirituum ridiculum efficiuntur imprudentes! O quantis ſpiritualibus deprædantur profectibus ij, qui ſpreto mentis conſilio ſuis inſeruiunt voluptatibus. Quam ſæpe lectioni vacant, cum orare deberent. Orationi inſiſtunt, cùm liceret operari, ac præ hoc tempere oppreſſi, fraudeque decepti, cuiuſcumque operis debito priuantur fructu inſipientia ipſorum hoc perpetrante. Non ſic verò qui pollent prudentia, & qui cœleſtem magnipendentes gratiam, cœlorum Regna ſagaciter diripere moliuntur. Suo enim tempore orant, ſuo loguut, ſuo tempore manibus operantur. Singula ſingulis peragunt horis. Nec penes ipſos quidquam inordinatum prætermittitur.* Et infrà. *Quæque enim res, quæque operatio, vt Deo placeat, & virtuosè fiat, habere debet in ſe tempus, & modum, & intenſionem; ſi autem aliquo horum caret, imperfecta eſt, nec ad plenum diuinis ſplendet obtutibus. Beatus, qui hoc dyudicat: ſine ſpeciali namque ſapientia dono nequit hoc fieri. Sed neque ab his ad perfectionem attingi poteſt. Libra enim perfectionis eſt prudentia ordinans omnia.* Similiter ſanctus Iſidorus in regula Ordinem conſtitu-

tum à ſuis exigens. *Proprijs*, inquit, *temporibus* In reg. c. 5.
oportet operari Monachum, & proprijs orationi, lectionique incumbere; horas enim debet habere Monachus congruas ad ſingula officia deputatas.

Hoc eſt, quod ſanctus Paulus nos monens de- 1. Cor. 14. 40.
poſcit; omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis. Alibi idem Apoſtolus hor-
tatur. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis,* Eph. 5. 15.
redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Vult
enim, inquit ſanctus Thomas, *vt tanto magis va-* In dictum locum.
cemus bonis operibus, hoc eſt, vt omnia negotia piè, vtiliterque ordinata conficiamus, quanto prius inſiſtimus malis, hoc eſt, inordinatè, & nequiter plures horas in ſcelere conſumpſimus. Redimere tempus, eſt benè, & ordinatè operari, quod quia mali
non faciunt, de iis dicitur, *ſtulti facti ſunt, & mor-* Eccl. 7.
tui, in tempore non ſuo. Hinc etiam D. Gregorius:
Sacerdotes veteres nos vult imitari, qui membra Lib. 9. Mor.
cremabant hoſtia per fruſta conciſa. Tunc enim c. 31.
nos (inquit) *membra hoſtiæ ſuper ignem conciſa, ſuper ignem ponimus, cùm vita noſtra opera virtutibus diſtinguentes, hoc eſt, ſtudioſis actionibus deſtinantes immolamus, qua in re certè exercitans gratum Deo ſacrificium faciet, ac totum ſe toto die conſecrat.* Sanctum Prophetam Danielem ſtatas orationi horas habuiſſe ex Scriptura ſci-
mus, vbi dicitur, *Ingreſſus eſt domum ſuam, & fe-* Dan. 6.
neſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & antè facere conſueuerat. Ante Danielem idem fe-
cerat Dauid, qui dixit: *Veſpere, & manè, & me-* Pſal. 54.
ridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Samuelem quoque exhiboit nobis ſanctus Gregorius Papa ordinatæ vitæ exemplum, quod colligit ex illis puellarum verbis ad Sau-
lem. *Hic eſt, ecce ante te, feſtina nunc, hodie* 1. Reg. 9.
venit in ciuitatem. Quaſi dicant (ait Gregorius) *ſi id pro quo in ciuitate venit, expleuerit, videre in ſecreto ſuo repoſitum non poteſtis. Quod profectò verbum ad exemplum Religioſorum eſt. Nam ſanctus vir tanta erat diſtrictionis, vt ſtatutos dies, & horas haberet, in quibus eum, qui cuperet, videre potuiſſet. Dicunt ergo, feſtina, ac ſi dicant, ſi ſtatutum tempus tranſierit:*

ſierit in horis ſua quietis, verbis, aut actionibus non intendit. Quia ergo remota vita ordinem ſumpſimus, hoc obſeruare attentiùs debemus. Statuenda ſunt nobis hora miniſterij, vt breuiter perſiſtamus in opere, feſtinanter redire valeamus ad contemplationis arcem: ipſa autem ſecreti ſilentij noſtra mora, tanta lege diſtrictionis cuſtodienda ſunt, vt ipſi etiam, qui accedere ſolent, ſciant quia contra propoſitum noſtrum ad nos acceſſum non habeant. Denique hoc remedium acediæ Antiochus Monachus exhibuit, dicens: *Hunc acedia Dæmonem quiſquis inſigni triumpho à ſe ablegare vult, in omni ſuo opere modum ſibi præſcribat ordine certo, nec prius deſciſcat accepto opere, quàm finem impoſuerit.*

Hom 26.

Hoc conſilium, & methodum bene operandi ſecutæ ſunt Reipublicæ religioſæ in exercitiis communibus: at oportet vt priuati in exercitiis priuatis idem obſeruent. Regula S. Pachomij ſic præſcribit: *Ad pſallendum, & orandum nullus ſibi occaſionem inueniat, quibus ſe dicat occupatum, quaſi ire non poſſit. Et ſi in agro fuerit, & in agro, & in itinere, & in monaſterio quolibet miniſterio detentus orandi, & pſallendi tempora non prætermittat.* Frater Gineſius Cyprianus Zapata, qui res noſtras ruſticas curabat, tam tenax fuit exercitiorum ſpiritualium, vt in villa ſibi, & ſocio ſuo ſolitariis ſemper ad illa pulſaret, ac ſi in Collegio foret. Quin cùm ipſe ſolus ad rus abiret, ſecum ferebat tintinnabulum, & ſibi ſoli ſignum dabat. Pater Michaël Turrianus Doctor Complutenſis, qui poſtea in noſtra Societate mira pietate, & ſanctimoniæ opinione illuxit, nec morbo, nec vlla occupatione, nec vllius reuerentia à ſuis exercitiis impediebatur, adeò obſeruanter, vt ſtatas illorum horas nunquam perturbaret. Accidit cùm ſemel adeſſet hora vnius, vt acciretur à præcipuo Magnate, qui inſtanter, & magna cum feſtinatione Michaëlem aduocabat pro re magni momenti. Hæſit ille dubius, quid faceret, an procederet in exercitio ſuo, an adiret aduocantem? vtrumque fecit. Iuit, ſed vt poſtularet Principem illum permitteret prius inceptum exercitium ſua hora abſoluere. Annuit ille. Michaël autem domum illico rediens ſuæ deuotioni ſatisfecit, atque abſoluto illius horæ penſo, Magnatem repetiit. Significatum quoque eſt cœleſtibus prodigiis, quàm accepta Deo ſit hæc diſtributio ſpiritualium exercitiorum; namque poſtquam noſtri pulſi fuiſſent ex Arima, vacuam, & deſertam noſtram domum relinquentes, eodem tamen modo, ac antea Angeli pulſabant cymbala ad ſtatas horas, & in ſabbathis ad cantum orationis. *Salue Regina*, accurrebat plebs obſtupefacta illo prodigio ad domum noſtram ſolitariam, videbat nihilominus multos ex noſtris pſalleotes Deo.

Fructus ordinatæ vitæ, & diſtributi temporis ad exercitia ſpiritualia.

Capvt LII.

Nvnc dicemus aliquas vtilitates huius diſtributionis agendorum operum, quas paucis verbis amplexus eſt S. Bernardus: *Diſcretio*, inquit, *omni virtuti ordinem ponit. Ordo tribuit modum & decorem etiam & perpetuitatem.* Tria maxima ordinatæ vitæ bona complectitur. Faciliùs quippe fiunt ſpiritualia exercitia, & perfectiùs, & diutiùs. Vmbertus quoque dixit: *Qui in congregatione es, bene viuis, ſi viuis ordinabiliter.* Modus in ordine laudatur propter facilitatem, & ſuauitatem, quæ vſu, & conſuetudine comparantur. Ideo Ariſtoteles dixit: *Commutatio res eſt iucunda; nam commutari naturæ accommodatum eſt. Quod enim ſuper idem eſt, in exuperantiam tranſit, & præſentem habitum corrumpit: vnde bene dictum eſt, Omnium rerum viciſſitudo eſt iucunda.* Item, *Quæ fiunt interpoſito temporis ſpatio, ſeu per interualla, iucunda ſunt.* S. Martinus laudatur, qui pro quiete habuit mutationem laboris. S. Baſilius, poſt diſtributas diei & noctis horas ſubiicit: ex his omnibus, quæ diximus ſtatis temporibus nullum ab iis prætermitti debet, quorum vitæ propoſitum eſt, vt quæ acturi ſunt, omnia ad laudem Dei, & Chriſti eius referant; atque vtilis etiam, meo quidem iudicio, hæc in orationibus, & Pſalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuerſitas hæc, atque varietas, ob eam cauſam, quòd in perpetua ſimilitudine, & æqualitate rerum, animo, neſcio quomodo torpedo quædam plerumque oboritur, atque tædium: eaque re aliud agens, ad futiles, & vagas cogitationes aberrat. In viciſſitudine autem, varietateque cùm pſalmodiæ, tum ſingularum horarum rationis, & ſtudium ipſum renouatur, & attentio inſtauratur.

Serm 49. in Cant.

Lib. 1. Rhet. c. 38. al. 11.

Reg. fus. reſp. 37.

Iungitur his vtilitatibus decor, quod ſic confirmat ſanctus Bonauentura, poſtquam ſuaſiſſet ordinem religioſorum exercitiorum ſubdit: *Ex iſto fælici exercitio relinquitur quædam habilitatio in mente, de quo ſæpe animus non modicè contriſtatur, ſi aliqua negligentia, vel inertia conſuetum exercitium derelinquat. Immo quod in principio ipſius exercitij ſpiritualis laborioſum videbatur ſpiritu, poſtmodum, quaſi verſum in conſuetudinem ſuo decore allicit, vt tam frigiditas verſa in calorem, tarditas in velocitatem, maximè quia amore vnitiuo trahitur, experimento infallibili comprobetur.* Hæc Bonauentura. Et B. Laurentius Iuſtinianus ſcribit. *Quoniam cuncta ſtatutis perficiunt temporibus, ideo proficiunt, vitamque ſuam ſine tædio ducunt, atque cum ſemper anhelo ſitiant operandi deſiderio, ad anteriora procedere, ſolicitè proficere ſatagunt, quæ tenent præ manibus.* Ob hæc meritò Dauid dixit: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Hinc meritum operum augetur; quamobrem dixit Vmbertus: Licèt Religioſis multum inſtandum ſit orationibus, tamen magis horis, & temporibus conſtitutis; hoc enim, ſicut dixit Gilbertus S. Rufi Abbas expoſitor Regulæ S. Auguſtini, non eſt ſolùm oratio, ſed obedientia, conſtat autem quòd duplex bonum melius eſt.

Myſt. Theol. c. 3. part 3.

De diſc. & perfect. mon. cap. 10.

Cap. 37. in Reg. S. Aug.

Tertia ordinis vtilitas perpetuitas eſt: diem virtutem appellans, vt Bernardus notat, Dauid ait, *Ordinatione tua perſeuerat dies*; perſeuerat quidem virtus, quoniam, vt Caſſianus ait, *Semper æquanimius qualibet fatigatio ſuſtinetur, & ſine faſtidio labor impenditur, ſi interiecta ei viciſſitudo quædam, vel operis immutatio qualiſcumque ſuccedat.* Idcirco monet S. Hieronymus. *Sic dies tranſeat, ſi nox inueniat laborem.* Ora-

Lib 3 c. 12.

Epiſt. ad Lætam.

tioni

Digitized by Google

Orat.16. *tioni lectio, lectioni ſuccedat oratio; breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur.* Meritò igitur S. Gregorius Nazianzenus appellauit ordinem patrem rerum omnium, & præſidium.

DOCTRINA IX.

DE CONSVETVDINE.

De viribus conſuetudinis ad facilitatem operandi.

CAPVT LIII.

Thren 3. BONVM *eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & iacebit, quia leuabit ſuper ſe.* Cùm conſuetudo progignatur aſſiduitate & ordine operandi, quæ frequentior accidit minutioribus actionibus, videtur hîc de conſuetudinis vi paucis agendum. Sicut enim per modicarum rerum contemptionem ad magnos caſus ſcandit animus; ſic etiam conſuetudo procedit, aut ad magnam morum ruinam, aut ad magnam virtutis occaſionem. Quapropter potiſſima ratio nobis habenda eſt bonam in nobis ordinatè viuendo conſuetudinem formandi, & malam extirpandi. Is eſt ordinis & bonæ conſuetudinis vtiliſſimus vſus, & ſapidiſſimus fructus, vt arduum virtutis iugum ſuaueſaciat, omnemque religioſæ diſciplinæ aſperitatem leuiget. Nam, vt ſanctus Hieronymus inquit, *Aſperam nobis, & inſuauem virtutum viam nimia facit vitiorum conſuetudo: quæ ſi in alteram partem transferatur, inuenitur ſemita iuſtitiæ leuis.* Velut enim vinum plurium annorum ſuauius tempore redditur; ſic & virtus inueterata dulceſcit. Contrà autem, vbi quis diſſolutiori diſciplinæ, & immortificationi affectionum aſſueſcit, ſic prauorum affectuum conſuetudine, vitiis nimirum conſtringitur, vt virtutum operationibus, velut mancus, aut mutilus reddatur, atque ingentem molem leue Chriſti onus ſentiat; &, quod teterrimum eſt, inde ſe eripere nequeat, neque in libertatem ſuam animus aſſerere valeat. Hoc eſt, quod Salomon di-
Prou.22. xit: *Prouerbium eſt: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Quoniam, inquit Propheta Iſaias, *puer centum annorum morietur, pueriles, quibus aſſueuit, mores etiam cum canis retinens.* Sic difficile eſt conſueta relinque-
Lib.15. Mor. re. Eadem ratione dixit S. Gregorius: *Tenent praua conſuetudines quem ſemel ceperunt, atque quotidie duriores exiſtunt, & non niſi cum peccatoris vita finiuntur.* Similiter S. Maximus pro-
Serm. de Baptiſta. nuntiauit, *Qui non aſſueſcit virtuti, dum iuueneſcit, à vitijs neſcit diſcedere, dum ſeneſcit. Et contrà quod in virtute addiſcitur, in matura ætate ſeruatur.*

Nec ratio ſimplex, cur tantopere ſit arduum vitia paruæ conſuetudinis deponere. Prior eſt, quoniam vſu amittit animus ſenſum peccandi, & dum contemnit culpas aſſuetas, earum medicinæ non ſatagit. Idcirco dixit S. Auguſtinus.
Peccata quamuis magna, & horrenda, quum in Enchirid. cap.82.
conſuetudinem venerint, aut parua eſſe, aut nulla creduntur: vſqueadeò vt non ſolùm non occultanda, verùm etiam prædicanda, diffamandaque videantur. Alibi hortatur idem Auguſtinus ſic:
Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus Serm 4 Dominic. de aduentu.
fortè conſuetudinem iam feciſtis. Omne enim peccatum conſuetudinis vileſcit, & fit homini quaſi nullum ſit, obduruit iam, dolorem perdidit, & valde putre eſt: nec dolet, quod non dolet, non pro ſano habendum eſt, ſed pro mortuo computandum eſt. Quando aliquid pungitur & dolet, aut ſanum eſt, aut eſt in illo ſpes aliqua ſanitatis. Quandò autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum. Ob hanc inſenſibilitatem feralis eſt prauus ope-
randi vſus: *Moles impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis* Super Matth. hom 45.
dura conſuetudinis, qua premitur anima: nec reſurgere, nec reſpirare permittitur; dictum eſt autem: Quatriduanus eſt. Reuera ad iſtam conſuetudinem, de qua loquor, quodam progreſſu peruenit anima. Prima eſt, quaſi titillatio delectationis in corde; ſecunda conſenſio; tertia factum; quarta conſuetudo.

Altera ratio eſt, quoniam conſuetudine ſtrictiùs nos vitia complectuntur, & deuinciunt, vt eorum nexu explicari nolimus, imò etiamſi velimus, ferme nequeamus. Rectè S. Grego-
rius ait. *Sæpe nonnulli exire à prauis actibus cu-* Lib.12. Mor.
piunt; ſed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in mala conſuetudinis carcere incluſi, à
ſemetipſis exire non poſſunt. Idem ait. *Quum cul-* Lib.4. Mor.
pa in vſum venerit, et iam animus, etiamſi appetat, debilius reſiſtit: quia quot vicibus prauæ frequentationis aſtringitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur. Ideo Iſaias exclamat. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Chaldæus ſic vertit. *Væ qui incipiunt paulatim peccata, augentque vt creſcant, & fortia fiant vt vinculum plauſtri.* Plauſtralia lora validiſſima ſunt; conſuetudo enim leuioribus defectibus inchoatur, qui poſtea vſu ſic creſcunt, vt fiant velut fortiſſima plauſtrorum ligamenta. Meritò proinde deplorantur, qui longa peccandi conſuetudine ſe obfirmant, & obdurant in malo, & hoc ob res vanas, & inutiles: longum funem peccatorum, imò rudentem defectuum trahit, qui alicui vitio aſſueſcit, qui nihil aliud molitur, niſi vbi deficiat, & peccet. Quemadmodum enim aranea è ſuis viſceribus longa nectit fila, & inutilem operatur telam, ſic malè aſſuetus inutilem, imò noxiam defectuum, & peccatorum reſtim ducit. Optimè S. Baſilius explicuit, *Quomodo iſti funiculi à malè morato texantur, quoniam vt obtineat, quod ſua cupidini propoſitum eſt, alia atque alia peccata, alijs atque alijs addens culpis. Tandem pondus peccatorum ferunt ipſi illigati, quemadmodum plauſtro boues. Quoniam, ſicut plauſtrum grauiſſimum eſt, & vinculum quo ei alligantur boues, eſt fortiſſimum: ſic etiam grauis, & fortiſſima eſt praua conſuetudinis vis, qua quis ſe extricare non valet; ſæpe enim quantumcumque peccatum ſtudet effugere; ſequitur tamen non ſecus, ac bouem plauſtrum, cuius iugo ceruicem ſuppoſuit.*

Itaque funiculus in rudentem creſcit; imitat Dæmon per blandam delectatiunculam, & breui per duram conſuetudinem trahit. nam, vt S. Gregorius ait, (Lib. 15. Mor.) *Antiquus hoſtis, prius quaſi conſulens blanda ad animum loquitur: ſed quum ſemel dentem delectationis infixerit, violentia poſt conſuetudinem penè inſolubiliter innodatur.*

Tertia cauſa, niſi fortaſſe ſit aliarum radix, eſt, quoniam conſuetudo tantumdem ac natura fit, etenim adſcititia vitia quamdam ſui in nobis generant oaturam: ſic inſita nobis, ſic intima, ac ſi naturalia fuiſſent. Idcirco quod apud Iob dicitur, oſſa eius implebuntur viriis adoleſcentiæ ſuæ, & cũ eo io puluere dormiẽt. Ingerit cõſuetudo, intimatque viriofas affectiones in ipſis eas oſſibus, & medullis recondens, vireſque omnes corporis & animi implet, non aliter ac quod naturale eſt. (Lib. 6. de muſica in ſynonymus lib. 2.) Meritò ſiquidem pronuntiat Auguſtinus. *Conſuetudo quaſi ſecunda, & quaſi affabricata natura dicitur.* Similitet ſanctus Iſidorus dixit; *Conſuetudo auctoritati cedat: prauum vſum lex & ratio vincat; quum verò nec ſacris Canonibus, nec humanis legibus conſuetudo obuiare monſtratur, inconcuſſa ſeruanda eſt.* Idcirco proprietatum naturalium ſimilitudine difficultas deponendæ prauæ conſuetudinis demonſtratur per Ieremiam: Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cùm dilexeritis malum. Quod ſi corruptio noſtræ naturæ nudæ peccati fomitem alit, prauarumque inclinatioonum turbam concitat, quid faciet ſecundò vt conſuetudinis vitiata? Nouus fomes peccati vſus peccandi eſt; ſecunda naturæ corruptio praui mores ſunt. Hinc fit ita teuinciti animum vitiis, vt etiam cum ea nolit amet, & cum odit, repetat. Nam, vt ſanctus Gregorius ait: (Hom. 31. in Euang.) *Vſitata culpa obligat mentem, vt nequaquam ſurgere poſſit, ad rectitudinem conatur, & labitur; quia vbi diu ſponte perſtitit, & ibi quum noluerit, coacta cedit.*

Hinc accidunt plurima prauæ conſuetudinis damna, primum contemptus peccatorum deprauato rerum iudicio; ſecundum miſera vitiorom ſeruitus; tertium facilitas peccandi; quartum multitudo peccatorum; quintum difficultas virtutis; ſextum deſperatio teſipiſcentiæ. Malè enim aſſueti in eum veniunt ſtatum, quem Apoſtolus notauit, (Ephes. 4.) *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitia in operationem immunditia omnis, in auaritiam*; oritur enim hæc deſperatio, aut peccatori ſalutis, aut tepido Religioſo perfectionis, quia videt, experiturque, quàm ſit arduum, & difficile loogam mali conſuetudioem, prauumque habitum, quaſi iam confirmatum contrario vincere vſu. Deinde peccatores queruntur de Deo, vbi eſt illud, non patietur, vos tentari ſuper id quod poteſtis; quorum tamen excuſationibus peccatorum egregiè reſpondent ſanctus Hieronymus, & ſanctus Odo Cloniacenſis. (Lib. 2. collat.) *Neque alia cauſa facit difficultatem bene viuendi, quàm longa conſuetudo peccandi, quæ nos ita tenet addictos, vt quandam vim natura videatur habere. Miramur cùm non nobis deſidioſis, ſine labore, quaſi ab alto ſanctitas conferatur, qui nullam boni conſuetudinem fecimus. Malum namque vetus impugnat voluntatem nouam: quidquid primum in te inſtitueris, hoc manebit. Quapropter vſus inoleuit, vt pueri, vel puella ſpiritualibus ſtudijs manciparentur, priuſquam ſecularibus blanditijs illicerentur. Sed proh dolor! iniquitate iam ſuperabundante, res in contrarium verſa eſt: ſchola virtutum facta eſt amphitheatrum vitiorum. Ibi vitia diſcuntur magis, vbi diſſueſci debuerant. Quid quod tergiuerſamus, & natura fragilitatem opponimus Deo, quaſi neſciat ille quales nos fecit, & oblitus noſtra humana fragilitatis impoſuerit homini mandata, qua ferre non poſſit? O cæcam inſaniam, & prophanam temeritatem! Dupliciter quippe Deum videmur incuſare. Neque enim iuſtus qui poſſe dedit, impoſſibile aliquid imperare poteſt; neque qui pius eſt, hominem condemnaret pro his qua vitare non poteſt. Et quomodo ſtaret, quod ipſe perhibet? iugum meum ſuaue eſt. Hanc itaque iuſto iniquitatem, nec pio crudelitatem aſcribamus.*

Praua conſuetudines violenter exſcindendæ ſunt, & contrario rerum bonarum vſu excludenda: vbi agitur de bono conſuetudinis bona.

Capvt LIV.

Cvm igitur tam noxia, & implicita, multiſque vioculis innodetur praua conſuetudo, tot viribus, & conatibus reſcindenda eſt, quot nexibus adſtringitur cordi, quod non ſine violentia, & dolore fiet, vt Auguſtinus obſeruauit ad ea verba. *In dolore paries filios.* (De Gen. contra Manich.) *Verum eſt ſacramentum huius ſententia, quòd nulla abſtinentia ſit à voluntate carnali, qua non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem conſuetudo flectatur: quò quum peruenerit, quaſi natus eſt filius, id eſt, ad bonum opus paratus affectus per conſuetudinem bonam: qua conſuetudo vt naſceretur, cum dolore reluctandum eſt conſuetudini mala.* Vis igitur contraria, & violentia magna opus eſt; atque, vt ioquit Bernardus: (Super Cant.) *Abſcindatur ferro acuta compunctionis vlcus inueterata conſuetudinis: ſi eſt acerbus dolor, leniatur vnguento deuotionis.* Sanctus Baſilius etiam docet: (In Regul.) *Non paruus eſt dolor, vt ſe aliquis à priori non bona conſuetudine reflectat ac reuocet: quoniam quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodam modo obtinet natura.*

At quamuis violentia initio opus ſit ipſa iam paulatim decreſcente mali conſnetudine, & bene operandi vſu procedente, vis illa durior emollitur: nam apud Iob dicitur, (Iob 14.) *Lapides excauant aqua, & alluuione paulatim terra conſumitur.* Quamtumuis dura, & ſaxea ſit conſuetudo mali, vinci tandem poterit aſſiduitate, & ſtudio operum bonorum, & terrenos mores aqua cœleſtis ſapientiæ diſſipabit, & conſumet. Nec enim minora ſunt lucra bonæ conſuetudinis, quàm detrimeota prauæ. In primis aſſiduum virtutis ſtudium purgat praua rerum iudicia, vt valorem virtutis agnoſcat, cuius dignitatem vix noſcet, niſi à quo exercetur: is ſentit bonæ vitæ commoda, qui experitur vitia; ille magis noſcet, & deteſtabitur, qui longiùs ab eis ſit; contrarium accidit in ſenſu vitiorom, ac inſenſibiliom rerum notitia. Oportet vicinos rebus adeſſe, vt eas noſcamus; nam quæ procul ſunt, minus perſpicimus. Vitiorum autem deformitatem is plus videt,

det, qui remotior eſt; à longè optimè videntur. Deinde bona conſuerudo aſſerit nos à vitiis in libertatem filiorum Dei, & dulciſſimè nos introducit in Regnum illud cœleſte, quod intra nos eſt ab affectuum dominatu nos eximit, à vitiorum tyrannide eripit. Tum rerum omnium difficillimam, ſed ſalutarem virtutem mitefacit, & ſuauiſſimam reddit, magnamque virtutum difficultatem in facilitatem transformat, rem arduam ita mollit, rem amaram ita condit, rem acerbam ita mitigat, vt amet, quod timebat, & ſalutem cum iucunditate ſuauiſſimè conficiat. Hinc oritur duplex bonum, vnum imminui peccata, alterum honeſtos multiplicari actus. Quanto enim facilitas bene operandi comparatur, tanto erunt frequentiora bona opera, & difficultas malæ operationis ſuccedet. Ex quo naſcitur renor diuturnus religioſæ diſciplinæ, & ſancti perſeuerantia propoſiti. Iuuat enim perſeuerantiam frequentia bonorum operum, quod ſupponeos
1.Cor.15. Apoſtolus hortatur. *Fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in omni opere Do-*
Ioan.15. *mini ſemper*; atque ipſe Saluator dixit. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Ex his roboratur ſpes ſalutis, vt tradamur iuſtitiæ, & perfectioni in ope tionem ſanctitatis. Neque exiguum bonum, bonæ conſuetudinis eſt in deſperationem adducere Dæmonem, vt obfirmatum vſu boni propoſiti animum rimeant inuadere. Tandem vtiliſſimus fructus eſt diuturnæ, & aſſuetæ virtutis pudor laxioris vitæ; nam, vt ſanctus Maximus ait, bene conſuetos pudebit diſſueſcere; nonnunquam accidet, vt quod amore Dei non relinqueres, id ipſum pudore mundi reiicias. Erubeſcit vltrò animus authoritate virtutis venerandus ab eadem virtute deſciſcere. Sic conſuetudo obſtringit animum honeſtati, vt ſiue ſpe cœleſti, ſiue timore humano eam debeat tueri. Meritò igitur Ieremias pronuntiauit bonum eſſe viro portare iugum adoleſcentiæ ſuæ, dum conſuetudinis ope virtutis incrementa ſumit: nam dum à multis annis iugo perfectionis ceruicem ſummiſit, graue alioqui onus leue reddit, & ſuaue: ſic ſedebit ſancti perſeuerantia ſtudij ſolicitarius, ſiue, vt alij legunt, ſingulariter, quia retractus multiplicitate culparum, vni ſolique intendit virtuti, cui aſſueuit. Itinera peccatorum multa & turbulenta ſunt; locus autem virtutis pacatus & deſertus: pauci ibi ſunt, & cum affectionum ſilentio, ſicut in multiplici peccandi via plurimæ vagantur turbæ. Quapropter ille, vt ſanctus Paſchaſius ait, *ſedebit ſeorſum, donec plena ſe perfectione virtutis erudiat, & magnam animi inducat patientiam. Idcirco tacebit; nam nec gemet ſub iugo ſuaui quod moleſtum non ſentit, & leuabit ſuper ſe.* Alij legunt, *leuabit ſe ſupra ſe*, quoniam aſſuetudo ſanctæ vitæ leuat hominem ad perfectionem, & leuat quidem ſe ſupra ſe, ſupra vires ſuas; nam bonis habitibus roboratis plus virium experitur, quàm ex ſe habet. Et quod natura non dedit, per conſuetudinem fecit naturale. Corruptam quippe naturam aſſuetudo virtutis emendat; ſicut enim praua conſuetudo, fabrefacta natura nuncupatur, ipſamque corruptam naturam plus corrumpit, deiiciens ipſam infra ipſam, vt ad deteriora demittat, quàm ipſa ex ſe natura faceret. Sic & bene aſſuetus ſupra ſe, ſe leuat, dum ſic emendat naturam, vt ſupra ipſam operetur, in difficultate virtutum, facilitatem reperiens.

Ad retinendam, firmandamque bonorum operum conſuetudinem oportebit renouare identidem bona animi propoſita, aut ſingulis hebdomadis, aut ſaltem ſingulis menſibus: eapropter iuſſit ſanctiſſimus Parens noſter Ignatius ſingulis hebdomadis quemque ſui officij regulas perlegere. Et deinde ſingulis menſibus legere, aut audire regulas communes. Et prætetea ſingulis ſemeſtribus renouare publicè vota religioſa. Hæc omnia arma ſunt aduersùs irruentia prauæ conſuetudinis mala, & præſidium religioſæ conuerſationis ſanctis ſuis inſtitutis, & moribus. Hoc bene nouerant Spartani, atque ideo eorum Rex, & Ephori ſingulis menſibus mutuo ſe iureiurando adſtringebant. Hi quidem ciuitatis nomine; Rex nomine ſuo, quo iureiurando Rex pollicebatur ſecundùm leges receptas ſe imperaturum. Ciuitas verò ſe iuramentum hoc ſanctè ſeruantibus Regibus Regnum inconcuſſum eſſe præſtituros. Sic ille illegitimis moribus, & conſuetudinibus, quæ contra leges erant, aditum intercludebant. *Vbbo Emmi in Rep. Lacon. in Ephoru.*

Poſt hæc omnia ſpiritualium exercitiorum præcepra atque præſidia, à Dæmonibus poſſunt impugnari; quapropter de ſubtilioribus eorum aſtutiis agendum eſt.

DOCTRINA X.

DE TENTATIONIBVS & dolis Dæmonum.

Actus Dæmonis tentantis ſeruos Dei per res exiguas.

CAPVT LV.

CAPITE *nobis vulpes paruas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.* Ea eſt rerum conditio, vt quæ excellentiora & magis florentia ſunt, maiori pateant inuidiæ, pluribuſque periculis: quæ autem perfectiora, atque pulchriora, minoribus dehoneſtentur maculis. Hoc cùm in vniuerſum verum ſit, certiſſimè accidit in vita ſpirituali, cuius excellentiam & florem vehementiùs conantur faſcinare noſtri generis hoſtes; & cuius perfectionem, & decus leuiores fœdant næui, veriſſimè deuotus Thomas de Kempis dixit. *Omnibus bonis inimicus eſt Diabolus, inſidiatorque continuus, ſed Monachis & Religioſis amplius, qui quanto perfectius per iter incedunt virtutis, tanto acrius ille nititur eos impedire, quibuſcumque potuerit artibus.* Quapropter oportet nobis attentiùs cauere, & ſolertiùs operari, ne inimicorum nobis inuidentium tentationibus vincamur, nec propter minutas, & plures imperfectiones puritas noſtræ animæ turbetur, & Cant.2.

pulchritudo maculetur. Illud enim perſuaſum habere debemus, tunc ſedulius nobis agendum eſſe, tunc inuidentius & ſubtilius Dæmonem nobis inſidiaturum, cùm magis profecerimus, cùm ſpirituali vita amœnius effloreſcemus. Hoc eſt quod per Salomonem admonemur: *Capite nobis vulpes paruas, quæ demoliuntur vineas; nam vinea noſtra floruit.* (Cant. 2.) Scilicet cùm floridius erumpunt in nobis virtutes, plures beſtiolæ, & aſtutiæ Dæmonum ſunt, quæ illas demoliri meditantur, niſi prius intercipiamus dolos & noxios vulpecularum actus, venantes eas, atque in ſuis ipſis capiamus artibus. Commodè Origenes per *vulpes* Dæmones interpretatur: *Puto*, inquit, *in vulpibus contrarias poteſtates, & Dæmonum nequitias intelligi debere, quæ per prauas cogitationes & intelligentiam peruerſam exterminant ex anima virtutum florem, & fructum fidei interimunt.* Igitur inimicorum noſtrorum fraudes diligẽti aduertamus animo; inſultus & ſubtiliores Dæmonum tentationes agnoſcamus, ſuam ipſam calliditatem in ipſos retorquentes, & cum Apoſtolo dicamus: *Quia non ignoramus aſtutias Sathanæ, neque cogitationes eius.* (2. Cor. 2.) *Et vide ne fortè*, inquit Bernardus, *ob hoc à ſponſo iubeantur non quidem exterminari, vel abigi, vel occidi, ſed capi, quòd videlicet huiuſmodi ſpirituales, doloſaſque beſtiolas omni vigilantia & cautela obſeruari oporteat, & examinari, & ſic capi, id eſt, comprehendi in aſtutia ſua.* Hoc etiam debemus nos facere vt ſatisfaciamus regulæ vigeſimæ ſecundæ ſummarij, in qua ſic admonemur. Ab illuſionibus Dæmonis in ſuis ſpiritualibus exercitationibus caueant, & ſe contra omnes tentationes tueantur, ſimul rationes ſciant, quæ adhiberi poſſint vt eas ſuperent, & ad veras, ſolidaſque virtutes inſiſtant. Nunc videamus qua arte nos frequentiſſimè illudit & tentat Dæmon, & qua peritia nos tueri poſſimus contra omnes ferè eius tentationes, nimirum obſeruando illius dolos, & morem in inſidiando nobis, vt capientes ipſum in ſua aſtutia, per eam ipſam ipſius caput conteramus; diſcentes ab ipſo noſtrum quærere profectum eo modo, quo noſtram ille ruinam molitur, vt ſalutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos, ſumentes, munitiores fiamus. Generaliter Dæmonum ars, & vſitatior nos tentandi indicatur hîc à Salomone, dum dixit, non *vulpes* dumtaxat, ſed *vulpes paruas.* Cur hoc? an quia parum nos oderunt, an quia parui inimici ſunt, poteſtates tenebrarum, an quia parua damna nobis inferunt? Nequaquam: nam demoliri totam vineam animæ noſtræ non eſt exiguum detrimentum; vocauit autem illos vulpes paruas, quia in paruis rebus nobis inſidiantur, quia per minima nos impetunt. Neque enim audent ſpirituales viros palàm & cum grandi malitiæ vultu aggredi; ideo ſe occultant in exiguis rebus, vt per minima ingentem nobis præparent ruinam. Eadem quoque ratione dixit, vineam florere, & tunc eam demolituras vulpeculas niſi capiantur. Flos enim initium fructus eſt, minimus eſt, aut vix natus dum floret arbos: etenim in minimis rebus, quæ initia & velut flores ſunt maiorum, magnas demoliuntur Dæmones virtutes, & vberes bonorum operum fructus, in ſuo flore, atque exordio deuaſtant; quod damnum per ſimilem aſtutiam, & grandem minimorum curam reparare debemus. Hæc eſt retributio de qua per figuram in Pſalmo dicitur, *Filia Babylonis, filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* (Pſal. 136.) Quænam retributio Babylonicæ, hoc eſt, Diabolicæ tyrannidis, niſi quemadmodum Dæmon per parua nos ſupplantat, per eadem illum ſupplantemus: paruuli enim qui allidendi ad petram ſunt, exigua peccata ſunt, & minimæ mali cogitationes, quod optimè ſanctus Hieronymus eſt interpretatus. Nolo, ait, ſinas cogitationem creſcere, nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat; dum paruus eſt hoſtis interfice. Nequitia, ne zizania creſcat, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem, *Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram.* Quia enim impoſſibile eſt, in ſenſum hominis non correre innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur Beatus, qui vt cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad pètram, petra autem Chriſtus eſt.

Cur Dæmon tanti faciat noſtros minimos defectus.

Caput LVI.

Hunc igitur artificioſiſſimum, & vt ſic ſic dicam, Dæmonis dolum per minuta nos inuadentis, obſeruemus, vt minima quæque curantes, hoſtiles artes fruſtremus. Duobus præcipuè modis ſe fingit Sathan vulpem paruam in exiguis nos tentans. Vnus eſt cùm re vera in minimarum rerum contemptum conatur nos inducere. Alter eſt cùm non quidem in minima, ſed in maxima quæ tãquam minima nobis falsò proponit, immergere meditatur. Primum illũ Dæmonis actum notauit S. Anſelmus, dicens: *Perdere & deficere non eſt, niſi ex noſtra negligentia, quæ ſæpiſſimè incipit à minimis, in quibus nos callidus hoſtis ſolet decipere, cùm nobis perſuadet ea non magni pendere. Inde namque ſequitur illud damnum execrabile quod legitur; quia qui modica deſpicit, paulatim decidit.* (Epiſt. 6. ad Mon. Ciſt.) Quid aliud eſt cur dicatur Diabolus circumire, quærens quem deuoret, niſi quia per multarum paruarum culparum periodum circumducit nos, vſquequò impingamus in magnam. Quod obſeruans S. Hieronymus dixit: *Diabolus non pugnat citò contra aliquem per grandia vitia, ſed per parua, vt poſſit quomodocumque intrare, & dominari homini, & poſtea cùm in maiora vitia impellat, non per fornicationem, non per auaritiam, ſed per minora vitia ingreditur.* (In Pſal. 140.) Sanctum Dauidem quomodo aggreſſus eſt, nonne per minutam immodeſtiam quod explicaret oculos? Quid inde accidit? ex immodeſtia impulit in concupiſcentiam, hinc in adulterium, hinc in homicidium. Clades Regis Achab vnde traxit originem, an ex iniuſtitia aliqua, an ex illicita concupiſcentia, non niſi ex licita complacentia vnius prædij. *Noli ergo dicere* (ſanctus Chryſoſtomus ait) *quid eſt ſi formoſam aſpexero mulierem curioſè? nam qui corde mœchatus eſt, is rem ipſam peragere non dubitabit.* (Hom. 84 in Matth.)

Noli

Noli dicere, quid eſt, ſi pauperem hunc præteribo? hoc enim pacto etiam alium tranſcurres, deinde alium atque alium, ac eandem omnes contemnes. Noli dicero, quid eſt, ſi rem proximi deſiderabo? 3.Reg.21. *hoc enim Achab Regem perdidit. nam quamuis pretium dederit, verum tamen quia à nolento accepit pœnas, perluit.* Exemplum Cain addamus ex eodem Patre, *Non* enim, *Satan confeſtim cædem fratris illi ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus tam ſceleſtum facinus abominaretur, ſed priùs perſuaſit deteriora offerre; nullum eſſe id dicens peccatum; deinde veneno inuidiæ ſuccendit, nihil etiam hinc mali ſecuturum perſuadendo: ita ſenſim in eum illapſus ad cædem fratris, & ad negotiationem ſceleris impulit; nec prius ceſſauit, quàm malorum omnium verticem impoſuit. Repellenda igitur malorum initia ſunt: nam etſi ad maiera prima non progrederentur peccata, non eſſet tamen negligendum; nunc verò per iſtam incuriam gradatim ſemper aſcendunt. Quapropter omni ſtudio atque opera funditus principia peccatorum ſunt euertenda: non enim vim delicti ſolam conſideres, nec quia paruum ſit cogites, ſed illud præcipuè tene; quia ſi radicem non euulſeris, magnus inde labor ſuccreſcet.* Hactenus diuious Chryſoſtomus. Suum morem explicuit Dæmon in percuſſione ſancti Iob, quem à planta pedis vſque ad verticem capitis vulnerauit: quod enim in corpore Iob fecit, io multorum animabus facit, vulnerans illas totas, incipiens à pedibus vſque ad verticem capitis, id eſt, à minimis & vilibus rebus vſque ad maxima perueniens. Ideo ſanctus Gregorius dicit: *Cùm licentia percipit à minimis incipiens, atque vſquo ad maiora perueniens, quaſi omne corpus mentis illatis tentationibus lacerando transfigit.*

Præterea Dæmon quemadmodum callidus auceps non niſi in minimo vult comprehendere; quia inde totos nos vinctos præſumit habere. Tom.3.ſerm. Aſcenſ. Rectè ſanctus Ephrem dixit. *Ex volucrum aucupio diſce quæ parua videntur, non ideo contemnenda; contigit enim vt auis in laqueum incidens minima capiatur vngnicula, & alarum vires franguntur ac debilitantur ob vnguem vilem, & cùm totum corpus ſit extra laqueum, totum tamen retinetur.* Sunt enim aliqua exigua, quæ magna impediant, & corrumpant, quæ licèt parua mole ſint, magna ſunt virtute, & effectu. Gutta veneni parua contemptibilis eſt quantitate, ſed horribilis qualitate. nam, quemadmodum ait Apol 3. ſanctus Petrus Damianus, *Si tenuiſſimè veneni ſtilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum eſculentius licèt edulium prorſus abominabile iudicatur? Si ergo per exigua mala largiſſima ſæpius bona corrumpuntur, quo pacto te de lenocinante conſcientia iactas, quia minimum eſt, quod contra profeſſionis tuæ propoſitum, priuata proprietate poſſideas? nam, iuxta Apoſtolum, modicum fermentum totam maſſam corrumpit; & alibi, qui modica ſpernit, paulatim decidit.*

Peſſimus Dæmonis aſtus cùm leues noſtras culpas ſuadet.

Caput LVII.

Secunda Dæmonis ars aggredientis nos per minima, quapropter parua dicitur vulpes, eſt quoniam ad magna nos induelt, perſuadens exigua eſſe, imminuens, atque extenuans omnia, etiam quæ maxima ſunt, quem dolum ioimici ira notauit ſanctus Ephrem, *Athletas porrò, nimirū ſpirituales, varijs* Tom.2.p.32. *modis inimicus oppugnat, & ante quidem conſummationem iniquitatis vehementer eam in oculis ipſorum imminuit, potiſſimum verò concupiſcentiam voluptatis carnalis: tantumque eam in ipſorum oculis, prius quàm peragatur ſcelus, extenuat improbus, quomodo ſi quis poculum aquæ frigidæ humi effunderet.* Et Marcus Eremita ait: *Modica delicta admodum eleuat & extenuat* Cap. de lege *Diabolus, alioquin enim ad maius malum, aut* ſpir §96. *vitium hominem adducere non poſſet.* Hac arte Iudam adegit in furtum, deinde in execrandam Magiſtri ſui proditionem, eadem aſtutia Iudæos induxit in ſuperbiam, mox in deteſtandam Chriſti Domini inuidiam: deinde in facinus omnium ſcelerum ſceleſtiſſimum crucifigendi innocentem Dei filium. Quod rectè notauit Chryſoſtomus. *Sic*, inquit, *in Iudam maximum proditionis malum concreuit; niſi enim putaſſet paruum eſſe pecuniam inopum ſubripere, in tantam proteruitatem non deueniſſet. Iudæi quoque niſi putaſſent inanis gloriæ delictum minimum eſſe, vſque ad cædem Chriſti lapſi non eſſent. Hæc eſt pernicioſiſſima inimici noſtri fraus, aut extenuare peccata, aut prorſus mentiri, ſuggerens nobis nullum eſſe peccatum quod ſcelus eſt.* Hæ voces, parum hoc eſt, nihil hoc eſt, à nequitiæ ſpiritu nequiſſimo inſtillantur peccatoribus. Propterea non incommodè peccata intelligit ſanctus Gregorius Niſſenus, in illis Dauidis verbis. *Quæ pro nihilo* Tom.5. in *habentur eorum anni erunt. Pulchrè*, inquit, *&* Pſal.1.7. *ingenioſè appellat peccata nihil, nam qui peccat, ſolet quodammodo pro nihilo peccatum ducere, & pro quouis ſcelere perpetrato defenſionem inſtituere, & cuiuis, in quocumque malè commiſſo promptum ſit dicere, nihil eſt cupiditas, nihil ira, & alia huius generis nihil ſunt, cùm ſint naturæ quædam motiones.* Hæc peccatores dicunt ſeducti à Dæmone, ſed Sancti Spiritu Dei edocti contrarium ſentiunt; audiamus ſaltem vnum Chryſoſtomum, *Periculoſum certè, periculoſum, inquam, eſt, pernicioſiſſimis his paſſionibus locum concedere; quare oportet omni pacto reijcere ingreſſum ipſarum, atque repellere. nam ſi comprehenderint animam atque ſuperauerint, tunc ſicut ignis ingentem, ac ſiccam nactus materiam, maximam ſolent flammam accendere. Quare rogo atque oro omnia faciamus, vt quaſi maceria ſuperemus à nobis harum ingreſſum. Nullus igitur friuola ſe illa ratione conſoletur, qua vniuerſa proteruitas in animam conducitur. Illa, inquam, ratione nullus vtatur, quàm multi dicunt, quid hoc eſt, aut illud, mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum Diabolus cùm ſic magna malitia multa opera ingenti ſtudio, condeſcenſioneque non-*

nulla ad perditionem hominum vtitur, à minimis enim plerumque incipit.

Contra Dæmonum artes ea, quæ minima ſunt, magnopere curanda.

CAPVT LVIII.

HÆ ſunt vulpes paruæ, quæ demoliuntur vineas florentes. Cùm igitur iam eas inuenerimus, reſtat vt capiamus. Quid eſt capere niſi in eadem ſua aſtutia intercipere illas, vt quemadmodum Dæmon per minima nos inuadat, ſic per minima ipſum repellamus. Ille conatur inducere nos in exiguarum rerum contemptum, nos conemur maiorem diligentiam nauare circa ipſas res exiguas; & ſicut vna aſtutia illius eſt per minora incipere vt pedetentim in maiora adigat, ſic & nos vt maiora non incurramus, nec in minimis conſentiamus, vtiliſſimè dicebat ſanctus Franciſcus, nolle Dæmonem niſi capillum de nobis: quam ſententiam vt in corde noſtro arctiùs infigamus, ne in vlla minima re Dæmoni condeſcendamus, audiamus commendari ab alio viro Dei ſancto Patre Ioſepho Anchieta, qui in quadam Epiſtola ſic ait: *Eſt præclara illius Patris & Patriarchæ ſancti Franciſci ſententia, nolle de nobis Diabolum plus quàm tenuiſſimum capillum, ex illo enim cogitat chamum ingentem, validumque ad noſtras conſtringendas animas ſibique vindicandas conficere; ſi modò ſemel nos in re aliqua, vel minima ad noſtram ſequendam voluntatē impellit, inde ad alias atque alias adigit, eo vſque quoad obedientiam poſthabeamus: ſi ſemel vel leuiſſimam turpem cogitationem excutere cunctemur, idipſum arripit; eoque contentus, ei longum agmen fœdiorum ſpecierum conſequentium adnectit.* Quare vt non minus ſapiamus, quàm non modò filius, ſed princeps huius ſæculi, à minimis cauere debemus, quod ſalùtariter S. Ephrem ſuos Monachos admonuit. *Non ſolùm*, inquit, *à grauioribus peccatis, & vitijs temperetis, quod quidem vos facere noui; ſed etiam ab illis, quæ parua apparent, ac leuia, quæ tanquam minimi ac nullius momenti ferè ab hominibus negligi, ſpernique ſolent, quaſi nulla de ſimilibus reddenda foret ratio, cùm interim per huiuſmodi res perdere etiam quærat Diabolus. Omni ergo diligentia, ac ſtudio, etiam in minimis illis dolos atque inſidias Diaboli cauete.* Auctor Epiſtolæ ad Demetriadem. *Ibi te maximè oportet obſeruare peccatum, vbi naſci ſolet, ſtatimque ad primam tentationis repugnare faciem, & malum antequam creſcat, extinguere. Nec enim ſpectandum eſt augmentum eius rei, quæ timeri debet à paruo, & quæ tanto faciliùs vincitur, quanto ei citiùs repugnatur.* Nihilominus ſi in minimis vicerimus Diabolum, tunc perfectam de eo victoriam conſequemur, tunc triumphabimus, vt rectè Caſſianus dixit: *Hæc erit ſumma victoria, triumphuſque perpetuus, vt quemadmodum dicitur, nec minuto quidem nummo conſcientia Monachi polluatur.* Quid fœlicius quàm magnitudinem victoriæ cum facilitate coniungi: faciliùs in minimis vincimus inimicum, vincimus interdum & glorioſiùs. *Omnes ergo rimæ* (ait ſanctus Cyprianus) *ne dicam portæ claudendæ ſunt, ne per vnum foramen caſtra omnia penetrentur: & vniuerſa ſunt componenda munimenta, ne per modicum non munitum tota ciuitas ruat, ſicut Salomon repetit, dicens: Qui ſpernit modica, paulatim cadit.* Auferenda igitur ſunt omnia malorum exordia, minimi, inquam, defectus, & leues occaſiones & Dæmoni ſuggerenti illas, licèt perexiguas, magnopere repugnandum, maximo, in ipſis minimis, animo, ea ſedulitate quam ſanctus Dorotheus præſcripſit. *Obambulat*, inquit, *quiſpiam, & aliquid fortè conſpicitur, ſuadetur actutum à cogitatione vt illud aduertat. At is ſi ſapit, cogitationi, & ſuaſioni illi repugnat, ſeque aduertit, & dicit, certè non aduertam, neque id penitus conſiderabo. Rurſus offendit quis aliquos nugis, & varijs rumoribus occupatos, & ait illi cogitatio cordis ſui: dic & tu verbum aliquod, immiſcete huic turbæ; at ille negat id ſe acturum, & voluntatem ſuam abrumpit prorſus. Iterum dicit ei cogitatio, adi coquum, & interroga quid paret obſonij; at ille non adit, nec voluntati illi ſuæ obtemperat. Item cernit fortaſſe quidpiam, ſuade illico cogitatio, vt interroget quiſnam illud attulerit; at ille negat, & voluntati ſuæ repugnat, appetitum comprimit, nec percontatur omnino.*

Tom. I. tract. de intemp.

cap. 26.

Lib. 7. c. 21. & 28.

De ſig. Cleri.

Serm. 1.

Tunc minima virtutum opera ſedulò curanda ſunt. *Qui enim*, ait ſanctus Baſilius, *diligenter ex vnaquaque re fructum decerpunt, ijs perinde ac magnis fluminibus multa omni ex parte acceſſiones fieri conſueuit; nam modico modicum apponere, non magis in argenti quàm in cuiuſque alterius ſcientiæ additionem ad amplitudinem valere exiſtimandum eſt.*

Serui Dei quæ minima ſunt, magna reputant.

CAPVT LIX.

DEINDE cùm altera Dæmonis fraus ſit, perſuadere minima, aut nulla peccata eſſe, vbi ſcelera ſunt, & mentiri parua eſſe, quæ magna reuera exiſtunt. Nos contrà facere debemus, & reputare magna, quæ parua dicuntur. Sic Sancti fecerunt, ſic & bonæ mentes, ibi timent eſſe peccatum etiam vbi nullum eſt. De ſancta Paula ſcribit ſanctus Hieronymus. *In qua fontes crederes lachrymarum. Ita leuia peccata plangebat, vt illam grauiſſimorum criminum crederes ream.* De ſancto Gerardo comite dicit ſanctus Odo. *Peccata ſine quibus humana conditio eſſe nequit, quæ nobis leuiora, illi verò videbantur grauia, ita ſemper præ oculis ſtudebat agnoſcere vt remiſſionem impietatis cordis non ambigeret adeò clementer percipere. Quod autem* (inquit ſanctus Iſidorus) *homines peccatores de magnis ſceleribus agere debent, quando etiam perfecti leuia quæque delicta quaſi grauiſſima lugent.* Et ſanctus Bernardus ſalutariter conſulit. *Mens Deo dicata ſic cauat minora vitia vt maiora.* Quapropter multis lachrymis animæ ſanctæ leuiſſimas culpas lugebant. Sanctus Auguſtinus non ſolùm deflebat leues culpas commiſſas poſt conuerſionem, ſed antiquas, ſicut mendacia, quibus pædagogum fallebat: furtula de menſa parentis, vt haberet quæ alijs pueris daret, paruas fraudes in

Epiſt. 27. ad Euſt.

Lib. 2. vitæ S. Gerard. c. 16.

Lib. 2. ſent. c. 18.

in ludendo. has & ſimiles culpas licèt exiguas profuſis lachrymis abluebat. De Agnete Imperatrice confitente peccata leuia, ſic ſcribit ſanctus Petrus Damianus : *Vtinam à quibuſdam homicidijs, & diuerſorum criminum reis, illi fletus, illi gemitus in confeſſione prorumperent ; ſic tabeſcentis, & acerrimo dolore transfixa mentis ſpiritus fremerent: ſic malè ſibi conſcia pectora ſingultirent, ſicut illic plangebantur, vel inanium phantaſmata cogitationum, vel quarumlibet puerilium ineptia leuitatum.* Adeò leues culpas non ſolùm religioſæ vitæ, ſed ſæcularis, cruciat Sanctos; imò ſuſpiciones, & imagines culpatum, ſanctus Comes Gerardus, non dumtaxat balneis, ſed lachrymis abluebat inquinationem nocturnam, quæ nulla ſua culpa accidebat.

Epiſt. 125.

Lib 1. vitæ ſuæ cap. 34.

Hi ſerui Dei, vt ſtrenui milites Chriſti ſecuram de hoſte victoriam referre ſuadebant per exquiſitam minimorum diligentiam, vt victo etiam in minutis Diabolo grandiora opera expeditiùs ipſi exequerentur, ſciebant quoque quanta etiam pro exiguis rebus gloria ipſis in futura vita manebat. Alexander Macedo exhortans ſuos milites ad maiora facinora dixit. *Ego me metior non ætatis ſpatio, ſed perennitatis ; non annos meos, ſed victorias numero.* Maiora adhuc reſtant, ſed ita noſtra erunt, quæ nondum adiicimus, ſi nihil paruum duxerimus, in quo magnæ gloriæ locus eſt. Præterea cùm fideliſſimi Chriſto eſſent, id oſtendere in paucis curabant, vt mererentur ſuper multa conſtitui. Et quamuis exiguum meritum foret in exiguæ rei ratione, magnam ſibi infamiam reportabant, quæ minima eſſent non feciſſe pro Chriſto, & vinci ab imbecilli aduerſario. Nam, vt Caſſianus ait, *A potente elidi licèt ſit in deiectione dolor, & gemitus in amiſſione victoria, tamen quodammodo de aduerſarij robore victis naſcitur conſolatio. Sin verò & inimicus exilis & genus colluctationis infirmum vltra deiectionis dolorem confuſio turpior, & ignominia detrimento grauior infertur.*

Fraus Dæmonis vitia pro virtutibus perſuadentis.

Capvt LX.

PRogredit vlteriùs aſtutia Dæmonis, vt non ſolùm quæ grandia ſunt, extenuet, & imminuet, decolorans illa, tanquam leuia & futilia, ſed virtutes fingit, quæ vitia ſunt. Hic dolus quoque vſitatiſſimus huius vulpeculæ. *Aſtutum ſiquidem*, ait ſanctus Bernardus, *natura hoc genus eſt animantis, promptumque admodum ad nocendum in occulto, & videtur mihi congruentiſſimè deſignare ſubtiliſſima quædam vitia ſpecie palliata virtutum.* Nam, vt ipſe ait, proficientium ſanctioribus ſtudiis, minimè quidem ſeſe opponere contrariæ virtutes apertè audent, ſed ſolent ex occulto inſidiari quaſi quædam fraudulentæ vulpeculæ, ſpecie quidem virtutes, re autem vitia. Quantos ingreſſos vias vitæ, progreſſos ad meliora, ſuper ſemitas iuſtitiæ bene ſecuréque proficiſcentes, & proficientes fraude (proh dolor!) vulpium harum turpiter ſupplantatos expertus ſum, & ſerò in ſe virtutum ſuffocatos plangere fructus. Sicut Ieroboam auertit Iſraël à Deo ſub ſpecie religionis, cùm excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis. *Nolite vltrà aſcendere in Hieruſalem. Ecce Dij tui Iſraël.* Pari conſilio Dæmon ſubſtituit nobis quædam idola virtutis, vt veram & ſolidam relinquamus. Oza nonne religionis ſpecie deceptus, quod virtutem putauit, peccatum fecit ; ideo capitali ſupplicio punitus. Ille vir Dei, qui exitium domus Ieroboam prædixit, lapſus in peccatum fuit, quod ipſe iudicauit virtutem, & obinde occiſus à leone. Cùm enim iuſſus à Deo ne comederet, nec biberet in Bethel, rediret ieiunus, alius Propheta illum reuocauit, dicens : *Et ego Propheta ſum, ſimilis tui, & Angelus loquutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam;* tunc ille vir Dei obſequium ſe præſtare Deo reputans ex obedientia & humilitate, & vrbanitate comedit, & in gulam incurrit humilitatis atque humanitatis prætextu. Achab Rex putauit magnanimitatem parcere Benadab ; propterea tamen perdidit vitam & regnum. Hæc oportuit monuiſſe ne noſtro iudicio fidamus, nec quibuſlibet virtutibus contenti ſimus, ſed veras ſolidaſque poſſidere conemur, de quibus iam egimus. De damnis autem proprij iudicij in ſe gubernando non ductu maiorum poſtea agemus ſuo loco.

Serm. 64. in Cant.

Exigua etſi nihil referre videantur, non propterea ſunt contemnenda.

Capvt LXI.

DEniqve & illam iſtarum vulpecularum prudentiam (liceat ſic loqui) imitari oportet, vt quemadmodum Dæmon cùm maiora de nobis obtinere nequit, non deſiſtit à paruis, etiam cùm nec virtute, nec effectu magna ſunt, ſcilicet cùm non vltrà procedunt, ſed in ſe ipſis conſiſtunt, neque ſunt occaſiones grauiùs peccandi; non tamen propterea inimicus eam negligit, ſed accipit quod poteſt; ſi non poteſt totum, accipit partem, ſi non poteſt magna, accipit modica, ſi nec modica poteſt, accipit minima, etiamſi nullam aliam vtilitatem ſperet. Similiter & nos ita debemus magnis virtutum operibus inſiſtere, vt non propterea parua opera prætermittamus, & Dæmoni nec hilum concedamus. Afferam quæ contigere in cœnobio Gigniacenſi, vnde agnoſcere poſſimus quanti Dæmon minima faciat, etiamſi nullum aliud lucrum expectet, & quanti etiam Deus minima habeat. Quænam magis exigua, quàm mica panis? de his narrabo duas hiſtorias. Erat in illo Monaſterio Monachus, qui micas panis poſt menſam non comedebat pro conſuetudine eius cœnobij, ſed ſinebat cadere à menſa : hic languit vltimo morbo, & ecce iam moribundo adeſt Dæmon ſacculo pleno micarum, oſtentans & terrens illum, vt coactus fuerit præ pauore vociferari, quæ res magnam formidinem omnibus Monachis immiſit, vt diligentiſſimam minimarum curam obſeruantiarum haberent, di-

ſcentes

ſcentes ab ipſo Dæmone quanti debeant fieri minutiſſimæ quæque res. Sed nec diuina prouidentia defuit, quin alio ſigno oſtenderet, quàm magni apud Deum eadem minima habeantur. Quidam cuiuſdam Monaſterij frater (qui ſanctus Odo creditur fuiſſe) cùm ſederet ad menſam, toto animo lectioni intendebat. Contigit autem quandoque vt collectis pro more micis prius quàm eas ederet, Abbas Berno lectioni finem imponeret; tum ille quid ageret prorſus ignorabat, abſoluta enim lectione non audebat eas ſumere, nec etiam relinquere, ne caſu perirent. Tandem viſum illi eſt manu eas continere, & cùm poſt verſum ab Eccleſia eſſent egreſſi, Patri Monaſterij exhibere. Itaque poſtquam ex Oratorio egreſſi ſunt, mox ad Abbatis pedes ſe abiicit. Interrogatus ab eo, cur veniam peteret; ille explicata manu oſtendere micas voluit, & ecce in margaritas mutatæ viſuntur, quæ ornamento cuiuſdam Eccleſiæ intexta ſunt. Addamos quoque quod Abbati Hellem accidit, qui quoniam fauos mellis, quos ſub petra inuenerat, non attigit, & iterum, cùm reperiſſet fructus diſiectos poſt trium hebdomadarum ieiunium, non guſtauit. Excitatus per Angelum à ſomno ſe reperit iuxta clariſſimum fontem, quem herbæ delicatiſſimæ ac tenerrimæ cingebant, inde potus & paſtus, dixit, vnquam ſibi fuiſſe iucundius. At quid opus eſt ampliùs dicere, cùm in Euangelio videamus minima opera maximè commendata. nam pro calice aquæ frigidæ cœlum retribuitur, & duo minuta viduæ pauperis antepoſita ſunt maioribus oblationibus locupletum. De primo ſic Chryſoſtomus dixit: *Paran 1. ad Theod. c. 5.* *Num abſurdum apparet quod Iudex quoque frigidi poculi mercedem rependit: atqui nos ſtolidiores niſi magna benefacta poſſimus, minorem curam omnem abiicimus. Minima qui non deſpicit, accurato ſtudio, vel maxima perficiet. Qui verò illa faſtidit, ab his interim excidit. Quod ne contingat, libuit Chriſto prò illis mercedem ampliſſimam certò polliceri.* Hæc Chryſoſtomus. De ſecundo ſanctus Ephrem ait: *Tom. 1. ſerm. de pænit.* *Alij ſunt, qui minus ſatagunt, & qui plus efficiunt, ſicuti iuſti qui paruis actionibus magis Deum flectunt, & placant, præ nonnullis, qui multa faciunt; non enim ad actionem reſpicit Deus, ſed ad propoſitum voluntatis, & non intuetur quod fit, ſed quo quid ſtudio, ac propenſione peragatur. Vidua paupercula ſoluet dubij iam dicti quæſtionem, quoniam duobus obolis ſuperauit diuites auro abundantes.* His omnibus rationibus oportet maximè curare minima; tum vitia deteſtando etiam in puluiſculo ſuo, tum virtutes colendo etiam in ramento earum minimo, tum delicatiores Dæmonis artes præueniendo, tum Deum omnibus modis promerendo, tum pacem animi tutiùs conſeruando, tum gloriam Dei per omnia quærendo, tum hoſtem communem ignominiosè confundendo, ne aduersùs redemptorem noſtrum glorietur de redemptis proprio eius cruore triumphaſſe: nec nobis calumnietur in rebus minoribus ipſi ceſſiſſe cùm in maioribus velimus ſuperare; quandoquidem qui in magnis vult vincere, debet à paruis non vinci. Rectè propterea ſanctus Cæſarius Monachos monuit. *Hom. 5 ad Mon.* *Quodam modo exultat aduerſarius noſter quando nos videt ad hoc minima contempſiſſe, vt in minimis deformiùs vinceremur.* Idem ait: *Propter amorem Domini noſtri ad relinquendos dulces affectus, & cara pignora fortiſſimi fuimus iucundiſſimos piiſſimorum vultus parentum quaſi odiſſemus, ita fugimus. Bellum quodammodo pietati indiximus, & nunc ad declinandas negligentias, ad expugnanda leuiſſima vitia, infirmi, ac deſides ſumus.* Et mox: *Quod nunc in minoribus cedimus per vitia noſtra ipſi nos accuſamus.* *Hom. 8. ad Mon.* Quod ſi ita accuſari potuerunt feruidi illi Religioſi, nos quanta diligentia agere debemus, vt inculpabiles inueniamur, vt impenetrabiles acutiſſimis ſagittis Dæmonis & clauſi, atque obſtructi per minimorum curam ſubtilioribus inimici artibus & occultis tentationibus.

Doctrina deuoti Dauidis de Auguſta circa tentationes.

CAPVT LXII.

NVNC in vniuerſum doctrinam aliquam circa tentationes exponemus ex deuotiſſimo & B. Fratre Dauide de Auguſta. Tentatio quadruplex eſt, quaſi quatuor venti à quatuor plagis flantes, qui mouent tempeſtates in mari huius ſæculi, & nauem cordis quaſſant fluctibus, à carne, à mundo, à Deo, & à Diabolo procedunt tentationes. A carne tentamur, quando naturalibus vitiorum motibus ad peccandum ſolicitamur, vt cum luxuria, vel gula nos tentat, iuxta illud S. Iacobi: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus.* *Iac. 1.* A carne etiam tentamur. Quando delicata caro noſtra horrendo labores nos retrahit, ne in ſtudiis virtuoſis, & ſpiritualibus conatibus, ſicut expedit exerceamur; & ſic impugnamur à carne dupliciter, aut appetit mala, aut retardat à bono, licèt ira & inuidia & inanis gloria, non videantur eſſe in carne, ſed in ſpiritu; tamen à carnis corruptione trahitur corruptio ſpiritualium affectionum. Et licèt dicatur quòd Dæmones huiuſmodi vitia ſuggerant hominibus; tamen nos habemus huiuſmodi tentationum materiam intra nos; ita vt etiam ſi Dæmones non adeſſent, ipſa tamen concupiſcentia noſtra pareret peccatum, ſi ei conſentiret. In nobis eſt omne quod peccamus, cogitationes enim & mentis afflictiones & voluntates & membra corporis noſtri, ſunt, in quibus meremur & demeremur. Iſta dedit nobis quaſi quædam inſtrumenta virtutum, quibus bona opera faceremus, & manſiones nobis in cœlo ædificaremus, & ipſi Creatori noſtro militando, per ea quaſi armis muniti hoſtem noſtrum Diabolum impugnaremus. Ipſe verò Diabolus contra nos inermis eſt & ſolis aſtutis ſuggeſtionibus ſuadendo nos impugnat, vt peccemus non cogendo. Benignus enim conditor noſter, non dedit hoſti noſtro poſſe nos vi ad peccatum impellere, quia tunc nimis fortis eſſet contra nos, qui fragiles ſumus, & vix poſſemus ſine peccato ſubſiſtere, ſed tantùm permittit mala ſuadere. In noſtro autem arbitrio eſt, ſi velimus ei conſentire. Inſuper præmunit nos ponens inimicitias implacabiles inter hominem & ſerpentem, vt quidquid ſuaderet nobis, non reciperemus quaſi vtile, & ſciamus quòd nunquam dedit nobis fidele conſilium, ille tam crudelis inimicus, cui nihil ſufficit

ſufficit de nobis citra damnationem æternam. Cùm ergo ſuadet nobis peccatum, quodammodo exigit à nobis vt præſtemus ei arma noſtra quibus nos occidat, vel vt ipſa arma, quæ ei præſtamus, hebetet & rotundet, vt nobis minus apta & vtilia fiant, & minus acuta & efficacia ad eum per ea impugnandum. Vt cùm immittit nobis cogitationes peruerſas, & ſuadet vt malum faciamus, & loquamur; nonne quaſi apertè videtur homini dicere: Inermis ſum contra te, non habeo vnde te lædere poſſem, niſi tu mihi præſtes arma tua, vt te vulnerem, & occidam. Præſta ergo mihi cor tuum ad cogitationes prauas, vel affectiones malas, & linguam ad loquendum iniqua, & manus, & alia membra tua ad operandum malum, ad actiones, & alia opera praua, quibus lethale vulnus in anima excipias, & gratiam Dei perdas, & gloriæ cœleſtis meritò expolieris. Vnde dicit
Rom. 6. Apoſtolus, *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Stultus verò eſt qui ei conſentit, ad hæc vt damna ſua ſibimet imputentur, potius quàm inimico ſuadenti, qui more hoſtis hoſtiliter ſecum agit.

Mundus dupliciter tentat nos, ſiue offerendo nobis ea, quibus ad ſe alliciat, ſcilicet honores, delitias, voluptates, curioſitates, adulationes & huiuſmodi, ſiue quibus terreat, vt perſecutiones, contumelias, rapinas, & ſimilia; vtroque modo multos retrahit à Deo, quos aut vano amore ſui, aut magno timore retinet in peccato. Diabolus verò licèt in omnibus tentationibus ſoleat eſſe, tamen ſpiritualiter duabus tentationibus nos infeſtat, & maximè magis probatos in ſeruitio Dei. Cùm autem fidem veram nobis conatur auferre, aut ſpiritu blaſphemiæ ſubuertere, & huiuſmodi cogitationibus nos infeſtat, quas naturaliter abhorremus, vt deſperatione, vel noſtra occiſione & ſimilibus, licèt quandoque ex aliis cauſis hoc proueniat, aut cùm mala ſub ſpecie boni perſuadet, quoad improuidos, quos aliter non poteſt decipere, callidè ſupplantat, vt à bono deiiciat.
Pſal. 90. Et hoc eſt quod in Pſalmo dicitur, *Dæmonium meridianum.* vel iuxta Apoſtolum, *Angelus Sathanæ transformatur in Angelum lucis*; quia cùm ſit Princeps tenebrarum, & actor malorum vt aſtutè noceat, ſimulat ſe bona dicere, & docere, vt ad peccati tenebras nos perducat. Deus autem nunquam tentat in malo, quia non lætatur in perditione noſtra, qui omnes homines vult ſaluos fieri. Sed tamen dicitur quandoque tentare aliquos, cùm aut flagellat eos in præſenti ad profectum eorum, & aliorum exemplum, ſicut Iob & Tobiam, aut cùm probat eos, aliquibus arduis virtutum exercitiis, ſicut tentauit Abraham, iubens eum immolare dilectum ſuum Vnigenitum, hæredem diuinæ promiſſionis, vt oſtenderetur magna deuotio obedientiæ Abraham, & fidei ad Deum, quia nec ſic hæſitauit de eius promiſſione, quin impleret de occiſo ſicut pollicitus erat ei. Harum autem quaſdam oportet nos maximè reſiſtendo ſuperare, vt ſpiritualia vitia, videlicet, iram, acediam, ſuperbiam, & inuidiam. Quaſdam verò nos melius fugiendo euadimus, quàm pugnando, vt luxuriam, gulam, & auaritiam, licèt etiam pugna contra eas ſit neceſſaria; ſed tamen non eſt tutum diu cohabitare ſerpenti. Et multo tutior eſt caſtitas vbi longa à mulierum frequentia ſemotio eſt, quàm in medio earum. Et faciliùs abſtinemus à delicatis cibis & potu, vel ab eorum ſuperfluitate, quando non habemus nec videmus, quàm quãdo eis abundamus. Et in eo qui omnia reliquit propter Chriſtum, & voluntariam paupertatem quam elegit, minus manifeſtatur auaritia, quàm in eo, qui retinet diuitias ſæculi, ſemper enim anxius eſt quomodo eas augeat & conſeruet: ſpiritualia autem vitia etſi ex fuga quandoque videantur quaſi remiſſiùs, & tardiùs infeſtare dum deeſt occaſio impugnandi, tamen poſtea orta occaſione incipiunt duriùs ferre, ſicut leo diu catenatus ampliùs fremit cùm fuerit emiſſus. Tentationem verò contra fidem & ſpiritum blaſphemiæ, & ſimiles, nec fugere poſſumus, nec repugnando vincere: quia quanto plus indignamur nobis met ipſis, & diſputamus cum eis, tanto magis refricatur earum rabies & accenditur. Sed non curandæ ſunt, nec timendæ, dum non conſentiatur eis, & patienter earum infeſtatio, quaſi quoddam Diabolicum ſuſurrium ſupportetur, quia aliter compeſci non poſſunt. Non enim ſolent bonis periculoſæ eſſe tales tentationes, ſed ſunt quædam præſagia futuræ amplioris gratiæ & conſolationis, & vitiorum purgationes, & magni meriti operatrices. Diuinæ verò caſtigationes humiliter & patienter tolerandæ ſunt, & iuſſionibus eius deuotè obtemperandum eſt, vt & fortes ſimus in fide, & mandatis eius nunquam declinemus. Poſſent etiã plures tentationes à ſtudioſis inueniri, ſed ad præſens iſta ſufficiant. Sunt tamen quidam, qui ſibimet texunt laqueos tentationum, priuſquam tentator accedat, & quodammodo procurant ſibi vnde tententur, & hoc eſt incautum valde, vt ſunt illi, qui ſponte prauas cogitationes tenent in corde, quæ poſtmodum in delectationem verſæ, & roboratæ difficulter expelluntur. Item illi, qui admittunt familiaritates mulierum, quarum affectus ita imprimuntur cordi, vt vix poſtea euellantur. Et ita in ſimilibus aliqui primò ſibi aſſumũt materiam, vnde poſtea occaſionaliter oritur eius turbatio, & tentatio periculoſa. Quidam verò non habentes cauſam tentationis, ex ſola ſuſpicione vana ſomniant tentationis procellam, & hoc fit aliquando inter imperfectè bonos, inter quos fit turbatio & contentio, non de radice malitiæ, ſed ex ſola vana ſuſpicione; dum vterque nullus ſibi odij conſcius eſt aduerſùs alterum, nec intendit eum in aliquo lædere, ſed ſuſpicatur alterum erga ſe inuidia ſtimulatum intendere, quomodo poſſit eum lædere, & inſidiari ei, cùm hic in nullo recolat ſe erga eum meruiſſe. Ille contrà nihil ſibi de his conſcius cõqueritur, quod iſte ſibi iniurietur ſine cauſa, incipit etiam ipſe alterius facta deprimere quaſi aduerſarij, & ſic vterque inflammatur odio contra alterum, cùm neuter voluerit lædere, ſed tantùm ſuſpicatus eſt, & vanè, quòd alter voluerit eum lædere ſine cauſa. Et ita quandoque grauis turbatio oritur. De modica ſcintilla Diabolo eam ad magnum rancoris, & odij ignem conflante. Qui ideo imperfectè boni dicuntur, quia in eo ſunt aliquatenus boni, quòd non intendunt proximo ſuo malum facere, & in eo deficiunt à bonitate, quod nimis proni ſunt malum de aliquo ſuſpicari ſine cauſa ſufficienti, & in eo efficiuntur minimè boni, quia ex quacumque cauſa ad odium contra fratrem & proximum prouocantur.

Quo pacto in tentationibus geri debeamus, ex Idiota.

CAPVT LXIII.

OPPORTVNE ſubinogam hîc, quæ ſanctus vir Idiota ſcribit; complectens regulas Chriſtiaoæ vitæ vt tentationibus ſuperiores euadamus. Nam cùm ſanctus Igatius moneat nos cauere, & contra tentationes tueri, ſimul & rationes ſcire, quæ adhiberi poſſunt vt eas ſuperemus: hoc ipſum planè ille nos docet, duodecim tradens regulas. *Prima* regula. *Si homini videtur dura vita virtutis, quia continuò oportet nos pugnare aduerſùs carnem, & Diabolum & mundum; recordetur quòd quamcumque elegerit vitam etiam ſecundùm mundum multa illi aduerſa triſtitia, incommoda laborioſa patienda ſunt. Secunda* regula, *Recordetur quòd in rebus mundi diutiùs pugnatur & laborioſiùs & infructuoſiùs, in quibus labor eſt finis laboris, & tandem pœna æterna. Tertia* regula. *Recordetur ſtultum eſſe credere ad cœlum poſſe perueniri niſi per huiuſmodi pugnam; ſicut & caput noſtrum Chriſtus non aſcendit in cœlum, niſi per crucem, nec debet ſerui conditio melior eſſe conditione Domini. Quarta* regula, *Recordetur non ſolùm eſſe ferendam hanc pugnam, ſed optandam, etiamſi nullum inde nobis præmium perueniat ſolum vt conformemur Chriſto Deo, & Domino noſtro, & quoties reſiſtendo alicui tentationi, alicui ex ſenſibus tuis vim facis, cogita cuinam parti crucis Chriſti conformis reddaris: vt quando gulæ reſiſtens guſtum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicuius rei, quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas: & ſi reſiſtis ſuperbiæ, recordare illum, qui cùm in forma Dei eſſet pro te formam ſerui accepiſſe, & humiliatum vſque ad mortem crucis: & cum ira tentaris, recordare illum, qui Deus erat, & omnium hominum iuſtiſſimus, quum ſe tamen videret quaſi latronem & illudi & conſpui, & flagellari & opprobrijs omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen vnquam aut iræ, aut indignationis ſignum oſtendit, ſed patientiſſimè omnia ferens, omnibus manſuetiſſimè reſpondebat, & ſic diſcurrendo per ſingula inuenies nullam eſſe paſſionem, quæ te Chriſto aliqua ex parte conformem non efficiat. Quinta* regula. *Quod in nullis armis, nec in quoquam alio remedio humano confidas, ſed in ſola virtute Ieſu Chriſti, qui dixit: Confidite, ego vici mundum;* & alibi, *Princeps huius mũdi eycietur foras. Quare & nos ſola eius virtute confidamus, & mundum poſſe vincere, & Diabolum ſuperare. Et ideo debemus ſemper petere eius auxilium per orationem, & intercessionem Sanctorum ſuorum. Sexta* regula. *Recordare quum vnam viciſti tentationem, ſemper aliam eſſe expectandam, quia Diabolus ſemper circuit quærens quem deuoret: quare oportet ſemper ſeruire in timore, & dicere cum Propheta, Super cuſtodiam meam ſtabo. Septima* regula. *Non ſolùm non vincaris à Diabolo cùm te tentat, ſed vincas ipſum, & hoc eſt, quando non ſolùm non peccas, ſed ex ea re vnde te tentauerat, occaſionem ſumis alicuius boni; vt ſi opus tuum bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam gloriam incidas, tu illud ſtatim non opus tuum, ſed vt beneficium Dei cogitans, humilias te, & iudicas parum gratum te eſſe Deo de beneficijs eius. Octaua* regula. *Cùm pugnas, pugnes quaſi vincendo deinde perpetuam pacem habiturus, quia fortè hoc tibi dabit Deus ex ſua gratia. Et Diabolus amplius non redibit confuſus de tua victoria. Sed quum viciſti, geras te quaſi mox pugnaturus, vt in pugna ſemper victoriæ, & in victoria ſemper ſis memor pugnæ. Nona* regula. *Vt quamuis te ſentias vndique bene munitum & paratum, ſemper tamen fugias occaſiones peccandi; quia, vt dicit Sapiens, Qui amat periculum, peribit in illo. Decima* regula. *Vt in tentationibus ſemper occurras in principio, & allidas paruulos Babylonis ad Petram, Petra autem erat Chriſtus. Quia ſerò medicina paratur. Vndecima* regula. *Recordare quòd licèt in ipſo conflictu tentationis ardua videatur pugna, tamen longè dulcius eſt vincere tentationem, quàm ire ad peccatum, ad quod inclinat. Et in hoc multi decipiuntur, quia non comparant dulcedinem victoriæ dulcedini peccati, ſed comparant pugnam voluptati, & tamen homo, qui millies expertus eſt, quid ſit cedere tentationi, deberet ſemel ſaltem experiri quid ſit vincere tentationem. Duodecima* regula. *Propterea quòd tentaris, ne credas te à Deo derelictum, aut Deo parum gratum eſſe, aut parum iuſtum, & perfectum, memor ſis quòd poſtquam Paulus vidit diuinam eſſentiam, patiebatur tentationem carnis qua permittebat Deus eum tentari, ne de ſuperbia tentaretur, in quo etiam homo debet aduertere, quod Paulus qui erat vas electionis, & raptus vſque ad tertium cœlum, tamen erat in periculo ne de ſuis virtutibus ſuperbiret, ſicut ipſo dicit de ſe: Ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, qui me colaphizet. Quare ſuper omnes tentationes homo debet maximè ſe munire contra tentationem ſuperbiæ; quia radix omnium malorum ſuperbia eſt, contra quod vnicum remedium eſt cogitare ſemper quòd Deus ſe humiliauit pro nobis vſque ad crucem, & mors nos vel inuitos eò vſque humiliabit, vt ſimus eſca vermium.*

Patientia & alacritate vincendæ tentationes.

CAPVT LXIV.

PATIENTIA quoque inuincibilis commendanda eſt, præferendis tentationibus, nec ſemper eas reputare ab hoſtibus noſtri generis ſolùm venire: nam à cœlo interdum ad noſtrum diriguntur, aut permittuntur bonum, vt à maioribus defendamur malis, aut promoueamur in bonis. Duo aurei Cherubin idcirco erant, vt inquit Petrus Cellenſis, *In expoſ.*
ex vtraque parte oraculi, vt Cherub vnus ſit in *Tabern.*
latere vno, alter in altero; duæ partes oraculi ſunt, remotio malorum, & adeptio bonorum. Vnus namque propitiatorij Cherub eſt in latere vno, qui fugat mala à nobis, alter in altero, qui adquirit bona nobis. Totum enim (quantum ad nos) officium angelicum eſt, vt defendant nos à malo, & conſeruent in bono. Vtrumque latus propitia

propitiatorij regunt, quando differunt, vel abſcondunt, interdum auxilium propitiatorij, vt exerceant nos tentationibus, & quando celant amorem propitiatorij, vt incitent ad quærendum ardentiùs. Cùm Maria Dominum hortolanum crederet, nonne Cherub vnum latus eius tegebat, vt quærendo flamma amoris vehementiùs excreſceret? Item, cùm Petrus Dominum negaret, nonne alter Cherub alterum propitiatorij latus tegebat, vt poſtmodum in recordatione negationis vberiùs fleret, & quid de humana adhuc fragilitate geſtaret, Princeps Apoſtolorum agnoſceret? Expandentes igitur alas, operiunt oraculum, quia diuinis iuſſionibus obedientes ſub ſignaculo nobis claudunt vſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis, quæ ſint ſuper nos diuina conſilia, minus eorum ſolicitos efficerent, ſi prædeſtinatos eſſe innoteſcerent; efferaciùs quoque deſperantes eos irritarent, ſi iam condemnatos manifeſtarent. Reſpiciunt enim ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca Domini, quia in noſtro conſilio concordant ſemper à propitiatorio haurientes, quid ſibi, quid nobis facere debeant.

Sciendum quoque eſt potiſſima, vſitatiſſimaque inimici arma aduersùs ſpirituales viros, acediam, triſtitiamque eſſe, aduersùs quas virilitate, alacritateque animi pugnandum eſt. Audiamus quid de hoc ſpiritualiſſimus Thomas Malleolus doceat. *Diabolus*, inquit, *qui Adam & Euam tentando, blandiendo, & falſa promittendo ſeduxit, paradiſoque indignos reddidit: ipſe nunc vſque nititur ſeducere, & ſubuertere vnumquemque Chriſti ſeruum, mundi contemptorem, ſi quomodo extra cellam & ſolicitam cordis eius cuſtodiam trahat, & ſui propoſiti faciat obliuiſci, aut etiam paululum de profectu ſpirituali, & feruore imminuat: per triſtitiam, & acediam mentis ampliùs iſtud machinatur, qui cùm mens triſtitia, vel acedia inuoluta fuerit, nihil eſt quod agere libet; ſed vndique ſe conſtrictam & deſolatam conſpiciens in conſolatione ei ab amico ſuggeritur, vt dolori iſti externa recreatione medeatur.* Eleganter ergo perſuadet ſanctus Antonius, dicens: *Vnica ratio vincendi inimicum lætitia ſpiritualis. Nam qui virilis eſt, & alacer in Domino, quamuis fuerit impetitus tentationibus, potens erit aduerſarium ſuum expugnare. Et quid dicam de fortitudine illius animi, qui nec patitur immundum ſpiritum ad fores intrare? è cõtrario triſtitia & acedia morbo languens, etiamſi armamenta reſiſtendi habeat, nulla vtitur potentia. Deficit enim corde & formidine, ac puſillanimitate propria ſæpe ante proſternitur, quàm labor eum prælij tangat. Quapropter, ô miles Chriſti, indue animam virilem, & ne paueas ad ſonitum folij volantis, ſed reſumptis viribus ſta conſtanter aduersùs multiplices Diaboli conatus, nec credas mendacio eius. Dominus omnipotens ipſe erit protector tuus, & merces tua magnanimis: cuius poteſtas ſuper paſſiones tuas, ita vt ſubijciantur ditioni tuæ vniuerſa iſta nationes.*

De certamine contra quotidiana vitia.

Capvt LXV.

Salvtaria quoque ſunt quæ idem Doctor in Epitaphio, ſeu Enchiridio Monachorum monet. Semper inter hoſtes verſaris, & inter pericula maris fluctuas: ideo inceſſanter orandum eſt ne vincaris à vitiis, & in profundo malorum deſperando ſubmergaris. Sta formiter, & noli deficere in quotidiano certamine, & à tribus beſtiis maximè caue. Manè certa contra acediam, meridie contra gulam, veſpere contra carnis laſciuiam; canis vult diu dormire, lupus vult multum comedere; aſinus vult in ſtratu laſciuire. Canem excita virga, lupum percute baculo, aſinum flagella ſpinis acutis. Virga eſt timor mortis, baculus eſt ardor inferni, ſpinæ paſſio Chriſti & ſanctorum Martyrum cruciatus. His tribus armis vincuntur vitia carnis. Stude Deum inuocare in omni opere, manè, meridie, & veſpere, cum ſancto Daniele, & iuuaberis in omni neceſſitate corporis & animæ; Ieſum habe in corpore, & eris mundus ab omni ſorde. Sit Aue Maria ſemper in ore, & repleberis Spiritus ſancti conſolatione: ſolitudo & ſilentium, oratio & ieiunium arma ſunt Monachorum. Laborare in die, vigilare & orare in nocte, Sanctorum exercitium ſpeciale. Hoc Deo & Angelis eſt acceptum, Dæmonibus contrarium, iuuenibus vtile, ſenibus delectabile, pigris graue, deuotis leue, & ſuaue. Cùm non potes bene vigilare, ſtudeas Ieſum inuocare, & fugiet à te Diabolus bonorum inimicus. Si non potes dormire præ triſtitia, ſtudeas Mariam ſalutare cum lætitia, & aderit tibi Angelus ſanctus bonorum amicus. Si tædet orare, ſtudeas Pſalmos ruminare, & confortabit te Spiritus ſanctus, conſolator optimus, doctor intimus, illuſtrator cordis maximus. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Idcirco indue arma ſanctæ Crucis: certa ſicut fortis miles: ſtude vt bonus clericus: ora vt deuotus Monachus: labora vt fidelis Dei ſeruus, & eris in cœlo glorioſè coronatus. Clauus clauo expellitur, vitium virtute ſuperatur. Ira ſilentio compeſcitur, gula ieiunio refrenatur. Otium labore fugatur, riſus dolore caſſatur. Odium amore necatur, hoſtis beneficio placatur. Pax cordis patientia acquiritur, & qui alios leuiter arguit, indignationem citò incurrit. Parua enim rerum implicatio, multæ pacis eſt acquiſitio. Sæpe hoc dicitur & ſæpe repetendum eſt, vt bene cuſtodiatur: nihil dictu facilius, nihil facto beatius, Chriſto referente, *ſi ſcitis hæc, beati eritis, ſi feceritis ea.* Verboſi multi, taciturni autem pauci, cupidi multi, pauci paucis contenti. Nemo perfectè contentatur, niſi ſummo bono plenè fruatur. Inops eſt omnis menſa, pane carens & ſale. Inſipida refectio, ſi deſit ſacra lectio, & affluunt inania verba. Optimum ferculum animæ, verbum audire Dei, & bene maſticare. Dulci cibo ille paſcitur, qui ſacris verbis delectatur. Diu aridus & indeuotus erit, qui vana libenter audit, & quærit.

Notandæ Dæmonum illuſiones.

Capvt LXVI.

Illvd hic opportunè monendum, cùm noſter Patens ab illuſionibus Dæmonis cauere nos admoneat, ſubtiliſſimè fallere ſolitum etiam ſeruos Dei miris viſionibus, quas quantum oporteat oon optare, imò refugere, quàm diligenter examinare, licèt legitimæ videantur, ex ſequentibus hiſtoriis conſtabit. Quædam deuota Virgo exercitiis pietatis, orationi, ieiuniis ac pœniteotiis valde dedita, à duodecimo ætatis anno in hnrtum ſuæ domus orandi cauſa ſe conferre ſolebat. Dæmon tamen ex optimo exordio veritus maiorem virtutis progreſſum, volens ſioceram puellam fallere, in horto ipſo, vbi pro more preces fundebat, apparuit illi quodam Sabbatho, ſimulans ſe Reginam cœli, cuius ſpeciem finxerat, ab vno latere ſanctum Dominicum afferens, ab altero ſanctam Catherinam Senenſem, & benigniſſimè puellam afflatus diſparuit. Sed poſtea alio Sabbatho ibidem apparens exhortatur illam ad pœnitentiæ opera, iuſſit vt non linum, ſed lanam indueret, vt quarta ac ſexta feria, ac die Sabbathi ieiunaret, & quotidie Roſarium percurreret; quod ipſa omnino exequebatur. Cooſcium tamen Cnnfeſſarium ſuum eius rei facit. Vir erat prudens, & timens, ne quid doli in hac viſione ineſſet, iuſſit filiam ſuam ſpiritualem conſpuere in faciem viſionis ſi iterum appareret, onerareque opprobriis; fecit ita. Dæmon tamen permanſit eadem ſpecie Beatiſſimam Virginem ſe exhibens, & benignè omnia opprobria accipiens, quorum loco magnos fauores pullæ fecit, prædicenſque quædam infortunia eius parentibus euentura, monet vt ſoletur eos. Atque omnia prorſus vt prædicta eraot euenere, ita vt nunquam Propheta habita fuerit. Confeſſarius nihilominus nondum certus de ſpiritu illo ſcripſit epiſtolam plenam opprobrus & contumeliis aduerſùs eos, qui apparebant, illi fœminæ, quam iubet, vt cùm iterum ſibi repræſentarentur, traderet epiſtolam illis; fecit ita, deditque epiſtolam imagini, quæ referebat Virginem Mariam, quæ accipieos illam tradidit legendam ſancto Dominico, ſiue ei ſpectro, quod ſanctum Dominicum ſimulabat. Qua lecta ferenus Dæmon ille, qui ſub ſpecie Matris Dei delitebat, retulit epiſtolam puellæ, diceos: Cuſtodi banc epiſtolam, quæ quoniam manus meæ illam tetigerunt, magnam virtutem habebit ad morbos ſanandos; atque ita accidit. Quod factum nonnibil reddit ſecurum Confeſſarium: ideo altero Sabbatho petiit puella ab apparente Regina cœlorum aliquam gratiam; tunc Dæmon ille petiit Roſarium eius, ſecumque illud tulit, poſt aliquot dies regreſſus eadem forma reddidit Roſarium cœleſti ſuauitate flagrans, iuſſitque vt partem globulorum Confeſſario ſuo præberet, quoniam, inquit, efficaciſſimum remedium omnium morborum erit, multique ægrotantes eorum contactu liberati ſunt. Videbatur nihil ampliùs deſiderari poſſe vt veræ haberentur illæ viſiones. Nihilominus Confeſſarius in animum induxit ampliùs explorare illas, tradenſque adoleſcentulæ quaſdam reliquias Sanctorum, iubet illam è collo illius virginis, quæ ipſi apparebat, appeodere. In omnibus obediebat Confeſſario, volenſque exequi quod iniunctum ſibi fuerat, iam, iam, iniectura reliquias recuſauit Dæmon, iratuſque illi acriter obiurgauit audaciam illam, dicens valde propterea peccaſſe & ſe offendiſſe, nec deinceps gratas ſibi futuras oratiooes, ieiunia, & pœnitentias, ac proinde omnes relinqoere iubet. Deinceps aperto campo perſequutus eſt Dæmon bonam illam fœminam, auertere illam conatus ab omoibus exercitiis ſanctis, & operibus virtuoſis, multis acribuſque tentationibus maximè carnalibus illam affligens.

Quidam ex noſtris imitatus Confeſſarium ſanctæ Catherinæ Senenſis, vt exploraret ſpiritum cuiuſdam fœminæ, iuſſit illam petere ab Angelo à quo ſe dicebat viſitaram, vt impetraret ſibi actum contritionis. Accepit fœmina mádata. Mirum dictu, cùm minus cogitabat ille Pater, cœpit multas lachrymas fundere, tenerrimè affici, in memoria peccata præterita verſare, & flere illa amariſſimè. Poſtea venit fœmina, dicens id feciſſe, quod iuſſum ſibi fuerat, deſignans horam ipſam, qua fletum illum habuit Pater. Qui tamen effectus à Dæmone fuit, cùm poſtea clarè conſtiterit ab ſpiritu teoebrarum decepta, & quidem Dæmon potens eſt ciere lachrymas, & ad aliquos ſeoſuales affectus diſponere, Deo id permittente.

Io quodam oppido inſulæ Teneriſæ, quæ vna eſt ex Canariis inſulis, cùm ibi verbum Dei ſeminaret Pater Alphonſus Garcia, & ſocius eius; quædam ſincera mulier cum vno eorum confeſſa eſt. Altero die cùm vellet Chriſti Corpus ſumere, aderat in Eccleſia Dæmon cum habitu noſtræ Religionis, ſimulans ſe Confeſſarium, qui ſpectabat audire confeſſiones; ideo acceſſit mulier ad reconciliationem faciendam, & præmiſſa confeſſione dixit illi inimicus: Quid quæris? reſpondit fœmina, iterum confiteri, vt ad menſam Domini puriùs accedam. Cui Dæmon ait, Non indiges modò confeſſione, nec in tota vita tua. nam ego ſum Ieſus Chriſtus cuius loco & vices gerens hîc ſum, ac proinde cum tota eius poteſtate dimitto tibi omnia peccata tua; nam ſicut Magdalenam, te elegi, vt in vniuerſo mundo ſancta ſis, & nomen tuum prædices, & ego ſemper tecum ero. Simplex mulier credidit omnia, iubenſque illam communicare, animaduertit iam manere ſanctificatam, ac proinde lætam & ſecuram viuere poſſe. Sumpſit illa corpus Domini, voleoſque Confeſſarium iterum loqui, iam diſparuerat. Quinquennio manſit nec confitens, nec communicans. Et ſemel quærentibus eius parentibus cauſam cur non confiteretur, illa rem totam aperuit, dicens, ſe ſanctificatam eſſe; & quoniam pariter ruſtici ac ſimplices erant, id crediderunt læti de fœlicitate ſuæ filiæ, donec à Parocho requiſita idem reſpondit, omnia illi referens prout acciderant, addens ſæpe ſe viſitatam ab illo ſpiritu, & laudatam, multiſque fauoribus donatam. Atque cùm ſemel in agro ceſpitaret, detinuit illam, ne caderet, dicens: Ne timeas, nam ego tecum ſum. In Eccleſia autem non ſinebat illam conſpicere Sanctorum imagines, nec attentam eſſe in Miſſa. immò cùm corpus Chriſti attollebet Sacerdos, cogebat illam Dæmon ſummittere oculos, ne hoſtiam videret, multis impudicis repræſentationibus illam diſtrahebat,

hebat, remedium habuit exorciſmis expiari. Poſt aliquot annos cùm Pater Alfonſus Andrada in eamdem penetrauit inſulam miſſionem facturus, narrauit illi omnia eiuſque conſilio iuuata eſt.

Ratziuilius narrat quemdam Sacerdotem poſtqoam celebraſſet magna deuotione dixiſſe ab Spiritu ſancto iuſſum fieri Mahumetanum, ſicque illum oceupauit Dæmonis illuſio, vt nullis rationibus diſſuaderi potuit, donec reuera ad Turcas tranſmigrauit, qui accipiens inſignia Mahumetiſmi, multas lachrymas profudit, tandem circumciſus, dicitur ex vulnere miſerè obiiſſe.

Hæc narraui vt artes Dæmonis demooſtrarem, & quàm parum fidendum ſit aliquibus deuotiotiibus, lachrymis, viſionibus externis, & internis multis motionibus. Aduerſùs quas omnes fraudes præſidia ſunt humilitas, cootemptio ſui, proprij iudicij mortificatio, claritas, & recurſus ad Patrem ſpiritualem, obedientia cæca, aſſidua oratio, Saoctorum interceſſio, eorum reliquiæ, & aliquando exorciſmi Eccleſiæ. Hoc remedio etiam cum hæreticis obſtinatiſſimis aliqui vſi ſuot; atque experientia didicerunt miiores redditos poſtquam eos licèt inſcios aliquis Sacerdos exorcizauit.

Saluberrima S. Vincentij Ferrerij monita ad laqueos Diaboli euadendum, & praeueniendum tentationibus.

Capvt LXVII.

IN vniuerſum vt laqueis inimici non implicemur, imò vt extricemur, vt illuſionibus Dæmonis non hallucinemur, imo vt à Deo illuminemur, vt tentationibus non ſuperemur, imò vt illis præueniamus, ſalutaria ſancti Vincentij conſilia audiamus amplectamurque. In libello de vita ſpirituali hæc monet. Qui vult fugere, atque euadere laqucos atque tẽtationes Anti-Chriſti, ſeu Diaboli finales, debet habere duo. Primò quòd ſentiat de ſe ipſo, ſicut de vno corpore mortuo, pleno vermibus, & maleolenti, & ſicut de vno cadauere, quod dedignatur videre, & intueri, imò ſuper quod claudit nares, propter eius peſſimum odorem & fœtorem, & à quo auertit faciem, vt non videat talem & tantam abominationem. Sic oportet, chariſſime, facere ſemper mihi & tibi, ſed plus mibi, quia tota vita mea fœtida eſt, totus fœtidus ſum, & corpus meum, & anima mea, & omnia quæ intra me ſunt, fæce & puttedine peccatorum, & iniquitatum fœtidiſſima, & abominabiliſſima ſunt; & quod deterius eſt, quotidie hunc fœtorem in me ſentio recentiùs, & anguſtiùs reuocari. Et debet talem fœtorem de ſe ipſa ſentire fidelis anima cum maxima verecundia coram Deo, ſicut coram illo, qui omnia videt, & ſcit, ſicut ſi eſſet coram diſtricto iudicio, & dolere maximè de offenſa Dei, & perditione gratiæ animæ, in qua erat, quando redempta fuit pretioſiſſimo Chriſti ſanguine, & abluta per Baptiſmum. Et ſicut ſibi & Deo fœtere ſe credit & ſentit, ſic etiam credat & ſentiat, quod non ſolùm coram Angelis & ſanctis animabus, ſed etiam coram omnibus hominibus viuẽtibus, ſit abominabilis & fœtidus, & quia facta, & dicta ſua non ſolùm homines videre, & audire dedignantur, ſed quòd nares ſuas claudant, & auertant facies ſuas, ne ipſum videant, & tanquam fœtidum cadauer de medio eorum expellant, & ſit ab eis alienatus, & ſeparatus, & proiectus ſicut pluſquam leproſus, vſquequò veniat, & reueniat ad ſeipſum. Et ſi quis de eo iuſtitiam faceret, & de corpore ſuo ſentiat quod iuſtum eſt, & ita credat, etiamſi ſibi oculi eruerentur, naſus truncaretur, manus abſcinderentur, & aures, & os, & ſic de aliis ſenſibus corporalibus & membris, quia cum his omnibus Deum offendit & creatorem. Item quòd deſpici deſideret, & contemni, & quòd omoia vituperia, verecundias, diffamationes, iniurias, blaſphemias & cætera aduerſa, ſummo cum gaudio & lætitia recipiat, & patienter ferat. Et oportet quòd diffidas de te ipſo totaliter, & de omnibus bonis tuis, & de tota vita tua, & conuertas te totum, & reclines ſuper brachia Ieſu Chriſti pauperrimi & viliſſimi, & improperati, deſpecti, & mortui propter te, vſquequo tu ſis mortuus in omnibus ſentimẽtis tuis humanis, & Ieſus Chriſtus crucifixus viuat in corde tuo, & in tua anima, & totus transformatus & transfiguratus, cordialiter ſit in te: vt nunquam videas, nec ſentias, nec audias, niſi ipſũ ſolum ſtantem in cruce, propter te, mortuum & ſuſpenſum, ad exemplum Virginis Mariæ mortuus in mundo, & viuens in fide: & quòd in illa fide viuat tota anima tua vſque ad reſurrectionem, in qua Dominus immittet gaudium ſpirituale, & donum ſancti Spiritus in anima tua, & in illis perſonis, in quibus debet renouari ſtatus Apoſtolorum; & Eccleſiæ ſanctæ Dei, exercens te in ſanctis orationibus, ſiue ſacris meditationibus & affectiooibus, ad obtinẽda dona virtutum & gratiã Dei. Sed debes pręcipoè ſeptiformi affectu exerceri ad Dominum, ſcilicet amore ardentiſſimo, timore ſummo, honore debito, zelo conſtãtiſſimo, & illis debet adiungi gratiarum actio, & vox laudis, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & ſuauitatis diuinæ pro poſſe deguſtatio. Et ideo continuè debes iſta ſeptem deuotè petere à Deo, vtpote dicendo: Bone Iesv, fac vt totis medullis amem te, ſummè timeam, reuerear, & pro omni honore tuo fortiſſimè zelari, ita quòd omne tuum opprobrium, tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementiſſimè exhorreſcam, & potiſſimè, ſi in me, aut à me, vel pro me facta tibi ſint opprobria vlla. Deinde da etiam vt Dominum, tanquam tua creatura humiliter adorem & recognoſcam, & de omoibus beneficiis à te mihi impenſis gratias ſemper agam, & hoc cum ſumma gratitudine cordis. Da etiam vt in omnibus ſemper te benedicam, laudem, & magnificem, & hoc cum ſummo iubilo, & tripodio cordis, & tibi in omnibus obtemperans, & obediens, ſemper reficiar dulciſſima tua, & ineffabili ſuauitate cum ſanctis tuis Angelis & Apoſtolis tuæ menſæ aſſiſtens, licèt omnino indignus & ingratus. Qui cũ Patre, &c. Debet etiam circa ſeipſum exerceri alio ſeptiformi affectu. *Primò*, ſcilicet, quòd totus de ſuis vitiis & defectibus confundatur. *Secundò*, vt peccata ſua tanquam offenſiua, & ſui ipſius maculatiua acutiſſimo & acerbiſſimo dolore plangat & deploret. *Tertiò*, humiliatione ſui & conculcatione, cum contemptu, vt ſcilicet totis viribus ſe ſicut rem viliſſi-

Digitized by Google

mam & fœtidiſſimam ſpernat, & contemni appetat, vt dictum eſt. *Quartò*, rigore ſeueriſſimo, vt ſcilicet corpus ſuum aſperrimè maceret, & macerari appetat tanquam peccato fœtidum, imò tanquam latrina & ſentina, & tumulus omnium fœditatum. *Quintò*, ita implacabili contra omnia vitia ſua, & contra radices, & inclinationes vitiorum ſuorum. *Sextò*, vigore peruigili & ſtrenuo, vt ſcilicet omnes ſenſus, actus, potentias ſuas, ſemper cum quadam virilissima ſtrenuitate, in omne bonum teneat peruigiles & attentos. *Septimò*, diſcretione perfectæ modeſtiæ, ſeu moderantiæ, vt ſcilicet in omnibus diſtrictiſſimè ſeruet menſuram & modum, videlicet inter nimium & non ſatis, vt ſcilicet nihil ſit in eo ſuperfluum, nihil diminutum, aut defectiuum, nec pluſquam debet, aut minus, quàm deceat. Debet etiam circa proximum ſe exercere alio ſeptiformi affectu. *Primò*, ſcilicet per piam compaſſionem, vt ſcilicet ita ſentiat aliorum mala & incommoda ſicut ſua. *Secundò*, per dulcem congratulationem, vt ſcilicet de aliorum bonis lætetur ſicut de ſuis. *Tertiò*, per tranquillam ſupportationem, & condonationem, vt ſcilicet moleſtias & iniurias, ab aliis illatas, patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. *Quartò*, per benignam affabilitatem, vt ſcilicet ſit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet & optet, & talem ſe exhibeat in geſtibus ſuis & verbis. *Quintò*, per reuerentiam humilem, ſcilicet vt omnes ſibi præferat, & omnes reuereatur, & omnibus ex corde ſe ſubdat, tanquam dominis ſuis. *Sextò*, per concordiam vnanimem, vt ſcilicet quantum in ſe eſt, & quantum ſecundùm Deum poteſt eſſe, vnum ſentiat cum omnibus: & ita ſentiat ſe eſſe omnes, & illos ſe, & omnium rectum velle, pro ſuo reputet; & è contra. *Septimò*, per Chriſtiformem ſui pro omnibus oblationem, ſcilicet vt ad inſtar Chriſti pro omnium ſalute ſit paratus & ſolicitus ponere vitam ſuam, & die, noctuque orare, & laborare, quòd omnes in Chriſto inuiſcerentur, & Chriſtus in eis. Sed tamen, ne ex hoc credatur, quin vitia hominum ſint pro toto poſſe cauenda, & fugienda, ſciendum, quòd quandocumque ex ſocietate malorum hominum, vel imperfectorum, periculum imminet, vel occaſio retrahens, vel impediens à perfectione, vel feruore prædictarum virtutum, debes à talibus, ſicut à ſerpentibus, vel draconibus elongari. Non enim eſt carbo ita ignitus, quin in aqua frigeſcat, aut tepeſcat: ſic è contra, vix eſt carbo ita frigidus, quin aceruo carbonum ardentium accendatur. Aliàs vbi periculum huiuſmodi non imminet, ex mera ſimplicitate debes aliorum non videre defectus; aut ſi videas per compaſſionem ſupportare vt tua. Vt autem vtiliter ad temporalia, & æterna te habeas perfectè, ſcito quòd temporalia debes aſpicere ſub quadruplici ſenſu. *Primò*, ſcilicet vt tanquam peregrinus, & aduena ſentias omnia vt extranea & aliena, in tantum, vt tua veſtis, tuo ſit ſenſui ita extranea, ac ſi eſſet in India. *Secundò*, vt in tuo vſu abundantiam timeas vt venenum, & vt mare ſubmergens. *Tertiò*, vt in tuo vſu omnem inopiam & egeſtatem ſentias, quia ipſa eſt ſcala per quam aſcenditur ad cœleſtes diuitias & æternas. *Quartò*, vt ſocietatem, contubernium & apparatum diuitum & magnatum fugiens, non ex contemptu tantùm de ſocietate pauperum glorieris, & in memoria, & adſpectu, atque conuerſatione pauperum, & deſpectorum totus læteris, quaſi expreſſa imagine Chriſti, & eis quaſi Regibus cum ſumma alacritate, & iucunditate, & reuerentia aſſocieris. Hactenus ſanctus Vincentius. nunc ad ſubſtantialia ſtatus Religioſi ſermonem transferamus.

IOAN.

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

Doctrinæ Aſceticæ.

LIBER QVINTVS.

DOCTRINA I.

DE VOTIS RELIGIOSIS.

Quàm ardua ſit victoria ſui per tria vota religioſa.

CAPVT I.

Iſai. 8. CONGREGAMINI *populi,& vincimini;confortamini,& vincimini; accingite vos,& vincimini.* Tametſi vita ſpiritualis, & euangelica, maxima victoria ſit,& triumphus mundi:nihilominus cùm Iſaias vocat gentes ad Chriſtianam, & Euangelicam profeſſionem, ipſiuſque Chriſti cognitionem iuxta plurium Patrum interpretamentum, non ad hoc,vt vincant,ſed vt vincantur, conuocat. *Intelligite*, inquit Theodoretus, *intelligite gentes,& vincimini ſalubri quadam victoria, ſubijcite colla Domino, fugite Dæmonum tyrannidem, amplectimini fœliciſſimam ſeruitutem, qua Deo ſeruietis.* Procopius quoque ait, *Vincimini pulchra victoria vobis,& glorioſâ,captiui facti in obſequium Chriſti.* At, quod mirabilius videtur, ad hoc ipſum, vt vincantur, multitudinem, & robur,& omnem præparationem exigit. *Congregamini*,inquit, *populi,& vincimini*, ecce numerum & copiam; *Confortamini,& vincimini*,ecce vires, & fortitudinem; *accingite, & vincimini*, ecce promptitudinem, & apparatum. Credo hæc verba potiſſimum aptari religioſæ vitæ, in qua multi in nomine Dei congregati in vnum tribus nuncupatis votis ſe Chriſto Saluatori ſummittunt, & quidquid ſunt, & valent, ſe conſecrant eius obſequio, quod ſignificat triplex repetitio illius verbi *vincimini*. Vincimini, inquam, per obedientiam,vincimini per paupertatem, vincimini per caſtitatem. Ad hoc Iſaias nos conuocat, vt Emanuelem, & Saluatorem nobis datum, & natum agnoſcentes, & adorantes, & imitantes, per hæc tria ſpolia manus illi dedamus,fateamurque nos victos amore, & beneficiis ſuis. Nam ſanctus Baſilius, & Theodoretus initium huius ſententiæ faciunt inde, *nobiſcum Deus*,vt ſit tota ſententia, *nobiſcum Deus*, ſiue, *ô Emmanuel ſcitote gentes, & vincimini*. Idcirco apud Iſaiam vincere mundum idem eſt,ac vinci,atque vt huiuſmodi aliquis vincatur, generoſitatem, fortitudinem, ac ſtrenuitatem requirit. Perfectam quippe mundi victoriam nemo aſſequetur, niſi ſemetipſum vincat.Cumque in victoria ſui idem ſit victus,& victor,perinde eſt dicere,vincimini, ac dicere,vincite vos, aut mundum: itaque, vt exactè vota noſtra Deo reddamus, non ſatis eſt mundum, non res ſolùm,niſi nos metipſos vincere. Non multum eſt effectu & re ipſa parere iubenti ſuperiori,cùm ſi non obedierimus, compelli poſſimus; non multum eſt effectu commoditatibus vitæ non vti,cùm difficulter eas ipſi mundani conſequantur; non multum eſt effectu caſtitatem colere, cùm intra clauſtra & parietes contineamur; oportet affectu ſimul hæc facere,neque ſolùm tradere Deo res noſtras, ſed nos metipſos,& ex corde Deo ſeruire; niſi enim affectû Deo tradiderimus, & totos nos metipſos, ſeruare exactè promiſſa non poterimus.Cùm igitur Iſaias hanc victoriam ſui requirat; idcirco *confortamini* dixit,& ſimul *vincimini*; robur, & fortitudinem poſtulans, ad nullam quippe aliam victoriam maior fortitudo neceſſaria eſt. Nam, vt quidam dixit,

Fortior eſt, qui ſe,quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia.

Et Salomon. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Cuius dicti hanc rationem reddit Ariſtides, quamuis homo Ethnicus. *Etenim qui tantopere voluptates omnes contempſit,vt earum nulla ſit captus,is verè fortis eſt, temperans ac patiens. Nam cùm vrbes ſæpenumero,quamuis inuicta,viderentur, à vulgaribus hominibus capta ſint, voluptatibus contra multos etiam clariſſimos viros ſuperatos videmus.* Orat. in Regem. Quanto enim excellentior eſt animus corpore, tanto præſtat vincere ſe, quàm alios. Aliena victoria ſolùm corpora hoſtium ſuperat, non ſummittit animos,qui acerbiores, & magis indomiti ſunt,cùm vident domita corpora in ligno,& ferro vincta. At victoria ſui animum ſuperat,qui eſt cœlo & mundo ſuperior. Hinc pauci victores

ſui,

ſui, licèt ſint aliorum victores, & qui expugnent vrbes, ſicut admonuit Vrbanus Quartus, Pontifex Maximus, cuius verba ſunt. *Innumerabiles enim viri, in poteſtate vrbes & populos habuerunt; pauciſſimi verò, & rariſſimè ſemetipſos. Et cùm quis contra populos, vel vrbes decertat, totus ſimul interior, & exterior homo pugnat: & ſi expugnat, non magnam videtur coronam de tali victoria meruiſſe, eò quòd extra illum ſunt quæ vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute ſapientiæ in ſe certat, non totus, ſed minor, quàm dimidius dimicat. Et ſi per patientiam, malitiam ſuam vincit, & repugnanti ſibi animo dominatur, hoſtem iracundiæ, qui iam intrauerat caſtrum ſuum, & aſcenderat ſecum in arcem, ſine armis, & manibus proſternendo. Vir ille verè melior eſt, quàm vrbium expugnator; & eſt longè glorioſior hic triumphus. Et ſic patet, quod maxima virtutum patientia vincit inermis, armatoſque ſolet vincere ſæpe viros.*

Metaphor. in Pſal. 30.

Prætereà concupiſcentia carnis, ſeu voluptas, concupiſcentia oculorum, ſeu auaritia, atque ſuperbiæ vita, aduerſùs quas pugnant Religioſi, & per tria vota proſternunt, fortiſſimi hoſtes ſunt, ſiquidem in cœlo præualuit ſuperbia, & amor dominandi aduerſùs Angelum, illumque proſtrauit. In Paradiſo noſtri primi Parentes per gulam, & exilem illam voluptatem deiecti ſunt. In Apoſtolatu auaritia Iudam ſupplantauit. Priores tres Iſraëlis Reges licèt electi à Deo: nam Saol & Dauid Deus iuſſit vngere in Reges, & Salomon ad thronum Dauidis ſecundùm diſpoſitionem diuinam aſſumptus fuit, & munitus ſapientia illa admirabili, & infuſa; nihilominus deiecti lamentabiliter fuerunt per hos æmulos. Saul per auaritiam, Dauid per complacentiam dominatus, per quam iuſſit numerare populum, quod peccatum omnibus quæ fecit Dauid pernicioſius regno ſuo fuit. Denique Salomon libido deiecit, deinde per hoc vitium in malorum barathrum collapſus, vnde exiluiſſe neſcimus; cùm igitur tam fortiſſimos viros, & electos vicerint iſti hoſtes, magna aduerſùs illos fortitudo, & virilis animus neceſſarius eſt. Quapropter confortari debet, qui duellum cum illis commiſſurus eſt.

Quæ per tria religioſa vota relinquuntur, excellentiori modo acquiruntur.

CAPVT II.

DEINDE *vincimini* dixit, quia eius gentis ſunt bona mundi, quæ per religioſa vota relinquimus, vt quanto ea magis reliquerimus, tanto magis eum eorum fructu manebimus; quanto enim humiliores fieri voluerimus, tanto honoratiores erimus; quanto obedientiores, tanto liberiores; quanto pauperiores, tanto ditiores; quanto abſtinentiores huius vitæ delectamentis, tanto maioribus delitiis, & voluptatibus fruemur. Nec tot relinquere conari poſſumus, quin ſemper in hoc victi maneamus, vt plura, & maiora bona poſſideamus; non tantùm quia Deus ſpiritualia bona ſuperaddat, & poſtea æterna præmia, quibus vincet paruula noſtra obſequia, ſed iuxta ipſam rerum naturam. Diuitiæ ſiquidem temporales, diuitiæ non ſunt, ſed pauperies; ideo qui illas relinquit, non pauper, ſed locupletior euadit ſine paupertate diuitiarum. Honor & libertas non quidem tales ſunt, ſed vilitas, & ſeruitus. Quare qui ſe propter Chriſtum ſummittit, & deiicit, honoratior, & liberior eſt. Voluptates non quidem tales verè ſunt, ſed potiùs cruciatus; quare qui iis caret, iucundiorem vitam agit. Hoc nonnihil ampliùs explicemus, in primis agemus de paupertate, & diuitiis: nam reuera qui ditior eſt, pauperior credi poteſt, ipſaſque diuitias paupertatem eſſe. Hoc accidit duplici ex capite, tum ex vitio hominis, tum ex vitio rerum ipſarum. Vitium hominis in hoc eſt, quoniam qui plura habet, plura cupere ſolet; cupiditas enim velut ignis creſcit, vbi maiorem inuenit materiam; quapropter Euſebius Philoſophus dixit. *Irrationabilem auaritiam citius conſument abiecta res parta, quàm creſcentes quotidie immenſæ opes.* Et rurſus. *Auaritiam quotidie confluentes diuitiæ non ſiſtunt, vt neque ſtruem ardentem iniecta materia; quin accedentes ſemper opes ad maiorem cupiditatem animum magis accendant.* Pauper igitur non is dicendus, qui pauciora habet, ſed qui pluribus eget; non qui pluribus caret, ſed qui plura cupit. Hoc autem in diuitibus inuenitur, non in pauperibus ſpiritu; hi quoniam nulla cupiant, non poſſunt dici egere: atque ideirco ditiores habendi ſunt, quàm ipſi diuites. Ideo in regula ſua monet Monachos S. Auguſtinus, illos exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores. Meliùs eſt enim minus egere, quàm plus habere.

In cap. 3. Regulæ.

Prætereà ex vitio rerum fit, vt qui plura habet, pluribus egeat, & plura cupiat, etenim ipſæ res egent aliis. Habet quis amplam domum, ipſa ampla domus eget amplis, & pluribus ſupellectilibus, ipſa ſupellex ampla eget multis famulis, & ipſa multitudo famulorum eget multis redditibus, multi redditus multis aliis rebus indigent, atque vt in minoribus conſtituamus exemplum. Habet quis elegantem picturam, aut imaginem, hæc indiget ornatu aliquo; elegans ornatus eget ebore, ſeu ebano, aut ſi ex alio ligno fiat, eget, vt auro tingatur, deinde eget cortina, ſerica, & theca aliqua. Itaque cùm ipſæ res aliis egeant, fit, vt qui plura habet, pluribus egeat. nam non ſolùm habet neceſſitates ſuas, ſed neceſſitates rerum, & ad minus hanc neceſſitatem res habent, vt ad ſuam conſeruationem, & poſſeſſionem alias requirant. Quapropter rectè quidam dixit. *Verum eſt, quod obſeruato rerum vſu, ſapientes viri dixere, multis egere, qui multa habeat, magnamque indigentiam naſci, non ex inopia magna, ſed ex magna copia. Multa enim deſiderari ad multa, quæ habeas tuenda. Quiſquis igitur multa habens cauere, atque proſpicere velit, ne quid egeat, ne ve quid deſit, iactura opus eſſe, non quæſtu: & minus habendum eſſe, vt minus deſit. Ideo Phauorinus dicebat, qui decem millibus, vel quindecim millibus veſtimentorum egeat, is quo minus indigeat fieri non poteſt. Cùm enim pluſquam habeam, egeo, detrahens ex iis, quæ habeo, acquieſco.* Hinc fit, vt qui ditior eſt, fiat pauperior, & qui pauperior, dum plura nolit, ditior euadat; quoniam cùm diuitiæ eò tendant, vt neceſſitates noſtras emendent, & cupiditatibus, atque egentiis ſatisfaciant,

Apud Gel. cap. 8.

&

& hoc potiùs inueniat paupertas voluntaria, quæ nihil cupit, ac proinde nihil eget. Locupletior eſt pauper, nihil volens, quàm diues, plurima poſſidens. Ex opinioοe falſa fit, vt ij exiſtimentur ditiores, atque fœliciores, qui plura habent: pauperes autem infœlices reputentur, & miſeri. Lib.8. de Prouid. *At nemo*, Saluianus ait, *alιorum ſenſu miſer eſt; & ideo non poſſunt eſſe falſo iudicio miſeri, qui ſunt verè ſua conſcientia beati.* Poſtea addit. *Nulli, vt opinor, beatiores ſunt, quàm qui ex ſcientia ſua, atque ex voto agunt, humiles ſunt Religioſi, hoc volunt; pauperes ſunt, pauperie delectantur. Sine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt; inhonorati ſunt, honorem reſpuunt. Lugent, lugere geſtiunt. Infirmi ſunt, infirmitate delectantur. Cùm infirmor*, inquit Apoſtolus, *tunc potens ſum. Itaque quidquid acciderit ijs quicumque verè Religioſi ſunt, beati eſſe dicendi ſunt, quia inter quancumlibet aſpera nulli lætiores ſunt, quàm qui hoc ſunt, quòd voluerint.* Meritò igitur Euſebius dixit, *Ille diues exiſtimandus eſt, qui ſe ſatis poſſidere ſibi perſuaſit; cùm verò, qui pareit, ſemper adijcere properat, acquirendique ſaturitate nulla capitur, & ſi Mida fuerit opulentior, pauperem, ac Irum appello, quo ſcilicet omnino non minus eſt pauper in animo.* Deinde noſtra opinio, & imaginatio, non ſua natura pretioſas diuitias fecit; Lib. 2. de conſolat. à proſa 5. rectè enim Boëtius interrogat auaros. *Diuitiæne veſtra, vel ſui natura pretioſa ſunt?* Certè nec noſtra, nec ſua natura, ſed vitio noſtro: nam ipſa diuitiarum natura oſtendit pretioſiorem paupertatem, cùm vtiles nequeant eſſe, etiam ipſis auaris, niſi deſinant poſſideri. Nam, vt idem Boëtius ait, *Tunc eſt pretioſa pecunia, quum tranſlata in alios vſus largiendo deſinit poſſideri: veſtræ diuitiæ, niſi comminutæ, in alios tranſire non poſſunt; quod cùm factum eſt, pauperes neceſſe eſt faciat quos relinquunt. O igitur anguſtas, inopeſque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet ſine cæterorum paupertate non veniunt.*

Quanta libertas ſit veræ obedientiæ.

CAPVT III.

QVi nde obedientia dicam, quàm tum Sancti, tum Philoſophi libertatem iudicarunt. S. Bonauentura glorioſam libertatem illam dixit. Summa quidem dominatio obedientium eſt, cùm ſui domini ſint. Veriſ-

Cap.3. de proc. virt. ſimè dixit Ruſbrochius. *Quis enim magis ſuus eſt, quàm qui ſui ipſius potens, ac liber animam ſuam habet in manibus ſuis dare eam volens cuicumque voluerit. Hic nimirum abſque impedimento ex integro cor ſuum ad Deum poteſt erigere.* Vnde ſeruus Dei Pater Franciſcus Villanoua dicebat, libertatem eſſe captiuitatem, & obedientiam veram libertatem. Et hanc quidem non quamcunque, ſed filiorum Dei. Vnde iterum In ſpec diſc. 1.p.1. cap.4. ait Ruſbrochius, *Dum nos ipſos diuino beneplacito reſignamus, & in Spiritu ſancto baptizamur, filijque Dei conſtituimur.* S. Bonauentura etiam dixit, *Fœlix hæc ſeruitus, imò glorioſa libertas, quam quis ſponte in Regiam venditus ſeruitutem, Deum, & eius vicarios potius quàm ſeipſum ſuper ſe regnare conſtituens, ſua prorſus renuntias voluntati.* Patri Leoni Lillio valetudine attrita, cùm poteſtatem vniuerſi Patres feciſſent ad exercendum ſe, auramve captandam, quandocunque libitum eſſet prodeundi, & aliis ſoluiſſent illum diſciplinæ muneribus, ſi quid fortè dulcedo libertatis, & proprio arbitrio diſpoſita vita valetudini commodaret; vir obediens indulgentiam illam, vt immunitatem modeſtia ſumma remiſit, enixéque rogauit, ne eò ſe adigi vellent. Nullam enim duriorem ſibi fore ſeruitutem, nec valetudinis leuationem, ſed certam perniciem. Vnicum verò ſolatium, & perinde dulciſſimam, ac ſaluberrimam libertatem in obedientia ſe, & diſciplinæ legibus inuenire. Simile ſanè factum ei, quod de S. Franciſci ſocio Ægidio produnt Annales, niſi quòd P. Lillius ne experiri quidem libertatem ſuſtinuit; quantoque vehementiùs, atque probabiliùs incitare ad experiendum poterat languoris neceſſitas, tanto clariùs oſtendit perfectionem obſequij, vel ipſa vita ſibi eſſe cariorem. Nolebat ſcilicet cauſæ quidquam præbere, vnde perturbaretur ſecuritas illa ſui animi, quæque morientem poſtea recreauit, vt noſtri Annales produnt.

Cùm obedientia regularis ſubſtituatur pro ſapientia diuina, dum per obedientiam operatur Religioſus, ac ſi quadam diuina prudentia præditus eſſet, idem de obedientia dicunt myſtici Doctores, quod Philoſophi de ſapientia, nimirum qui ea ducuntur, ſolùm libertatem habere. Dum voluntatem ſuam legi & rationi & virtuti ſubiicere valent compotes ſui, & domini affectuum, cæteros autem ſeruitutem miſera torqueri, nulla deterioris conditionis mancipia ſunt, quàm qui cupiditatibus ſe tradunt, & affectibus ſeruiunt, qui impotes ſui ſunt, vt virtuti famulentur. Quidam Philoſophus dixit: Quid eſt Tullius ſ.5. enim libertas? poteſtas viuendi, vt velis: quis igitur viuit, vt vult, niſi profectò, qui recta ſequitur, qui gaudet officio? cui viuendi via conſiderata, atque prouiſa eſt, qui legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quia id ſalutare maximè eſſe iudicat, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter, ac liberè, cuius omnia conſilia, reſque omnes quas gerit, ab ipſo proficiſcuntur, eodemque referuntur. Soli hoc contigit ſapienti, & obedienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus, quod etſi ita eſſe, pluribus verbis diſſerendum eſt: illud tamen breui conſpiciendum eſt, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem. Igitur omnes inobedientes, & improbi ſerui: nec hoc tam re eſt, quàm dictu inopinatum, atque mirabile. Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos, vt mancipia, quæ ſint dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: ſed ſi ſeruitus ſit, ſicut eſt, inobedientia fracti animi, & abiecti, & arbitrio carentis ſuo, quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique inobedientes, & improbos eſſe ſeruos? An ille liber videtur, cui mulier imperat: cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil audet: poſcit, dandum eſt: vocat, veniendum: eiicit, abeundum: minatur, extimeſcendum. Ego verò iſtum non modò ſeruum, ſed nequiſſimum ſeruum, etiamſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. At ſumus, inquiunt, ciuitatis Principes; vos verò, nec ſeruorum quidem veſtrorum Principes

eſtis. Sed vt io familia, qui tractant iſta, qui tergunt, qui vnguot, qui verrunt, qoi ſpargunt, non honeſtiſſimum locum ſeruitutis tenent: ſic in ciuitate, qui ſe iſtarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipſius ciuitatis locum penè infimum tenent. Magna, inquis, bella geſſi: magnis imperiis, & prouinciis præfui. Gere igitur animum laude dignum. Actæonis tabula te ſtupidum detinet, aut ſigoum aliquod Polyeleti. Omitto, vnde ſuſtuleris & quomodo babeas: intuentem te, admitantem, clamores tollentem cùm video, ſeruum te eſſe ineptiarum omoium iudico. An eorum ſeruitus dubia eſt, qui cupiditate peculij nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſeruitutis? Hæreditatis ſpes, quid iniquitatis in ſeruiendo non ſuſcipit? Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? Loquitur ad voluntatem: quidquid nuntiatum ſit, facit. Aſſentatur, aſſidet, miratur, quid horum eſt liberi? Quid denique non ſerui inertis? Quid iam illa cupiditas, quæ videtur eſſe liberior, honoris, imperij, prouinciarum, quàm dura eſt domina! quàm imperioſa! quàm vehemens! Cethego, homini non probatiſſimo, ſeruire coëgit eos, qui ſibi eſſe ampliſſimi videbantur, mittere munera, noctu venire domum ad eum, precari; denique ſupplicare, quæ ſeruitus eſt, ſi hæc libertas exiſtimari poteſt? Quid? cùm cupiditatum dominatus exceſſit, & alius eſt dominus exortus, ex conſcientia peccatorum timor? quàm eſt illa miſera, quàm dura ſeruitus? adoleſcentibus paulò loquacioribus eſt ſeruiendum: omoes qui aliquid ſcire videntur; tanquam domini timentur; iudex verò quantum habet dominatum? Quo timore nocentes afficit? An oon eſt omnis metus ſeruitus? Quid valet igitur illa, eloquentiſſimi viri L. Craſſi copioſa magis, quàm ſapiens oratio. Eripite nos ex ſeruitute. Quæ eſt iſta ſeruitus tam claro homini, támque nobili? Omnis enim animi debilitas, & humilis, & fracti timiditas ſeruitus eſt. Igitur quo quis rationi, & Deo obedientior eſt, liberior eſt, nec tantùm ſubiici poteſt, quin maiorem ſuæ libertatis vſum habeat perfectus obediens, non inuitus, ſed volens paret, & id ipſum vult, quod iubetur, nullo affectu impeditur, nullo vitio tenetur, non ſeruit cupiditatibus ſuis, non peſſimis habitibus retrahitur, nihil timet arduum, vltrò ad boua procurrit, ſponte ad ſuperiorum nutum peruolat, gaudens omnia facit, ſemper quod vult facit; quoniam nihil vult, niſi quod ſuperior vult. Hæc eſt libertas maxima, libertas quidem filiorum Dei; quare qui obedientior eſt, maiorem libertatem animi ſui poſſidet.

Caſtitate, & mortificatione voluptatum iucundior vita agitur.

Capvt IV.

Idem quod diuitiis & libertati, accidit voluptatibus, eas minus percipere, qui pluribus velit frui. Ideirco Epicurus, qui beatitudinem, voluptatem definiuit, abſtinuit voluptatibus, vt beatitudinem ſuam obtineret. Cenſuit voluptates corporis plus doloris adferre, quàm in iis percipi delectabile potuit. Proinde, vt ſummam voluptatem conſequeretur, omnibus voluptatibus nuncium miſit. Aduehunt voluptates plures dolorum appendices, iam grauedinem capitis, iam impedimentum ventris, iam dolorem ſtomachi, iam morbum prolixum, iam pericula, iam timorem, iam ipſam mortem, vt ſatius eſſet, & delectabilius omoibus renuntiare, quàm ſine temperantia frui. Optimè S. Baſilios dixit: *Sicut qui in cœno ſeſe obuoluunt, continuo ſibi lutum augent: ſic qui in carnis affectus facile ruunt, nec fœditatem ex voluptate ſingulis diebus ſibi accumulant. Sicut ſplendens aliquid viſum perficit, ſummè autem ſplendens hebetat, atque vaſtat, & magni ſonitus ac ſtrepitus ob exceſſum, auditum tollunt. Sic & iſti ob aſſiduam, atque immodicam voluptatem ſeſe vaſtant, atque corrumpunt, & a delectationis via omnino auertunt.*

Sermone de ebrietate.

Eamdem voluptatum iniuriam plus doloris, quàm delectationis afferentium, ſic Boëtius notauit: *Quid autem de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena eſt anxietatis: ſatietas verò pœnitentiæ, quarum motus quid habeat iucunditatis, ignoro. Triſtes verò eſſe voluptatis exitus, quiſquis volet reminiſci libidinum ſuarum, intelliget: quæ ſi beatos explicare poſſet, nihil cauſa, quin pecudes quoque beatæ eſſe dicantur. Nihil igitur dubium eſt, quin ad beatitudinem deuia quædam ſint. Nec perducere quemquam eò valent, ad quod ſe perducturas eſſe promittunt.*

Lib. 3 de conſolat.

Locupletiùs S. Chryſoſtomus ait: *Quemadmodum acus vepres vndecumque capiuntur, atque conſtringuntur, manus cruciant: eodem modo delitiæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus ſimiliter membris officiunt: ſteriles autem ſunt, nullum, ſicut vepres, fructum producentes, ac multo magis, quàm cætera penè omnia, hominem conficiunt. Delitijs enim ſenectus citius ſubrepit, ſenſus obtunditur, cogitatio retardatur, corpus diſſoluitur, maiores ſtercoris copia reconditur, atque reponitur. Ita ex ingenti afflictionum aceruo, nauigio nimium oneribus oppreſſo, crebra contingunt naufragia. Adeò mala delitiarum laſciuia eſt, vt irrationalibus quoque peſtifera ſit. Nam vt volucres nimia ſaturitate, & ſibi, & nobis inutiles efficiuntur: ſuperfluitates enim indigeſtæ, ac putredo humidior à pinguedine oriuntur; quæ verò animalia non copioſè aluntur, ſed quaſi ieiunantia mediocri victu ſimul & labore exercentur: hæc animalia, tam ſibi ſanitatem ſeruant, quàm nobis accommodiora ſunt. Quare qui his veſcuntur, ſani viuunt: qui verò illis pinguioribus ventres voraciter replent, illis ſimiles efficiuntur, tardi, & ad ægrotandum aptiores facti, & ſtrictiora illis, vincula comparantes. Quare amentiam ipſorum inde maximè quis admirabitur, quia nec ita ſibi parcere volunt, vt viribus cæteri. Nam qui vina huc illúcque traducunt, nolunt nimium vtres replere, ne diſtenti rumpantur: iſti verò ærumnoſum ventrem, nec vtris quidem dignitate condonant, ſed diſtentant, & replent vſque ad fauces, duplices, nō vt animalia, ſibi facientes anguſtias.*

Homil. 45. in Matth.

Quòd ſi ſæcularibus tam caræ ſint voluptates, & tanto doloris pretio coëmantur, quid erit Religioſis, quot curæ, quot timores, ne comprehendantur, amaritudinem, & abſynthium, ſpargunt in eas, quas furtim vſurpant. Rectè igitur dixit Iſaias, *vincimini*, quoniam per tria vota excellentiori modo incurrimus in ea ipſa quæ fugimus; paupertas maiores diuitias comparat, caſtitas iucundiorem vitam, obedientia præſtantiorem libertatem.

Conſi

Digitized by Google

Conſiderantur alia circa tria vota religioſa.

Capvt V.

DEinde dixit Prophera, *vincimini*, propter præmia, tum io hac, tum in altera vita, quibus Deus remunerabitur noſtra hæc obſequiola; victi quidem manebimus, ſiquidem liberalitas Dei ſuperabit noſtrum obſequium. Nec ita obedientes Deo poſſumus eſſe ac Deus erit, quemadmodum Ioſue, illiuſque voluntati obſecundauit, qui ſuam voluntatem propter Deum reliquit: neque tot pro Deo temporalia dare poſſumus, quin plura, ſpiritualia, æterna Deus nobis largiatur. Neque tot mortificationibus cruciari, quot Deus cœleſtibus nos donabit delitiis. Vidimus quidem cum exceſſu Domini promiſſionem impletam pluſquam centuplum in hac vita accipientes, pro iis quæ pro Chriſto reliquimus; neque liberalitate nos poſſe vincere Deum, cui licèt omnia, quæ habuimus,& ſumus,tradiderimus,ipſe pluſquam omnia retribuit,& ſatis eſt,ſe nos tribuiſſe qui pluſquam omnia eſt.

Denique propter imitationem Chriſti rectè *vincimini*, dixit Propheta; neque enim tam eximiè ſubiici, depauperati, & caſtè, atque auſterè viuere poſſumus, quin omnem noſtram obedientiam, inopiam, atque rigorem vicerit Domini noſtri Ieſu Chriſti vita. Qualis noſtra paupertas cum paupertate filij Dei, qui non habuit, vbi caput ſuum reclinaret? Quid nos propter Chriſtum reliquimus? terram, punctum quoddam, ſiue huius puncti punctum; Chriſtus autem cœlos propter nos reliquit. Qualis noſtra obedientia cum obedientia illa filij Dei moriendi, qui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; neque enim obedientia noſtra ad mortem eſt. Nos melioribus ſubiicimur, Chriſtus autem etiam peſſimis ſubiici voluit, nec noſtra voluptatum abſtinentia comparari poteſt cum rigida filij Dei vita, qui in ipſo mortis articulo myrrhatum vinum dumtaxat guſtauit, vt ſolùm amaror eius linguam ſuam torqueret, nec tamen minueret dolores, eximium quoque puritatis,virginitatiſque exemplum filius Dei exhibuit, quod imitari debemus, vt nec poſt reſurrectionem tangi à muliere ſancta in ſolitudine permiſerit.

Conſideranda quoque ſunt alia verba, quæ coniuncta ſunt verbo *vincimini*. Primum ait, *congregamini & vincimini*, hîc obedientiæ virtus denotatur, quæ vnione cum ſuperiore adiuuatur, ideo alij legunt, *iungite vos*. Nec enim ſtabilis obedientia erit niſi per amorem ſuperioribus iungamur. Quemadmodum autem inſtrumentum artificis, niſi ipſius manui coniunctum ſit, operari nequit: ſic niſi ſuperioribus, qui manus Dei ſunt, iungamur, Deus per illos non gubernabit. Alij legunt, *conterimini*, humilitas quippe obedientiam ſeruat. Etenim, qui ſuperbus eſt, & ſui proprij iudicij opinioni hæret, ſuperiorum iuſſa examinat, aliquando diiudicat, interdum contemnit, ſæpiùs non implet, imò ſemper non bene implet. Alij *confringimini*, quia oportet frangere propriam voluntatem, & iudicium. Sæpe enim, vt probemur, ardua iniungi à ſuperioribus oportet. Aliquando nobis videbuntur ardua, & ſuperiores errare, aut non æquo iure ſine acceptione perſonarum præcipere, vt in iis omnibus viriliter obediamus, conſtringere noſtra iudicia, noſtroſque affectus neceſſe eſt. Rectè ſanctus Auguſtinus dixit. *Magna eſt vtilitas hominis iubenti Deo etiam incognita iuſſionis ratione ſeruire. Iubendo enim Deus vtile facit, quidquid iubendo voluerit, de quo metuendum non eſt, ne non profutura proſpiciat. Nec fieri poteſt, vt voluntas propria non graui ruina pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris extollendo præponat.* Apud Proſp. ſent. 280. Cùm ait, *confortamini,& vincimini*, paupertatis promiſſio demonſtratur. Nam alij legunt, *potentes*, ſeu *magnates*, *vincimini*, quia ad hanc virtutem potentem, nobilem, & generoſum animum habere oportet. Eſt enim paupertas ſpiritus eadem cum liberalitate virtus, quemadmodum in opere noſtro inſcripto *opera, & dies*, monſtrauimus. Vis & robur neceſſarium eſt, vt omnia pro Chriſto etiam magna relinquamus, generoſitas, vt nec minima reſumamus. Cùm dixit, *accingite vos, & vincimini*, caſtitas figuratur, habitus quippe properantis, & fugientis eſt procinctus, fuga quippe ſui vitij, hæc virtus conſeruatur, quòd ſi omnino fœminas vitare nequeamus, eas, quoad fieri poteſt, caueamus. In vitis Patrum narratur quidam frater, qui pallio obducens manus, ne corpus vetulæ matris ſuæ contingeret, qua tranſportauit fluuium. Rogatuſque ab ea cauſam, reſpondit; quia corpus mulieris ignis eſt, & ex eo ipſo, quòd te contingebam, veniebat mihi commemoratio aliarum fœminarum. Deinde per cincturam mortificatio denotatur. Cingere arbores dicebatur, qui eas decorticabat; oportet enim exuere hoc corpus noſtrum aſſiduis mortificationibus; neque enim caſtimonia ſine caſtigatione corporis ſeruare diu ſolet. Sed de his virtutibus in ſpeciali iam dicemus, auſpicium à paupertate ſumentes.

DOCTRINA II.

DE PAVPERTATE.

Religionum murus Paupertas.

Capvt VI.

OSTENDIT *mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo: habentem claritatem Dei,& lumen eius ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidi Iaſpidis, ſicut cryſtallum, & habebat murum magnum & altum.* Apoc. 21.

Diuortium, quod ſæculum, & Euangelium dirimit, quod à mundana vita ſpiritualem ſecernit, paupertas voluntaria eſt, quam propterea murum Religionis ſanctus Ignatius Patens noſter appellauit. *Paupertas*, inquit, *vt murus Religionis firmus diligenda, & in ſua puritate conſeruanda eſt quantum diuina gratia aſpirante fieri poterit.* Hinc meritò in ſancti Pachomij regula pari pœna damnatur tranſgreſſor paupertatis, ac apoſtata quia nimirum vterque Religionis tranſgreditur murum. Regula hæc eſt: *Si quis tulerit rem ſuam, ponetur ſuper humeros eius, & aget pœnitentiam publicam in collecta, ſtabitque in veſcendi loco. Si autem in furto fuerit deprehenſus, triginta nouem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere panem & aquam tantùm, & opertum cilicio & cinere per ſingula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. eademque lex in fugitiuis obſeruabitur.* Aptè quidem dicitur murus paupertas, quæ Religioſos ſeparet à profanis, eoſque defendat, ac protegat, reddatque tutos, ac ſecuros, cuius nomine tanquam rem ſacram, & intemeratam colere, atque cuſtodire debemus; muri enim ciuitatum ſancti, & ſacri habebantur, vt ſacrilegum eſſet eos violare. Sic etiam paupertas æreus, imò aureus religioſæ vitæ murus, res ſacra, & ſancta nobis habenda eſt. Et quemadmodum illuſtrium ciuitatum muri integri ſemper ſeruātur, nullaque in eis ruptura toleratur, quin ſtatim ſarciatur, cùm alioqui alia ciuitatum mēbra minoris fiant, nec curentur, vt domus dirutæ, plateæque deformes diu relinquantur: ita ſimiliter illæſa integraque paupertas ſeruanda eſt; nec in ea vlla iactura eſt diſſimulanda, cùm in aliis virtutibus tolerabiliores ſint defectus: nam ſicut ſufficit vna muri fiſſura neglecta, vt per illam penetret hoſtis, aut qui contagio ſit infectus, & totam ciuitatem attaminet. Sic etiam per exiguam paupertatis religioſæ contemptionem mundus ad nos intrabit, qui peſtilentiæ ſuæ afflatu puros & ſanos Religioſorum animos inficiat, & perditus imbuat. Dum enim in hac vita degimus, in regione peſtilenti, & hoſtili habitamus, mundus contagioſus, & hoſtis noſter nos circundat, quem arcere à nobis debemus, eiuſque obſtare ingreſſui paupertatis muro, quæ ſi negligatur, ſimul eum vſu, & abundantia rerum ambitio ſubit, faſtus ingreditur, delitiæ mulcent, lex carnis dominatur. Vnde neceſſariò ſpiritus infirmatur; quare ſicut tempore belli, atque peſtis prima cura ciuitatum eſt murorum incolumitas: ita & nobis de paupertate integrè ſeruanda cauendum, & ſatagendum præcipuo loco eſt. Idcirco ſanctus Ephrem ait: *Monachi primum, & magnum mandatum, quæ ſecundùm Deum eſt paupertas.* Hæc paupertas voluntaria ſit; hæc enim eſt quæ apud Deum laudem meretur; hæc eſt pretium Regni cœlorum, hæc eſt præſidium, & murus Religionum. Sunt enim aliæ paupertates, quæ iſta priuilegia non poſſideant; quapropter Petrus Bleſenſis ait: *Ex collatione aliorum paupertatum commendatio paupertatis voluntaria pleniùs eluceat. Sunt enim quinque genera paupertatum. Paupertas infœlicitatis, paupertas cupiditatis, paupertas ſuperfluitatis, paupertas calliditatis, paupertas voluntatis. Primam habet medicus, ſecundam auarus, tertiam prodigus, quartam paries dealbatus, quintam vir compeditus. Prima eſt flagellum, ſecunda venenum, tertia ventilabrum, quarta vmbraculum, quinta ædificium. Prima eſt miſeria, quia cruciat, ſecunda eſt noxia, quia necat, tertia ventoſa, quia inflat, quarta eſt doloſa, quia diſſimulat, quinta eſt glorioſa, quia coronat.*

De Monachis & virtute.

Serm 34.

Quanta ſit ſecuritas pauperum ſpiritu?

CAPVT VII.

VERVM hic paupertatis murus, non vtcumque conſiderandus eſt, cùm maior ſit decor voluntariæ paupertatis, quàm qui per ſimilitudinem terrenarum rerum poſſit explicari: nihil enim de terra poſſidet paupertas, nihil quod grauet animum, nihil ſordidum & lutoſum, nihil rude, & vaſtum. Tota eſt cœleſtis, tota pura, tota ſublimis, tota verè pretioſa; quomodo aptè comparabitur muro, qui terreſtri impura, & rudi compingitur materia? Quare non omnibus muris & ſepibus paupertas religioſa eſt ſimilis, ſed muro cœleſtis ciuitatis, qui nihil terrenum habet, ſed puriſſimus totus eſt, & latus, & ſublimis; quemadmodum enim religioſa vita & politia non terrena eſt, ſed ſpiritualis & cœleſtis, atque imago ciuitatis cœleſtis, ita etiam murus Religionis paupertas ſimilis eſt muro eiuſdem ciuitatis, cuius ſimilitudine potius, quàm per conditiones materialium mœnium, aut maceriarum commendabitur. Cæleſtis ille murus nihil terræ admixtum habebat, nec ſordidum, ſed totus purus erat ex ſolis gemmis, & pretioſiſſimis lapidibus conſtans, iiſque ingentibus, & altiſſimus erat, & optimè fundatus. Expendamus quæ de illo S. Ioannes narrat, vt per eius ſimilitudinem paupertatis bona ſignificemus.

In primis notandum eſt, quàm fortis ratione muri deſcribitur ciuitas, & quàm fundatus erat ipſe murus; *habebat*, inquit, *murum magnum, & altum.* Poſtea addit; *& murus ciuitatis habens fundamenta duodecim.* Similiter etiam paupertatis murus magnus eſt, & altus, & firmus, qui tutos nos, & ſecuros reddit. Etenim cùm paupertas integra eſt, perfectéque ſeruatur, non mundus poterit penetrare clauſtra Religionis, neque ſua peſtis, & contagio attaminabit Regularis vitæ ſpiritum; ſed quemadmodum de cœleſti ciuitate dicit ſanctus Ioannes, *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium.* Vbi autem leges ſæculi abrogatæ ſunt, vbi faſtus contagium vanitatis non ingreditur, vbi mundi fallaciæ, & errores non ſunt intromiſſæ, vbi delitiæ pedem non figunt, vbi Diabolo deſunt hæc duo organa, & exitij machinæ vanitas & voluptas, potentiſſima Sathanæ arma, non ne magnam hinc ſecuritatem comparabimus, maximumque munimentum? Quid inde ſequitur, niſi quòd cœlum appetamus via ſecura, atque munita. Neque aliter mihi videtur pauperem incedere, quàm per plateas ciuitatis vallatæ, muratæ, & ſecuræ; diuitem autem per anfractus, deſerta, & itinera periculoſa, prædationibuſque infeſta. Quapropter meritò dixit Petrus Bleſenſis. *Paupertas ſola eſt via ſecura, & expedita ad vitam; cætera via à malignis latronibus plena ſunt.* Meritò quoque Goffridus Abbas vo- *Epiſt. 102.*

lunta

luntariam paupertatem appellauit viā indubitatę ſalutis, quia, vt ipſe ait: *Nemo vnquam ſe pro Deo pauperem fecit, & Deum habere nequiuit.* Atque vnde Dominus pauperibus ſpiritu non tam videtur polliceri, quàm dare ſuæ virtutis præmium, & de futuro Regno cœlorum tanquam de præſenti poſſeſſione locutus, eos propterea beatos prædicat, non inquit, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum erit Regnum cœlorum*, ſed, *quoniam ipſorum eſt.* Id ipſum quod futurum erat propter ſecuritatem repræſentans; ea enim quæ certò nobis danda ſunt, tanquam noſtra iam, & poſſeſſa reputamus. Neque ſolùm ſecuritatem Regni habent ij, qui verè pauperes ſpiritu permanent, ſed etiam cumulum meritorum. *In hac*, inquit S. Laurentius Iuſtinianus, *paupertatis virtute plura conſiſtunt, & emanant bonorum genera, quæ eius dilucidant dignitatem.* Hæc dignè namque laudanda tutum efficit ſuum poſſeſſorem. Semper enim tuta eſt Chriſtiana paupertas, nec patet in iſto mundo indigentia laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere. Operantibus enim, quæ bona ſunt, non omnino metuendum eſt, vt eis deſit facultas bene operandi, quum & in duobus minutis euangelicæ illius viduæ ſit laudata deuotio, & pro calice aquæ frigidæ, præmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim benignitatis menſura taxatur. Et nunquam eum menſurandi efficacia deſerit, in quo miſericordia ipſa non deficit. Puto maiora miſericordiæ merita, vt plurimum eſſe pauperum ſpiritualium, quàm diuitum etiam cùm plena manu eleemoſynas largiuntur: nam illis defectum facultatis conantes deſiderio ſupplere, intenſiorem miſericordiæ, & charitatis affectum habent; diuites autem contenti quantitate operis minus attendunt roborare affectum; Deus autem potius reſpicit interna cordis, quàm externa operis. Accedit pauperis affectum expeditum eſſe, & liberum, vt pronius ſurſum feratur. Hæc ſecuritas pauperum non ſolùm oritur, quoniam ad eos mundi damna penetrare nequeunt, ſed alia etiam optima ratione, quam obſeruauit Albertus Magnus, dicens, *A quibus quiſque abſtinet, de illis reddere rationem non oportet.* Tam noxiæ diuitiæ ſunt, vt in earum vſu pariter ac abuſu periculoſæ ſint: namque in vſu periculum vanitatis eſt, & commoditatis occaſio, & quotidianam tentationem alunt, aut inanis iactantiæ, aut intemperantiæ, illicitæque voluptatis, aut omnino malefaciendi; ſed & præſidium temporalium habent pauperes Chriſti, tum quia eorum murus & protector Deus eſt aduersùs multa corporalia pericula. *Factus es* (inquit Iſaias) *fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu*; tum quia ex ipſa rerum natura ſecuriores ſunt pauperes, quàm diuites, nec enim pauperes habent, quid ipſis inuideant alij; quare nemo illis inſidiatur, ſicut diuitibus; neque enim peræquè obnoxij ſunt iniquorum violentiæ, ideo Salomon dixit; *redemptio animæ viri diuitiæ ſua, qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet.* Itaque ſecura eſt paupertas, non ſolùm periculis, ſed metu, non ſolùm tuta ab aliis, ſed tranquilla in ſe, non ſolùm non inquietatur ab aliena manu, ſed nec ab affectu proprio. Quapropter Philotheus dixit. *Mirabilis eſt ſecuritas cordis, aliena non quærere, ſed vniuſcuiuſque diei ſufficientia contentum manere; ex qua videlicet ſecuritate, & perennis requies naſcitur, quia à bona & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna tranſitur. Contrà reprobi & hic fatigantur in deſiderijs, & in illic tormentis; eiſque de labore cogitationis, labor doloris naſcitur, dum ab æſtu auaritiæ trahuntur ad ignem gehennæ: quanto enim peruerſus quiſque citiùs peruenit ad ſuum deſiderium, tanto faciliùs rapitur ad tormentum; & ſicut de illo ſcriptum eſt: Affligetur relictus in tabernaculo ſuo.*

De ligno vitæ cap. 2.

Cap. 7. Parad.

Prou. 13. 8.

De contem. cap. 10.

Iob 20.

Sententia Guillielmi Pariſienſis de Vallo Paupertatis.

Capvt VIII.

AT QVI nolo ad alia procedere niſi pro ſecuritate, & munimento paupertatis adſtruendo priùs exhibeam, quæ Guillielmus Pariſienſis dixit ſub vallatæ vrbis imagine; neque enim valde differt metaphora, ſiue muri, ſiue valli ſit: nam vtroque muniuntur ciuitates. Sic ille inducit ipſam paupertatem loquentem. Ego vallum, ſiue foſſatum fortiſſimum, ac profundiſſimum circundans, ac muniens meos, & arcens hoſtes, ne acceſſum habeant ad ipſos: vallum enim literale, nihil aliud eſt, quàm terræ defectus, ſiue vacuitas, ſic & vallum ſpirituale defectus eſt terrenæ ſubſtantiæ. Quos hoſtes ſcilicet ego arceam ne accedant ad meos, vel caſtra eorum, apparet, quòd gulam, & luxuriam, prodigalitatem, & ſuperbiam ſpiritualiter nominaot; denique tanta eſt profunditas, vt ſi quis in me ceciderit hoſtium huiuſmodi, ipſo caſu moriatur, & maximè ſuperbia fracto collo ſuæ ceruicoſitatis expirat. Ex quo apparet contrariam meam, videlicet terrenam ſubſtantiam aggerem eſſe quo impletur vacuitas mea, atque profunditas, per quam eſt acceſſus hoſtibus antedictis ad dementiſſimos, cupidos, & auaros: qui vallum meum captiuonem, & obſidionem arctiſſimam reputant, & propter hoc de me effugere quocunque diſcrimine, atque diſpendio enituntur. Gaudent miſeri, cùm vident aggerem huiuſmodi comportari, & vallum impleri, & acceſſum hoſtibus ad eos capiendos facilem, ac liberum aditum dari, ſicut ſcriptum eſt in Abacuc de Diabolo, *Super omnem munitionem ridebit, cùm portabit aggerem, & capiet eum.* Qui igitur gaudet quod ei præbenda, vel beneficium Eccleſiaſticum conferatur, gaudet, inquam, propter ipſam terrenam ſubſtantiam, vnde non gaudet niſi de impletione valli, quo defendebatur ab hoſtibus ſupradictis, & de libero acceſſu eorum ad ipſum capiendum, propter quod plerumque accidit, vt quos vallum paupertatis priùs defendebar & cuſtodiebar mundos, & immaculatos, velut compoſito aggere diuitiarum, & completo vallo huiuſmodi, hoſtes ſæpe dicti facillimè capiant miſerabiliter, & captiuent. Accidit etiam quod eſt maioris, & miſerabilioris inſaniæ, vt qui iuxta vallum huiuſmodi à facie diuitiarum, & hoſtium inuiſibilium confugerunt, vt ibi defenderent, & contra ipſos pugnarent, & hoc velut ex arce & munitione

Cap. 11. de moribus.

tutiſſima ipſimet vallum huiuſmodi hoſtibus impleant, diuitias vndecumque ſibi conquirentes, & comportantes. Et ſi in huiuſcemodi vallum terra, id eſt, terrena ſubſtantia iniecta fuerit, videlicet collatione, ſeu donatione cuiuſcumque, eam recipiunt cum applauſu & multiplicibus actionibus gratiarum, hi ſunt clauſtrales, & omnium ordinum profeſſores, qui infra valles paupertatis ſe recepiſſe videntur, & eſſent ibi in tuto, & quaſi in arce. Abdicauerunt enim à ſe expreſſo voto omnem terrenam ſubſtantiam, & propter hoc paupertatis vallo ſe vndique munierunt. Quantum autem iam impleuerint vallum iſtud, euidentiſſimum eſt, nec ipſum ſolummodo adæquauerunt, immo circumadiacenti ſolo ſuperexaltauerunt, & hoc eſt, quia terrena ſubſtantia apud eos copioſior eſt longè, quàm apud vicinos eorum ſæculares: hinc eſt, quòd pro vallo iſto non aceruos habent diuitiarum circa ſe, ſed montes excelſos. De quibus ab hoſtibus inuiſibilibus miſerabiliter impugnantur, inceſſanter obruuntur; quid plura? Vallum nunquam reparant, quia terrenam ſubſtantiam nunquam inde reiiciunt, imò ipſum eſt, quod maximè oderunt, & de eo ſæpiſſimè querulantur, ſi quis illud reparare voluerit, vel profundare, hoſtem illum reputant, & quo poſſunt gladio, illo ſpirituali ſcilicet, vel materiali, etiam proſequuntur. Raptores huiuſmodi valli, vel foſſati, fures ſunt, vel raptores. His enim terrenæ ſubſtantiæ defectum, & vacuitatem augent, & renouant, aut profundant, contra iſtos adeuntur Reges, & Principes, inuocatur per eos poteſtatis ſæcularis gladius, cùm eis non ſufficit Eccleſiaſticus, de querelis huiuſmodi, & litibus perſonant palatia Regum, & Principum, ſimiliter & conſiſtoria iudicum Eccleſiaſticorum, & ſi dictum fuerit eis: Quare conquerimini de hominibus huiuſmodi, qui tam officioſè vobis ſeruiunt, reparando ſcilicet foſſatum veſtrum, de tam neceſſario ſeruitio lapidatis eos? vel moleſtè ſuſtinent, vel irrident huiuſmodi ſermones, vtpote inconſuetos, & eis hactenus inauditos, non enim capiunt alia, & cùm paupertatis profeſſores ſint, illam maximè fugiunt & oderunt, & cùm reparatores foſſati ſui, atque profundatores tantopere perſequantur, quid niſi capi volunt, atque in captione diabolica perpetuò detineri? Videant ipſi ne à promiſſa paupertate primo voto Religionis apoſtatent.

Quàm ſublimis, & pretioſa ſit paupertas ſpiritus, & cauſa omnium virtutum.

Capvt IX.

Consideranndvm quoque eſt, ſublimitas, & perfectio paupertatis: nam de illo muro dicitur, & menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum menſura hominis, quæ eſt Angeli, quis non hîc miratur altitudinem huius virtutis. *Numerus centenarius*, inquit Richardus, *ſignificat perfectionem; quadragenarius, qui ex quatuor decem conſurgit, quatuor Euangeliorum, & Decalogi completionem; quaternarius quatuor principalium virtutum exercita-* Lib. 7. in Apoc. 5.

tionem; cubitus operationem. Et mox: *Hæc eſt hominis menſura, quia hæc eſt omnis iuſtitia. Nec eſt vilis, & contemnenda tanta, taliſque menſura. Per eam nimirum homo in ſe iuſtificatur, per eam Angelo ſocialiter coæquatur; propterea dicitur menſura hominis, quæ eſt Angeli. Hæc etenim menſura hominis, eſſe menſura Angeli affirmatur, quia per hanc homo reparatus in mundo Angelo in cælo ſociatur.* Hoc facit paupertas, quam reputans Dominus perfectionis pretium, iuſſit illum, qui perfectum volebat eſſe priùs pauperem fieri, quoniam hoc initium eſt omnium virtutum; & ideo omnes quaſi includit virtutes; quemadmodum ſemen, licèt non ſit fructus, eminenter continet fructum, quatenus eſt initium eius; ſic paupertas quatenus eſt exordium, & cauſa virtutum, eas complecti dicitur. Pretium autem rerum non ex mole æſtimatur, ſed virtute, & opportunitate earum; paupertas autem hanc gratiam habet, vt opportuna ſit multis meritis, & via omnium virtutum. Ideo à ſancto Laurentio Iuſtiniano vocatur *manuductrix in viaqua ducit ad cælum,* De ligno vitæ c. 1. de paupere. *vnctio athletica, & exercitatio magna & mirabilis. Eſt quoque portus tranquillitatis, nutrix confidentiæ, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, ſine qua nemo coram Deo in ſpiritu diu perdurare poteſt.* Eadem ratione ſanctus Gregorius Nazianzenus vocauit illam *commodiſſimum virtutis organum.* Et Carm. ad Hell. S. Syncletica dixit: *Quomodo fieri poteſt, vt qui* Apud ſanctum Athanaſ. in vita eius. *ſyllabarum vim ignorabat, ad legendum accederet? Quare paupertas iis, qui in honeſtarum rerum exercitatione adoleuerint, bona & præclara res eſt; ſiquidem omnibus ſuperuacaneis abiectis ad Deum ſe conuertunt.* Hinc ſcies rationem, cur quamuis diſcipulos pauperes elegerit Dominus, pauperiores fecerit. Et ſanctus Petrus Chryſologus notat: *quàm ſit virtutibus cognata paupertas, & terrena, & cæleſtis comprobat diſciplina. Athleta ad luctam nudus accedit, confligit, & cum fluctibus nauta nudus. Miles in acie nonniſi expeditus aſtat. Et qui tendit ad Philoſophiam, totum quod in rebus eſt, ante contemnit. Eſt ergo virtutibus cognata paupertas, & ſi paupertas virtutum parens, & ſocia ſic habetur, ſapere conueniet. Quare ad virtutis officium pauperes Deus ſic elegit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, germanitas combinata, imò paupertas geminata, in Apoſtolorum Principes eliguntur. Erant cenſu pauperes, & innocentia locupletes. Arte viles, ſed vita merito pretioſi.* Cui pretioſitati opportuna fuit pretioſiſſima paupertas, quæ cultores ſuos pretioſos reddit, dum virtuoſos facit; virtutem autem ſuis alumnis comparat paupertas, dum illis vitiorum amputat occaſiones, & materiam, dum Dæmones, per ſimilitudinem filij Dei atteret, dum animum cæleſtibus donis ditat.

Meritò enim S. Syncletica dixit:

Paupertas eſt ſupplicium aduerſario maximum, & theſaurus animo pretioſiſſimus.

* * *

Quàm locuples ſit paupertas ſpiritus.

Capvt X.

CÆterum, ne putemus miſeram & triſtem, & inopem paupertatem, cùm locupletiſſima ſit, quæ nobis liberaliter ſuppeditet, pluſquam potuiſſet opulentia, imò vt ipſam paupertatem, veras reputemns diuitias. Additur & erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide; ipſa verò ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. Nam tota pretium eſt panpertas, tota gazæ, tota gemmæ, tota diuitiæ. In primis, qnia etiam ipſas terræ diuitias largitur locupletiſſimos reddens alumnos ſuos. Quod diſertè ità conſiderauit Guilielmus Pariſienſis. *Petrus, & alij omnia pro Christo relinquentes ſic relicta Christo Domino vendiderunt, etiam quod non habebant. Hoc enim commercio, ſiue venditione ſua, illa omnia fecerunt de eius miſericordia ſumma, illa Christo Domino, vt diximus, vendiderunt, & in cælo, ipſo teſte, vt dixit in Euangelio Matthæi, illa theſaurizauerunt. Quare manifeſtum eſt, quòd diuitiarum, quas non habebant actualiter, fœlici nobilique commercio huiuſmodi veros ſe poſſeſſores ac dominos efficerent. Alioquin ſapientiſſimus Deus, quem nihil latere poteſt, ac fideliſſimus, qui nihil à furibus, vel latronibus, ſeu quibuſcumque immeritis detentoribus, vel dono, vel emptione iniqua recepit, vel habere vult, qualiter ab Apoſtolis relicta huiuſmodi recepiſſet, vel emiſſet? manifeſtum eſt, quia nec recepiſſet ad cuſtodiendum, vt theſaurarius eorum nec emiſſet, niſi quæ ſua ſunt, illorum eſſe indubitanter feciſſet. Manifeſtum igitur eſt, quia ipſis diuitijs æternis diuites efficit hæc paupertas, veroſque earum dominos, & poſſeſſores, & longè nobilius vti eis, ac negotiari in eis ſolo corde, deſerendo ſcilicet eas, aut fugiendo, quàm contrectando, ponderando, & menſurando, atque numerando, iumentaque & vehicula eiſdem onerando, ſarcinas ligando, atque ſoluendo, complicata explicãdo, & conuoluta euoluendo, quæ omnia ſine labore, & inquinatione mantium non fiunt, huiuſmodi diuitiæ ſunt, quæ relinquendo acquiruntur, & dimittendo retinentur, & omnino fugiendo comprehenduntur, animo habendi amittitur earum poſſeſſio, animo verò non habendi retinetur. Tertium bonum eſt huius paupertatis imperioſiſſima potentia, & dominatio in omnes alienas diuitias terrenas, quàm ſuas omnes efficit ſtatim, vt vult, & hoc inuitis earum poſſeſſoribus. In quo etiam accidunt tria mirabilia, quorum primum eſt, quia abſque omni contractu, abſque omni dono ſuas facit amator paupertatis quaſcumque vult diuitias alienas, theſauros omnes Regum, & Principum, & hoc ſolo nutu, & beneplacito voluntatis, quàm citò enim ex corde dicit: Nolo habere theſauros regios, vel Imperiales: & hoc propter Christum, ſtatim eos, & in cælo theſaurizauit, & Christo Domino vendidit, vt ſuprà diximus, & hoc ſine iniuria alterius: illos igitur pleno iure ſuos efficit. Secundum bonum mirabile eſt, quod ſine detrimento, & ſine diminutione, & ſine damno poſſidentium diuitias eorum ſuas efficit, & acquirit: hoc eſt, ſaluo eius iure proprietatis, & poſſeſſionis per omnia. Tertium mirabile eſt, quod pleno iure ſuas efficit, & acquirit, & poſſidet. Et nihilominus eas iure pleniſſimo poſſident, & totaliter, atque integrè poſſeſſores earum; iſta enim poſſeſſio, atque dominium in nullo poſſeſſionem, vel dominium lædunt temporalium poſſeſſorum, nec accipiunt. Eſt quartum mirabile, quia neque ſimilem poſſeſſionem, aut dominium excludit, aut in aliquo lædit, cùm quis hoc modo poſſederit, vel diſtraxerit theſaurum regium, & non prohibetur, quamuis alius eundem ſimiliter diſtraheret, venderet, vel poſſideret; ſicque in vno, & eodem theſauro regio, omnibuſque terrenis diuitijs diuites ſpirituales effici poſſint, quotcumque paupertatis huius amatores, & dominatio iſta, quam prædiximus, non ſolùm extenditur in diuitias, quæ ſunt, vel fuerunt, vel eſſe poſſunt, ſed etiam in eas, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Hoc igitur eſt de mirabilibus paupertatis iſtius, quod de diuitijs, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt, ditiſſimos efficit pauperes ſuos. Quam citò enim ex corde dicunt: Nolo quòd ſitis huiuſmodi diuitiæ mihi, vel mea, etiamſi eſſent, tam citò theſaurizauit eas in cælo, & Christo Domino vendidit dicto modo, vbi accidit, & aliud mirabile, quia de nihilo, & quaſi de chimæris diues eſt homo huiuſmodi.* Quãobrem, cùm tam locupletes theſauros condiderit in cælo pauper, rectè dixit Petrus Bleſenſis: *Apud homines quidem vilis, ſed apud Deum, & Angelos eius glorioſus eſt titulus paupertatis.* At rurſus, *Nunc demum ſentio quàm fructuoſus ſit homini, & quàm glorioſus apud Deum titulus paupertatis. Neſcit homo pretium eius.* Noſcunt cœleſtes ciues, quanta poſſideant in patria pauperes ſpiritu; ideo apud illos glorioſi, & venerati.

De moribus cap. 9.

Epiſt. 16.

Epiſt. 102.

In hac quoque vita & exilio pro multis diuitiis paupertas voluntaria eſt, quatenus nulla eget re, qui nihil vult; nec enim inops eſt, qui caret, ſed qui eget; egere autem cupiditas noſtra facit, qui nihil cupit, nullius rei indiget. Propterea Sapiens dixit: *In abductione permanet triſtitia, & ſubſtantia inopis ſecundùm cor eius.* Tandiu enim mœror animi permanet, quandiu abducimus mentem à conſideratione eorum, quæ poſſent dolorem ſopire, ex corde ſiquidem pendet diues, ne ſit aliquis, an pauper, fœlix, an miſer; nam ſi nullam rem cupiat, aut modico contentus ſit, & patienter, lætéque ferat defectus ſuperfluorum, hic diues, & felix cenſendus eſt: ſi contrà, pauper, & miſer. Hinc fit, vt pauper voluntarius, etiam dum priuatur rebus multis, abundet, & locupletior ſit ipſis locupletibus, nam lætius agit in omnium rerum abſtinentia, quàm diuites in vſu; iſta enim paupertas id præſtat pauperi, quod opulentia diuiti; imò multo plus, quòd ipſi Ethnici agnouerunt. Qui propterea paupertatem non ſolùm lætam, & locupletem, ac fœlicem dixerunt, ſed diuinæ vitæ quàm ſimillimam. Porphyrius ſic ait: *Cùm animi finis ſit Deo fieri ſimilem. Deus autem nullius indigus eſt, nocetvè nulli; ille certè feliciſſimus eſt, Deoque ſimillimus, qui ita ſeipſum comparat, vt quàm minimè egeat alienis, quàm minimè noceat. Inopia ſalutem quæritat ab externis; qui igitur pluribus eget externis, magis cum inopia copulatur, longiuſque à Deo diſiungitur; qui enim Deo ſimilis eſt, hac ipſa ſimilitudine veram poſſidet copiam.* Et mox: *Omnia igitur nugæ ſunt, quatenus aliquis à principio deficit. Omnium egenus eſt animus, quandiu ad ipſam plenitudinem minimè ſuſpicit.*

Eccli. 38.

Lib. 3. de abſt. anima.

Cedit

Digitized by Google

Cedit autem ei quod eſt natura ſua mortale, quatenus ipſe non nouit re vera ſeipſum. Qui autem tanquam Deo ſimilis iam effectus, quam minimis ad victum eſt contentus, hic illa ſaculi aurei proſperitate potitur.

Propter hanc liberalitatem paupertatis tribuentis poſſeſſori ſuo quidquid neceſſarium eſt ad fœlicem vitam, quatenus nullum huius vitæ commodum cupit, Apuleius dixit: *Paupertas eſt theſaurus acceptus Philoſophis, eſt cibus ſobrijs, æmula adulationis.* Theſaurus eſt, quatenus ſuppeditat omnia quæ opus habet illi qui nihil deſiderat, nam hoc ipſo nulla re eget. Cibus quoque eſt, & delitiæ iis, qui omnibus voluptatibus abſtinent: nam perinde contenti ſunt, & læti ſobrietate ſua, ac alij luxu. Æmula quoque adulationis rectè dicitur, quia implet voluntatem pauperis, dum nihil de terra vult, neque vllus eſt blanditor & palpo, qui ita pro guſtu ambitioſi aut loquatur, aut operetur, ſicut voluntaria paupertas iuxta palatum eſt pauperibus Chriſti. Quis ita blandiri alteri poſſet, vt impleret prorſus ſua deſideria; hoc autem facit paupertas, vt meritò dicatur æmulari adulationi, cùm ipſam ſuperet. Iam iſthinc patebit, quàm meritò dictum ſit à Philoſophis lætam paupertatem, quia nimirum omnia pro voto habet. Pudeat nos tanti fieri ab Ethnicis hanc virtutem, à nobis autem negligi. Rectè dixit Petrus Bleſenſis; *nec mirum, ſi Chriſtianus amator ſobrietatis paupertatem ſpiritus commendat, cùm Epicurus præceptor voluptatis commendauerit eam, dicens: Fœlix paupertas læta. Nec tamen paupertas eſt, ſi læta eſt.*

Apud Bart. lib 13. aduerſ. c. 17.

Serm 32.

Vt hoc bonum & lætitiam, & ſufficientiam paupertatis commendaret nobis ſanctus Ignatius Pater noſter, iubet tanquam matrem diligi. Similiter & Guillielmus Pariſienſis, eandem paupertatem vocauit matrem Religionis, & nutricem, & cuſtodem. Rectè quidem paupertas mater appellatur; nam ſicut maternum munus eſt ſuppeditare neceſſaria filio, imò pluſquam neceſſaria ad vitam, tum fouere, & mulcere illum; ſic etiam paupertas dulcis mater noſtra tribuit nobis, quidquid opus eſt; imò pluſquam opus eſt, dum nulla re per illam opus habemus. Deinde fouet nos & mulcet, nam ſuauis & iucundiſſima virtus eſt. Itaque ſine paupertate ſpiritus orphani ſumus, & miſelli. Quapropter & reuereri, & amare eam debemus tanquam matrem dilectã, cùm per eam nihil deſideremus, imò habeamus omnia. Sicut enim patientia omnibus malis præſtat remedium, ſic paupertas voluntaria omnibus neceſſitatibus opem fert, & omnes commoditates præſtat. Ob eamdem rationem ſanctus Gregorius Nazianzenus vocauit hanc virtutem ſacrum cenſum, & magnam Chriſti hæreditatem. Patrimonium noſtrum, & diuitiæ paupertas eſt, eum illa locupletes ſumus, & nihil indigemus: in ea ſola omnia corporis commoda poſſidentes, & ſupplentes. Quod ſi Naboth tam pertinaciter defendit patrimonium ſuum aduersùs Iſraëlis Regem, nos patrimonium Chriſti, in quo ſtemma eſt nobilitatis ſpiritus diuini, cur contemnemus & dilapidabimus?

Reg. 24.

Carm. ad Hellen.

* * *

Quàm diues cœleſtibus diuitijs paupertas voluntaria.

CAPVT XI.

NE tamen putemus ſolas terræ diuitias continere paupertatem, maiores etiam, & nobilioris generis largitur opes. Videndum eſt quid addat S. Ioannes: fundamentum primum iaſpis; ſecundum Sapphirus; tertium Chalcedonius; quartum Smaragdus; quintum Sardonyx; ſextum Sardius; ſeptimum Chryſolithus; octauum Berillus; nonum Topazius; decimum Chryſopraſus; vndecimum Hyacinthus; duodecimum Amethyſtus. Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas; & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. Cùm enim margaritæ, & reliquæ gemmæ, quas mundus tanti facit, exigui lapilli ſint, hîc exhibentur à S. Ioanne immodicæ magnitudinis. Tanta enim moles erat illarum margaritarum, vt ex vna ſola margarita portæ illæ cœleſtes conſtarent; tanta magnitudo Smaragdorum, & aliarum gemmarum, vt vna ſola gemma ſufficeret pro fundamento. Per hunc gemmarum exceſſum, quid aliud denotatur, niſi diuitias quas ſignificant, alterius generis à terrenis eſſe ſublimiores & grandiores, nunquam ſimiles viſas, aut auditas. Et quidem diuitias, quas paupertas voluntaria confert, non ſolùm æquales ſunt opibus locupletum, ſed plures & maiores centuplum adhuc in hac vita: nam & ipſe Dominus dixit, eos, qui propter Deum depauperantur, centuplum in hac vita accepturos, & deinde vitam æternam. Tum, quia commoditas voluntariæ paupertatis centuplum maior eſt adhuc in hac vita, quàm diuitiarum, tum quia cœleſtis dulcedo, qua Deus remunerat bonam voluntatem ſuorum pauperum immenſo exceſſu opes terrenas ſuperat. Nam, vt inquit S. Laurentius Iuſtinianus. *Ipſa paupertas etiam ſpiritualibus donis ſe amplectentem diuitem facit. Qui namque carnalia & terrena propter Saluatorem noſtrum dimiſerit, recipiet ſpiritualia, quæ comparatione, & merito ſui ita erunt, quaſi pro vno centenarius numerus comparetur. Non enim ſanctus vir ideo terrena deſerit, vt hîc in hoc mundo poſſidere multiplicius poſſit. Sed per centenarium numerum, qui à Domino pauperibus omnia relinquentibus pollicetur, perfectio deſignatur, quia ſi quis propter Dei nomen temporalia contemnit, hîc perfectionem mentis recipit, vt ea non appetat, quæ contempſit. Centies verò recipit, quod dedit, qui perfectionis ſpiritum accipiens terrenis non indiget, & ſi hæc non habet, non habet hæc promiſſio aliquid temporale, aut terrenum in ſe, ſed promittit Saluator quaſdam ſpirituales conſolationes, & primitias ſpiritus, quæ ſuper mel dulces ſunt, & omnibus tranſitorijs gaudijs iucundiores, atque quodcumque deſideratur in ſæculo, hoc nequaquam ijs non valet comparari. Quid igitur,* (addit idem ſanctus,) *paupertate melius? quid ſecurius? quid iucundius? Triſtentur omnes, cuncti gemant, formident vniuerſi: hæc ſemper hilaris, ſemper eodem vultu, eodem animo perſeuerat. Bonum cœleſte præſtolatur poſſidere in cœlo; ideo nihil habet, quod poſſit amittere in terra.*

In ligno vitæ de paup. c. 2.

cap. 4.

Frequenter euolat ad ſupernam patriam, vbi remuneratorem ſuum eſſe cognoſcit. Talis eſt pulchritudo, tales theſauri: & hæc eſt perfectio, & perfectionis celſitudo huius beatæ paupertatis. qua velut quodam monili ſe ornant, quicumque per internam dulcedinem, & cæleſtem contemplationem Deo adhærere deſiderant: & hanc vti fundamentum ſpiritualis exercitij, & adiutorium ſuæ exercitationis præcipuum aſſumunt. Nam Deo mundo corde vacare penitus non poteſt, quiſquis temporalium rerum implicatur amore, & diſtrahitur occupatione. Spiritus eſt Deus, & eos, qui eum adorant, oportet in ſpiritu, & veritate adorare: vt vnum cum Deo efficiantur, quod eſt proprium quieſcentium, quorum vota ſurſum tendunt, & quorum exercitatio ſpiritualis eſt. Vnde ab omni affectione & cura per paupertatem volūtariam omnium temporalium liberi eſſe debent, quatenus Deo liberiùs vacare queant: vbi namque ſpiritus Domini, ibi libertas, vbi libertas, ibi pura cæleſtium contemplatio: quam contemplationem quicumque apprehendere feſtinat, paupertatem amplectatur.

Quòd ſi reſpiciamus diuitias cœleſtes, quæ pauperes in cœlo condunt, quæ tanto terreſtres ſuperant, quanto cœlum grandius terra eſt, incredibilis theſaurus illos manebit, vt meritò exclamat Abbas Theophridus. *O quàm præclara paupertas, quæ poſt carnis mortem cœli, & terræ meretur diuitias.* Nam ſi in terra, vbi pati oportet, centuplum habebunt eorum, quæ pro Deo relinquunt pauperes ſpiritu, in cœlo, vbi remuneratio expectatur, quoties duplicatas conſequentur. Rectè quidam dixit paupertatem ipſo cœlo æqualem eſſe: nam ſi aurum eſt, quod aurum valet; paupertas cœlum eſt, quia cœlum valet, quam ipſa veritas ſumma pretium cœli taxauit. Quæ ſola conſideratio ſatis eſt ad amorem paupertatis, & omnium mundanarum diuitiarum contemptum. Optimè præſcripſit S. Columbanus in regula ſua: *Monachi, dum in cœlis multum ſunt habituri, paruo extremæ neceſſitatis cenſu in terris debent eſſe contenti.* Sapienter quoque quidam Monachus offerenti ſancto Ioanni Eleemoſynario aliqua numiſmata, reſpondit. Monachus ſi fidem habet, horum non eget: ſi autem horum eget, fidem non habet. Accedit, quòd non ſolùm pauperes ſpiritu reconditum cum fœnore multiplicato in cœlis habeant, quidquid hîc reliquerunt, ſed quidquid hîc non habent, & vltra hoc, multorum aliorum præmia meritorum, quibus voluntaria paupertas occaſio fuit.

Lib. 2. epitaph. ſanct. c. 6.

cap. 4.

Duodecim vtilitates paupertatis iuxta numerum gemmarum muri cæleſtis Hieruſalem.

Capvt XII.

Neqve ſolùm magnitudinem diuitiarum, & vtilitatum, quas voluntaria paupertas habet, ſignificant gemmæ illæ tam diuerſæ cœleſtis muri, ſed numerum, & multitudinem. Quot in cœlo diuitias poſſideat, ibi pauper ipſe voluntarius inueniet. Nunc ſolùm numerabo aliquas vtilitates, quæ in hac vita pauperes Chriſti conſequuntur, eaſque duodecim agnouit S. Laurentius Iuſtinianus, ſignificatas in his duodecim gemmis, quæ pro fundamento erant celeſtis Hieruſalem. Et iidem ipſi lapides ſunt, quos in Rationali ſummus Sacerdos præferebat. Deſignantur etiam (inquit B. Laurentius) per duodecim lapides pretioſos in typico Rationali quadruplici ordinatione diſtinctos, in quibus nomina tribuum duodecim Iſraël Moſes legitur deſcripſiſſe. Valet enim hæc, de qua loquimur, præfulgida margarita, & ſingularis paupertatis virtute, ad exterminium iniquitatis, ad exercitium perfectæ victoris, ad publicationem Euangelicæ prædicationis, ad poſſeſſionem perfectæ iucunditatis & contemplationis. de quibus omnibus in ſequentibus diſtinctè dicetur. Efficax primò eſt exterminium iniquitatis tripliciter. Primò propter expiationem culparum perpetratarum: eſt enim caminus purgans, & eliminans ſordes vitiorum, iuxta illud Iſaiæ: *Collige te in camino paupertatis.* Hoc namque patet in Lazaro mendico, & diuite epulone. Purgauit enim ignis inopiæ pauperem vlceroſum, & diuitis bona remunerauit fœlicitas tranſeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit & terſit, & iſtum abundantia remunerauit, & repulit. Quum igitur quoſdam pauperes aliqua reprehenſibilia perpetrare conſpicimus, illos minimè deſpiciamus, quia fortaſſe, quos ſuperfluitas tenuiſſimæ paupertatis inquinat, caminus paupertatis curat, & abſtergit. Secundò exterminat paupertas iniquitates per ſubtractionem occaſionum peccandi, quia ſicut diuitiarum affluentia creſcunt, ſic voluntaria paupertate minuuntur. Nam Chriſtianus in paupertate conſtitutus, qui ſua diſtribuit propter Deum, & abiecit à ſe ſuperbiæ typum, non erit arrogans, ſed patiens, obtemperans, pudicus, & mitis. Qui verò in diuitiis conſtitutus eſt, multa adhuc mala impediunt. Inſpiciamus denique, quæ ſunt, quæ diuites operantur. Rapiunt aliena, æſtuant cupiditatibus, nefandos non deſinunt perpetrare concubitus, maleficia cuncta committunt. Nonne vniuerſa hæc conſpicimus ea diuitiis generari. Inflammant quoque animos, ſuperbiam pariunt, inuidiam parant, & eo vſque mentem alienant, vt illos fama pecuniæ etiam nocitura delectet. Nam cum omnibus malis ſuis etiam hoc malum habent diuitiæ, quòd malignitate peccantes ab vltionibus tuentur, & qui diuitias poſſident, ſemper peccantes nulla pœna reuocantur, ſed ſine vllis remediis vulnera ſuſcepturi ſunt. Quo enim impuniti liberiùs peccant, eo vehementiùs damnatione plectentur æterna. Valet tertiò paupertas ad iniquitatum exterminium, propter abſciſionem vitioſarum radicum. Abiiciamus enim quæcumque corpus florere faciunt: vitiant autem animam, vt putat, diuitiæ, deliciæ, & gloria. Hæ ſunt namque peccatorum radices præcipuæ. Quanta verò germinent mala, & quantis ſceleribus implicitæ ſint, breuiter tibi ô homo monſtrabo, vt læto animo ipſas deſpicias. Si enim pecuniam congregare conaberis, eripies habenti, aut cupiditatibus laceraberis. Si dignitatibus fulgere velis, danti ſupplicabis, & qui præire cæteros cupis, poſcendi humilitate erubeſces. Si potentiam deſideras, ſubiectorum inſidiis obnoxius, periculiſque ſubiacebis. Si gloriam appetis, per aſpera quæque diſtractus, ſecurus, & quietus eſſe deſiſtis. Si vo-

In ligno vitæ de paup. c. 3.

luxurioſam vitam eligis, quis non aſpernat, atque abiiciat viliſſimæ fragiliſſimæque rei, corporis ſcilicet, ſeruus eſſe. Congregetur denique in te, quidquid multi locupletes poſſederant, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura veſtiat, & ad hunc te delitiarum & opum perducat ſtatum, vt non tantùm tibi habere liceat, ſed calcare diuitias, maiora cupere ab iis diſces. Si autem ad naturam viues, nunquam eris pauper, ſi ad opinionem, nunquam eris diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. Secundò valet & vtilis eſt hæc paupertatis virtus ad exercitium virtutis perfectæ tripliciter; primò, quia virtus acquiſita comprobatur. Non enim poteſt quis præmium accipere, niſi legitimè certauerit, nec glorioſa victoria eſſe, niſi fuerint laborioſa certamina. Ideoque Dominus in Euangelio, *Beati pauperes ſpiritu*, non dicit diuites, ſed *pauperes*. ibi enim incipit beatitudo diuino iudicio, vbi ærumna exiſtimatur humano. Omnis denique virtutis magiſtra eſt inopia, & index. Non ita laudamus Ioſeph, quum frumentum diſtribuebat, ſicut quum carcerem habitabat,& affligebatur inopia. Similiter valet hæc, quia per illam virtus probata cuſtoditur. Nam Crates ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, quum ad philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit ſe virtutes poſſe ſimul & diuitias poſſidere. Denique, & tu ô miles Chriſti, audita ſententia Saluatoris, *Si vis perfectus eſſe*, &c. verba virtutibus, operibus comproba, & nudam crucem nudus ſequere, puriſque manibus & candido pectore & ſpiritu, & opere gloriare, expeditior, & leuior conſcendens ſcalam Iacob. Valet præterea in hoc, quòd virtus cuſtodita expeditiùs in finem perducitur per hanc. Quapropter non habentes diuitias,non propter hoc doleamus, ſed magis gratias vniuerſorum Deo & Domino referamus, quia nos paruo labore eandem mercedem poterimus, quàm diuites promereri, etſi voluerimus etiam ampliorem. Nam ex paruis magna lucramur. Ante enim Dei oculos nunquam eſt vacua manus à munere, quum arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Et quoniam voluntas, vbi deeſt poſſibilitas pro facto reputatur, æquè diuitibus, & pauperibus conſtat velle facere eleemoſynam. Concluditur, quòd non minus erogat,qui compatitur egenti, qui orat pro afflicto, qui hortatur,conſulit, & huiuſmodi operatur ſpiritualiter non habens quod tribuat corporaliter, quam qui ſolùm corporalia peragit, quoniam quanto anima corpore melior, tanto ſpiritualis exercitatio ſuperexcedit corporalem,per quam & perfectiùs virtutes perficiuntur. Ex quo colligitur,quòd per paupertatem voluntariam virtus acquiſita probatur, probata cuſtoditur, & cuſtodita expeditiùs in finem perducitur. Tertiò efficaciſſima eſt hæc virtus ad publicationem Euangelicæ prædicationis tripliciter. Primò, quia facit illam magis credibilem. Tale enim eſt lumen virtutis,& paupertatis efficacia, vt non ſolùm luceat in ſe, ſed etiam ad lucem perducat, & irradiet, qui illam conſiderant. Quum enim viderint homines euangelizantem Dei verbum omnia præſentia contemnere, ad futura præparatum ante omnem ſermonem operibus illius credent. Quis enim ita eſt amens, vt videns eum, qui heri laſciuiebat, & ditabatur, omnibus exutum, & ad famem,& inopiam,& duram vitam, & pericula, & ſanguinem, & occiſionem,& ad omnia, quæ videntur periculoſa, præparatum, non manifeſtam ex hoc accipiat futurorum demonſtrationem. Si autem prædicator præſentibus ſe immiſcuerit, & temporalia poſſederit, qualiter credi poterit, quod ad aliam poſſeſſionem, & cœleſtem hæreditatem feſtinet. Præſentium namque contemptus certum eſt indicium ſpei æternorum. Item reddit hæc virtus prædicationem efficacem; Euangelium enim diuinæ cognitionis prædicatum eſt, non bellicis, ſed carneis exercitationibus aduerſarios deuincens. Pauci namque nudi,pauperes,illiterati, verberati, & mortificati crucifixum corpore mortuum prædicantes, ſapientibus, & inſipientibus præualuerunt. Igne etenim Spiritus ſancti quaſi nouæ lucis fonte, Chriſtus Apoſtolos perfudit, & vt nihil in hoc mundo poſſiderent,præcepit, vt ipſi poſtmodum vniuerſum mundum, quaſi duodecim Solis radij, totidem lampades veritatis lumine, & paupertatis exemplo illuminarent, & ad Deum conuerterent. Ac etiam inebriati nouo vino, & futurorum ſpe erecti, & vita, ſcientiáque irrigarent, & accenderent corda omnium populorum. Inſuper ipſa paupertas exhibet prædicationem magis acceptabilem. Cuius euidens ſignum eſt, quòd per Apoſtolos pauperes rebus, & ſpiritu, quanquam numero paucos, diffuſa eſt Euangelica veritas in orbem terrarum, vt de ipſis verè dictum ſit, *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Qui cùm prophetias haberent, miracula facerent, non hæc eos mirabiles fecerunt. Multi namque Prophetæ extiterunt, multi infirmitates curarunt, & Dæmones de corporibus obſeſſis eiecerunt,qui quoniam iniquitatem operati ſunt, non ſunt facti mirabiles, ſed Diaboli ludibria, & inferni ſtipulæ. Sed quid eſt, quod illos,de quibus loquimur, Euangelicos pauperes effecit glorioſos? Pecuniarum contemptus, gloriæ temporalis deſpectus,& ab omnibus vitæ huius negotiis ereptio. Qui ſi hæc non habuiſſent, etiamſi Chriſtum mortuum ſuſcitaſſent, non ſolùm non profeciſſent,ſed & ſeductores exiſtimati fuiſſent. Inductiua eſt quartò hæc virtus laudanda paupertatis ad perfruitionem iucunditatis internæ, & eleuationem contemplationis excelſæ tripliciter. Primò quidem ratione extrinſecæ ſecuritatis, quæ ſecuritas diſponit plurimum ad contemplationem. Diuitem enim neceſſe eſt plurimis indigere, & turpiter ſeruire, formidare,& ſuſpicari, & timere eorum qui ſuſpicantur, oculos,& calumniatorum ora,& auarorum concupiſcentias. Sed non paupertas aliquid tale patitur, quinimo vniuerſorum regina eſt, pluribus non ſubiecta, ſed munita portubus tranquillis,palæſtra,& gymnaſio Philoſophiæ,propter quod mirabiliter confert ad ſublimationem contemplationis excelſæ, quia in nullo ſollicitatur animus. Nam & Dominus Ieſus, à diſcipulis ſuis pauperibus, quos ſuper montem contemplationis extulit,omnem ſolicitudinem amouit,dicens: *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis*, &c. Omnis enim ſolicitudo pauperibus veris, & ad contemplationem anhelantibus interdicitur, quatenus algorem puſillanimitatis, & ſolicitudinem pro neceſſariis fugiant, & calorem confidentis charitatis cum promptitudine

ad

ad perferenda paupertatis incommoda conſtanter aſſumant, vt in iubilo iucunditatis interņæ, ſit eis iucunda & ſecura mens quaſi iuge conuiuium, & ſit eis volatus ſecurus & liber ad contemplandum Deum. Ipſi namque pauperes ſunt ſpiritualia volatilia, qui vacantes contemplationi ſingulari cura paſcuntur àb ipſo Domino, & conſiderantes magnalia ſuæ potentiæ, atque dolores ſuæ aſſumptæ naturæ abundanter nutriuntur. Sic Helias in ſolitudine miniſtrantibus coruis paſcitur. Sic Danieli in lacu ad leonum prædam iuſſu Regis incluſo, prandium diuinitus portatur. Quibus exemplis euidenter oſtenditur nihil poſſe ad neceſſitatem deficere pauperibus contemplationi vacantibus. Non ſolùm valet hæc virtus ad iucunditatem, & contemplationem internam propter ſecuritatem, quam de Deo concipit mens, ſed etiam valet ratione expectatæ mercedis. Quiſquis enim diuini amoris ſtimulo agitatus hîc terrena deſpexerit, ille procul dubio iudiciariæ poteſtatis mercedem obtinebit, vt ſimul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc conſideratione iudicij, & deſiderio contemplationis internæ ſeſe ſpontanea paupertate caſtigat. Felix ergo paupertas voluntaria omnia relinquentium propter te Domine I E S V, fœlix (inquam) quæ tam glorioſos reddit in illo ſingulari fulgore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, & in illo tanto diſcrimine iudiciorum. Et licèt in hac vita hi pauperes in ſua humilitate recipiant à reprobis pudorem, & de paupertate aliquem laborem, in alia tamen vita conſequentur duplicia, videlicet pro pudore honorem iudiciariæ poteſtatis, & pro labore refrigerium placidiſſimæ ſeſſionis. Nam ipſa paupertas eſt, quæ caſtigat, purgat, probat, humiliat, & exaltat. Valet tertiò & vltimò hæc paupertas ad contemplationis erectionem ratione perfuſæ conſolationis, quæ in ipſa eſt. Qui enim paupertatem cum gratiarum actione ſuſcipiunt, pueris illis tribus ſimiles ſunt, qui in ignis fornacem Regis imperio miſſi fuerunt. Sicut pueros illos non incendit ignis, ſed diſſoluit eorum vincula; ſic eorum qui in paupertate gratias agunt, ſoluuntur vincula peccatorum, & non incenduntur auaritiæ igne. Nam & illis in igne ros illapſus eſt, & pauperibus diuinæ conſolationis ros immittitur. Etenim maximus eſt ros non detineri concupiſcentia diuitiarum. Illi quoque contemnentes Regem, facti ſunt Rege clariores. Ita qui deſpiciunt mundana negotia, mundo efficiuntur honorabiles. Vt ergo, ô homo, & contemplatione excelſa, & cœlo dignus efficiaris, deride præſentia. Ita enim & hic eris clarior iucunditate interna, & futuris potieris bonis in cœleſti patria, ſicut teſtatur Pſalmus. *Edent* (inquit) *pauperes*, Deum hîc contemplando, *& ſaturabuntur*, quum gloria Domini ipſorum apparuerit, *& laudabunt Dominum*, tunc, *qui eum requirunt*, nunc, *viuentque corda eorum in ſaculum ſeculi*, & vltrà.

Pſal. 21.

Exhortatio ad paupertatem, ex Goffrido Abbate.

CAPVT XIII.

CVM igitur tot bona & vtilitates ſint huius virtutis, nulla excuſatio eſt obſeruationis ſuæ. Nec eſt, quod contra illam iure cauſari poſſit mundi amator; ſiquidem vnica ſæcularium excuſatio & ſtulta aliquorum Religioſorum tentatio, quòd putent per ſpoliationem omnium rerum minui merita eleemoſynæ largiendæ, aut vtcunque benefaciendi, fruſtraque fieri præceptum eleemoſynæ, meritò refellitur à S. Syncletica. *Fruſtrà igitur*, ait, *præcepta eſt eleemoſyna? Abſit. Sed rudiorum eſt illa prima charitatis ingreſſio. nam vt præputij circumciſio ad cordis circumciſionem collata, rudis quædam eſt veri adumbratio: ſic eleemoſyna charitatis eſt magiſtra conſtituta; quibus igitur charitas Dei beneficio conceſſa eſt, ſuperuacua eleemoſyna erit.* Locupletiùs tamen Goffridus Abbas reſpondet, & nos ad hanc virtutem ſimul hortatur. Viam, inquit, quam ſpecialiter, ac ſingulariter tenendam, vita docuit æterna, vtinam ſicut ignorare non poſſumus, ita non accipere non poſſemus, & tenere vellemus. Via vtique illa hæc eſt, non ſolùm, quæ ſua ſunt, Chriſti pauperibus erogare, ſed pro Chriſto etiam ſeipſum abnegare. Pauperibus, quod ſuum eſt dare, ſpecies eſt virtutis: ſed quod ipſe eſt dare, virtus eſt perfectionis. Licèt enim omnia noſtra pauperibus conferamus, nobis prodeſſe non poterit, ſi nos Deo auferimus, cuius ſumus. Quando Deus ex limo terræ hominem fecit, ad hoc factus eſt, vt diuitias ſine fine manſuras cum illo poſſideret in cœlo; non vt diuitias ſubitò perituras pauperibus donaret in ſæculo. Poſtea verò cùm falſam beatitudinem appetens, & veram miſeriam inueniens, de altitudine veræ beatitudinis homo confractus cecidit; Deus qui eum creauerat, eius miſeriæ compaſſus, collegit fracturas, & igne charitatis conflauit; & quod omnino confractum fuerat, integrum fecit. In qua ſuæ inæſtimabilis dilectionis operatione pius Dominus, non quod homo habeat, ſed quod homo erat, non quidem ſua neceſſitate, ſed hominis vtilitate, quęſiuit. Seipſum pro homine dedit Deus, pro homine factus homo, & cùm de plaga lateris, imò potiùs de vena ſuæ dulciſſimæ charitatis pro homine in cruce funderet ſanguinem proprium, tali commercio hominem comparauit, non hominis cenſum. Reddat igitur homo, nec reddere differat Deo ſeipſum: credat ſe eius pretioſo ſanguine emptum miſericorditer, & redemptum: nec ſe ille præferat, qui eum redemit, ſed id potiùs tribuat, quod ille maximè quęrit. Iniuſtum eſt enim, vt homo ſe Deo auferat, quem tanto pretio acquiſiuit: ſed Creatoris ſui, & Redemptoris diligenter tenens conſilium, ſua omnia pro eius amore relinquat, & ſeipſum: quia licèt omnia reliquerit, ad conquirendam ſalutem æternam ſibi non proderit, niſi mundo renuntians Chriſtum ſequatur, ſicut ſequendum ſe docuit, Chriſtum ſequi ſimul & mundum eſt impoſſibile. Vnde ſi nobis non creditur, illi ſaltem credatur, qui non mentitur,

Apud ſanctum Athanaſ. in eius vita.

Lib. 5. ep. 10.

tur, qui in Euangelio dicit: *Quia nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, *Deo videlicet, & mundo.* Liberalitates eleemoſynarum pauperibus factas abſit vt vituperemus; ſed diuitibus huius ſæculi hoc daremus conſilium, ſi nobis acquieſcere vellent, vt ventres pauperom horrea facerent, ne pauperes fame, nec ipſi tenacitate perirent. Certè pauperes paſcere probabile eſt; ſed valde probabilius ſe pro Deo pauperem facere, multi enim & pauperes pauerunt, & reliquerunt omnia: ſed quia ſe ſeruarunt, ſibi damnati inuenti ſunt. At nemo vnquam ſe pro Deo pauperem fecit, & Deum habere nequiuit. Vnde Saluator in Euangelio, cùm Petrus ſe & alios diſcipulos omnia reliquiſſe, & illum ſecutos eſſe dixiſſet, non ad hoc, quia omnia reliquerant, ſed ad hoc, quia eum ſecuti fuerant, reſpondit, & inde illis præmium æternæ retributionis promiſit. Quod vtique Dominus non feciſſet, ſi homo pro ſola rerum dimiſſione Deum habere potuiſſet. Ille tamen pro ſe relinquere omnia non reprobauit; ſed illud, vbi certam hominis ſalutem ſciebat, approbauit. Et nos itaque pro Deo relinquere omnia, & pauperes recreare, quia bonum eſt, non reprobamus; ſed quod melius eſt, veritate docête approbamus, & omnes & maximè amicos noſtros, vt viam indubitatæ ſalutis teneant, germàna charitate rogamus, & rogando monemus. Hæc autem deprecatio noſtra, vel exhortatio ſi contemnitur, meritò culpari non poſſumus; ſed eos plangere, & de ipſis non mediocriter dolere debemus, qui de tanto contemptu exiſtunt culpabiles, & minus capaces rationis eſſe videntur, quàm pecudes. Pecudes enim paſcua meliora libenter appetunt, & ad illa paſtorem ſuum diligenter ſequuntur, & ſi ad alia minùs bona fortè ducantur, quibus valent motibus contradicunt. Cùm igitur homo, quem formans Dominus non ſolùm rationalem fecit, verùm etiam ei ſigillum ſuæ imaginis, & ſimilitudinis impreſſit, videat animalia, quæ creator omnium creaturarum irrationabilia creauit, propriæ ſaluti prouidere, & melioris vtilitatis cauſa paſtori ſuo corde, & corpore obedire, vitare minus bona, vt meliora valeant inuenire: ſi Dei & Domini ſui conſilio, vel præcepto duci non patitur, ſaltem pecudis exemplo ad meliora prouocetur: relinquat tranſitoria, cum quibus pro certo & ipſe tranſierit, quatenus æterna inuenire mereatur. Satis tamen eſt melius, hominem rationalem rationalis ſapientiæ Dei duci conſilio, quàm inſenſati, & irrationalis animalis prouocati exemplo. Ducatur itaque conſilio Dei, ſeipſum pro eius amore pauperem faciens; qui non idcirco reconciliationis opibus nos ditauit, quia pauperes pauit, quamuis bonum eſſet; ſed quia ſe pro nobis pauperem fecit. Si enim Dominus in mundo diues fieri voluiſſet, militia vtique ſua, ne Iudæis traderetur, ſicut ipſe in Euangelio dicit, pro illo decertaſſet, nec pro nobis crucifigi potuiſſet, nec mori. Et quia humana miſeria aliunde non inueniſſet ſuffragium, miſerorum caruiſſet fine ſupplicium. Si ita eſt, immo quia veraciter ita eſſe creditur, poſt ſuſpenſionem Saluatoris, poſt poculum fellis, poſt plagam lateris, poſt perceptam gratiam Baptiſmatis, qui à creatore ſuo diſcordaſſe peccando ſe meminit, vtile eſt atque neceſſarium, vt peccator homo voluntaria paupertate Domino reconcilietur, qua iuſtus Dominus peccatorem hominem ſibi reconciliaſſe agnoſcitur. Vnde & pauperi paradiſi ianua patet, & ab illa diues excluditur.

Quibus rebus paupertatem obſeruare oporteat.

CAPVT XIV.

PRAXIM iam aliquam cœleſtis huius virtutis oſtendamus, quæ ſatis in noſtris conſtitutionibus exponitur. Primum oportet non ægrè paupertatem ferre, ſed potiùs amare illam tanquam matrem, quemadmodum S. Ignatius P.N. dixit, & aliquos eius effectus experiri: nam quemadmodum puer matrem ſuam diligit, atque eius præſentia, amplexuque lætatur, identidemque ad matrem accurrat. Sic verus pauper diligit paupertatem, eamque dulciter oſculatur, vbicumque, & in quocumque occurrat, lætus illam aſpicit, imò quærit. Et quemadmodum agniculi non ſe diuellunt à matribus, eaſque inter mille oues ſimiles agnoſcunt: ſic pauperes qui per imitationem agni Dei innocentes, & mundi ſunt, nolunt ſine ſua matre paupertate viuere, & quæritant defectum rerum, & commoditatum corporalium. Neque pudet eos talis matris filios videri, oſtendendo, imò oſtentando neceſſitates ſuas, aut mendicando oſtiatim, aut alio quouis modo, pro magno honore ducentes ſimiles Chriſto eſſe, & videri. Hæc penè ſunt quæ commendata habemus in regulis Summarij. *Diligant omnes paupertatem, vt matrem, & iuxta menſuram ſanctæ diſcretionis ſuis temporibus eius effectus aliquos experiantur: nullâque re tanquam propria vtantur, paratique ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel obedientia, vel neceſſitas id exiget. Deinde additur, victus, & lecti ratio erit, vt pauperibus accommodata, & vnuſquiſque ſibi perſuadeat, quòd quæ viliſſima erunt ex ijs, quæ domi ſunt, ei tribuentur, propter ipſius maiorem abnegationem, & ſpiritualem profectum.* Reg. 24. ſum. In his tribus præcipuè rebus, quoad ſe attinet, debet vnuſquiſque exercere hanc virtutem; ſicut enim pauperes quos neceſſitas facit, plus patiuntur indigentiæ in victu, veſtitu, & lecto: ſic pauperes quos voluntas, & amor Dei facit, in iiſdem ſe exhibere tales debent. Pater Michael Turrianus, poſtquam Societati noſtræ addictus fuit, nihil vnquam noui induit, ſed quod alij priùs detriuiſſent, cùm Rector ferè ſemper affuerit, aut Prouincialis, aut Confeſſarius Catharinæ Reginæ Luſitaniæ, quindecim, interdum viginti annos veſtes illi perdurabant, poſtquam iiſdem alij fuiſſent vſi. In reliquis quæ ad paupertatem ſpectabant eiuſmodi ſe habebat, quærens ſibi deteriora. Cùm hac regula conuenit conſtitutio monaſtica S. Baſilij, qui ita præſcribit. *De veſtimentis, calceamentiſvè, non ea exquirenda nobis ſunt, quæ ſunt elegantiora, ſed quæ viliora, ea diligenda, vt in hac re etiam animi noſtri humilitatem ſignificemus, neque opinionem nimis elegantium, aut nos metipſos amantium, & à fraterna charitate abhorrentium incurramus, quando is ſatis à charitate, humilitateque ſe disiunctū declarat,* De conſt. monaſt. c. 31.

qui

Digitized by Google

qui primas deſiderat. Optima profectò eſt iſta ratio, & fructus eligendi deteriora, quòd ſic præter bonum paupertatis iuuabitur humilitas & charitas. Idem S. Baſilius ait, *Fieri nõ poteſt, vt is qui non infimam, & poſtremam ſortem ſibi æquo animo ferendam perſuaſus ſit: aut ſi conuitium ipſi fiat, iram comprimat, aut ſi prematur potentia victor euadat. Nec rigor videatur hæc deteriorum electio cùm menſura paupertatis ſit*, ait ſanctus Bonauentura, *vt nihil habeas, & nihil omnino habere velis vltra neceſſitatem. Et ſi quæris, quæ erit illa neceſſitas? Reſpondeo, quòd quanto intimiùs paupertatem dilexeris, tanto ſublimiùs de neceſſitate iudicabis. Illa namque neceſſaria ſunt, ſine quibus eſſe non poſſumus. Vide ergo ea, ſine quibus eſſe commodè potes, & illa nec habere, nec procurare, nec reperire velis. Quantumcumque tamen te ſtrinxeris, Dominum Ieſum perfectè in paupertate imitari non poteris.* Hactenus ille. Itaque quoad fieri poterit, ad nihilum, vt dixit Dauid, redigi oporteret, & nihil niſi Dominum poſſidere. *Clericus*

In declam. ad illa verba, Ecce nos reliquimus omnia. (inquit ſanctus Bernardus) *qui partem habet in terra, non habet partem in cælo. Itemque Clericus, ſi quidquam habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis Dominus pars eius fieri non dignatur. Videtur & ſanctus Dauid cauterio graui inurere quoſdam, ipſi viderint quos hæc parabola tangat.*

In morbis quoque meminiſſe debemus huius virtutis, vt patienter feramus incommoditates, pluriumque rerum defectum: nam multi ſunt in noſocomiis, quibus plura deſunt; neque vnquam pauperior fuit filius Dei, magiſque omnibus rebus deſtitutus, quàm in morte ſua. Quoad alios, oportet nec imaginem dominij alicuius rei exhibere, etiam ad minima diſponenda ſuperiorum conſenſus expectandus eſt, quemadmodum præ-

Reg. sum. 26. ſcriptum habemus in regula ſequenti. *Intelligant omnes, quòd mutuo dare, vel accipere, vel diſpenſare quidquam de iis, quæ domi ſunt, minimè poſſunt, niſi ſuperior conſcius conſenſum præſtiterit.* Huius regulæ adeò obſeruator fuit P. Ioannes Ruizius, vt cùm iter agenti munuſculum à diſcipulo oblatum excuſare non poſſet, ne illum nimis contriſtaret, admiſiſſet, nullo tamen modo illud toto itinere tetigit, quoniam expreſſam ſuperiorũ volũtatem deſiderabat, vt primum autem Collegium accedit, illud ad ſuperiorem detulit. Hunc ſuperiorum conſenſum veri pauperes non interpretantur, ſed explicitum requirunt; neque pudet eos etiam in quàm minutis rebus aliena diſpoſitione dependere, imò alienos, & non ſui iuris videri. Egregiè pro hac doctrina eloquitur Hum-

Ep. de 3. votis c. 17. bertus. *Veri*, inquit, *paupertatis amatores ſine licentia nihil accipiant, nec dent, vel habeant, neque celent, vel mutent, neque furentur. Quamuis enim neceſſaria nobis habere liceat in communi: nullus tamen quidquam habeat in ſpeciali. Ecce Pater noſter Auguſtinus tantæ paupertatis fuit, quòd teſtamentum nec moriens fecit vllum. Et ſicut proprium non licet habere clauſtrali, ſic & operari ſtudeat in communi. Sciendum eſt autem, quòd Religioſis quædam poſtponenda ſunt actu, pariter & affectu, vt proprietas rerum quæ ſe priuauerunt. Quædam affectu, ſed non actu: vt interdum eſt per actiuam vitam diſpenſatio temporalium. Quædam actu, ſed non affectu, ſicut pro bono obedientiæ quandoque intermittitur contemplatio supernorum. Sed heu videmus multos bonum paupertatis appetere, tamen ipſum cum defectu, & penuria nolunt ſuſtinere. Apud omnipotentem verò Deum, tunc paupertas pretioſa reputatur, cùm eam voluntas cum difficultatis moleſtia comitatur. Sanè ad retinendam arrepta nuditatis virtutem, ita vos metipſos ab omni proprietate reddatis extraneos, vt tanquam peregrinos, & nihil habentes piis Monaſterij largitionibus, vos noueritis, veſtiendos deinceps & alendos. Ex præmiſſis igitur colligite, vt poſſidendorum in vita præſenti nihil inordinatè concupiſcatis, nihil inhoneſtè acquiratis, nec ſine licentia quidquam recipiatis, vel detis, nec præter voluntatem Prælati aliquid habeatis, nec licentiam extorqueatis, nec contra fraternam charitatem quicquam teneatis, nec inutiliter expendatis.* Hæc ille. Mirandum eſt quanto in hac parte obſeruantiæ rigore nata, & adulta Societas IESV eſt, vt olim (ſic in hiſtoria Collegij Complutenſis proditum memoriæ reperi) vel vnius calami ſubreptio ſine facultate ſuperiorum inter caſus ſuperioribus reſeruatos eſſet. Legi quoque in exhortationibus manuſcriptis R. P. Gillij Gonzalez, ſe inueniſſe in aduerſariis S. Ignatij Patris noſtri poſt eius mortem imperfectis, quamlibet vſurpationem etiam in re minima, ſi repetatur, reſeruatam eſſe. Neque arctitudinem, & rigorem hunc introduxit ignorantia noſtrorum maiorum, qui doctiſſimi fuerunt, quorum & nonnullij Theologi Pontificij, quos Summus Pontifex ad Concilium Tridentinum miſit, eruditiſſimos nimirum, & doctiſſimos Theologos, atque inter illos Patres, Doctoreſque totius orbis mirificè illuxerunt. Eximia igitur obſeruantia, humilitas, feruor ſpiritualis, amor, & charitas erga ſuperiores, ſinceritaſque morum in primæuis noſtris Patribus rigorem illum non putauit talem: nec attendit obſeruantia ſubditorum, quanta eſſet maiorum iuriſdictio. Cùm in aliis etiam rebus, quòd obligati non tenebantur, deuoti, & humiles exequerentur.

Strictiſſimæ quoque paupertatis eorum Monachorum, quibus præfuit ſanctus Theodorus Studita, meminiſſe oportebit, quibus nec ad proprium vſum habere acum eſt permiſſum. In teſtamento ſuo ſic præcipit ſanctus Theodorus ſucceſſori ſuo: *Operam dabis, quæ Collegij ſunt communia teneri, atque indiuiſa cuncta, nihilque priuatim à quoquam ad licentiam, nec acum ſolam.*

Quomodo ſpiritus paupertatis debet retineri ex Philotheo, ſeu Rogerio Londinenſi.

CAPVT XV.

AD exactè obſeruandam ſpiritus paupertatem, audiamus quæ Philotheus in aureo ſuo libello de contemptu mundi, & bono paupertatis dixit. Qui terrenis non indiget, ille diues eſt, etiamſi hæc non habeat; ille enim pauper eſt, qui eget, eo quòd non habet. Nam qui non habens appetit non habere, diues eſt; paupertas quippe inopia mentis eſt, non in quantitate poſſeſſionis: nam cui cum paupertate

Digitized by Google

bene conuenit, non eſt pauper, cùm ſit in Chriſto ditiſſimus. Glorioſum itaque nobis eſt, Chriſti paupertatem & imitari, & amplecti, qui noſtrum caput, cuius nos membra ſumus; qui pro nobis pauper eſſe voluit in terra, vt nos ditaret in cœlo. Pauper erat, quia nos vtique eſuriebat: in tantum quippe eſuriebat, vt quando diſcipuli obtulerunt ei cibos venientes de Samaria, vt manducaret, diceret eis de credentibus Samaritanis: *Habeo cibum manducare, quem vos neſcitis.* Ioan.4. Sicut ergo bonus Dominus noſter per ſuam magnam clementiam eſurit noſtram ſalutem, & vitam; ita & nos populus eius pauperes cum eo ſimus, eſuriendo, & ſitiendo iuſtitiam. Et quomodo pauperes ſæculi, qui vnde viuerent, non præparauerunt ſibi, omni tempore omnibuſque momentis pulſant aures diuitum hominum clamoribus ſuis pro pane ventris, ita & nos pauperes ſpiritu effecti, clamemus iugiter ad Dominum qui eſt ditior omnibus, & ſpretis cunctis mundi diuitiis, pulſemus, pias aures eius, qui eſt diues miſericordia pro pane mentis, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Tales pauperes beati ſunt, tales, ſicut dicit ſanctus Dauid, apud Dominum in obliuionem perpetuam non erunt, & patientia eorum non peribit in æternum. Quomodo enim pauper fidelis in obliuione eſſe poterit, qui die noctuque genuflectit ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui orationibus aſſiduis inſtat, qui gratiarum actionibus ſemper inuigilat, qui benedicere, & glorificare nomen Domini nunquam ceſſat? Quomodo verò patientia pauperis probati peribit, cuius anima fidelis pro Chriſti amore omnia patitur, impugnationes Diaboli, quibus colaphizatur, ſtimulos, & delectationes carnis, quibus vexatur, perſecutiones & angarias mundi, quibus fatigatur, immiſſiones per Angelos malos, quibus exagitatur, phantaſias diabolicas, quibus illuditur. Sed in his omnibus ſuperamus per eum, qui dilexit nos, iſta omnia, & his plura tolerat anima fidelis, & non ſuperatur. Itaque ad paupertatem ſpiritus non tantùm ſpectat omnium bonorum temporalium ſpontanea renuntiatio, ſed malorum voluntaria admiſſio. Bonorum autem æternorum cupiditas maxima, deſiderium, fames, ſitis: nam veri pauperes ſpiritu, dum præ humilitate ſua ſe ſine meritis agnoſcent, aſſiduè mendicantes cœleſtia, ad cœlum pro gratia Dei, & diuini Spiritus eleemoſyna damnant. Idem, ait, ſcriptum eſt: *Factus eſt Dominus refugium pauperi.* illi ſcilicet pauperi, qui in hoc ſæculo verus pauper propter Chriſti amorem eſſe delegerit, nihil penitus amando, quod vel hic viuentem deſerit, aut à moriente deſeritur. Talem pauperem Dominus & facit, & diligit, qui flagellat omnem filium, quem recipit. Tali pauperi cùm fallit omne ſæculum, factus eſt Dominus ipſe refugium. Igitur non debemus habere aliquid in mundo proprium, præter Dominum, partes ſibi faciunt homines in hoc ſæculo, alius argentum, & aurum, alius domos, & familias, alius nomen grande, potentiam, & gloriam; hoc iſte, alius aliud, diuerſi diuerſo modo; pars verò piorum ipſe Deus ſolus. Et nos ſi volumus habere talem partem, talemque hæreditatem, vt eſt Dominus; tales nos oportet exhibere, vt digni ſimus eum poſſidere, & poſſideri ab ipſo. Et ſi cupimus in hæreditatem poſſidere Dominum, vt dixit ſanctus Dauid, *Dominus pars hæreditatis meæ*; nihil debemus habere extra Dominum. nam nimis eſt auarus, cui non ſufficit Deus. Quòd ſi quidpiam aliud quærimus quod ad partes ſæcularium pertineat, cum iſtis partibus pars fieri dedignabitur Deus. In primitiua Eccleſia tanta erat ſpiritualis gratiæ abundantia, vt non ſolùm modico contenti eſſent; ſed etiam hoc ipſum quod nihil habebant, in ſummis diuitiis deputarét. Vnde Apoſtolus ait, *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Hinc quidam vir ſanctus dicit: Sufficiebat nobis paupertas noſtra, vt diuitiæ computarentur. Tob 5. 25. Duo ſunt quæ relinqui oportet propter Deum, facultas ſcilicet poſſidendi, & voluntas habendi. Hinc quod Dominus ait. *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et iterum: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Illud pertinet ad ſubſtantiam, hoc ad voluntatem. Non enim ſufficit exteriorem ſubſtantiam relinquere niſi interiorem abſcondamus concupiſcentiam. Hi etiam qui nihil ſunt foris, magnum quid habent intus, quod relinquere poſſunt propter Dominum, voluntatem ſcilicet habendi; vnde ſcriptum eſt, *Non concupiſces.* Plus enim attendit Deus affectum, quàm ſenſum. Hinc per ſapientiam dicitur, *Præbe fili mi, cor tuum mihi.* Quod vtique fieri non poteſt, niſi priùs reſecetur carnalis affectus. Primùm ergo iubemur habita deſerere, deinde terrena non quærere, vt poſtmodum liberiùs poſſimus ad cœleſtia anhelare. Vnde ſummopere nobis cauendum eſt, ne temporalibus inhæreamus bonis. Qui enim terrena appetunt, cœleſtibus priuantur. Gloriemur in paupertate noſtra; quia ipſe qui diues eſt in gloria ſua, pauper factus eſt pro nobis. Non diuitibus, ſed pauperibus dignatus eſt ſociari. Qui cùm eſſet Dominus cœlorum, pauper eſſe voluit in terris, vt eius inopia ditaremur, & vt terrigenas edoceret, ſpiritum paupertatis acquirere poſſe Regnum cœlorum. Qui per os Dauid dixit, *Quia egenus & pauper ego ſum.* Pſal.108. Audiant hæc pauperes & egentes, & glorioſum ſibi cognoſcant eſſe illud, quod dicit Chriſtus. Quare & nos ſimus pauperes propter ipſum: quoniam pauperibus promiſſum eſt Regnum Cœlorum. Beati igitur pauperes ſunt, qui & à magno onere liberati ſunt; cùm nihil habeant ſæculi, quod amittant, libenter corporis vitam pro gloria immortali commutantes. Eiuſdem Philothei eſt. *O homo Dei, toto animo odi, & damna ea, quæ diligit mundus, vt poſſis mundo eſſe mortuus, & mundus tibi. Contemne viuens, quod poſt mortem habere non potes: ſic enim de neceſſitate poterit fieri virtus.*

Quibus modis paupertatis obſeruatio violetur, ex Humberto.

CAPVT XVI.

OPORTEBIT quoque exhibere imperfectorum characterem Religioſorum in hac paupertatis obſeruantia deficientium, vt in eius propoſita imagine nos metipſos diiudicemus, & damnemus. Heu (ſic lamentatur Humbertus) ſunt aliqui qui bonum paupertatis Epiſt. de 3. votis c.16.

tatis vitiant, nunc poſſidendi deſideriis, nunc verbis inordinatè prolatis, nunc etiam factis in virtutis huius præiudicium demonſtratis. Non nulli ſunt etenim, qui ad ea, quæ profitendo contempſerant, accenſis appetitibus nunc anhelant, obliti quòd apud ponderatorem ſummum, ipſa peruerſa voluntas, prius etiam, quàm ad actum prodeat, condemnatur. E contra, quia quidam Patrum rapere cucumerem concupiuit, in ſole acriter ſe afflixit: vt vexatio talis intellectum ſibi tribueret, & ſic malum deſiderium in ſe temperaret. Hi verò, qui diuitias, quas foris habere non poterant, nunc affectant, ſi veri diſcipuli Chriſti eſſent, per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam, exonerati ab omni impedimento intrare ſollicitè laborarent. Inuenimus etiam interdum quoſdam in quibuſdam rebus, adeò delectari, vt nec ad concedendum fratri petenti velint aliquatenus inclinari. Alij quaternos, vel res alias nituntur à fratrum aſpectu abſcondere, ne poſſint petentibus non negare. Quibus potiùs contemnenda eſſent hæc tranſitoria, & fraternæ charitati omnia poſtponenda. Pudet autem dicere, quòd nonnunquam pro viliſſimis rebus accendimur, vt ſi quis vel digito contrectare præſumat, tam indignatione cordis contra ipſum, quàm verborum inſolentia moueamur. Inueniuntur & alij qui ſic dicunt: Niſi mihi detur licentia hoc, vel illud habendi, nequaquam domum de talibus de cætero promouebo. Sunt & alij, qui ſe tales exhibent, vt Prælatus eis quæ habent auferre non audeat, vel quod ad tempus concedant, iniungere non præſumat, etſi abſtulerit quidquam talium turbationem concitant, & tumultum. Sed quia per talem indignationem in prædictis rebus ius ſibi vendicant, proprietarios quodammodo ſe demonſtrant. Pro his enim nequaquam ſibi turbationem aſſumerent, aliter, niſi vt res illas pro quibus mouentur, ad ſe pertinere aliqualiter iudicarent. Sunt etiam nonnulli, qui & denarios ſine licentia nec accipiunt, nec expendunt: & tamen quia licentiam ſibi denegari nulla ratione volunt, ante Deum excuſabiles non exiſtunt. Alij dum dare, vel accipere volunt, quod deſiderant, inſidiosè Prælati ſui abſentiam expectant, vt à minore Prælato licentiam habere valeant, quam negandam à maiore credunt probabiliter, aut formidant. Iſti quidem apud homines forinſecus excuſari poterunt, ſed apud Deum, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, perfectionis ſemitam derelinquunt. Quidam etiam comeſtibilia, vel potabilia ſibi miſſa, vel ſoli contendunt habere, vel illis quodammodo, quibus placet diſtribuere, nec fratres alios, ſecundùm diſpenſationem eorum, quorum intereſt, participes volunt eſſe. Sicut & alij, quibus authoritas eſt credita, qui Monaſterij res, vel indignis conferunt, aut incuratè perire ſinunt, aut ſuperfluè res expendunt, qui nunquam circa curam ſui reperiuntur prodigi; ſed quoad alios ſatis parci. Hi ſi certè aduerterent, quòd eleemoſynæ ſunt pauperum quibus viuunt, eas cum magna timoris, & reuerentiæ prouidentia, æqualiter diſpenſarent.

***

Ex regula ſancti Cæſarij commendatur paupertas.

Capvt XVII.

Renvntianda itaque omnia nobis ſunt, & magna, & minima, atque exactè cuſtodienda, paupertas amanda & quærenda tanquam mater noſtra, tanquam Religionis murus, tanquam cœleſtis opulentia, tanquam penus meritorum, tanquam ablatio impedimentorum perfectionis, ad quam tenemur, tanquam inſigne diſciplinæ ſpiritualis. Propter illud (inquit ſanctus Cæſarius in ſanctimonialium regula) quod Dominus ait: *Si quis non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc.14. Et illud: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Matth.16. Qui ſemetipſum ſibi iuſſus eſt abnegare, qua fronte præſumit ſibi aliquid de impedimentis mundi iſtius reſeruare? & non magis quod ſcriptum eſt contremiſcit, quia impedimenta mundi fecerunt nos miſeros? Et illud Apoſtoli diligenter attendite. *Volo*, inquit, *vos ſine ſolicitudine eſſe. Et hæc fideliter obſeruans ſecura conſcientia dicat: Mundus crucifixus eſt mihi, & ego mundo.* Gal.6. Et illud, *Omnia arbitratus ſum vt ſtercus, vt Chriſtum lucrifaciam.*

DOCTRINA III.

DE PAVPERTATE conuenienti operariis Euangelicis.

Eximia paupertas & humilitas Euangelicorum operariorum ad exemplum ſancti Pauli.

Capvt XVIII.

Illvd monitum ſeorſim commendandum iudicaui, propter excellentem in eo paupertatis ſpiritum, quo præſcribitur ſpiritualia miniſteria gratis omnino exhibere. *Omnes* (inquit ſanctus Ignatius Parens noſter) Reg.27. *qui ſub obedientia ſunt Societatis, meminerint ſe gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec poſtulando, nec admittendo ſtipendium, vel eleemoſynas vllas, quibus Miſſæ, vel Confeſſiones, vel Prædicationes, vel quoduis aliud officium ex iis, quæ Societas iuxta noſtrum inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur: vt ſic maiori cum libertate poſſit, & proximorum ædificatione in diuino ſeruitio procedere.* Magnum huius paupertatis exemplum Apoſtulus exhibuit ſuis manibus, & ſudore

ſudore victum comparans, quamuis interdum fame valde afflictus, ne ab iis quibus verbum Dei impertiebatur, aliquid acciperet. Theſſalonicenſes ſic alloquitor:

1. Theſſ. 2.

Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt. Nec quærentes ab hominibus gloriam; neque à vobis, neque ab alijs. Cum poſſemus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli; ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Quibus verbis ſatis oſtendit eximiam paupertatem, & modeſtiam, quibus miniſterium prædicationis gratis omnino, & abſque vllo Chriſtianotum onere exercuit, oon dicit tantùm ſine adulatione, qua condeſcendentes populis Pſendo-Apoſtoli eorum gratiam, licèt ſibi largiantur, comparant. Nec dixit tantùm ſine auaritia, ſed etiam ſine occaſione auaritiæ, tam procul erat, vt non videretur gratis omnia facere; namqoe vt oulla occaſio, aut ſpecies auaritiæ in ſuo miniſterio appareret, atqoe vt nulli oneri eſſet, cum ſummo labore, & fatigartooe, die & nocte operabatur Apoſtolus, vt ſudore ſuo aliquod lucrum, quod ſufficeret tenui ſuſtentationi, acquireret, quam licèt non acquireret, malebat fame mori, quàm occaſionem auaritiæ, aut offendiculum alicui exhibere. Sæpe enim deficiebat illi veſtitus, & ambolabat ſeminudus. Sæpe cibus, & quod mirum eſt, quid biberer. Ac ſuſtinebat famem, & eſuriem, & nuditatem, ne ab aliquo aliquid acciperet: ipſe quippe dixit,

1. Cor. 15.

& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus. Vnde S. Chryſoſtomus ait:

Hom. 4. de laud. Pauli.

Quid dico pecunias? cùm ille ſæpe neceſſarium quidèm non haberet cibum, nec quo ſe circundaret indumentum. Nihilominus in animi ſui propoſito perſiſtebat, gratis miniſteria Apoſtolatus ſui exhibendi. Erat enim Paulus inter eos, quibus prædicabat, non vt Apoſtolus, ſed vt paruulus & minimus omnium humillimè ſe gerens: ipſe alibi dixit.

Ibid.

Numquid peccatum feci, me ipſum humilians, vt vos exaltemini; quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis. Paruulum ſe faciebat magnus ille Apoſtolus, ne acciperer aliquid temporale, vt verò donaret ſpiritualia, nutrix, & mater erat, quæ fouet filios ſuos gratis, atque è viſceribus ſuis, & ſanguine illos alit. *Talem*, inquit ſáctus Chryſoſtomus, *oportet eſſe Doctorem. Num adulatur nutrix, vt gloriam inde acquirat? Num pecunias à paruulis exigit filiolis? An moleſta illis eſt, & onerosa? An non matribus blandiores ſunt? Amoris hic affectum exprimit. Sic propenſo* (inquit) *& cupido in vos animo, itaque vobis deuincti ſumus. Et non ſolùm nihil accipimus, ſed ſi opus eſſet, animam quoque tradere, nihil detractemus. Hoc igitur, dic quæſo, animi eſt humanitus affecti? Et quis ita deſipit, vt hoc dicat? Cupiebamus*, inquit, *tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed & noſtras ipſorum animas. Hoc itaque illo maius eſt. Et quid profuerit? Nam ab Euangelio quidem profectus eſt. Animam verò dare difficultatis gratia maius eſt illo. Non enim perinde eſt prædicare, & animam dare. Illud namque pretioſius quidem, hoc verò maioris erat difficultatis. Cupiebamus quidem, inquit, ſi licuiſſet, & animas noſtras veſtri gratia effundere.*

Quin & honorem Apoſtolo digoum recuſabat Paulus, omnem fugiens fidelium comitatum, & reuerentiam ſibi exhibendam, *Neque gloriam*, inquit, *ex hominibus quærentes, nec à vobis, nec ab alijs, cùm poſſemus graues eſſe tanquam Apoſtoli Chriſti.* hoc eſt, neque honores quærentes, nec iactabondi, aut magno comitatu ſtipati. Quanquam etiamſi hoc feciſſemus, nihil feciſſemus alienum. Si eoim qui Regum ſunt Legati, quales quales fuerint, io honore tamen ſunt, multò magis nos. Et non dixit, ignominioſè tractati ſumus: neque dixit, honore nullo apud vos potiti ſumus, id quod exprobrans illis feciſſet; ſed *non quæſiuimus*, inquit. Quid ergo, cùm quærere liceret, idque prædicatione Euangelij hoc exigente non quæſiuimus, quo gloriæ gratia quidquam facimus? Tametſi etiamſi quæſiſſemus, neque ſic tamen culpabile quidquam deſignaſſemus. Decet enim eos, qui à Deo mittuntur ad homines, taoquam ex ipſo iam cœlo legatos venientes, multo potiri honore. Nos verò vt abundè cauti ſimus, nihil horum facimus, quo aduerſariorum ora obſtruamus. quod optimè dixit S. Chryſoſtomus.

Habemus in noſtra Societate qui hanc paupertiem, & humilitatem, & ſolicitudinem Apoſtoli ſunt imitati. Vnum tantùm producam Apoſtolicum virum Andream Ouiedum, adhuc poſtquam Epiſcopalibus infulis decoratus fuit, quem cùm Henricus Cardinalis, poſtea Luſitaniæ Rex poſtularet, vt Eborenſem Diœceſim luſtraret. Vnum ſibi dumtaxat, eumque ex Societate, itineris comitem ſeligit, & vile accipit iumentum, quo ferre libros aliquot, & quandoque ſuam ac ſocij laſſitudinem leuare poſſit. Valde laboratùm ab Henrico eſt, vt mulas & equos acciperet, atque famulantium comitatum, qui videretur Epiſcopum decedere. Adeò rei vtrique firmus reſtitit, vt mitiſſimus Princeps, tum ne chariſſimum ſibi hominem, quem ob ſanctimoniam vitæ ſummopere ſuſpiciebat, aliqua moleſtia afficeret, tum vt ſingulari nooi Antiſtitis exemplo memoriam refricaret Pontificum eorum, quos Chriſti Eccleſia, cùm ab ortu ſuo progrediens fœliciter adoleſceret, ſanctiſſimos habuit, & iotegerrimos, omni cohibita violentia tam piæ tandem conſtantiæ cedeodum putauerit. At vt aliquis eſſet, qui teſtificaretur miſſum à ſe ad conferendum Chriſma, quique conferenti miniſtraret, vnum illi adiunxit Capellanum, cui etiam ſecretò præcepit, daret diligenter operam, ne vlla illa in re Epiſcopo deeſſet, nevè aliter illi, quàm ſibi ipſi, vbi opus eſſet, famularetur. Hinc inter Andream, & Capellanum aſſidua quædam erat, ſed vtraque ex parte pia, atque laudabilis conteotio, ac propè diſſidium. Capellanus Epiſcopum præire, hortari populum, vt venientem exciperet, Eccleſiaſticos, vt domum ab officiis redeuntem comitarentur; commodum illi hoſpitium, & neceſſaria ad victum præparare. Andreas contrà nihil horum pati, nihil vel honoris, vel commoditatis admittere; ſocium monere, vt homines doceat, dum cum ipſo loquentur, à ſplendidis titulis, & ab omni honorifica appellatione abſtineant, ſatis eſſe veluti ſimplicem Sacerdotem reuerentiæ ipſum vocabulo appellare. Vicit in omnibus inuicta Epiſcopi modeſtia;

ſtia ; toto enim in itinere nunquam ephippiato equo,vel mulo,aliquoties clitellato iumento defatigationis leuandæ vſus eſt. Nunquam permiſit aut ſolemni pompa (vti ſolet) venientem ſe excipi,aut ad diuerſorium redeuntem à clero deſerri. Ad communia ſemper diuertebat pauperum Xenodochia ; cum pauperibus ſemper ſumebat cibum ; neque vllus vnquam aut tam vilis, aut tam ſordidus ab ipſo habitus , quem indignum æſtimaret , qui in eadem ſecum menſa aſſideret. Neminem , ne temporis quidem puncto, coram ſe aperto capite eſſe patiebatur , cùm apud animum ſuum tanti omnes faceret,vt nulli ſe crederet anteferendum. Diebus ſingulis priuſquã exiret è loco, in quo noctu fuerat, rem diuinam faciebat : toto deinde itinere effundendis precibus, & diuinis rebus meditandis occupabat animum ac tempus. Eos , ad quos diuerterat,antequam abiret,mercedis loco ad rectè viuendum breui ſermone hortabatur , optimis conſiliis aduerſum ſcelera muniebat, ad excitandum in animis ſtudium pietatis aliquot deprecariunculas edocebat. Quodam in oppido magnopere laborabant primates quidam , vt ad hoſpitium diuerteret,quòd ipſi , vt in tali loco , magnificè apparuerant ; cùm firmiter reſiſteret , & pernegaret alibi ſe , quàm cum pauperibus habitaturum;mirari illi , atque etiam dicere , non ſolere Epiſcopos in huiuſmodi verticulis hoſpitari. At ego, inquit,ſcio,Xenodochium eſſe locum valde honeſtum , & ſplendidum , cùm domicilium ſit ſanctiſſimæ paupertatis , cuius hoſpitio conditor ille rerum,cùm ad homines homo venit , excipi voluit. Sed age , demus vobis ad hæc communia mendicorum hoſpitia non ſolere Epiſcopos diuertere ; quid obſecro vel publicæ rei , vel priuatæ cuiuſpiam damni erit , ſi ab vno me hæc incipiat conſuctudo? Obmutuere nobiles illi viri,non ratione magis , quàm Epiſcopi modeſtia victi. Aliquando ſub noctem ad oppidulum quoddam ignotus peruenit. Is , qui Xenodochio præerat, affirmabat lectum ibi non eſſe, in quo poſſet quieſcere,pergeret proinde aliò, non defuturum ipſi locum commodiorem. De lecto,ioquit,nulla tibi cura ſit , quando alibi non potero , inter ipſos ero mendicos,nam & ego vnus ex illis ſum. Non dixit tantùm,ſed etiam fecit ; cum illa enim hominum fæce , vili , ac ſordido tectus ſtragulo , humo pro culcitra, librorum ſarcina pro ceruicali vtens , noctem integram lætus tranſegit. Alio loco,vbi quoque ignotus erat , nullis precibus impetrare à Xenodocho poterat , vt admitteretur. Inſtabat ſupplex , capite aperto , ſe quolibet exiguo domus angulo eſſe contentum , nec velle ampliùs , ſi hoſpitium illud ad recipiendos pauperes eſſet inſtitutum , ſe pauperem eſſe ; ſi lectus deſit , poſſe ſe in rudi tegere , vel etiam nuda humo cubare ; ne cui verò faſtidio , aut in re vlla impedimento ſit, diligenter operam daturum. Dum ſic Andreas tenebroſo iam, ac pluuio cœlo cum Xenodocho ageret , manu vna pileum,altera iumenti capiſtrum tenens, quidam acceſſit,cui à Capellano præparandæ domus impoſita cura erat. Hic leuiter primum hoſpitio Epiſcopum inuitare ; deinde repugnantem vrgere ; tandem omni rationum , & precum ope vti , vt in præparatam domum illum pertrahat. Sed nihil effectum. Obtinuit Andreas , quem optabat, inter pauperes locum pro quo non illud dumtaxat hoſpitium , ſed magnificatiſſima Regum palatia flocci pendebat. Cùm iam Tranſtaganæ Regionis non exiguam partem hoc modo perluſtraſſet , Princeps Henricus , ad quem & multorum literæ, & longè , latéque vulgata per eam Prouinciam fama rem omnem detulerat,reputans haud æquum eſſe , tantum virum labore tanto , tantiſque incommodis ſua cauſa vexari, vnum mittit ex ſuis,hominem induſtrium, & rei peritum , cui ſtrictè mandat , vt inuito etiam, ac repugnanti paret , & ſubminiſtret omnia , quæ non modò neceſſaria , ſed etiam commoda videbuntur ; nec omnino patiatur, vel in re minima quidquam ipſi euenire , quod Pontificiæ dignitati,& Andreæ meritis conſentaneum non ſit. Præſtò ſe homo ante Epiſcopum ſiſtit,& cur veniat , quæve ſit Principis ſui voluntas , exponit. Sed neque hac ratione quidquam efficitur. Affirmat Andreas non aliter ſe , quàm vt antè egerat,deinceps acturum ; fruſtrà ergo de ſe eſſe ſollicitum , neque vllam maiorem ſibi ab eo poſſe moleſtiam inferri , quàm ſi ſua cauſa vllam ſuſcipiat moleſtiam : non eſſe putandum, velle Henricum , vt ipſe ab inſtituto ſuo recedat , pluſve corpus curet , quàm animum , aut ſuæ potius, quàm communi vtilitati,& Dei honori deſeruiat; haud par eſſe credere,æquiſſimo Principi gratum fore, vt oblatam ſibi de Deo , deque hominibus benemerendi materiam , aut omnino tollat , aut aliqua ex parte imminuat. Itaque ſi ſibi commodè eſſe velit , deſinat de ipſius commodis cogitare. Hac Ouiedi oratione ſic obſtructum hominis os,& ligatæ manus,vt non ſit auſus quidpiam amplius hac de re mutire, aut agere. Admiratione igitur obſtupefactus ad Henricum redit, ſanctiſſimi viri conſtantiæ , & virtutum reliquarum aſſiduus prædicator.

Cauſæ, cur S. Paulus noluerit accipere alimenta,ſed gratis miniſtrauit Euangelium.

CAPVT XIX.

SANCTVS Paulus Corinthios monens, quàm ſint cauenda proximorum offendicula,ſcripſit ſe ſtipendia,ſeu alimenta multis debita nominibus præconi fidei, admittere noluiſſe,non ſolùm maioris meriti,ſed & ædificationis cauſa. ſic illos alloquitur. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi , & bibendi. Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi , ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini , & Cephas ? Aut ſolus ego & Barnabas , non habemus poteſtatem hoc operandi? Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam ? Quis plantat vineam,& de fructu eius non edit ? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat ? Numquid ſecundùm hominem hæc dico ? An & lex hæc non dicit ? Scriptum eſt enim in lege Moyſi : Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe qui arat , arare ; & qui triturat , in ſpe fructus perci-* 1.Cor.9.

piendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alÿ potest.us veſtra participes ſunt, quare non potius nos? Sed non vſi ſumus hac poteſtate; ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ÿs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio. Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. In hoc ſermone palàm fecit Apoſtolus, quàm purè miniſterium ſuum egerit: nam cùm licitum illi eſſet, & ius eorum, quibus prædicabat, ſumptibus manducandi, aut pariter circumducendi ſecum aliquam honeſtam matronam Cbriſtiaoam, quæ Paulo ex ſuis facultatibus neceſſaria ſubminiſtraret, ſicut circumducebant cæteri Apoſtoli etiam fratres Domini Iacobus, Iudas, Ioannes, quin & ipſe Apoſtolorum, & Eccleſiæ Princeps Petrus, imò & ipſe Chriſtus, cui miniſtrabant omnia neceſſaria mulieres quæ cum ipſo aſcenderant de Galilæa. Cumque omni ratiooe, & omni iure naturali, ſcripto, & diuino, Prædicatores, & animarum Patres debeant ſuſtentari ab iis quorum ſalutem æternam, & vitam ſpiritualem ſolicitant. Nihilominus, etſi alij hoc vterentur iure, quod habent accipiendi alimoniam, noluit eo vti Paulus, ſed potiùs incommoda omnia, labores, & neceſſitates, quæ inde emergerent, ſuſtinere, vt nullnm Euangelio offendiculum daret. Neque libertate, & illo iure ſuo vſus ſcandalizaret gentes, & anſam auarus præberet obloquendi, vel repugnandi Euangelio, atque in vulgus ſpargendi, non tam animas, quàm theſauros à ſe quæri. Hæc puritas eximiæ paupertatis, & abalienatio totius lucri tantæ æſtimationis fuit apud Paulum, vt gloriam ſuam illam appellet, & vitæ ſuæ illam præferat; ait enim citato loco. *Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me, bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Gloriam meam* (explicat Anſelmus) *quam pro hac abſtinentia habere volo in Chriſto apud Deum, compatiens infirmis, dum nihil ab eis ſumo.* Et ſanctus Chry-
Hom.22. ſoſtomus. *Ne quis dicat, eum quidem hoc facere, ſed non lætum, verùm gementem, & mærentem, volens ſummam oſtendere lætitiam, & animi alacritatem rem appellat glorationem; tantum abeſt, vt ſit mæſtus, vt etiam glorietur, & malit mori, quàm amittere hanc glorationem; ita quod fiebat, erat ei vita dulcius.*

Hoc fecit Paulus, non ſolùm ædificationis cauſa, ſed ſpe maioris gloriæ. *Si enim*, inquit, *volens hoc ago, mercedem habeo*; ac ſi diceret: Si euangelizo volens. Secuodùm Græcum eſt *ſponte mea*, ſeu citra præceptum Chriſti, nempe liberaliter, & gratis; mercedem mihi repoſitam habeo, non qualemcumque (vt alij, qui non gratis euangelizant,) ſed copioſam, & excellentem. Si autem euangelizo inuitus, non mea ſponte, non liberaliter, non gratis, ſed ſolùm præſto, quod præcepto Chriſti cogor præſtare; carebo illa ſingulari gloria, & mercede excellenti. Et licèt ſatisfaciam muneri meo, & præcepto Domini mei; mihi ipſi tamen malè conſulo, quòd cùm poſſim, nolim ſupremam gloriam, & mercedem mihi comparare. Diſpenſatio enim mihi, ſeu fidei meæ, planè, & plenè credita eſt à Domino meo; vt ſi velim, poſſim ſupremam mihi gloriam, & mercedem comparare, nec id ab alio, quàm à me ſolo dependet. Sic non abutar poteſtate mea, id eſt, non minus rectè, & vtiliter illa vtar, quàm commodè poſſim: & (ſi maximum bonum tam meum, quàm Domini mei amem) etiam quodammodo debeam: neque enim defraudabo meipſum ſuprema gloria & mercede, quam ſi velim, poſſim nanciſci: neque remoram ponam curſui Euangelico, vnde maior meſſis, & vberior fructus accedet hero meo. *Abuti* ergo hîc ſumitur non abſolutè, ſed reſpectiuè, vt idem ſit, quod minus bene vti, quàm quis poſſit, non quàm abſolutè debeat. Ita ferè ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, OEcumenius, & Anſelmus, ſanctum Paulum interpretati ſunt. Addit deinde Paulus, quod vim ſuæ charitatis, & humilitatis, & paupertatis in gerendo Apoſtolatu magis oſtendit, *& cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Iterum hoc loco, inquit Chryſoſtomus, aliam ponit ſuperiectionem. Magnum quidem non accipere eſt, ſed quod dicendum eſt, longè eſt illo maius. Quid autem eſt, quod dicit? Non ſolùm non accepi, inquit, neque ſolùm non vſus ſum poteſtate hac: ſed ſeruum me feci, & ſeruiturem variam, & multifariam ſeruiui. Non enim in pecuniis tantùm, ſed quod longè pecuoiis maius eſt, in rebus multis, & variis hoc ipſum oſtendi, & ſeruum me ipſum feci, quum nulli ſubditus eſſem, & nullius haberem neceſſitatem: hoc autem ſignificat illa particula, *quum liber eſſem ex omnibus*; neque vni ſeruiui, ſed vniuerſo orbi terrarum. Quare ſubdidit, *omnium me ſeruum feci.* Nam præceptum erat tantummodo prædicare, & adnuntiare quæ ſunt concredita: innumera autem aggredi, & conſiderare, iam mei ſtudij fuit. Itaque abiicere dumtaxat argentum debere me arbitrabar: ego autem vt exigerem, omnia faciebam, iterum ſupra quàm mihi præceptum eſſet, aggreſſus. Nam quum voluntatis promptitudine, & charitate in Chriſtum omnia feciſſet, non expleuit cupiditatem ad ſalutem hominum conſequendam. Quare ex multa abundantia tranſcendit aggeres, in omnibus ſupra ipſum cœlum proſiliens, & ſuam memorans ſeruitutem.

In epiſtola ſecunda ad Theſſalonicenſes aliam ſuæ paupertatis, & laboris aſſignat cauſam, ſcilicet, vt bonum exemplum præberet aliis, dicens: *Ipſi enim ſcitis quemadmodũ oporteat imitari nos: quoniam non inquieti ſumus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore, &*

in

in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem: ſed vt nos metipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantes, in quiete, nihil operantes, ſed curioſè agentes. Ijs autem qui eiuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. His igitur tribus cauſis maioris ædificationis, & meriti, & exempli eximiam illam paupertatem coluit Apoſtolus gratis euangelizandi. Sicut ergo Societas Paulum in miniſterio conatur imitari, ita etiam in hoc genere perfectionis illum imitari eligit, ne quod offendiculum Chriſti Euan-
Hom. 21. in 1. ad Corinth. gelio ponatur, id eſt, (vt Chryſoſtomus loquitur) ne quamlibet protelationem & dilationem afferamus curſui Euangelij. Hoc enim offendiculum etiam hodie timeri poſſet, vel prædicando gentibus, vel hæreticis repugnando, vel certè fideles Catholicos inſtruendo, & excitando, ſi ob temporale aliquod commodum hæc fieri viderent, ac de ſtipendio tractari. Fortaſſe etiam ipſimet miniſtri Euangelij minorem haberent libertatem ad reprehendenda vitia, minoremque ad perſuadendum efficaciam, ſi aliquam recompenſationem ab his, quibus inſeruiunt, acciperent: vt ergo curſus Euangelij in nullo impediri poſſet, peculiarem hanc obſeruantiam inter alias Religiones Societas tenet; neque omnino ſingularis in hoc eſt. nam fratres minores Recollecti etiam hoc obſeruant, vt pro
Quæſt. 15. ad cap. 4. ſua Regula. Miſſis eleemoſynas, ſeu pitannias (vt vocant) non accipiant, vt refert Corduba, quamquam ipſi, solùm intuitu maioris puritatis in paupertate ſeruanda, id faciant; nam, vt ibidem re-
Lib. plag. tit. 10. plaga 1. fert ex libro plagarum, maxima Ordinis, & puritatis regulæ iactura, ſub prætextu Miſſarum, & eleemoſynarum, Diabolo procurante, & hominum fragilitate, cupiditate, & ignorantia introducta eſt. Non tamen obſtant dicta quominus interdum expedire poſſit viris Apoſtolicis ſumere victum à deuotis cùm offendiculum ceſſaret, & nulli moleſtiam darent; nam ipſe ſanctus Paulus ſic faciebat, prout ipſe teſtatur, di-
2. Cor. 11. cens: *Cùm eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui. nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia, & in omnibus ſine onere, me vobis ſeruaui, & ſeruabo.* Hæc ſatis de pauperie ſpiritus; ad munditiem carnis nunc procedamus.

***

DOCTRINA IV.

DE CASTITATE.

Caſtitatem tanquam cæleſte donum detulit Chriſtus Ieſus de cælo ad terram, vt redderet homines Angelos.

CAPVT XX.

IN die illa proteget Dominus habitatores Hieruſalem, & erit, qui offenderit ex eis in die illa, quaſi David, & domus Dauid quaſi Dei, ſicut Angelus Domini. *Zach. 12.* Sanctus Propheta Dauid miratus hominis dignitatem, diuinamque beneuolentiam erga ipſum hominem, cùm proximum Angelis eum fecerit, hoc eſt, paululum illis minorem, quam dignitatem, & gloriam maximam putauit. *Quid eſt homo*, inquit, *quia memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum, minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum.* Et quidem magna gloria, & honos humani generis pro illo legis ſtatus erat, minorem Angelis eſſe. Nunc autem poſt deſcenſum filij Dei ad nos, aſcendit humana dignitas ad æqualitatem Angelorum; non quidem paulo minor eſt noſtra gloria, ſed par Angelicæ, quod præuidit ſanctus Propheta Zacharias; atque inter fœlicitates, quas vaticinatur, de ſtatu gratiæ & fœliciſſimo, atque aureo Euangelij ſæculo, quo tempore tam multis, & admirandis priuilegiis populum ſuum prærogauit Dominus, propter dilectiſſimum filium, iam pro nobis paſſum, & mortuum, non minimum locum habet Angelica è cœlo vita delata nobis, vt cœli ritu, & moribus viueremus. In die illa prædicit Zacharias. In die nimirum ſolemnitatis, & lætitiæ, & gratiæ, cùm filius Dei noſtram aſſumpſerit naturam. Sic fauebit, & proteget Deus Hieruſalem ſuam ſanctam Eccleſiam, vt imperfectos faciat Sanctos, ſicut Dauid: Sanctos autem ſicut Dauid promouebit ad Angelicum, & penè diuinum ſtatum, qui quaſi Dei fient, velut Angeli, homines nimirum diuini erunt, mundi, & ſpirituales, imò toti ſpiritus ſicut Angeli, in qua promiſſione nouum aliquod bonum ſignificat Propheta in Eccleſia Dei euenturum, quo Synagoga caruit. Quod nam iſtud niſi virtus eximiæ caſtitatis, ſeu virginitas, quam filius Dei nouo commendauit exemplo, atque conſilio, & eos, qui non nubent, nec nubentur, futuros dixit, ſicut Angelos Dei. Etenim ille Dominus, qui Patrem habuit in cœlis virginem, cùm in terris naſciturus erat, voluit quoque virginem Matrem habere; cumque ſpiritus Angelicos in cœlo haberet aulicos, & ſatellites ſeruos, in terra quoque Angelicos milites, & comites quæſiuit, Angelicam

inſtituens vitam. Sicut ſanctus Hieronymus dicit. *Nonne caſtitas vita Angelica eſt ſine corporis cura, expedita, & libera, & pura? Traſcendit ſiquidem homo carneus, & luteus, ad ſtatum Angelicum, dum beneficio caſtitatis ſingularis ſit naturæ, ſicut ſpiritus cœleſtes ſunt.* Optimè ſanctus

In laud. Baſilij. Gregorius Nazianzenus dixit. *Eximia res eſt virginitas, & cœlibatus, atque in Angelorum natura ſingularis ordine debet cenſeri: vereor enim dicere, Chriſti, qui cùm propter nos procreatos procreandus eſſet, ex virgine procreatur, virginitatem lege præſcribens, vt hinc abducentem, ac mundum contrahentem, vel potiùs mundum ad mundum transmittentem præſentem, nimirum ad futurum.* Iure igitur caſtitas pares Angelis homines reddit, quos ſingulares naturas, ſicut Angelos facit, & proinde immortalitate dignos, abducitque ab hoc mundo, ſiue in hoc mundo repræſentat illis cœleſtem, & Angelicum futuræ vitæ ſtatum. Venerat filius Dei ad annuntiandum nobis inuitandumque ad gloriam, & conſortium Angelorum in vita æterna. Ideo experimentum eius vitæ nobis in caſtitate exhibuit, quam propterea

In carm. de rebus ſuis. vocauit idem ſanctus Gregorius Nazianzenus, futuræ vitæ primitias, ſeu æterni ſæculi præludia; quemadmodum enim mercatores mercium ſuarum præbent experimentum, vt ſic inuitent emptores: eodem modo Chriſtus, qui venale cœlum nobis propoſuit, ſpecimen aliquod illius in virginitate exhibuit. Hinc eſt, quòd ſancti Angeli permittebantur adorari ab Abrahamo, & aliis veteris Teſtamenti Patribus, quos nondum æquales ſibi per virginitatis dignitatem agnouerant. At poſtquam filius Dei vſum cœli ad terram detulit, introduxitque in hac lachrymarum valle Beatorum virtutem, iam reſpiciunt ſancti Spiritus caſtus & virgines homines, non vt paulo ipſis minores, ſed vt æquales, & conſeruos. Idcirco à virgine Ioanne recuſauit Angelus adorari, agnoſcens in illo æqualitatem ſui ſtatus, quem purum noſcebat virginem.

Itaque virginitas gloria Euangelij eſt inuentum cœli, ritus Angelorum, donum Ieſu Chriſti, bonum cœleſtis conuerſationis. Oportebat ſiquidem Rex cœli ad noſtras peregrinatus partes deſcenderet, quod eximium in cœlis eſſet, inde deferret. Nam & Regina Sabâ ex ſuo Regno ad Iſraëliticum profecta, multa attulit quibus Iſraël carebat: quidquid enim Arabia eximium, & ignotum Palæſtinis habebat, ſecum tulit pro ſui aduentus celebritate, & maieſtatis honore. Ita etiam cœleſtis Rex, quod in cœlo præſtantiſſimum erat, ſecum detulit, vtque magis commendaret illud in ſua, & matris ſuæ dedicauit perſona. Nam quemadmodum ſanctus Am-

Lib. 10. ep. 81. broſius dixit, *Speciale ſibi donum virginitatis Chriſtus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipſe repræſentauit, quod elegit in matre.* Quod magis nouum viſum eſt in Palæſtina, balſami planta fuit odorifera, & contraria corruptioni, quam Regina Arabiæ è ſuo deportauit Regno, & deinceps Iudææ communis facta fuit. Caſtitas quoque cœleſtis balſamus eſt, virtus aromatica, ſuauitate plena, & incorruptionem largiens, quæ cùm cœli propria ſit, iam in terra poſtquam filius Dei illam detulit, frequens, & vſitata eſt. Sicut enim è terra accepit IESVS paupertatem; ſic è cœlo tradidit caſtitatem. Nihil pretioſius in terra erat, iuxta ſanctum Bernardum, paupertate, quam filius Dei de noſtra miſeria ſumpſit. Quare & quod pretioſiſſimum in cœlis erat, de ſua beatitudine donauit, noſtramque ſalutem, ſuamque beneficentiam per caſtitatem initiatus. Amemus igitur hanc virtutem, & magni omnino faciamus, quoniam Ieſu Chriſti donum ſingulare eſt, è cuius manu etiam cum gratitudine, & amore flagella ſuſcipere deberemus, quanto minus reſpuere, quod ipſe tantum putauit donum, vt dignum ſua maieſtate reputaret. Parum eſt præ vita amare vitalem & cœleſtem iſtam virtutem, quam ipſe qui eſt vita æterna, nobis inuenit, & commendauit exemplo. Audiamus quid Albertus Magnus dicat, exaggeranter quidem, quo pacto ampléctenda, & amanda ſit hæc virtus Chriſti. *Verè*, inquit, *caſtitatem amat, qui potius per caſtitatem virginalem, & ſi poſſibile eſſet, modicam eligeret gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, propter conformitatem Ieſu Chriſti, quàm ſi mereri poſſet gratiam, & gloriam maiorem propter debitum coniugale.* *Cap. 6. ca- rad.* Adeò incomparabile bonum caſtitatis eſt, vt meritò Sapiens dixerit. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis anima.* *Eccli 26. 20.* Et Sulpitius ait. *Beata ſpecies, & Deo digna; nihil enim virginitati eſt comparandum.*

Admirationes & ſententiæ Patrum de caſtitatis excellentia.

CAPVT XXI.

QVID ſi deſpiceremus alias huius virtutis vtilitates; nouit enim Dominus quid per ſuum aduentum terris communicabat, de cœloque donabat nobis illud eligens donum, in quo multa, imò innumerabilia clauderentur. Sunt enim diuina munera artificioſiſſima, vt millia in vno comprehendantur. Et hoc ſignum eſt excellentiæ huius virtutis, & doni, multas virtutes, multaque dona continentis. Sancti qui cœleſti lumine docti fuerunt, aliqua auſi ſunt narrare, puritatis demirati decus, atque operæ pretium erit tranſcribere nonnulla, vt antequam aliis rationibus monſtremus dignitatem & fructus caſtitatis, authoritate illam confirmemus. Non minimam ſanctorum Patrum dicta tantæ ingerent virtutis opinionem, quam tanti videntur feciſſe, & ſe erga illam oſtendunt affectos. Sanctus Ephrem miratus eius præſtantiam, & quaſi attonitus, correptuſque eius amore, ſic exclamat. *O caſtitas cui abominationi ſunt delitia, venuſtas corporis, & ornatus veſtium.* *Tom. 1. ſerm. de caſt. lib. de virginit.* *O caſtitas, dapibus, atque epulis, ebrietatique inimica. O caſtitas oculorum frænum, quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfers. O caſtitas, quæ carnem caſtigas, & in ſeruitutem redigis, ac cœleſtia velociſſimè penetras. O caſtitas mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio. O caſtitas quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilarique aſpectu. O caſtitas, quæ homines Angelis ſimiles reddis. O caſtitas, quæ Dei amicum ita exaltaſti in patria externa, vt & eos qui emerant ipſum, redimeret. O caſtitas donum Dei, benignitatis, diſciplinæ, cognitionis, atque ſcientiæ plena. O caſtitas portus tranquillus in ſumma pace ac ſecuritate conſtitutus.*

tur. O caſtitas cœleſtis prudentia, & ſancta prædicatio. O caſtitas, quæ cor poſſidentis te lætificas, & animæ ad cœleſtia alas adiungis. O caſtitas quæ ſpiritale gaudium paris, & mœrorem aufers. O caſtitas, quæ malum odio habes, & bono adhæres. O caſtitas, quæ paſſiones minuis, & animum perturbationibus liberas. O caſtitas, quæ iuſtos illuminas, & Diabolo tenebras offundis, celerique curſu, ad brauium ſupernæ vocationis, in Chriſto contendis. O caſtitas quæ pigritiam depellis, & patientiam affers. O caſtitas, onus leue, quod in aquis non ſubmergitur, æternæque diuitiæ in anima hominis Chriſtum amantis recondita; quas qui poſſederit, in tempore neceſſitatis inueniet. O caſtitas pulchra poſſeſſio, quæ à feris non vaſtatur, & ab igne non comburitur. O caſtitas quæ in manibus haud pœnitendas contines diuitias, deſidiamque fugas. O caſtitas currus ſpiritualis, poſſeſſorem ſuum in ſublime euehens. O caſtitas, quæ in manſuetorum, & humilium animis habitas, hominesque diuinos efficis. O caſtitas quæ roſæ inſtar, in medio animæ, & corporis, flores, vniuerſamque domum odoris fragrantia reples. O caſtitas Præcurſor, atque cohabitator Spiritus ſancti. O caſtitas, quæ Deum placas, eiuſque promiſſa perfers, & apud quoſcumque homines gratiam inuenis. Hanc Sancti cuncti amarunt. Hanc ſanctus Ioannes Euangeliſta amplexus eſt, amplectendoque ſuper pectus Domini gloriæ recumbere meruit. O caſtitas, quæ non à virginibus ſolùm, ſed & ab iis, qui ad pœnitentiam conuerſi ſunt, poſſideris atque excoleris. Hanc ergo nos quoque ſerui benedicti Saluatoris toto pectore diligamus, complectamurque, vt inhabitantem ſpiritum Dei in nobis gaudio perfundamus. Eadem cum admiratione exclamauit ſanctus Athanaſius. *O virginitas opulentia indeficiens, corona immarceſcibilis, templum Dei, domicilium Spiritus ſancti, margarita ſpecioſa, vulgo inconſpicua, gaudium Prophetarum, gloriatio Apoſtolorum, Angelorum vita.* Tot ſunt caſtitatis commoda, tanta eius præſtantia, vt ij ipſi, qui ſatis perſpectam illam habent, & excellenti præſtant eloquio, ſignificare illam nequeant, dicunt tamen quæ poſſunt. Eloquatur S. Cyprianus. *Caſtitas*, inquit, *numen inuictum eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas, probitatis præſidium, & improbitatis excidium, animæ victoria, & corporis præda, vbertas gloriarum, & ſterilitas criminum, pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis, ſynceritatis indicium, & abolitio ſcandalorum, exercitium continentiæ, & euacuatio tota luxuriæ, pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum, puritatis culmen & libidinis carcer, honeſtatis portus, & ignominiæ naufragalis locus, virginitatis mater, & hoſtis immunditiæ, lorica pudoris, & ſpolium probroſitatis, & corruptionis exitium, murus rigoris, deſtructio vulgaritatis, ſeueritatis gladius triumphator, & diſſolutionis occiſor, armatura virium, & exarmatura fluxorum, integritatis dignitas, & fornicationis addictio, claritatis faſtigium, dedecoris præcipitium, voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum, refrigerium pudicitiæ, pœna petulantiæ, acquiſitio triumphorum, & facinorum detrimentum, requies ſalutis, & perditionis exilium, vita ſpiritus, & carnis interitus; ſtatus qualitatis Angelicæ, ſumus humanæ ſubſtantiæ. Huius retinaculis omnis obſcœnitas frænatur, & compedibus eius calces furentis libidinis ſtatuuntur.*

Lib. de Virginit. (margin, beside "ratione exclamauit ſanctus Athanaſius")

De ſingulari.Cleric. (margin, beside "Eloquatur S. Cyprianus")

Idem ſub pudicitiæ nomine ſic ait. *Pudicitia eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia ſollicita non eſt, cui placeat niſi ſibi. Pudicitia ſemper verecunda, dum innocentiæ mater eſt. Pudicitia ſemper ornatur ſolo pudore, bene ſibi tunc conſcia de pulchritudine, ſi improbis diſplicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat Domino, connectit Chriſto, beata ipſa, & beatos efficiens apud quoſcumque habitare dignatur: quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum illam multò magis mirantur, qui eam expugnare non poſſunt.* S. Baſilius ait: *Magnum reuera quiddam ac præclarum virginitas eſt, quæ, vt totum ſimul explicem, hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit. Hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat, ſed cùm incorporalis animæ propria, & præcipua ſit, eius pretioſiſſima integritate corpora quoque incorrupta ſeruantur.* Et multo pòſt: *Cùm inter cætera magnum quiddam, & ſplendidiſſimum virginitas intelligatur, regenerationis etiam, atque incorruptibilis vitæ ſemen eſſe quoddam puriſſimum cernitur. Si enim in reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli, efficiuntur filij Dei. Et hi profectò, qui virginitatem ſeruant, Angeli ſunt, qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illuſtrando tuentur, Angelique ſunt, non obſcuri aliqui, ſed ſanè illuſtres, atque nobiliſſimi.* Accedat ſanctus Bernardus. *Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felicitate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia, morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur: præbens quodammodo terris, cœleſtis iam illius conuerſationis experientiam. Vas interim fragile quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet caſtitas, vt monet Apoſtolus, in ſanctificationem, & inſtar odoriferi balſami, quo condita cadauera incorrupta ſeruantur, ſenſus ipſa, & artus continet, & conſtringit, ne diſſoluantur ocijs, ne corrumpantur deſiderijs, ne carnis voluptatibus compuereſcant: quemadmodum legitur de quibuſdam, quia computruerunt, vt iumenta in ſtercore ſuo. Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamentum dignè dixerim ſacerdotium honorare, quod dilectum Deo, & hominibus faciat ſacerdotem, cuius quippe memoria non in carnis ſucceſſione, ſed in ſpirituali benedictione ſit, reddatque ſimilem in gloria Sanctorum, in hac licet adhuc regione diſſimilitudinis conſtitutum.* B. Laurentij Iuſtiniani vox eſt. *Virtus namque continentiæ adeò ſublimis eſt, quòd hominem quodammodo ſimilem reddit naturæ Angelicæ. Supergreditur namque continentia humanæ naturæ conditionem, per quam homines vtcumque Angelis aſſimilantur. Maior tamen in aliquo eſt victoria continentium quàm Angelorum. Angeli enim ſine carne viuunt, continentes autem in carne triumphant. Differuntque in hoc homo pudicus, & Angelus, quòd Angeli virginitas felicior, hominis verò*

De bono pudicit. (margin, beside "Idem ſub pudicitiæ nomine ſic ait")

Epiſt.42. (margin, beside "ſanctus Bernardus")

In ligno vitæ. (margin, beside "B. Laurentij Iuſtiniani vox eſt")

Digitized by Google

rò continentia fortior eſſe cognoſcitur. Eſt continens Ieſu Chriſti domus amabilis & pulcherrima. Pulchritudinem enim, quis maiorem poteſt æſtimare decore pudici, qui amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo. Hæc virtus homini honorem ſuum cuſtodit. Honor hominis eſt libertas voluntatis, quæ apprehenſa poteſt velle, & non velle. Nam in brutis, & incontinentibus eſt ſeruitus appetitus, huic libertati oppoſita. Et poſtea. *Eſt denique continentia ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, ſolamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis regionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica, ſoror Angelorum, victoria libidinum, ſchola virtutum, & poſſeſſio omnium bonorum, quam qui poſſidebit, habebit pacem in conſcientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, ſecuritatem in morte, & partem in æternitate.*

Caſtitas quomodo excedat ſuo merito naturæ Angelicæ puritatem.

Capvt XXII.

SIc celebrant Sancti hanc filij Dei virtutem, cœleſteque donum multis donis & vſibus refertum. At quia ſingula conſiderare immenſum eſſet, ea ſolùm commentabimur, quæ in imagine quadam huius virtutis adumbrauit Propheta Ezechiel. Et ſatis eruot, vt excellentiam eius, perfectiooemque diſcamus.

Ezech. 9.

Ecce, inquit, *ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem, & vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum, veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes eius.* Eundem poſtea virum conſpicatus eſt ſignaotem Iuſtos, carboneſque ignitos accepiſſe ex prunario, quod aote

Ezech. 10.

Deum erat. In quo mirè effigiatam caſtitatem propoſuit. Neque aptiori ſchemate Angelica virtus ſignificaretur, quàm per Angelum. Angelus erat ille vir veſtitus lineis, ſicut & comites eius. Hic primus caſtitatis honos eſt; Angelos facit compares reddens homines cœleſtibus ſpiritibus.

Lib. 6. inſtit. Monaſt.

Meritò Caſſianos dixit: *Nulla virtute tam propriè carnales homines ſpiritalibus Angelis imitatione conuerſationis æquantur, quàm merito & gratia caſtitatis, per quam adhuc in terra degentes habent ſecundùm Apoſtolum municipatum in cœlis, quod depoſita corruptela carnali habituros Sanctos promittitur in futurum, hîc iam in carne fragili poſſidentes.* Similiter ſanctus Hieronymus, *in carne ſine carne viuere Angelicum eſt.* Et ſanctus Cyprianus ait. *Hoc exigit ſancta ſingularitas, vt antequam transfiguretur, iam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aſpectum.*

Serm. de Aſſumpt.

Grandius tamen aliquid Angelica dignitate hæc imago promittit; nam vir ille veſtitus lineis, hoc eſt, albiſſima ſtola in medio ſex Angelorum exceſſum aliquem maioremque ſignificabat honorem. Et quidem ita eſt, ſic aſcendit virginitas ad Angelicum ſtatum, vt ipſum tranſceodat quoque, & diuinum attingat. Quare meritò figura caſtitatis proponitur ille Angelus, qui etiam Chriſtum Angelorum præſignabat Domioum. Hinc ſanctus Gregorius Nazianzenus oon ſatis repotans dixiſſe cenſendam eſſe virginitatem in ordioe Angelorum, addidit. *Vereor dicere, & Chriſti.* Plato autem minus veritus eſt, qui licèt fidei lumine deſtitutus magnam de virgioitate, quam impoſſibilem cenſuit, ſuſpicatus eſt gloriam, dicens hominum vitam futuram Deorum, ſi vxoribus carere poſſent. Et quidem plerique Patrum laudabiliorem prædicant caſtitatem hominum, quàm oaturalem Angelorum puritatem. Sanctus Cyprianus ait. *Virginitas ſe æquat Angelis, ſi verò exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam, etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli.* Similiter ſanctus Petrus Chryſologus dixit. *Semper eſt Angelis cognata virginitas: in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Angelicam gloriam acquirere maius eſt, quàm habere. Eſſe Angelum felicitatis eſt, virginem eſſe virtutis.* Etenim licèt pares ſint puritas virginum, & Angelorum, imò licèt ſit maior Angelica, maius tameo eſt hominem accedere ad puritatem Angeli. Dum enim naturam propriam tranſcendit, etiam io minore puritate maius miraculum, maius meritum, maximuſqoe honos illi debetur. Præcipuè cùm per carnem ſe audeat comparare ſpiritibus. Quis oon mirabitur, hoc inuentum Chriſti, quo per carnem conſequuntur homines, quod Aogeli per ſpiritum habent. Gloriam hominis, quam miratus eſt ſanctus Dauid, fuit hominem propter ſpiritum, & animam paulo mious ab Angelis eſſe. Hoc aote Saluatoris noſtri natioitatem mirari poterat. Nunc mirabilius eſt, non ſolùm per ſpiritum, ſed per carnem, nihil minus ab Angelis fieri propter iſtud beneficium filij Dei, & io hoc iam Aogelis præcellit, dum quod in homine mious eſt, attingat quod in Angelis non ſolùm plus, ſed totum eſt.

Lib. 6. de bono pudicitiæ.

Serm. 143.

Singulari priuilegio caſti ſeruantur à multis Angelis.

Capvt XXIII.

CÆTERVM & ille comitatus ſatellitum Angelorum aliud caſtitatis denotat priuilegium, quod à multis cuſtodiatur, & conſtipetur Aogelis. Quemadmodum columbæ ad ſodales ſe congregant, earumque grex illuc conuolat, vbi aliquam ſui generis vident. Similiter & Angeli illò libenter accedunt, vbi virginem caſtum viderint tanquam ſimilem ſibi, & ſuæ naturæ comparem. Deſcendunt ſiquidem multi Angeli ad comitandum, cuſtodiendumque caſtum. Quapropter Pſellus dixit: *Hic enim Domini amicorum eſt mos, atque inſtitutum, vt cùm animam aliquam virginem ad Chriſtum ſtudioſè feſtinantem nacti ſunt, vndique tanquam cuſtodes illam circumdent, atque adiuuent, & ad rectas cum virtute coniunctas viuendi rationes incitent, quoad illam Domino aptam, gratamque reddant.* Sic intellexerit illud Canticorum, *murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, ſcilicet, Angelorum vocem eſſe pollicentium ornaturos ſanctam animam pretioſiſſimis moni-

In Cant. 1. apud Theod.

libus

libus ſpiritualis pulchritudinis. In periculis autem maior vis Angelorum aduolat ad ſuum ſocium tutandum. Sic & caſtum Eliſeum magnæ ſpirituum copiæ conſtiparunt, illa mulier amicta Sole, cuius ſub pedibus Luna iacebat, & ſtellis *Apoc.12.* redimita, caſtitas eſt, iuxta Ioachimum Abbatem, quæ Chriſtum induit, & mutabilem, ac corruptibilem peſſundans carnem fulgentibus, coronatur virtutibus. In huius auxilium legimus ſanctum Michaëlem, & Angelos eius accurriſſe: *Et rectè*, inquit Ioachimus, *ad auxilium virginum Angelorum mittitur turba, quia cognata eſt & amica Angelorum virginitas.* Contrà verò ſic turpes offendunt Angelos, vt fugent, imò non ſolùm turpitudo, ſed immodeſtia Angelum cuſtodem ſic lædit, vt ſanctus Dorotheus dixerit, *Doctr.13.* *Cùm ſomno te traditurus es, & quieti da operam, vt modeſtè, ſobriè, religioſéque te geras, ne cuſtodem Angelum, qui circa te vigilat, offendas, & recedere cogas.*

Caſtitas eſt prædeſtinationis ſignum.

CAPVT XXIV.

ALIAM caſtitatis prærogatiuam demonſtrat ſignaſſe illum Angelum ſigno Tau iuſtos, qui in Hieruſalem erant: quoddam enim prædeſtinationis ſignaculum, & character caſtitas eſt. Ideo putant aliqui caſtos ap- *Reſig. de diſcipl. Chriſt. perfect.l.4. cap.34. 1.Theſ.4.* pellari vaſa honoris, dum dixit Paulus, *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.* Quid aliud eſt dici virgines eſſe emptos ex hominibus primitias Deo, & agno. Item, *qui vicerit concupiſcentias carnis* (ſic legit Albertus Magnus) *dabo ei ſedere in throno meo.* S.Laurentius Iuſtinianus, parum dubitans de ſalute virgi- *De inſt.Præl. cap.9.* num dicit. *Beatus homo, qui poſt carnis petulantiam non abiit, & qui ſacræ virginitatis hortum conclusum, fontemque ſignatum Chriſto Domino inuiolabiliter conſecrauit. Ipſe procuIdubio in nuptiali, & æterno ſponſi conuiuio lætabundus & gaudens, cantans, & laudans, agnum ſequitur quocumque ierit, vnà cum Beata Maria virgine, Virginis matre, Reginaque virginum, Choreis virgineis ſociata, ſicut idem ſponſus Dominus Ieſus per diſcipulum virginem perhibet, dicens: Hi ſunt,* inquit, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati:* *Apoc. 5.* *virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo, & agno, & in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. Verùm huius quoque beatitudinis generationem caſtam cum charitate futuram participem dubitet nemo, quæ videlicet, quia neſciuit thorum in delicto, habebit tamen, & ipſa vberem continentiæ* *In ligno vitæ de Cont. in cap. 4.* *ſuæ mercedem.* Idem de Continentia ait; *certa ſperanda eſt palma, quando vitiorum voluptatum diſtat materia.*

Neque ſolùm caſti deſtinantur per caſtitatem ad gloriam, ſed ad ſublimem gloriæ gradum; terra enim, quæ centeſimum fructum reddit, virtus iſta eſt. Sic ſancti Patres interpretantur illam Chriſti Domini parabolam de fructu ſeminis, cuius aliud quidem centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud verò triceſimum dedit. *Centeſimum*, inquit Hieronymus, *virginibus, ſexageſimum viduis, & continentibus, triceſimum caſto matrimonio deputamus.* Idcirco ſanctus Martialis, poſtquam viduas laudaſſet, addit; *Qui verò* *Epiſt.ad Tholoſ. cap.10.* *in ſublimitate excelſiori permanſeris, virgines eſſe eligentes, centuplicatam in perpetua benedictione gloriam conſequentur.* Namque in virginitate ſingulari virginitatem matris ſuæ elegit, qui mortuus eſt, & reſurrexit primogenitus ex mortuis magnificentiùs ſecum, qui tales eſſe elegerint, in benedictione, & Regno Patris exaltabit. Libera enim curis, & delectationibus etiam licitis virginitas vnius pietatis ſtudio expeditiùs traditur. Vnde ſanctus Chryſoſtomus. *Quid igitur,* *Lib de Virginitate c.77.* inquit, *virgo multa pertractans, & iis quæ ad vitam pertinent, diſtenta curis, quæro an virginitatis laudem retineat? minimè. nam iſtam ab harum virginum choro excluſiſti. Neque enim illud, non nupſiſſe virginem conſtituit, ſed ad id præterea opus eſt animæ integritas; integritas, inquam, ea, quæ non ſolùm prauis, ac turpibus voluptatibus, ornatu corporis, reliquiſque rebus ſuperuacaneis vacua ſit, ſed terrenis etiam curis libera: nam niſi ea ſit, quid illi proſit caſtitas corporis? quanti enim eſt, virginem corpore puram eſſe? Vt enim eo milite nil turpius eſſe queat, qui abiectis armis in caupona conterit otium. Sic nullum virgo maius dedecus concipere poteſt, quàm ſi terrenis curis incubuerit. Etenim propterea virginitas etiam bonum eſt, quod omnem extirpat, ex animo cauſam curarum inanium, & hominem inducit, vt totum ſuum ſtudium dicet diuinis operibus. Quòd ſi non ita affecta ſit virgo, longè ea ſit nuptiis inferior, quippe, quæ ſpinas circumfert in animo, quibus purum, ac cœleſte ſemen opprimitur. Mirè enim meritorum ferax caſtitas eſt, magnamque gloriam hæreditabunt in cœlo, qui hæredes in terra non quærunt.* Rectè S. Ambroſius dixit, *Bonum coniu-* *Lib.10.ep.81.* *gium per quod eſt inuenta poſteritas ſucceſſionis humanæ, ſed melior virginitas per quam Regni cœleſtis hæreditas acquiſita, & cœleſtium meritorum reperta ſucceſſio, per mulierem cura ſucceſſit, per virginem ſalus euenit.* Et ſanctus Hieronymus ait: *Grandis fidei eſt, grandiſque virtutis Dei* *Lib.1.in Iouinian.* *templum eſſe puriſſimum, totum ſe holocauſtum offerre Domino, & iuxta eundem Apoſtolum, ſanctum eſſe corpore & ſpiritu.* Hi ſunt Eunuchi, qui ſe lignum aridum ob ſterilitatem putantes, audiunt per Iſaiam, quòd pro filiis & filiabus locum habeant in cœlis. Hoc idem ſignificat viciniam, quam habent virgines cum Chriſto adhærentes, & proximi filio Dei, illi nimirum qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt qui ſequuntur agnum quocumque ierit, & canticum cantant, quod nemo poſſit dicere, niſi ipſi. Optimè S.Petrus Damianus ſcripſit: *Singulare quippe canticum agno virgines cantant, quia cùm in eo in perpetuum præ cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis exultant. Quòd videlicet alii iuſti, dicere nequeant, licèt in eadem beatitudine poſiti mereantur audire, quia per charitatem quidem illorum celſitudinem gratanter aſpiciunt, ad eorum tamen præmia non aſſurgunt. Quapropter penſandum eſt, atque in mente noſtra omni ſtudio reuoluendum quanta dignitatis, quantæque ſit excellentiæ illic fieri ſummum, vbi ſumma felicitas eſt eſſe vel vltimum. Illic priuilegii celſa conſcendere, vbi beatiſſimum eſt paria*

æqualo

æqualitatis iura ſeruare. Nimirum ſicut atteſtante veritate, non omnes capiunt verbum hoc in hoc ſæculo, ſic ad illam egregiæ remunerationis gloriam non omnes perueniunt in futuro.

Sententia ſancti Odonis Cluniacenſis contra impudicos.

CAPVT XXV.

CONTRA autem, molles & laſciui magnum ſalutis ſubeunt periculum. Cornelius noſter in Commentariis ſuper Geneſim; & antea Ioannes Benedictus in ſumma caſuum ad ſextum Decalogi præceptum, ex Conrado Clingio, mirum quid tradit ſiue reuelatione, ſiue experientia acceptum; quòd ſcilicet ij, qui tot annis, quot vixit Chriſtus, puta triginta tribus, in pollutionis peccato perſeuerant, ſint incurabiles, & quaſi deſperatæ ſalutis, niſi mira, rara & extraordinaria Dei gratia eis ſuccurrat, eoſque conuertat. Videat ergo, qui in hoc peccatum lapſus eſt, vt ſtatim ab eo per pœnitentiam reſurgat, ne habitum contrahat, ad quem natura per ſe propenſiſſima eſt, quem proinde poſtea exuere non poſſit, atque ſibi nectat & plectat funes libidinis inextricabiles, qui eum in abyſſum pertrahant, ignique gehennæ inſolubiliter aſtringant. Hoc ille Eremita ſuo facto probat, qui cùm multis virtutibus cum quodam filio ſuo collega deſeruiſſet, hæc illi per Diabolum iniecta cogitatio eſt, vt quandocumque libidine titillaretur, ſic ſemen detritu genitalis membri egerere deberet, tanquam phlegma de naribus proiiceret. Qui ob id & Dæmonibus moriens vidente ſocio traditus eſt, cùm quidem idem ſocius reatum eius ignorans, ſed exercitia virtutum recolens, penè deſperaret, dicens: O quis poterit ſaluus eſſe, quando iſte periit! Cui mox Angelus adſtans dixit: Ne turberis, iſte enim licèt multa fecerit, tamen per illud vitium, quod Apoſtolus vocat immunditiam, cuncta fœdauit. de quo ait Propheta, *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Hæret quippe hoc vitium, & timorem Dei aufert, vt inde minus pœniteat illius, & ſæpiùs replicetur. Meritò ſanctus Odo Cluniacenſis, ſic deplorat impuros: ipſum filium virginis contemnunt, vt in atriis eius ipſo vidente fornicentur, & in ipſis diuerſoriis, quæ ad hoc deuotione fidelium conſtructa ſunt, vt caſtitas in ſeptis locis tutiùs ſeruaretur, ita fluxu libidinis redundant, vt non ſit Mariæ locus, vbi puerum IESVM reclinet. Nec mirum ſanè ſi mancipia libidinis non formident, quia, ſicut ait Propheta, *Fornicatio aufert cor.* Non enim eſt timor Dei ante oculos eorum, quorum guttur eſt, vt ſepulchrum patens. Quibus tamen aliquid rationis adhuc ineſt, oporteret, vt pondus tanti ſceleris, vel ex rebus in ſæculo geſtis, vel ex Sanctorum dictis penſarent, de quibus pauca, ſi fortè audire dignentur, commemoremus. Vt itaque Deus futuris huius ſæculi ætatibus oſtenderet, quòd maximè per hoc vitium exacerbaretur, mox vt filij Seth filiabus Cain ſeſe commiſcuerunt, & ſe perhibuit pœnitere, quòd hominem feciſſet, & omni creaturæ diluuium comminatus eſt. Nam licèt Adam peccante terram maledixerit, & Cain fratricidium iaculo maledictionis mulctauerit, non tamen dolore cordis, aut pœnitudine ſicut hic tactus aſſeritur, neque generali exitio, mundum perire decreuit, neque pro qualicumque alio ſcelere tanta animaduerſione ſeſe vltus eſt, quàm pro iſto, cum illa famoſiſſima conflagratione quinque ciuitates igne & ſulphure etiam ante legem conſumpſit. Cuius fama facti libris quoque Gentilium celebratur. Nam & adhuc omnia, quæ ibi gignuntur plena cineribus, teſte Oroſio, reperiuntur. Quare autem vel igne, qui exurit, vel ſulphure, quod fœtet, luxuria puniatur, in Dialogo ſancti Gregorij pleniùs edocemur. Quo nimirum facto Deus omnes in futurum generationes erudire voluit, vt ſcirent quantopere fugiendum ſit iſtud flagitium poſt fidei cognitionem, quod ille tanta animaduerſione puniuit etiam ante legis prohibitionem. Sanè cùm ad gratiam reconciliationis genus humanum reducere decreuiſſet, mox Abrahæ, quem fidei primordiis initiabat, ad indicium recidendæ libidinis circumcidi præcepit; ita nunc demonſtrans, quia neceſſe eſt, vt omnes qui ad eum pertinent à vitiis, & concupiſcentiis mucrone Crucis ſe circumcidant. Illum verò qui poſt redemptionis gratiam primus in reatu fornicationis deprehenſus eſt Apoſtolus illico Sathanæ tradidit, qui & alios, quos fortè Sathanas ob alia quælibet flagitia vexabat, eripere ſolitus erat. Propter hoc tamen ſcelus hunc eidem Sathanæ mancipauit, qui vtique vel nouitate nuper ſuſceptæ Religionis, vel ignorantia, nec dum expertæ conſtrictionis poterat vtcumque excuſare. Verùm vt aliquid ſub argumento dicamus, quare iuſtus iudex Deus infantem legitimo matrimonio, & abſoluto tempore conceptum, etiamſi priuſquam peccare poſſit, moritur, cur æternaliter condemnet? Sed dum proprio reatu minimè punitur, manifeſtum illud fieri propter illud peccatum, quod fit hora conceptionis. Si ergo tanta eſt culpa in coniugali concubitu, vt infans pro illa ſola puniri debeat, quanta in ſtupro eſt, vel in pollutione, quæ ad ſolam libidinem explendam patratur? Meritò igitur proteſtatur Apoſtolus, quia fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. Liquet certè quòd minores cauſæ per minores iudices ſoleant iudicari, ſed cùm aliquod tale negotium obrepſerit, quod per ſe nullatenus expedire valeant, id ad Principis notitiam referunt. Vt igitur quantus ſit iſte reatus monſtraretur, ad ſolius Dei iudicium referri perhibetur. Sub hoc ſenſu eſt intelligendum etiam illud, quod idem Apoſtolus ait. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Nam cur ſe iuſtificare non audeat, quamuis nihil mali poſt Baptiſma ſibi conſcius ſit, manifeſtat, ſubdens. *Qui autem iudicauit me, Dominus eſt*; ac ſi diceret. Non æqualis, ſed cuius iræ reſiſtere nemo poteſt. Porrò ad enormitatem tanti vitij demonſtrandam, idem ipſe Apoſtolus ſubdit. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur in corpus ſuum, peccat.* Cor namque noſtrum, de quo Dominus peccata exire perhibet, intra corpus eſt. Hoc ergo non ob hoc dicit Apoſtolus, vt ſola fornicatio intra corpus ſit; ſed vt oſtenderet, quia quantum grauior eſt aliis peccatis, tantum diſtat morbus interior ab vlceribus, quæ in cute ſunt. Nonne & hoc Deus approbat, qui fortitudinem Diaboli in hoc vitio

conſtare perhibuit, dicens, vt ſuprà dictum eſt, ad beatum Iob: *Fortitudo eius in lumbis eius*; hinc etiam eſt, quòd prædictus Apoſtolus contra cætera quidem vitia pugnare nos in cominus iubet, fornicationem verò fugere hortatur: nimirum ſuadens, vt ſi quis præliator frequenti hoſtium congreſſione victorioſus, ſi armatum talem incurrat aliquando, cui congredi nullatenus audet, ab eo per fugam declinet: ita quilibet Chriſtianus, etiamſi alia vitia ſuperauerit, ab occaſionibus tamen libidinis longè ſe faciat, ne ſi minimo digito ligetur, totus tradatur.

Efficaciſſimum autem huius peſtilentis morbi medicamen, & antidotus timor Dei eſt, qui configat petulantiam carnis, & inducat amorem Dei, pellat autem amorem ſui. *Ferrum* namque, vt in epiſtola Ioannis Auguſtinus ait, *corium transforat, vt linum intrare poſſit. Et ita neceſſe eſt, vt timor mentem transfigat, iuxta illud: Confige timore tuo carnes meas, quatenus facto foramine, quaſi per ferrum charitas, quæ permanſura eſt, ſuccedat.*

Caſtitas eſt ſanctitas corporis, & charitas animæ, quæ ſimul debent eſſe.

CAPVT XXVI.

NEQVE minima caſtitatis laus eſt, charitatis perfectionem operari. Et dixit, inquit Ezechiel, ad virum, qui indutus erat lineis, Angelum nimirum, de quo loquimur, Ezech.10. & ait. *Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubin, & imple manum tuam prunis ignis.* Et poſt ea: *Et extendit Cherub manum de medio Cherubin ad ignem, qui erat inter Cherubin. Et ſumpſit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis, qui accipiens egreſſus eſt.* In hoc etiam repræſentatur eximius huius Angelicæ virtutis honos, & fauor, quæ inter ſublimiores Angelos Cherubin, & Seraphin, ſe ingerens, diuino charitatis igni iubetur impleri. Hoc idem deſignauit alter virginitatis typus S. Ioanni Apoſtolo oſtenſus in muliere illa, quæ toto ſole imbuta, ardorem charitatis denotabat puritati virginum comitari: quod etiam demiratus Sapiens exclaSap.4. mauit. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate*; alij, *cum charitate* legunt. *Caſtitas, & charitas*, (inquit Galfridus) *faciunt hanc pulchritudinem. Sine altera enim corpus in putredinem defluit. Sine altera verò animus extinguibilem ſibi flammam de ardore ſuæ obſtinationis accendit. Quod ne contingat, Dominus diſcipulos admonens, ait: Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Sal caſtitatis, ne corporis libidine corrumpantur. Pacem charitatis, ne corda diſſenſione ſcindantur, alioquin & illa cùm putruerint, vermem generant, qui non morietur: & iſta, ſi in Deum, vel ſe inuicem collidentur, ignem emittunt, qui nullatenus extinguetur.* S. Bernardus ſcribens ad Senonenſes ait, *Caſtitas ſine charitate lampas eſt ſine oleo, ſubtrahe oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, charitas non placet.* Oportet itaque coniugare vtramque virtutem, vtramque ſanctitatem, vt ſancti corpore, & anima ſimus. Germanæ ſunt caſtitas, & charitas; vna corporis ſanctimonia eſt, altera animæ, & altera alteram requirit, altera alteram præparat. Sunt duo Seraphin, qui clamabant, alter ad alterum, & ſanctitatem mutuo requirebant. Quemadmodum ad corporis diſpoſitionem anima introducitur: ſic & corporis ſanctimonia ad ſanctitatem animæ diſponit, & inducit. Iſta quoque maxima caſtitatis commendatio eſt, quæ idcirco appellatur ſanctimonia, quoniam quædam corporis ſanctificatio ſit, quam non ſemel ſanctus Paulus hoc ſignificauit nomine, Theſſalonicenſes ſic monuit. *Sciat vnuſquiſque veſtrùm, vas ſuum* 1.Theſ.4.3. *poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij. Et ne fortè* (inquit Caſſianus) *du-* Lib.6 c.15. *bium nobis relinqueret, vel obſcurum, quidnam ſanctificationem voluerit appellare, vtrùm iuſtitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam? in omnibus enim iſtis virtutibus creditur acquiri ſanctificatio, infert, & manifeſtè deſignat, quid propriè ſanctificationem voluerit appellare. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos*, inquit, *à fornicatione, & honore*, &c. Vide quibus eam laudibus proſequatur honorem vaſis, ideſt, corporis noſtri, & ſanctificationem eam appellans. Igitur è contrario, qui in paſſione deſiderij eſt, in ignominia, & immunditia conſiſtit, & alienus à ſanctificatione verſatur. Tertiò quoque poſt pauca infert, rurſus ſanctimoniam eam pronuntians. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Et paulo pòſt. *Aliud adhuc ſimile huic prætermiſſum eiuſdem Apoſtoli teſtimonium ponam.* Ad Hebræos namque ſcribens, *Pacem*, inquit, *ſectamini cum omnibus, & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum.* Hîc quoque euidenter ſine ſanctimonia, quam ſolet integritatem mentis, vel puritatem corporis appellare, pronunciauit Deum penitus videri non poſſe. Siquidem & hîc ſimiliter infert, eundem ſenſum explanans. *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau.* Stylum ſancti Pauli ſecutus quoque ſanctus Auguſtinus inquit. *Sancta continentia bonum eſt, cùm* Lib.1. de ciuit.c.18. *immunditia carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur.* Similiter Tertullianus. *Aſpice epiſtolas* (Pauli) *omnes pro pu-* De exhortat. caſt. *dicitia, pro caſtitate, & ſanctitate prætendunt, omnes in luxuria & laſciuia, & libidinis negotia iaculantur. Quid denique & Theſſalonicenſibus ſcribit: Aduocatio enim noſtra non ex ſeductione, nec ex immunditia. Et hæc eſt voluntas Dei, ſanctimonia noſtra, abſtinere vos à fornicatione.* Accedit, quòd membra & corpus virginum templum ſit diuini Spiritus, ſuam charitatem in noſtra diffundentis corda: præparatu autem ſuo templo & per continentiam dedicato, & ſacro aduenit per charitatem ſanctus Spiritus domicilium ſuum habitaturus. Ideo inquit S. Auguſtinus. *Caſtitas* Serm 249. de templ. *cum humilitate Spiritus ſancti meretur habitationem.* Neque enim minus virgines amat columba Dei, quàm virgines agnum. Quærit Spiritus ſanctus virgines, ſicut virgines ſequuntur agnum.

Propter hanc ſocietatem caſtitatis, & charitatis ſanctimoniam corporis magni faciens Apoſtolus, ad puritatem nos hortatur nobiliſſima hac conſideratione. *Neſcitis quoniam corpora ve-* 1.Cor.6. *ſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim* (inquit) *duo in carne vna.*

Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Ecce cùm membra Chsiſti & templum Spiritus ſaocti dicat eſſe corpora noſtra, portandumque in corpore Deum; ſupponit quod alibi dicit, ſanctificationem corporis eſſe caſtitatem, quæ quia corpora noſtra ſancta & pura facit, reddat illa membra Christi, & templa Spiritus ſancti, & currum Dei digna, vt in iis portetur, digna ſcilicet in habitatione totius ſanctiſſimæ Trinitatis. Idipſum ſupponit, cùm dicat ſingulare eſſe in peccato laſciuiæ peccare in corpus proprium, quod alia peccata non habent; quia nimirum in hoc peccato ſanctitas corporis, quæ caſtitas eſt, temeratur. Deinde charitatem comitem, & germanam caſtitatis indicat, cùm non ſolùm templa dixit, quod extrinſecum quid ſignificat, ſed membra Chriſti, quaſi eadem cum ipſo perſona conſtituta eſſent. Clariùs adhuc loquitur, cùm per caſtimoniam dicat fieri vnum cum Deo ſpiritum, quod ſine charitate fieri nequit. O magna excellentia caſtitatis, quæ vnum corpus cum corpore Chriſti, & vnum ſpiritum cum ſpiritu Dei, luteum, & miſerum hominem conſtituet. Hanc caſtitatis excellentiam perſpectam habuerunt ſerui Dei, miriſque modis illam in ſe tutati ſunt. Sanctus Benedictus in vepres ſe coniecit, & volutauit nudus. Saoctus Franciſcus in niues, idem etiam per prunas voluit. Idem fecit Martinianus, & ſanctus Hieronymus ſilicibus pectus tutudit. De Beato *Apud S. Antoninum, & in vitis Patrum occid.* Ioanne Bono hæc in eius vita ſcribuntur. *Vna dierum aduerſarius, qui acrioribus pulſat inſidys, quos maximè nouit abſtinere à peccatis, vitio luxuriæ eum aggreſſus eſt impugnare, ad memoriam reducens, quod aliquando viderat mulierem fortè ab eo dilectam. Cùm autem tentatione ipſa incenderetur vehementer, doloris incendio carnis extinxit incendium mirando actu. Nam accipiens arundinem, & in multas partes acutiſſimas diuidens, quas ſub vnguibus poſuit, eleuanſque ſuper lapidem taliter percuſſit, quòd ad ſummitatem vſque digitorum intrarunt, qui ex nimio dolore in terram cecidit ſemiuiuus, & ſic tribus noctibus ac diebus permanſit. Non deſeruit pius Dominus ſeruum ſuum, pro quo ne offenderetur, tàto cruciat vt ſe dedit, ſed in ſomnis apparens ei dixit: Quia bene incepiſti, bene perſeuerabis, & optimè tuam conſummabis vitam. Et quia viriliter contra tentationes dimicaſti, de cætero tentatus non eris. Qui ſtatim excitatus, ſanum ſe aſpexit, gratias referens Saluatori.*

Quanta cordis puritate caſtitas ſeruanda.

Capvt XXVII.

HActenvs vidimus, quanta ſit hæc virtus, nunc qualis eſt, diſpiciamus, vt non ſolùm illam miremur, ſed imitemur, nitamurque ad puritatem Angelicam tranſgredi; quemadmodum in noſtris Conſtitutionibus ſic cauetur. *Quæ ad votum caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum conſtet, quam ſit perfectè obſeruanda, nempe enitendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis noſtræ munditia.* *Reg. 28 ſum.* Hanc munditiam commendat nobis tunica illius Angeli, qui veſtitus erat lineis. Septuaginta legunt, *podere*, ſtola ſancta. Veſtis erat ſacra, candida, pura, ad pedes vſque promiſſa, & ſacris vſibus frequens, à quibus lanea veſtimenta arcebantur. Sic Domino per Ezechielem præcipiente, *Cumque ingredientur portas atry interioris, veſtibus lineis induentur: nec aſcendet ſuper eos quidquam laneum.* *Ezech. 44.* Lana enim ſegniſſimi corporis excrementum pulueris, ac ſordium receptaculum, ſpurcos mores, ac deſidiam denotat, quæ meritò miniſtris Dei interdicitur. Linum autem ob tenuitatem, & nitorem ſuum, & quia ſummo labore, atquè induſtria ex nobilis plantæ medulla colligitur, ſordeſque repellit, ſymbolum eſt puritatis, & diligentiæ. Quare qui caſtus eſt, omni eniteat puritate cordis, & ſenſuum animæ & corporis, interiùs, atque exteriùs albus, & purus, & vndique aureus. Rectè quidem S. Hieronymus dixit: *Sponſa Chriſti arca eſt teſtamenti intrinſecus, & extrinſecus deaurata cuſtos legis: ſuper hoc propitiatorium quaſi ſuper Cherubim, ſedere vult Deus.* *Epiſt. 22. ad Euſt.* Priùs curanda eſt interna mundiria: principaliter (ait Caſſianus) vitij huius correctio de cordis perfectione deſcēdit. Ex quo etiam huius morbi virus Domini voce prodire ſignatur. *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia.* Illud ergo eſt primitus expiandum, vnde fons vitæ, & mortis manare cognoſcitur, dicente Salomone, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Idcirco Humbertus conſulit: *Sit itaque cor noſtrum per caſtimoniam thronus eburneus, ſit lectus floridus, ſit fons clarus, ſit hortus concluſus, amœnus paradiſus, arca intrinſecus deaurata, & virtutum delectabilis apotheca.* *Ep. de 3. votis c. 21.* Idem ait, *ad innuendam cuſtodiam cordis noſtri Cherubin flammeo gladio ad viam ponitur paradiſi.* *cap. 3.*

Quomodo interioris hominis cura ſit habenda, ſanctus Baſilius ita docet: *Illud diligenter pietatis cultor obſeruato, num qua ex incurſu in ipſius animo domicilium ædificarit praua affectio, & delituerit, nunc vbi peruigil illa, ac vehemens in eum mentis intentio oblanguerit, ne fortè ſpiritus ſanctificatio, & quæ inde in animum promanat illuminatio, obſcurata ſit; vigentibus enim his, quæ diximus, bonis, nullam prorſus rebellionis occaſionem nanciſcentur hæ corporis affectiones: quippe cùm animus in rerum altiorum cura ſit occupatus, neque corpori vſquam excitandi libidinis locum concedat. Si enim cogitantibus nobis ſæpenumero aliquid de rebus vitæ huius, mente acriter in aliquam cogitationem defixa, neque oculi, neque aures muneribus funguntur ſuis, animuſque relictis ſenſibus in ea commentatione totus inhæret; multo profectò faciliùs, ſi in animis noſtris diuinus amor viguerit, omnis prorſus vel leuiſſima à nobis de libidinibus aberit cogitatio. Quod ſi ſeſe hæ interdum loco paululum commouerint, extemplo eas facillimè in ordinem rediget magnanimus prudentia.* *Conſt. Mon. c. 3.* Idem ſanctus Baſilius alibi ait: *Cùm cæteris, qui beati eſſe ſtudent, tum ſponſa Chriſti in primis* *De vera virginit.*

conuenit

conuenit operationes animæ, quæ per ſenſus fiunt, ab exterioribus ad interiora conuertere, ac ſponſo in intimis thalamis, vt Deo Dei verbo perpetua dilectione ſociari, cum eo colloqui, & in eius die, noctuque lege meditari, & his quidem, quæ ad ſponſum ducunt, lege ſcilicet, & Euangelio, & ſi quæ his conſona ſponſi decorem exponunt oblectari. Pro hac interioris hominis cuſtodia ſollicitiores eſſe oportet: nam externum defectum ſunt multa, quæ impediunt, hominum pudor, & timor, ſolitudo, aut loci incommoditas, ſtatus, & profeſſio, & vigilum ſuperiorum cuſtodia; internam autem munditiam ſolùm nos operari, & tueri poſſumus.

De cuſtodia ſenſuum, & exterioris hominis ad ſeruandam caſtitatem.

Capvt XXVIII.

Reg. 29. ſummarij.

Cvstodiam omnem exterioris hominis complectitur regula vigeſimanona ſummarij: *Omnes diligentiſſimè curent portas ſenſuum ſuorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione cuſtodire, ac ſe in pace, & vera humilitate interna conſeruare, & eam in ſilentio, cùm id obſeruandum eſt; cùm autem loquendum in circumſpectione, & ædificatione verborum, & modeſtia vultus, ac maturitate inceſſus, motuumque omnium, ſine vllo impatientiæ, aut ſuperbiæ ſigno exhibere, in omnibus procurando, atque optando potiores partes alijs deferre, omnes in animo ſuo tanquam ſibi ſuperiores ducendo, & exteriùs honorem, ac reuerentiam, quam exigit cuiuſque ſtatus, cum ſimplicitate, & moderatione religioſa exhibendo: atque ita fiat, vt ſe mutuò cõſiderantes in deuotione creſcant, Deumque Dominum noſtrum laudent, quem quiſque in alio, vt in illius imagine agnoſcere ſtudeat.* Vix eſt, quid adiici dictis poſſimus. Eadem tamen inculcantes Patrum ſuffragiis illuſtrabimus, qui ſimiliter modeſtiam & ſenſuum cuſtodiam in caſtis requirunt. Nam modeſtiam quam in virginibus deſiderant Sancti, nobis adoptare oportebit. Id enim conſulunt caſtitatis tuendæ gratia, & in virginibus omnes caſtimoniæ ſtudioſos inſtruunt.

Serm. de virg. ſum. habit. cum viris.

Audiamus primùm Chryſoſtomum. *Virgo* (ait) *cùm in publicum ſe recipit, oportet vt omnis Philoſophiæ ſpecimen præſeferat, & omnes in ſtuporem conuertat, ſicut Angelus, ſi nunc è cælo deſcenderet; & ſicut Cherubin aliquis ſi in terris appareret, omnes homines in ſtuporem conuerteret: ſic & virginem omnes, qui eam vident, adducere in admirationem, & ſtuporem ſua ſanctimonia oportet. Nam dum vadit, quaſi per deſertum eat: quando autem ſedet in Eccleſia, profundiſſimo ſilentio oculis nullum videat prætereuntium, non mulierum, non virorum; ſed ſolum ſponſum præſentem, & conſpicuum.* Similiter S. Baſilius ait: *Sancta Virgo ſenſuum feneſtris cuſtodem admouere rationem, eorumque ad exteriora progreſſum, nequaquam eis tranſitu libero paſſim permiſſo moderatum, & quietum efficere omni ſtudio curabit, ne ſcilicet, ſi ad quæ velint, effundantur, ſupernatantem ſibi interdum animam fluctibus agitent, & ad ſua vitia pertrahant.* Idem ait: *Non decet virginem, etiam cùm ſola domi eſt, ideò quòd nullus adſit hominum, paſſim licenterque nudari. Et cùm corpus neceſſariò curandum eſt, & capitis vittas, & ſingulatim cætera conſtringens, id opus celeriter exigat, & quantum fieri poteſt, operiat membra, non ſolùm ſuos, Angelorumque oculos verens, verùm ſe, vt in ſuæ exercitationis domicilio ad verecundiam ſtudioſè ſemper exercens. Quòd ſi neque cùm ſola eſt nudari ſine ratione permittitur, quanto minus fratribus in Chriſto præſentibus?* S. Cyprianus præcipit: *Nihil conſideretur curioſè in alienis vultibus: ſermo & breuis ſit, & ſobrius riſus. Signum eſt enim animi facilis & remiſſi. nam contactus recedat etiam honeſtus, nihil corpori liceat, vbi vitandum eſt corporis vitium. Cogitetur quàm honeſtum ſit vidiſſe dedecus, quàm inhoneſtum victum eſſe dedecere.* S. Baſilius iterum. *Vera virgo ex morum puritate, tanquam ex vitreo fonte ſermonem ſuum lucidum, & purum effundere tranquillè debet, qui non modò nihil noxium, aut ſubdolum, & quod ſenſum ad voluptatem demulceat, importet: verùm ne otioſum quidem ac ratione vacuum, atque ideo rationali anima indignum.* Et infrà: *Verùm neque vſquam in plateis, vbi turpium, flagitioſorumque hominum conflari cœtus conſueuit, ſacra Virgo cernetur, ſed captata congrua proceſſionis hora, talem ſe & habitu, & inceſſu, & toto corporis motu exhibebit, vt qui illi fortè obuij fuerint, ac ſi viuum Dei ſimulachrum aſpicientes, facie ad reuerentiam, atque admirationem ſanctitatis inclinent: honeſtaque virtutis admoniti mentem pudicam, & ſobriam referant.*

Lib. de virginit.

Sanctus Laurentius Iuſtinianus ſcribit: *Cuſtodia ſenſuum pudicitiam ſeruat. Fons etenim elationis, incentiuum libidinis, violatio caſtitatis, eſt ſenſuum curioſitas, quoniam diſcedente mente à fonte vitæ, à lumine veritatis, à delectatione ſpirituali, quam in ſe inuenire poterat, fornicatur in pulchritudine, & amore creaturarum, & moritur, atque ſuſcipitur, à prætereunte ſæculo, & conformatur eidem.* Quod fidelibus diſſuadetur ab Apoſtolo, quum dicat: *Nolite conformari huic ſæculo*; quidquid enim in ipſo eſt, aut eſt concupiſceotia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, quæ omnia continentiæ inimica ſunt.

De ligno vitæ cap. 5. de continent.

Vt enim, inquit Caſſianus, *certa ægritudine laborantibus vtile eſt, vt cibi noxij ne oculorum quidem obtutibus offerantur, ne quod aſpectus occaſione deſiderium eis lethale gignatur: ita plurimum confert ad depellendum hunc ſpecialiter morbum quies & ſolitudo.*

Lib. 6. c. 3.

Omnium quinque ſenſuum cuſtodiam diligentem commendat ſanctus Auguſtinus his verbis. *Si virginitatem animæ integram ſeruare deſideras, quantum potes, obſerua blandimenta draconis: ne fortè ſi incautus fueris, quinque ſenſus, qui in te ſunt, quaſi quinque virgines, permittas à ſerpento corrumpi. Quidquid enim pulcreſcit viſu, quidquid dulceſcit guſtu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid molleſcit attactu, in his omnibus, ſi incauti fuerimus, ſurrepentibus cõcupiſcentijs malis anima virginitatem corrumpi permittimus, & impletur illud, quod per Prophetam dictum eſt: Intrauit mors per feneſtras veſtras.*

Lib. 50. hom; homil. 15.

Quantum autem ipſe Auguſtinus omnes ſenſus, ſenſualitatiſque delectationes compreſſerit, ſic io ſuis Confeſſionibus fatetur. *Cùm mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc*

Lib. 10. c. 23. & 34.

mallem non audire cantantem. Commemorans item non mulierum, aut adoleſcentulorum pulchritudinem & aſpectum, ſed colorum, & aliarum rerum creatarum formas. Reſiſte (inquit) *ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erige ad te inuiſibiles oculos, vt tu euellas de laqueo pedes meos. Tu ſubinde euellis eos, nam illaqueantur. Tu non ceſſas euellere, ego autem crebrò hæreo, vbique ſparſis inſidijs, quoniam non dormies, neque dormitabis, qui cuſtodis Iſrael.* Humbertus quoque ait; *quia mors per feneſtras noſtras ingreditur, neceſſe eſt, vt viſus ipſe cum magna diligentia obſeruetur: ne dum incautè inclinantia affectum reſpicimus, diuitias intrinſecus amittamus. Certè ſi Dauid viſum ab incauto intuitu reſtrinxiſſet, in tanta tentationis malum minimè recidiſſet. Pudicitiam quoque Dina perdidit, quæ ad videndum mulieres regiones circuiens, in ſua ſe cuſtodia non concluſit. Ad contegendum viſum noſtrum exemplum Saluator nobis tradidit, qui nec proprios velari oculos in deriſionem recuſauit. Quocirca ſcandalizantem oculum, ſecundùm Domini conſilium eruamus, vt viſum, videlicet ne vanitates hauriat, auertere ſtudeamus.* Frater noſter Auguſtinus Sancti, qui ex eorum numero fuit, qui ſeruitio noſtræ Societati addicti, & eius gratias, & merita participantes Donati dicuntur, ſic coluit totius hominis exterioris, maximè oculorum modeſtiam, vt cùm ſemel curam ſacriſtiæ noſtræ gerens, attolleret in templo oculos, illam incuriam, & immodeſtiam ſic puniuit, vt ſtatim votum emiſerit per viginti annos nunquam videndi fœminam, nec illam alloquendi, niſi obedientia iuſſus, idque perfectiſſimè adimpleuit, licèt frequentiùs ianuarius, aut Sacriſta eſſet; toto illo tempore nunquam fœminam allocutus, niſi ex obedientia; nullo autem modo aſpexit. Tam delicatæ conſcientiæ, & ſtudioſiſſimus puritatis fuit ſeruus Dei Gaſpar de Garay, Societatis noſtræ, vt iam etiam penè decrepitus ſeueriſſima corporis caſtigatione tueretur, aſſiduis ieiuniis, duplicatis ciliciis, quotidianis verberationibus, cum vbertima cruoris effuſione, & lecti aſperitate, nec in morte ſindonem admiſit, & penè nonagenarius gratias Deo agebat pro cæcitate quam dicebat, orbus iam vtroque lumine maius omnium à Deo beneficium collatum in ſe fuiſſe, ſcilicet, ne fœminam vllam videret.

Lib. de Virg. Idem in aliis ſenſibus cauendum. *Ne auditum quidem,* ait Baſilius, *temerè, & indiſcuſsè verbis omnibus virgo accommodabit, cæterùm ad ea quæ mala ſunt & noxia, ipſum velut ad peſtem quandam putidi ac pernicioſi omnis obturabit. His verè quæ ſunt optima, emanantque virtutis puriſſimos latices tota intentione ſubijciet.*

Guſtus quoque reſpuendus: *Ante omnia,* inquit idem Baſilius, *aduersùs guſtum virgo tota intentione pugnabit, fonteſque voluptatum ventris, & impudicitiæ fomitum inde manantium à principio caſtitatis ſtudio ſiccabit. Virginem enim eſſe, & guſtum virginis conuenit, nulliſque ſuauiter oblectanti illecebra obnoxium.*

Potiſſima nihilominus cura circa tactum ſit, quem vt ſenſuum omnium pernicioſiſſimum (inquit Baſilius) & ſæuiſſimè blandientem, ſenſuſque reliquos in ſua ad voluptatis illecebras pellicentem, immaculatum, & perturbationibus minimè peruium, ſemper quàm maxima poterit cura ſeruabit. Hic enim toto, cùm ſit diffuſus corpore, per omnem illius ſuperficiem, non eam ſolùm, quæ apparet extrinſecus, verùm & quæ altiùs recondita eſt ad vitioſos contactus aduersùs animam ſæuit. Vnde Apoſtolus ait: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Malum eſt ergo tangere, infert Hieronymus: nihil enim bono contrarium eſt, niſi malum. Non dixit, bonum eſt vxorem non habere, ſed *bonum eſt, mulierem non tangere,* quaſi & in tactu periculum ſit: quaſi qui illam tetigerit, non euadat, quæ virorum pretioſas animas rapit, quæ facit adoleſcentium euolare corda. Alligabit quis in ſinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit? Humbertus quoque ait. *Cauendi ſunt præterea contactus, non ſolum laſciuarum, ſed etiam bonarum fœminarum. Quamuis enim bona ſit terra, bona quoque ſit pluuia, tamen ex illorum commixtione lutum efficitur. Eodem modo licèt bona ſit manus viri, & bona manus fœminæ: ex contactu tamen illarum nunquam luteſa cogitatio, vel affectio generatur. Etenim picem ſi quis tetigerit, manum vtique ſordidabit. Quis autem ſtultus credit ſe manum in ignem mittere, & incendium non ſentire? Vnde quidam Sanctus, quando per aquam matrem propriam deportabat, manum pallio, ne illam tangeret, inuoluebat.* Seruus Dei P. Petrus Faber conſtans, ferreumque propoſitum in animo habebat, idque in ſcriptis ſeruabat in reuerentiam virginitatis Matris Dei, atque in maiorem ſuæ caſtimoniæ religionem, ſe nunquam, aut faciem, aut manum humanam tacturum. In Regulis communibus, quæ tempore Patris Lainij ſecundi noſtræ Societatis Generalis excuſſæ fuerunt, ſic quædam continebantur. *Nemo domi, vel foris ioco, vel quouis modo alium tanget, præterquam amplexando, cùm quis aut abit, aut redit peregrè, eo modo quo fieri ſolet in ſignum charitatis. Is verò quem quiſpiam ſecus contigerit, niſi eum detulerit, ea pœna mulctetur, qua ij qui, quos ipſis non licet, alloquuntur.* Sermo quoque maximè moderandus, quòd S. Laurentius Iuſtinianus ſic commendat. *Alliga ò homo, qui continentiam cuſtodire moliris, ſermonem tuum ne laſciuiat, nec luxurietur, & in turpiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, & ripis coerceatur. Citò lutum colligit animus ſuperfluitate verborum. Iugum ſit in verbis tuis, & ſtatera atque menſura. Age vt ſit grauitas in ſenſu, continentia in mente, in ſermone pondus, atque in verbis modus. Ingreditur enim mors impudicitiæ per oſtium tuum, ſi turpiter loqueris, ſi procaciter, ſi vbi non oportet. Vanus namque ſermo facilè polluit mentem. Et properè agitur, quod libenter auditur.*

In Iouinian.

Epiſt. de 3. votis vbi ſuprà.

Egregia ſententia S. Iſidori Peluſiotæ de vitanda familiaritate fœminarum.

Capvt XXIX.

Diligentissima quoque relatu eſt exhortatio S. Iſidori Græci, cùm Palladium Epiſcopum monuit, ne fœminis ſe præberet affabilem. Mulierum, inquit, congreſſus, vir optime, quantum fieri poteſt, fuge. Nam eos qui Sacerdotum

Digitized by Google

dotum munere funguntur, ſanctiores ac puriores illis eſſe oportet, qui ad montes ſe contulerunt. Siquidem illi,& ſui,& plebis, hi autem ſui dumtaxat curam gerunt. Atque illi in huiuſmodi dignitatis faſtigio collocati ſunt, omneſque vitam eorum perſcrutantur,& explorant: hi autem in ſpelunca ſedent,aut ſua vulnera curantes, aut vitia obtegentes, aut etiam coronas ſibi ipſis texentes. Quòd ſi etiam,vt cum ipſis congrediaris neceſſitas aliqua te obſtringat, oculos humi deiectos habe,atque ipſas quoque, quonam pacto ſpectandum ſit, doce (non enim dumtaxat docendum eſt, quonam modo cernere oporteat, ſed etiam, vt oportet, cernere.) Cumque pauca, quæ ipſarum animos aſtringere, atque illuſtrare queant,locutus fueris, ſtatim auolato:ne fortè diuturna conſuetudo vires tuas emolliat, & infringat, atque velut horrendum quemdam, & elatum leonem nacta,comam quidem,quæ leonem verè leonem efficit, regiamque dignitatem ipſi conſeruat, amputet; dentes autem eripiat,atque vngues,quorum adminiculo robuſtiſſimas etiam feras vincit,euellat,ac deinde deformatum ac ridiculum redditum (animal, inquam, illud horrendum, & intolerandum, ac vel ſolo rugitu montem percellentem) pueris etiam illudendum præbeat. Quòd ſi à mulieribus honore affici cupis, maximè quidem hoc ſpiritualem virum haudquaquam decet. Vt autem ſo res habeat, nihil tibi cum fœminis commercij ſit, ac tum ab illis honorem conſequeris. Tum enim hoc præſertim nobis aderit,cùm à nobis minimè quæretur. Solet enim quiuis eos quidem à quibus colitur,ac delinitur,aſpernari: eos autem, à quibus aſſentatione minimè demulcetur, admiratione proſequi. Ac muliebris natura huic potiſſimum affectui obnoxia eſt. Intolerandum enim ſe præbet,cùm quis ipſi blanditur: ac contra eos omnium maximè ſuſpicit,& admiratur, qui maiora libertate præditi ſunt, amplioreque authoritate apud eas vtuntur. Quòd ſi te frequenter cum ipſis verſari, nec vllo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortaſſe mihi perſuaderi ſinam. At illud item velim omnibus fidem adhiberi, à quibus lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excauari dicunt. Quorum verborum huiuſmodi ſenſus eſt. Quid rupe durius fingi queat?Quid itē aqua mollius,& quidem aquæ guttula. Et tamen aſſiduitas naturam vincit. Quod ſi natura, quæ ægrè dimoueri poteſt, dimouetur, idque, quod minimè debebat, perperitur;qua tandem arte ac ratione voluntas, quæ facilè mouetur, à conſuetudine non vincatur, & euertatur.

Conſtitutio ſancti Baſilij de congreſſu fœminarum fugiendo.

Caput XXX.

AVDIANDVS quoque eſt Magnus Baſilius, quæ in Conſtitutionibus Monaſticis præſcripſerit, dum colloquia cum mulieribus non neceſſaria vetat. Etenim,inquit, bellum, quod præter voluntatem noſtram incidat nobis,excipere fortaſſe neceſſarium ſit,ipſum verò aliquem ſibi voluntarium creare; id verò ſummæ ſtultitiæ eſt. Siquidem ignoſci ei forſitan poſſit,qui in priore illo victus ſit (nolim autem omnino hoc Chriſti athletis euenire) atqui in poſteriore hoc ſuperatus diſcedat, is prærerquam quod rem admodum ridiculam facit, non meretur etiam cur ſibi ignoſcatur. Quocirca fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congreſſiones ſunt, collocutioneſque, neque ad eas vnquam accedendum,niſi cùm grauiſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellat, & aliter facere non poſſimus. Atque ipſa etiam vbi nos neceſſitas adegerit, ab ipſis non ſecus, atque ab igne cauendum eſt, adeò vt quàm ocyſſimè nulla mora ab iſtis nos extricemus. Animaduerte enim quid de hac Sapiens dicat: Abſcondet quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet? Aut: Ambulabit quiſpiam ſuper carbones ignis, & pedes non comburet? Quòd ſi quis dicat ex aſſiduo ſe cum mulieribus colloquio,congreſſuque, & conſpectu non admodum lædi, hic ſine dubio, aut maris naturæ particeps non eſt, & portentum eſt quoddam inſolentiſſimum,& præter omnium opinionem admirabile, & in vtriuſque ſexus (vt ita dicam) confiniis poſitum: cuiuſmodi eſſe illos ferunt, qui nati Eunuchi ſunt, ſiquidem hoc illis etiam velimus tribuere, quòd nullo modo fœminarum libidine afficiantur,aut moueantur. Concupiſcentia enim ſpadonis deuirginans iuuenculam, inquit Sapiens, aut certè, ſi expers non eſt, cùm totus immerſus libidinibus obruatur,ebriis, aut phreniti de correptis ſimilem ſe eſſe non ſentit, qui grauiſſimis affecti morbis,morbum à ſe tamen abeſſe omnem exiſtimat. Verùm quod ratio non dat, hoc demus nos in diſputatione, poſſe videlicet aliquem exiſtere, qui nullis libidinum aculeis pungatur, aut extimuletur. Verùm etſi hoc ipſe non ſentit, qui, quæſo, hoc ita eſſe, cæteris item facilè poterit perſuadere? Porrò quòd quis nulla propoſita vtilitatis ſpe, multitudinem ſcandalizet, hoc ei arbitror non vacare periculo. Quamquam ad hanc alia etiam ratio ſpectanda eſt: quòd eſto vir nullam ipſe in animo ſuo pernicioſæ cogitationis noxiam conceperit,de muliere certè, quòd ea quoque idem faciat, nunquam nobiſcum controuertet,quòd ipſa videlicet nullis corporis libidinibus moueatur. Quin incidit ſæpenumero, propter conſilij imbecillitatem, & maiorem quamdam in eo ſexu ad libidinis procliuitatem cum fœmina ipſa aliquantulum eius, qui inconſideranter ſecum congreſſus ſit, libidine commota ſit. Atque ille quidem nullum vulnus accepit,ſed ſæpenumero inflixit;& quemadmodum id fecerit,non intelligit. Tum per ſimulationem videlicet ſpiritualis charitatis Monachum crebrò adiens muliercula, oculis primum peccato largiter explere ſe incipit, & formam illius aſpectibus laſciuis depaſcitur, & abditam intus virginem, cuius amore præcipuè ſponſus tenetur,impuris cogitationibus vitiat,& corrumpit. Proinde ne eorum, quæ diximus,quidquam eueniat, danda eſt opera, vt (ſi qua fieri poſſit) mulierum colloquia, congreſſuſque funditus fugiamus. Sin id non poſſit, in eo enitendum eſt certè,vt quàm rariſſima illa, & quàm breuiſſima fiant:neque id ex odio ſexus,apagè:neque,vt qui cognationem illarum abnegemus; quin potiùs earum etiam patrocinium ſuſcipiamus, & quan-

tum in nobis eſt, benignè faciamus, & cum omnibus promiſcuè, quæ naturæ humanæ participes ſunt, tum verò illis præcipuè, quæ pro ſeruanda integra caſtitate in certamen deſcenderunt, veluti quæ in pari ac fraterno nobiſcum curriculo certent: congreſſum tamen defugiamus, ne ex ipſarum aſpectu, in memoriam eius, cui ſemel nuncium remiſimus libidinis, cuique aditum ad nos perpetuò interclusimus, redire cogamur.

Modus extra domum egrediendi.

CAPVT XXXI.

OPORTET igitur in angulo domus latere, non plateas ſine fructu terere, cellam amare, non forum; quamuis enim noſtri inſtituti ratio, multam cum hominibus conuerſationem requirat; multam nihilominus excuſare debet, ſcilicet inutilem aliis, aut noxiam ſibi. Modum prudentia præſcribet, charitas, ſtudium orationis, deſiderium proficiendi. Prudentiſſimè S. Baſilius in conſtit. monaſticis ſanxit. *Amplectenda nobis maxima ex parte quies eſt, & in ſuo cuique aſſignato ſibi ad habitandum loco fortiter perdurandum, quo videlicet hoc ipſo animi ſui ſtabilitatem teſtatam faciat. Neque verò tamen propterea perpetuò eſt, tanquam in cuſtodia permanendum: ſed quandocumque & res poſcit, & conſcientia non reprehendit, liberè eſt, fidenterque prodeundum, & de fratribus probatiſſimi quique, & propter inſignem vitæ ſanctitatem maximè vtiles inuiſendi, & ex fructuoſo illorum congreſſu, virtutum exempla capienda: ita tamen, vt (quemadmodum diximus) in prodeundo modus teneatur, & praua omnis ſuſpicio euitetur. Siquidem eſt ſæpenumero cùm exortum in animo tædium ſuſcepta peregrinatio diſcutit, & ſpatio ad colligendas denuò vires ac ſeſe erigendum, reſocillandumvè dato, alacriorem ad capeſſenda de integro pietatis certamina facit. Quòd ſi quis apud ſeipſum glorietur, quòd pedem omnino è cella non efferat; enimverò intelligere is debet inani ſe admodum re inflari. Neque enim non prodire ipſum ſua ſponte laudandum eſt, aut aliquando prodire homines ſolet, aut bonos facere, aut malos, ſed vel quod ad res honeſtas firmum ac ſtabile animi iudicium eſt, vel contra leuitas, & inconſtantia, hominem bonum reddit, vel malum. Si verò quis propoſitam ſibi ſemel in animo honeſtatem firmè conſtabiliuerit, & diuturna exercitatione, temperandarum animi ſui motionum probè iam rationem didicerit, iſque è domitis corporis ſui libidinibus, & animi ratione alienis motibus refrænatis, quod præterea rationis fræno confidat, ob eam cauſam è monaſterio prodire frequentiùs velit, vt fratres ædificet, viſitetque: qui huiuſmodi eſt, eum ratio ad prodeundum potius impellet, quàm reuocabit, quo videlicet poſita ſuper candelabro lucerna cunctis præclara doctrina ſua largè lumen impartiatur, modò verè confidat, in quoſcumque inciderit, illis ſe & doctrina & exemplo virtutum veluti ſcholam futurum: & ſi ſeipſum diligenter antè muniuerit, vt quod eſt, apud Apoſtolum, ne fortè cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Idcirco opus eſt, cùm neceſſitas non aliud flagitat, domum colere, tueri ſe à fœminarum aſpectu. Vitiorum reliquias in angulo domus expurgare, atque excindere.* Prudentiſſimè iterum Baſilius admonet: *Illud etiam tenendum eſt, vt nequaquam quouis prætextu viſendorum, conueniendorumvè fratrum crebrò è monaſterio velimus egredi. Siquidem diabolicum illud quoque commentum eſt, quando huiuſmodi artificio vti aduerſarius ſolet, ad diſciplinæ noſtræ ſtabilitatem, ordinemque religioſæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum, atque hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, variis, iisque inſtabilibus cogitationibus facere obnoxios ſtudet. Sed in eo potius elaborandum eſt cuique, vt tacitis ſecum colloquiis, intimiſque cogitationibus, animi ſui vitia diligenter perpendat, & corrigat. Etenim qui animum huc attulerit, vt ſuperioris vitæ conſuetudinis ab ſe modò vinculum abiecerit, etſi omnino hic ex ea ſua animi ad honeſta vitæ ſtudia applicatione laudem promeretur, at nondum tamen propterea ad virtutum culmen peruenit; quin quomodo eas conſequi poſſet, ſæpenumero ne cogitauit quidem: verùm tacitus ſecum cogitatione in ſeipſum defixa, perturbatos animi ſui appetitus, motuſque excutere diligenter debet, iiſque magna cum animi contentione obluctari, & quæ in eo incondita viderit, ac perturbata, ea melioribus conſiliis in ordinem redigere, atque ſedare. Sedata ſiquidem animi, & requieta conſtitutio virtutis eſt argumentum certiſſimum. Cæterùm qui huc illucque continenti peregrinatione diſcurrit, neque ſtabilis certo vllo in loco diu conſiſtit, ſed crebra ex aliis in alia loca irritatione collectam illam, & conſtipatam animi in cogitando vim aſſiduo iſto flatu, ac reflatu, veluti euentilat, atque diffundit, paulatimque corporis voluptates ſpectare inſueſcit, is qui quæſo perſpicaciter excutere ſeipſum poterit? aut quæ minus honeſtè ſe habeant perуidere, & in melius reuocare? quippe cùm in eo perſeueret, vt animum ſuum ad prauas aſſiduè affectiones inueſtiget.*

In conſt. Mon. c. 8.

Vbi ſuprà.

Dum cum fœminis ſermo nectitur, teſtes requirantur.

CAPVT XXXII.

PLVRIMVM quoque expediet ad tuendam caſtitatem quamlibet minoris circumſpectionis cauſam, imò ſuſpicionem tollere, colloquia non neceſſaria vitando, imò neceſſaria, non niſi cum arbitro admittendo. Neque rigida, aut noua habenda eſt noſtri Ordinis præſcriptio de aſſiſtendo ſocio, cùm fœminas alloqui neceſſe fuerit, quod multi Patres conſuluerunt. S. Hieronymus ait: *Solus cum ſola, abſque arbitro & teſte non ſedeas, etiamſi ſecretum aliquod interſit. Caueto omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante debita. Muliebria munuſcula & ſudariola, & veſtes ori applicatas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſque ac dulces literulas, ſanctus amor non habet.* Ad excuſationes quæ adferri ſolent, reſpondet idem Hieronymus. *Quòd ſi dixeris: Mihi ſufficit conſcientia mea; habeo Deum iudicem qui meæ vitæ eſt teſtis, non curo, quid loquantur homines. Audi Apoſtolum. Prouidentes*

bona

bona non ſolùm coram Deo , ſed etiam coram hominibus. Et S. Bernardus ait. *Eſto, ſis continens, ſed ego ſuſpicione non careo. Tolle ſcandali cauſam.* iterum inquit Hieronymus. *Et quid ſibi volunt ſola & priuata colloquia , & arbitros fugientes oculi ?* Iam olim ab exordio naſcentis Eccleſiæ , ſcripſit S. Clemens. *Ad viſitandam mulierem infirmam nullus Clericus ingrediatur, niſi cum duobus, aut tribus, & nec Preſbyter ſolus cum ſola adiungitur, ſed duobus adductis teſtibus viſitet infirmam, nec ſolus cum ſola fœmina fabulas miſceat.* De S. Auguſtino Poſſidonius refert. *Si fortè ab aliquibus fœminis , vt videretur , vel ſalutaretur, rogabatur , nunquam ſine Clericis teſtibus ad eas intrabat , vel ſolus cum ſolis vnquam eſt locutus, nec ſi ſecretorum aliquid intereſſet.* Itaque ſocius deſereodus oon eſt. Graues interpretes ootant Chriſtum Dominum idcirco miſiſſe diſcipulos binos ante faciem ſuam , vt perpetuos haberent actionum ſuarum teſtes , & ne quis malè interpretaretur coràm ſolicitudinem , quaſi ideo ſoli eſſent, vt liberiùs ſioe teſte peccarent. Sic præter diſcipulos , quos refert S. Lucas binos miſiſſe, binos etiam Apoſtolos miſit ad prædicandum; duos quoque diſcipulos miſit ad ſoluendum aſinum quo veheretur , ſicut & ad parandum vltimam cœnam duos etiam miſit, Petrum & Ioannem. Sic & Ioannes Baptiſta , cùm in vinculis eſſet , duos ex diſcipulis miſit legatos ad Chriſtum. Hæc exempla diſcipulorum filij Dei & eius præcurſoris monent nunquam oportere ſocium relinquere , maximè cùm alloquendæ ſunt fœminæ. Cantipratenſis verba ſunt hæc. *Nec ſocius ſocium debet deſerere , maximè in colloquio mulieris , niſi alter alterum videat colloquentem.* Et alibi. *Quàm vera ſit hæc vox(væ ſoli)ego noui, qui triginta annis , & eo ampliùs vices Epiſcopi, in diuerſis Prouincijs,& Diœceſibus habui , qui in hoc articulo, quo Religioſi , vel ſoli vadunt in vijs, vel ſoli manent in curijs, horrenda mala, horrendaque ſcandala, horrendaque pericula frequenter audiui , quæ nunquam ſuſtinuiſſent , adiuncto ſocio,*

in Matth. *vel feciſſent.* Caſſiodorus quoque. *Sex ſunt* , inquit, *quæ incorruptam conſeruant caſtitatem , ſcilicet ſobrietas, operatio , aſperitas cultus, inhibitio ſenſuum, raritas ſermonis cum honeſtate , euitatio opportunitatis , & perſonæ , & loci , & temporis.*

1.p. ſpeculi part.4 c.4. Salutariter quoque monet S. Bonauentura : *Guſtanda eſt cum mulieribus , non continuanda præſentia, ſed quaſi tranſeunter fœminis exhibenda eſt acceſſio quodammodo fugitiua. Tutius eſt non poſſe perire , quàm iuxta periculum non periſſe. Illum autem nec caſtum dixerim, nec honeſtum, qui mulierem aut tangere, aut tactum eius admittere non abhorret. Quomodo tangere licet , quibus intueri non licet.* Ad cuſtodiendam cordis munditiam, exterior quoque ſenſuum diſciplina eſt ſeruanda. Loca quæ periculi , vel ſuſpicionis materiam dare poſſunt , cautè declinent, nec ſoli cum muliere in locis huiuſmodi vel ad horam morentur. Beatus Theodorus Studita in teſtamento ſuo, rurſus præcipit, *Nec cum monacha , aut mundana ſeorſim colloquere , ni neceſſitas trahat, duabus tum quidem præſentibus perſonis , tentabilis eſt enim ſolitudo.*

Tanta hæc cautio habenda eſt , quoniam , vt

Eccleſ 42. egregiè Sapiens ait, *In medio mulierum noli commorari ; de veſtimentis enim procedit tinea , & à muliere iniquitas viri.* Vnde Sancti millies hoc monent, mille clamoribus vociferantur , ne quis in hac parte de ſe , deque priſtina , & diuturna virtute confidat. Egregiè S. Auguſtinus : *De ferro* , inquit, *rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam : in riſum aliquando diſſoluitur , nunc blanditias exhibet : & quod eſt venenoſius, ſuper cuncta pſallere delectatur, aut cantare, cuius cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem. Grauem inimicum ſortita eſt caſtitas, cui non ſolùm reſiſtendum , ſed dimiſſo fræno longiùs fugiendum. Nec eo minùs fœminæ fugiendæ ſunt , quia Religioſæ videntur; quia quanto religioſiores, tanto citiùs alliciunt : & ſub prætextu pietatis latet viſcus libidinis. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior: Cedros Libani , duces gregum, ſub hac peſte cecidiſſe reperi : de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quàm Ambroſij , vel Hieronymi impudica turpitudine. Tandiu Diabolus ſopitum ignem, ſine vllis flammis occultat , donec duas faculas inuenerit , ſimul ambas accendat , & tandiu ceſſat ſæuitiæ ſuæ tela ſupponere , donec ſicut peritus venator , quod occiſurus eſt , laquei vinculis alliget.* Idem ait: *Quanti, & quales Epiſcopi , & Clerici poſt confeſſionem, & victoriarum calcata certamina , poſt magnalia , & ſigna mirabilia vſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cùm volunt in naui fragili nauigare ! Quanto leones domuit vna infirmitas delicata , id eſt , luxuria, quæ cùm ſit vilis, & miſera, de magnis efficit prædam. Quot columnæ cœli ceciderunt ſanctiſſimi illi Eremitæ , multorum annorum experientia probati, in ſolitudinibus morantes , ætate prouecti, imò & miraculis coruſcantes : & tamen eos de faſtigio conuerſationis cœleſtis, mulieres deturbarunt.* Meritò S. Hieronymus conſulit. *Omnes puellas , & virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, nec in præterita caſtitate confidas. Neque enim ſanctior Dauide , neque Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper , quòd paradiſi colonum de poſſeſſione ſua eiecit mulier.* Hinc meritò S. Ephrem , dum quærit , quid eſt mulier? Reſpondet. *Naufragium ſuper terram , fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conuerſatio, atque confabulatio , oculorum pernicies, animarum exitium , cordis ſpiculum , iuuenum perditio, ſceptrum inferni , & concupiſcentia præceps.* S. Ambroſius , item de muliere. *Ianua Diaboli* , inquit, *via iniquitatis , Scorpionis percuſſio , nociuum genus eſt fœmina , cùm proximas, ſtimulat, ignem accendit , flammigero igne percutit conſcientiam pariter habitantis, & exurit fundamenta montium.* Optimè ſenior quidam monebat. *Filioli, ſal ex aqua eſt, & ſi appropinquauerit aqua, continuò ſoluitur , & deficit. Et Monachus ſimiliter ex muliere eſt : itaque ſi appropinquat mulieri , ſoluitur & ipſe , atque in id deſinit, vt iam Monachus non ſit.*

Ad minus expedit hac ſocij cautione præuenire nonnullarum fœminarum impudentiam, ne quid audeant aut loqui , aut agere, quod modeſtiæ religioſæ deroget. Alioqui in non leuia pericula ſerui Dei inciderunt , à quibus tamen aſſerti ſunt ſingulari Dei beneficio , & mira conſtantia. P. Oliuerium Maraneum ſollicitauit turpibus verbis , & geſtis quædam fœmina , quæ ægrotam ſe ſimulans , ipſum Patrem adſciuerat confitendi cauſa , in eo periculo nihil efficaciùs conſilij in memoriam venit illi Patri ; nam dicitur

Digitized by Google

tur ianuas clauſiſſe famulos, quàm in excrementorium immundum vas manum immergere, & totam faciem ſordibus illinire. Quo facto ſic exhorruit fœmina, vt acti libidine deſiſteret. Scribit Alexander Faya de alio Sacerdote noſtræ Societatis, ſimiliter ſolicitato reſpondiſſe imbellem tunc ſe iouenite propter multa ieiuoia, atque opus eſſe priùs manducare aliquid, & bibere. Credidit hoc impudica fœmina, & aduocans famulos, vt cibos, & vinum afferrent. Tunc vbi ingreſſi fuerunt, priuſquam mulier aliqnid diceret, ille ac ſi exactum iam eſſet negotium ad quod venerat, vrbanè valedicens fœminæ prodiit foras, & euaſit. Ioſephus de Siguenza ſcribit euiuſdam matronæ ſolicitationem eluſiſſe quemdam Priorem Religionis Hieronymianæ dicentem illi: Oportet hoc ſine ſuſpicione vlla fieri, tum veſtræ familiæ, tum mei ſocij, qui poterit aliquid audire. Procurator eſt noſtri Cœnobij, mittam illum ad negotia aliqua facienda. anouit fœmina. Tunc eùm foras prodiit quaſi dimiſſurus ſocium, euaſit cum illo in plateas. Sanctus Bonauentura alium vtilem modum euadendi in ſimili diſcrimine ſic in prima parte ſpeculi ſcribit: *Domina quadam, dum duo fratres ad eius domum diuertiſſent, alterum ſeorſum vocauit in cameram, quaſi ſecretò ſibi aliquid locutara. Quem ingreſſam mox ad turpitudinem prouocans, aſſerait firmiter ſe continuò contra ipſum, quaſi ſi violentiam inferentem, niſi ſtatim ſibi acquieſceret, clamaturam. Tunc doctus à Domino Frater, antequam mulier in vocem clamoris prorumperet, ad fratrem conſociam, qui tum pluribus perſonis in atrio domus erat, alta voce clamauit libram ſibi continuò afferri requirens, ſicque adueniente Fratre, neceſſe habait mulier ab huiuſmodi neſaria ſolicitatione ceſſare, & Frater hominum confuſionem euaſit. Nonnulli ob cauſam ſimilem confuſi turpiter, & verberati grauiter fuiſſe dicantur. Qui autem cauet laqueos, ſecurus erit: qui autem non cauet, eſt aut ſtultiſſimus, aut peruerſus, aut eſt eius excuſatio admittenda.* Hæc ſanctus Bonauentura. De ſancto Franciſco ſcribitur in Chronicis Franciſcanis, eùm per inſidias cuiuſdam aulici Frederici Imperatoris in cubiculo clauſo prouocaretur à quadam meretrice, dixit: Bene hoc, ſed non in lecto iſto, ſed in alio quem tibi oſtendam. Erat proximus caminus, arripienſque prunas, ſtrauit illas. Poſtea nudus per illas ſe voluit, quod vt aſpexit fœmina, cœpit plorare, & vociferari, aduocans aliquos, qui hominem ab illo cruciatu eriperent. Alius Prædicator è noſtra Societate, per cuiuſdam magnatis hæretici aſtum in ſimile diſcrimen intruſus, ſic reprehendit meretricem, vt ſua peccata flere cogeretur, quod cùm reſciſſet hæreticus, actus in furorem præcidit virilia caſtiſſimi illius Patris, qui paulo pòſt coronam ſuæ conſtantiæ inter Beatos accepit fortiſſimus caſtimoniæ martyr.

Iuuanda eſt caſtitatis mortificatione, & macerationibus carnis, quæ commendantur ex Thiofrido.

Capvt XXXIII.

Gestabat quoque Angelus atramentarium ſcriptoris ad renes eius. Septuaginta legunt, *zona ſapphiri ſuper lumbos eius*, per hoc ſignificatur abnegationem ſui neceſſariam eſſe caſtitati, ſuccingendam, premendamque carnem; linea enim, & Angelica puritatis tunica, non niſi cingulo mortificationis conſtringitur, pœnitentiaque aptatur, eùm in hanc, inquit ſanctus Pacianus, loquens de pœnitentia, quaſi fibulam totius Eccleſiæ diſciplina coarctetur. *Pacian. ad Pœnit.* Optimè S. Bernardus, & B. Laurentius Iuſtinianus dicunt. In hoc enim exilio nequaquam eiecit Deus hominem de paradiſo, vt hîc aliam faceret paradiſum, ſed vt operaretur in ſudore. *In ligno vitæ de contin. cap. 5.* Huc ſpectat, quod S. Fulgentius ſcripſit: *Ad exteriorem virginitatem, interioremque ſeruandam, ſolicita debet virgo ſemper exaltare cautela, delitias carnis, & oblectamenta corporis omnino ſacra virgo refugiat. Spiritalis enim virginum ſponſus non quærit in virgine carnem delitijs accuratam, ſed ieiunijs caſtigatam. Hoc Doctor gentiam cùm ſe facere dicit, nobis quoque inſinuat faciendum. Caſtigo*, inquiens, *corpus meum, & ſeruituti ſubijcio*. *Epiſt. 3.* Et ruſius: *In vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis. Non quærat ergo Chriſti virgo carnis delitias, quas nec viduæ videt eſſe conceſſas. Quæ in delitijs eſt vidua*, ait idem, *viuens mortua eſt.* Accipiendum eſt monitum ſancti Iſidori. *Summum nobis adiutorium præſtabit cilicium, & cinis, totiſque noctibus ſtatio immobilis, panis deſiderium, ardens lingua, modicéque irrorata, ſepulchrorum habitatio.* Adam remedium pudoris amiſſi cingulum pœnitentiæ aſſumpſit, de quo ſanctus Irenæus ait. *Per ſuccinctorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam, folijs ficulneis ſemetipſum contegens, exiſtentibus, & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuiſſent. Condignum tamen inobedientia amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem, & puerilem amiſerat ſenſum, & in cogitationem peiorem venerat, frenum continentiæ ſibi, & vxori ſuæ circumdedit timens Deum, & aduentum eius expectans.* *Lib. 3. adver. Hær. c. 37.* Et poſtea. *Hoc videlicet ſemper habuiſſet indumentum humilians ſemetipſum, niſi Dominus, qui eſt miſericors, tunicas pelliceas pro folijs ficulneis induiſſet eos.*

Afflictionem quippe carnis timent Dæmones, quæ per imitationem filij Dei, & paſſionis eius reuerentiam quandam contrahit, & ad caſtitatis munditiam ſanctificatur cum aliis priuilegiis, quæ ſeruus Dei D. Thiofridus Abbas in libro Epitaphij Sanctorum notat, cuius ſublimem hanc ſententiam tacere nolo. *Proteſtari ſalua fide præſumo, fiducia accepta per Spiritum ſanctum, quòd ex viuifico, & ſalutari crucis patibulo, quo prima præuaricationis vindicatum, & expiatum eſt peccatum, & mortis ſolutum chirographum,* *Lib. 4. c. 4.*

Digitized by Google

phū,ſalutatio,& ſanctificatio trāſfuſa eſt in omne ſupplicium,quo ſancti , & electi Dei,crucifigentes carnem ſuam cum vitijs , & concupiſcentijs, accoptabilo, & medullatum Ieſu Chriſto crucifixo meruerunt,in odorem ſuauitatis eſſe ſacrificium. Vnigenitus enim Patris , qui ſecundùm vas electionis Paulum,eſt caput corporis Eccleſia,ac principium, primogenitus ex mortuis,pacificans per ſanguinem crucis eius,ſiue qua in terris,ſiue qua in cœlis ſunt. Vnigenitus,inquam, Patris , qui donans nobis omnia delicta , & delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti , nobis omnino contrarij , ipſum tulit de medio , affigens illud cruci , de amaritudine ſua amariſſima , dulciſſimam dulcedinem transfudit in omnia acerbiſſima Sanctorum cuiuſque ſupplicij genera , & carnis per illuſtrationem ſpiritus ſanctificata , quantacumque , ac qualiacumque ſupplicia , in corporum, & animarum ſuauiſſima , & ſaluberrima tranſtulit oblectamenta, & remedia, vt quaſi immutato , & conuerſo naturæ ordine , omnes cruciatuum materia electorum corporibus adhibita , ardentiùs appetantur, quàm exquiſitiſſima epula , quàm opulentiſſima totius mundi delitia ; & in earum acquiſitionem ac venerationem , prodigè diſpenſentur acquiſita ſummo cùm labore ac periculo peritura in momento diuitia. Hæc Thiofridus , qui obiter nos admonuit , afflictiones corporales non eſſe moleſtas feruidis Dei ſeruis , ſed iucundiſſimas , vt cum maxima vtilitate earum , mixta ſancta quadam delectatione , nulla ſit proprij amoris excuſatio, quominus pro caſtitatis bono maceretur caro, vt delitietur in ſua puritate ſpiritus.

Obſeruandum eſt hanc mortificationem carnis,& aſperam tractationem tuendæ , & ſeruandæ caſtitatis opus eſſe etiam iis, qui ipſa caſtitate excellunt. Quid dicendum de aliis , qui periclitantur , qui luctantur , qui pereunt ? nulli pœnitentiarum moleſtiæ tunc parcendum eſt , pereat corpus,potius quàm anima. Macula etiam quælibet huius virtutis acri lixiuio abluenda eſt ; imò non tantùm macula , ſed ſpecies,vel vmbra eius. Accidit aliquando viuente S. Ignatio Patre noſtro,vt quidam bonus, & feruidus , & exemplaris,& antiquus frater , qui ex officio hoſpites excipiebat, dum vnius lauaret pedes,illius plantam ſic fricaret, vt ad riſum prouocaret ; conſcius rei S. Ignatius ſtatim iuſſit expelli è Societare fratrem illum ,cumque à Patribus omnibus rogaretur,vt parceret illi;quoniam valde obſeruantem, laborioſum, & ædificatiuum ſemper ſe exhibuerat, in pœnitentiam illi iniunxit peregrinationem in Compoſtellam, in qua octingentas leucas pedes mendicaturus erat. Sic ſeuerè leuem culpam puniuit. Priſcas Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges, ſcimus rigidiſſimas in huius virtutis contemptores. Adulterium viginti trium annorum pœnitentia plectebatur. Fornicationem Sacerdos committens decem annos pœnitens manebat. maiora peccata vſque ad mortem ſuſtinebant pœnitentiam, quæ non leuis erat , tractabantur velut energumeni , ſicut conſtat ex S. Dionyſio , & Concilio Anzirano , oratione , humilitate , & ſeruitio Eccleſiæ curabantur , verrentes templa. Quin & pro parum virili reſiſtentia cogitationum impudicarum non imponebantur tres ſolùm,vel quatuor ſalutationes Angelicæ, ſed decem Pſalmorum recitationes geniculares.

Conſeruandæ caſtitati prodeſt moderatio cibi.

Capvt XXXIV.

IN cibis potiſſimum & modus & rigor maximè neceſſarius eſt tuendæ huic virtuti , cuius propterea lege ſalutari in noſtris conſtitutionibus edicitur. *In refectione* *Reg. 3.* *corporis curandum eſt, vt temperantia , modeſtia, & decentia interiùs , & exteriùs in omnibus obſeruetur. Præmittatur benedictio , & ſequatur actio gratiarum : quas omnes agere debent,cum ea, qua par eſt , deuotione, & reuerentia. Et dum corpus edendo reficitur, ſua etiam anima refectio præbeatur.* Præſcripſit quoque S. Theridius , ſiue Cæſarius in regula Monachorum. *Ad menſam dum manducat nullus loquatur : ſed vnus legat quemcumque librum, vt ſicut corpus reficitur tantùm cibo : ita anima reficiatur Dei verbo. Sic dicit Dominus , non autem ſolo pane viuit homo,ſed ex omni verbo Dei ; qualis eſt terra ſine pluuia, & caro ſine cibo , talis eſt anima , ſi non reficiatur Dei verbo.* Hoc meritò iubetur, vt voluptas cibi temperetur , & ſubinde quantitas. Quando autem nulla inter manducandum lectio intercedit , imò aliquando etiamſi intercedat , meditatione aliqua pia mens paſci debet , aut conſiderando Chriſtum diſtribuentem turbis quinque panes , aut cum Apoſtolis cœnantem. Frater Franciſcus Baptiſta Hybernus , cùm in Refectorio cum noſtris eſſet , vidit ibi Chriſtum , ſicut fuerat in nocte cœnæ cum diſcipulis. Abſtinentia ſua meruit hunc fauorem ; idcirco etiam caſtiſſimus fuit. Venter enim plenus excitat Venerem. Sicut & inanis extinguit, caſtitatem autem alit ; quod paſſim ſancti Patres admonent , quorum aliquot ſententias exhibebo , eo libentiùs, quo videam magis neceſſariam multis doctrinam , cuius licèt pauci ignari ſint , plurimi ſunt immemores ; atque aliquod operæ pretium erit in præſentiarum inculcari. S. Gregorius Niſſenus , inquit , *Hac regula adhibenda eſt ad vitæ* *Lib. de virginit.* *temperantiam accommodata , vt animum non adiungat ad aliquid , in quo permixta eſt voluptatis cupiditas, atque eam voluptatem maximè caueat, quæ guſtatu percipitur , quoniam vitij mater videtur. Quæ enim è cibo atque potione exiſtunt voluptates , cùm modum plus iuſto excedant,grauium malorum neceſſitatem corpori imponunt. Ergo , vt nulla horum malorum turba corpus perturbatum in nobis tranquillum maneat , continentior vitæ diſciplina eſt procuranda,vt non voluptatem , ſed neceſſarium in ſingulis vſum delectationis,modum & terminum conſtituamus.* S. Ambroſius. *Quid* *Exhort. ad virgines.* *de parſimonia loquar ? Cùm Sapiens dicat : Aufer à me ventris concupiſcentias , & concubitus, cupiditas ne reprehendat me. Nec infirmitatem ex ieiunio , & abſtinentiam reformidos. Infirmitas enim grauis ſobriam facit animam. Præ cæteris tamen in virgine præcellit ſtudium ſobrietatis. Sobrietatem dico non vini abſtinentiam, ſed corporalis laſciuia , qua grauius quàm vino inebriamur.* Sanctus Hieronymus. *Sit tibi moderatus cibus,* *Ad Euſtochium Virg.* *& nunquam venter expletus : plures quippe ſunt, quæ cum vino ſint ſobriæ , ciborum largitate ſunt*

ebrie. *Ad orationem tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum facit, ſed inanitas.* Idem ſanctus Hieronymus. (Eodem loco.) *Hoc obteſtor* (inquit) *ſponſa Chriſti vinum fugias pro veneno. Hæc aduerſus adoleſcentiam prima arma ſunt Dæmonum. Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus? Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus?* Sancti Iſidori Peluſiotæ hæc ſententia eſt: (In epiſt.) *Riſu profectò dignus es mi homo, quando precaris; confige timore tuo carnes meas. Eorum enim eſt hæc precatio, qui quod in ſe eſt conferunt, & ieiunant, & qui ſua ſorte contenti, paruoque beati viuunt, eoque ratione carnis exultantem laſciuiam caſtigant, & compeſcunt, atque cælitus opem, & auxilium ſuæ exercitationis mitti poſtulant, & illis minimè conuenit, qui quemadmodum tu facis, crapula immodica corpus ſaginant, & varijs omnimodiſque delitijs, eius petulantiam, tantum abeſt, vt reprimant, vt potiùs excitent.* Sanctus Gregorius ait: (Lib. 5. in Reg. c. 14.) *Abſtinentia ciborum contra hoc vitium fortiſſima eſt. Si enim ignis libido eſt, ſubtrahis igni materiam, cùm cibos ſubtrahis, & vinum præſertim, in quo, vt eſt apud Apoſtolum, luxuria eſt.* S. Bernardus ſuper Cantica ſic inquit: *Abſtinebo à vino, quia in vino luxuria eſt: aut ſi infirmus ſum, modico vtar, iuxta conſilium Apoſtoli. Abſtinebo & à carnibus, ne dum mihi nimis carnem nutriunt, ſimul & carnis nutriant vitia: panem quoque ipſum cum menſura ſumere ſtudebo, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat.* Idem alibi ait. (In form. honeſt. vitæ.) *Sicut ad crucem, ſic accedas ad cibum, id eſt, numquam voluptate, ſed neceſſitate paſcaris, & fames, non ſapor prouocet appetitum. Singularitatem in refectione fuge, & communitate eſto contentus, ſciens quia caro paſcenda eſt, & extinguenda ſunt vitia. Si quando aliquid ſapor apponatur tanquam diuinitus procuratum accipe illud, hoc tamen habeas in animo ſemper & voluntate, vt tantum vel magis alteri apponatur.* Sanctus Laurentius Iuſtinianus: (Ligno vitæ c. 5. de continent.) *Nunquam enim poterit ad decorem attingere pudicitiæ quicumque voracitati gulæ fræna laxauerit, neque ardentes poterit concupiſcentiæ ſtimulos inhibere, quiſquis deſideria gulæ arctare nequiuerit. Interioris hominis caſtitas virtutis huius conſummatione diſcernitur. Nequaquam verò cum robuſtioribus animalis colluctare poſſe fidendum eſt eum, qui in leuiori conflictu conſpicitur ab inferioribus paruiſque ſuperari.* Optimum quoque eſt conſilium Hildeberti. (Epiſt. 3.) *Neque igitur oblectamenta fructum tibi Religionis extorqueant, temperantia fines excedere formidabis. Temperantia pleraque infra licitum quieſcit, vltra nunquam progreditur, ea ſi deſit, cæteræ virtutes vel decidunt à ſummo, vel non aſcendunt ad ſummum, impetus enim eſt, non ratio, quidquid ſine temperantia profitemur. Ipſa virtutes perennat.* Mira propterea temperantiæ lege Monachi fontis Auellani floruerunt, atque vt illam haudquaquam excederent, extra domum cibum ſumere vetabantur, in quorum regula ſic dicitur. *Regulare eſt monaſterij, vt ij qui in via diriguntur, foris non comedant, ſi eo die ſperant reuerti, cui videlicet obſeruantiæ illud etiam apud nos additur, vt ſiue ipſe, ſiue alio die fuerit quis egreſſus, ieiunus ſemper ad eremum reuertatur.*

Tandem pro huius virtutis, & mortificationis commendatione afferam quæ ſanctus Baſilius continentiæ nomine de ea dixit in regulis fuſiùs diſputatis. (Interrog. 17.) *Eſt ergo continentia, peccatorum ſublatio, vitioſarum affectionum amandatio, corporis ad naturales etiam vſque paſſiones, cupiditateſque mortificatio, principium vitæ ſpiritualis, ſempiternorum bonorum conciliatio, voluptatis aculeum in ſeipſa abolens. Siquidem voluptas nihil eſt aliud, quam eſca illa maligni, per quam nos homines ad peccatum valde procliues ſumus. Ab ea omnis anima non ſecus, atque ab hamo quodam ad exitium pertrahitur. Quòd ſi quis adhibita continentia, ab ea ſe neque effæminari paſſus ſit, neque inflecti, hic ſine controuerſia quodam penitus peccatum effugerit. Si verò cùm à pluribus euaſerit, tamen ſub vnius adhuc dominatu ſit, nequaquam is haberi in continentibus debet: quemadmodum neque ſanus, qui vno aliquo corporis vitio laborat, neque eis tantùm vnius dominatur, liber. Ac reliqua quidem virtutes, cùm in occulto exerceantur, minus ſæpe illuſtres apud homines exiſtunt; continentia autem, in quo ineſt, eum vel primo ipſo aſpectu tantùm notum facit. Vt enim optimus corporis habitus, & coloris bonitas, pugilem à cæteris diſtinguit: ſic Chriſtianum à cæteris macilentia corporis, palloreque deflorèſcens, qui continentiæ veluti adiunctus eſt comes, indicio eſt, eum Chriſti mandatorum verè pugilem eſſe, qui in infirmitate corporis aduerſarium ſuum in lucta proſternat, & quàm potens ſit, in pietatis certaminibus declaret, conuenienter verbis illis: Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.* (2. Cor. 12.) *Quantum enim vel in ſolo continentis alicuius aſpectu lucri eſt, videre illum videlicet parcè, tenuiterque res etiam ipſas neceſſarias attingentem, ægréque naturæ miniſterium perinde ac tributum moleſtiæ & angoris plenum pendentem, temporiſque, quod in hoc ipſo conſumitur, moram animo iniquo ferentem, celerriméque à menſa obeunda munera ſua reſilientem? Siquidem opinor ad animum illius, qui ventris libidinibus ſeruiat, peruellendum, & ad frugem reuocandum meliorem, nullam cuiuſuis generis orationem poſſe excogitari, quæ tantundem valeat, quantum vel ſolùm continentis alicuius aſpectus. Atque hoc eſt, ni fallor, illud ad gloriam Dei manducare, & bibere, vt in menſa etiam luceant bona opera noſtra, vt glorificetur Pater noſter, qui in cælis eſt.*

Etiam cum ſæcularibus, & hoſpitibus ſeruanda abſtinentia.

CAPVT XXXV.

CÆTERVM vt obiter hoc moneam. Lex & decor abſtinentiæ ſeruanda eſt, iuxta S. Baſilium, etiam cum ſæcularibus, & hoſpitibus. (De Reg. in interrog. 20.) Acceſſit, inquit, alius à communi, vulgarique viuendi conſuetudine? Hic diſcat ex factis, quæ ratio illi perſuadere non potuit, formulam, & adumbrationem hinc mutuetur vitæ frugalioris. Inſideant in eius animo monumenta, quæ ipſi memoriam excitent menſæ Chriſtianorum, neque pudendæ propter Chriſtum paupertatis. Quòd ſi his minimè ille promouebitur, ac potiùs ridiculo habebit, prorſus iterum nobis moleſtus non erit. Verumenimverò nos, quandocumque diuites aliquos animaduertimus, ex iis, qui ſummum bonum in voluptatibus ponunt, vehementer admodum illorum vicem dole

dolemus, deploramuſque, quod totum vitæ tempus in futilibus, ac nullios pretij rebus conſummant, nempe qui voluptates ſuas Deum ſibi ſuum conſtituerint, nec ipſi ſentiunt, vt partem bonorum ſuam in hac vita recipiant, & per baſce delitias, ad ſibi paratum ignem, & illius æſtuantiſſimum ardorem hinc emigrent. Ac ſi quando nacti occaſiónem fuerimus, hæc longiore oratione apud illos perſequi non dubitemus. Quod ſi futurum eſt, vt nos quoque in iiſdem, in quibus ipſi, criminibus ſimus, & ea quæ voluptaria ſunt, inquiramus, ad oſtentationem ea apparemus, equidem metuo, ne quæ deſtruximus, ea ædificare videamur, illis etiam iiſdem rebus, per quas cæteros iudicamus, nempe quorum vita aſſimulatio, qui videlicet modò in hanc, modò in illam formam pro varia temporum ratione tranſeamus, niſi fortè veſtitus etiam demutandus nobis ſit, quotieſcumque caſus tulerit, vt in ſuperbos, ac faſtigio elatos aliquos inciderimus. Quòd ſi hoc facere minus inſtituto noſtro conueniat, illud certè multò ab honeſto alienius, ſi ob iſtos delicatulos à menſæ noſtræ ſolito ritu receſſerimus. Conſtans atque vniuſmodi eſt vita germanè Chriſtiani, eaque vnum modò ſibi propoſitum habet gloriam Dei. Siue enim manducatis, ſiue bibitis, omnia ad gloriam Dei facite. Verba Pauli ſunt hæc, ex cuius ore Chriſtus loquebatur. Contraque eorum, qui à vera pietate ſunt alieni, inconſtans ac varia: nempe quæ ſeſe modò in hanc, modò in illam formam per ſimulationem tranſmutet, & ad illorum quibus cum eſt, libidioem accommodet. Quamobrem tu quoque cum largiore epularum copia, & exquiſita nimis in illis ad voluptatem apparandis ſolertia in fratre accipiendo, menſæ tuæ ſolitum ritum immutas, ſine controuerſia ipſum veluti hominem voluptatibus deditum accuſas, & apparatu illo ei contumeliam infligis, nimirum qui ventris illi libidinem obiicias. An non ſæpenumero, & genere ipſo, & modo apparatus animaduerſo, coniecturam conſueuimus facere, quis, aut cuiuſmodi ille ſit, qui expectetur? Nequaquam Dominus Marthæ illud laudi tribuit, quòd in appatitione rerum multarū occuparetur: ſed *ſolicita es*, inquit, *& turbaris circa plurima*. Porrò paocis eſt opus, vel vno potiùs, ac paucis quidem, quod pertinet ad apparatum: vno verò, nempe ſine ipſo, vt videlicet neceſſitati fiat ſatis. Ipſe autem Dominus, prorſus non neſcis, cuiuſmodi menſam quinque illis millibus appoſuerit, neque non ſimiliter votum Iacob ad Deum ſcis. Gen. 28. *Si dederis mihi panem*, inquit, *ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum*; non autem dixit, ſi dederis mihi affluentiam opum, aut magnificentiam. Quid verò ſapientiſſimus vir Salomon? *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi*, inquit, *ſed tribue tātum victui meo neceſſaria, ne forte repletus, mendax efficiar, & dicam: Quis me videt? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomen Dei mei.* Sic ille diuitias, ſaturitatem, egeſtatem verò ſummam rerum ad vitam neceſſariarum inopiam definiuit: nimirum ex eo, quod dicit neceſſaria, medium quid inter egeſtatem, & abundantiam rerum ad vſum neceſſariarum declarans. Porrò aliis rebus eſt opus, pro diſſimilitudine videlicet naturæ corporis cuiuſque, & propoſitæ rei gerendæ neceſſitate. Siquidem huic largiore, & validiore opus eſt cibo, propter defatigationem laboris, illi contrà tenuiore leuioreque, & ad corporis ipſius imbecillitatē accommodato. In communi autem hoc ſtatuendum eſt, vt cibaria, quæ promiſcuè omnibus apponantur, eiuſmodi ſint, quæ cum vili pretio, tum paruo etiam negotio comparentur. Adhibenda tamen in menſa neceſſariò vbique munditia eſt, atque elegantia, ita tamen, vt nuſquam extra fines noſtros egrediamur: atque hoc vnum in acceptatione hoſpitum noſtra ſpectemus modò, vt eorum cuiuſque, quos acceperimus, neceſſitati ſatisfiat. Qui enim vtuntur hoc mundo, inquit, ſint tanquam non abutentes. Porrò abuſus nihil eſt aliud, quàm ſumptus ille, qui vltra neceſſarium vſum fit. Non ſunt nobis pecuniæ? nec ſint. Non ſunt referta penora; quid tum? viuimus enim in diem, & in labore poſitus nobis eſt victus. Cur igitur eſcam à Deo eſurientibus datam, peruersè in iſtorum delitias ac voluptates inſumimus? & peccamus vtrinque, qui & illis egeſtatis anguſtias intendimus, & his ſaturitatis incommoda exaugemus. Hæc ille.

Quantum conferat caſtitati, & alijs bonis animæ & corporis deuota benedictio menſæ.

CAPVT XXXVI.

SEo & benedictio menſæ à ſanctiſſimo Parente Ignatio commendata maioris momenti tuendæ caſtitati, & aliis multis vſibus eſt, quàm à nonnullis putatur. Mirum quod plures Patres dicunt, adſtruiturque S. Pauli ſuffragio. Quandam miram gratiam, & virtutem Dei accedere cibo & potui benedictione ſancta expiatis, vt minus corpori & animæ lædant, minuſque iis Dæmon vti poſſit ad tentandum nos, vel nocendum, ſanctiorque euadat is, qui benedictione præuia, & cum gratiarum actione victum ſumpſerit. S Anſelmus ait: *Sanctificatur cibus ipſe per verbum Dei, quod eſt in actione gratiarum & oratione, quæ adiungitur, ne Diabolus per eum noceat.* (In 1 Timoth. 4.) S. Chryſoſtomus loquens de oratione poſt menſam exemplo Annæ matris Samuelis ſic ait. *Vbi precatio, & gratiarum actio, eò Spiritus ſancti aduenit gratia. Dæmones abiguntur, & omnis aduerſaria poteſtas diffugit.* (Hom. de fide Annæ.) Idem ait. *Hoc igitur à fœmina lucrum conſecuti ſumus, vt ſciamus poſt conuiuium orare. Quiſquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem, aut vinolentiam incidet; nunquam edacitate diſtendetur: ſed quoniam expectationem precationis habet pro fræno impoſitam animo, conueniēti menſura attinget ex omnibus quæ fuerint appoſita, multa benedictione tum animam, tum corpus implebit.* Ideo S. Iſidorus Peluſiota vocauit hanc benedictionem, & gratiarum actionem diuinorum munerum perceptionem; & S. Athanaſius Religioſam virginem hæc monet: *Cibus tuus & potus tuus ſanctificatus eſt; per preces enim, & ſanctiora verba ſanctificatur.* (In Reg. virg. ſerm.) Origenes quoque ait: *Vbi gratias egimus, pane veſcimur, qui vtique oratione & precibus ſanctius quoddam corpus conſtatur; quod ſanè ſanctiores hos reddit, qui mente integriore hoc ipſo vtuntur.* (Lib. 8. aduerſ. Celſum.) Locupletiùs

Lib. 3. in Iob. idem Origenes alibi dicit. *Cùm manducamus, ac bibimus, ſi dei memores fuerimus, ſi terribile nomen eius inuocauerimus, ſi nos metipſos, vel cibum, & potum noſtrum ſigno venerabilis crucis Chriſti ſignauerimus: ſi ad cœlum oculos noſtros leuantes dicamus, Qui das eſcam omni carni, da etiam cum benedictione hunc cibum ſumere; ſi dixerimus cum ſinceritate ad Dominum noſtrum: Tu dixiſti Domine, quia ſi mortiferum aliquid biberimus, tuum inuocantes nomen, non erit nobis moleſtum. Tu itaque Domine virtute, & gloria auerte veneficam, & iniquam operationem à nobis, & ab omnibus cibis noſtris; niſi enim tua miſericordia conſeruauerit, quomodo poſſumus effugere tanta pericula ciborum, ſanè ac potuum, quæ frequenter plus repunt, ac ſerpunt, quàm maligna ac venenoſa beſtia.*

His Patrum dictis præluxit ſententia Apoſtoli dicentis, *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reyciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* *1. Tim. 4.* Quem locum Patres multi, & nobiles interpretes de menſæ benedictione intelligunt. Itaque vtiliſſimus hic fructus benedicendi menſam ſanctificatio ciborum eſt; hæc autem ſanctificatio iuuat, ne Diabolus per cibos noceat animæ tentatione aliqua, aut corpori inualetudine, aut maleficio, aut vtrique intemperantia, & gula excedẽdo iuſtam cibi menſuram. Et quidem poteſtatem aliquam ſubtractam Dæmoni per benedictionem ciborum, euentus nonnulli oſtendunt, cùm omittentes illam à Dæmonibus, interdum inuaſi, & occupati fuerint. Nec enim exiguis nos liberat malis hæc quæ videtur exigua deuotio benedicendi, & agendi Deo gratias in ſumptione cibi. Rectè ſanctus Barlaam, apud Damaſcenum dicebat: *Quemadmodum exiguum pharmacum à magnis plerumque morbis hominem eripit; eodem modo etiam ob paruas res Deo gratias agere bona ingentia conciliat.* *In eius vita.* Et ſanctus Bernardus ait: *Fœlix, qui ad ſingula dona gratiæ, redit ad eum in quo eſt plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.* *Ser. adu. ingr.* Meritò propterea ſcripſit ſanctus Baſilius, *Orationes ante cibum fiant Dei muneribus digna. Quæque nunc tribuit, & quæ in futurum ſeruabit. Orationes item poſt cibum facienda, quæ & pro exhibitis gratias referant, & ea quæ promiſſa ſunt petant.* *Epiſt. 1. ad Greg.*

Exemplo Saluatoris noſtri idem admonemur, cuius, vt ex Euangelio ſcimus, gratiis Deo actis benedictionem præmiſſam, efficaciſſimam fuiſſe, tum quinque panibus hordeaceis multiplicandis, tum panibus & piſcibus, in altero miraculo ſeptem panum. Imò cùm venerandum ſui corporis ſacramentum inſtituit in vltima cœna, & in hoſpitio poſtquam reſurrexit coram duobus diſcipulis pergentibus Emaus, cùm fregit panem. Poſt vltimam quoque cœnam hymnum cum Apoſtolis dixit gratias acturus. Vnde ſanctus Hilarius ſcribit, *Sicut gratias egerunt antequam biberent, ita etiam gratias agunt poſtquam biberunt.* Vnde dicitur, & hymno dicto exierunt in montem Oliueti, vt ſcilicet addiſcas, & ante cibum, & poſt cibum gratiarum actiones reddere Deo. Sunt qui putent traditionem Apoſtolicam eſſe benedictionem menſæ. Sanctus Chryſoſtomus vocat illam legem Apoſtolicam, imò Ambroſius Catharinus doctrinam & traditionem Domini. Tertullianus in Apologetico de conuiuiis priſcorum Chriſtianorum ſcribit, non prius diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis eſt vtile. Ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe, ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire. Æquè oratio conuiuium dirimit, inde diſceditur. Lege autem Eccleſiaſtica ſemel & iterum ſtatuta videtur in Concilio Nannetenſi. Et in Concilio Martini Papæ, quorum decreta Gratianus ſcripſit. *Cap. quando autem d. 44. Cap. non liceat d. 44.* Vnde Turrecremata, Caietanus, Tabiena, Syluester, Angelus, Nauarrus, Iulius Nigronius dicunt omiſſione benedictionis peccare Religioſos, & à veniali non excuſant. Dominicus autem à S. Geminiano arctiùs loquitur, qui ſic inquit, *Non benedicentes menſam, & poſt prandium gratias non agentes videntur peccare mortaliter, quia faciunt contra præcepta legis.* *Ibidem.* Et quidem ſaltem rectæ rationi valde diſſentaneum eſt optimi benefactoris non meminiſſe in ipſa largitione ſuorum munerum, atque homines, qui Angelos imitari debemus in laudando creatorem omnium, iumentorum inſtar tradere ſe gulæ ſine memoria Dei. Rectè dixit S. Athanaſius. *Sunt plurimi de genere mundanorum, qui, vt amentes, & vt bruta animalia pabulum capiunt.* *Reg. de conſ. virg.* Et pòſt. *Iſti ſunt deteriores belluis, & iumentis; iumenta enim, & belluæ agnoſcunt creatorem ſuum, eumque benedicunt: homines contrà Dei digitis formati, eiuſque imaginem referentes non nouerunt creatorem ſuum.* Quapropter tanti momenti habita eſt benedictio menſæ ſeruis Dei, vt ſanctus Benedictus in regula definierit pœnas iis qui tempeſtiuè ad menſæ benedictionem non accurrerint. *cap. 43.* Et vt commentatores obſeruant diligentiores volebat Monachos ad menſæ benedictionem, quàm ad orationis horam.

Comedere autem extra tempus, & ſine ſuperiorum facultate periculoſiſſimum eſt. Non ſemel Diabolus oſtenſus eſt cibis vetitis ineſſe; neque enim quod contra obedientiam editur, poteſt cum benedictione edi. In hac obſeruantia viri ſpiritualis valde minuti ſunt. Sanctus Pachomius in ſua regula ſic præcipit obedienti Monacho, *non ei licebit de his quæ acceperit ferre ad cellam ſuam, nec pomum quidem.* Contrà autem, cùm per obedientiam ſumitur delicatior cibus, cum benedictione ſumitur, & tanquam Chriſtus ſumi poteſt. Sic S. Cæſarius in ſua regula ait: *Illud ante omnia te ſancta Mater, & te venerabilis quæcumque fueris, Præpoſita etiam cuicumque cura committenda & infirmarum. Primiceria etiam vel Fermaria admoneo, & conteſtor, vt vigilantiſſimè conſideretis, vt ſi ſunt aliquæ de ſororibus, quæ pro eo quod aut delicatiùs nutritæ ſunt, aut defectionem forſitan ſtomachi frequentiùs patiuntur, & ſi quæ reliquæ abſtinere non poſſunt, aut certè cum grandi labore ieiunant, ſi illa propter verecundiam petere non præſumunt, vos eis iubeatis à Cellariis dari, & ipſis vt accipiant ordinetis. Et certiſſimè confidant quidquid diſpenſante, aut iubente ſeniore qualibet hora percipient, in illa repauſatione Chriſtum accipient.*

Que

Quo pacto in menſa geri debeat Religioſus, ex B. Dauide de Auguſta & ſancto Bonauentura.

CAPVT XXXVII.

Orat 3.

Orat. 6.

DE modo quo in menſa geri nos deceat, dixit B. Iſaias Abbas: *Ad id quod tibi appoſitum fuerit, ſic manum extendito, tanquam edere coactus ſis.* Et alibi ait. *Si quid in menſa fuerit, à quo fratrum aliquis abhorreat, ac dicat, eo ſe veſci non poſſe, ſed ad mortem vſque ſibi ipſe vim afferat, & Deus illum conſolabitur.* Opportuna ſunt quæ S. Bonauentura plenius conſulit: *In menſa non ſint oculi tui gyrouagi, nec hinc inde conſpicias, ita quòd neſcias quis ſedet in latere tuo, vel quid faciat, vel quid coram ſe habeat. Tibi ſoli intentus ſis, vel Deo, vel lectioni. Cum diſciplina, timore, & ſilentio comede, non cum impetu gulæ quaſi famelicus, nec vagis oculis, & inquieto corde circumſpicias, quid ſit in menſa delicatius, nec ante quæras ſatiare oculum quàm palatum, ſed cum gratiarum actione ſufficiat habere quod potes. Et ſemper velis penuriam aliquam potius ſuſtinere, quàm plus abundare. Nihil aſpernas quod tibi apponitur, nec indigneris ſi aliquis defectus ſit in condimento vel ſalis, vel coctura; ſed cogita quòd multò meliores te, vilioribus, & paucioribus cibis ſunt contenti, qui illud quòd abijcis pro magnis delicijs reputarent. Paupertas Chriſti familiaris amica placeat tibi in omnibus, & ipſam cum ſummo conatu amplectere in menſis, cibis, & potu, in veſtibus, in vtenſilibus, in libris, in ædificijs, & in omnibus. Videmus quàm humiles geſtus pauperes haberent, quàm ſimplex reſponſum, quàm pauidum animum. Nunquam audiatur aliqua querimonia de te, pro aliquo defectu in cibo, vel potu, vel veſtitu. Reputa te indignum eſſe de his quæ habes, quia inopia exterior creſcit in augmentum gratiæ interioris, & in diuitias conſcientiæ bonæ. E contra exterior abundantia inopiam generat interiorum. De menſura verò comedendi difficile eſt dare certam regulam, niſi quòd inter duo ſemper medium teneas. Ne ita parum ſumas, vt in viribus deficias, & ne communi labore frangaris. Similiter nec ita multum ſumas, vt propter multum cibum ſumptum non poſſis orare, vel legere, vel agilis eſſe ad ea quæ præcipiuntur. Et inter iſta, propria experientia eſt melior magiſtra, cum bona voluntate.* Eadem penè habet B. Dauid de Auguſta.

Cæleſtes voluptates guſtant, qui per caſtitatem contemnunt terrenas.

CAPVT XXXVIII.

DENIQVE zona Angeli non qualiſcumque erat, ſed ſapphiri, ſicut nec caſtitatis cingulum commune & vile eſt: nam, vt S. Bonauentura dixit, *Caſtitas debet habere cincturam pretioſam.* Qualem videmus in Scriptura geſtaſſe Angelos hanc repræſentantes virtutem. Daniel vidit S. Gabrielem indutum ſimiliter lineis, cuius renes accincti erant auro obryzo. Sic & Ezechiel vidit ſeptimum Angelum accinctum ſapphiro Qui lapis quoniam cœleſtis coloris eſt, cœleſtia Sanctorum deſideria, pioſque æternorum affectus ſolet in Scriptura ſignare. Hic autem demonſtrat ſpe, guſtuque cœleſtis gloriæ cingulum mortificationis faciliùs aptari, pulchriuſque Deo, & Angelis videri: ipſam autem caſtitatem retineri cœleſtium conuerſatione, deuotioniſque, & pietatis oblectatione ſeruari. Nam, vt loquitur Albertus Magnus, præcipuum conſeruatiuum caſtitatis eſt delectari in Domino, tunc enim omnia vilia vileſcunt: guſtato enim ſpiritu deſipit omnis caro. Vnde ſanctus Gregorius ait: *Eſſe quidem anima ſine delectatione non poteſt. Nam aut delectatur infimis, aut ſummis: & quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto maiori faſtidio torpeſcit ad infima. Quantoque acriori cura inardeſcit in infimis, tanto tempore damnabili frigeſcit à ſummis.* Et rectè quidem Humbertus dixit: *Abſit enim, vt diuina conſolatio infundi debeat vaſi inquinato. Hanc ſuauitatem & dulcedinem cordis præparat caſtitas, quoniam ad cœleſtium rerum contemplationem, diuinoſque haurirendos radios diſponit. Ipſa virtus,* inquit B. Laurentius Iuſtinianus, *ad contemplationem Dei præparat: nam continentia eſt amor ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens, & eleuans ad ſuperiorem. Nil enim nobis volentibus ad contemplationem aſcendere penitus plus eſt fugiendum, quàm iſta ſenſibilia, quæ incontinentiæ maximum ſunt fomentum. Cauendumque magnopere eſt, dum hoc tegimur corpuſculo, ne quo earum viſco pennæ noſtræ impediantur. Quibus integris, atque impollutis opus eſt, vt ad illam lucem inuiſibilem, quæ nobis promiſſa eſt, ab his tenebris euolemus, quam Deus nec oſtendere quidem dignatur in concupiſcentiarum cauea incluſis, niſi tales fuerint, vt iſta vel effracta, vel diſſoluta poſſint in auras ſuas euolare.* Hæc autem cæleſtis caſtorum delectatio non accidet, niſi terrena contempta; nam, vt idem Doctor ait, *Voluptates animæ impediunt ſalutem, obliuionem Dei inducunt, à ſapientia mentem retrahunt, ſterilitatem bonorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, hominem impatientem faciunt, & ſpiritualibus delitijs corpriuant. Delicata enim eſt diuina conſolatio, & non datur admittentibus alienam. Quis namque audeat carnis illecebris deditus Paraclitum expectare. Sicut enim impoſſibile eſt, vt ignis inflammetur in aqua, ita & præter naturam exiſtit in compunctione cordis, & ſpirituali delectatione vigere delitias temporales. Hæc ſiquidem inuicem ſunt peremptoria. Illa enim generant pudicitiam, hæc concupiſcentiam: illa cor conſtringunt, & eleuant, hæ diſſoluunt.*

Cap. 6. de Parad. animæ.

Lib. 18. Mor. cap. 41.

Epiſt. de 3. votis c. 23.

DOCTRINA V.

DE MODESTIA.

Quàm neceſſaria ſit modeſtia ſeruis Dei maximè operarijs vineæ Domini.

CAPVT XXXIX.

Eccli. 19.

EX viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſēſatus amictus corporis, & riſus dentiū, & ingreſſus hominis annuntiant de illo. Ad caſtitatem ſpectat modeſtia corporis, quam ſpecialius nunc commendare non inutile erit; nam etſi animi noſtri cultus præcipua ſolicitudine ſit curandus, non eſt proinde excolendi, componendique corpus omnis deponenda cura. Deus enim non minus corporis eſt Dominus, quàm animæ, nec membris corporeis minus illi ſeruire quàm potentÿs ſpiritualibus debemus. Virtutis quoque ſplendor, non arcano ſolùm pectore conditur, ſed per ipſos artus, totumque corpus transfunditur, & foris cum iubare ſuo emicat. Quare non ſolùm inſtituendæ animæ, ſed corporis, magna eſt magiſtris ſpiritualibus habita ratio. Noſter præſertim ſanctiſſimus, prudentiſſimuſque legiſlator ſpeciales leges moderandi corporis ſcripſit, & præterea vbi opportunum eſt, modeſtię curam inculcat; nam licet omnibus ſeruis Dei hæc virtus corporis neceſſaria ſit; ij potiſſimum illa indigent, qui cum aliis agere tenentur, vt ſeruata maieſtate virtutis venerabiles mundo ſint, & per ipſos ipſa virtus venerabilis, & amabilis. Nam, vt Eccleſiaſticus dixit, *ex viſu cognoſcitur vir.* Neque virtus noſtra à ſæcularibus ſuſpicietur, niſi per externa ſe prodat augusta. Oportet autem hoc quàm maximè iis qui veluti virtutis præcones inter nationes prauas habitant, vt mundum Deo reconcilient. Quemadmodum ad exteras gentes non mittūtur Legati, niſi delecti, & optima corporis conſtitutione inſignes, vt reuerentiam ſui conſpectu ipſo concilient, optimumque ſuæ gentis ſpecimen exhibeant, atque venerabili virtutem forma repræſentent, ne, vt Gellias Agrigentinus, riſui ſint, & infectum negotium relinquant. Sic etiam qui animarum ſalutis tanquam Ieſu Chriſti legati, curam ſolicitant, opus etiam habent. In externo corporis geſtu maieſtatem virtutis inſinuare, & ſeſe commendare populis, dum exteriorem corticem, ac ſuperficiem illuſtrant interioris virtutis energia velut indice, ac luce; vt amor ſpectatæ virtutis, quemadmodum Maximus dixit, occulto & potenti introitu mundanorum animis illabatur. Simile quid expertus olim Polemon vitio

Plut. adul. dig.

ætatis, & impunitate libidinum inſoleſcens, qui mero languidus, & coronatus roſis, cinctus adoleſcentium grege, cùm in ſcholam Xenocratis fuiſſet ingreſſus, vt laſciuiam in omnium oculis defigeret, homo ſapiens compoſito vultu ad decus & ſeueritatem ſiue geſtu, ſine vilis verborum aculeis ita edomuit petulantiam iuuenis, vt præter omnium expectationem ſplendore illo alienæ virtutis ſeſe ad modeſtiam conuerteret.

Itaque & pro munere ſpeciali noſtro, & alioqui pro integra totius hominis reformatione, & præſtando perfecto Dei obſequio omnes corporis artus, geſtus, motus tenemur moderari, vt conformemus noſtrum corpus non ſolùm animæ rationali, ſed ſpiritui, nec ſolùm ſpiritui humano, ſed diuino. Nam membra noſtra templum Spiritus ſancti ſunt, & corpora noſtra membra Chriſti, iuxta S. Paulum, cuius ſententiis nihil ſublimius dici poteſt ad commendationem modeſtiæ, & corporalis diſciplinæ. Semel ait: *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Sic enim

1. Cor. 6.

geri debemus, ſic incedere modeſtè grauiter, reuerenter, vt Deum non ſolùm in anima, ſed in corpore etiam portemus, nec ſolùm portemus, ſed glorificemus. Quòd ſi ad portandum dumtaxat corpus Chriſti magna reuerentia, grauitas, deuotio requiritur, ad glorificandum Spiritum diuinum, quid opus erit? quanta membrorum compoſitio, quanta morum grauitas? *Quantam,* ſanctus Anſelmus nos monet, *nihil in veſtro corpore notari poſſit, quod ad Dei contumeliam ſpectet, quod non eius gloriam commendet.* Rationes, quas inſinuat Apoſtolus, efficaciſſimæ ſunt. Prima, quoniam Spiritus ſancti templum ſumus; nam licèt omni loco Deus purè colendus ſit, præcipua tamen reuerentia in templo eſt venerandus, ipſumque templum mundum & ornatum eſſe debet. Quemadmodum enim cùm corpus Chriſti circumfertur per plateas, & ſi mundentur, non tamen ſimili diligentia & puritate præparantur, ac mundus eſſe curatur ille locus, vbi diuriùs ſeruatur, & adoratur, templum nimirum & ſacratium; ſic etiam quoniam templum Spiritus ſancti ſunt membra noſtra, diligentiſſimè curanda, & pro tanti hoſpitis reuerentia exquiſitè componenda ſunt. Optima quoque eſt conſideratio S. Anſelmi: *Quomodo non vultis maculari domus veſtras. Sic nec Deus domum ſuam, id eſt, corpus veſtrum. Si vobis non parcitis, propter vos ipſos parcite propter Deum qui fecit vos templum ſuum. Grauiter enim peccatis ſi templum eius quod eſt in vobis, corrumpitis.* Altera Diui Pauli ratio eſt, quoniam non ſumus noſtri, ſed alieni iuris ſumus, nimirum Dei. Et quemadmodum mancipium alienæ voluntati ſtat, nec corpus proprio arbitrio regere ſibi licet. Sic noſtrum corpus, omneſque artus non noſtra, ſed rationis & ſpiritus lege moderandi ſunt. Herus enim temporalis pręcipuum ius habet in corpus ſui ſerui. Sic etiam Rex noſter, & Dominus æternus non ſolùm in animam, ſed in corpus noſtrum ius ſibi vindicat. Egregiè quoad dixit S. Anſelmus: *Qui emptus eſt, non eſt ſui arbitrij, ſed eius à quo emptus eſt, vt non ſuam, ſed illius faciat voluntatem, ideo propenſius ſeruite Domino, qui vos emit de manu inimici, ne offenſus à vobis, reddat vos eidem vaſtatori. Verè non eſtis veſtri ad faciendum quidquid placuerit, quia empti eſtis ad Dei ſeruitium.* Tertia ratio Apoſtoli eſt, quoniam alieni ſumus, non quomodolibet, ſed pretio magno empti. Tradidit ſemetipſum pro nobis filius Dei, vt nos emeret, & tradidit, non ſolùm animam, ſed corpus pariter,

Digitized by Google

pariter, ſingulaque membra crucianda pro nobis, vt nos illius ſeruitio manciparemus, non ſolùm animam, ſed corpus & ſingula membra, vt in omnibus glorificetur. Neque ſolùm exhortatur nos Apoſtolus ad honorem corporis, quoniam membra noſtra ſint templum Spiritus ſancti, ſed etiam quoniam corpora noſtra ſunt Chriſti membra. Hoc quidem, vt videtur, honorificentius eſt, quantum excellit membrum alicuius magni Regis à pauimento, & lignis, & parietibus prætorij ſui. Quòd ſi idcirco, quia templum Spiritus ſancti ſumus, tanta reuerentia moderari membra debemus, quid fieri oportet, quoniam membra filij Dei ſumus. Certè niſi velimus iniuriam facere innocentiſſimo, & puriſſimo corpori I e s v, cum magna corpus noſtrum grauitate, & modeſtia gubernare debemus; nam ſicut multò indecentius eſt Regi, ſi turpe & deforme aliquod membrum habeat, quàm ſi cubile in quo hoſpitium habet, parum ornatum ſit: ita ſimiliter maior iniuria Chriſto fiet inordinatum corpus habendo, quia membra filij Dei ſumus, quàm quia templum Spiritus ſancti ſumus. Cùm enim membra Chriſti ſimus, ſic corpus mouere & gubernare debemus, ac ſi anima Chriſti Ieſu, diuinoque ſpiritu regeretur. Aliter enim Humbertus ait, ſe debet habere corpus quod regit Spiritus ſanctus, aliud quod regit ſpiritus malus. *Lib. de erud. p.2 c.5.* Diſciplina corpus humanum quaſi ad ſtatum innocentiæ reducit, dum illud ſubiectum, & obediens ſpiritui reddit. Sicut corpus aliter diſpoſitum congruit ſpiritui in ſtatu gloriæ, quàm in ſtatu gratiæ: ſic corpus aliter diſpoſitum congruit ei in ſtatu gratiæ, quàm in ſtatu ſolius naturæ corruptæ. Diſciplina corporis eſt honeſtas, honoris ſcilicet ſtatus. Habet corpus honorem magnum propter ſpiritum, quia eſt ei aſſociatum. Ex hoc enim eſt corpus nobiliſſimum, ad quod alia corpora ordinata ſunt. Ex hac etiam ſocietate, maiorem honorem expectat, & iam maximum honorem in Chriſto propter ſpiritum cui aſſociatum eſt, ſuſcepit. Aſſociatum eſt enim diuinitati; & iam glorificatum ſpiritui creato Chriſti nobiliſſimo. Ideo valde decens eſt, vt in honore ſe cuſtodiat; & ne contemnendo faciat ſpiritum ingloriosum, quem fecit Deus tam glorioſum. Cùm corpus humanum ſit habitatio, in qua Deus habitat cum ſpiritu rationali: decet eam & decoram eſſe, & ornatam. Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt. In Pſalmo quoque dicitur, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Item, *Domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudine dierum.* Voluit Deus ſuam cœleſtem habitationem eſſe ornatam; ſpiritus eius ornauit cœlos. Sic terreſtrem habitationem eius decet eſſe ornatam. Cognoſcitur ſpiritus malus in domibus ſuis, vt cognoſcebatur in Saul quem exagitabat: ſic Deus in domibus eius cognoſcitur. Corpus diſciplinatum inhabitat Spiritus ſanctus diſciplinæ amator, qui ſpiritus diſciplinæ dicitur.

Facit quoque ad modeſtiæ, & totius corporis curam habendam, ne corpus impedimento ſit ſpiritui, quo tantopere indiget: nam, vt idem Humbertus ait, Magna peruerſitas eſt, quod corpus noceat ſpiritui, qui ita vtilis eſt corporis. Separatio ſpiritus à corpore, manifeſtat quod ei præſentia conferebat. Si corpus inimicatur ſpiritui, multum poteſt ei nocere, cùm ſit ei multum familiare. Omni tempore, & omni loco eſt cum eo. Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Eius operibus quotidie indiget, nec vna die ſine illis eſſe poteſt: vnde ſi ſint ei noxia, per proceſſum temporis magnum eſt valde nocumentum. E contrario verò ſi fiant debito modo, vt ſpiritui ſint vtilia, valde magnum eſt lucrum. De ſolo fructu oris ſpiritus poſſet ditari, ſi os debito modo regeretur. De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur, id eſt, repleri poterit bonis, & iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei: ſic ſi malè regatur, poterit malis repleri. Debet ſpiritus habere corpus ſuum charum, ſi fideliter ſeruiat ei. Si eſt tibi fidelis ſeruus, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta. Nec ſoli ſpiritui diſciplina eſt vtilis, ſed etiam corpori. In libro de vita ſolitaria, ſic dicitur: *Nihil magis expedit ſtulto, quàm ſeruire ſapienti.* Et iuxta verbum Bernardi, *Nihil melius corpori, quàm ſalutem animæ prouidere.* Prouidendo enim animæ ſalutem, prouidet & ſuam: procurando eius damnationem, procurat & ſuam. Si fidelis fuerit ſocius in labore, ſocius erit in mercede. Propter hæc omnia, optimè Salomon dixit, *Finis modeſtiæ timor Domini, diuitiæ, gloria & vita.* *Prou.22.*

Quatuor potiſſimis rebus modeſtiæ ratio habenda.

Capvt XL.

NVnc videamus, quibus in rebus corpus præcipuè moderandum, & modeſtiæ cura ſit habenda. Quatuor præſcripſit Eccleſiaſticus, dicens: *Ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis annuntiant de illo. In ſpecie nimirum exteriori totius corporis, in amictu, in riſu, & ingreſſu modeſtiæ ratio potiſſimum conſiſtit, de quibus nonnihil dicendum.

In primis facies & totus corporis aſpectus ſic effingendus eſt, vt per omnes artus radium quemdam internæ virtutis animus iaculetur, & in externo vultu mens coruſcet. Sicut Salomon ait. *In facie ſapientis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ.* *Prou.17.* Virtus enim, vt Seneca dixit, magnum ſui decus eſt, & corpus conſecrat. *epiſt.66.* Idonea religioſæ modeſtiæ ſigna ſunt quæ virtuti patientiæ addixit Tertullianus. *Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta, remiſſa æquo non lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore ſignatum, color qualis ſecuris, & innoxijs.* *Lib. de patient.* Quoad cæterorum membrorum geſtum, & cultum, ſatis erit exhibere, quæ S. Bonauentura monuit. Circa diſciplinam in geſtu quæ modus, & figuratio membrorum, & corporis dicitur, duplex eſt cuſtodia adhibenda. *1.p. ſpec. partis 3. cap. 2.* Prima eſt, vt vnum membrum alterius officium non vſurpet, aut eius miniſterium ſui admixtione confundat. Si os loquitur, caput non agitetur, manus non moueatur, & ſic de aliis, vt dum alterum membrum operatur, alterum quietum omnino permaneat: aut ſi opera

eius

Digitized by Google

eios neceſſaria illi eſſe eognoſcitur ad operandum: ordinatè moueatur. Secunda eſt cuſtodia diſciplinæ in geſtu, vt quodlibet membrum in eo quod facit, debitum modum teneat: nec temperantiæ limitem, aut honeſtatis formam excedat. Hoc eſt, vt in paucis exemplificemus, ridere ſine apertione dentium, videre ſine defixione oculorum, loqui ſine extenſione manuom, ſine contorſione labiorum, ſine iactantia capitis, ſine eleuatione ſuperciliorum, incedere ſine modulatione greſſuum, ſine ventilatione brachiorum, ſine geſticulatione ſcapularum, iacere ſine deiectione membrorum, ſedere ſine alterutra ſuperiectione pedum, & ſine alterutra accubatione laterum, ſine diuariatione, ſeu dilatione crutium, ſine extenſione, vel agitatione tibiarum. Nempe honeſtum, & humilem fratrem femori ſuram imponere, vel pedes palam cancellate non decet. Atcendi, vel in publico, geſtus inepti. Geſtus denique Religioſi debet eſſe humilis, ſenerus, & grauis. Eſt enim teprehenſibilis geſtus, ſi ſuperbiam, ſi mollitiem, quæ nune per laſciuam hilaritatem diſſoluit, nunc per nimiam deiectionem infatuat, aut ſi etiam leuitatem prætendat. Turpis in humilitatis profeſſore ſuperbia. Fœda prorſus in humili habitu, geſticulatio faſtuoſa. Sie non eſt viri muliebrem dare mollitiem, puerili leuitate. Grauitatis modeſtia multam affert ſeruata moribus honeſtatem, neglecta maculam & contemptum. Mortificata ſecundùm Apoſtolum ſuper terram membra, geſtus debent mortificatos habere.

De amictu commendanda ſunt quæ ſcripſit
Interrog. 22. ſanctus Baſilius, vbi hanc eirca veſtitum doctrinam propinat: Si enim in eo ſtudendum eſt nobis, vt omnium infimi ſimos, ſine dubio, & quod in hoc genere indumentorum infimum eſt, id ſummopere nobis eſt amplectendum. Vt enim qui ſtudioſi gloriæ ſunt, ex amictu etiam veſtimentorum, gloriam ſibi ſoliti ſunt aocupari, nempe qui ex illorum magnificentia, ſplendoreque ſpectabiles ſe, & in admiratione eſſe eupiant: ſic videlicet, qui ob vitæ humilitatem in infimum ſeipſum abiecerit, in his quoque qood omnium infimum eſt, conſectari debet. Quemadmodum enim in publica cœna Corinthiis vitio datur, quod magnifico ſuo epularum apparatu, egentibus inopiam viderentur exprobrare, ac pudore aſpergere: eodem modo in forenſi quoque, & conſpicuo omnibus veſtimentorum vſu, is qui à populari conſuetudine elegantior recedit ornatus, ex quadam veluti comparatione eos dedecorat, qui tenuiores ſunt. Cùm autem Apo-
Rom. 12. ſtolus dicat: *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*; exquirat ſeipſum quiſque, vtrine magis aſſimilem eſſe Chriſtiano homini conueniat, iiſne, qui habitant in aulis Regum, & mollibus veſtiuntur, an nuncio, & præconi aduentus Domini, quo in natis mulierum nullus ſurrexit maior, de Ioanoe loquor filio Zachariæ, cuius veſtimentum ex ſetis camelorum erat. Quin & veteres ſancti illi viri circumibant in melotis, & pellibus caprinis. Porrò ad quem finem vſus is dirigi debeat, docuit nos Apoſtolus vnico verbo, cùm dixit: *Habentes victum, integumentaque, his contenti ſimus.* Quippe tanquam ſolo nobis integumento ſit opus, oeque iam amplius propter varietatem, eamque, quæ ex illa conſequitur, exquiſitam elegantiam, in damnatum luxuriæ vitiom (ne quid dicam grauius) incidamus. Siquidem hæc poſtea ab inutilibus, mirimeque neceſſariis artibus in hominum vitam ſunt importata. Atque etiam perſpicuum eſt, quis nam primus integumentorum vſus fuerit, qui à Domino ipſo eo indigentibus eſt datus. Fecit enim illis, inquit, Deus tunicas pelliceas; quandoquidem ad ea in corpore contegenda, quæ aſpectu ipſo minos fuerant honeſtatis habitura, ſatis erat etiam huiuſcemodi tunicarum vſus. Sed quoniam in veſtimentis non hoc quæritur tantummodo, ſed illud etiam præterea, vt videlicet per ea frigoris incommoda depellantur, neceſſariò ad vtramque rem accommodatus eſſe veſtimentorum vſus debet, vt per ea ſcilicet & corporis deformes partes obtegantur, & quæ ab cœli indemētia afferuntur, incōmoda propulſentur. Iam quando in his quoque quędā ſunt, quę ad plures, quędam quæ ad pauciores vſus aptantur: conſentaneū videtur ea à nobis pluris fieri oportere, quę ad plures poſſint vſus accōmodari, quo videlicet nihil quidquā contra ſuſceptum à oobis ſummæ in victu paupertatis iuſtitutum fiat. Neqne alia ad forenſem oſtentationem, alia ad domeſticum vſum parta habeamus, atque ex his ipſis item ad diurnum quædam, quædam ad nocturnum tempus diſtributa, ſed eiuſmodi quoddam nobis veſtimenti excogitandum eſt genus, quoad omnia vti commodè poſſimus: vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honeſtati, & nocturnæ etiam neceſſitati faciamus ſatis Ex quoquidem illud continget, & communem omoium noſtrûm inter nos in veſtitu ornatum eſſe, & veluti ioſignem quandam ae peculiarem ex ipſo amictu etiam homini Chriſtiano impreſſam notam. Quæ enim ad vnum & eundem finem ſpectant, illa vtplurimum inter ſe conueniunt.

Vtilis etiam præterea in hoc peculiaris hæc amictus ratio eſt, quòd ea, qualis ſit vnuſquiſque, antè indicat, & vitæ, quæ ex Deo eſt, profeſſionem ante veluti teſtificatur: quæ res facit, vt ab iis, qui nos viderint, actiones etiam iſti profeſſioni conſentaneæ requirantur. Neque enim ſi quid indecorum, inhoneſtumve geritur, id ſimiliter, & in obſcuris hominibus, & in iis qui illuſtres magna quædam profitentur, animaduerti perinde ſolet, aut propalam eluceſcit. Nam de vulgo aliquem, aut alioqui obſcurum, ſi in publico is aut pulſet aliquem, aut aliunde ipſe pulſetur, & obſcœnas voces emittat, aut frequens in ganeo verſetur, & alia generis eiuſdem flagitiosè agat, haud facilè quiſquam attēderit, quippe cùm id exiſtimet quiſque, eius facta illa vniuerſo vitæ ipſius inſtituto reſpōdere. At qui vitæ genus ab omni parte abſolutum profiteatur, hunc, ſi vel latum vnguem ab officio ſuo recedere viſus ſit, omnes confeſtim obſeruant, ipſique probri loco illud obiiciunt, & id quod in Euangelio ſcriptum eſt, faciunt: *Conuerſi dirumpent vos.* Quo fit, vt imbecillioribus, veluti pædagogi diſciplina ſit quædam, qua inuiti etiam à rebus flagitioſis prohibentur, hæc quæ in veſtitu foris apparet profeſſio. Vt igitur peculiaris quidam in veſtitu eſt ornatus militis, alius Senatoris, itemque aliorum alius, vnde vtplurimum de dignitate illorum cuiuſque capitur coniectura: ſic decorum quoque eſſe, ac conſentaneum videtur, hominem Chriſtianum in veſtitu etiam præcipuum aliquid à ceteris ſeruare oportere, per quod

traditum

traditum ab Apoſtolo modeſtum ornatum illum conſeruet. Qui quidem modò cenſens ſtatuit Epiſcopum ornatum eſſe debere, modò mulieribus, vt in habitu ornato incedant, præcipit, ita tamen, ſcilicet vt ornatus ille cum vita Chriſtiani hominis congruere intelligatur. Eadem mihi quoque in calceamentis ratio eſt, vt videlicet, quod quàm minimum præferat curioſitatis, minimoque ſumptu parari poſſit, & ad neceſſarium modò vitæ vſum ſit ſatis. Hic canon perpetuò tenore ſeruetur. Hugo Victorinus etiam dicit. *Amatores Religionis plus debent hic amare veſtimenta vilia, quàm pretioſa: plus groſſa, quàm ſubtilia: plus aſpera, quàm mollia: plus fuſca, quàm nitida: plus neglectè, quàm curatè compoſita, vel adaptata.* Et in libro de vita ſolitaria dicitur. *Intentum interioribus ſuis animum magis decent omnia exteriora inculta, & neglecta. Diligentia circa vanitatem exterioris ornatus, ſignum eſt negligentia circa interiorem ornatum.* Meminiſſe oportet illius dicti ſancti Bernardi, *non tantum curaretur corporis cultus, niſi priùs neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus, ornatus corporalis eſt impedimentum ornatus ſpiritualis.* *Apolog. ad Guiliel.*

Interr. 17. Circa riſum rurſus S. Baſilius docet: Quod à pleriſque negligitur, non mediocriter caueri ab iis debet, qui colendæ pietati ſtudent, ne in riſum videlicet præter modum effuſi ſint, quandoquidem non abeſſe à ſe intemperantiam ſignificat is, qui profuſo nimis, petulantique riſu teneatur, ſeſeque animi ſui motus neqnaquam ſedatos, eiuſque mollitiem, ac veluti laxitatem nequaquam ratione ſeuera habere compreſſam declarat. Verùm enim modicè rictum deducere, eoque modo animi ſui diffuſionem leniter ſignificare, non eſt contra decorum, quatenus illud tantùm indicetur, quod ſcriptum eſt. Cor gaudens exhilarat faciem; illud autem in immanes cachinnos prorumpere, & corpore, contra animi voluntatem, ſuſſultare, nequaquam eſt eius, qui animo compoſito ſit, aut planè probo, & compote ſui ipſius. Porrò hoc ita eſſe, vir ſapientiſſimus Salomon confirmat his verbis. Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacitè ridebit. Huiuſmodi genus riſus etiam Eccleſiaſtes damnans, tanquam rem animi conſtantiæ, & grauitati maximè contrariam, ſic dicit. *Riſum reputaui errorem.* Item, *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti.* Atque hoc ipſum etiam ita eſſe, Dominus oſtendit, qui ſuſceptis cæteris, quæ neceſſariò corpus ſequuntur, affectionibus, iiſque omnibus, quæcumque virtutis teſtificationem habent, veluti laſſitudinem, & miſericordiam aduersùs calamitoſos, riſu, quantum Euangeliorum hiſtoria cognoſci poteſt, vſus nunquam ſit, contraque omnes quotquot ab eo tenerentur, miſeros appellauerat. Audiendus quoque eſt ſanctus Bernardus. *Si quando coram alijs poſitus ridere alicuius rei cauſa fueris compulſus, vt adſolet, non ſit riſus tuus excuſſus; nam, iuxta ſapientem, amictus corporis, & riſus dentium, & greſſus hominis annuntiant de illo.* *In ſerm. hon. vit.* Optimè S. Bonauentura Religioſos monet: *Non ſint in riſu faciles, nec in voce clamoſi. Cachinnus præcipuè grauitatem Religioſi plurimum dehoneſtat. Vile prorſus, religioſum virum vt puerum cachinnare. Non licet religioſum virum, diſſolutis labijs riſum proferre, ſed hilari vultu, cordis hilaritatem prætendere, in datione pacis labia ſemper claudant, quibus apertis turpiter exhibetur.* *1. p ſpeculi.*

Ingreſſus quoque Religioſi grauitatem ſui ſtatus commendat, non mundanam leuitatem, nec faſtum indicet meminerit quæ reprehendat Propheta Amos. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael.* Væ qui in Sion, nimirum in domo Dei propter confidentiam Samariæ, hoc eſt, temporalium, & corporalium donium magni inter alios fratres videri volunt, & Principes eorum pompaticè ingredientes, & tumorem animi greſſu oſtendentes, & honorem ab aliis melioribus extorquentes. Acerbiùs Iſaias minatur. *Dixit Dominus; pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* *Iſai. 6.* Profectò magnum immodeſti inceſſus ſupplicium minatur in iis verbis Dominus: hanc quippe decaluationem referunt multi ad lepram immittendam à Domino, qua non tantùm capillis, ſed etiam carne nudatur. Alij ad aſſidua onera, quæ fœminæ captiuæ ſub Nabuchodonoſor ſuper capita ferebant, quibus depilatum eſt caput. Religioſi viri inceſſus longè recedat à ſæcularium, & iuuenum mobilitate, cuius prudentem regulam S. Bonauentura ſic tradit. *Inceſſus tuus ſit maturus, non leuiter curras, & ſine neceſſitate, nec corpus multum erectum geras, ſed mediocriter depreſſum, nec vagus ſis oculis, nec brachijs ventiles, nec aliter more ſæcularium incompoſito greſſu incedas, ſed plane, & humili modo, quaſi à deuota oratione decedas.* *De inform. nouit. c. 19.* De his rurſus agemus, cùm regulas modeſtiæ ſancti Ignatij commendabimus, quas prætetire nefas duxi.

DOCTRINA VI.

DE LEGIBVS modeſtiæ.

Leges modeſtiæ S. Ignatij, Patris noſtri.

CAPVT XLI.

NOSTER Parens S. Ignatius, qui ſalutaribus præceptis, & inſtitutionibus formauit animum religioſum, corpus quoque voluit inſtituere, vt totum hominem gratum ſuo redderet Creatori. In eoque maior patet eius zelus, quatenus nec minora contempſit, atque ad exiguas res admonendas deſcenderit, nouerat magna ſæpe à minimis pendere; etenim clara nonnunquam conuerſationis inſignia, inquit S. Bonauentura, quædam in minimis obſcurant ineptiæ. Plerumque modicis, paulatim per in-

curiam ſubrepentibus maculis, tota motûm congeries inquinatur. Idcirco ad quoſlibet actus corporis moderandos motus labiorum, oculorum, manuum, pedum, & minimos membrorum geſtus prudentiſſimas S. Ignatius leges tulit, quas hîc ſubiiciam, & oſtendam fauum confeciſſe ex antiquorum Patrum nectare collectum. Sic incipit:

In conuerſatione noſtrorum illud in vniuerſum dici poteſt, vt in omnibus externis actionibus appareat in noſtris modeſtia, & humilitas, coniuncta cum religioſa maturitate.

In tract. de nou. inſtr. cap. 12. Hîc oportebit admonere quæ in vniuerſum circa modeſtiam Hugo Victorinus præſcripſit. *Diligenter obſeruandum eſt, vt ſingula membra ſuum teneant officium, nec vſurpent alienum. Deinde vt vnumquodque ſuum opus tam decenter, ac modeſtè impleat, vt per indiſciplinam oculos inſpicientium non offendat. Item diſcretio actionum in membris obſeruanda eſt, vt ſcilicet id agat vnumquodque membrorum, ad quod factum eſt, vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officium aſſumat. Sunt quidam, qui neſciunt auſcultare, niſi buccis patentibus. Alij loquentes digitum extendunt, ſupercilia erigunt, aut oculos rotantes, aut profunda ponderatione defigentes cuiuſdam intrinſecus magnificentia conatus oſtendunt. Alij caput iactant, comam excutiunt, veſtimenta adaptando componunt, & latera cubitando, pedeſque extendendo ridiculam ſatis oſtentationis formam fingunt. Alij quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, alteram tantùm collo detorto voci venienti opponunt. Alij nauigant brachijs incedentes: & duplici quodam monſtro vno & eodem tempore pedibus deorſum in terra ambulant: & lacertis ſurſum in aëre volant. Quid eſt, quæſo, monſtrum hoc, quod ſimul in ſe fingit hominis inceſſum, & nauis remigium, & auis volatum. Prima igitur cuſtodia diſciplinæ in geſtu eſt, vt vnumquodque membrorum in eo officio, ad quod creatum eſt, ſe contineat, vt id quod facit, eo modo faciat, quo faciendum eſt; nec plus, nec minus, nec aliter. Et vt in paucis exemplificemus, reddere debet ſine apertione dentium, videre ſine defixione oculorum; loqui ſine extenſione manuum, & extenſione digitorum, incedere ſine ventilatione brachiorum, & ſine geſticulatione ſcapularum, ſedere ſine alterutra ſuperiectione pedum, ſine extenſione, vel agitatione tibiarum, & ſine accubatione laterum.* Optima documenta religioſæ conuerſationis non libet præterire, quæ tradidit S. Baſilius, humilem, & modeſtam Religioſorum viuendi rationem deſcribens.

Hom. 22. *Quónam pacto*, inquit, *ad ſalutarem hanc animi humilitatem pernicioſa ſuperbia elatione relicta deſcendemus? Si perpetuò ſtudium modeſtiæ exerceamus,* &c. *vide ne in ſermone arrogantiam vſurpes ſophiſticam, neque dictionem oſtentes ſuperbam, ſed in omnibus ſplendori ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, manſuetus erga domeſticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, inuiſens in dolore conſtitutos, in ſumma, neminem contemnens; ſuauis in appellatione, alacer in reſponſione, dexter & expoſitus vniuerſis, neque tua ipſius celebrans encomia, neque alios, qui hoc faciunt, ſubornans, neque inhoneſtam de proximo famam admittens, & virtutes tuas, ac prærogatiuas, quantum fieri poteſt, obtegens; peccatorum verò gratia te ipſum accuſans, nec expectans, vt ab alijs reprehendare: vt idem facias, quod iuſtus qui in principio ſermonis ſeipſum accuſat, & ſis qualis erat Iob, quem non puduit vrbis tumultuationem propriam contra ſe deprædicare ruinam. Ne ſis increpando moleſtus, ac ſeuerus; neque ſtatim, aut cum animi commotione quemquam reprehendas (reſipit enim hoc contumaciam quandam,) neque propter modica delicta condemnes aliquem, quaſi rigidus iuris exactor, ſed eos, qui deliquerunt, complectare, & ſpiritualiter inſtruas, quemadmodum admonet Apoſtolus, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Et tantum ſtudij impendas, ne apud homines glorioſus habeare, quantum impendunt alij, vt glorificentur, ſiquidem Chriſti memor fueris. At Prælatus ts alij, & homines te glorificant. Par eſto ſubiectis, non tanquam dominans in cleris, vt Apoſtolus inquit, neque ſæcularibus Principibus te conformes. Qui namque primus eſſe cupit, omnium hominum ſeruum eſſe iubet Chriſtus.* Pergit deinde S. Ignatius.

Caput huc illuc leuiter non moueatur, ſed cum grauitate, vbi opus erit, & ſi opus non ſit, teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem ad neutrum latus deflectendo.

Prima capitis cura habenda eſt; nam ipſum primaſ, & ſic principalis hominis pars, vt Plato dixerit, totum hominem in capite vultuque eſſe; alij ſacrum quid & diuinum illud dixerunt, Ariſtoteles prorſus aſſeruit omnium partium diuiniſſimum eſſe caput. Fatui autem, aut leuiſſimi hominis ſignum dicunt Philoſophi inconſtantiam capitis, vt quæ notet animi leuitatem, quam naturam indicem leuitatis, & inconſtantiæ in Imperatore Iuliano animaduerterunt aliqui Patres, & inter ſigna quibus ad intimum eius animum potuit penetrare. S. Gregorius Nazianzenus collocat nutus, & renutus capitis omni ratione carentes. Orat. 4. Nam cùm caput quadrupliciter per muſculos moueatur, iuxta Galenum; ſurſum enim & deorſum annuit, dextrorſum, & ſiniſtrorſum agitatur, atque iſta varietate vtimur ad multas res ſignificandas, Iulianus ſtolidè, & inconſideratè eos adhibebat geſtus, qui, vt Elias Cretenſis notat, caput ſubinde attolleret, atque demitteret; nihil tamen eo ipſo ſignificaret. S. Gregorius Niſſenus amentium dicit eſſe colli contortionem. *In vniuerſum*, ait Philo Iudæus, *quod tortum eſt, degeneres mores arguit, ſicut erectus habitus apertos, & minimè fucatos.* Tertullianus ceruicem eneruem tribuit Herculi delitiis apud Omphalem delinito. Fœmineum eſt caput ad latus inflectere, ſic Iulius Firmicus dixit: Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti veſtibus vix caput laſſa ceruice ſuſtentant. Clemens Alexandrinus, hoc vitium in ſuo pædagogo exagitans ait. *Neſcio ego vocem effœminare, neque fracto, & in obliquum reflexo collo ingredi.* Dio Chryſoſtomus voluptarij hominis characterem ponit ceruicem inflectere. Meritò ſanctus Ambroſius carpit inflexilem hominem, & reſupinum. Et Lucianus aduersùs

indoctos

indoctos ait. *Snpinus incedis, Regis ingreſſu vultum habitumque imitatus.* Clemens Alexandrinus, vt Chriſtianns mores inſtrueret, à enntraria imaginis offenſione hnminem inſnlentem deſcripſit erecto collo ſupinum, & inflatum, obuios qunſque deſpicere, & intueri, an illum aſpiciant. Optimè quidem Nazianzeous canit. *Sublimis eſto vita, non ſuperbia.* Audienda ſunt ſalutaria monita quæ tradidit ſanctus Bernardus in formula hnneſtæ vitæ. *Non factis greſſibus ambnles, ant ſcapulas dextrorſum, ant ſiniſtrorſum vrgendo non erecta ceruice, non prominoate pectore, ſeu etiam inclinato capite ſuper humerum, quæ omnia, aut lenitatem redolent, aut elationem oſteatant, aut hypocriſim ſapiunt. Incedens ergo ſtans, & ſedeas faciem ſemper habeto deorſum, reuoluens in animo tuo, quòd pnluis es, & in pnluerem reuerteris, & cor ſurſum, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei Patris ſedens. Quaqua verſum nulla curioſitate, quin potiùs neceſſitate aſpicias.* Accipiendum quoque eſt præceptum diuini pœdagogi apud Clementem Alexandrinum, *Colli, & ceruicis conuerſio, motuſque honeſtus ſit, & decorus.* Hic optimus capitis modus, vt neque nimium attnllatur, oeque plus iuſtn efferatur, qui & naturæ cnmpoſitin eſt, & decori ſplendor, quemadmodum obſeruat S. Gregorius Niſſenus. *Caput*, inquit, *ſuper humeros poſitum non compreſſum, non humile, & abiectum, ſed decorè, ſpecioſéque formatum collo inſidet.* Nimia abiectin triſtitiæ ſignum eſt, aliqua humilitatis, cuius argumentum eſt, iuxta ſanctum Gregorium Nazianzeoum, colli depreſſio, & vultus inclinatio. Deinde ad partes capitis moderaodas deſcendens ſanctus Parens noſter ait:

De opif. hom.

Oculos demiſſos vtplurimum teneant, nec immoderatè eos eleuando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo.

Idem prorſus contulit ſanctus Dnrotheus, & tanquam modeſtiæ caput commendar, dicens: *Honeſta, ac modeſta, Deoque, & hominibus grata Monachi compoſitio hæc eſt. Primum oculos tuos cohibe, ne huc, atque illuc circumferantur. Sed quæ ante te ſunt, tantum intueri, atque ſpectare velint.* Idem ait: *Cùm Præpoſiti tui, ſeu Magiſtri, vel amici cuiuſqnam cellam ingrederis, caue ne quidquam eorum quæ ibi fuerint, curioſè ſcruteris, aut intnearis. Quicumque enim impudeater in his, & curioſè ſe geſſerit, habitum & profeſſionem monaſticam mentitur, & Chriſtum qui eam inſtituit.* Egregiè dixit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus: *Virtus aureis modeſtia frenis omnibus ſenſibus iniectis, aquos ſingulos in ſumma moderatione tuetur, neque permittit oculum aliquid impudenter, aut ſuſpicioſè ſpectare.*

Doctr. 19.

Lib. de Virg.

Nobiliſſimum membrum oculi ſunt, idcircn potiſſima cura eorum habenda. Pythagoras *oculos* appellauit *Solis ianuas.* Plinius ait: *profectò in oculis animus inhabitat.* Eodem appellauit ſanctus Chryſoſtnmus *membrum quoddam animi, & ſpecioſiſſimum.* Sanctus Gregorius, *lucernas animi*; rectè quidem. nam per oculos animus conſpicitur. Eadem cauſa vocantur *imago animi.* L. Craſſus dixit: *In ore ſunt omnia, in eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum. Animi eſt enim omnis actio, & imago animi vultus eſt, indices oculi. Nam hæc eſt vna pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere. Oculos enim natura nobis, vt equo & leoni ſetas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit.* Breuiùs dixit ſanctus Hieronymus: *Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana.* Et Nicoſtratus: *Benigni ocnli ſummam animi pulchritudinem comitantur.* Hinc elati, & vagi nculi ſuperbi animi indices feruntur. Syneſius Sophiſtam notat ſnlitum ſupinare, ſeque pauoris inſtar ſuperbè oculos circumferentis iactare. Similiter Nazianzenus inter Snphiſtæ ootas ponit ſublimiter reſpicere, excelsè, & altè ingredi. Contrà ſunt oculi nnnnihil demiſſi, & graues, pacati & modeſti animi ſigna. Beda illud Ioannis interpretatus, vbi dicitur Saluatnr mundi oculos ſubleuaſſe: *Hoc*, ioquit, *memorauit, vt diſceremus, quòd ocnlns non erigebat hnc, atque illuc.* Sanctus Ambroſius laudans Satyrum fratrem, dixit de illo in cœtu virorum rarus attnllere os, eleuare nculns, referre ſermonem, quod pudico quodam mentis pudnre faciebat. Sanctus Baſilius, cùm veoiſſet in Liuanij ſchnlam, & à Sophiſta illo magno inuitaretur, vt ad diſcipulns ſuos cohortatinoem haberet, inter alia monuit pudnre nrnari, deorſum viſum habere, ſurſum animum. Euſtachius lectus inter nmnes à Romano Imperatore, legatus ad Saporem Perſarum Regem, qui multis copiis Antiochiam nbſidebat, ſua modeſtia nmnium ſpem ſuperauit. Nam Sapor cùm eſſet à natura ferox, & opininne ſua elatus, cumque ſemper adeuntibus difficilis, aſperque fuiſſet, barbarn quodam terrore iectnrus hominem videbatur, ſed vbi Euſtachius ingreſſus eſt eo pudore & gratia, quæ io nculis elucebat, captus fuit Rex Perſarum, ille fnrmidandus, vt compreſſa animi ferocia manſuefactus ſit; adeò ille deiectionem oculorum, placidumque vultum ſuſpexit, vt Euſtachium menſæ communione dignaretur. Subdit ſanctus Ignatius:

Lib. 11.

Hom 3. in 4. ad Coloſſ.
Hom 6. in Euang.
Lib. 3. de Oratore.

Epiſt. 10.
Apud Stob. in Dione.

Epiſt. 131.

Eunap. in Ædes.

Inter loquendum cum hominibus, præſertim alicuius authoritatis non defigatur aſpectus in eorum vultus, ſed potiùs ſub oculos.

Hoc ſignum pudnris eſt, & quemadmodum videmus in clarorum virorum ædibus aureis ſcribi litteris in Pnrhyro huius, aut illius domini eſſe palatium, aut ſtemmatibus inciſis, nnbilitatem eius denotari. Ita oportet in fronte illius, qui ſe omnibus probare ſtudet, velut aureis ootis pudorem ſcribi. Verè ſiquidem Fabius dixit, nihil eſſe ad enncilandum gratius verecuodiâ. Similiter & Tullius ait, ad conciliandam beneuolentiam, adiuuare lenitatem vocis, vultnm, pudoris ſignificationem: quippe pudorem in oculis eſſe dixit Ariſtoteles. Xenophon de Spartanorum mndeſtia lnquutus: *Illorum*, inquit, *oculos minus flexeris, quàm ſi eſſent anei, atque omnino eos prudentiores & verecundiores eſſe dixeris, quàm ſint illæ quæ in oculis ſunt virgines, ſeu pupillæ.* Sanctus Bernardus. *Nunquam alicui oculum in faciem figas.* Sanctus Auguſtinus, *Oculi noſtri, etſi iaciantur in aliquem, figantur in neminem. Adulatorum eſt oculos in aliquem defigere.* Sic Theophraſtus de adulatore dicit, *In eundem oculos de-*

Quintil. l. 12. cap 3.

Lib. 2. de orat.

In form. honeſtæ vitæ.
Epiſt. 109.

ſixos habet etiam, dum alios alloquitur. Aliquando eſt laſciui, vel irati. Idcirco edixit S. Baſilius [io animaduerſionibus] aduersùs Canonicas, *qua nutu oculi, aut prauo aliquo geſtu proximam offenderit, ſegregator hebdomadam vnam.* Denique audiendus eſt S. Bonauentura, qui diſciplinam
1.p. ſpeculi. in oculorum geſto ſic tradidit. *Amatores honeſtatis, oculos ab inordinata euagatione, exaltatione in menſa, & in choro præcipuè diligenter cuſtodiant. Scriptum eſt enim: Oculi ſtultorum in finibus terra. Et dilatatio cordis eſt exaltatio oculorum. Leuat quidam Propheta oculos, vt petat auxilium, Dominus vt impendat. Tum quoque ſi locum, cauſam, & tempus conſiderans, tua vel fratris neceſſitate oculos leuas, non ſolùm non culpo, ſed plurimum laudo, hoc enim excuſat miſeria, illud commendat miſericordia. Sin aliàs non Propheta, non Domini, ſed Dina, vel Eua, immo ipſius Sathana, te imitatorem dixerim.* Procedit legiſlator noſter,

Ruga in fronte, & communiter in naſo euitentur, vt ſerenitas exteriùs cernatur quæ interioris ſit indicium.

Rectè Nazarius dixit, *In ſpeculo frontium imago extat animorum.* Et Tollius *frontem* appellauit *animi ianuam. Iracundum animum notant ruga*
In epiſt. ad Tit. *frontis.* Sic S. Hieronymus iraſcentem hominem deſcripſit toruo vulto, trementibus labiis, rugata
Epiſt. ad Ruf. fronte. Idem Hieronymus reprehendeos Doctorem quendam ait. *Cùm menſa poſita librorum expoſuiſſet ſtruem adducto ſupercilio, contractiſque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat hoc ſigno ad audiendum diſcipulos prouocans.* Poëta Amphis illuſit Platonem quòd inſtar cochleæ frontem corrugatam haberet. Et
Laërt. lib. 3. Tullius ait. *Iare erat in Socrate idem vultus cum mente à qua is fingitur, nulla fieret mutatio.* Prudentius de S. Vincentio canit.

Omni vacantem nubilo
Frontem ſerenam illuminat.

Etenim ſerenum, & ſecurum animum notat limpida frons. S. Hilarius Arelatenſis de S. Stepha-
Hom. de Steph. no dixit, abſcondita pectoris ornamenta ſpeculum frontis irradiaſſe, & cùm haberet in ſe Spiritum ſanctum, os præ ſe geſtaſſe Angelicum. Iam oris modeſtiam ſic præſcribit S. Ignatius:

Labia nec nimis compreſſa, nec nimium diducta.

Non exiguam modeſtiæ portionem labia continent, propterea laudatur filius Dei ob diffuſam in labiis gratiam. Gregorius Niſſenus ſimilem labiorum moderationem, ac S. P. N. Ignatius, nec nimium comprimendi illa, nec nimium diducendi agnouit in illo Salomonis dicto, *Labia tua ſicut vitta, ſiue funiculus coccineus.* Quibus verbis menſura quadam, normaque prudentiæ moderata, & circunſcripta labia, verborumque diſpenſationem intellexit. Idem ſanctus Gregorius Niſſenus dixit propriam eſſe amentium oris
Lib. 10. dilatationem indecoram. Eubulus apud Athenæum dicebat, *Aſpectu certè omnino ridiculus eſt*
Laër. Lib. 7. *homo labra merdicus premens.* Zeno aiebat, minus conſentaneum os ducere, aut immodicè aperire quod hominum proprium eſſet, qui plurimom loqoantur, ſed ea benedicere noo poſſent. Agellius oſtentatorem hominem deſcripſit cum rictu oris, labiorumque ductu. Philo Caium Im-
peratorem expreſſit fœdum in morem os ducen- *In leg. ad Cal.*
do. Idcirco monuit S. Dorotheus, *Cùm riden-* *Doctr. 19.*
dum eſt, caue ne in tuo riſu exeras dentes. Sunt qui putent, idcirco veteres tribuiſſe Nemeſi frenum, vt os, & labra ritè gubernarentur, nimio ne preſſu puerili modo adſtringantur, & ne vaſtius diducantur. quod ſanctus Gregorius Nanziaozenus in carmine de vita ſua appellauit bonam ordinationem labiorum. In ſumma iuxta noſtra regulas,

Tota facies hilaritatem potius præ ſe ferat, quàm triſtitiam, aut alium minus moderatum affectum.

Hæc hilatitas vultus neceſſaria eſt conciliandis intuentium animis. S. Chryſoſtomus loquens de
S. Melerio dixit: *Erat ſumma voluptas frui illo* *Hom. 5.*
ſacto vultu. Subdit rationem. *Non enim ſolùm docens, nec loquens, ſed tantùm ſi videretur, ſatis erat ad inducendam cœleſtium virtutum doctrinam pariter, & amorem.* Commendatur à Philoſtrato Scopelianus, qui in populi concionem ita ſoluta facie, hilarique prodibat, vt audientes vultus re-
miſſione, & tranquillitate mitigaret. Plutarchus *Lib. 1. de vita Sophronij.*
laudans Pompeium, illi tribuit vultum noo mediocriter gratioſum, quique tacitis neſcio quibus illecebris hominum ſtudia, beneuolentiamque pelliceret, atque adeò præueniret eius orationem. Capitolinus Marcum Antonium Philoſophom hominem perfectum demonſtrans, & ſuis
numeris abſolutum ait: *Erat ſine triſtitia gra-* *Inform. bon.*
uis. Ideo S. Bernardus monet, *triſtitiam maximè* *vita.*
in conuentu diſſimulare te decet, quandam in facie hilaritatem prætendens, priuatim autem nunquam vultus in diuerſa mutetur. Themiſtios improbum hominem deſcribit, demiſſo ſemper in terram vultu, ſemper tetricum, & contractum vultum habentem. Idcirco Fabius conſulit, ne perferat in iudiciis triſtem, & impexam antiqui-
tatem. S. Chryſoſtomus honeſti hominis formam *Dialog. de*
deſcribens, reprehendit frontem caperatam at- *Orat.*
que triſtem, aut contra nimium diſſolutam, & diffuſam. Et quidam optimè cecinit,

Nec frons triſte rigens, nimiuſque in moribus horror,
Sed ſimplex hilariſque fides, & mixta pudori
Gratia.

Componendus vultus eſt, qualiter ſe pingit ſanctus Paulinus.

———Ipſo te lædere vultu
Semper & incauta timui violare figura.
Quumque tua acceſſi venerans, mea cautius ora
Compoſui, & læto formaui lumine frontem.

Ij, qui auſteriores aſpectu ſunt, Clearchum imitari poſſunt, qui cùm eſſet vi naturæ acerbus, &, vt Xenophon ait, qui haberet triſtem quandam in vulto ſeueritatem, eum tamen fortiſſimæ legiones verba facientem incredibili voluptate audiebant, quod pro illa triſti, horridáque vultus inhumanitate dulcem quandam hilaritatem adlucere in eius vultu dicerent. Ad veſtitus modeſtiam procedens noſter ſanctus Parens ait:

Veſtes

Digitized by Google

Veſtes ſint mundæ, & cum Religioſa decentia compoſitæ.

Meminit huius modeſtiæ ſanctus Cæſarius in regula: *Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus, quod veſtrum decet propoſitum.* Lib.1.c.3. Caſſianus ſcribit priſcos Monachos geſtaſſe veſtimenta nullis affectatis per incuriam ſordibus decolora. nam, vt inquit S. Bo- Spec.p.3.c.8. nauentura, *Fœda religio quæ innititur fœditati, culpatur quidem & cultus munditia, nimius & neglectus.* Idcirco monet, *cauendum, ne habitus dum ſedetur, aut genuflectitur, aliquam inquinamenti maculam contrahat, etſi quam propter aliquam cauſam contraxerit, vel propter ſudorem mundificari citiùs debet.* Goffridus de ſancto Bernardo refert in eius vita. *In veſtibus ei paupertas ſemper placuit, ſordes nunquam.* Quod item commendat Martinus Damienſis libro de virtutibus cardina- Cap. de cont. libus, dicens: *Hoc maius obſerua ne paupertas tibi immunda ſit, nec parſimonia ſordida, nec ſimplicitas neglecta.* His omnibus præluxit ſanctus Baſi- Ser. de abſti. lius monens: *Monachum oportet habere habitum non ſordentem, ſed honeſtum.* Hinc non eſt mi- Serm. ad claust. rum quod Petrus Bleſenſis in quodam ſermone inter argumenta conſpicua religioſi Ordinis qui dicere cum ſancta Agnete poſſit. *Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter Deum amatorem admittam, numerat veſtium vilitatem & munditiem.* Quod ſignum in noſtro Patriarcha ſancto Ignatio reperiebatur. nam in eius vita Lib.4.c.8. ſcribit Ribadeneira, *Veſtitus eius vilis & neglectus, ſed mundus: cultus ipſe ſine cultu.* Nam quod de ſanctiſſimis viris Nicolao & Bernardo memoriæ proditum eſt, *paupertas ei ſemper placuit, ſordes nunquam.* Quoad paupertatem veſti- Doct.19. tus rectè conſuluit ſanctus Dorotheus, *Veſtibus vtere, quæ ad corporis neceſſitatem faciant, non ad luxum & pompam, & hæc permodica ſint.* Prudenter præcepit ſanctus Baſilius in Conſtitutionibus Monaſticis de veſtimentis calceamentiſve, cap.2. *Non ea exquirenda nobis ſunt, quæ ſunt elegantiora, ſed quæ viliora, ea diligenda, vt in hac re etiam animi noſtri humilitatem ſignificemus. Neque opinionem nimis elegantium, aut nos metipſos amantium, & à fraterna charitate abhorrentium incurramus.* Beatus Theodorus Studita in teſtamento ſuo ſancit, *Non multitium veſtitum, ac ſumptuoſam tenebris, excepto ſacrificio, tenai Patrum exẽplo & amictu, & calceamento adhibendo.* Optimè 1.p. ſpec. p.3. cap.1. ſanctus Bonauentura ſcribit. *Sunt ſtulti, qui quodam officioſo artificio veſtimenta ſua circa ſe componunt.* Alij iactando & ventilando pannos ſuos leuitatem mentis ſuæ, ex ipſa ſui habitus mobilitate oſtendunt. Alij incedentes ſinuoſo ſirmate terram verrunt, & limbis dependentibus, imò retrò conſequentibus caudis, in ſimilitudinem vulpium veſtigia ſua obducunt, & quocumque perrexerint, quaſi turbo tempeſtatis puluerem cõcitant. Diſpoſitio habitus aliquando ratione operis, aliquando ratione conſortij variatur, reſpectu quorum habenda eſt conſideratio diſciplinæ. Ad exercitium operis tam propter expeditionem, quàm propter cuſtodiam munditiæ, honeſta, prout res exigit, præparatio veſtis requiritur. Ad modeſtiam Religioſi veſtitus ſpectat, ne ſit multi pretij, quod rectè etiam admonuit ſanctus Bo- Ibidem. nauẽtura: *Pannus*, inquit, *non ſit pretioſitate, mollitie, vel ſubtilitate notabilis. Veſtis pretioſitatem, etiam mulieribus Petrus interdicit. Porrò qui mollibus induuntur, in domibus Regum ſunt. Inter diuites palatij, & pauperes clauſtri debet eſſe differentia. Mollia veſtimenta, animi mollitiem indicant. Molles, ait quidam, mollia quærunt. Subtilitas & nitor reprehenditur in byſſo diuitis epulantis.* Et paulo pòſt ait. *Vereantur, & renitantur vt poſſunt, mutari ipſorum Sanctorum de veſtium vilitate cenſuram, & vitioſam conſuetudinem induci. In ſignum ſunt panni tui Domine IESV, ſed in ſignum cui à multis vſque hodie contradicitur.* Hæc modeſtia veſtitus pauperis & mundi iuuat quàm maximè ædificationem, obſtatque hypocriſi. Munditiesautem valetudini quoque prodeſt. Ad alia veniamus.

Manus ſi non in ſuſtinenda veſte occupentur, decenter quietæ teneantur.

Manus, iuxta S. Thomam, organorum organum eſt; iuxta Ariſtotelem, organum ante organum; iuxta Lactantium, rationis & ſapientiæ miniſtra. Idcirco præcipuus in manuum moderatione cultus curandus eſt. Propterea Seneca ſenior ait: *Apud Patres noſtros, qui forenſia ſtipendia auſpi-* Lib 5 contr. *cabantur, nefas putabatur brachium extra togam exerere.* Ariſtoteles peſſimum ſignum ponit ſupinos manuum motus teneritudine quadam & mollitie diſſolutos. Hoc vitium inquietas habendi manus iuuenum eſt, quibus iuxta ſanctum Gregorium Niſſenum, ſupra modum vigeant Orat. 2. de Beat. manus admotionem. Grauitatis autem, & dignitatis plena debet eſſe omnis actio, & manuum geſtus, quod ſanctus Bonauentura docuit, *Quando Religioſus cum muliere ſedet, aut* 1.p. ſpec. p.4. cap.4. *loquitur, manus ſuas occultare, & à ſe retrahere debet, quas etiam quandocumque cum perſonis extraneis, loquitur ſimul iunctas, & velut inuicem colligatas, vel alias religioſè decet haberi.* Idem alibi pleniùs docuit; *à notabilibus corporis, ſeu* Part.3.c.7. *membrorum extenſionibus, quæ cum oſcitationibus, vel aliàs non ſine quadam inhoneſtate fieri ſolent, omnino abſtineant. Tunc enim ſunt corpus, & brachia comprimenda, ne cum huiuſmodi pigritia extendantur. Honeſto incongruum viro, pigra membra diſtenſione reſolui. Diſſolutiones fugiant manuales, grandia namque cauſant pericula, ſoletque luctus ludo accidere corporali, & poſt comeſtionem præcipuè ſe à iocoſitate notabili & multiloquio ſtudeant temperare. Siquidem licèt omni tempore diſſolutionis leuitas ſit vitanda, poſt refectionem tamen, vel aliàs cum ſolo fratre, & iterum coram Conuentu turpiùs agitur. Turpiſſima eſt diſſolutio in Conuentu. Ad hæc, alium quempiam præter neceſſitatem ad cingulum, vel manum accipere, flores, fructus, vel baculum in manu ocioſè geſtare, cingulum inter digitos voluendo rotare, honeſtati non conſonat, immò laſciuiæ ſignum quodammodo prætendit. In lotione manuum quando de vaſe manuali aqua recipitur, vas ipſum nunquam à parte ſuperiori præcipuè manibus diſtillantibus, ſed per anſam potiùs, vel à latere, vel à fundo accipiant ne guttis manuum aqua reſidua ſordidetur.* Ad hanc modeſtiam ſpectat, quod cauit ſanctus Pachomius in regula: *Manum alterius nemo teneat, ſiue ambulauerit, ſiue ſederit, aut ſteterit, vno cubitu diſtet ab altero.* Pergit ſanctus Ignatius.

Google

Inceſſus ſit moderatus, ſine notabili feſtinatione, niſi neceſſitas vrgeret, in qua tamen quantum poterit, decoris ratio habeatur.

Sanctus Ambroſius, modeſtiam inceſſus, ac ſi Commentator noſtræ regulæ eſſet, ſic docuit, & commendauit. *Eſt etiam in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis ſtatu cernitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut contrà grauior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi, corporis motus. Meminiſtis filij quemdam amicum cùm ſedulis ſe videretur commendare officijs, hoc ſolo tamen in clerum à me non receptum, quod geſtus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cùm in clero repeperiſſem iubere me ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cùm redderetur poſt offenſam muneri. Hoc ſolùm excepi, nec fefellit ſententia. Vterque enim ab Eccleſia receſſit, vt qualis inceſſu prodebatur, talis perfidia animi demonſtraretur. Namque alter Arianæ infeſtationis tempore fidem deſeruit, alter pecuniæ ſtudio, ne iudicium ſubiret, ſacerdotem ſe noſtrum negauit. Lucebat in illorum inceſſu imago leuitatis, ſpecies quædam ſcurrarum percurſantium. Sunt etiam, qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionicos geſtus, & quaſi quædam fercula pomparum, & ſtatuarum motus nutantium, vt quoties cumque gradum transferunt, modulos quoſdam ſeruare videantur. Nec curſum ambulare honeſtum arbitror, niſi cùm cauſa exigit alicuius periculi, vel iuſta neceſſitas. Nam plerumque feſtinantes anhelos videmus torquere ora, quibus ſi cauſa deſit feſtinationis neceſſaria, fit iuſta offenſionis eſt. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex cauſa naſcitur, ſed quibus iugis & continua in naturam vertitur: nec in illis ego tanquam ſimulachrorum effigies probo, nec in iſtis tanquam excuſſorum ruinas. Eſt etiam greſſus probabilis, in quo ſit ſpecies auctoritatis, grauitatiſque pondus, tranquillitatis veſtigium; ita tamen ſi ſtudium deſit atque affectatio, ſed motus ſit purus ac ſimplex (nihil enim fucatum placet) motum natura informet. Si quid ſanè in natura vitij eſt, induſtria emendet, vt ars deſit, non deſit correctio.* S. Bonauentura etiam modum Religioſi inceſſus, ſic prudentiſſimè docuit. *Diſciplinam circa inceſſum, penes modum, & diſcretionem in ambulando conſiderent. Honeſtus enim modus requirit, vt non impetuoſis, & fractis greſſibus ambulent, nec erecta ceruice, non prominenti pectore, ſeu etiam inclinato ſuper humerum capite, aut vagabundè pendentibus manibus, quæ omnia vel leuitatem, vel ſuperbiam, vel remiſſionem, vel hypocriſim ſapiunt. Debent etiam ineundæ diſcretionem habere, ne de illorum numero cenſeantur, de quibus dicitur per Prophetam: Non eſt iudicium in greſſibus eorum. In eorum greſſibus non inuenitur iudicium, qui eundo neceſſitatem, vel ordinem non attendunt. Neceſſitas diſcurſum inutilem, ordo inordinationis confuſionem excludit. Diſcurſum igitur per domum, per hortum, & extra domum, qui magnum eſt inſtabilis mentis iudicium, cautè vitent. In domo ne ſcilicet per officinas de loco ad locum, de fratre ad fratrem inutiliter euagentur, aut loca rumoribus audiendis, vel collocutionibus aperta frequentent, ſed in locis ſibi conceſſis, vt ſunt Eccleſia, cella, capitulum ſi extranei affuerint, vel alijs locis, ſi quæ ſibi fuerint ſpecialiter deputata, cum ſilentio reſidentes. Officinis priuatis, puta vbi cibaria præparantur, infirmi, vel hoſpites recreantur, aut fratrum congregationi, vel comedentibus, & bibentibus, ſe nullatenus ingerant non vocati. Erubeſcant præcipuè, ad reficientium menſam accedere, vel eis niſi pro euidenti miniſterij neceſſitate aſſiſtere. Effrontis eſt hominis, non erubeſcere comedentes. Verumtamen ſi quando eos loca ſibi non conceſſa neceſſitas adire compulerit, ad oſtium pulſare aliquantulum poſſunt, vel vt aliquis egrediatur ad eos, vel ipſi vocati ſecuriùs, & honeſtiùs intrent.* Lucianus modeſtum adoleſcentem domo egredientem deſcribens, *à paternis ædibus egreditur, demiſſo in terram vultu, ac neminem ex omnibus, qui occurrunt, ex aduerſo intuens.* Contrà Ammianus de Palladio nequiſſimo homine, *Incedebat*, inquit, *paſſim elatè, os circumferens vultuoſum, omnibus formidatus.*

Lib. 1. offic. cap. 18.

3. p. ſpec. p. 3. cap. 6.

Iſai. 59.

Lib. 29.

Omnes denique geſtus ac motus eiuſmodi ſint, qui apud omnes ædificationem pariant.

Hoc eſt enim (inquit ſanctus Ambroſius) *pulchritudinem viuendi tenere: hic ordo geſtorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus, ſed vt molliculum, & infractum, aut vocis ſonum, aut geſtum corporis non probo. Ita neque agreſtem, & ruſticum. Naturam imitemur; eius effigies formula diſciplinæ, forma honeſtatis eſt.* Hæc ille. Lucianus indecoros corporis motus, & alienos à prudentia, fœdos ſolœciſmos vocauit, aliquos minutiſſimos obſeruans. S. Dorotheus ait. *Vehementer licèt æſtues, & caleas, noli tamen aliquod membrorum tuorum denudare, & detegere.* Idem ſanctus Dorotheus, *non facilè paſſim ante quoſlibet ſedeas, niſi compulſus.* Voluit hic ſpiritualiſſimus Magiſter quibuſcumque actionibus, & motibus repræſentare nobis maieſtatem virtutis, vt ædificationem apud omnes efficeret, & conciliaret, etiam auerſantium animos: nam Xenocrates, aut Syneſius ait. *Incredibili oris modeſtia intuentium animos afficiebat.*

Lib. 1. offic. cap. 19.

Doctr. 19.

Si plures ſimul erant, ordinem præſcriptum à ſuperiore bini, vel terni incedendo ſeruent.

Pars modeſtiæ religioſæ eſt ſocius, qui nunquam relinquendus eſt, & Chriſtus Dominus miſit diſcipulos ſuos binos ante faciem ſuam. Hebræi cum iuſſu Dei Ægypto diſceſſere non confuſi, tametſi noctu, ſed ordinati procedebant. Atque vbi in vulgata dicuntur *armati* aſcendiſſe, alij legunt *quini*. Diſſonat ſolitarius Monachus, nos etiam, qui ſocij dicimur, ſi ſine ſocio ſimus, noſtro nomini, & inſtituto videbimur repugnare; cùm multi procedimus, ordinatè etiam procedamus, cùm ordinem etiam profiteamur. Hæc ordinatio ædificationis cauſa eſt ſæcularibus: nam, vt ſanctus Bernardus ait, *Ordo tribuit modum, & decorem.* Sanctus Paulus ſcribens ad Coloſſenſes gauiſum ſe dicit, cùm eorum ordinem vidiſſet.

Serm. 49. in Cant.

Accedit,

Accedit, quòd hæc modeſtia non ſit ſolius ſingulorum Religioſorum, ſed totius Religionis, & Ordinis, cuius corpus ſinguli conſtituunt, ſingulique membra ſunt, & quemadmodum immodeſtum videtur brachia nimis extendere, attollere vnam manum, ſubmittere aliam, & vnum pedem ab alio ſeparare, & vtcumque inordinata, diſſociataque membra iactare, ſic religioſæ communitatis corpus immodeſtiam quamdam præſefert, cùm ſua membra, Religioſi, inquam, inordinati, & diſiuncti incedunt. Ratione itaque Ordinis combinatio ſociorum obſeruanda eſt. Vnde ſanctus Bonauentura ait: *Ordo circa inceſſum eſt religioſo in Conuentu ſpecialiter ſeruandus, vt in proceſſionibus fratrem ſibi collateralem attendat, vt chori ſui partem in refectorio, & in clauſtro cùm pro gratijs ad Eccleſiam itur, & in omni teneat loco, nec ſe ad chorum alium, vel in refectorio, vel in clauſtro, vel alibi transferat, niſi cauſa rationabili perurgente. Eſt & ordo reuerentia & decentia in inceſſu, vt non paſſim ſeniorem iunior antecedat, aut quando vitari facile poteſt, frequentes, & nimis propinquos ei tranſitus faciat ante ipſum.* Denique

Si loquendum fuerit, meminerit modeſtiæ, & ædificationis, tum in verbis, tum in ratione ac modo loquendi.

Similiter ſanctus Ambroſius, poſtquam corporis modeſtiam commendauit, ad modeſtiam linguæ proceſſit commendandam. *Quòd ſi etiam,* inquit,

Lib. 1. de offic. cap. 18.

eſta ſpectantur altiùs, quanto magis cauendum eſt, ne quid turpe ore exeat; hoc enim grauiter coinquinat hominem. Non enim cibus inquinat hominem, ſed iniuſta obtrectatio, ſed verborum obſcœnitas; hæc etiam vulgo pudori ſunt. In noſtro verò officio nullum verbum, quod inhoneſtè cadat, non incutit verecundiam. Rectè igitur poſtquam totius corporis modum & geſtus compoſuit. Sanctus Ignatius ſermonis quoque modum, & decorem commendat, *vtrumque commendandum eſt, & ſeruus corporis habitus, & caſtus ſermonis vſus, vnum ſine altero diſſonat.* Vnde meritò ſanctus

Contra Hel.

Hieronymus ait. *Apud Chriſtianos ſolœciſmus eſt magnus, turpe quid, vel narrare, vel facere.* Similiter Sidonius quidam barbariſmus, *eſt morum ſermo iucundus, & animus afflictus. Circa modeſtiam ſermonis duo obſeruanda ſunt, & ſonus vocis, & qualitas orationis.* De illo ſanctus Ambro-

Lib. 1. offic. c. 19.

ſius ait. *Vox ipſa non remiſſa, non fracta, nihil fœmineum ſonans, qualem multi grauitatis ſpecie ſimulare conſueuerunt, ſed formam quandam & regulam, ac ſuccum virilem reſeruans.* Idem ſanctus

Lib 1. offic. c. 18.

Ambroſius: *Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipſum vocis ſonum libret modeſtia, ne cuiuſquam offendat aurem vox fortior.* De qua-

Hom. 11. in Ezech.

litate orationis ſanctus Gregorius docet. *Penſare Doctor debet, quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, & quantum loquatur; ſi enim vnum horum defuerit, locutio apta non erit.* Salutariter

In notabili documento.

quoque monet ſanctus Bernardus. *Cùm loqueris, verba tua ſint rara, vera, ponderoſa, & de Deo. Si ſæcularis loquitur tecum, & vana proponit, quàm citiùs potes, ſuccide ſermonem, & transferas te ad ea quæ Dei ſunt.* Obſeruandum quoque eſt, quod præcepit ſanctus Dorotheus: *Altero loquente, caue ſermonem abrumpas, reſponde vt ſapiens & cordatus, non vt rudis, & ignarus. In dictis & factis tuis conſtans & firmus eſto.*

DOCTRINA VII.

DE MODESTIA linguæ.

Commendatur locupletiùs modeſtia locutionis, ex S. Bonauentura.

CAPVT XLII.

MAIORIS momenti eſt iſta modeſtia loquendi, quàm videtur, tum quo pacto inter ſe loquantur Religioſi, tum qua prudentia cum ſæcularibus agant. Propterea iterum commendanda eſt ex ſancto Bonauentura, *S. p. ſpec p. 3. cap 3.* qui modeſtiam decoremque ſermonis ſic locupletiſſimè edocuit. Diſciplina loquendi tam in modo, & prouida (quando loquendum ſit) diſcretione, quàm in verborum religioſitate attenditur. Modus in geſtu, & ſono conſiderari poteſt. Loquentis geſtus debet eſſe modeſtus, & humilis, ſonus demiſſus, & ſuauis. Modeſtiam debet habere geſtu loquentis, vt nec inordinatè, nec turbulenter inter loquendum membra moueat, nec oculorum nutibus, labiorum contractione, vel altero non decentialteratiouis modo, vultus honeſtatem deformet, aut faciem ipſam mollitie reſoluat humilitatis oſtentu: ſed in eadem vultus conſtantia ſemper permanens, ſeueritatem benignam, & conſtantem, & quodammodo rigidàm benignitatem prætendat. In facie ſiquidem hominis ſpeculum diſciplinæ relucet, cui tanto maior cuſtodia eſt adhibenda, quanto minus quod in ea peccatum fuerit, celari poteſt. Vetat quoque loquentem geſtus modeſtia, ne ſe hominibus notabili quadam ſupplicationum profunditate incuruet, aut eius cui loquitur vultui nimis inſtet: ne inhoneſtè quidem in eius faciem halitus aſpiratione inſufflet; aut halitu ipſo poſt vinum potatum maximè narium ſenſum offendat. Loquentis halitus vultui auditoris, & naribus, vitioſè prorſus ingeritur. Debet etiam geſtus humilitatem, ſuper modeſtiam vultus hilaritatem prætendere. Sonus debet eſſe demiſſus pariter & ſuauis, quia clamoſitas, & verborum aſperitas, locutionem Religioſi plurimum quidem & dedecet & deturpat. Diſcretio quando loquendum ſit, neceſſaria eſt, quia ex ore fatui etiam parabola reprobatur, quia non dicit eam in tempore ſuo. Sapiens quando loquendum, & quando tacendum ſit, prudenter conſiderat. Eſt autem iunioribus fratribus ſemper ferè inter ſeniores ad interrogationem tacendum. *Adoleſcens,* ait Scriptura, *loquere in tua cauſa vix cùm neceſſe fuerit, ſi bis interrogatus fueris, habeas caput reſponſum tuum.* Silet etiam à bonis Propheta. Ergo quamuis

quamuis de bonis & ſanctis ædificationem eloquiis perfectis diſcipulis rata conceditur licentia. Nam loqui, & docere Magiſtrum concedet, tacere & audire diſcipulo conuenit. Loquente alio, non loquantur, aut verba vnquam loquentium interrumpant. Nec mordaci, vel importuno inſultu, ſociorum loquutionem impugnent. Stultorum hoc, quod nec linguæ parcere, nec ſociis deferre nouetunt. Si qui etiam mutua collatione impediunt, per impoſitionem ſilentij, & aliam pœnam condignam meritò reprimuntur. Religioſitas debet in locutione ſeruari, vt ſit ſermo veridicus, & purus, ſit honeſtus & dulcis. De veritate ſermonis Sapiens dicit. *Ante omnia verbum verax præcedat te.* Non ſolùm mendacia, & quæ criminoſa ſunt, verùm etiam locutiones hyperbolicas, & aliqua duplicitate notabiles, penitus vitent. Loquentes de dubiis, aut futuris, nunquam abſolutè loquantur, ſed in huiuſmodi omnibus ſemper conditionem apponant. Præciſa de indifferentibus verba, Religio non conſenrit. Non eſt alieno viuentis arbitrio, de contingentibus negare, vel aſſerere abſolutè. Non facile de audiis ſentient, licèt veritatem reputent. Sint ad reſponſionem tardi, ne per inconſiderationem falſum aliquid, vel indiſciplinatum proferant verbum. Debent etiam purè loqui, vt in eorum verbis, nec iactantia, nec detractio, vel malitiæ alicuius, aut vanitatis admixtio, valeat inueniri. Nunquam de ſcientia, vel de ſæculi ſtatu ſe iactent. Erubeſcant dicere de abſente quod cum charitate non poſſent dicere coram ipſo. Vnde ſanctus Benedictus dixit: *Murmurare, aut conqueri neſciant ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque cauſa, in aliquo qualicumque ſigno, verbo, vel ſignatione appareat.* In verbis ſuis, aut literis, ſi quas aliquando dirigunt, puerilibus, vel adulatoriis non vtantur blanditiis; ſed tanquam Religioſis ſuam breuiter, & veraciter intentionem exponant. Honeſtatem habeat locutio, & illius qui loquitur, & illorum quibus, vel de quibus ſit ſermo, conueniat dignitati. Otioſa verò, ioculatoria, iuratoria, contentioſa, maledica, vel aliàs ſæcularia verba, nec puta ſunt quidem, nec religioſæ conueniunt dignitati. Nugæ, vt ait ſanctus Bernardus, inter ſæculares ſunt nugæ, in ore ſacerdotis blaſphemiæ. Interdum ſi interciddant ferendæ fortaſſis, referendæ nunquam. Os iam talibus aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt. Fœdè ad cachinnum moueris, fœdiùs moues. Diſſueſce à vaniloquio linguam, qui ad profectum Religionis aſpiras. Proceſſurus in publicum præmuni te ipſum, & animo ſtatue, à verbis inanibus abſtinere. Prouide tibi antequam prodeas vtile aliquid, vnde ſi expedierit ſermo, texatur familiaris, prudentique conſideratione omnia præueni. Confert ad ſingula fuiſſe præmunitum. Si dignum quippiam relatione non habes, tace, tutius & humilius audis, quàm loquaris. Non affabilitas opportuna, ſed loquacitas otioſa damnatur. Iurare verò nunc per caput, nunc per Sanctos, vel alio quouis modo Chriſti (qui ait; *ſit ſermo veſter eſt, eſt; non, non*) diſcipulo minimè congruit. Rurſus indignum penitus ſeruis Dei, mulierecularum more contendere. Si reſiſtentiæ incidant verba, cedendum continuò reſiſtenti. *Honor eſt* (ait Salomon) *homini, qui ſeparat ſe à contentionibus.* Nunquam diſcendi, vt dicitur gratia litigent, ſcientes ad ſe verborum contentiones, nullo modo deinceps pertinere. Non poteſt eſſe quin contentio aliquid quod contra conſcientiam dicatur, extorqueat. Ergo inter Dei ſeruos collatio, non altercatio debet eſſe. Peruerſum eſt maximè, ſi auſu damnabili ad iniurioſa, vel maledica verba, quæ ſecundùm Apoſtolum à Dei regno excludunt, os Religioſi laxetur, aut Diaboli nomen ad inuectiunem aſſumat, vel in communi locutione frequentet. Sunt quædam quæ leuiſſima putarentur, ſi non in Scripturis demonſtrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fatue fratri ſuo reum gehennæ putaret, niſi veritas hoc diceret? Peſſimum hunc loquendi vſum, quaſi pro affabilitatis ſolatio, ſalutis aduerſarius introduxit, vt, per eum modicæ occaſionis acceſſit, ſtultis illudens eos frequenter in grauis lapſum offenſæ, impulſu leuiori præcipitet: & dignitatem ſtatus, colluuio, id eſt, ſordidatione vilificet. Pudeat eos rumigerulos eſſe, aut verborum ſæcularium delatores. Nihil inter ſocios ſeminent, quod infirmos animos diſſoluere valeat, aut turbare. Reus eſt Deo, & ordini, qui temerario diffidentiæ verbo conſciëntiam percutit infirmorum. Præterea ſiue fratri, ſiue extraneo, ſiue magno, ſiue paruo loquantur, ſemper in ore verbi dulcedinem habeant. Omne ad omnes ſecundùm Apoſtolum manſuetudinem oſtendentes. Nunquam ſuo prætextu conſtantiæ, vel zeli cum communitatis iniuria in verba contumelioſa prorumpant. Sæpe enim meritum lingua immoderata confundit. Turpiſque defenſio, quæ iniuriis vtitur. Habet faſtus pro conſtantia impetum pro ratione iniurias, ſed lingua eucharis in bono homine abundabit.

Quo pacto cum ſæcularibus loquendum?

Capvt XLIII.

CVM ſæcularibus autem quo pacto ſit loquendum, idem ſanctus Bonauentura docet. Diſciplina in verbo, eſt iunioribus & nouis præcipuè inter extraneos obſeruanda, vt tardè, cautè, ac demiſſa voce loquantur. Tardè, vt vſque ad interrogationem taceant, interrogati reſponſionem ſeniori relinquant. Niſi fortè in ſpeciali ſuper leuibus, maximè ad propriam neceſſitatem ſpectantibus, vt de cibo, & potu, & conſimilibus requirantur. De talibus poteſt quiſquis pro ſe, non tamen pro ſocio (ſine aſſenſu ipſius) reſpondere. Communem requirit aſſenſum reſponſio, quæ de communi neceſſitate profertur. Cautè, vt cum præmeditatione loquantur, vt primò bis ad limam, quàm ſemel ad linguam, veniat ſermo, maximè ſi ſeniore fortè occupato, de ordine, de perſonis abſentibus, de rumoribus, vel notabilibus aliis requirantur. De factis Ordinis, vt de modo ieiunandi, de ſilentio, vel de aliis requiſitis, ſe nouos in Ordine dicant, ſeniorem requirendum prætendant. Ne fortè dum ſapienter, & bene reſpondere ſe putant, ſtultum aliquid (& quod omnino dici non oporteat) dicant. Secreta Ordinis quantumcũque Religioſo, vel familiari non reuelent, nec ſtatim aliquid publicent, niſi quod fortè commodè

Part. 4. c. 5.

Digitized by Google

commodè celari non poteſt. Idipſum autem non ſtatutum, non præceptum, ſed tantùm Ordinis intra domum conſuetudinem vocent, vt per eorum reſponſum, tentionis debitum excludatur etiam extra domum, ne ſæculares ſi quando contrarium videant, reputent fratres ſui Ordinis tranſgreſſores, cùm tamen multa poſſint licitè ex Ordinis, vel Superiorum diſpenſatione mutari, Ordinem noſtrum nunquam ad particularia deſcendendo, ſed ſi neceſſe fuerit, in generali ſolùm abſque aliorum Ordinum collatione, vel obtrectatione commendent. Peſſimus laudandi modus, ſeipſum cum aliorum iniuria prædicare. Peſſima vitij corruptela detractio, quæ animam maculat, Deum offendit, proximum ſcandalizat. Et quia, vt ſcriptum eſt, *Sermo obſcurus in vacuum non ibit, & tumultus murmurationum non abſcondetur, his coram quibus detrahitur, ſcandalum excitatur.* Conſtat autem (vt S. Bernardus loquitur) vbi veritas in cauſa neceſſaria non eſt, ne licitè ſcandalum à quolibet poſſe committi, nec iuſtè præcipi, nec innoxiè conſentire. Si de perſonis abſentibus, præſertim Religioſis, ſiniſtrè aliquid ſuggeratur, ſemper pro abſentium parte loquentes nullo modo ad fauendum detractoribus inclinentur. Accidit aliquando, quoſdam magis ad tentandum, quàm ex animo de his obloqui. Narrabat (vt fertur) ſenior quidam fide digniſſimus, ad ſe quandoque ſæcularem veniſſe, qui aduersùs quoſdam Religioſos plurimum inuehi videbatur. Cui frater viriliter ſe opponens, eum quoties aduenit, eadem ſemper conſtantia repulit, & incuſatos pro viribus excuſauit. Miratus oblocutor beneuolam ſenioris conſtantiam, aperuit tandem, ſe id ad probandum de mutua illorum Ordinum charitate feciſſe, adiiciens ſe de Ordine ſenioris iſtius, qui pro aliis aduocabat, cum quodam incuſati priùs Ordinis fratre ob cauſam conſimilem oblocutum fuiſſe; fratrum autem illum oblocutionis per verba in primis aliquantulum, deinde verò remiſſiùs refellentem, tandem obloquenti ceſſiſſe: ſuper quo idem ſæcularis non modicum offenſus, apud illos non eſſe charitatis veritatem aſſeruit, qui adinuicem detractionem admittere non curaſſent, denique Religioſus non eſt, qui detractionibus paſcit, aut paſcitur alienis. Caueant etiam, ne ſint rumorum, licèt bonorum & veriſimilium, delatores. Religioſos viros, paſſim rumigerulos eſſe non decet. Falſitas quæ frequentiſſimè rumoribus ineſt, vel quæ per ſecundarios relatores apponitur, primis eorum auctoribus imputatur. Hinc eſt illud, *Rumores fuge, ne incipias nouus auctor haberi.* Sint in locutione honeſti & ſerij, nec ſe in ſæcularibus, & ad riſum mouentibus verbis ſæculares oſtendant. Seruum Dei de Deo loqui decet, vt fiat quod ſcriptum eſt. Si quis loquitur ſermones Dei, alioquin verba vana, mentis aperiunt vanitatem. *Ex abundantia* enim *cordis, os loquitur*, dicitur in Matthæo. Circa vocis ſonum in locutione attendant, vt (prout tactum eſt) ſit demiſſius pariter & ſuauis. Vitioſiſſimus planè Religioſo loquendi modus, ſi notabiliter ſuam in loquela communi vocem exaltet. Sufficiat ei quòd proximè ſibi aſtantes poſſint loquentis intelligere verbum. Sapientis eſt, loqui ſuauiter, & demiſſè. Nox autem amplioris vocis depreſſionem requirit. Nox eſt tempus ſilentij & quietis. In nocte maximè poſt Completorium in alta, vt priùs, verba erumpere ſilentij grauitate neglecta ſæcularium eſt, Religionis non curantium honeſtatem. Proinde honeſti fratres, vbicumque fuerint, religioſè ſemper in quibus poterint, ac ſi eſſent in fratrum Collegio, cum ſilentij ſui obſeruatione permanebunt.

De modeſtia ſilentij.

Capvt XLIV.

Silentivm enim ad modeſtiam linguæ ſpectat. Vnde ſanctus Ambroſius dixit. *Silentium quoque ipſum in quo eſt reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ eſt. Si aut infantia putatur, aut ſuperbia, probro datur: ſi verecundia, laudi ducitur. Tacebat in periculis Suſanna, & grauius verecundiæ, quàm vitæ damnum eſſe putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam ſalutem. Deo ſoli loquebatur, qui poterat caſta verecundia eloqui.* Prudentiam, modeſtiamque ſilendi, atque loquendi docuit nos Beatiſſima Virgo Maria, quam propterea laudat idem S. Ambroſius loquens de modeſto pudore. *Hic primus* (inquit) *in ipſo cognitionis ingreſſu Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam teſtis locuples, dignam, quæ ad tale munus eligeretur, aſtruit, quod in cubiculo, quòd ſola, quod ſalutata ab Angelo tacet, & mota eſt in introitu eius, quod ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam turbatur aſpectus virginis. Itaque, quamuis eſſet humilis, præ verecundia tamen non reſalutauit, nec vllum reſponſum retulit, niſi vbi de ſuſcipienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem effectus diſceret, non vt ſermonem refelleret.*

Lib. 1 de offic. cap. 18.

Vbi ſuprà.

Sic pertinet ad modeſtiam Religioſi ſilentium, vt hoc vno ſeruato totus homo videatur decorem ſeruare. Nam, vt inquit Thomas de Kempis, *Silentium bene ſeruando, obedientiam etiam ſeruas, humilitatem retines, verecundiam adornas, ſenibus reuerentiam exhibes, iuuenibus exemplum præbes, leuibus & diſſolutis timorem incutis, extraneis bonam famam, intraneis pacem & concordiam generas.* Hinc dixit idem Thomas, eſſe Religionis cuſtodem ſacrum ſilentium. Hinc de ſancto Dauid, qui tam multa cœleſtis contemplationis arcana in ſecreta manſione didicit, & cecinit, notanter ſcribitur, quòd Chuſi erat amicus Dauid, qui interpretatur *ſilentium*. Quàm ſpecialis iſte amicus eius fuerit, in pluribus Pſalterij locis, aperit, dicens. *Dixi: Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Et paulo pòſt. *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Qui rurſus alibi deprecatur Dominum, pro continentia linguæ, dicens: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Tales ac tantus vir, qui quotidie magnis populorum turbis ambiebatur, & regali poteſtate etiam multis nationibus dominabatur, ſilentium diligebat, linguæ ſuæ cuſtodiam ponebat: & ne ſuperaretur aliqua fragilitate, aut leuitate, pro hac Dominum humiliter exorabat. Vbi ſtatutum legerat ſilentium Religioſorum? vbi diſciplinam didicerat monaſticam? Certè Spiritus ſancti gratia præuentus, & inſtructus, legē vitæ, & diſcipli-

De ſilentio.

Pſal. 38.

Pſal. 140.

næ ſuſcepit ac reouit. Eſt tamen iis magis neceſſaria cuſtodia ſilentij, qui videlicet in ſtatu Religionis, & propoſito bono, atque à ſæcularibus hominibus remoti, & omnibus temporalibus curis exuti, Deo ſeruire elegerunt. Qui etiam maiorem rationem tenentur reddere in die iudicij, pro omni verbo. Nec ſolùm de verbo, ſed de qualibet alia negligentia, & tranſgreſſione, grauiùs iudicabuntur. Cui enim plus donatum eſt, plus ab eo exigitur.

De laqueis linguæ, & facilitate rumpendi ſilentij.

Capvt XLV.

VT igitur diligenter & cautiùs huic virtuti ſtudeamus, oportet intelligamus, quàm facile ab illa poſſimus excidere. Hoc periculum ſic aduertit pius Doctor, dicens: Decipitur homo multoties ſub pietatis & affabilitatis vultu, tractus à rigore ſuo, quem ſibi indixerat; vt cùm cauere cupiens nimietatem loquendi, timet periculum aliud, ne ex ſua taciturnitate quiſpiam grauetur. Quia fortè non ſatisfacit ei, qui rariùs eum alloquitur; quia parum de ipſius fraternitate curare videtur: vnde etiam aliquando parua charitas, celerior ſuſpicio, commotio, & indignatio, conqueſtio, aut etiam detractio in altero ſurrepere poſſet. Sed hoc ſi aliquo indicio deprehenderet, & alterius charitatem ſuper ſe violari præſentiret; tunc quantum liceret ei, ex obedientia loci & temporis loqui, non loquens peccaret. Lingua enim placabilis lignum vitæ, & verbum bonum ſuper omne donum. Sic iterum deſcendet homo ad aperiendum oſtium pulſanti, qui pro ſua perſona claudere ſemper appeteret os ſuum, vt tanto ſecuriùs cuſtodiret animam ſuam. Sed quomodo decipitur, nondum apparet, quia ex forma prædicta ſoluere ſilentium, non culpa, ſed virtus videtur. Verùm, quia homo ad loquendum ſerius & cuſtoditus, circa principium aliquantulum ſtrictior eſt; ſed cùm iam lingua ad longiora mouetur colloquia, multa etiam negligenter ſubintrare patitur, quæ ex fine, ſerò conſcientia ad ſe reuertente, clariùs videt; ita quod inceptum eſt neceſſitate & vtilitate alterius, finitur ſæpe leuitate, & permixtione externæ conſolationis: & qui propoſuit vix admittere neceſſaria, ne rueret ad otioſa, ex primis neceſſariis ducitur extra ſe, ad reprehenſibilia. Sæpe etiam aduertit lapſum ſuum, & tamen labendo non tacet; videt ſe deuiare, nec redit, donec foueam apertam inueniat, aut obſtaculum, quod os eius obſtruat; atque vtinam confuſus, & humiliatus, eiulando, & dolendo reſipiſcat, nec amodò ſibi confidat. Qui cùm plenè in ſe reuerſus fuerit, fragilitatem ſuam multam conſiderans, deceptionemque perpendens,
Pſal. 18. meritò cum Propheta conqueri poteſt. *Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam.* Primò ſe quidem homo illaqueatur ad auditum verborum non ſanorum, poſtea incuruatur ad conſenſum, vt dicat iam talia quæ audire metuebat. Valde enim incuruatur anima, quando deſerto Deo, & ſermonibus eius, conuertitur ad vaniloquia pro capienda conſolatione miſera. Vel ſic quandoque pedibus illaqueatur, vt ſtet ad loquendum per aliquas moras: tandem ex placentia audiendi, vel loquendi, incuruatur ad ſedendum, vt ſit iocunda, & integra fabulatio. Ecce frater, quantus laqueus linguæ, quam prona ſubintrat ſeductio. Non ergo diſſonat à vero, quia ſæpe decipitur quis, ſub pietatis vultu à ſancto rigore. Hæc placuit animaduertere, vt tanto ſoliciriùs retineamus claues linguæ, quanto proniùs excidere ſolent. Prudentia opus eſt, & cura.

Noctu magis ſolicitè ſeruandum ſilentium.

Capvt XLVI.

ILlvd tandem admonendum eſt, decorem religioſum, non ſolùm turpiùs, ſed pernicioſiùs nocturnis collocutionibus violari. Rectè Thomas à Kempis ſuprà laudatus edixit: *Non eſt bona quorundam conſuetudo, ſed execranda noctem ſacram turbandi fabulis, quæ electa eſt, & deputata tantum cœleſtibus diſciplinis. Niſi enim præcaueatur veſpertina, ſeu nocturna inutilis fabulatio, ſequitur multoties de manè longa dormitatio, & alia diſconuenientia in reliquis Dei operibus, quia ſecundùm quendam ſapientem:* Vno inconuenienti dato, ſequuntur Ariſtot.
plurima. Et eſt deferenda vtique tranſgreſſio, dignéque punienda, diem videlicet laboribus, & diſtractionibus deducere, & aduesperaſcente Sole his deteriora audere; nec lapſum diei curſum per reſtantia quietis tempora aliquatenus reuocare. Incongruum omnino videtur, vt aliis deuotione, & quieti deditis, alij paſcantur infœlicibus fabulis; vnde ſibi ipſis grauem conſcientiam, reliquis autem ſcandali occaſionem, aut aliud puritatis impedimentum contra Deum, & proximum peccantes acquirant. Confeſſi ſunt quidam experientia instructi, paruam ſe gratiam, triſtitiam verò magnam, ex nocturnis contraxiſſe colloquiis. Quia ſi bona multa interfuerant, atque prima intentio pura viſa eſt, mala tamen arctiùs premebant, quæ qualicumque occaſione non defuerunt. Nam hoc multoties accidit, vel aliquid indecens, ſeu ſæculare, aut detractorium verbum, dicatur, aut audiatur, quod non faciliter à corde recedat, & ex illo plus inficiatur auditor, vel grauius mordeatur poſtea, qui dixit, quàm de omnibus aliis ſanè & acceptabiliter pertractaris emendetur. Cùm enim homines valde fragiles ſimus, paruum & leue eſt, vnde non parum ſæpe lædimur, aut inficimur. Ideo medicina huius fragilitatis efficax eſt, præcauere tentationis laqueum, fugere occaſionem loquendi, citiùs etiam abrumpere, antequam creſcat ignis linguæ. Quia ignita tela Diaboli exeunt per linguam immoderatam, quam ille commouere, tanquam familiare ſibi membrum, nunquam ceſſat. Sed cùm aliqui ſint, quos cauſa ſatis neceſſaria ſæpe ad loquendum trahit, ſiue de his, quæ ad officium curæ eorum ſpectant, ſiue quæ interiùs ex animi perplexitate exurgunt; ita vt ad aliorum conſilium

Digitized by Google

lium & ſolatiom , eorum ſolatium aliqualiter dependeat , non videtur tum poſſibile , vt moras loquendi aliquando non exaggerent. Quibus tamen hoc faciendum eſt & ſuggerendum, ne humana ſolatia vltra neceſſarium petant , ſed potiùs miſericordiam Domini cogitantes, io ſuis dubiis & perplexitatibus ſtudeant in ſilentio, intentiùs ad Deum confugere,& ab eo ſuffragium petere , atque ab aliis etiam frattibus manum ſuperni leuamiois humiliter inqoirere, dooec ſubleuentur. Quidquid autem humano metu , aut propria fiducia maculoſum contraxerint , ſtatim vt animaduertere cœperint , eidem ſupernæ bonitati , ſummæque prouidentiæ eius vniuerſaliter committant. Quoniam quidem nulla ſunt humana conſilia, inutiliſque mortalium ſolertia, niſi ipſius præueniat , & ſubſequatur oos ſemper clementia. Sic ergo ſemetipſos potuerint à nociuis , & non neceſſariis verbis caſtificare , aliuſque occaſionem labendi tollere. Simulque conſiderent , quia noo aſſueſcit homo cauere ſuperflua, oiſi à multis licitis libenter abſtineat. Sapientibus enim pauca ſufficiunt,& neceſſariis acquieſcentes multorum garrulationem non aduertunt; inſipientibus verò non ſufficit verborum numerus , neque modum imitari ſapientium norunt; & tamen ſcriptum eſt : Stultus , ſi tacuerit , ſapiens reputabitur.

DOCTRINA VIII.

DE OBEDIENTIA.

Prælati ſunt inſtrumenta Dei, per quos nos dirigit & prouidet ; quapropter etiam malis eſt obtemperandum.

Capvt XLVII.

VIrgam *vigilantem ego video.* Oportet iam de obedientia agere, quæ omnium virtutum moralium Princeps , & theologicarum eſt principium , dilecta & dulcis Ieſu Chriſto virtus, cuius pretioſo ſanguine ac motte commendata inæſtimabilis eſt, cùm potius perdere vitam , quàm obedientiam voluerit. Aliquid peculiare habet vltra alias virtutes conſiderationе dignom , & eximiom prorſus. Namque ad cæterarum virtutum eruditionem ſatis eſt, noſſe quo pacto ſint exercendæ , & quid nobis earum vſus conferat. Vlteriùs autem in virtute obedientiæ expendendum eſt , quid per eam in nobis præſtet Deus,& conferat. Itaque tria ſunt circa obedientiam potiſſimum conſideranda, quid per illam Deus in nobis operetur , deinde quanti adiumenti nobis eſt futura , tandem quo pacto in ea exerceri perfectè valeamus. Ad omnia commendanda virgæ , aut baculi ſimilitudo aptiſſima videtur ; nam obedientia eſt tanquam virga paſtoralis Dei , qoa rationales oues , homines, ioquam, qui vt iumenta, & pecora facti ſunt apud eum , gubernat , & in ſalutaria paſcua deducit. Ipſa etiam eſt nobis pro virga,& ſcipione, vt ſecuri & fulti peragamus huius ſalebroſæ vitæ itinera. Nos quoque ipſi , vt perfectè eam exerceamus , non aliter tractari permittamus, quàm baculus , & virga in hominis manu. Quapropter ſub hac virgæ ſpecie tota obedientiæ doctrina commodè repræſentatur , vt eam ſpectantes , poſſimus cum ſancto Hieremia dicere, *Virgam vigilantem ego video* , quam virgam pro obedientiæ norma interpretabimur.

Et primum quidem , ſic conſiderare debemus obedientiam tanquam inſtrumentum diuinæ prouidentiæ , per quod ſalutem noſtram operari decreuit , velut enim Paſtor ſibilo & baculo vtitur, vt oues cuſtodiat, abigat, & reducat. Sic Deus obedientia noſtra , & voce ſuperiorum vtitur, vt nos cuſtodiat , ſeruet periculis , auocet à malis, & dedocat ad gloriam. Namque in æterno , altiſſimoque ſuæ ſapientiæ & charitatis coosulto, hoc ipſo , quòd nos ad gloriam condidit, media quoque, quibus eam conſecuturi eramus, decreuit , quæ ſi oostræ voluntatis vitio illa non deſereremus, & ſeriem diuinæ ordinationis infringeremus , certiſſimè ſalui erimus. Præſtituit enim ſumma Dei ſapientia officia , occupationes, loca, rempora, notos, amicos, aliaque ſubſidia , quibus ſibi ſeruiendum, ab vnoquoque vult , ad eaque diſpoſuit ſiogulorum vitam mediis ſuperioribus. Quòd ſi à Deo gubernari,& duci oos ſineremus, minimè dubitandum erat de ſalute noſtra. Ad eum ipſum ſiquidem, qui finem intendit, ſpectat quoque media eligere,& conſtituere , quibus finis ille eſt conſequendus ; atque ipſe Deus , qui creauit nos ad æternam fœlicitatem, media quoque eius conſequendæ ſingulis per obedientiam prouiſit , cui ſi aliquis non obſiſteret , prædeſtinatus credi debet. Quare ſuperiores, eorumque iuſſa ſic reſpicere oportet tanquam media ſalutis oostræ , tanquam virgam paſtoralem Dei , tanquam inſpirationes cœli, tanquam ſibilom magni Paſtoris prouidentis ſuis ouibus , tanquam oracula ſancta. Quemadmodum Caſſianus de perfecto obedienti ait : *Vniuerſa quæ ſibi fuerint imperata, ſine vlla diſcuſſione perficiens , ſacroſancta ea credens , & diuinitus promulgata.* Salomon *Lib.12 c.32.* quoque dixit : *Diuinatio in labys Regis , in indicio non errabit os eius.* Cuiuſcumque ſuperioris *Prou.16. 10.* iuſſa ſic accipienda ſunt velut diuina,& propheтiæ , atque à ſumma ſapientia manantia. Idcirco valut infallibilia, quæ errare nequeant; licèt enim ſuperior in humano ſuo iudicio, & prudentia errare poſſit , & ſæpe erret, tamen in ordine ad ſubditi ſalutem nullus error eſt : nam Deus qui errare nequit, per ſuperiorem gubernat ſubditum, & prouidet eius perfectioni ; quare ipſi errores ſuperiorum ſunt erga ſubditum conſilia diuina, dum errores humanos permittit & diſponit Deus ad ſalutem noſtram ; itaque errare ſuperior poteſt quidem , non Deus , qui per errorem ſuperioris dirigit ſalutem ſubditi. Idcirco non eſt conſiderandum qualis ſuperior ſit , qualia iuſſa , an prudentia , an iuſta, an conſentanea, ao ex bono, vel malo affectu procedant. Sed omnia ſunt humiliter accipienda,& veneranda, niſi apertè peccatum præcipiant; nam dum peccatum non præcipiatur, etiamſi peccet ſuperior præcipiendo, humiliter audire & obſequi debemus illi , etiam

iniquo, & ſtulto Prælato, non hominem reſpiciente, ſed Deum per hominem nobis prouidentem. Rectè propterea Ioannes Lanſpergius inducit Chriſtum ſic monentem: *Ne reſpicias ad hominem, qui mea tibi ordinatione eſt ſuperior quàm doctus, quamvis idoneus ſit, non aduertas, nec penſes, an doctus, illiteratuſve ſit, præſtans, an vilis, ſed hoc tantum reſpicias, quòd mea tibi prouidentia datus eſt ſuperior, per quem ego te regere volo, & in quo me tu debes conſulere, & audire. Itaque hanc prouidentiam meam attende, qua non minus per ſimplicem, quàm eruditum, imò per quemcumque volo te regere, & mihi ſubijcere cupio.* Et Pius quidam Pater ait. *Certè tibi perſuade ipſum Dominum Deum tuum ſua æterna ſapientia ac bonitate illos Prælatos quos habes, in eo quem aggreſſus es ſtatu, tibi prædeſtinaſſe, & prouidiſſe, ac per eos potius quàm per alios ſuam gratiam tibi præſtare velle.* Quare meritò dici poteſt obedientia, ſeu ſuperior quicumque ſit virga vigilans, quia per illum Deus vigilat, & prouidet ſubditis.

In epiſt. Ieſu Chriſto.

Apud Bloſium. c.8. in dictu PP.

Igitur Prælatus nullus reſpuendus eſt, ſiquidem per illum, quamuis malum prouidere nobis bona Deus ſciat. Non enim fefellit nos, qui nobis conſuluit facere quæcumque dixerint etiam iniqui Prælati: nam, vt Hugo de Foilleto ait, *vt peruerſis obedias Prælatis, monuit, qui etiam malè operantibus obedire iuſſit; vt ſic ingrediaris cum Dauid ſub Saule, & eundem honores reprobum cum Samuele. Inobedientes ergo & ſuperbos ſe ipſos teſtantur, qui Prælatis licèt peruerſis non obediunt, & eos non venerantur.* Etenim qui peſſimo Prælato reſiſtit in re non mala, ipſi Deo putatur repugnare. Quapropter dixit ſpiritualis quidam Pater, *qui Prælatis ſuis amarulenter obmurmurat, & contradicit, ſuperbéque reſiſtit, Diabolus verius, quàm homo nuncupari poteſt.* quoniam aduerſùs Deum inſurgit. Eadem ratione Simeon iunior dixit, in perſona Chriſti. *Qui non tollunt crucem ſuam, nec me ſequuntur, Diaboli filij, ac vaſa ſūt.* Et poſtea, *hi ſunt imitatores Cain, hi PP. Lamecho ſceleratiores; hi Saul moribus ſimiles, ſequaces Iudæorum, Iudæ æmuli, & eius laquei heredes.* Omnes itaque Superiores, ſiue boni, ſiue mali, venerandi, & audiendi ſunt, multis quidem, præcipuiſque nominibus, tum quia Vicarij Dei ſunt, tum quia inſtrumenta & organa diuinæ prouidentiæ, tum ad cumulanda merita, ſeruandam humilitatem, abnegandam voluntatem, omneſque virtutes excolendas. Etenim ſi Proreges, & Legatos, quia perſonam Regum referunt, magna populi & nationes reuerentia & cultu proſequuntur, cur Prælati, quia Deum repræſentant, maiori religione non ſuſpicientur, præſertim cùm magnum diſcrimen ſit inter Proreges, Vicarioſque Principis humani, & Prælatos, qui Vicarij Dei ſunt: etenim illi, quamuis vices gerant Regum, non tamen ſunt eorum organa. Superiores autem Religioſi non tantùm ſunt Vicarij Dei, ſed eius etiam inſtrumenta, per quæ Deus nos gubernat, ad noſtramque vtilitatem eorum verba & iuſſa inſpirat, aut permittit, & vtcumque dirigit. Rex abſens nequit diſtantis Gubernatoris ſui decreta impedire, permittere, ordinare; ſcilicet nequit per illum gubernare, niſi commiſſa gubernatione. Deus autem immediatè etiam nos gubernat per Prælatos, quibus curam noſtri non ita committit, quin ipſe in ſe ſeruet illam, & Prælatis tanquam inſtrumentis vtatur, quorum facta nequit ignorare, & à quibus abeſſe nequit, quod non ita accidit humanis Principibus cum delegatis à ſe Præſidibus. Quapropter non tantùm reuerentia, ſed mira, vt ſic dicam, Superioribus fides adhibenda, ac ſi non homo, ſed Deus palàm nos alloqueretur, & gubernaret.

In alleg. Tiſelmann c.3. Geneſ.

Apud Bloſiũ cap 8. in dictu PP.

Neque tantùm obedientia reſpectu Dei nos per illam dirigentis ac gubernantis baculus dici poteſt, ſed quia nos iuuat, & ſuſtinet in infirmitate noſtræ naturæ. Quemadmodum enim ſenes, & valetudinarij ſubſidio alicuius baculi in gradu ſuo conſiſtunt, alioqui facilè labuntur; ſic infirmus & vetus homo noſter obedientiæ adminiculo egebat, vt recto poſſit ſtatu conſiſtere, alioqui lapſu, & ruina minimè ſecurus erit. Idcirco Dauid cecinit, *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Obedientia eſt noſtra ſecuritas, & auxilium, & fulcimentum, quam propterea optimè vocauit ſanctus Ioannes Climacus, *ſecurum portum, tutam nauigationem, confectum dormiendo iter.*

Verus obediens inſtar cadaueris nullum à ſe motum habere debet.

CAPVT XLVIII.

NOs quoque vt obedientiæ bonis, prouidentiæque diuinæ ſalutari diſpoſitione fruamur, non aliter, ac baculi inſtar tractari, & moueri permittamus ſine vlla repugnantia, & ſenſu proprio. Quod ita nobis commendauit ſanctus Ignatius Parens noſter. *Quiſque ſibi perſuadeat, quòd qui ſub obedientia viuunt, ſe ferri, ac regi à diuina prouidentia per ſuperiores ſuos, ſinere debent, perinde ac ſi cadauer eſſent, quod quoquò verſus ferri, & quacumque ratione tractari ſe ſinit; vel ſimiliter, atque ſenis baculus, qui vbicumque, & quacumque in re velit eo vti, qui eum manu tenet, ei inſeruit.* Eadem ſimilitudine corporis exanimis ſanctus Franciſcus, ſicut in eius vita ſcribit ſanctus Bonauentura, commendabat obedientiam, dicens: *Tolle corpus exanime, & vbi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum: quòd ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet, ſi collocetur in purpura, palleſcet. Hic* (ait) *verus obediens eſt, qui cur moueatur, non diiudicat, vbi locetur, non curat, vbi tranſmutetur, non inſtat. Euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat ſe indignum.* Caſſianus quoque de obedientia dixit: *Non aliter obſeruari poteſt, niſi quis non ſolùm ſe mortuum huic mundo, verùm etiam inſipientem iudicarit, ac ſtultum.* Huiuſmodi ſe putabat & gerebat Angelicus adoleſcens noſter Ioannes Berchmanus, qui propterea dicebat. *Sicut accidens ſemper agit, vt ſubordinatum, & applicatum ſubſtantiæ: ita ego reſpectu ſuperiorum meorum, & ſuperiores mei reſpectu Dei. Adeò ſine vita ſe reputabat obediendi cauſa, vt & eſſentia, & ſubſtantia orbum ſe crederet, quominus aliquid ex propria voluntatis virtute ageret.* Eadem ratione ſanctus Ioannes Climachus obedientiam vocauit perfectam animæ abnegationem, mortem ſpontaneam, ſepulchrum voluntatis.

Reg. 39.

Obediens quidem, mortuo non ægrotanti ſimilis ſit: ægrotus multa cupit, inquietus eſt, mutat paſſim loca, nullam in ſe quierem haber. Mortuus autem ſine motu eſt, eodem quo iacet loco perſiſtit, niſi mutetur. Quare ſignum non obedientis, & inquieti animi eſt inſtare nimis ſuperiotibus. Non motum proprium obediens debet habere, ſed alienum per nutum ſuperiorum agitatus, tanquam mortuus homo, aut baculus, aut inſtrumentum alicuius artis, quod ſine motu artificis nihil agit. Vnde meritò S. Baſilius ait. *Poteſtatem verò ſui ipſius, ne ad punctum quidem temporis habere Monachus debet, per quam in priuatis ipſe negotys ſuis verſetur. Quemadmodum enim abſente artifico inſtrumentum ſua ſponte ipſum non moueretur, neque membrum, vel ad breuiſſimum tempus ab aliquo corpore ſeparari, moueri vè poſſet, ſine eius, qui intus eſt, opificus, ac totius corporis moderatoris voluntate: ſimiliter quoque neque Religionis obſeruanti aliquid agere, exequivè ſine Antiſtitis ſui ſententia licet. Quòd ſi cauſam afferat, ac dicat, ſe præ imbecillitate corporis, exequendis imperatis parem eſſe non poſſe, infirmitatem ſuam Antiſtiti iudicãdam permittet, ſecumque reputans illud Scripturæ, ſeipſum ad ea quæ ſibi imperata ſint, exequenda adhortabitur, cùm ab ea dici audiat: Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduersùs peccatum repugnantes.* Et item alibi: *Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigito.* Idem Baſilius ait. *Quemadmodum Paſtori ſuo oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur: ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino illorum iuſſa curioſius perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato: contraque, ea ſumma animi alacritate, ſummoque ſtudio conficere. Quemadmodum enim faber ædificatorvè ſingulis artis inſtrumentis pro arbitrio vtitur ſuo, neque vnquam vllum inuentum eſt inſtrumentum, quod ad quemcumque ille vſum voluiſſet, non ſe facilè tractandum præbuerit, ac moderatoris manui ceſſerit. Item quoque conuenit verum pietatis cultorem, perinde vt inſtrumentum quoddam vtile opifici ad complendam ſpiritualem fabricam omnibus in rebus parere; in quibus vt operam ſuam nauet, rectum eſſe Antiſtes iudicarit, ne ſi id facere recuſauerit, impedimento ſit, quo minus ſpirituale opus compleatur. Et vt inſtrumentum non ſibi ipſi deligit, quod facto vſus ſit ad artem iuuandam: eodem modo pietatis cultorem quoque, nequaquam conuenit ipſum eſſe, qui ſibi iudicio ſuo opus deligat, ſed gubernationem ſui, artificis prudentiæ debet conſilioque concedere. Nouit enim, qui modò intelligens moderator eſt, vniuſcuiuſque mores & affectus, & animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam in ſingulis remedium adhibere. Quocirca nullo modo eius ſtatutis aduerſandum; ſed illud firmiſſimum tenendum, rem omnium eſſe difficillimam ſeipſum cognoſcere, & curare; propterea quòd naturaliter ſeipſum quiſque amat, & quilibet propterea, quòd in ſeipſos propenſi ſunt, in veritatis iudicio fallantur. Porrò ab alio cognoſci, curarique facilè eſt: cum iis qui cæteros iudicant, ad diſcernendam veritatem, nequaquam obſtet amor ſui ipſorum.*

Cap.28. conſtit. Monaſt.

Cap.23. ibi.

Sciendum verò eſt, non dixiſſe ſimpliciter S. Ignatium eos, qui ſub obedientia viuunt, ſe ferri, ac regi à ſuperioribus ſinere debere, ſed à diuina prouidentia per ſuperiores. Neque enim oportet ſe cogitare ſubditos permiſſos & traditos arbitrio humano eſſe; iudicio potiùs, ſapientiáque diuina, per humanum tamen inſtrumentum gubernantur. Nec ſuperiorem, vt hominem, ſed vt organum Dei, & Vicarium Chriſti reſpicere debemus; quare neque prudentia, nec ratio vlla humana attendenda eſt; cùm ea ſit conditio & lex prudentis obedientiæ etiam humanitus, vt præſcribat obtemperandum eſſe ſuperiori, adhuc cùm præcepti ratio non apparet; neque enim priuati ſic omnia ſcire debent, neque ſciunt, ſicut perſonæ publicæ, & Prælati, quorum maior notitia, ignorata tamen inferioribus, eos cogit præcipere, quæ ſubditis imprudentia, oneroſa, & minimè neceſſaria apparent; re tamen vera, atque perſpecta cauſa, occaſioneque præcepti, & prudentia, & iuſta, & neceſſaria ſunt. Cùm autem obedientia virorum ſpiritualium tranſcendens rationes humanas in Deum intendat per ſuperiores prouidentem nobis, nullum hæſitationi locum relinquit.

Sanctus Paulus cæcus formam obediendi exhibuit, ex pulchra ſententia ſancti Bernardi circa obedientiam.

Capvt XLIX.

Itaqve verus obediens non habet opus rationem expectare, cùm & humana, diuinaque ratio præſcribat obediendum eſſe, etiam vbi ratio non apparet, & non rarò cùm contra ipſam videtur rationem, præſumptione quadam, fideque promptiſſima obtemperandum eſt, non aliter, ac ſi iudicio, & ſenſu careremus. Vnde à ſanctis Patribus cæca obedientia commendatur. Vnus ſolùm ſenſus obedientis, vnum iudicium, vna vita, vna vox ſit, Domine, quid me vis facere, quam vt nos doceret S. Paulus, & perfectæ obedientiæ norma nobis eſſet, excæcatus eſt. Cæcuſque illa verba pronuntiauit, quia obedientia cæca neſcit aliud dicere. Vim huius verbi, admirabiliſque huius virtutis exemplar S. Bernardus tradit. Nec operæpretium erit prætermittere. Sic conſiderat illud Apoſtoli, *Domine, quid me vis facere.* O verbum breue, ſed plenum, ſed viuum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: *Domine quid me vis facere?* Et illud Samuelis, *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quàm noui Apoſtoli imitatores. *Quid vis* (ait Dominus ad cæcum illum) *vt faciam tibi?* Quanta eſt miſeratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit, vt ſerui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non conſiderauit, non expauit, non exclamauit. Abſit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis. Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis fratres, quia verè neceſſaria erat hoc in loco conuerſio? ſic profectò, ſic mul-

Serm. in conuerſ. S. Pauli.

 torum

torum vſque hodie puſillanimitas, & peruerſitas exigit, vt ab eis quæri oporteat: Quid vis vt faciam tibi. Non ipſi quærant, Domine quid me vis facere? Conſiderare neceſſe habent miniſtri, & Vicarij Chriſti, quid ſibi præcipi velint: non ipſi conſiderant, quæ voluntas ſit præceptoris. Non eſt obedientia eorum plena, non in omnibus parati ſunt obſequi, non per omnia ſequi propoſuerunt eum, qui non ſuam, ſed Patris venit facere voluntatem. Diſcernunt, & diiudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imò in quibus præceptorem ſuum ipſorum obedire neceſſe ſit voluntati. Huiuſmodi itaque, etſi tolerari ſe videant, & condeſcendi ac morem geri infirmitati ſuæ, proficiant obſecro, pudeatque ſemper paruulos inueniri: ne quando fortè audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abutentibus patientia, & benignitate Prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miſerationis, cumulus iuſtæ damnationis. *Domine quid me vis facere?* ait Apoſtolus. Et Dominus ad illum. *Surge, & ingredere ciuitatem.* ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. O ſapientia ſuauiter verè vniuerſa diſponens. Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem vt ſocialis vitæ commendetur vtilitas, & edoctus per hominem, diſcat & ipſe ſecundùm datam ſibi gratiam hominibus ſubuenire. *Ingredere ciuitatem.* Videtis fratres non ſine diuino conſilio factum eſſe, vt hanc ciuitatem Domini virtutum ingrederemini, diuinam diſcere voluntatem? Planè qui te ſalubriter terruit, & conuertit cor tuum ad deſiderandam voluntatem ſuam, ipſe ubi dixit: *Surge, & ingredere ciuitatem.* Sed audi quàm manifeſtè in his quæ ſequuntur, voluntaria ſimplicitas & Chriſtiana commendatur manſuetudo. Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum. Felix cæcitas, qua malè quondam illuminati in præuaricatione, tandem in conuerſione oculi ſalubriter excæcantur. Sanè quòd triduò Paulus ſine cibo manet perſiſtens in oratione, ad eos maximè pertinet, qui nouiter ſæculo abrenunciantes, necdum in cœleſti conſolatione reſpirant. Suſtineant ergo & ipſi Dominum in omni patientia, orent ſine intermiſſione, quærentes, petentes, pulſantes; quia exaudiet eos Pater cœleſtis in tempore opportuno. Non obliuiſcetur eorum in finem, veniet, & non tardabit. Si triduo ſuſtinueris eum, non habens quod manduces, confide quia miſerator, & miſericors Dominus ieiunum te non dimittet. Exinde iubetur Ananias manus imponere Saulo, ſed tanquam bene eruditus non continuò acquieſcit. Vide enim ſi non etiam Paulus ipſe doctrinam hanc, deinde tradidit diſcipulo. *Nemini*, inquiens, *citò manus imponas.* Vidit (ait Dominus) virum imponentem ſibi manus vt viſum recipiat. Fratres, Paulus hoc cùm vidiſſet, non continuò illuminatus eſt. Nunquid non expectauit Ananiæ manum, quia venturum eum fortè in ſomniis præuidit? Hæc dico chariſſimi, quia vereor, ne quis fortè ſit inter vos, qui ſolo ſeſe ſomnio præſumat illuminatum eſſe: nec iam æquanimiter patiatur ad manũ trahi, ſed ductorem ſeſe profiteatur aliorum. Cui enim nec dum adminiſtrationis cura iniuncta eſt, cui necdum credita diſpenſatio, cui necdum præceptum vt videat, & prouideat his qui apertos oculos habentes nihil vident: quid hoc præſumere tentat, niſi quia meditatur inania, & quaſi ſomnia vana ſectatur? Caueamus ab hoc vitio fratres: ſemper, quod in nobis eſt, abiecti eligamus eſſe, & ad manus trahi, manſuetudinem, & humilitatem diſcentes à Chriſto Domino.

Idem Bernardus multis aliis locis cæcam ſimplicitatem obedientiam commendat, quatenus nullam rationem verus obediens expectat, nihil examinat, nihil videt. In libro de præcepto & diſpenſatione ait. Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorſus voluntatis iudicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſus diſcutere, hætere ad ſingula, quæ iniunguntur, exigere de quibuſque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cuius cauſa latuerit, nec vnquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, ſeu expedire monſtrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata ſatis, imò nimis moleſta eſt huiuſcemodi obedientia: non planè hæc illa eſt, quæ ex regula traditur obedientia ſine mora. Diſputare profectò hoc eſt in aſtu cordis, non in auditu auris obedire. Idem in epiſtola ad Fratres de Monte Dei allegatus ab Humberto. Perfecta obedientia eſt maximè in incipiente indiſcreta, hoc eſt, non diſcernere quid, vel quale præcipiatur, ſed ad hoc tantùm niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur: lignum enim ſcientiæ boni & mali in Paradiſo, cenſura diſcretionis eſt in conuerſatione Religionis, penes Patrem ſpiritualem, qui diiudicat omnia; ipſe verò à nemine iudicatur, ipſius eſt diſcernere, aliorum eſt obedire. Et rurſus. Animal diſcretum, nouitium prudentem, incipientem, ſapientem, in cella diu poſſe conſiſtere, in congregatione durare impoſſibile eſt, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens, & hæc omnis ſit eius diſcretio, hæc omnis ſapientia eius ſit, vt in hac parte nulla ei ſit. In ſermone ſecundo ſancti Andreæ ait. Solemnitas hodie celebratur, quam ſi pia ſolicitudine perſcrutemur, multa inueniemus in ea, quæ ædificent animas noſtras: in ipſo ſiquidem conuerſionis ſuæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præſtat exemplum, quod quidem Chriſtianis omnibus neceſſarium, nobis eſt tamen charius amplectendum, quia nimirum ſpecialiter ex ipſa profeſſione noſtra tenemur obedientiæ debitores. Sapiens nummularius eſt, imò ipſa ſapientia, cui neceſſe habemus reddere hunc obedientiæ nummum: nec ſuſcipiet eum niſi & integer inueniatur, & ſine aliqua falſitate: nam ſi diſcutimus, & diiudicamus, & in hoc quidem præcepto non obedimus, non ſuſcipiet eum Chriſtus, à quo nimirum tenemur nummi integrè debitores. Omnes enim obedientiam ſimpliciter, & ſine vlla exceptione promiſimus. Et paulo pòſt. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? *Venite poſt me*; at illi continuò, nihil diiudicantes, aut hęſitantes, non ſolliciti vnde viuerent, non conſiderantes, quo nam modo rudes homines, & ſine litteris prædicatores fieri poſſent, nihil denique interrogantes, ſine omni mora, relictis retibus, & naui, ſecuti ſunt Deum.

Lib. de præcept. & diſpenſ.

Dicta

Dicta S. Baſilij, quæ ſimplicitatem cæcæ obedientiæ commendant.

Capvt L.

IAm ſiquidem D. Bernardi produximus ſententiam, quæ S. Ignatio, noſtriſque conſtitutionibus prorſus conſpirat in iis, quæ de ſancta ſimplicitate, ſiue cæcitate obedientiæ commendant. Proferamus quoque aliorum Patrum dicta idem conteſtantia, vt tot Sanctorum clamoribus, tot inſignium, ſpiritualiumque virorum crebris, repetitiſque vocibus acquieſcamus, & momentum, diuinamque huius ſimplicitatis prudentiam agnoſcamus. S. Baſilius in monaſti-
cap.10. cis conſtitutionibus ait. Obedientia aduersùs Magiſtros ſuos conſeruanda, ſiquidem hoc totius vitæ, huius inſtituti caput eſt. Quemadmodum enim Deus, qui omnium Pater eſt, & appellari ſua ſolius vult dignatione, ſummam à quibus colitur obedientiam requirit: ſic qui ſpiritualis in hominibus Pater eſt, cùm præſcripta ſua ad diuinarum legum exempla commodat, perfectiſſimam ipſe quoque obedientiam requirit. Etenim ſi quis ſe alicui artium iſtarum liberalium, ac mechanicarum dederit, artifici ſuo quacumque ratione parendum putat, nec vlla in re præceptis illius aduerſatur, nec vnquam ab eo, vel ad minimum tempus digreditur, ſed aſſiduè in oculis magiſtri eſt, cibumque ac potum & reliquum victum omnem æquo animo, vt ille præſcripſerit, admittit: multo certè credibilius eſt, qui ſe ad pietatis, Religioniſque doctrinam percipiendam contulerunt, eos quòd ſemel ſint perſuaſi, huiuſmodi poſſe ſe ab Antiſtite ſuo ſcientiam accipere, fore vt omnibus illi in rebus libentiſſimè obſequantur, ſummèque ac diligentiſſimè obtemperent, nec ab eo, eorum quæ ſibi imperentur, rationem repoſcant, priuſquam, vt imperatum opus perficiant. Idem cùm ſuperiores Paſtoribus, ſubditos ouibus comparaſſet, ſubdit.
cap.13. Quemadmodum igitur paſtori ſuo oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult ingrediuntur: ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino eorum iuſſa curioſiùs perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato, eaqueque cum ſumma animi alacritate, ſummoque ſtudio conficere, vtitur poſtea ſimilitudine artificis pro voluntate vtentis inſtrumento ſine repugnantia, nec vlla inobedientia. In regulis quoque breuioribus, docet imprudentem, inſipientem, ac ſtultum apud ſemetipſum Monachum debere eſſe.

Illud etiam noſtris inſtitutionibus conſonat, vbi interdicimur de iis tractare, iudicare, & ſuſpicari, quæ ad regimen ſuperiorum ſpectant, quod ſanctus Baſilius in Regulis fuſioribus admonuit. Ne quis facilè in huiuſcemodi vitium ſecus de Antiſtite ſuſpicandi, aut diiudicandi cum detrimento cùm ſuo, tum reliquorum etiam Fratrum incurrat, illud in vniuerſum obſeruari in Conuentu debet, vt nullo modo quis curioſè Antiſtitis conſilia perueſtiget, aut in eius facta anxiè inquirat, iis dumtaxat exceptis, qui cùm dignitatis gradu, tum conſilij prudentia Antiſtiti ipſi proximi ſint, quos quidem ille neceſſariò ſibi, quandocumque de re aliqua erit deliberaturus, in conſilium ac maturam conſiderationem adhibebit, nimirum præcepto illi obtemperans. *Omnia fac cum conſilio.* Quum enim Eccleſ.32.
illi animas noſtras gubernandas commiſimus, tanquam Deo de iis rationem reddituri, prorſus abſurdiſſimè facimus, ſi huic fidem in rebus contemptiſſimis abrogamus, & cùm ipſi falſis aduersùs Fratrem noſtrum ſuſpicionibus impleamur, tum reliquos exemplo noſtro, vt idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eueniat, vnuſquiſque maneat in ea vocatione, in qua vocatus eſt: & cùm animum ſuum totum in rerum ad ſe pertinentium cura occupauerit, minimè in aliorum conſiliis inquirendis ſit curioſus, ſed ſacroſanctos Domini diſcipulos imitetur, quorum eſto illud, quod in Euangelio eſt, de Samaritana, ſuſpicionem ipſi poſſet commouere. Nemo tamen dixit (inquit) quid quæris, aut quid loqueris cum ea.

Aliorum Patrum ſententiæ, quibus commendatur ſimplicitas ſancta obedinentium.

Capvt LI.

VEnsamvs ad alios Patres eandem promptitudinem ſimplicis, & cæcæ obedientiæ commendantes. S. Benedictus in quinto Regulæ capite Religoſos vult non ſuo arbitrio ambulantes, ſed alieno iudicio, & imperio. S. Ioannes Climacus ait: *Obedientia eſt* 4.Gradu.
inexaminatus, atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter: obedientia eſt ſepulchrum voluntatis, nihil reſiſtit, nihil diſcernit Monachus in bonis, aut iis quæ videntur mala: obedientia eſt diſcretionis depoſitio inter diuitias diſcretionis. Et mox: *Cum pietatis & obedientiæ ſtudium fuerimus ingreſſi, minimè iam inſtitutorem noſtrum in aliquo penitus diiudicare licet.* Sanctus Dorotheus. *Vos autem omnino fra-* Doctr.2.
tres adhuc expertes video huiuſcemodi obedientiæ indiſcretæ, nec noſſe quanta eius ſit requies. Et infrà. *Aſſueſcat ſeipſum poſt Deum Patri dedere, atque ab eo nulla re poſtmodum diſſentire, ſed omnia ipſius arbitrio faciat, ea fide ac certitudint, ac ſi Deo in cunctis non homini pareret.* Et in doctrina quinta ait. *Quidquid iudicij eſt tibi, quid-* Doctr.5.
quid diſcretionis eſt, quidquid prudentiæ, quidquid intelligentiæ, id omne tibi à Dæmonibus eſt. Sanctus Bonauentura. *Obedientiæ ſe totos ſubijciant,* In ſpec. diſc.
ſit homo interior totus Deo, ſit exterior totus Præ- p.2. cap.1.
lato ſubiectus. Quidquid ſuperior eis vel Præpoſitus, vel inſtructor ininnxerit, quaſi diuinitus imperatum ſtatim, vt veri obedientiæ filij deuotè obediant. Quidquid ſtatuerit, inuiolabiliter ſeruent, ſcienterque aliquid tranſgredi ſacrilegium putent, credantque ſalutare quidquid ille præcepit. B. Laurentius Iuſtinianus. *Non debet ſimpliciter* Ligno vitæ
obtemperantem magiſtri imperitia, ſeu indiſcre- cap.6.
ta poteſtas mouere: ſed meminerint ſcriptum, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; ideo quodcumque fecerit obediens,

Digitized by Google

obediens, operetur ſimpliciter, & ex animo, ſicut Deo, & non hominibus. Caſſianus ſæpiùs hoc edocuit. In collatione Abbatis Moyſis ſcribit: *Hoc igitur modo ad ſcientiam diſcretionis vera peruenire facillimè poterimus, vt ſeniorum veſtigia ſubſequentes, nec agere quidquam noui, nec diſcernere noſtro iudicio præſumamus, ſed quemadmodum nos, vel traditio eorum, vel vita probitas informarit, in omnibus gradiamur. Qua inſtitutione formatus non modò ad perfectam diſcretionis rationem quiſque perueniet, verùm etiam munitus à cunctis inſidijs inimici tutiſſimus permanebit; nullo enim vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis conſilijs ſeniorum in ſuo iudicio perſuaſerit, ac definitione, doctrināve confidere.* In Piamonis quoque collatione ait: *Quæcumque ſeniores agere, vel tradere videritis, ſumma humilitate ſectamini, nec vos moneat, vel ab imitatione diuertat, ac retrahat, etiam ſi vobis ad præſens alicuius rei, vel facti, vel cauſa non liqueat. Quia eos, qui bene de cunctis, ac ſemper ſentiunt, & vniuerſa quæ à ſenioribus tradi, gerivè perſpexerint, fideliter imitari magis, quàm diſcutere ſtudent, per operis experientiam rerum omnium ſcientia ſubſequetur. Cæterùm nunquam rationem intrabit quiſquis à diſcuſſione cœperit erudiri. Quia videns eum inimicus, ſuo potius quàm Patrum iudicio confidentem, facilè in id vſque propellit, vt etiam illa quæ maximè vtilia, ac ſaluberrima ſunt, ſuperflua ei videantur & noxia.* Et libro inſtitutionum quarto monet: *Stultum te ſecundùm Apoſtoli ſententiam facias in hoc mundo, vt ſis ſapiens, nihil ſcilicet diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; ſed cum omni ſimplicitate, ac fide obedientiam ſemper exhibeas, illud tantummodo ſanctum, illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicans, quidquid tibi, vel lex Dei, vel ſenioris examen indixerit.* Audiamus quoque Humbertum in epiſtola trium votorum: *Vt autem obedientia coram Deo ſit acceptabilis, ſtudete habere promptam ſine dilatione, ſimplicem ſine diſcuſſione, ordinatam ſine deuiatione, iucundam ſine turbatione, ſtrenuam ſine puſillanimitate, vniuerſalem ſine exceptione, perſeuerantem ſine ceſſatione.* Et ſequenti capite ait. *Quapropter dilectiſſimi ſitis ſicut aurum ductile, & quaſi virga flexibilis, quæ recta, & curua redditur ad libitum artificis, ſitis ſicut rota volubilis, quæ ſecundùm impetum ſpiritus mouebatur; ſitis vt iumentum apud Deum, onus dorſo indifferenter quodlibet imponatur.* Et poſtea. *Simplex ſit obedientia veſtra fratres, vt iniuncta ſine diſcuſſione facientes, iudicetis de veſtro, nec minimum vos habere; nam quiſquis intentionem præcipientis iudicat, bellum intrinſecus parat, per hoc enim quòd cauſas mandatorum, quas ignorat, diſcutit, in labyrinthum errorum ſeſe ponit.*

Coll. 1. c. 11. — cap. 4. — cap. 4. — cap. 5. — cap. 8.

***

Simplicitas obedientiæ quàm ſit Deo acceptabilis, multis hiſtorijs oſtenditur.

Capvt LII.

Qvantopere autem gratus Deo ſit, & excellens hic obediendi ritus, cùm in ſuperiore Chriſtus ſuſpicitur, nullaque expectatur ratio præcepti, aut ordinationis, tum miraculis, tum admirandis aliis hiſtoriis confirmauit diuina bonitas. Quapropter colligam aliqua huius rei exempla. Reuerendiſſimus Rodulphus Gonzaga, & Reboledus hiſtorici Franciſcanæ familiæ ſcribunt de quadam Abbatiſſa, cui, quia ſimpliciſſima erat, ideoque ad regimen inepta videbatur, cùm Moniales obedire recuſarent, ipſa præcepit Monialibus mortuis, & ſepultis, vt reſurgerent ad ſua præcepta executioni mandanda. Mirum dictu. Extemplò ſurrexere defunctæ Moniales, perfeceruntque omnia, quæ Abbatiſſa iuſſerat. Hoc exemplo docuit nos Deus non ſapientiam, non literas, non prudentiam, nec vtcumque perſonam ſuperioris attendendam eſſe, ſed ſubſtitutionem, & imaginem ſuam in ipſo ſuperiore exhibitam, quam ipſi Sancti, & Beati reuereri, parereque ſunt viſi. De S. Bernardo narrat Frater Bernardus Britus, cùm mortuus tot miracula ederet, vt propterea conuerſus hominum impediret diuina officia, Monachorumque quietem. Præcepit ei Abbas, vt ceſſaret à miraculis faciendis; cui Sanctus obediuit, & ſtatim ceſſauit. Simile præceptum Iancellinus Ordinis Carthuſienſis Generalis impoſuit cuidam Monacho defuncto, qui ſimiliter paruit, quemadmodum ſanctus Antoninus ſcribit. Sanctus Franciſcus etiam idem præcepit Fratri Petro Caietano ſecundo eius diſcipulo, tum ob dictam cauſam, tum ob eleemoſynarum multitudinem, qui pari obedientia, non ampliùs miracula operatus eſt. Nunc videamus, quo pacto ſimplicitatem obedientię acceptabilem ſibi Dominus oſtēderit. Seuerus Sulpitius in primo Dialogo de virtutibus Orientalium Monachorum. *Quidam* (inquit) *ad Abbatem recipiendus aduenerat, cùm ei prima lex obedientiæ poneretur, ac promptam polliceretur ad omnia, vel extrema patientiam, caſu Abbas Storacinam virgam iam pridem aridam manu gerebat, hanc ſolo fixit, atque illi aduenæ, id operis impoſuit, vt tandiu virgula aquam irriguam miniſtraret, donec quod contra naturam erat, lignum aridum in ſolo arente vireſceret, ſubiectus aduena duro legis imperio aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à longo flumine per duo ferè millia petebatur. Iamque emenſo anni ſpatio labor non ceſſabat operantis; tamen obedientiæ virtus in labore durabat, ſequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertiò demum ſuccedentium temporum labente curriculo, cùm neque noctu, neque interdiu aquarius ille ceſſaret operator, virga floruit. Ego ipſe ex illa virgula arbucellam, quæque hodie intra atrium monaſterij eſt, ramis virentibus vidi, quæ quaſi in teſtimonium manens quantum obedientia meruit, & quantum fides poteſt, oſtendit.* Idem Sulpitius alium

Reboled. 3. p. Chriſt. lib. 1. cap. 29. — 2. p. tit. 13. c. 22. §. 2.

alium ſcribit, dum ad religioſam conuerſationem admitti poſtularet, iuſſum experimenti cauſa in fornacem incenſum ingredi extemplò obtemperaſſe, indemnemque perſtitiſſe. S. Guillelmus Aquitaniæ quondam, & Prouinciæ Dominus, poſtea verò ita humilis Monachus, vt nihil tam paruum, neque tam infimum eſſet, quo ſe indignum iudicaret, dum id ſibi faciendum Abbatis auctoritas iniunxiſſet. Iuſſus ergo aliquando panes coquere, cùm iam tempus cœnæ inſtaret, confeſtim ſuccendit fornacem, rutabulo ignem circumuertit, ſed ſcopam, qua prunas euerreret, locumque ponendis panibus apraret, non habuit: inſiliens ergo in fornacem, melote pro ſcopa eſt vſus. Tum demum coctos panes fratribus nihilo tardius, quàm res poſcebat, attulit, nulla corporis, aut indumentorum parte læſa, vt propenſæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula ſecuram, & inter infima nobilem. Factus erat hic quidem de Aquitaniæ, Prouinciæque Domino, Monachorum furnarius; ſed de Monachorum furnario factus eſt Regni cœleſtis perpetuus poſſeſſor, terræ Regibus maior, Dei Angelis par. Caſſianus Mutij Abbatis miram obedientiam, ac niſi veteris Inſtrumenti per exemplum ei aſtipularetur, penè incredibilem enarrat, dicens, eum vnico filio ſuo non pepercisse, vt Abbati obediret. Vnà enim cum illo paruulo adhuc monaſterium ingreſſus, vt celluliis diſpararentur ſuſtinuit: & cùm puer de induſtria in conſpectu eius increpitaretur, verberaretur, miſeris acciperetur modis, neque lachrymis, neque clamoribus eius moueri potuit, vt verbum vnum proferret: denique ſimulata in puerum indignatione, Abbas patientiam pariter, obedientiamque Mutij, quàm maximo probaturus argumento, iuſſit, vt arreptum filium efferret, & in proximum flumen ſuffocandum iactaret; nihil moratus ille, vnicum vt mergeret, tulit: ſed quibus negotium datum erat, cùm ad ripam fluminis ventum eſſet, ſeſe opponentes inhibuerunt. Poſt hæc Abbati reuelatur, Mutium Abrahæ Patriarchæ obedientiæ meritò comparandum, dignumque, cui poſt ſe Monaſterij cura committeretur. Cùm hoc ita ſit, quis dubitat, quin Præpoſitorum iuſſa perinde ſeruanda ſint, ac Dei, parique ſedulitate adimplenda? Ioannes Abbas in Scythi, quem Sol iratum nemo vidit, ex hac vita ad meliorem migraturus, præcipuum diſcipulis ſuis documentum relinquere volens, nunquam quidquam ſe ex ſententia ſua egiſſe dixit, ſed ſeniorum; nunquam aliquid docuiſſe, quod prior ipſe non feciſſet. Hoc erat propriæ renuntiare voluntati, & in docendo nihil præſumere: in hoc ille ſummam penè virtutum putauit, qui dum decederet, fratres ſuos plura monere, neceſſarium non eſſe cenſuit. Ioannem alterum apud Lycum Thebaidis oppidum commorantem, obedientiæ virtus eò prouexit, vt futurorum præſcium faceret: huic obſequij experiundi cauſa Abbas præcepit, vt palum aridum in terra defixum, aqua, quæ duo millia paſſuum à monaſterio diſtabat, bis per diem aducta, totidem vicibus irrigaret, cùm vidiſſet neque labore illum defatigari, neque ligni nunquam ad viriditatem rediturі deſperatione commoueri. poſt annum in tali opere conſumptum interrogat, an lignum illud iam radices egiſſet: & ſe neſcire reſpondentem, euerſo ligno, ab irrigatione deſiſtere iuſſit. Aliud deinde obedientiæ eius periculum facere volens, cùm multi adeſſent, promptitudinis eius in obſequendo fama exciti, mandauit, vt de cellario lenticulam, quæ oleo plena erat, proferens per feneſtram proiceret, tantillum olei illis erat, & quidem in deſerto, vbi is liquor, neque mutuo ſumi, neque emi poterat; concitus tamen ipſe, non inopiæ, non ſocij rationem ducens, quod iubebatur, perfecit. Aliàs quoque ſaxum ingens, & quem multi ſimul mouere non valerent, ſoli vt aduolueret, Abbas præcepit. Tunc ille quidem toto conatu fruſtrà nitens, vires experiri non ceſſauit, donec multo ſudore madente, iam quieſcere idem Abbas iuſſit. Hac obſequiorum ſimplicitate, Ioannes prophetandi donum conſequutus, in magnis bellorum difficultatibus Theodoſium Principem, ne cum hoſte congredi timeret, ſuis animauit oraculis, certiſſimo victoriæ euentu; ita vt ille deinceps certamen nullum iniret, niſi ipſo conſulto. Igitur qui olim omnibus Abbatis ſui iuſſis fuerat obſequutus, eius deinde reſponſis obediuit Imperator. Bercharius Lexonienſis Monaſterij Abbas, antequam præeſſe cœpiſſet, ſingularem apud omnes obedientiæ ſuæ commendationem miraculo auxit, dum vinum de cado in vrnam traheret, ab Abbate vocatus, relicta vrna, feſtinus cucurrit. Vinum verò ſicuti fluebat, repleta vrna, non eſt effuſum; ſed ſic ſtetit ac ſi gelu concretum eſſet, donec ille reuerſus, cadi foramen tereti in mucronem ligneolo obturauit. Tunc qui aderant, haud dubitarunt, quin hoc illi alacris admodum, atque impigræ obedientiæ merito contigiſſet; vt qui ſe totum Abbatis voluntati libenter tradiderat, ad eius votum fluentis naturæ liquor pro tempore ſuſpenſus perſtiterit. Lambertus Traiectenſis Epiſcopus, cùm inuidorum malignitate Epiſcopatu motus, ad monaſterium Scabolanenſe confugiſſet, monachalem ſeruans vitæ modum, & nocte quadam ad orandum è lectulo deſiliens, percuſſo pedibus pauimento ſtrepitum feciſſet, Abbas eo quòd ſilentij ea hora erat, quaſi ſubindignè ferens, voce ſublata ait, vt quiſquis illud culpæ commiſiſſet, continuò ad crucem exiret, non antequam diei crepuſculum eſſet, reuerſurus. Crux autem ipſa extra monaſterij ſepta ſub dio erecta ſtabat: repentè itaque Lambertus, ſicut nudis pedibus adhuc & cilicio tantùm indutus erat abiit, & hoc quidem brumæ tempore, vt multi mirarentur, quomodo algore contractus non expiraſſet, manè ſemiuiuum reduxerunt, & Abbas veniam petiit, affirmans nunquam ſe putaſſe hoc Monachorum aliquem facturum, nedum Epiſcopum. Ideoque ioco magis, quàm ſeriò verbum protuliſſe; hac tamen obedientiæ ſubiectione Lambertus meruit in Epiſcopatus ſui ſedem reſtitui, & tandem martyrio coronari. Sancta Theodota etiam iuſſa deferre aquam ex lacu, vbi crocodrilus erat, qui cunctos proximè accedentes dilaniaret, ipſa ſecura hauſit aquam, feramque occidit. Sancti Mauri obedientia celebris eſt, qui ſuper aquas greſſus Placidum ſummerſione liberauit.

Recentia, ſed quæ antiquis adæquentur, obedientiæ exempla habemus. Venerabilis illa fœmina Anna à S. Bartholomæo ſocia S. Thereſiæ, quæ ſeriò accipiens verba ſui Confeſſarij iubentis digitum in ardentes prunas immittere per aliquod

aliquod ſpatium, illico paruit, immerſumque in ignem digitum detinuit, quem tamen Deus illæſum ſeruauit: iuſſa quoque dum ægrotaret aliis Monialibus ægrotantibus ſeruire, nihil hæſitauit, ſed breui apparens illi Chriſtus ſanam ſubitò reddidit, & poſtea omnes infirmas. Serua Dei Leuina Stalens ſanctimonialis, D. Bernardi iuſſa ſiccam per ſeptennium arborem rigare, quamuis deriſa ab aliis quotidie illam rigauit bis, aut ter, approbauit Deus ſimplicitatem huius obedientiæ refloreſcentia eius arboris, inſolito tempore, quæ poſtea fructus vberes protulit.

Obedientia cæca Deum merè reſpicit.

Caput LIII.

Verum iſta obedientiæ mirabilis lex, quamuis cæcæ, quandam miram perſpicaciam includit, vt meritò non ſolum virga, ſed virga vigilans dicatur. Siquidem reſpicere Deum debemus, vt cæco modo obediamus. Rationes humanas non attendet, qui diuinas reſpectat; hominem non aſpiciet, qui Deum prouidentem, & præcipientem ſibi videt: hanc Dei præſentiam in ſuperioribus cum vſu perfectæ obedientiæ, inde naſcentis, ita conſulit Diuinus Magiſter, & ſpiritualis Pater ſanctus Ignatius. *Expedit in primis ad profectum, & valde neceſſarium eſt, vt omnes perfectæ obedientiæ ſe dedant: Superiorem (quicunque ille ſit) loco Chriſti Domini noſtri agnoſcentes, & interna reuerentia, & amore eum proſequentes: nec ſolùm in executione, externa eorum, quæ iniungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, ſine excuſationibus, & obmurmurationibus obediant; licèt difficilia, & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia iubeat: verùm etiam conentur, internam reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & iudicij habere: voluntatem, ac iudicium ſuum cum eo, quod ſuperior vult, & ſentit in omnibus rebus (vbi peccatum non cerneretur) omnino conformantes, propoſita ſibi voluntate, ac iudicio Superioris, pro regula ſuæ voluntatis, & iudicij; quo exactiùs conformentur primæ, ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis, & iudicij, quæ eſt æterna bonitas & ſapientia.* Qui Deum conſiderat iubentem, & alloquentem, quomodo aliter obedire poteſt, niſi cum hac perfectione? Eſſet ne pium, aut catholicum, ſi Chriſtus aſpectabilis rurſus ad nos deſcenderet, humanoque conuictui ſe miſceret, & pro ſempiterna alicuius ſalute & gloria æterni Patris aliquid præciperet. Si tunc eum non audiret, Diſcipulus ille, cuius gratia præcepit aliquid, ſed contemneret, aut refutaret, aut obmurmuraret contra omniſcientem Dominum, & Magiſtrum, diceretque, imprudenter præcepiſſe, aut ſuſpicaretur erraſſe. Profectò ad minus putaretur hoc blaſphemum. Perinde autem videtur idem facere cum Vicario ipſius Chriſti ſuperiore. Quid dico cum Vicario, cum organo quoque, etenim Superior non ſolùm repræſentat Chriſtum, ſed & inſtrumentum Chriſti nos gubernantis, & præcipientis, qui errare nequit. Vnde Superiorum iuſſa iudicare, aut damnare, perinde erit tametum ac ipſum iudicare Chriſtum, blaſphemareque in Spiritum ſanctum; quemadmodum dixit ſanctus Damaſus, & ex eo Concilium Baſileenſe. ſic ait Damaſus Papa. *Violatores Canonum voluntariè a ſanctis Patribus grauiter iudicantur, & à Spiritu ſancto, inſtinctu cuius & dono dictati ſunt, damnantur, quoniam blaſphemare in Spiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, vt præmiſſum eſt, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt; talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum.* Quòd ſi eſt impium contra dogmata ſanctorum Canonum ſentire, quoniam infallibile ſit iudicium Dei, & Eccleſiæ in attingenda veritate. Cùm etiam ſit infallibile iudicium Dei in prouidendo, quæ ad noſtram ſalutem conducant, impium quid videtur his non parere, ſicut illa non credere. Neque enim minus ſapiens Deus eſt director, & gubernator, quàm Doctor, æquè infallibilem habet prudentiam ac ſapientiam, & in ſcientia ſpeculatiua, vt ſic dixerim, non plus valet, quàm practica. Neque refert, quòd nos per homines gubernet, & dirigat: nam etiamſi per homines ad nos traducatur, infallibilis eſt. Sic etiam verus obediens æſtimare debet infallibilem directionem Dei, quamuis per homines ſibi intimetur. Et quemadmodum per Caipham licèt malam intentionem habentem, locutus eſt veritatem Spiritus ſanctus, ſic etiam per malum Superiorem dirigit ſanctitatem: & quemadmodum Deus per ea quæ peccando fecerunt, peſſimi Superiores, quales fuerunt Præſul Romanus, in Iudæa, Pontificeſque illius populi ſummum redemptionis opus perfecit; ſic etiam per iniqua mandata iniquorum Prælatorum, & per imprudentiam ſtultorum ſubditorum poterit ſalutem, ſanctitatemque operari.

Reg.41 p.3. c.1.§.23.

Seſſ.38 & in Decreto 25. q.1. cap. violatores.

Quapropter vt omnem reuerentiam impendamus Superiori, & cæco modo quoad rationes, & prudentiam humanam obediamus, oportet nō in Superiore hominem, ſed in homine Deum contemplari. Vnde Chaldæus pro *virga vigilanti*, vertit *Regem feſtinantem*, quia non tam inſtrumentum Dei, qui Superior eſt, reſpiciendum eſt, quàm ipſe Deus, ſupremuſque omnium Rex & Dominus, qui noſtram ſalutem ſolicitè per Superiores diſponit. Hinc ſanctus Bonauentura conſulit, *Vt melius valeas eſſe obediens, cogita ſemper, quando vox præcipientis ſonat in auribus tuis, quòd vocem iſtam non tanquam ab homine audias, ſed tanquam ab ipſo Deo.* In tractatu autem de interiori homine, addit hanc rationem, dicens: *Ipſi Rectores noſtri ſunt Vicarij Dei ſuper nos, & ideo debemus eis, ſicut Domino obedire, & non ſicut hominibus, quia non propter ipſos, ſed propter Deum eis ſubiacemus.* In ſpeculo quoque ait. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, hoc animo ſic accipiendum eſt, quaſi præcipiat Deus.* Idem S. Bonauentura tradit, ſanctum Franciſcum dixiſſe, *Ita diligenter nouitio vnius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo, & diſcretiſſimo Fratri. Subditus* (inquit) *Prælatum ſuum non hominem conſiderare debet, ſed illum pro cuius eſt amore ſubiectus. Quanto enim contemptibilior præſidet, tanto magis humilitas obedientis placet.*

In lib.8. col. lat. c.3.

cap.2.

cap.4.

Antiquio

Digitized by Google

Antiquiores Patres eandem doctrinam incul-cant. S. Baſilius in conſtitutionibus Monaſticis. *cap. 23.* *Antiſtes* (ait) *perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum, & hominem.* Et in Regulis *Reg. 38.* breuioribus. *Quidquid contumacia, ſiue obedientia ſubditus adhibet, non aduerſus hominem, ſed aduerſus Dominum adhibet, qui dixit: Qui vos audit, me audit.* Fuſiùs S. Bernardus. *De præcepto & diſpenſ. cap. 12.* *Ipſum quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus.* Et iterum. *Siue Deus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum.* *Serm. de virt. obed.* Et alio in loco. *Quidquid obedientia Prælatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit: Qui vos audit.* Apud Ioannem Climachum, notatione dignum eſt, reſponſum cuiuſdam ſancti Monachi, cuius obedientia ab Abbate tentata fuerat quodam ſpeciali modo, quem idem refert, & ait ipſe Climachus. *Lib. de ſcala Parad. gradu 4.* *Non omiſi ego quin ſenem illum tētarem. Itaque cùm eum poſtea interrogarem, quid aſtans cogitaſſet? Chriſti,* inquit, *imaginem Paſtori impoſui, neque ab illo hoc penitus præceptum exiſſe, ſed à Deo exiſtimaui: quare ô Pater Ioannes non coram menſa hominum, ſed coram altari diuino me putans aſtare orabam, nullamque penitus malignam cogitationem aduerſus Paſtorem admittebam pro ſyncera in illum fide mea & charitate.* Hinc etiam Caſſianus refert de antiquis Monachis ſolitos fuiſſe ſic vniuerſa complere, quæcumque fuerint à Præpoſito præcepta, tanquam à Deo ſint cœlitus edita. Eandem tanquam obedientiæ regulam ſuis Religioſis propoſuit ſanctus Benedictus. *Cap. 5. ſua Reg.* De S. Niceta ita loquitur Theoſterictus in oratione funebri. *3. April.* *Omnia* (inquit) *morum ſimplicitate, & ſine hæſitatione aliqua, corde ſyncero faciebat; quæ verò à Præſide ipſo dicebantur, tanquam à Deo ipſo dicta excipiens, omnem quidem curioſitatem, & hæſitationem abyciens, fidem autem ac certam perſuaſionem habens omnia exequebatur.*

Quid? Sanctus Paulus ad ſeruos ſic loquitur. *Ad Coloſ. 3.* *Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum, quodcumque facitis ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Chriſto ſeruite.* Et *Epheſ. 6.* alibi, *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes bonam voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino.* Quòd ſi hæc ad ſæculares, & ad ſeruos dicuntur reſpectu dominorum etiam Ethnicorum & peſſimorum, quid Religioſi, & ſerui Dei facere debent cum Patribus ſuis ſpiritualibus, & Deo dilectis.

Quàm vtile ſit hoc exercitium habendi Deum præſentem in ſuperioribus.

CAPVT LIV.

HÆc conſideratio intuendi in ſuperioribus Deum præter facilitatem obedientiæ, & artis admirabilis habendi Deum præſentem vtiliſſima eſt, & maximè conſolationis animæ deuotæ ſemper cum Chriſto, & Deo ſuo verſantis. Vnde Simeon iunior dicit. *Cap. 28. Mon.* *Qui erga Patrem ſuum ſecundum Deum fidem euidentem habet, in illo Chriſtum intueri ſe exiſtimat, vt cum eo familiariter verſans, illumque affectans, & comitans cum Chriſto ſe verſari, & cum eo comitari conſtanter credit. Talis nunquam alterius conſuetudinem deſiderabit, eiuſque memoria, & charitati nihil rerum humanarum anteponet. Quid enim melius tum in hac, tum in futura vita melius quàm cum Chriſto eſſe omni tempore? Quid vero eius aſpectu, aut ſpecioſius, aut dulcius? tam ſi etiam colloquio illius dignus cenſeatur, prorſus ex eo vitam æternam haurit.* Ex hac præſentia & amore Chriſti familiaris nobis in ſuperiore aſcendere debemus ad illam perfectionem obedientiæ, quam S. Ignatius ſic commendat. *Reg. 33. ſum.* *Omnes obedientiam plurimum obſeruare, & in ea excellere ſtudeant: nec ſolum in rebus obligatorys, ſed etiam in alijs, licèt nihil aliud quàm ſignum voluntatis Superioris ſine vllo expreſſo præcepto videretur. Verſari autem debet ob oculos Deus creator, ac Dominus noſter, propter quem homini obedientia præſtatur: & vt in ſpiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur curandum eſt.* Tanta reuerentia Superiores colendi ſunt, quia pro Chriſto nobis ſunt ipſiuſque organum, vt eorum nutum, & leue voluntatis ſignum ſequi debeamus, potius quàm apparentis nobis Angeli explicatum mandatum. Angeli ſiquidem illius præceptum diſcuti deberet; hominis autem Prælati iuſſum indiſcuſsè perfici; ſecurior quippe inſpiratio, & tutiſſima reuelatio vox Superioris eſt. Nouit hoc S. Genebaldus, qui monenti Angelo reſpondit, *Etiamſi Chriſtus veniret, non facerem hoc, niſi diceret Superior meus Remigius, quippe cum obedientia ſui Superioris meritum non deeſſet; in apparitione verò Chriſti error, aut fraus poterat ſubeſſe.*

Hanc eandē obediēdi fidem traditā à S. Ignatio ad nutum Superioris, & ſolùm odorata, vt ſic dicam, eius voluntate alij Sancti confirmant. Sanctus Bonauentura ait. *Cap. 8. de proceſſ. Relig.* *Bonus obediens aliud non expectat, vbi de Superioris ſibi conſtiterit voluntate.* S. Thomas. *2. 2. q. 104. art. 2.* *Tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen Superioris intellecta.* Antiochus Monachus. *Hom 39.* *Obedientia eſt renuntiatio propriæ voluntatis, nulla non ſui parte perfecta, qua ſolo moderatoris ſui ad nutum ad quiduis operandum nihil turbulentè mouetur.* Rurſus ſanctus Bonauentura. *De grad. virt.* *Altus gradus obedientiæ eſt implere verbum Patris propter Deum, altior implere nutum, altiſſimus implere voluntatem.*

Hinc quoque oritur, vt etiam in iis, quæ apparent irrationabiliter, iuſſa parere illis eadem promptitudine debeamus; ſicut enim per fidem ea credimus, quæ ſupra rationem ſunt: ſic etiam per obedientiam ea etiam quæ non ſecundùm rationem videntur propter Chriſtum in Superiore loquentem, ſalutaria nobis credenda ſunt. Optimè S. Ioannes Climachus ait. *Gradu 4.* *Securè maioribus credamus in Domino, qui curam noſtri ſuſceperunt, etiamſi quædam imperent, quæ contraria ac ſaluti noſtræ videntur aduerſantia; tunc enim fides ad illos noſtra veluti in fornace humilitatis comprobatur. Obedientia igitur etiam in ys, quæ*

nonnunquam videntur ſine ratione præcipi, colenda, & probanda eſt. Inſigne huius documentum 3.Reg.20. habemus in illo, qui à leone interemptus fuit, quoniam percutere quemdam de filiis Prophetarum noluit. Noo enim quòd parua, & irrationabilia reputentur aliqua iuſſa, aut eorum rationem non aſſequamur, prætermittenda ſunt, forraſſe inde noſtra ſalus pendet. quare meritò cùm ad mandatum Eliſæi recederet indignatus Naaman, quòd leue, & irrationabile illud iudicaret, 4.Reg.15. dixerunt ei ſerui eius; *etiam ſi rem magnam dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras.* Fecit tandem, & mundatus eſt. Vxor quoque Loth leue quid ſuſpicata præceptum oon retroſpiciendi, in ſtatuam ſalis verſa eſt. Quid? ſufficit Deum eſſe fontem totius ſuperioritatis, vt quæcumque præcipiantur, magni momenti, magnæque vtilitatis ſint: nam licèt non eſſent vtilia, hoc ipſo quòd præcipiuntur, fiunt vtilia. Vnde ſanctos Auguſtinus ait: *Magna eſt vtilitas hominis iubente Deo, etiam incognita iuſſionis ratione ſeruire. Iubendo enim Deus vtile facit, quidquid iubendo voluerit. De quo metuendum non eſt, ne non profutura præcipiat. Nec fieri poteſt, vt voluntas propria non graui ruina pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati Superioris extollendo præponat.*

Hoc quidem magnopere coofirmat & ſuadet communem ſanctorum Patrum ſententiam, ratione ad obedieodum opus non eſſe, ſed indiſcuſsè obtemperandum, quod quamuis ſatis ſtabiliuimus, ſemper oportebit inculcari, propter maximum huius ſanctæ ſimplicitatis momentum. S.Baſilius, *Monachi*, ait, *libentiſſimè obtemperent ſuo Prapoſito, nec ab eo eorum, quæ ſibi imponuntur, rationem repoſcant.* Et alibi. *Nihil omnino ipſorum iuſſa curioſius perſcrutando, quando* Ep. ad Ruſt. *libera ſunt à peccato.* S. Hieronymus. *Credas ſalutare quidquid Præpoſitus præceperit, nec de maLib.4 c.19. iorum ſententia iudices.* Caſſianus. *Ægyptij Monachi vniuerſa complere, quæcumque fuerint à Præpoſito ſuo præcepta, tanquam ſi à Deo ſint cœlitus edita, ſine vlla diſcuſſione feſtinant, vt nonnũquam etiam impoſſibilia* Et poſtea. *Nihil diſcernens, nihil diiudicans ex ijs quæ tibi fuerint imperata, ſed cum omni ſimplicitate, ac fide obedien-* Lib. 2. in 1.Reg. *tiam ſemper exhibeas.* S.Gregorius. *Vera obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit iudicaro quiſquis perfectè didicit obedire.* Sed nemo fortaſſe locutus eſt feruidius, quàm S. Ignatius Parens noſter in epiſtola de obedientia, vbi ſic nos monet: *Vt ad credenda, quæ catholica fides proponit, toto conatu, aſſenſuque veſtro ſtatim incumbitis, ſic ad faciendum ea quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupida, ſine vlla prorſus diſquiſitione feramini. Valde ad hoc faciet firma perſuaſio diuina prouidentia dirigentis nos per Superiores.* Nam præter ea quæ diximus, rectè S. Doro- Serm 5. theus ait: *Quicumque ſanè voluerit non diſſimulatè voluntatem Dei facere, nunquam illum patietur Deus labi, ſed ſemper eum diriget in voluntatem ſuam, & quiſquis cor ſuum direxerit ad diuinam voluntatem, hic puerum, quamuis paruulum adeò illuminatum mirabiliter offendet, à quo poterit voluntatem Dei diſcere.*

Eis vtilitatibus pro perfectiooe obedientiæ, quas monſtrauimus inueniri in eo, qui Superiorem reſpicit, noo vt hominem, ſed vt Deum, accreſcit ingens meritum ex hoc obediendi modo: oam qui paret, & reueretur Superiorem vt hominem, virtutem obſeruantiæ exercet; qui autem ſuſpicit in illo Deum, virtutem Religionis colit, quæ præſtantiſſima, & maioris excellentiæ eſt. Cui accedit charitatis meritum, quæ facilè comitatur illam Dei præſentis reuerentiam, & affectum. Ex quo dupliciter augetur operis dignitas, tum quia eleuat virtutis actum ad virtutem omnium Reginam charitatem, tum quia perfectionem obedientiæ voluntas amore Dei incitata exactiùs operatur. Valde enim iuuat obedientiam amor. Non ibi dura neceſſitate ſeruitur, inquit S.Leo, vbi diligitur quod iubetur. Idem eſt cùm Serm. 4. de ieiun. diligitur, qui iubet. Idcirco Saluator ait. *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit.* Noſter Parens S. Ignatius amorem in nobis ad perfectè obediẽdum requirit, iubens nos interna reuerentia, & amore proſequi Superiores. Et alibi inquit, vt in ſpiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur curandum eſt. S. Hieronymus ait: *Præpoſitum Monaſterij timeas vt Dominum, dili-* Epiſt 4. ad Ruſt. *gas vt Patrem. Curandum tamen eſt, vt hic amor Prælatorum non in illis ſolum ſubſiſtat, ſed ad Deum transmittatur, quem præſentem in Superioribus diligere debemus, & propter Deum Superiores.* Hinc Balduinus ſpiritualiſſimus ſcriptor dixit: *Charitas autem Dei, & obedientia indiuiduo* In Allig. Tilm. *nexu ſeſe complectuntur, & ab inuicem non diſtinguuntur.* Et S. Thomas vocauit abiectionem propriæ voluntatis charitatiuum odium, tum, quia magnam nobis vtilitatem, proximis pacem, Deo obſequium præſtet, tum, quia veram Dei charitatem comitem, & velut collegam habet; quamuis non negem aliquando amorem, & inclinationem naturalem, aut alium virtuoſum affectum poſſe iuuare obedientiam, & expedire interdum. Nam S.Paulus cùm monuiſſet Hebræos, *obedite* Heb.13. *Præpoſitis veſtris.* ſubdit aliquas rationes, tum propriæ commoditatis, tum gratitudinis, beneuolentiæque erga Prælatos. Dum enim ait; *ipſi enim perui gilant tanquam rationem de animabus veſtris reddituri*; quid in ijs verbis allegat Apoſtolus, *niſi rationem gratitudinis erga Superiores.* Deinde cùm ſubdit, *vt cum gaudio faciant, & non gementes*; aliam rationem adducit ſpectantem ad charitatem, *vt commiſereamur Prælatorum, imminuamuſque alacritate noſtra obedientia laborem gubernationis.* Vnde S. Cæſarius in regula monet: *& vos magis ſanctè obediendo, non ſolùm veſtri, ſed etiam ipſarum Præpoſitarum miſeremini, quia inter vos quanto ordine Superiores eſſe videntur, tanto in periculo maiori verſantur.* Accedit quòd Superioribus reddenda ſit Deo ratio pro nobis. Tandem allegat Apoſtolus aliam rationem proprij commodi, dicens: *Hoc enim non expedit vobis.* Et quidem ipſis ſubditis vtiliſſimum eſt minimè difficulter obedire, tum, quia non expedit moleſtos eſſe iis, quibus grati debemus eſſe, tum, quia onus obedientiæ grauius, moleſtiuſque fiet ipſis. Tum demum, quia non audens Superior illi præcipere, deſinet plura ei iniungere, quę vtiliſſima ipſi forent, & propter alias arcaoiores rationes. Quamobrem S.Baſilius ait. *Nam mea quidem ſententia, hoc quod hîc dicitur, non expedit, magni cuiuſdam detrimenti, ac pœnitendi, & quod ægrè admittat correctionem, ſignificantiam habet.*

Quanta

Quanta ſit prudentia ſimplicis obedientiæ optima ſemper facientis.

CAPVT LV.

MERSTO etiam dicetur obtemperantia ſubditorum virga vigilans, quia cæca eorum ſimplicitas illuminatur à Deo, *Gradu 4.* ſicut S. Ioannes Climachus ait: *Dominus illuminat cæcos obedientium oculos ad contuendas Magiſtri virtutes, idemque eos excæcat, ne defectus videant.* Deinde ſemper Deum videt, & intendit obediens, tum eius ſimplicitas pro prudentiſſima vigilantia & magna diſcretione illi eſt. Quapropter ab eodem S. Ioanne Climacho appellatur obedientia, depoſitio diſcretionis inter diuitias diſcretionis. Idcirco lucernæ in candelabro aureo, & aurem, & oculum ſimul referebant, vtriuſque formam imitantes. inſtar oculi erat vnaquæque lucerna, & pariter auris inſtar anſulam habebat, vt oſtenderetus diuinum lumen, & ſcientiam in obtemperantibus eſſe, atque per aurem obedientem gubernari, lucemque cœleſtis cognitionis ipſi infundi. Ideo S. Dauid *præceptum* appellauit *lucernam*. Tunica quoque interior ſummi Sacerdotis tota oculata erat, nullum autem oculum exteriùs ſeferebat, quippe ſcientia ſpirituali, & interiori repletus ſit, qui exteriori obedientiæ ſimplex, & ſtultus videtur. Hanc vim ſcientificam obedientiæ ſæpe commendauit *Pſal. 118.* ſanctus Dauid, expertuſque illam, dicit, *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo. Super omnes docentes me intellexi. A mandatis tuis intellexi. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Ipſe filius Dei ſimplicem obedien-*Matth. 7. 24.* tem viro ſapienti comparauit, dicens: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti.* Et quidem nulli melius quàm obedientes perficiunt, quod nobis conſuluit filius Dei fieri prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbas. Quid prudentius quàm ſimplicitas, quæ ſapientiam Dei, & regulam diuinæ impeccabilitatis habet ſuæ vitæ ducem. Ideo *Prou. 15. 28.* etiam Salomon dixit: *Mens iuſti meditabitur obedientiam: os impiorum redundat malis, etenim obedientia pro ſapientia, & maxima prudentia iuſto eſt.*

Quis prudentior, quàm qui ſemper facit quod melius, hoc autem ſolum obediens facit; nihil enim meliùs facere poſſumus, quàm quod iubetur, & per quod noſtram voluntatem ſemper infringimus, & deterimus. Vnde S. Gregorius di-*cap. 3. Parad.* xit. *Longè altioris eſt apud Deum meriti propriam voluntatem alienæ ſemper voluntati ſubijcere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem ſe in ſecretiori ſacrificio mactare, quia qui perfectè præceptoris ſui voluntatem implere didicit, in cœleſti Regno, & abſtinentibus, & flentibus excellit.* Appoſitè Albertus Magnus. *Verus obediens non diſcernit inter bonum & malum, nec diſcernit inter bonum, & melius: nam ſemper optimum iudicat etiam in dubio opus quod iubetur.* Merces proinde obedientibus optima debetur, & maior quàm multis aliis virtutibus, ſicut ſanctus Baſilius ait. *Præmium obedientiæ magis debetur, quam rectè facto cum continentia.* *cap. 3. de prau. virt.* Omnia hæc confirmat, quod Rusbrochius narrat: Quadam die ſolemni Moniales cuiuſdam cœnobij ad ſacram debebant communionem accedere: erat tum inter eas virgo quædem, quæ ſe ad communionem præpararat: cui Abbatiſſa, vt ad culinam pergeret, & quæ ibi facienda eſſent, agere imperauit; illa mox, vt iuſſa erat ſine murmure, imò magna cum deuotione ad exequendum iniunctæ ſibi obedientiæ munus, abſceſſit; & cùm cæteræ communicaſſent, vox ibi audita eſt, Virginem quæ culinæ miniſteria peregiſſet ſacramenti fructum ob ſuam obedientiam, vberiùs, ac veriùs eſſe conſecutam. Itaque adeò meliora, adeò optima obedientia reddit omnia, vt præſtet obedire ipſi aliquando ſumptioni maximorum ſacramentorum, iam bona obedientia eſt, vt propter eam non ſolùm mala relinquere, ſed bona optimum ſit. Vnde Goffridus Cardinalis dixit. *Serm. 11.* *Per hoc maximè qualis & quanta ſit virtus obedientiæ oſtenditur, quæ non ſolùm mala vitare, ſed etiam à quibuſdam bonis operibus ſubditis abſtinere præcipitur. Cùm igitur alligati funibus obedientiæ ſubditi ea non faciunt, quæ ſibi bona videntur, neceſſe eſt, vt hi qui eis præſunt, ex ſua parte bona demonſtrent, quæ operentur. Hanc obedientiæ formam Dominus in paradiſo parentibus primis primus inſtituit: qui cùm omnes alias paradiſi arbores eis conceſſiſſet, vnam interdixit; quatenus videlicet ipſi agnoſcerent, quòd Dominum & Magiſtrum ſuper ſe habebant, cuius voluntati obedire debebant. Qui non ideo peccauerunt, quòd malum eſſet pomum, quod comederunt: ſed quia quod bonum, erat contra interdictum Domini tetigerunt.* Ideo Salomon dixit, *Mentem iuſti meditari obedientiam*; *Prou. 15.* quippe hæc ſit ſumma iuſti ſapientia, & meditatio, & conſilium, & calliditas obedire, cùm nihil melius facere poſſit. Quid amplius dici poteſt, quàm à Chriſto ab ipſa vita æterna obedientiam ſuæ vitæ antelatam fuiſſe; vitam ſiquidem infiniti pretij poſtpoſuit obedientiæ filius ipſe Dei, qui, vt inquit S. Bernardus. *Ne obedientiam perderet, perdidit vitam*; & alio loco *cap. 13 lib. ad milit. Templi.* ait: *pro obedientia non dubitauit mori.*

Obedientia cæteras virtutes, & magna bona conciliat.

CAPVT LVI.

NEQVE ſolùm melius opus virtutum moralium eſt obedientia, verùm illa perficit omnes, & per illam omnes virtutes acquiruntur. Proinde à S. Auguſtino ap-*In Pſal. 43.* pellatur virtus, quæ in creatura rationali mater quodammodo eſt, omnium cuſtoſque virtutum. Vbi & originem virtutum, & conſeruationem vtiliſſimæ huic virtuti tribuit. Idem S. Gregorius ſentit, dum ait. *Obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit. Potiſſimum religioſas virtutes caſtitatis, & paupertatis obedientia perficit & nutrit.* Sancti Au-*S. Auguſt. in Pſal. 43.* guſtini, & S. Bernardi ſententia eſt, libidinis vi-*S. Bern ſer. S. in feſto omn. Sanct.* tium facilè ſuperari ab eo, qui ſuis maioribus bene didicit obtemperare. Adam quandiu in para-

Digitized by Google

diſo obediuit, caſtus, & pauper manſit, neque ſtimulos carnis ſenſit, nec veſtitum habuit, nuditate ſua contentus. Hæc gratia obedientiæ fructificandi cæteras virtutes efficaciam habet ex potenti vi ſua ad vincenda vitia, & Dæmones. Optimè *Lib. 4 Reg. c. 4.* dixit S. Gregorius. *Victoria ſunt obſequia obedientium, quia cùm hominibus pro Deo ſubijcimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus, cæteris quidem virtutibus Dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo ſunt, qui obediunt; quia dum voluntatem ſuam alijs perfectè ſubijciunt, ipſi lapſis per obedientiam Angelis dominantur.* Hinc à Sapiente dicitur, *vir obediens loquetur victorias.* Maximè & ad euellenda vitia, & ad virtutes plantandas, obedientia iuuat per omnem voluntatis *Lib. 4. de inſt. c. 6.* abnegationem, & victoriam. Ideo Caſſianus dixit, poſſe aſcendere ad ſumma perfectionis culmina eum, qui primitus edoctus fuerit ſuas vincere voluntates, & ſeniores tradidiſſe, Monachum nec poſſe voluptatem concupiſcentiæ ſuæ refrænare, nec extinguere vllatenus vel iram, vel triſtitiam, vel ſpiritum fornicationis, ſed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam, diuturnamque poſſe retinere concordiam, ſed nec in cœnobio quidem diutiùs perdurare eum, qui priùs voluntates ſuas non didicerit ſuperare. Ergo obedientia totius profectus, & omnium bonorum ſpiritualium origo eſt, & theſaurus, vt rectè Beatus Ægidius diceret, *dum bos collum iugo ſummittit, implet* *Apud Athanaſ. in vita S. Synclet.* *horrea.* Rectè B. Syncletica ſinui Abrahæ comparauit hanc virtutem, totamque parabolam Lazari eidem coaptauit, dicens: *Sinus Abrahæ obedientiam, quam per immolationem filij ſui, & circumciſionem Deo exhibuit, ſignificat, quia obedientia omnia bona conſeruat, & ſuſtentat, vt etiam ſinus quoque congregata continet; & dignus Lazari miniſterium obedientiæ, quæ materia præceptorum Dei eſt, intelligitur, quia ipſa omnia bona docet, vt etiam homo digito ſuo quæ vult, oſtendit. Lingua autem propriam voluntatem deſignat, quæ conuiuia carnalium deſideriorum profert.*

Nuceo baculo comparatur obedientia.

CAPVT LVII.

ACCEDET maior Dei cura circa obedientes, quoniam, vt ſic dixerim, plus pro eis vigilet. Nuceum baculum legerunt Septuaginta interpretes, vbi noſter virgam vigilantem dixit; nux autem fertur efficere vigilias. Vnde meritò dicitur obedientia baculus Dei paſtoralis, & qui nuceus ſit, quatenus pro obtemperantibus quaſi plus aduertat, vigilet, & bene prouideat. Populo Iſraël dum ambulans per deſertum, ſecutus columnam nobis pro eius nutu erigens, & deponens tentoria, bene illis accidit. Hinc meritò noſter S. P. Ignatius omnimodam noſtri iudicij depoſitionem requirit, vt per omnem ſummiſſionem ſequentes diuinam prouidentiam ab eadem prouidentiùs, vt ita dicam, *Reg. 31.* curam meliùs inueniunt. *Liberam* (inquit) *ſui ipſorum, rerumque ſuarum diſpoſitionem omnes cum vera obedientia Superiori relinquant, nihil ei clauſum, ne conſcientiam quidem propriam tenendo, non repugnando, non contradicendo, nec vlla ratione iudicium proprium ipſius iudicio contrarium demonſtrando: vt per vnionem eiuſdem ſententiæ, & voluntatis, atque per debitam ſubmiſſionem meliùs in diuino obſequio conſeruentur, & progrediantur.*

Nuceus quoque baculus dicitur propter aſperitatem, & amaritudinem corticis, quia in difficilibus, & acerbis ibi eſt exploranda obedientia, nempe non ſolùm in indifferentibus & magnis, ſed in arduis, humilibus, pœnalibus, & minimis iuſſis Superiori eſt benignè, ſponte, ac lætè parendum, & ſtandum. Ideo S. Ignatius dixit de obediente: *Adimplere quiſque debet quaſuis pœnitentias, quæ propter defectus, & negligentiam ſuam, vel quiduis aliud fuerint iniunctæ.* *Reg. 37.* *Pœnitentias verò prompta voluntate admittere deberet cum vero emendationis, & ſpiritualis profectus deſiderio, etiamſi propter defectum non culpabilem iniungerentur. Cùm aliquis ad miniſteria culinæ obeunda ingreditur, vel ad eum iuuandum, qui coquus eſt, eidem obedire cum magna humilitate in rebus omnibus ad ipſius officium pertinentibus debet. Atque valde neceſſarium eſt, vt omnes non ſolùm Superioris Societatis, vel Domus, ſed etiam ſubordinatis officialibus, qui ex illo authoritatem acceperunt, obediant, & aſſueſcant non intueri, quis ille ſit, cui obediunt, ſed potiùs quis ille propter quem, & cui in omnibus obediunt, qui eſt Chriſtus Dominus. Si aliquis ex ijs, qui domi ſunt, cuiquam ſcriberet, non niſi obtenta facultate, & literis ei oſtenſis, quem Superior deſtinauerit, id faciet. Si ad eundem literæ mitterentur, ei primò reddentur, qui à Superiore fuerit cõſtitutus, qui eas lectas reddet, aut non reddet illi, ad quem ſunt deſtinatæ, prout in Domino expedire ad maius ipſius bonum, & Dei gloriam exiſtimabit.* Tota hac oratione eximia commendatur obedientia ad minutas res, ad contemptibilia munera, ad omnia; vt nihil noſtri ſimus, ſed Superioris etiam non Superioris, ſed eius vmbræ, vt ſic præparetur religioſus animus, & imbuatur exactiſſimè obediendi voluntate & vſu, & amore, vt liberaliſſimus erga Dei & Superiores, omnibus & ad omnia & in omnibus obediat quantumuis arduis, & noſtræ exiſtimationi, ſenſuique aduerſantibus. Egregiè ſanctus Baſilius obſeruauit mitam Apoſtolorum obedientiam, non limitatam, non garrulam, non ſibi Sapientem. *Dixit*, inquit, *eis IESVS, cùm rudes adhuc in eius diſciplina eſſent, ac tantum non iam regnaturum illum putarent, & in ea ſpe eſſent, ſe nullis laboribus aditis, nulliſque periculis ſuſceptis, ac ſe nullis moleſtijs exantlatis, Chriſti Regni conſortes futuros, atque in Regalis gloria, cultus, honoriſque ſocietatem venturos. Hocque & Petrus ipſe declarat in ea increpatione, qua vſus eſt aduerſus IESVM, cùm de futura ſua paſſione ille diſſereret. Abſumens eum Petrus*, inquit, *cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc; his verbis oſtendens omnem omnino ſegregatum, à ſe habuiſſe cuiuſuis mali expectationem. Declarant etiam filij Zebedæi, qui interpellaturam pro ipſis ad Dominum matrem adduxerint, vt ſeſſionis hinc inde ab dextra, læuaque honore afficerẽtur. Etenim niſi paulo pòſt regnaturum illum exiſtimaſſent, neutiquam vnquam hoc auſi eſſent poſtulare, quippe cùm ſeſſionem à dextris Patris in cœlo Saluatoris eſſe intelligerent. Quid igitur hac expectantibus illis, & ſperantibus dixit? Ecce ego mitto vos*

ſicut

ſicut oues in medio luporum. Porrò illi re audita ſpei ſuæ ſummè contraria, nequaquam dixerunt. Alia adducti ſpe ad te acceſſeramus, & in contraria nobis, atque ſperauimus imperas? Nos requietem ſperauimus; & tu nos in pericula protrudis: honores nobis propoſuimus, & tu ex tranſuerſo ignominias ingeris: Regnum expectaueramus, & tu, vt exagitemur, & omnium ſerui ſimus, iubes. Horum nihil omnino dixerunt, licèt his quæ memorauimus, plura, & grauiora etiam audiſſent, velutì illud: Tradent vos in tribulationes, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et ad Præſides, & Reges ducemini propter me. His igitur illi omnibus auditis ſubmiſſa mentis ceruice, obedientiæ iugum ſubierunt, alacrique animo in pericula, in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces proceſſere: tantáque hac alacritate, ſuſtinebant, vt magnificè lætitia efferrentur, cùm digni habiti ſunt, qui pro Chriſti nomine illa paterentur. Gaudebant enim, inquit, *quòd digni habiti ſunt pro nomine ipſius contumeliam pati. Hanc obedientiam is qui ſecundùm Deum, verè eſt Monachus, Antiſtiti ſuo præſtet, oportet. Siquidem, vt iam diximus, diſcipulos Chriſtus in hoc elegit, qui hoc vitæ inſtitutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem ſecuturæ poſteritati.*

Noſter autem Ordo, quia Apoſtolicus, potiori iure ad hoc aſpirat, etenim licèt aliæ Religiones non teneantur ad vniuerſalem obedientiam, ſed ad limitatem ſecundùm ſuam regulam, Apoſtolorum Religio vniuerſalem obedientia coluit; nos quoque eorum imitatione ſimilis obedientia ampliſſima decet ex vi noſtri inſtituti Apoſtolis ſimillimo, de quo hæc habet doctiſſimus noſter Suares. *Vnde ad alteram partem difficultatis negatur repugnare omni ſtatui religioſo in particulari vniuerſalem obedientiam, vel promiſſionem eius, negatur etiam nunquam fuiſſe, aut eſſe in Eccleſia Religioſorum ſtatum in quo talis obedientia promiſſa ſit: imò credendum eſt Apoſtolos huiuſmodi obedientiam Chriſto promiſiſſe; eandemque exhibuiſſe Petro cæteros Apoſtolos poſt Chriſti aſcenſionem, quia illi non ſunt profeſſi obedientiam, ſecundùm aliam regulam, niſi charitatis, & maioris obſequij diuini, iuxta munus ſuum, ſeu miniſterium, ad quod erant vocati. Et idem credendum eſt de primis illis Religioſis Apoſtolorum imitatoribus. Inter eos autem, qui profitentur obedientiam ſecundùm certam regulam, Bonauentura ſuprà exiſtimat in Religione ſancti Franciſci omitti votum obedientiæ perfectæ vniuerſale; quia licèt fiat ſecundùm regulam, tamen ex vi eiuſdem regulæ tenentur illius profeſſores nihil reſpuere, niſi ſit ipſi regulæ contrarium, vel ſaluti, directè, vel aliqualiter. Quæ duæ limitationes non ſunt contra vniuerſalitatem obedientiæ Euangelicæ, vt ex dictis in ſuperioribus conſtat. Idemque nos dicere poſſumus, & fortaſſe ampliori ratione de voto obedientiæ Societatis: nam materia eius in his quæ non ſunt contra bonos mores, aut regulam, ampliſſima eſt, & directè extenditur ad miniſteria ardua, & difficillima, & ad bonum valde perfectum, & cum magna dependentia etiam in minimis à Prælatis. De alijs verò Religionibus nihil dicimus, ſed iuxta principia poſita, & ſuam regulam, vnaquæque de ſe iudicabit.* Hæc ſunt ipſiſſima verba Franciſci Suares. Idem Doctor dixerat obedientiam Euangelicam, vt perfectiſſima ſit, ampliſſimam eſſe debere, & aliquo modo ad omnia perfecta ſine limitatione extendi. Hanc aſſertionem probant, quæ ex Euangelio, & conſilijs Chriſti Domini adduximus. Sumitur etiam communi modo loquendi ſanctorum Patrum in hac materia, quos ex parte citauimus. Quibus addi poſſet Baſilius, vbi expendens illa verba, *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,* inquit, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus rem ad ſummum prorſus faſtigium perducit, nempe odium animæ, & ſui metipſius abnegationem.* Et alibi. *Ad perfectionem obedientiæ pertinere dicit, vt neque illa etiam, quæ laudabilia ſunt, ſine approbatione Superioris fiant.* Idem ſumitur ex S. Gregorio, vbi hac ratione dicit, perfectam obedientiam eſſe holocauſtum, & non tantùm ſacrificium, quia nihil ſibi reſeruat, ſed totum Deo offert. Hoc etiam ſentit D. Bonauentura, dum in opuſculo de proceſſu Religionis, triplicem obedientiam diſtinxit, ſpiritualem, quæ debetur Prælatis Eccleſiæ ſecundùm eius leges, & canones; ſpiritualiorem, qualis eſt illa, quæ propria voluntate promittitur alicui perſonæ, vel religioni cum limitatione ad certam materiam, vel regulam; & ſpiritualiſſimam, quæ ſine limitatione promittitur ad omnia, quæ non ſunt contra animam, & talem regulam. Iudicat Bonauentura aliud eſſe promittere obedientiam tantùm ſecundùm regulam, aliud verò promittere in omnibus, quæ non ſunt contra talem regulam; nam prior obedientia poſitiuè (vt ſic dicam) limitata eſt ad regulam, & ideo iudicatur à S. Bonauentura, minus perfecta; poſterior autem obedientia ſolùm negatiuè ſe habet, non admittendo aliquid contrarium regulæ, & ideo ſpiritualiſſima, id eſt, perfectiſſima iudicatur. Vnde alio capite ſubdit tertium & perfectum gradum obedientiæ eſſe ex ſola directione Dei, non tantùm voluntariè, ſed etiam cum gaudio obedire, non ſolùm ad facilia, ſed etiam ad difficilia, atque dura, etiam ad mortem. Et infrà concludit: *De hac obedientia Dominus ſpecialiter dicit: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me; ſemetipſum abnegat, qui ſui iuris eſſe recuſat, & totum ſe alterius arbitrio ſubmittit propter Chriſtum, ſicut Chriſtus non venit facere voluntatem ſuam, ſed Patris.* Similia habet in expoſitione regulæ Minorum, vbi inter alia dicit altiorem eſſe obedientiam, qua tenentur alicuius regulæ Profeſſores, nihil reſpuere, niſi ſit ipſi regulæ contrarium, vel ſaluti, directè, vel indirectè. Et rurſus. *Qui nihil ſibi obedientialiter impoſitum poſſunt repellere quaſi tranſcendens ſuam regulam, niſi vergat in ſuæ animæ detrimentum.* Vnde concludit errare eos, qui dicunt, quòd in omnibus Religionibus obedientia ſit æqualis.

Itaque oportet quidem noſtram obedientiam exactiſſimam eſſe, hoc eſt, ad omnia promptam. Sic S. Bernardus ſcribit. *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta anguſtijs profeſſionis largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis alacriſque animi modum non conſiderans in infinitatem extenditur.* Et S. Thomas. *Subditus* (ait) *obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam, & ad hanc profitentes ex neceſſitate coguntur. Obedientia verò perfecta eſt, ſecundùm quam ſubditus ſimpliciter obedit in omnibus, quæ non ſunt contra-*

ria

Tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 9. n. 9.

Reg. 8. in fuſioribus.

Luc. 14.

Hom. 2. de inſt. Monach. cap. 20.

Hom. 20. in Ezech.

lib. 6. c. 37

cap. 18.

cap. 1.

Lib. de diſp. & præcep.

In 2. diſt. 44. q. 2. art. 3.

Digitized by Google

ria legi diuina, vel regulæ quam eſt profeſſus. Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, non continetur profeſſionis anguſtijs, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi modum non conſiderans in infinitum fertur. Hæc ille. Sanctus Auguſtinus allegatus à

Opuſc. 8. collat. Collat. 2.

S. Bonauentura, *Vbi obedientia Religioſi Deo ſit acceptabilis, debet eſſe prompta ſine dilatione, deuota ſine dedignatione, voluntaria ſine contradictione, ſimplex ſine diſcuſſione, perſeuerans ſine ceſſatione, ordinata ſine deuiatione, iucunda ſine turbatione, ſtrenua ſine puſillanimitate, vniuerſalis ſine exceptione.* Idem S. Auguſtinus ait. *Recto corde de præceptis Dei, & conſtitutionibus non queruntur, quia iuſtum eſt æquanimiter omnia accipi, qui iudicaturus voluit tolerari.*

Verùm nux licèt aſperum, & acerbum corticem habeat, ſuauem continet nucleum. Sic etiam obedientia in difficilibus quoque eſt dulcis,

cap. 55.

Iſaias ait: *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra: inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles.* Salomon quoque dixit: *Qui audierit me, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.* Sanctus Bernardus ait: *Scias niſi obedientia mandatorum contemplationis guſtum penitus non deberi.* Lanſpergius. *Omnia exercitia tua ordina ad tuam abnegationem; hoc enim melius eſt tibi, quàm paradiſus.* Rusbrochius; *Quanto enim ſapor diuinus omnem naturalem excedit guſtum, vel ſaporem, tanto etiam obedientia omni proprietate melius ſapit.* Idem ait: *Quamuis enim ſupra actiones omnes iucundum ſit laudare Deum, multo tamen iucundius eſt proprium eſſe Dei.* Pater Ioannes Suarius, qui Compluti cum magno fructu, & ædificatione multos annos vixit, cùm ſemel nouiſſet in ſe naturam repugnaturam euidam arduæ obedientiæ, ſi ſibi iniungeretur; illico ex ardore obediendi tam validè ſuppreſſit affectionem illam naturalem, vt voto ſe obſtringeret ad rem obeundam vlla abſque mora, ſi iniungeretur ſibi, aut ſi non iniungeretur ad poſtulandam. Sentit tamen poſtea in ipſa illa re, quæ adeò ægra & ardua ſibi videbatur, tantam facilitatem, alacritatem, & ſpirituale gaudium, vt ipſe non ſe agnoſceret. Et quod mirum eſt per duodecim ſequentes annos totus lætitia ſpirituali delibutus dicebat ſe experimento didiciſſe non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad ſtillam futuræ gloriæ, quam Deus ad præſens irrorat obedientibus in hac lacrymarum valle.

Prou. 1. 33. — Serm. 46. in Cant. — In epiſt. Ieſu Chriſti. — De praeſ. virt. c. 3. — cap. 2.

Literæ nec mittendæ, nec recipiendæ ſine facultate Superiorum, & quàm ſeuera obedientia priſcis fuit.

CAPVT LVIII.

QVOD de litterarum miſſione, & receptione dixit S. Ignatius, ne nimium, aut minimum videatur, oportebit confirmare aliquorum Patrum ſuffragiis. Sanctus Auguſtinus in regula ait. *Quicumque autem in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo; ſi autem deprehenditur, & conuincitur, ſecundùm arbitrium Præpoſiti, vel Presbyteri grauiùs emendetur.* Idem penè habet ſanctus Cæſarius in prima monialium regula. Et rurſus in vltima, ſeu recapitulatione, quam manu ſua ſcripſit, ait: *Epiſtola nullius hominis, etiam nec parentum, occulta accipiantur, aut ſine permiſſu Abbatiſſæ, vlli qualeſcumque litteræ tranſmittantur.* Tum in Monachorum regula ſic iubet ille, ſiue ſanctus Teridius eius nepos: *Nullus occultè aliquid accipiat, præcipuè epiſtolas ſine ſcientia Abbatis nullus accipiat, nec tranſmittat.* Sanctus Bonauentura præſcribit ſic. *Nec litteras ad ſe miſſas recipiant, aut aliquo caſu receptas aperiant, quæ à portitore, vel ab eo qui repererit eas, priùs debent ad Superiorem, vel ſi Superior ordinauerit, ad eorum inſtructorem deferri.* Seueriùs præcipitur in legibus pœnalibus Monachorum, quę authore Anonymo, reperiuntur inter ſancti Baſilij opera, regulâ, ſeu pœna quadrageſima octaua ſic fertur: *Si quis inuentus fuerit ſcribens, aut ſuſcipiens litteras, excepto Archimandrita, ſit excommunicatus.*

Reg. 9. — 1. p. ſpec. c. 4.

Aliarum quoque rerum quæ exiguæ videbuntur, ſtricta obedientia, atque obſeruantia priſcis Patribus fuit. Notabo aliquas eorum leges, vt conſtet, quàm ſeuerè Monachi antiqui adſtringebantur minimarum rerum magna religione.

Si quis expergefactus ab aliquo in tempore miniſterij, aut lectionis ægrè ferat, excommunicetur.

Si quis egreſſus fuerit ad oſtiarium, ſiue ianitorem, ſi non permiſſum fuerit ipſi à deſignatis Præfectis, careat benedictione: ſi verò egreſſus fuerit ad munitionis proſpectum, excommunicetur.

Si quis ex ſanis extra Oratorium dormit, ſit excommunicatus.

Si quis importunè venit in culinam, aut in cellariam, exceptis deſignatis, aut his quæ diſciplinæ boni ordinis curam gerunt, careat benedictione.

Si quis malè habentium mutat locum, vbi dormit, excommunicetur.

Si quis permutet aliquid cum aliquo, aut quid largiatur præter voluntatem Archimandritæ, careat benedictione.

Si quis non acceperit benedictionem, & idem comedit, non obſeruata Ordinis diſciplina, excommunicetur.

Si quis inuentus fuerit loquens per cellas, careat benedictione. Tam ſeuerè priſci Patres leues inobedientias puniebant, neque putabant leue, vnde magna poſſent oriri. *Benedictio autem, qua priuabantur deficientes, non minus erat, quàm ſine cibo manere.*

Sanctus Baſilius etiam in animaduerſionibus aduersùs canonicas, ita præcipit, *Quæ iniuſſu illarum, quibus regendi tradita prouincia eſt, ab vno opere ad aliud tranſeat, ſegregetur hebdomadam vnam.* Idem in animaduerſionibus aduersùs Regulares. *Si quis præterquam vbi neceſſarij vſus poſtulent extrà egrediatur, ac temerè diuagetur, qui huiuſmodi eſt ſegregetur, vt quieſcant domi pedes eius, ſicut ſcriptum eſt.*

Quæ

Qua conſtantia & fortitudine obediendum ſit.

Capvt LIX.

Obedientiæ quoque conſtantiam denotat natura ligni nucei, quod ſolidum eſt & firmum, ſicut Olympiodorus notat; atque obinde S. Cyrillus pro *baculo nuceo* legit, *baculum ſtantem*. S. Baſilius ſic voluit, obedientiam ſolidam, firmamque eſſe, vt dicat. *Sit tanta animi firmitate, vt ad mortem vſque Martyrum conſtantiam præſeferat, cùm diuinis præceptis retinendis, tum obedientia aduersùs Magiſtratus ſuos conſeruanda.* Idem alibi. *Violentorum eſt regnum cælorum, & violenti rapiunt illud. verba hæc Euangelij ſunt. Violentiam appellant aſſiduam & acrem corporis in laboribus fatigationem, quod nullius impulſu ſuapte ſponte Christi diſcipuli faciunt, cùm & voluntatem propriam, & corporis laxamentum abnegant omne, & Magiſtri ſui præcepta omnia conſeruant. Quocirca ſi tibi in animo eſt rapere regnum Dei, violentia te dato, ceruices tuas Chriſti ſeruitutis iugo ſubmittito, & eius loris collum tuum arctè circumquaque cohibeto.* In noſtra Societate habemus aliquos qui omni violentia, fortitudine, & ad mortem vſque, & in ipſa morte obedientiam fideliter coluerunt. P. Gonzalus Cardoſus, cùm in pagum quemdam mitteretur, Franciſco Lupio comitante, vt ſacramenta miniſtraret; nouerat per reuelationem, ſi illuc iret occidendum eſſe. At nihilominus Superiori mittenti dixit: *Læto atque hilari animo hoc iter ſuſcipio, quoniam obedientia, quæ mihi vita eſt charior, ſuſcipiendum præcipit. Scias tamen, neque me illuc perventurum, neque ad te reuerſurum. Ita accidit, in medio itinere ſeruus Dei Cardoſus ſocium monet inſtare tempus moriendi, ipſum quoque in eodem fore periculum; conſulat tamen diligenter ſibi ad communem vtilitatem, ſeruet vitam & fugiat. Non multo pòſt, cùm ſimul pergerent, latrones è ſyluis adoriuntur illos, & Cardoſum trucidant. Tanti tamen fecerat obedire, vt nec pro vita voluit replicare Superioris voluntati.* Hæc Godinus narrat. At non minus admirabile eſt, quod Orlandinus prodit de ſancto adoleſcenti Ioanne Antonio Apullo, qui rogatus, dum ægrotaret, quando vellet mori. Reſpondet. Cùm veniam habeam; & Superiori ait: Cùm tu Pater veniam dederis; nam tuo iniuſſu hinc abire quomodo poſſum? cui Rector dixit: Do tibi veniam, vt poſtridie ad horam ſecundam vita cedas. Ita accidit. Feruidus adoleſcens Beatus Ioannes de Goto conſcius odij inimicorum Chriſti, & breui domum noſtram obſidendam, in certo diſcrimine noluit diffugere, & ſi tempus liberaliter patefeciſſet euaſionem decoram, donec officia muneris ſui prorſus abſolueret, quippe maluit æſtimare obſequium, quàm vitam, interim captus, & deinde crucis acerbo ſupplicio damnatus, & obedientiæ, & fidei adeptus eſt palmam. P. Gabriel Coronel, nec obedientiæ ſpecimine obſcurus eſſe poterat, qui cæteris præfulgebat virtutibus. Charior ipſi obedientia fuit, quàm ipſa vita, in inſulam Capul miſſus, vbi contraxit lethalem morbum ob aduerſam cœli intemperiem, ſed reuocatus, & iam iam moribundus, dicebat, mittar nunc rurſus, non recuſabo adire, & iterum pro obedientia appetere mortem. Seruus Dei Pater Franciſcus de Villanoua, cùm illi iniungeretur culinæ cura, ſentiens repugnantiam aliquam tam validè, & ſeriò ſe compreſſit, vt voto ſubitò ſe obtrinxiſſet in omnem vitam ſeruire culinæ. Exemplum robuſtæ huius obedientiæ ſanctus Abraham exhibuit, non ſolùm difficillimi executioni operis intentus & promptus, ſed quas aduersùs illud cogitationes inſurgebant celerimè iugulans, & proſcindens, de quo ſanctus Chryſoſtomus ſic ſcribit: *Qui cum iuberetur interficere filium, cogita, quam multa cogitationes tunc inſurrexerunt in illum, & tamen ſubegit omnes, omnes illum metuebant, magis quàm Reges metuant ſatellites, omneſque ſolo oculorum intuitu compeſcuit, nec vlla illarum auſa eſt erumpere, ſed ſubmittebant vultus, ne veluti Imperatori cedebant vniuerſa, quamuis erant acerrima omnes, vehementerque perfracta; neque enim haſtarum cuſpides æquè metuenda ſunt à multis ſubrecta, atque natura cognati affectus. Vnde & magis poterant illius animum penetrare, quàm vlla cuſpis acuta.* Et paulo pòſt. *Nihil natura violentius. Etiamſi decem millia tyrannicidarum produxeris, contemplator rem ipſam. Natura proſtrata erat armis ſuis, cum vniuerſo exercitu, atque ille ſtabat porrecta manu non coronam tenente, ſed enſem quauis corona ſplendidiorem, & Angelorum populus applaudebat, & è cælis Deus victorem pronuntiabat.* Alibi idem Chryſoſtomus ait: *Etiamſi maximum doloris ſenſum haberet in expellendo Iſmaele, & matre eius, & in occidendo Iſaac, tamen propter obedientiam omnia tolerabat, ſicut & ipſe Iſaac.*

Conſt. Monaſt. c. 20.

Serm. de abdicat. rer.

Lib. 3. c. 16.

Lib. 1. n. 9.

Hom. 3. in 2. ad Corinth.

Hom. 42. in Gen.

Celeriter obediendum.

Capvt LX.

Nobilem aliam conditionem exactæ obedientiæ deſignat alia verſio, quæ pro virga vigilante virgam amygdalinam dicit; ſiquidem amygdalus citiùs floret, aliis præſtans arboribus celeritate, & promptitudine, quæ conditio obedientiam maximè commendat. Nam, vt S. Bernardus ait, *Verus obediens mandatum non procraſtinat, ſed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & ſic ſe totum intra ſe colligit, vt mandatum peragat imperantis.* Meminiſſe ſemper obediens curet illius Salomonicæ parœmiæ, *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: ſic piger his, qui miſerunt eum.* Mirum eſt, priſcos aſcetas & Religioſos quanta celeritate in arduis, imò in impoſſibilibus accurrebant ad obediendum, de quibus illud ſæpe memorandum Caſſianus dixit: *Ægyptij Monachi vniuerſa complere, quæcumque fuerint à Præpoſito ſuo præcepta tanquam ſi à Deo ſint cælitus edita, ſine vlla diſcuſſione feſtinant, vt nonnunquam, etiam impoſſibilia ſibimet imperata, ea fide ac deuotione ſuſcipiant, vt virtute, ac ſine vlla cordis hæſitatione perficere ea, aut conſummare nitantur, & nec impoſſibilitatem præcepti quidem pro ſenioris ſui reuerentia metiantur. Sic fecit Ioannes Abbas, do-*

Serm. de virt. obed.

Prou. 10.

Lib. 4. c. 10.

Digitized by Google

no poſtea Prophetia celebris, cui adoleſcenti adhuc, cùm à Superiore iuberetur immane ſaxum mouere, confeſtim applicata nunc manus, nunc ceruice, nunc toto corpore eo conatu prouoluere illud annitebatur, vt ſudore omnium membrorum, & veſtimenta infunderet, & ſaxum humectaret, non minorem celeritatem ſimplicitatemque perfectæ obedientiæ noſtra conſtitutiones ita commendant. Ad Superioris vocem perinde, ac ſi à Chriſto Domino egrederetur, quam promptiſſimi ſimus, re quauis, atque adeò littera à nobis inchoata, necdum perfecta, relicta. Ad eum ſcopum vires omnes ac intentionem in Domino conuertamus, vt ſancta obedientia, tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, ſpirituali gaudio, & perſeuerantia quidquid nobis iniunctum fuerit, obeundo: omnia iuſta eſſe nobis perſuadendo, omnem ſententiam, ac iudicium noſtrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando. In Regulis autem communibus paulo poſt mortem ſancti Ignatij Patris noſtri excuſis, hanc inueni, quæ eximiam promptitudinem obediendi ſic requirit. *Singuli parati ſint animo, ad id exequendum promptè, quod facere iubebuntur, quantumuis ſupra ſuas vires eſſe ſentirent, veluti vt concionenter Græcè, Hebraicè, Latinè, Germanicè, aut quauis alia lingua, aut modo, etiamſi ea lingua, ne verbum quidem proferre noſſent: id nimirum ſpectantes, quod ab obedientia quæritur, id eſſe, promptum ſcilicet animum ad propriam mortificationem. Quare, cuicumque hoc mandaretur, ſtatim citra excuſationem vllam, aut reluctationem, ſuggeſtum conſcendat; & ſiquidem verba aliquot norit, ea proferat, ſin minus dicat: Ecce paratus ſum, quid me vultis dicere? nec prius inde deſcendat, quàm ei facultas detur.* Hæc ibi. In quibus exacta obedientiæ puritas, & ſimplicitas deſcribitur; congruit autem noſtris Conſtitutionibus, quæ Caſſianus rurſus ſcribit de antiquis

Lib. 4. inſtit. c. 12. illis Religioſis. *Itaque conſidentes intra cubilia ſua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cùm ſonitu pulſantis oſtium, aut diuerſorum cellulas percutientis audierit, ad orationem eos ſcilicet, ſeu ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus ſuis vnuſquiſque prorumpit, ita vt qui opus ſcriptoris exerceet, quam repertus fuerit inchoaſſe litteram, finire non audeat, ſed in eodem puncto quoad aures eius ſonitus pulſantis aduenerit, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem mora interponat, quantum cœpti apicis conſummet effigiem, ſed imperfectam lineam littera relinquens, non tam operis compendia, lucrave ſectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio, atque æmulatione feſtinet.* Optimè quoque S. Bonauentu-

Spec. diſc. ra dixit, *Perfectus obediens ſua imperfecta relinquit.* Quam obedientiam gratam ſibi Deus non ſemel oſtendit In Domo probationis Tunxæ iniunxit Superior per nuntium cuidam Fratri exequendum munus; hic quia cōficiebat flagellum ex funibus, reſpondit, ſtatim perfectutum iam iam conſummare flagellum. Nuntius verò monuit illum regulam qua inſtruimur, vt littera incepta relinquatur ad Superioris vocem. Retulit ille, non litteram, ſed flagellum illud eſſe: voluit procedere, ſed ſtatim miraculosè conciditur flagellum, quod alioqui duo viri contento nixu non dirumperent; oſtenſum multis fuit, omnium iudicio miraculum obedientiæ creditum. Igitur ſicut S. Andreas ſtatim relictis retibus ſecutus eſt Dominum, & Tobias, qui vt eſſet obedientis per omnia typus, excæcatus eſt, relinquens prandium accurrit ad corpus mortuum ſepeliendum. Et Maria vocata à Martha ſtatim ſurrexit. Sic nos relicta litera incepta ad Superioris vocem ſine vlla diſcuſſione mandati, ſine vlla mora accurrere oportet: nam fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et obedienti præcipuè dicitur, In omnibus operibus tuis eſto velox. Galli cùm iubebant omnes pueros armatos conuenire; qui ex iis nouiſſimus veneret, in conſpectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necabatur. Sic etiam magna ignominia, & ſæuo digniſſima ſupplicio erit vltimum ad obedientiam venire. Neque deſunt in antiquis Patrum inſtitutis aliquæ pœnæ lentè obedientium. S. Cæſarius in regula Monialium præſcribit: *Quæ ſigno tacto tardius ad opus Dei, vel ad opera venerit, increpationi, vt dignum eſt, ſubiacebit. Quòd ſi ſecundò, aut tertiò admonita emendare noluerit, à communione, vel à conuiuio ſeparetur.* Grauiſſimè quoque punitur in regula ſancti Pachomij, & ſancti Benedicti lentus concurſus ad ſignum & opus obedientiæ. Sanctus Baſilius in animaduerſionibus aduersùs Canonicas; *qua contemptim, hoc eſt, reſiſtans, lentéque iuſſum, vt par eſſet, non expleat, hebdomadam vnam ſegregator.* Properandum eſt, & quàm primum aduolandum, vbi vox Dei per Superiorem, aut quoduis aliud ſignum nobis innotuerit. Sancti Angeli noſtri cuſtodes ſæpe præueniunt nos. Sancta Virgo Collecta cùm ad chorum accurrebat, præoccupatam ſedem ſuam reperiebat ab agno candidiſſimo. P. Ægidius Gonzalus, qui in noſtra Societate rara prudentia, pœnitentia, & aliis virtutibus illuxit, cuius matri grauidæ idem viſum accidit, ac S. Bernardi, & S. Dominici parentibus, emitti è ventre ſuo radios, & ſplendores ignis, Solis inſtar. Mirè in obedientiæ rebus excelluit, cùm ferè ſemper præſideret noſtris; non ſolùm primus ad omnia obedientiæ opera accurrebat, ſed ea præueniebat, quantumuis humilia. Vtque ad verrendam domum ocyùs auolaret, præparabat ipſo verendi loco ſcopas, & antequam pulſus nolæ ſonaret, ipſe iam paruerat; ſæpe illi accidit inceptā relinquere literā.

Hinc etiam S. Baſilius, omnem celeritatē obe- *Reg. 166.*
dientiæ ſæpe commendat in regula quadam ex breuioribus, vbi cùm quæſitum eſſet, qua prōptitudine obediendum ſit, quoad mandati executionem, reſpondet, *Nihilo minore quàm quanta paruulus vehementer eſuriens vocanti ſe ad nutritionem nutrici auſcultat; & quilibet, cui chara vita ſit ei qui ſibi, quæ ad viuendum neceſſaria ſunt, largiatur*, &c. Et in Conſtitutionibus Monaſticis.
Poteſtatem (ait) *ſui ipſius, ne ad punctum quidem* *cap. 18.*
temporis habere Monachus debet. Deinde comparat illum inſtrumento artificis, quod deficiente
impetu artificis, ampliùs non mouetur. Et regula *Reg. 28.*
quadam ex fuſioribus, multa dicit idem Baſilius in eum, qui ad exequendam obedientiam cunctabundus accedit & lenteſcens. Neque operæ
pretiū eſt, quę ſalutaria ſunt, tacere. *Antiſtitis*, ait, *cap. 28.*
imperiū detrectare, & verbis aduerſum iuſſa ipſius litigare, magno indicio eſt, eum, qui id faciat, multis vitiis laborare, fidei debilitate, ſpei ambiguitate, arrogantia morum, atque ſuperbia. Neque enim alterius dicto audiens vnquam eſſe quiſquam recuſat, niſi prius ipſum ſibi conſilij authorem apud ſeipſum

deſpexe

deſpexerit: neque qui ſibi certa fide perſuaſit, vera eſſe promiſſa Dei, deque ipſorum ſpe nihil dubitat, etiamſi laborioſa ſint, quæ ſibi imperentur, grauatè ad illa vnquam accedet, vt qui certò nouerit, non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Neque [Rom. 8.] *non, cui illud perſuaſum eſt, verum eſſe, quòd qui ſe humiliat, exaltabitur, ſtudio ſuo imperantis ſibi aliquid, expectationem ſuperabit: quippe qui nihil addubitet, quod in præſenti eſt momen-* [2. Cor. 4.] *taneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari.*

Non replicandum Superioribus, ex B. Theodoro Studita.

Capvt LXI.

QVONIAM ad has obedientiæ dotes fortitudinem, & promptitudinem parendi ſpectat nihil detrectare muneris iniuncti, nec moras interpellando trahere, ſed præſtò, & viriliter, quod applicitum fuerit, ſuſtiuere, produceam quid de hoc ſanctus Theo- [Catech. 127.] dorus Studita doceat. *Obedientia* (inquit) *vel in necem eſt condicta; nunc officium detrectas, ad quod per Dei gratiam ſis idoneus? Ergo obedientia corruit. At enim vereor, inquit, traijcere mare. At præ peruicacia quidem verere, formidine ductus, vbi formidandum ſit nihil. Nam obedientia præfidens, non ſolùm mare traijcias, quin vel nudo corpore inſilias in aquam, nobilem illum ſubditum imitatus, qui paterno nixus præcepto, haud extimuit atrox flumen enatare, traiectoque illæſus perſtitit, vt obſtupeſcerent videntes. Quin domat obedientia feras, cui orationi teſtimonium dicet, qui paterno iuſſu Hyænam vinxit. Eademque edit in mortuis oſtenta, quod locutus è monumento Acacius confirmat. Et quid hæc, illaque commemoro? Ipſe vnigena Dei filius obſequens in mortem, ac Crucis, ſoſpitam orbis terrarum procurationem peregit. Atque hæc ſunt obedientiæ facinora; ſed viſne & peruicaciæ crimina cognoſcere? Cogita Adamum, qui Deo inobediens, cibo guſtato interdicto, necem intulit in mundũ. Nec non & Saulem quem immorigerum Samueli regnum iuxta, ac vitam inuenies in monte Gelboe abrupiſſe. His accedat Diuinus ille, qui falſi mendacio vatis inobedientia damnas, pabulum traditur Leoni. Quid B. Apoſtolus Petrus non à Domino lauari præ re-* [Dan. 13.] *uerentia detrectans, audit: Si non lauero te, non habes partem mecum? Quid, qui in ſancto Euthymio pecorarij munus defugiſſet, iuſtis de cauſis, quas credebat, non è veſtigio ſpumans, Dæmonem contradixit? Hoc iudicium eſt detrectando iniucto munere obloquentis. Etenim prauus omnis ſubditus obloquia concit, meritoque Deus crudelem ei Genium immittit. Enimverò, vt ſemel dicam, multi vnum corpus, & alter alterius membra ſinguli ſumus, oculique vicem alius gerit, alius aurium, alius narium, alius linguæ, alius manus, alius pedis. Sin membra ſuas quæque partes non exerceant, ſed audire oculus certet, odorari aures, eloqui nares, palpare lingua, itare manus, qui poteſt non vniuerſum diffluere, atque interire corpus? Quæ cùm ita ſint, ſuo quiſque officio ſatisfacito, & quam accepit gratiam diuinitus, ad publicam frugem conferto, noſtra in Dei manu poſita reputans, neque aut mare nauiganti omnino inibi moriendum, aut in ſicco degenti indidem decedendum, ſed quam ab orbe condito tempeſtatem, finem, locum benignus ſtatuit Deus, id cuique extremum ceſſurum. Atque hæc diſſerui, non tam eorum quibus de ſermo eſt (nam obſecundos iam accepi) quam omnium audientium cauſa, vt obnixè, ac contentè quæ pacta conuenta Deo teſte, atque electis Angelis inymus, re, & opere præſtemus, neu tergiuerſemur, quamlibet mortiferum ſit quod iniungitur.* Idem alibi ait: *Quid eſt enim* [Catech. 109.] *ſuauius, latius, iocundius, quàm ad præſcriptum viuere, nec pro lubidine quicquam obire ſubditum? Hoc vera morigeratio eſt, hæc beata vita, hoc præmoleſtum quoddam, & immoleſtum, vt ſic dixerim, certamen; præmoleſtum ei, qui adhuc ſuis ſtudijs teneatur; immoleſtum ei, qui ſuaptè ſtudia præfregerit, vt Apoſtolicè auſit dicere: Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Scilicet qui nequaquam ex ſua libidine viuat, per præfectum quaſi quemdam ſeqneſtrum Deo viuit, reuelata facie gloriam Domini ſpeculatus, & in eandem imaginem transformatus à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu, quemadmodum ſcriptum eſt. Enimverò hic mundi eſt ſecarus, interritus à morte, latam ac quietam peragene vitam, totuſque conſecratus Deo.* Hæc ſanctus Theodorus.

Non ſolùm Deo & Superioribus obediendum eſt, ſed cuiuſuis hominis voluntatem potius, quàm noſtram implendum.

Capvt LXII.

SCIRE quoque oportet, perfectum obedientem ex ſummo odio propriæ voluntatis, ſummoque amore Ieſu Chriſti, non ſolùm legitimis Superioribus, qui vicem Chriſti gerunt, obtemperare, ſed cuiuſuis hominis voluntatem, dum mala non ſit, citius velle exequi, quàm ſuam, factus omnibus obediens. Vnde Lanſpergius dixit, *Omnibus homi-* [In epiſt. Ieſu Chriſti.] *nibus hoc modo conſentias in his quæ tua ſunt, id eſt, quæ te ſolum reſpiciunt, ac ſi omnibus promiſiſſes obedientiam.* Et S. Petrus ait. *Subiecti igitur* [1. Petr. 2.] *eſtote omni creaturæ propter Deum.* Et alibi, *ani-* [1. Petr. 1.] *mas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore ſimplici ex corde inuicem diligite attentiùs.* Pulchrè, & ſanctè Beatus Iſaias Abbas philoſophatur. *Deus hominem vult omni-* [Orat. 8.] *bus in rebus eſſe ſimilem ſui. Ideo venit in mundum, & paſſus eſt, vt naturam hominis prauam immutaret, & voluntates noſtras abſcinderet, & falſam cognitionem, quæ noſtros animos occupat, expelleret. Cætera enim animalia naturam propriam conſeruarunt. Homo verò mutauit naturam ſuam. Quamobrem quemadmodum iumenta homini ſubiecta ſunt, ſic quiſque debet eſſe ſubiectus proximo ſuo propter Deum. Idcirco enim Dominus venit. Vide, quanto iumenta præſtent hominibus, qui ſcientia ſua inniluntur. Si ad naturam meam redire voluero, quemadmodum iu-*

menta parent aliena voluntati, ſic mihi faciendum erit, non ſolùm cum familiaribus, ſed etiam cum aduerſarijs meis. Hæc eſt enim voluntas Dei. Cap. 3. de vita ſpir. Optimè etiam ſanctus Vincentius Ferrerius, *Hoc tamen generaliter habeas pro quacumque re temporali, per quam temporalibus neceſſitatibus deſeruitur, nunquam ſequaris voluntatem propriam vbi alium contradicere videas, quantumcumque exorbitares à iudicio rationis, ſufferens quodcumque incommodum pro interna mentis tranquillitate ſeruanda, quæ per tales repugnantias perturbatur, dum homo ſuo iudicio adhærendo, & ſuam voluntatem adimplendo, verbis, vel cogitationibus cum alijs altercatur: & non ſolùm in temporalibus, ſed etiam in his quæ ſpiritualia ſunt, vel ad ſpiritualia ordinata, alterius potius quàm tuam impleas voluntatem, dummodo ſit bona, licèt tua perfectior videatur: quia maius detrimentum adquires in diminutione humilitatis, & tranquillitatis & pacis cum alijs contendendo, quàm poſſit prouenire profectus in quocumque alio virtutis exercitio voluntate propria aſſequuta, alteri repugnando, & hoc intelligas quantum ad illos qui ſunt tibi familiares, & in ſpirituali exercitio ſocij, & qui ad perfectionis virtutem anhelant.* Venerabilis virgo Anna à ſancto Bartholomæo, cùm plura in Monaſterio munera obiret, voluit per aliquot dies Deo vacare; ſed reſponſum hoc à Chriſto accepit: Surge, mea voluntas eſt, vt facias voluntatem omnium in iis quæ omnes iuſſerint; quo reſponſo depoſuit illa deſideria. Amor quoque obedientiæ ad hoc extenditur, vt humilitate, & vſu ſuo gaudens, ſolùm non obedire ſic recuſet, vt contra ſe quaſi violenter faciens iuſſus Prælaturam admittere, in hoc ſolum detrectet obedire, quemadmodum ſanctus Auguſtinus, & ſanctus Gregorius dicunt; & in decreto ex iiſdem Patribus tranſcribitur. Nam cùm locus ſuperior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc ex proprio deſiderio anhelat. Et concludit ſanctus Gregorius, dicens: *Si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis huius ſæculi ex ſola iuſſione, aduerſis etiam ex deuotione militamus.*

Aug. ſer. 5. ad frat. Greg. 5. Mor. c. 11. & refertur c. ſit-dum. 8. q. 1.

Salutaria monita, & praxis obedientiæ ex ſancto Bonauentura.

CAPVT LXIII.

13. ſpec. c. 4. TANDEM ex ſancto Bonauentura aliqua viliſſima documenta, vt exactè obediamus, operæ pretium erit exhibere Religioſis. In primis voluntatem propriam ingenti curent ſtudio captiuare. Quid enim prodeſt ſub vnius ordinatione viuentibus, quòd facultates ſuas abiiciuntur, ſi proprias voluntates non relinquunt, cùm ſit præſtantius voluntatibus renuntiare, quàm rebus? Tota Religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione conſiſtit: quare potiſſimum perfectionis & diſciplinæ induſtrius appetitor, voluntatibus propriis edomãdis, & Præſidentium nutui ſubiugandis inuigilet. Profectò in duobus erit ſubiectæ probatio voluntatis, ſi videlicet in iniunctis deuotè obediat, & in agendis ſitis ſemper habere auctoritatem obedientiæ non omittat. Primi (hoc eſt, obedientiæ) in iniunctis patet neceſſitas, patet & meriti magnitudo. Nam quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, hoc omnino ſic accipiendum eſt, quaſi præcipiat Deus. Ad meritum etiam, melior eſt obedientia, quàm victimæ; ſanctæque obedientiæ holocauſto nihil Deo gratius exhibetur. Nemo ad perfectionis ſemitam currendam magis expeditus, quàm verus obediens. Quamobrem obedientiæ filij, ſe totum ad obediendum exponant, moxque vt Prælati vocem audierint, quaſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant, ſed relictis omnibus, ad iniuncta quæque fideliter exequenda, prompta deuotione conſurgant, vt vicino obedientiæ pede, velut vno momento iubentis vocem, facti exhibitione ſequantur. Perfecta obedientia, ſua imperfecta relinquit. Quinimo, nec bonus obediens verbum expectat, vbi de Superioris ſibi conſtiterit voluntate. Illum autem optimum dixerim obedientiæ gradum, cùm eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur; cùm ex voluntate iubentis, pendet intentio exequentis. Nunquam de maiorum ſententia iudicent, quorum officij eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt, deinde ſi ad profectum volunt obedientiæ peruenire, conſtanti ſecum deliberatione proponant, deuotè ſemper ad omnia obedire. Si quid igitur graue, vel impoſſibile fortè iniungitur, ſuſcipiant quidem cum omni manſuetudine iubentis imperium. Quòd ſi omnino ſuarum virium pondus excedat, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui præeſt, patienter, & opportunè inſinuent, non ſuperbiendo, vel contradicendo, vel aliàs leui murmure reſiſtendo. Si adhuc Superior in ſua manſerit ſententia, ita ſibi nouerint expedire, & ex charitate de adiutorio Dei confiſi obediant. *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Qui licèt ad Patrem pro calicis tranſlatione clamauerit, continuò tamen adiunxit. *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Non ſolùm maioribus, ſed ſibi etiam inuicem obedientiam certatim impendant. Incumbit Chriſti diſcipulo, vt omnipotenti ſe tribuat. Exemplo Apoſtoli, voluntarios ſe omnium ſeruos conſtituant. Sint (vt ſcriptum eſt) ſubiecti inuicem in timore Chriſti. Secundi neceſſitas hoc eſt obedientiæ in agendis, ne quid videlicet ſine obedientia præſumatur, quia ſimplicioribus fortè aliquibus minus patet, aliquanta videtur proſecutione tangenda. Habenda eſt planè in agendis obedientiæ ſanctæ auctoritas, ſine qua nec etiam bona ſunt bona. Voluntas ſiquidem propria boni virtutem confirmet. Sanctus Bernardus ſuper Cantica ait. *Grande malum propria voluntas, quæ ſit* (inquit) *vt bona tua, bona non ſint. Etenim ſi in die ieiunij mei inueniatur voluntas mea, non tale ieiunium elegit Dominus, nec ſapit illi ieiunium meum, quod non obediẽtiam, ſed vitium voluntatis propriæ ſapit.* Et ſubdit. *Ego autem non ſolùm de ieiunio, ſed de ſilentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, poſtremò de omni obſeruantia Monachi, vbi inuenitur voluntas ſua in eo, & non obedientia magiſtri ſui, idipſum ſentio, minimè prorſus obſeruantias illas, etſi bonas in ſe, inter virtutes cenſuerim deputandas. Itaque noui Chri-*

ſti

ſti diſcipuli ſemetipſos penitus abnegantes in agendis ſuis, id eſt, in operationibus, locutionibus, & rerum quarumlibet vſu, non propriam voluntatem, ſed Superiorum in omnibus diſpoſitionem ſequantur, pro quibus tamen ſit ſpecialis eorum licentia, vel aſſenſus habendus conſiderari oportet. Et primò circa operationes videndum, quòd earum quadam communes, ſeu conuentuales, quadam ſpeciales, ſeu perſonales eſſe noſcuntur. Specialium enim quadam ad proximum, quadam ad perſonam pertinent operantis. Pro conuentualibus, qua commune ſimul attingunt collegium, exequentis non eſt licentia requirenda, cùm ad huiuſmodi ſit eatenus Superiorum licentia, immò impoſitio generalis, vt ea qua ſiue in choro, ſiue in refectorio, ſiue alibi modo prædicto, ad vita conuentualis conſuetudinem pertinent, nullus conuentualis, auctoritate propria (præter euidentem neceſſitatem) licet, prætermittat. Inde eſt, quod ab officio chori ab aliqua, videlicet hora canonica, vel à prima conuentus refectione, aut à conuentualibus alijs quemque abſque licentia remanere, vel aſſiſtentem recedere, his nec dum in Collegio conſummatis non licet. Pro ſpecialibus, ad proximi alterius fratris neceſſitatem ſpectantibus, nullum communis, ſeu conuentualis vita conſuetudini, aut executioni ſpecialiter iniunctorum impedimentum præſtantibus, nequaquam ad Superiores, ſicut nec pro communibus, pro licentia dixerim, recurrendum, cùm ſecundùm Apoſtolum alter alterius onera portare, & per charitatem ſpiritus ſeruire inuicem debeamus. Verumtamen tempore quo conuentualia, vel aliàs iniuncta fieri debent, non ſunt præter licentiam ſpecialia, ſeu gratuita huiuſmodi facienda. Illa quoque qua ad quotidiana communium officiorum obſequia, vel ad proximi neceſſitatem non pertineant corporalem, quale eſt ſcribere in quaterno, & alia huiuſmodi ſimilia, maximè ſi occupationem prolixiorem inducunt, agenda ſunt de Superiorum aſſenſu. Pro ſpecialibus ad perſonam operantis ſpectantibus, ſiue ad carnis mortificationem pertineant, vt ſunt vigilia nimis longa, vel abſtinentia ſingulares, ſiue ad exercitium ſpectent operis manualis per ſe, vel per alium, faciendi licentia quæratur, ſine qua Religioſus ſuas ſingularitates facere non debet, quippe cui nec corpus ſuum habere licet in propria voluntate. Et quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vana gloria, non mercedi. Nec poteſt ſibi operari pro volito, ſiue pro ſcribendo, ſiue alia faciendo, ſiue in rebus ſuo vſui deputatis, vt ſunt libri, veſtes, lecti, & alia huiuſmodi pro alia immutando. Incongruè quoque pro vno, res pluribus ſeruitura mutatur. Fit res, frequenter ex mutatione deterior, & quod mihi ſtudioſè coapto, alijs diſcoapto. Hæc de operibus. Nec tamen negauerim ad minima, ſeu exilia quædam, & vix reputanda alicuius momenti, ſolum ſufficere conſenſum Prælatorum. Circa locutionem hoc teneant, vt coram Superiore, maximè in Capitulo ſine eius aſſenſu prahabito, non loquantur aliàs de neceſſarijs, & honeſtis, loco, & tempore debitis, loqui prout eis ordinatum fuerit, poterunt inter fratres. Locutio verò cum extraneis ſiue ſæculare (licèt fratribus obſequentes) ſiue Religioſi quilibet fuerint, fratribus nouitijs eſt probationis tempore penitus interdicta ſine fratre profeſſo, qui omnia loquentis verba, & reſpondentis audiat, & intelligat, & de licentia ſpeciali, ſine qua, nec ad portam, nec ad extraneos ipſis indulgetur acceſſus. Perſonis tamen huiuſmodi, ſi occurrerint, poterunt inclinare, vel ſi locus, aut tempus loquendi fuerit, & non poterint ſubterfugere, bono modo eos breuiter ſalutare. Si de loquendo ſecum requiratur ab eis, reſpondere humiliter debent, ſe loquendi, aut morandi licentiam non habere. Nulla prorſus alia eorum audiant verba, nec cum eis aliquatenus ſedeant, vel vlterius commorentur; ſed ſi locutionem neceſſitas exigit, vel honeſtas, dicant ad eos, obtenta ſi poterunt licentia reuerſuros. Valeque recedendo potius faciant, quàm morando. De licentia tamen huiuſmodi Prælato eſt cautius prouidendum, vel ab ipſo tantùm, vel ab eorum inſtructore (qui eſt eis ab ipſo Religionis ingreſſu ſpecialiter aſſignandus) ſemper cum præſens in domo fuerit requiratur, ne à diuerſis non abſque vitanda confuſionis periculo, minus prouidè concedatur. Circa receptionem rerum, diſtributionem, & vſum, quoniam à Superiorum auctoritate dependent, duo præcipuè ſubditis attendenda videntur. Primum, vt qui dat aliquid, illud ex officio poſſit dare. Secundum, vt det quidem non ſecundum propriam voluntatem, ſed prout ſibi à Superiore fuerit conſtitutum. Nec ſuperfluè dixerim, ad officium attendendum. Qui enim non habet officium adminiſtrationes, nihil alijs debet commutare, vel in fraudem horum dimittere poteſt. Rurſum ipſorum officialium officia ſunt diſtincta. Alijs namque neceſſariorum rerum, non tamen procuratarum eſt diſtributio commiſſa, ab illis autem non eſt abſque licentia, recipiendum aliquid ſpeciale. Alijs autem iuxta diuerſa rerum officia, communis diſtributio rerum committitur, ab his communia ipſa (ſi ordinariè, quando ſcilicet, & vbi, vel quomodo, iuxta ſui limitationem officij, diſtribuere debent, diſtribuunt) licitè recipi poſſunt. Qui verè extraordinariè poſtulat, ad licentiam Superioris recurrat. Præter communia ſupradicta, quicumque non aliquam occultè ſine Superiorum aſſenſu recipit, habet, vel vtitur, à Religionis delirat licentia, & quidquid habet, malè habet. Porrò cùm illud proprium eſſe dicatur, de quo diſpenſare licet iuxta propriam voluntatem, omni aſſenſu alio circumſcripto, non pauper, ſed Dominus reputandus videtur, qui rem quamcumque alijs diſtribuendo vt libet, ſine Superiorum auctoritate diſpenſat. Res ſunt quidem communes, ſed vſus diſpoſitio pertinet ad Prælatos, vt per eorum curam ſingulis, iuxta modum, & regulam ſibi à ſanctis Apoſtolis conſtitutam, prout vnicuique opus fuerit, diuidantur. Vſurpatus autem ſine licentia rerum vſus, culpabiliter, temereque præſumitur, & prorſus illicitè vendicatur. Statutum quoque religioſæ mancipationis euadit, qui in vſu proprio rem aliquam, ſiue à parentibus, ſiue à quibuſdam alijs recipit, aut quod maioris eſt culpa, recepta occultans Superiorum iudicio non exponit. Qui rem ſibi collatam celauerit, ſanctus Auguſtinus eum furti cenſet in iudicio condemnandum. Nulla enim res quam Superior non dederit, aut permiſerit, eſt licita proprium abdicanti. Sunt qui oblata non ſibi, ſed Prælato mox deferenda recipere licitum æſtimant, ſed regulari priuato receptionem occultam non dixerim eſſe tutam. In commodandis procohabitantium indigentia rebus, non eſt lex poſita charitati. Poſſum rem fratri petenti exponere concedendam, non tamen impendere vendicandam. Proinde fratres nouitij nullatenus ſine licentia, nec à ſe inuicem, neque à fratre,

neque à quocumque homine, rem aliquam, ſiue tabulas, ſiue acum, ſiue aliquid quodlibet accipere, aut dare attentent aliqua ratione. Sic nec literas ad ſe miſſas recipiant, aut aliquo caſu receptas operiant, quæ à portitore, vel eo, qui receperit eas, prius debent ad Superiorem, vel ſi Superior ordinauerit, ad eorum inſtructorem deferri. Sic nec rem alterius fratris vſui deputatam eo inſcio occupare licebit. Genus eſt furti, & plerumque turbationis occaſio, rem fratris vſui deditam, eo ſi adſit inſcio detinere. Poteſt fidelis ſeruus & prudens nonnulla pro loco, & tempore facere de tacito, vel probabiliter præſumpto Superiorum aſſenſu, ad ipſum denique finaliter acta, quæque per auſum huiuſmodi relaturus. De cætero quidquid Religioſus boni facit, aut dicit, quod ſuo non nouerit diſplicere Prælato, à vera obedientia merito non fraudatur. Fœlix hæc ſeruitus, immo glorioſa libertas, quam quis ſponte in regiam venditus ſeruitutem, Deum, & eius vicarios potius quàm ſeipſum, ſuper ſe regnare conſtituant, ſua prorſus renunciat voluntati. Illud potiſſimum obedientiæ officium, quo Superiori reteguntur ſubditorum corda, ſpecialiùs explanandum eſt ſequenti ſermone.

DOCTRINA IX.

DE CONSCIENTIÆ ratione ſpirituali patri reddenda.

Superiori, & Patri ſpirituali tanquam optimo animæ Medico aperienda eſt conſcientia.

CAPVT LXIV.

Eccleſ.18.20. ANTE *languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga te ipſum, & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam.* Multis quidem nominibus obſeruantiam, & amorem, & viſcera ipſa noſtra Superioribus debemus; etenim & Vicarij Dei nobis ſunt, & diuinæ prouidentiæ organa, & ipſi, vt ſanctus Paulus inquit, peruigilant tanquam rationem de animabus noſtris reddituri, & Patres ſunt noſtri ſpiritus. Præterea alius titulus eſt, cuius cauſa magnam illis reuerentiam cenſeo deferendam, nimirum, quia Medici ſunt ſpirituales. Nam ſi Spiritus ſanctus Medicos noſtri corporis, quod ipſe Deus infirmat, noſque malè afficere debemus, ſic commendauit, vt diceret, *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim creauit illum Altiſſimus.* Creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam, quantum honorem Medico ſpirituali volet à nobis exhiberi. Cùm maximè plures multoque Eccleſ.38.1.

maiores ſint neceſſitates ſpirituales, quibus per Superiores, Patreſque noſtros ſpirituales prouiſit. Et ſiquidem de valetudine noſtri corpuſculi, huius, inquam, tyranni, & perfidi proditoris animæ, ſic ſolicitus fuit, vt multa eius cauſa pharmaca, ſalutareſque herbas, deinde peritos Medicos prouideret. Quomodo ſalutem & medicinam animæ contemnere poterat? imò illam maximè ſollicitauit tanto plus, quanto anima corpori præſtat. Nos pariter eodem exceſſu plus ſpirituales Medicos honorare, amare, ad eoſque accedere debemus, & nobis dictum, commendatumque potiori iure putemus, illud Eccleſiaſtici: *Da locum Medico, etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria; eſt enim tempus, quando in manus illorum incurras.* Credamus conſilia, monitiones, directiones, opera, inquam, Superiorum nobis neceſſaria eſſe ad noſtri animi morbos curandos, aut præcauendos; neque enim de noſtra peritia, & viribus, aut aliorum, qui Superiores non ſunt, fidendum eſt; quia diſpoſitio diuinæ prouidentiæ hæc fuit per Superiores, Patreſque ſpirituales ſaluti noſtræ animæ prouidere, hiſque veluti alligauit ſuam gratiam atque opem, vt non æquè iuuari poſſimus aliis mediis quamuis efficaciora videantur, & fortaſſe ſint ſancta & prudentiora aliorum hominum monita; quæ tamen non parem vim habebunt, ac vox Dei per Patres ſpirituales nobis intimata, vt dicere cum Sapientia poſſimus. *Neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo.* Et quemadmodum noſtri corporis curam non cuiuis quamuis perito committimus, ſed expertis Medicis, aut publico iudicio probatis, & authenticis; ſic noſtram animam non de quolibet fidendam, ſed de eo potiſſimè, quem Deus nobis deſignauit Patrem, & Medicum, authenticamque authoritatem de cœlo habet. Caueamus ne dum relinquentes Superiores ac Patres noſtros verè ſpirituales, conſulimus alios imperfectiores, nobis dicatur. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebud Deum Accaron. Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo ſuper quem aſcendis non deſcendes, ſed morte morieris.* Optimè quoque conſulit B. Iſaias Abbas. *Cogitationes tuas noli quibuſlibet aperire, ſed Patribus tantùm tuis, ne triſtitiam contrahas in corde tuo.*

Eccleſ.38.12. Sap.16.12. Greg.c.53.4. Orat.6.

Itaque Superiores tanquam animæ Medicos oportet reſpicere, & ſuſpicere, ad eoſque pro ſpiritualium morborum remediis accurrere, & qua nam ratione hoc fiet, niſi mores noſtros, ſtatumque illis ſignificemus; nam ſicut ægrotus cùm adſciſcit Medicum, tum morbum, tum cauſas eius, tum temperamentum, & complexionem propriam illi explanat, alioqui magno vitæ periculo exponetur, ignorante Medico aliquid eiuſmodi: ſic ſpirituales ægritudines, vt curentur, explicandæ ſunt cum omni animi diſpoſitione, & præſenti & præterita. Hinc eſt, cur Sancti tantopere commendent reddendam conſcientiæ, totiuſque conuerſationis rationem Superiori & ſpirituali Medico. Nam, vt inquit S. Hieronymus, *Quod ignorat medicina non ſanat. Et quemadmodum ægroti ex ſanitatis amore, & deſiderio vincunt pudorem, neque arduum habent manifeſtare defectus ſuos, & membra nuda Medicis; ſic etiam ex virtutis amore, imò ex Dei amore difficilè hoc medium prodendi animas noſtras, moreſque nudos* Super Eccleſ.10.

minimè

minimè debemus exiſtimare. Vnde etiam Plutarchus Dialogo de profectu morum, primum fundamentum virtutis dicit eſſe amoris immenſitatem circa ſtudium philoſophandi, id eſt, virtutem inſequendi. Vnde idem Philoſophus inferiùs eodem opere hoc medium poſuit inter principia ad proficiendum in virtute. *Omnes*(ait) *aquo ferentes animo reprehenſionem, potiſſimum, ſi ipſos etiam morbi animorum gratia accedant reprehenſores, bonam ſpem exhibent melioris cuiuſdam habitudinis; qui enim ſeſe ingenuè offert corripientibus, peccatum profert, malum fatetur, non paſſus latere, aut ignorari; proditque corrigenti, adiunctis etiam precibus; is demum ſpecimen præſtiterit, non contemnendi in Philoſophia progreſſus: nam quiſquis ad bonam frugem ex corruptis moribus peruenire deſiderat, opus habet, authore Diogene, diligenti amico, vel acri, feruidoque hoſte, vt peccatum fugiat, aut correptus, aut certè humaniter, ac blandè curatus.* Si ergo medium hoc non eſt viſum adeò difficile cuidam Philoſopho propter ordinariam virtutem aſſequendam; cur debet videri arduum Religioſo propter perfectionem charitatis, & cordis puritatem obtinendam.

Eadem Galenus monet in libro de curandis animi morbis, in quo penè totus eſt in hoc medio tradendo, & commendando, nimitum alieno prudentiſſimi, veridici,& virtuoſi viri ductu agi, parere, ſtare ſimpliciter & veraciter. Sed & Plato in tertio libro de Republica, claritatem & ſinceram veritatem cum ſuperioribus commendat; ibi dicit, mendacium eſſe ciuitatum calamitatem, tum quando priuati inter ſe mentiuntur, tum maximè cùm Magiſtratibus veritatem celant, quod erit proinde, ac ſi ægroti Medico mentiantur, vel nautæ gubernatori. Et alibi monet ciues exhibendum ſe iudici, & Magiſtratui (In Gorgia.) tanquam languentes ſe tradant Medicis, vt reprehendat, & corrigat: ſic in via Domini rectà procedemus, & vita,& opera noſtra recta erunt, ſicut Salomon ait. *Peruerſa via viri aliena eſt,* (Prou. 21.) *qui autem mundus eſt, rectum opus eius.* Iuxta Hebræum, *Qui autem vitrens,& pellucidus*, qui ſcilicet omnia interiora inſpicienda Superiori tradit. Alibi dixit, *Qui abſcondit ſcelera ſua non* (Prou. 28.) *dirigetur.*

Vt rectè gubernemur, neceſſe eſt patefacere Superiori conſcientiam propriam.

Capvt LXV.

Non ſimplex ſolùm eſt huius ſpiritualis medicinæ vſus; nam & præſeruat à culpis, & liberat à tentationibus, ac vitiis, atque robotat vires animæ per exercitium virtutum, maximè humilitatis, quæ neceſſaria eſt claritati requiſitæ cum Superioribus, Deumque promeretur, ac reddit propitium, vt maioribus cumulet gratiis, eum qui fidum videt erga vicarios ſuos, quæ omnia indicata videntur per illa Eccleſiaſtici verba: *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga te ipſum, & in conſpectu Altiſſimi inuenies propitiationem. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam.* Quæ magis aptè pro ſpirituali medicina conſuli poſſunt, cuius gratia conſiderabimus ſingula.

Ante languorem (inquit) *adhibe medicinam*, cùm à Superiori, Patreque ſpirituali medicina ſpiritualis ſit adhibenda, oportet etiam ab iiſdem requirere & expectare ea, quæ nos ſeruent, & tueantur, ne in morbos animi incurramus, & ſecuti conſilium ſapientis, antequam langueamus, præuenire noſtra mala, quod vix melius fiet, quàm manifeſtato noſtro corde, perſpectiſque à Superiore noſtris inclinationibus, & moribus. Quo modo enim nos regere, de nobis diſponere, nos conſulere,& monere poſſunt, ignorantes quæ nobis expediant, & vbi ſecuri ſimus? accidet enim, vt ea præcipiant, vnde tentari poſſimus, vnde labi, vbi perire. Quamuis enim id ſit incomparabile obedientiæ bonum, vt per Superiores tam fideliter gubernemur à Deo, vt ex ipſa imprudentia, iniquitate, atque malo eorum affectu diſponat, & prouideat, quæ nobis ſunt profutura, & ſalutaria, & fortaſſe per quæ illi peccando præceperunt, præcipiendoque æternam condemnationem incurrerunt, æternam nobis vitam præparat. Nihilominus cùm ſubditi, quod in ſe eſt, non faciunt, infidique ſunt Deo in Superioribus abſcondito, iam Deus non tenetur fidelis illis eſſe, vt permittere interdum poſſit per ſalutaria aliqua iuſſa & monita prudentum & ſanctorum Superiorum perdi, adeò refert claros, perſpicuos, & fideles eſſe Vicarios Dei, vt multis tentationibus, & culpis, imò æterno aliquando interitu liberemur: idcirco prouidentiſſimè cautum eſt in noſtris inſtitutionibus. Quicumque hanc Societatem in Domino ſequi volet, & in eadem ad maiorem Dei gloriam manere ſub ſigillo confeſſionis, vel ſecreti, vel quacumque ratione ei placuerit, & ad maiorem ipſius conſolationem fuerit, debet conſcientiam ſuam magna cum humilitate, puritate, & charitate manifeſtare, te nulla qua Dominum vniuerſorum offenderit, celata: & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum maioris momenti Superiori qui tum fuerit, Societatis, vel cui ex Præpoſitis, vel aliis ex inferioribus ille iniungeret, prout magis conuenire videretur, reddat: & ſexto quoque menſe rationem hanc ſui, ab vltima quam reddiderit, incipiendo quiſque reddet. Sic etiam videtur, quòd coadiutores formati, & profeſſi ſingulis annis, vel crebriùs, ſi Superiori videbitur, ſuæ conſcientiæ rationem dicto modo ei reddant. Cui doctrinæ conſpirant Patres & antiquiſſimi Magiſtri ſpiritus. Caſſianus ſcribit prima documenta, quæ tradebantur iis, qui ad monaſticam admittebantur vitam, ad hoc ſpectare, vt omnem ſuam animam Magiſtris ſpiritualibus declararent: *Inſtituunt* (Lib. 4. c. 9.) *nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confuſione celare, ſed confeſtim, vt exortæ fuerint, eas ſuo patefacere ſeniori. Itaque fit, vt in nullo circumuenire iuuenem callidus inimicus, velut inexpertem, ignarumque præualeat, quem prœuidet, non ſua, ſed ſenioris diſcretione muniri, & ſuggeſtiones ſuas, vel ignita iacula quacumque in cor eius iniecerit, vt ſeniorem celet, non poſſe ſuaderi. Aliter quippe ſubtiliſſimus Diabolus illudere, vel deycere iuniorem non poterit, niſi cùm eum ſiue per arrogantiam, ſiue per verecundiam ad cogitationum ſuarum velamen illexerit. Tale*

itaque

itaque generale & euidens indicium diabolicæ cogitationis eſſe pronuntiatur : ſi eas ſeniori confundimur aperire. Sanctus Dorotheus ait : *Inter prouerbia dicitur, Quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia ; ſalus autem eſt in multo conſilio. Contemplamini ſententiam vim fratres. Contemplamini diuinam Scripturam. Cauere nos admonet ne nos metipſos informemus, ne nos ſciolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum. Opus enim nobis eſt auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil eſt miſerabilius, nil quod citius expugnari queat, his qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei. Ait enim, quibus non eſt gubernatio, decidunt vt folia : folium à principio ſemper virens, ſemper germinans, ſemper delectabile eſt, non multo pòſt areſcit, & languet, & cadens contemnitur, & conculcatur. Talis homo eſt qui à nemine regitur. A principio feruentiſſimus ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, & ad quæcumque cætera bona. Paulo pòſt extincto eo feruore, ſi nullum habuerit ſui gubernatorem, aut fotorem, qui extinctum ignem ſuſcitet, & accendat, deſiccatur & cadit, ac demum deſtitutus, ab hoſtibus ſuis captiuus trahitur, qui vt voluerint, in ipſum graſſantur. De his autem qui nihil præcipitant, nihil temerè, ſed omnia conſultò faciunt, ait : Salus autem eſt in multo conſilio, nec verò dicit in multo conſilio, vt quis quemcumque conſultet, ſed vt eum cuius fidei ſe totum crediderit. Neque hoc vt taceat, illud loquatur ; ſed vt omnia exponat de omnibus conſultet ; huiuſcemodi enim ſalus profectò eſt in multo conſilio.* Sanctus Benedictus inter inſtrumenta bonorum operum adſcribit in capite quarto ſuæ regulæ. *Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere, & ſeniori ſpirituali pateſacere.* Priùs idem documentum commendauit ſanctus Baſilius. (*In fuſ. diſp. reg. 26.*) *Debet viciſſim vnuſquiſque eorum, qui inferiores ſunt, ſiquidem memorabilem, feciſſe progreſſionem ſtudent, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt conſentanea peruenire, nullum animi ſui motum apud ſe celatum retinere, ſed mentis ſuæ arcana aperire eis, quibus datum illud negotium ſit, vt adhibitis facilitate ac miſericordia, ægrotantes curent.* Ante Baſilium ſanctus Antoninus docuit. (*In vitis PP. p. 2.*) *Si poteſt fieri quot paſſus ambulat Monachus, vel quot calices aquæ bibat in cella ſua, habet declarare ſenioribus, vt non decipiatur in ipſis.* Vnde feruentiſſimus vir Seraphinus Firmanus ait: (*De ver. conuer. c. 4.*) *Penes antiquos Patres præpotentius aduerſus omnes inimici artes non erat remedium, quàm vt aperirentur venenatæ omnes cordis cogitationes. Ita enim noxia detegentes, quæ intus ſpargebat ſerpens cogitationum ſemina, vim omnem illi abſcindebant. Quemadmodum qui venenum hauſit, ſi ſtatim e ſtomacho illud reyciat, antequam ſerpere incipiat, mortem euadit. Hinc ſuas nonnulli in ſchedulam redigebant cogitationes ; fideliterque & humiliter eas ducibus reuelantes, nullo fiebant victores negotio.* Neque verò mirum, ſi peccati abſcindentes radices, primos nempe cogitatus, breui Sancti euadebant. Vti ſcribit Ioannes Caſſianus, ſex menſium poſſe ſpatio perfectam acquiri caſtitatem : teſtaturque Ioannes Chryſoſtomus anni ſpatio veteres illos Monachos perfectionem attingere conſueuiſſe. Quapropter Prælatus non minimam curam habere debet explorandi ſubditorùm animas : nam, vt rectè ſanctus Bonauentura dixit : (*De ſex alis c. 7.*) *Ad Prælatum pertinet conſcientias ſingulorum cognoſcere, & de quibuſdam perplexitatibus expedire, pericula peccatorum prauidere, & præcauere, monere fratres, vt proficiant, corrigere corrigendum, elucidare dubia, informare ſingulos, qualiter officia ſibi commiſſa congruè adminiſtrent, quo & fratribus, prout conuenit, ſufficiant, & conſcientiam non offendant.* Et paulo antè dixit, hæc eſſe de ſubſtantia officij Paſtoralis, quemadmodum & in noſtra quinta Congregatione generali inter ſubſtantialia noſtri inſtituti conſcribitur, reddenda Superiori ratio conſcientiæ. Optimè igitur Salomon dixit, (*Prou. 27.*) *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui.* In Hebræo, *agnoſcendo agnoſce*. In Græco autem, *euidenter agnoſce.*

Conſcientia feriò, & ex animo manifeſtanda eſt Superiori.

CAPVT LXVI.

MVLTO tamen magis ad ſubditos ſpectat pateſacere ſua corda Superiori ſuo : nam & ipſi potiſſima cauſa in hoc negotio ſint, cùm iis inuitis nihil cognoſcet Prælatus, & eorum cauſa agitur ne miſerè langueant, periclitentur, & pereant. Meminiſſe ſemper debent eius, quod Caſſianus ſcribit : (*Coll. 2. c. 11.*) *Nullo namque alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahet, ac perducet ad mortem, quàm cùm neglectis conſiliys ſeniorum ſuo iudicio perſuaſerit, definitionique confidere.* Similiter ſanctus Dorotheus dixit, *Nullam aliam cauſam quærendam lapſus omnium quàm quòd Superioribus non fuerint clari.* Hac autem claritate debent manifeſtare ſuos mores, & animi motus, non caſu, non raptim, non extemplò, ſed cum conſilio, & maturè. Idcirco ſubdit Eccleſiaſticus, *ante iudicium interroga te ipſum.* Oportet quidem noſtram conſcientiam non repentè, & temerè propalare, ſed poſt conſentaneum illius ſcrutinium, poſtquam bene nos explorauerimus, vitioſaſque inclinationes, immortificatos affectus, peſſimos mores, plures defectus, negligentiaſque notauerimus. Sanctus Ioannes Climacus refert ſe vidiſſe in quodam Monaſterio, (*Grad. 4.*) Monachum qui habebat libellum, in quo totam ſuam conſcientiam ſcripſerat, vt eam poſtea Prælato manifeſtaret : additque eundem fuiſſe reliquorum Monachorum morem. Debemus nos putare diſcipulos, & tales nos gerere conſiderando, oſtendendo, interrogando errata noſtra. *Etenim* (vt ait Caſſianus) (*Coll. 2. c. 11.*) *cùm omnes artes ac diſciplinæ humano ingenio repertæ, quæ & nihil amplius, quàm vitæ huius commodis proſunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruidere, rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina nequeant comprehendi, quàm ineptum eſt credere, hanc ſolam non egere doctore, quæ & inuiſibilis, & occulta eſt, & quæ non niſi corde puriſſimo prouidetur; cuius error in temporale damnum, nec quod facilè reparetur, ſed animæ perditionem parit, mortemque perpetuam. Hæc quidem cauſa eſt neceſſitatis huius manifeſtationis. Expedit quoque ſe interrogare*

rogare, an velis id quod facit Superiori cognitum eſſe. Et quod noles præſente, videnteque Superiore efficere eodem ſcituro non facies, cùm hanc ſibi legem ſtatuit Religioſus omnia patefaciendi maioribus. S. Athanaſius de B. Antonio ſic ſcribit: *Dicebat* (inquit) *magnam eſſe ad virtutem viam, ſi ſingula vel obſeruarent quid gererent, vel vniuerſas mentium cogitationes fratribus referrent: non enim poſſe aliquem peccare, cùm relaturus eſſet ad alium, quæcumque peccaſſet, & ſubire pudorem in publicum turpia proferendi. Denique nullum peccantem coram alio audere peccare, & ſi peccet, tamen teſtem vitare peccati. Igitur quaſi ſub oculis aliorum noſtris, & cogitatu confundimur & actu, ſi omnia referenda faciamus, multo autem magis ſi peccata noſtra fideliter deſcribentes, digeramus in ordinem: hac agamus, hanc virtutis gradiamur viam.* Hinc iuxta quandam regulam S. Baſilij, qui extra Monaſterium aliquo tempore peregrinabantur Monachi, cùm primùm redibant, exactam reddituri erant rationem, non ſolùm actionum, & ſermonum, ſed cogitationum.

Reg 44. fuſ. diſp. *Ita enim*, inquit, *& attentiores eſſe aſſueſcant, qui itineribus ſe dabunt, ſi de reddenda ratione ſolliciti ſint; & nos quandiu abiuncti illi à nobis permanent, neutiquam videbimur illorum vitæ curam negligere.*

Quàm gratum ſit Deo manifeſtare conſcientiam Superiori, & Patri ſpirituali.

CAPVT LXVII.

HInc meritò infit, & in conſpectu Altiſſimi inueniet propitiationem; nam ſi Galenus propitium fore Deum dixit, iis languentibus, qui ſubditi eſſet, moremque gererent corporalibus Medicis, quanto maiori propitiatione fauebit Religioſis aduersùs morbos ſpirituales per integram obedientiam, & fidem Superiorum.

Tract. de vita ſpirit. Optimè S. Vincentius. *Plus*, inquit, *dico, Chriſtus, ſine quo nihil poſſumus, nunquam ſuam gratiam miniſtrabit illi, qui cùm habeat, qui eum deducat in via perfectionis, negligit ductum eius.* Obedientiæ via eſt, via regia, quæ homines inoffenſo pede ducit ad ſummum ſcalæ, in qua Dominus apparet innixus.

Orat. 8. Iſaias Abbas etiam dixit: *Aperi cogitationes tuas Patribus tuis, & gratia Dei proteget te.* Etenim gratiſſima Deo eſt hæc claritas, & ſinceritas cum Vicariis ſuis, tum quia ipſe veritas eſt, ac puritas, & quàm maximè gaudet, cùm veridicos, ſinceros, apertos, & perſpicuos animos viderit; tum quia humilitas, & victoria noſtri, quæ neceſſaria eſt huic claritati, maximè placet humillimo IESV. Et denique conijcere poſſumus, quantum delectet Deum plana, & ſincera manifeſtatio cordis Superiori facienda, ex quo gaudet Dæmon cùm contra videt fieri, de quo S. Dorotheus

Serm. 5. ait. *His maximè congratulatur, qui duce carent & gubernatore, quia vt folia decidunt.* Illum autem maximè dilexit fratrem Diabolus, de quo Abbati Machario dixit: *Habeo vnum è fratribus tuis, qui vt ſicut turbinem, cùm volo, verſo.* Tales diligit, atque his maximè delectatur, qui ſine duce ſunt, non his qui ſeſe ſummittunt ei, qui poſt Deum auxilium præſtare potens eſt, & manum dare. Neque

enim Diabolus ille cunctos adeundi fratres poteſtatem habuit, cùm illum ſanctus Pater reperit tot potiunculas, tot pigmenta, tot alabaſtra circumferentem, non omnibus propinauit. Nam quiſquis illius præſenſit inſidias, accurrit illico, & cogitationes ſuas quaſcumque latentes aperuit Patri, & ſic auxilium inuenit in tempore tentationis, & hac de cauſa non potuit aduersùs eos iniquus inſidiator. Infelicem illum vnum inuenit, qui ſeipſum regeret, & inſtrueret, qui nullum haberet coadiutorem, quemque vt voluit, ludo habuit, diſcedenſque ſibi gratias egit, cæteros omnes deteſtatus. Denique cùm rem beatiſſimo Patri aperuit Diabolus, & fratris nomen edidit; accurrit è veſtigio ad eum Pater ſanctus & illam ſolam comperit fuiſſe cauſam perditionis ſuæ. Inuenit enim ipſam confeſſionem deteſtantem, inuenit eum malè aſſuetum, vel ſeipſum accuſare, vel cordis ſui ſecreta reuelare, atque illum; idcirco Dæmon cùm voluit, vt turbinem huc, & illuc circumuoluit. Interrogatus enim à ſanctiſſimo Patre, vt ſeſe ſiti haberent? Hactenus reſpondit, bene tuis orationibus Pater: & illo iterum interrogante, nunquid ſuis cogitationibus oppugnaretur; noluit fateri, donec illi multa arte & labore perſuaſit Pater omnia edicere, quæ contra ſeipſum eſſent, ſermoneſque Dei afferens, tandem illum tutatus eſt, & conuertit. Venit igitur rurſum inimicus ex conſuetudine volens, vt antè, ipſum eiicere, fruſtráque & turpiter egit. Inuenit enim eum obfirmatum, neque vt antea vagum & delirum. Diſceſſit ab eo deluſus. Quare interrogatus poſtmodum Diabolus à Patre ſancto, vt ſeſe haberet frater ille amicus ſuus, haud illum amplius appellauit amicum, ſed hoſtem infeſtiſſimum, & ei malè dixit. Auerſus enim, inquit, eſt à me, nec iam audit, ſed omnibus durior, & agreſtior factus eſt. Intelligere vobis iam licet, cur oderit Diabolus cautelæ ſonum; quia ſi perditionem noſtram ex omni parte optat, & quærit. Intelligitis quare ſeſe inſtituentes diligat, quia videlicet cooperatores eius ſunt, ſibi ipſis inſidias parantes. Ego caſum alium nullum præter hunc noui Monachorum vlli contigiſſe. Aiunt autem plerique nullum penè caſum homini contingere niſi ei qui cordi ſuo ſeſe crediderit. Quare cùm vllum ſceleris concidiſſe, ſcito nullam aliam potiorem cauſam interueniſſe, quàm quod cordi ſuo credidit, quòd ſeipſum inſtituit. Nihil grauius, nihil pernicioſius quàm ſeipſum regere. Contrà autem iraſcitur Deus propter ſuperbiam iis, qui putant ſatis ſcire ſe regere. Idem S. Dorotheus dixit: *Deus nos eripiat ab hoc periculo inſtituendi nos ipſos. In hoc periculum propter defectum humilitatis incurremus.* Serm. 5. Idcirco Seraphinus Firmanus magnus Magiſter ſpiritus, Prob. 16. cauſam quærens. Cur ij qui proprij ſunt capitis, neque alienam curant ſententiam, maximè prolabuntur: neque illi prodeſt multa oratio, reſpondet. *Quemadmodum fundamentum eſt humilitas virtutum, ita & omnis cauſa eſt priuatus amor exitij; ideoque duce egemus, ne nobis credamus ipſis. Vnde Moyſe duce nunquam periclitatus eſt populus ille, ſed quando voluerunt iuxta eorum ire deſideria, nunquam non errarunt: ita & qui duces non curant, apti ſunt, qui in omne ruant periculum. Volunt enim citra alas volare timoris, qui initium eſt veræ ſapientiæ.*

Praxis manifeſtandæ conſcientiæ, ex ſancto Dorotheo.

Capvt LXVIII.

CÆterum, quia S. Dorothei toties doctrina vſi ſumus, facta quoque ſua allegemus, praximque huius claritatis cum admirabili protectione Dei, ac propitiatione, quam per importunum Superioris recurſum conſecutus eſt; ſic ipſe fatetur. Nihil grauius, nihil perniciosius, quàm ſcipſum tegere. Protexit me Deus, fateor, & ſemper tutatus eſt ab hac ruina, & ab hoc periculo. Cùm eſſem adhuc cum cæteris in cœnobio, reponebam ſemper omnia apud Abbatem Ioannem ſeniorem, nec aliquando ſuſtinui quicquam facere præter eius voluntatem. Quòd ſi mihi aliquando cogitatio & mens mea reſpondiſſet, dixiſſetque, Quid nunc turbare ſenem pergas? hoc tibi dicturus eſt, quod ego, iratus in cogitationem huiuſcemodi meam referebam. Anathema tibi. Quidquid iudicij eſt tibi, quidquid diſcretionis eſt, quidquid prudentiæ, quidquid intelligentiæ, id omne tibi à Dæmonibus eſt. Rectà igitur ſtatim ad Patrem proficiſcebatur, ſæpiuſque accidit, vt id ipſum mihi ſenex reſponderet, quod antè cogitatio mea præmeditata erat. Inſultabat illa igitur poſtmodum mihi. Quid ergo? En vt dixi eſt. Quid ſenem importunus perturbaſti? Cui ego contrà reſpondebam: Nunc bonum eſt, nunc id tibi fuit à Spiritu ſancto. Quidquid enim tuum eſt, omne malum eſt, à Dæmone, & ab habitu vitioſo. Sicque ſuſtinui nunquam cogitioni meæ credere, niſi Patrem conſultaſſem priùs. Quo factum eſt (credite quod dicam fratres) vt io tanta ſemper quiete & ſecuritate eſſem, vt plerumque pœniteret me tantæ tranquillitatis. Quod memini aliàs me vobis ſæpiùs dixiſſe. Cùm enim non ignorarem opus eſſe nobis per multas tribulationes intrare in Regnum cœlorum, ſentiremque me ipſum neque vnam afflictionem pati, angebat mirum in modum, fateor, dubius, inſciuſque, vnde hæc tantæ quietis cauſa eſſet. Quod mihi tandem ſenex aperuit, monuitque ne mœrerem, dicens: Quicumque ſeſe traderet in Patrum obedientiam, hanc tantùm quietem, & ſecuritatem à Deo neceſſariò conſequi. Studete igitur, & vos fratres crebrò percunctari, & vos ipſis non attendere. Cognoſcite quantam tranquillitatem res iſta afferat. Sed quia prædixi ſenſiſſe me nullam aliquando afflictionem, quid mihi cùm adhuc eſſem in cœnobio acciderit aduertite. Incidi quadam die in ſubitam, maximamque triſtitiam, circa quam vſque adeò laborabam, ſudabamque, vt penè animam redderem. Afflictio autem hæc & tentatio ex inſidiis Dæmonum erat in me ipſum ab illis liuore & inuidia congeſta. Grauiſſima, inquam, erat: at parui temporis vrgens, dubia, deſperata, continua, quæ nullam haberet requiem, ſed ab omni parte affligeret, ab omni parte ſuffocaret. At præſtò eſt vniuſcuiuſque menti gratia Dei, cùm afflictionem, & anguſtiam ferre amodò non quiuerit. Hac igitur preſſus moleſtia & tentatione, cùm penè deficerem in atrio monaſterij, Deo ſupplicabam. Cùm ecce in Eccleſia ſubitò animaduerto virum grauiſſimum Epiſcopali ſchemate ornatum, ſacra manibus ferre, ac Sanctuarium ingredi. Ego verò paterna inſtructione, & veteri conſuetudine hoſpitibus nunquam adhærebam, aut in iuſſu Patris, aut ſine neceſſitate. Eo verò tempore tanquam ab alio traheter, ſubſecutus eum ſum. Qui per integram ferè horam erectis ad cœlum manibus orauit. Eoque pariter poſt ipſum ſtans cum magno timore ſupplicabam. Iniectus enim terror erat plurimus ex illius aſpectu venerabili. Cùm autem ab oratione ſurrexiſſet, ad me conuerſus venit, quantoque mihi propior fieret, tanto ſentiebam amoueri à me triſtitiam & pauorem; vt autem penes me fuit, extendens manum, pectus meum digitis percutiebat, dicens: Expectás expectaui Dominum, & intendit mihi, & audiuit precem meam, ad eum vſque verſum, *Carmen Deo noſtro*. Et hos verſiculos omnes tertiò repetens, pectus, vt dixi, meum ſemper verberabat. Eo poſtmodum recedente factum eſt ſubitum in me lumen, gaudium, conſolatio, dulcedo, & in alium tranſmutatus ſum. Accurrens autem ſubitò, vt eum præuenirem, nuſquam illum inueni, aut vidi. Ab eo die diuina miſericordia, nulla me ſenſi perturbatum triſtitia, vel timore, ſed protectus à Domino ſum ſemper precibus Sanctorum illorum ſeniorum. Hæc vobis dixi frater, volens oſtendere quam ſecuritatem, quam quietem habeat, tranquillitatemque nulla in te ſe ipſum inſtituere, ſed omnia ſua ad Dominum referre, & in eos, qui poſt Deum poſſunt nos regere. Diſcite igitur & vos fratres interrogare, diſcite vos ipſos non regere quàm bonum ſit, hoc enim humilitas, hoc quies, hoc gaudium eſt. Quis enim vſus otioſa quædam ſectari? Non licere autem aliter ſaluari quàm ſic, fortaſſe aliquis cogitat, meditaturque quomodo habeat quem interroget, quid facto opus ſit. Quæcumque ſanè voluerit, non diſſimulatè voluntem Dei facere, nũquam illum patietur Deus labi, ſed ſemper eum diriget in voluntatem ſuam. Et quiſquis cor ſuum direxerit ad diuinam voluntatem, hic puerum quamuis paruulum, adeò illuminatum mirabiliter offendet, à quo poterit voluntatem Dei diſcere. Quòd ſi quis ſimulatè quæſierit volũtatem Dei, & ad Prophetam excitatus abierit. Cordi eius iniquo, quid reſpondeat, dabit Deus in cor Prophetæ: ita enim ait Scriptura. Si autem errauerit, & locutus fuerit Propheta, *Ego Dominus errare feci Prophetam illum.* Noſtrum igitur eſt fratres, nos ipſos totis viribus ad voluntatem Dei dirigere, nec proprio cordi quippiam credere. Sed ſi quid nobis bonæ rei fuerit, audiamuſque ab aliquo ſeniorum, qoia bona eſt, debemus quidem credere, quia bona eſt, non autem credere quòd antè nobis ſit viſa bona eſſe. Et quia iuſta eſt, debet fieri, non autem quòd ſic eam opinemur. *Deut. 13.*

Humilitas neceſſaria manifeſtando conſcientiam alteri.

Capvt LXIX.

RVrsvm ait: *ante languorem humilia te.* Et quidem ad hoc exercitium humilitas requiritur ſimul & mortificatio, vt hoc ſolo titulo amplecti illud debeamus. Tum ſi, prout ſenſus literalis huius loci monet, oportet ſobrios eſſe,

Digitized by Google

eſſe, & abſtinentia affligi ante languorem, ne illum contrahamus; pro ſalute animæ cur non erimus deuoti & humiles? Si vt præueniamus ægritudinem corporis, ſanum conſilium eſt humiliare ipſum corpus ſobrietate victus & potus, vt præſeruemur morbis animæ, cur non humiliabimur pauliſper coram Deo in Superioribus præſenti? Hæc enim gratiſſima Deo, & vtiliſſima nobis humilitas. [*Lib. 4. c. 39.*] Rectè Caſſianus ait: *Humilitas vera his indicijs comprobatur. Primò, ſi mortificatas in ſe habeat omnes voluntates. Secundò, ſi non ſolùm actuum ſuorum, verùm etiam cogitationum, nihil ſuum celauerit ſeniorem.* [*Coll. 2. c. 10.*] Abbas Moyſes dixit *Vera diſcretio non niſi vera humilitate conquiritur, cuius humilitatis hæc erit prima probatio, ſi vniuerſa non ſolùm quæ agenda ſunt, ſed etiam quæ cogitantur, ſeniorum reſeruentur examini.* Similiter [*cap. 7.*] S. Benedictus in ſua regula. *Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo;* Et meritò S. Gregorius humilitatem illam laudat, cùm quis peccata ſua vltrò explicat, & accu- [*Lib. 22. Mor. c. 14. & in Pſal. 3. pœn.*] ſantibus non negat. *Summopere,* inquit, *curandum eſt, vt mala, quæ fecimus, & ſponte fateamur, & hæc alijs arguentibus non negemus: ſuperbia quippe vitium eſt, vt quod de ſe fateri quiſque quaſi ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab alijs dedignetur.* Ex hoc indicio valde commendat humilitatem ſancti Iob. *Vnde*, inquiens, *certiſſimè apparet, quanta munditia in omnipotentis Dei oculis fuerit, qui & vitauit mala, ne committeret, & tamen quæ cùm committere contigit, hominibus non abſcondit, quatenus ei, & iuſtitia ſit gloria declinaſſe peccatum, & iuſtitiæ cuſtodia, quod non potuit declinare, prodidiſſe. Mirentur in eo, qui volunt, caſtitatis continentiam, mirentur integritatem iuſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minus admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quàm tot ſublimia geſta virtutum.* Pro huius indicij commendatione facit, quod ſcribit Lactan- [*Epiſt. diuin. inſtit. c. 6.*] tius. *Nos etiam ſi nullum ſit peccatum; confiteri debemus. Humilitas enim tam chara, & amabilis Deo eſt, qui cùm magis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quàm iuſtum ſuperbum, quanto magis iuſtum ſuſcipiet confitentem, eumque in regnis cæleſtibus faciet pro humilitate ſublimari.* Ad exercendam quoque humilitatem oportet ea etiam, quorum remedium ſcimus, aut quæ minima, nulliuſque momenti videntur, manifeſtare Superiori, ab euque expectare reſponſum: nã in paruis etiã rebus ſũmitti maioris meriti eſt; & de iis quæ iam ſcimus, rogare maioris ſecuritatis, & efficaciæ.

Cæterùm non tantùm defectus, tentationes, & humilitatem noſtram, quidquid, inquam, nos humiliat retegere debemus, ſed bona opera, virtutes, & inclinationes bonas, vt in his etiam humiliemur, dum noſtro in nulla re iudicio regi velimus. Vnde S. Ignatius Pater noſter præſcribit; [*3. p. conſt. c. 1. §. 12. Reg. 26. ex ſuſ.*] *Nec ſolùm defectus aperiant, ſed etiam pœnitentias, vel mortificationes, & deuotiones, ac virtutes omnes.* Quod etiam ſignificauit S. Baſilius in regula quadam, dicens; *Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignũ ſit in nobis confirmetur, & quod minus probandum congruo remedio ſeruetur.* Aliam optimam rationem S. Dorotheus affert *cum enim perſtamus in voluntate noſtra, & nos metipſos in iuſtitijs noſtris inſtituimus, & informamus tunc ſub prætextu hoc boni, nobis maximè inſidiamur, nec nouimus quo pacto ipſi pereamus.* Etenim in operibus bonis, dum propria voluntate fiunt, magnum periculum eſt, & fortaſſe non bona erunt, aut non bene fient, aut ſaltem, non quod Deus fieri potius velit: neque enim ſat eſt omnia propter Deum facere, ſed quæ Deus velut vult faciamus. Ad hoc autem noſcendum cæca eſt propria voluntas; idcirco ſubdit S. Dorotheus Abbatis Paſtoris dicta ſubnectens. *Quomodo enim Dei voluntatem vel cognoſcere, vel quærere poſſumus, cùm nobis ipſis credimus, cùm proprium appetitum in cunctis ſequimur?* Quare Abbas Paſtor præclarè ſolitus erat dicere, parietem eſſe æneum voluntatem inter Deum & homines. Aduerti animum ad ea quæ dixit. Adiecit rurſum. *Petra eſt repercutiens, & ex oppoſito reuerberans diuinam voluntatem.* Quatenus apprehenderit homo, ſtatim ait: *In Deo meo tranſgrediar murum, Deus meus immaculata via eius. Quàm præclarè dixit, tunc enim intelligit viam Dei nullam habere maculam. Cùm autem non apprehẽderit propriam voluntatem, non intelligit viam Dei immaculatam. Sed ſi quando audiuerit cautos eſſe nos oportere, cautela nomen ſtatim recuſat, & reſpuit, repellit, & auertitur. Quo pacto enim ſuſtinere quempiam poſſit, vel ab aliquo perſuaderi, qui propriam ſequitur voluntatẽ. Deinceps & de iuſtitia ait ſenex. Si autem iuſtitia voluntati cooperetur, non bene conuertitur homo. Palàm quam conſequentiam habent Sanctorum dicta. Interitus,* inquam, *eſt, iuſtitia volũtate commixta, ſummum periculum, maximus pauor. Tunc omnino periclitatur, imò perit infœlix. Quis enim valeat huic perſuadere, vt credat, qui per ſe videns quid praſtet, quid magis vtile ſit, maximè tamen adducitur, vt propria opinioni inhæreat? Bene igitur ve optat inimicus illum ſupplantat, & labi, & cadere facit. Ideo ait, tunc malè agit prauus, cùm iuſtitiam admiſcet.*

Tunc maximè, cùm tentatio inſtat manifeſtanda conſcientia Medico ſpirituali.

CAPVT LXX.

TANDEM concludit Eccleſiaſticus: *Et in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam.* Tunc quippe maximè neceſſaria eſt plana & dilucida noſtræ conuerſationis, ipſiuſque animæ repræſentatio palàm facienda ſpirituali Medico, cùm ſcilicet ægrotamus; ſicut enim languentes corporaliter, cùm noſcunt egere Medicorum ope, non ſolùm vitia corporis, quæ tamen alioqui minimè detegerent, ſed animæ, & peccata, atque omnia ſecreta ſua, quamuis cum magno pudore pandunt, nihilque illis abſconſum reſeruant. Sic etiam quamuis in feruore, & meliori valetudine animæ aliquando fuerimus auſi clauſos, aut non perſpicuos eſſe Superioribus: at cùm infirmari nos ſentimus, prorſus detegenda illis ſunt omnia cordis penetralia, quemadmodum in Regula Summarij quadrageſima prima admonemur. *Nullam debent celare tentationem, quam Præfecto rerum ſpiritualium, vel Confeſſario, vel ſuperiori non aperiant: immo verò totam animam ſuam illis integrè manifeſtam eſſe pergratum habeant: nec ſolùm defectus aperiant, ſed etiam pœnitentias, vel mortificationes, ac vir-*

tutes omnes, voluntate pura optantes ab illis dirigi, ſicubi à rectitudine deflecterent, nolentes ſuo proprio ſenſu duci, niſi conueniat cum iudicio illorum, quos Chriſti Domini noſtri loco habent. Et S. Benedictus in Regula, vbi defectus publicos in congregatione fratrum proponendos dixerat.
cap 46. *Si autem* (ſubdit) *peccati cauſa fuerit latens tantum Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat qui ſciant curare vulnera, non detegere. Hoc eſt remedium incurabilium malorum, hoc eſt munimentum aduersùs Diaboli vires, & inſidias.* Nam, vt S. Dorotheus ait: *Nec quicquam adeo abominabitur, & fugit, quàm pandi & aperiri malitiam ſuam, nihil poſtmodum inuenturus, quod ad inſidias propinat. Si enim ſibi ipſi cauet anima, ex eo quod omnia occulta ſua manifeſtat, ex eo quòd audit alteri ſapientiore, qui ſe inſtruat, hoc vt faciat, illud vt fugiat, hoc bonum eſſe, illud item malum, hoc iuſtitiam, illud appetitum. Non eſſe item tempus huius rei nunc, alias eſſe tempus, nec inuenit Diabolus, tunc quomodo noceat, quomodo ſupplantet, cùm ex omni parte gubernetur, cùm vndique tutus ſit, & cautus. Et tunc id maximè fit quod dicitur, ſalutem conſiſtere in multo conſilio. Quod ſanè nollet inimicus; ſed maximè odio habet, vtpote qui ſemper optat malefacere.*

Præterea mirabili Dei prouidentia accidit, vt ſolùm manifeſtatione tentationis tollatur, diſcalatque Diabolus. Ideo Caſſianus ait: *Tamdiu*
Coll 2.c.10. *enim ſuggeſtiones eius noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde: illico enim, vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marceſcit: & antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens deterrimus, velut è tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehoneſtatus abſcedit.* Faciunt ad hoc quæ Serapion Abbas ſibi dixit accidiſſe,
Coll 2.c.1. *Cum eſſem puerulus*, inquit, *& cum Abbate Theona commanerem, hæc mihi fuerat inimici impugnatione conſuetudo feralis ingeſta, vt poſtquam refeciſſem hora nona cum ſene, vnum paxamacium quotidie in ſinu meo latenter abſconderem, quod ſerò illo ignorante occultè comederem. Quod furtum licèt conniuentia cogitationis, & inoliti ſemel deſiderij incontinentia ſine ceſſatione committerem, expleta tamen concupiſcentia fraudulenta, ad memetipſum reuertens ſuper admiſſo furti crimine grauius cruciabar, quàm ſuper eſu eius fueram inoblectatus. Cumque illud moleſtiſſimum opus velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice laterum ſingulis diebus explere non ſine cordis mei dolore compellerer, nec tamen eruere me poſſem ab hac eorum ſæuiſſima tyrannide, & clandeſtinum furtum ſeni manifeſtare confunderer, contigit Dei nutu de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam ſenis obtentu ædificationis expeterent. Cumque refectione tranſacta, collatio ſpiritalis agitari cœpiſſet, reſpondenſque ſenex propoſitis interrogationibus eorum, de gaſtrimargiæ vitio & occultarum cogitationum dominatione diſſereret, earumque naturam, & atrociſſimam vim quam haberent donec celarentur, exponeret; ego collationis huius virtute compunctus, & conſcientia redarguente perterritus, velut qui credderem ob hoc ea fuiſſe prolata, quòd Dominus ſecreta mei pectoris reuelaſſet, in occultos primum gemitus excitatus, deinde coram me compunctione creſcente, in apertos ſingultus, lacrymaſque prorumpens, paxamacium, quod conſuetudine vitioſa ſubtraxeram comedendum, de ſinu furti mei conſcio ac ſuſceptore produxi, eumque in medium proferens, quemadmodum quotidie latenter ederem, proſtratus in terram cum veniæ poſtulatione confeſſus ſum, & vberrimè profuſis lacrymis, vt abſolutionem duriſſimæ captiuitatis à Domino poſcerent, imploraui. Tunc ſenex: Confide, ait, ô puer, abſoluit te ab hac captiuitate, etiam me tacente, confeſſio tua. Victorem namque aduerſarium tuum hodie triumphaſti, validius eum tua confeſſione proſternens, quàm ipſe fueras ab eo tua taciturnitate deiectus, quem vſque nequaquam vel tua, vel alterius reſponſione confutans, in te nunc vſque permiſeras dominari, ſecundùm illam Salomonis ſententiam. Quia non fit contradictio ab his qui faciunt malum citò, ideo repletum eſt cor filiorum hominum in ipſis, vt faciant mala. Et idcirco iam te poſt hanc publicationem ſuam nequiſſimus ſpiritus iſte nullatenus inquietabit vlterius, nec in te latibulum ſibi teterrimus ſerpens vſurpabit deinceps, de tenebris cordis tui ſalutari confeſſione protractus ad lucem. Nec dum ſenex hæc verba compleuerat, & ecce lampas accenſa de meo ſinu procedens, ita cellam repleuit odore ſulphureo, vt vehementia fœtoris ipſius vix in ea nos reſidere permitteret. Reſumenſque ſenex admonitionem, Ecce, inquit, Dominus tibi ſermonum meorum veritatem viſibiliter approbauit, vt paſſionis incentorem de corde tuo ſalubri confeſſione depulſum oculis peruideres, patefactumque hoſtem nequaquam locum in te vlterius habiturum, aperta eius expulſione cognoſceres. Itaque ſecundùm ſententiam ſenis, ita eſt, inquit, in me confeſſionis huius virtute dominatio diabolica illius tyrannidis extincta, atque in perpetuum conſopita, vt nunquam mihi ne memoriam quidem concupiſcentiæ huius vlterius tentauerit inimicus ingerere, nec me poſt hæc aliquando pulſatum furtiui illius deſiderij inſtigatione perſenſerim.* Denique ſaltem vt conſolemur aperire Superiori noſtras miſerias & tribulationes oporteret tanquam Patri, aut amico id præſtare; nam, vt Sapiens ait, *Amicus* Eccleſ.6.
fidelis medicamentum eſt vitæ. Et iterum: *Si videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Eccleſ. c. 36.

Poſt hæc omnia, ſi abſtruſi nobis velimus permanere præter interitum, aut certiſſimè magnum periculum, illud adhuc non conſequemur, quod quærimus, reſeruare abſconſos defectus noſtros: nam diuinitus ſic res diſponentur, vt cum pudore, & inuoluntariè pateſiant, quæ cum merito & virtute noluimus explicare. Per Oſeam dicit Dominus: *Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in* Oſee 13.
via Aſſyriorum, occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum. Septuaginta legunt, *& dirumpam clauſuram cordis eorum.* Hæc ſatis dicta, quo pactò cum Superioribus agendum nobis ſit; nunc dicemus qualiter cum æqualibus pacificè conuerſari oporteat.

IOAN

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

Doctrinæ Aſceticæ.

LIBER SEXTVS.

DOCTRINA I.

DE PACE CONSENSV conuerſationis ſeruanda.

Pax & conſenſus cordium pendet ex conſenſu verborum.

CAPVT I.

Iſai. 57. CREAVI *fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longè eſt, & qui propè, dixit Dominus.* Si ſacras euoluamus paginas, quæque Scriptura ſancta acriùs inculcat, vix vlla reperiemus plus commẽdata, quàm pacem, vnionem, concordiam, & charitatem. Vix vlla plus reprobata, quàm linguam; quam propterea ſanctus Iacobus vniuerſitatem iniquitatum dixit. Nihilominus fructum linguæ, & labiorum pacem, & vnionem prædicat Iſaias. Tanti refert vſus rerum, qui ſi obliquus & deprauatus ſit, optima deprauat, & ſana corrumpit; ſi rectus atque prudens multa bona etiam è malis parturit, adeò vt lingua alioqui perniciosa tam ſalutarem rem, pretioſamque pariat, ac nutriat. Ideo noſter Parens ſanctus Ignatius vnionem commendaturus, & pacem, non iis tantùm, qui propè ſunt, ſed qui longè, interque diuerſas nationes, quibus noſter Ordo conſtituitur, concordiam animorum, charitatemque fraternam, quæ decus, & ornamentum eſt noſtræ Religionis, imò totius Religionis Chriſtianæ, priùs dicta & ſcripta moderatus, vniformitatem doctrinæ, ſermoniſque præſcripſit. Sic in noſtris inſtitutionibus circa vnionem, & conformitatem

Reg. 41. & 42. ſum. mutuam cauetur. *Idem ſapiamus, idem, quoad eius fieri poſſit, dicamus omnes, iuxta Apoſtolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec ſcriptis libris (qui quidem edi non poterunt in lucem ſine approbatione, atque conſenſu Prepoſiti Generalis) imò & iudiciorum de rebus agendis diuerſitas, quæ mater eſſe ſolet diſcordiæ, & inimica vnionis voluntatum, quantum fieri poteſt, euitari debet. Vnio verò, & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, nec quæ ei aduerſantur, permittenda: quo iuncti inuicem fraterna charitatis vinculo meliùs, & efficaciùs poſſint ſe diuino obſequio, & auxilio proximorum impendere. In ſocietate nec ſit, nec ſentiatur animorum propenſio ad partem alterutram factionis, quæ eſſet fortaſſis inter Principes, vel Dominos Chriſtianos: ſed ſit potiùs quidam vniuerſalis amor, qui partes omnes (licèt ſibi inuicem contrariæ ſint) in Domino noſtro amplectatur.* P. Claudius Aquauiua adiicit. *Nulla ratione Superioribus diſſenſiones inter* Epiſt. de ſœlici progreſſ.
domeſticos ferendæ ſunt; nec tolerandum, vt ea, quæ ad nationes pertinent, & charitatem maximè diſcindunt, vel leuiter attingantur, dicente Apoſtolo, non apud Religioſos modò, ſed etiam Chriſtianos quoſuis, nec ſeruum eſſe, nec liberum, nec Barbarum, aut Scytham, ſed omnia (inquit) *& in* Coloſſ. 3.
omnibus Chriſtus. Hæc eſt gloria Societatis noſtræ, iam tunc ab initio; & certè, Meliùs eſt nobis 1. Cor. 9.
magis mori, quàm vt gloriam huiuſmodi quis euacuet. Non igitur ferendum eſt, vt quæ ſingulorum ſint vitia, integris tribuantur nationibus; cùm nihil laude, vel vituperatione dignum ſit, quod voluntarium non eſt; & diligentiſſimè regula illa ſeruanda, quæ prohibet, ne aliæ nationes de aliis ſiniſtrè ſentiant, aut loquantur; ſed peculiari affectu fauendum eſt cuique, vt diuerſas nationes in Domino proſequantur. Omnes ſiquidem ſumus ciues Sanctorum, & patriam vnam paradiſum computantes, eam à longè aſpicimus, & ſalutamus.

Et quidem inter ſanctiſſima, ſalutariaque monita, & inſtituta noſtra pax & vnio prætermitti non debuit. Quid pulchrius? Quid vtilius? Quid iucundius? Quid præſtantius? Quàm hæc religioſæ vitæ dos ab omnibus optanda, curanda, ſeruanda, & modis omnibus tuenda. Hic decor ſeruorum Dei, hic flos Religionum, hoc pretium obſeruantiæ Regularis, hoc votum noſtrum ſit. Audiamus Apoſtolum, quàm feruidè, & cupidè, & teneriter deprecetur nos, &, vt ſic dicam, adiuret, vt vnionem magnificiamus, quod non ita faceret, ſi maximi non intereſſet. Ad Philippenſes ſic ait. *Si qua ergo conſolatio in Chriſto,* Philip. 2.
ſi quod charitatis ſolatium, ſi qua viſcera miſera-

 tionis

tionis implete gaudium meum, vt idem ſapiatis eandem charitatem habentes vnanimes id ipſum ſentientes. Quibus aliis verbis ardentiùs commendare potuit vnionem animorum per vniformitatem doctrinæ? tum dicens ille, qui cœleſtibus gaudiis, viſitationibus, conſolationibuſque ſancti Spiritus plenus erat, gaudium ſuum velut incompletum eſſe non tantùm, ſi ſine vnione, & concordia eſſet, ſed vel ſi videret aliquibus deeſſe. Hoc (inquit ſanctus Hilarius) gentium Doctoris deſiderium fuiſſe, vt eſſemus omnes perfecti eodem ſenſu, eadem ſententia, hoc eius gaudium, vt id ipſum ſaperemus, amore eodem contineremur per vnius ſenſus ſententiam, vnanimes permaneremus. Tum ſignificauit Apoſtolus eximios huius vnionis fructus, conſolationem in Chriſto, charitatis ſolatium, ſocietatem ſpiritus, quæ ſine vnione, & conſenſu non perſiſtunt; neque enim guſtus cœleſtis ſine concordia humana percipitur.

Rom. 15.

Ad Romanos quoque ſic precatur: Deus patientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hic etiam per conformitatem ſermonis requirit conſenſum animorum, & alium maximum quidem pacis vſum inſinuat, nimirum honorem ac gloriam Dei. Cumque noſtræ Societatis teſſera ſit maiorem Dei honorem, ac gloriam ſemper quærere, ſtrictiùs ad vnitatem tenemur.

1. Cor. 1.

Corinthios etiam ſic adiurat Apoſtolus, vt nos alloqui videatur fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri. Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. In quibus ſimiliter verbis per vniformitatem doctrinæ, conformitatem ſollicitat cordium, atque eximium alium vnionis fructum promittit perfectionem vitæ. Viget quoque exhortationem, quoniam in ſocietatem filij Dei Ieſu Chriſti vocati eſſent, & per nomen Ieſu Chriſti obſecrat; cùm autem noſtra gloria ſit nomen Ieſu, & in eius ſocietate ſimus, nos plus obſtringi, & adiurari videmur, & nomen noſtri Ordinis, nimirum Societas, vnitatem, & concordiam pollicetur, & commendat. Accedit noſtrum Ordinem Apoſtolicam imitationem, inſtitutum, & ſocietatem, diſcipulorumque Ieſu eſſe. Diſcipulorum autem Chriſti nota & teſſera charitas fraterna eſt, vt meritò S. Gregorius dicat,

Lib. 20. Mor. cap. 9.

Probatio quippe ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed vnumquemque vt ſe diligere: de Deo autem vera cognoſcere, de proximo verò meliora, quàm de ſimetipſo ſentire. Nam quia vera virtus in amore eſt, non autem in oſtenſione miraculi, veritas demonſtrat, quæ ait: In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Qui enim non ait: In hoc cognoſcetur, quia mei diſcipuli eſtis, ſi ſigna feceritis, ſed ait, ſi dilectionem habueritis ad inuicem; apertè indicat, quia veros Dei famulos non miracula, ſed ſola charitas probat. Teſtimonium ergo superni diſcipulatus, eſt donum fraternæ dilectionis. Epheſios pariter ſic hu-

Ephes. 4.

maniſſimè exhortatur, & rogat Paulus. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum omni patientia ſupportantes inuicem in charitate ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* Hoc nobis dictum putemus noſtræ vocationi minimè ſatisfacturos eſſe, niſi in vnione, & charitate fraterna. Maximum igitur hoc vnanimitatis pacificæ bonum tantopere ab Apoſtolo deſideratum, obſecratum, & deprecatum, quod gaudium ſuum dixit & honorem diuinum, fructus eſt labiorum, vt Eſaias loquitur, & ipſemet Apoſtolus ſupponit, & S. Ignatius Pater noſter per omnia conſentit: neque enim animorum conſenſus diu præſtare poterit, vbi verborum intercedit diſſenſus, & contentio pernicioſiſſima tranquillitati religioſæ, & minimè tolerandа. Idcirco in pœnis, ſeu regulis Monachorum pœnalibus inter opera S. Baſilij ſeuerè edicitur, *Si quis è Scripturis contentiosè diſputat, careat benedictione. Si verò commonitus perſeuerct, veluti inobediens excommunicetur.* Ex diſſenſu verborum contentio naſcitur, ex contentione animorum diſſenſus, ex hoc inſultatio & cætera linguæ vitia cum magna charitatis iactura. Diues ille miſer Euangelij in lingua præcipuum tormentum ſuſtinebat, non magis, quòd gula peccauerit, quàm quòd verbis charitatem cum mendico Lazaro non tenuit. S. Petrus Chryſologus ait. *Magis lingua vritur, ardet, æſtuat, quæ inſultauit pauperi, quæ miſericordiam denegauit. Hæc deguſtat, & patitur cruciatus, quia cùm odorata deguſtaret pocula, fieri miſericordiam non præcepit, & ipſa, cùm alij facerent, derogabat.* Serm. 122

Quomodo per verba dirimatur charitas, ex ſancto Bernardo, vbi multa contra detractores.

CAPVT. II.

LINGVA autem acerba, mordax, contumelioſa, detractoria quam vnionem non diſcindet? Nouit ſanctus Bernardus, quàm promptè per huiuſmodi verba vinculum charitatis dirimatur, de quo explicat illud Canticorum: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, ſic hortatus: *Dilectiſſimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere inuicem, non facto, non verbo, non ſigno qualicumque: & ne quis fortè exacerbatus, & præoccupatus à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate, Deum interpellare cogatur aduerſus eos, qui ſe læſerint, aut contriſtauerint, & prorumpere in verbum graue, contingat, Filij matris meæ pugnauerunt contra me: ſic enim peccantes in fratrem, in Chriſtum peccatis, qui ait: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Nec cauendum à grauioribus tantùm offenſis, verbi gratia, ab aperto conuitio, ſeu maledicto, ſed à clandeſtino quoque & venenato ſuſurrio. Non, inquam, ſufficit os cuſtodire ab his & his ſimilibus: cauenda ſunt & leuia, ſi tamen leue debeat dici quodcumque in fratrem præſumpſeris voluntate lædendi: cum hoc ſolo ſi iraſcaris illi, diuini reus iudicij tenearis. Meritò quidem. Non quòd tu leue putas, & ob hoc leuiùs præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videas in facie, & ſecundùm faciem iudicans, paratus feſtucam trabem*

Serm. 29. in Cant.

Digitized by Google

bem ſuſpicari, & ſcintillam putare fornacem. Non enim eſt omnium charitas illa, quæ omnia credit. Proni ſunt autem ſenſus hominis, & cogitationes ad malum potius ſuſpicandum, quàm ad bonum credendum: præſertim vbi diſciplina ſilentij, nec te qui in cauſa es, excuſare permittit, nec illum vulnus ſuſpicionis aperire quod patitur, vt curetur. Ita vritur ille & moritur clauſo & lethali vulnere intra ſemetipſum gemens, dum totus in ira & diſceptatione poſitus, nihil aliud ſilens verſare in mente poſſit, niſi iniuriam quam accepit. Non poteſt orare, non poteſt legere, non ſanctum, aut ſpirituale aliquid meditari. Et ita intercepto vitali ſpiritu, dum ſuis deſtituta alimentis vadit ad mortem anima pro qua Chriſtus mortuus eſt, quid tu interim quæſo animi habes? Quid oratio tua, aut opus quodcumque interim feceris, ſapit tibi, contra quem nimirum Chriſtus anxiè clamat de pectore fratris tui, quem contriſtaſti, filius (inquiens) matris meæ pugnat contra me: & qui ſimul mecum dulces capiebat cibos, repleuit me amaritudine? Quòd ſi dixeris illum non tam grauiter pro tam leui cauſa debuiſſe turbari, reſpondeo: Quanto lenior eſt, tanto à te leuius potuit non committi: quamquam neſcio quomodo leue dicas (vt iam dixi) quidquid amplius eſt quàm iraſci, cùm vel hoc ipſum obnoxium eſſe iudicio, ex ore ipſius acceperis iudicis. Quid enim? Tunc leue dixeris, in quo offenditur Chriſtus, vnde ad Dei iudicium pertrahi habes, cùm horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis? Tu ergo accepta forsè iniuria (quod quidem interdum non accidere in his conuentibus, difficile eſt) non continuò, more ſecularis, obliquè referire fratrem reſponſione feſtines, ſed neque ſub ſpecie quaſi corripiendi verbo acuto, & vrenti transfigere audeas vllatenus animam pro qua Chriſtus affigi cruci dignatus eſt, non grunnire quaſi increpando, non labijs muſſitare quaſi murmurando, non narem contrahere, aut cachinnare, quaſi ſubſannando, non frontem rugare, quaſi inuehendo, aut comminando. Sanè commotio tua ibi moriatur vbi oritur, nec permittatur exire, quæ mortem portat, ne perimat, vt dicere poſſis & tu cum Propheta: Turbatus ſum,

Serm. de triplici cuſtod. *& non ſum locutus.* Idem Bernardus alibi. *Vtinam tamen vel ſolum tempus vita amitteretur in verbis, ſed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modò ipſi amittere, ſed adimere quoque, & hoc fratribus ſuis. An non amittunt vitam detractores Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit; & quos vita fugit, mori neceſſe eſt. An non & ipſe moritur, qui venenum bibit, quod ei maleſuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita ſubtrahitur, & dum neſcit, paulatim in eo fraterna charitas refrigeſcit. Auditurus eſt forſitan ipſe quoque cui detrahitur. Vndique enim verba volant, & multorum prius ora ſermo pertranſiens, difficile fieri poteſt, quin ſingulorum creuerit linguis, & quaſi iam prouectus referatur ad eum ad cuius ſpectat offenſam. Itaque ſcandalizabitur audiens, & tabeſcet, eoque facilius extinguetur in eo charitas, quo amplius antè viuere videbatur. Si inimicus, ait, meus malè dixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique; & quidem cauet ſibi prudens auditor, cauet & ipſe, ſi non deſipit, qui ſibi nouerit eſſe detractũ: ille ne veneno inficiatur, iſte ne ſcandalo perturbetur. Sed quod in ſe eſt tamen, lingua maledica, & illius percutiens conſcientiam, & iſtius vulnerans charitatem, ſecum pariter vtrumque perimit. Nunquid non vipera eſt lingua iſta? Ferociſſima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Nunquid non lancea eſt iſta lingua? Profectò & acutiſſima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua (inquit) eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps eſt lingua detractoris. Nec verò eiuſmodi linguam ipſo etiam mucrone quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit; ſeu etiam clauis ferreis quos ſanctiſſimis manibus illis, & pedibus conſummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Niſi enim huius quod nunc pungitur, & tranſfoditur corporis ſui vitam, illius vitæ corporis prætuliſſet, nunquam illud pro iſto mortis iniuriæ, crucis ignominia tradidiſſet. Et dicimus: Leuis res ſermo, tenera mollis, & exigua caro lingua hominis: quis ſapiens magni pendat? Leuis quidem res ſermo, quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat; leuiter tranſit, ſed grauiter vrit; leuiter penetrat animum, ſed non leuiter exit; profertur leuiter, ſed non leuiter reuocatur; facilè volat, atque ideo facilè violat charitatem. Vilis res eſt muſca moriens, ſed exterminat oleum ſuauitatis.* His adiicere libet pulchram conſiderationem magni illius Theologi, qui primus Complutenſis noſtri Collegij ſcholas aperuit. Is erat P. Alphonſus Deza, qui ſolitus dicere nulli hominum detrahendum, vel conuitiandum, ne vel in vnum prædeſtinatorum detractio noſtra incideret, & ſemel eum offenderet. *Cum illo,* dicebat, *quem in æternum amaturus ſum, & cum quo ſempiterna concordia, & pace beandus ero: nec ad momentum volo eſſe inimicus.*

Ex regula S. Pachomij, Baſilij, & alijs Monachalibus.

Caput III.

Hinc meritò aduersùs detractores, iracundos, murmuratores, & alia vitia linguæ in communitatibus religioſis pacem dirimentia, meritis cauetur pœnis. In regula S. Pachomij. *Qui facilis eſt ad detrahendum, & dicit quod non eſt, qui in hoc peccato fuerit deprehenſus, monebunt eum ſecundò, & ſi audire contempſerint, ſeparabunt eum extra conuentum fratrum ſeptem diebus, & panem tantùm cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet ſe ab hoc vitio receſſurum, & ſic dimittetur ei. Si quis iracundus & furioſus frequenter iraſcitur ſine cauſa, & propter rem inanem & vacuam, per ſex vices cõmonebitur, & in ſeptima facient eũ ſurgere de ordine ſeſſionis ſuæ, & inter vltimos collocabitur, docebuntque eum vt ab hac mentis perturbatione mundetur. Cumque tres teſtes dignos teſtimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur, nequaquam ſimile quid eſſe facturum, recipiet ſeſſionem ſuam; alioqui ſi permanſerit in vitio, moretur inter vltimos, perdito priore loco. Qui falſum cupit probare contra alterum, vt opprimat innocentem, tertiò commonebitur, & poſtea reus erit iniquitatis, ſiue de priori loco fuerit, ſiue de inferioribus.*

Qui

Qui habet peſſimam conſuetudinem, vt fratres ſuo ſermone ſollicitet, & peruertat animos ſimpliciorum, tertiò commonebitur: ſi contempſerit, & obſtinato animo in duritia perſeuerauerit, ſeparabunt eum extra monaſterium, & verberabunt eum ante fores, triginta nouem, dabuntque ei ad veſcendum panem ſolum, & aquam, donec mundetur à ſordibus. Qui habet peſſimam conſuetudinem murmurandi, & quaſi graui opere ſe opprimi queritur, docebunt eum quinquies, quòd ſine cauſa murmuret, & oſtendent perſpicuè veritatem; ſi poſt hæc inobediens fuerit, & eſt perfectæ ætatis, ita eum habebunt, vt vnum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otioſus, donec redeat ad veritatem. Si autem iuſta eſt illius querela & à maiore iniquè opprimitur, qui eum ſcandalizauit, eidem ſententiæ ſubiacebit. Si inobediens quis fuerit, aut contentioſus, aut contradictor, aut mendax, & eſt perfectæ ætatis, decies commonebitur, vt deſiſtat a vitijs. Si autem audire noluerit, monaſterij legibus increpabitur. Quòd ſi alterius culpa ad hæc vitia deuoluitur, & hoc fuerit comprobatum, ille qui cauſa extitit, reus erit vltionis.

In pœnis, ſeu regulis pœnalibus Monachorum Anonymi authoris, quæ inter opera S. Baſilij reperiuntur, ſic ſeuerè vitia linguæ puniuntur. *Si quis inuentus fuerit detrahens aliquibus, aut aliquos detrahentes audiens, & non increpans ipſos, aut indicans Archimandritæ, vnà cum ipſis excommunicetur.* S. Baſilius in animaduerſionibus contra Canonicas. *Quæ de natu maioribus alicui maledixerit, quibus adminiſtrandis res monaſterij cura mandata ſit, hebdomadam vnam ſegregator. Quæ aduerſus ſororem aliquid dicat, eo conſilio, vt ipſam criminetur, hebdomadam vnam ſegregator. Quæ contumelia quauis aliquam affecerit, hebdomadam vnam ſegregator. Quæ præter natu maiores eas, quibus commiſſa monaſterij adminiſtratio ſit, aduerſus ſororem abſentem ſuſurrare aliquid animaduerſa fuerit, ſegregator hebdomadam vnam. Quæ nulla cogente neceſſitate, intempeſtiua illata ſermocinatione futiliter garriat, ſegregator hebdomadam vnam. Quæcumque ſcurrilitatem in ſermone adhibuerit, aut immodeſtum riſum, hebdomadam vnam ſegregator. Quæcumque in opere miniſterij occupata, & neceſſarium præ manibus munus habens, clamosè, procaciterve proximam appellarit, hebdomadam vnam ſegregator. Quæcumque reprehenſam aliquam delicti alicuius ab ijs, quibus gubernatio, & rerum faciendarum commiſſa moderatio ſit, defenderit, hebdomadas duas cum ea quam defendit, à reliquarum conſortio ſegregator. Quæ cum extraneo aliquo, eorum qui intrò ingrediuntur, ſermonem contulerit, antequam ei ab ea permiſſum ſit, cui moderanda diſciplina, ſumma tradita authoritas ſit, hebdomadam vnam ſegregator. Quæ in difficultate rerum ad vſum neceſſariarum, aut in operibus faciendis fatigatione, murmurare animaduerſa ſit, ſegregator hebdomadam vnam. Quæ imperio aduerſatur illarum, quibus regendi prouincia tradita eſt, ſegregator hebdomadam vnam.* Tam ſeuerè linguam puniendam cenſuit Magnus Baſilius, vt quæ contraria prorſus vnitati & paci ſit, idcirco ſegregari iuſſit delinquentes hoc vitio.

Notantur ſuſurrones ex ſancto Gregorio & B. Dauide de Auguſta.

Capvt IV.

Maxime autem pernicioſi ſunt, qui dicta quorundam ad alios deferentes diſſenſionem inter fratres proſeminant. audiant quid S. Gregorius eloquatur. *Perpendant ſeminantes iurgia, quàm multipliciter peccant, quia dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas ſimul virtutes eradicant: in vno enim malo innumera peragunt, quia ſeminando diſcordiam, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater, extinguunt. Quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis; nihil eſt Diabolo delectabilius extinctione charitatis. Quiſquis ergo ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiariter ſeruit: quia quâ ille amiſſa cecidit, hanc iſte vulneratis cordibus ſubtrahens eis iter acceſſionis abſcidit.* Lib. 3 Paſtor. 24. Quapropter ſalutare accipe conſilium deuotiſſimi viri Dauidis de Auguſta. *Sic loquere de abſente, ac ſi ſcires eum propè aſſiſtere, & auſcultare. Non timeat te quiſquam, quod in abſentia ſua famam eius denigres. Magnum vitium eſt Religioſo dicere de abſente, quod erubeſceret loqui, ſi audiret. Non libenter audias detrahere, ſed aut fuge detractionem, aut opportunè compeſce, ſi potes. Nihil enim prodeſt tibi, niſi quòd aggrauaberis ſuper illum, de quo eſt ſermo, aut ſuper eum qui refert. Quære potius, ſi potes, aliquid inuenire laudabile in aliquo, quod ædificet te, & auditores tuos.* De inform. nouit. c. 23. & 24. Quia, dicit S. Hieronymus, *Qui detrahit, occidit ſemetipſum, & alium qui detractionem audit.* Et ſanctus Ambroſius ait: *Tolerabiliores ſunt, qui veſtes, aut alia bona noſtra diripiunt, quàm qui famam noſtram dilapidant. Rumores neſcias, quia inquietant cor, & mentem diſtrahunt, & deuotionem exhauriunt, & tempus ſine vtilitate conſumunt. Et iam quæ ſcias non omnia effundas quaſi vas ſine operculo, quod ſtatim, cùm inclinatur, effundit quidquid continet in ſe, & omni pulueri, & immunditiæ patet. Non ſis libenter in turba, niſi ibi tractetur de Deo, & deuotione, & animæ ædificatione. Non ſis clamoſus in loquendo, nec impetuoſus ad euaporandum, quod intus tenes incluſum, ſicut de amicis Iob eueniſſe legitur. Caue etiam, vt ſicut nulli detrahis, ita ne prodas detractionem apud illum, cui detrahitur, ne magis grauetur contra detrahentem ſibi, quàm ex relatione tua minuatur. Poteſt namque eſſe, quod ille qui dixit de altero verbum, non ita intendit derogare ei, ſicut ille ſuſpicatur de quo dicit. Et incitatur ad odium contra eum, vel ad vindictam prouocatur, cùm tamen ille aut ſimpliciter non animo detrahendi dixerit, aut fortè ſtatim pœnituit, proponens de cætero à ſimili cauere. Si autem talia dicerentur de aliquo, quæ omnino expediret eum ſcire de quo dicuntur, potes ei referre ſi vis non exprimendo quis dixerit, vt ſciat quid cauere debeat, & tamen contra nullum in odio exardeſcat.* Meminerimus ſemper quæ dixit Auguſtinus, talem indulgentiam vnuſquiſque accepturus eſt à Deo, qualem ipſe dederit proximo.

Vnitas ſpiritus violatur ſæcularibus verbis, multiloquio, & tepore bonorum operum.

CAPVT V.

IN congregationibus autem virorum ſpiritualium, & obſeruantium, vbi vitia aperta linguæ non tolerantur, aut rariſſima ſunt, maximi refert curam habere doctrinæ, & dictaminum quæ audiantur: ſæpe enim ſenſus quidam ſæculares, & mundanæ voces intruduntur, quæ teneros in virtute perturbant, cùm ſæpe ij qui imperfecti, & tepidi ſunt, ea velint, & dicant ſecundùm prudentiam fieri, quæ ſunt aduersùs Euangelium, & contra rationem naturalem, prætextuque ſpiritus multa ſæcularia, & carnalia defendant, *qui* nimirum, vt S. Gregorius ait, *ſub nomine Chriſti militant contra nomen Chriſti*. Hi ſunt ſimiles iis, de quibus S. Epiphanius dixit. *Audio ad Occidentem quorundam hominum naufragia perueniſſe, qui non contenti perditione ſua volunt plures mortis habere participes.* Hi ſeminant zizaniam & diſcordiam: hi inimici Religionis, hi vicarij Dæmonum, quorum typus eſt inimicus ille homo Euangelij, nimirum ipſe nequam ſpiritus. Nam, vt Ioannes Cluniacenſis ait, *Inimicum vocat Diabolum, quia non ſolùm ſibi fuit inimicus, ſed omni homini curat eſſe inimicus. Nam ſi ſibi ſoli aduerſaretur, fortè à Deo (etſi eſſet inimicus) hoc nomine non appellaretur, vt intelligat peccator, quia quando ſibi ipſi eſt peccator, & non alijs, apud Deum quaſi non eſſet peccator reputari videri.* Salutare conſilium S. Bernardi amplectendum eſt; poſtquam enim repræſentaſſet damna multiloquij, addidit, non tantùm loqui, ſed audire noxium eſſe, ſic dicens. *Facilè enim lingua labitur, nec minus facilè illabitur cordi, ita vt multis inter loquendum minus profuerit, quòd propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam. Vtilis eſt frater, qui tibi loquitur, ſapiens eſt, religioſus, ac timens Deum, plus dico, Angelus eſt, & Angelus lucis: etiam ſic caue tibi, ne audias vnde lædaris. Nec perſonam tibi velim ſuſpectam eſſe, ſed linguam, præſertim in ſermocinatione communi. Bona quidem columba ſimplicitas, ſed in hac parte quoque ſerpentis aſtutiam non omittas. Maria ne Angelicum quidem verbum ſine diſcuſſione præteriens, cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Tu quoque qui crebris experimentis ſaltem ſolerter aduertiſti quantum noceant verba, non deſpice, ſi ſolicitus fueris, quantoquidem intereſſe neceſſe eſt collocutioni non modò ori circumſpectionem, ſed & auri nihilo minus adhibere cautelam.* Propheta erat, & in nomine Dei affirmabat ſe loqui ille, cuius verba, quia credidit alter cùm ſeruus Dei eſſet, occiſum à leone legimus in libris Regum.

Epiſt. ad Hier. tom. 3. Bibl. vet.

Serm. de trio. cuſtod.

Denique ea ratione violat lingua vnitatem ſpiritus, quatenus ipſum ſpiritum euacuat; vbi autem ſpiritus non eſt, nec eius vnitas erit. Nihil autem eſt, vnde plus iacturæ accipiat deuotio, & internus ſuccus ſpiritualis, quàm ex lingua. *Tenerum membrum* (rurſus inquit S. Bernardus) *lingua, attamen vix teneri poteſt: ſubſtantia quidem infirmum, atque exiguum, ſed vſu magnum, & validum inuenitur. Modicum membrum eſt, ſed niſi caueas, magnum malum. Tenuis eſt & lata, aptiſſimum vacuandis cordibus inſtrumentum, ſicut multorum mihi inter vos conſcientias arbitror atteſtari; niſi fortè omnis tam perfectiſſimus, vt nunquam nobis poſt longas confabulationes inuenta ſit mens quodammodo vacua, meditatio minus deuota, ſicca magis affectio, & holocauſtum orationis non adeò pingue propter verba, ſiue quæ diximus, ſiue etiam quæ audiuimus, verba tamen.*

Vbi ſuprà.

Contrà autem moderatus, & ſpiritualis linguæ vſus ſpiritus vnitatem conciliare poteſt, & ſalutaris eſt. Vnde idem S. Bernardus dixit. *Eſt quoque magna nihilo minus ſermonis vtilitas, & frequenter in lingua fructus pretioſiſſimus reperitur. Nempe iuſti vita ex fide eſt, & fides ex auditu, auditus per verbum Dei. Quomodo enim viuet quis niſi crediderit? Quomodo credet niſi audierit? Quomodo audiet niſi annuntietur ei? ſanè propterea maiorem ei diligentiam & diligentiorem cuſtodiam conuenit exhiberi, quòd ſit iuxta Scripturam mors & vita in manibus linguæ. Alioquin ſi ſola ineſſet vita, nec circumciſio quidem ei, ſed ſola mors, etiam abſciſſio deberetur. Nunc verò ponenda nobis ori noſtro cuſtodia, & oſtium circunſtantiæ labijs, vt nec vitalem ædificationem clauſura damnet æterna, nec lethalis perniciei liberum ſortiatur egreſſum.* Et poſtea ſubdit. *Fœlix ſiquidem quem in omni confabulatione duplex timor ille ſollicitat, & duorum conſideratio ſtimulat auditorum. Primum quidem diuina Maieſtatis, in cuius manus incidere prorſus horrendum. Dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile eſt, offendiculum dare.* Ibid.

Cùm autem doctrina non ſolùm in dictis verſetur, ſed in factis; oportet non tantùm vniformitate verborum tueri concordiam fraternam, vnitatemque ſpiritus, ſed etiam conformitate operum: neque minus ſermone puritatem ſpiritus fouere, quàm factis. Quæ enim dici non debent, minus fieri oportet. Etenim ſi peſſimus, & exitialis Religioſus eſſet, qui aliis conſuleret regulas Religionis violare; qualis eſſet qui doceret, imò impelleret, & cogerer, non minus autem docetur, ſuadeturque exemplo, quàm dicto. Malum conſilium dumtaxat ſuadet, malum autem exemplum præcipit, & quaſi imperio cogit. Atque optimè ſanctus Iſidorus dixit, *Maioris eſt culpa manifeſtè, quàm occultè peccare; dupliciter enim reus eſt, qui apertè delinquit, quia agit, & docet.* Similiter S. Dorotheus, *Malitia nulla grauior eſt, aut pernicioſior, vt ſcilicet non tibi ſolùm, ſed & proximo nocere appetas.* In hoc certè iure vocamur filij Euæ: nam, vt inquit S. Bonauentura, *Non nobis ſufficiunt mala noſtra, ſed ſicut Eua Adam, ita nos alios maculamus ad malum.* Noſtri Parentes cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt ſibi folia ficus, ſcilicet, vt ait ſanctus Baſilius Seleucienſis, *Ipſi nudati nudant arbores.* Grauiſſimè tulit Deus, & puniuit morte leuem illam culpam Moyſis, & Aaronis de ſilice bis percuſſo, quia nimirum occaſionem aliis præſtiterunt minus piè ſentiendi de Deo. Sic illos alloquitur Dominus, *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me, coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Quibus verbis, inquit Caietanus, ſignificatur eos non ſolùm peccaſſe, ſed fuiſſe cauſam pec-

Lib. 2. de ſum. bono c. 8.

Doctr. 4.

Stimulo amor. p. 3. c. 19.

Num. 10.

candi filiis Iſraël: idcirco tam acerbè iraſcitur Dominus ſeruis ſuis pro culpa tantùm veniali.

Contentiones vitandæ, ex Antiocho Monacho.

Capvt VI.

Qvia pertinaces contentiones etiam de rebus vtilibus abutuntur charitate, ſingillatim exterminãdæ ſunt prorſus cum omni ſpecie litigij; contentioſus enim, inquit Antiochus Monachus adeò cum domeſticis habiturus pacem non eſt, ſed ne cum externis quidem. Dum enim ſuæ cogitationi (quã contentionis ſerendæ ſtudio concepit) cupit modis omnibus vt ſatisfiat; nunquam non ad ingenium, & commenta veteratoriæ artis conuerſus comminiſcitur nouitias fraudes; ac veluti acri quopiam œſtro percitus, perperim nouandis litibus extimulatur. Per hæc interim aliis concit turbas, & ſuis eos exagitat intemperiis. Hic talis nulli non deprehenditur inuiſus, atque omniom odio longè digniſſimus: veriùs dixerim, omnium multò miſerrimus. Scriptum quippe in Geneſi eſt, quia Eſau vxores accepit non ſuæ gentis, ſed externæ, quæ pro conſuetudine contendebant cum Iſaac, & Rebecca. Dixit autem Rebecca Iſaac: *Diſtadet me vita mea, mihique ipſi infenſa ſum propter filias filiorum Her.* Luculenter per hoc inſinuatur verum eſſe; quia pugnis atque contentione verborum velitarium digladiari, & ſerere lites, eorum eſt, qui à Deo ſunt alieni; non item fidelium, & qui ſe excolendæ pietatis totos conſecrarunt. Religioſi enim verè qui ſunt, & Chriſti diſcipuli, ſuum & ipſorum æmulantur & Dominum, & Doctorem. *Non contendet*, (ait quidam) *nec clamabit, neque audiet quis vocem eius.* Quidquid iſti tandem rei, vel operis aggrediuntur, nunquam id per litem & contentionem, ad exitum vſque promouent, & abſoluent. Finis enim imponitur operi debitus, per patientiã, orationẽ, obedientiam, perque ſolam ſpem generoſam. Ait enim Dominus: *Veni, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me Patris.* Parœmiaſtes itẽ de contentioſis eiuſmodi: *Ne litiges cum homine linguaci, neque ſtruas ſuper ignem illius ligna.* Et, *ne reſpondeas ſtulto ſecundùm ſtultitiam illius, vt ne videatur ſibi ſapiens.* Alios quidam: *Lis feſtinata incendit ignem, & pugna feſtinans effundit pugnas.* Rurſum. *Si ſufflaueris in ſcintillam, accendetur: & ſi conſpueris in illam, extinguetur, & ambo ex ore procedent.* Dicit & Beatus Iacobus: *Vbi* enim *zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.* Paulus præterea. *Iis qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Alio item loco: *Quemadmodum Iamnes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati.* Sed & ad Titum, per epiſtolam: *Stultas quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita; ſunt enim inutiles, & vana.* Nos igitur (chariſſimi) quaſi filij obedientiæ; ne quæſo vaniloquis iſtis litigatoribus, & contentioſis ſimus aſſimiles, vt qui doctrice Scriptura didicimus, quàm noxia ſit & detrimentoſa litigandi conſuetudo; nequando contingat ſubitè nos damnationis cenſuram cum iniquis, & exlegibus Iudæis, qui veritati perpetuò reſtiterunt, ac dicebant Domino. *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Rurſus: *Tu qui es?*

Hom. 56. — Geneſ. 27. — Iſai 42. — Tit. 3. — Ioan. 8.

DOCTRINA II.

DE VNIONE FRATRVM.

Quàm vtilis ſit vnio.

Capvt VII.

Hactenvs vidimus quomodo ex conſenſu doctrinæ, animorum vnio dependeat. Quia tamen hanc vnionem commendatiſſimam voluit habere Apoſtolus, eius præſtantiam etiam conſideremus; licèt enim ſubintelligi ſatis potuit ex ſummo ſancti Pauli deſiderio, & animi ſui voto, feruentibuſque obſecrationibus quibus illam depoſcit, deprecaturque, non leue momentum addent ſanctiſſimi Regis Dauid carmina, quibus eam non tantùm laudat, ſed miratur, dicens: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Vox iſta eſt ſummam per lætitiam geſtientis, & ſeſe non capientis præ gaudio, alioſque conuitantis, vt ſecum complaceant, fruanturque vtilitate, & dulcedine huius boni. Iunguntur quippe in charitate fraterna, quæ rarò alioqui conueniunt vtilitas & delectatio. Etenim bona huius vitæ eius generis ſunt, vt ſi vtilia ſint, iucunda non ſint; ſi autem iucunda fuerint, vtilia vix erunt. Pax autem & vnio vtrumque habet, vt ſanctus Auguſtinus obſeruauit, qui tantam eius boni eminentiam affirmat eſſe, quod de ea virtute Propheta prius miraretur, quàm oſtenderet quid eſſet, vel quid vtilitatis haberet. *O quam grandem* (inquit) *admirationem propoſuit, quando dixit: Ecce, ò quàm mirabilem vtilitatem prædicauit, quando ſubiunxit: Quàm bonum, & quàm iucundum. Quid autem vtilius, quàm quod benedictio diuina fœcundat & ſanctificat. Quoniam illic ait Pſalmiſta; mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.* Illò vbi eſt vnitas, mittit Deus benedictionem, & vitam, & gratias, & dona ſua; quapropter idem ſanctus Dauid rori comparauit vtilitatem concordiæ. Ros autem vtiliſſimus agris eſt, & in Scripturis gratiam diuini Spiritus, & cœleſtem beneficentiam ſignificat. Quare ipſa vnio pro magna gratia eſt, imò pro multis gratiis, vt meritò S. Gregorius dicat. *Omni habenti dabitur, & abundabit: quia quiſquis charitatem habet, etiam dona alia percipit. Quiſquis charitatem non habet, etiam dona quæ percepiſſe videbatur amittit. Vnde neceſſe eſt, vt per omne quod agitur, erga charitatis cuſtodiam vigiletur. Charitas autem vera eſt, & amicum*

Serm. 2. ad fratres in Eremo. — Hom. 9 ſup. Euang.

Digitized by Google

cum diligere in Deum, & inimicum diligere propter Deum. Quam quiſquis non habet, omne bonum amittit, quod habet. Iure igitur illuc, vbi fraterna charitas habitat, in vnum mandat Deus benedictionem, eam videlicet, quæ Nephthali à Moyſe pronuntiatur: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem poſſidebit. Simeon autem benedictione apud Moyſem caruit, quippe qui fuerit cauſa diſſidij aduersùs fratrem Ioſeph, prout Abulenſis obſeruat. Quid proferam de merito charitatiuæ vnionis, quæ tantopere eſt Deo grata, vt Machario Abbati, etſi vitam ducenti in eremo ſolitariam in perpetuis ieiuniis, & carnis macerationibus multò maioribus, quàm hoc noſtro ſæculo vigeat in vlla Religione etiam eremitica, & aſſiduè rerum diuinarum contemplationi dedito Deus prætulerit duas fœminas coniugatas rei vxoriæ vacantes; quæ tamen nil præ cæteris habebant, quàm quod per annos quindecim in domo vnà pariter manentes, nec turpe verbum altera dixiſſet ad alteram, nec litem moniſſet, ſed in pace vixiſſent, & à ſæcularibus verbis abſtinere ad mortem decreuiſſent, cum deſiderio vitæ monaſticæ, ſi id per maritos earum aliquando liceret.

Vtilis præterea concordia fraterna eſt; non ſolùm, quia quæ iuuant comparat, ſed quia quæ nocent, proſternit; non ſolùm quia confert bona, ſed quia obſtat malis, & occludit Dæmoni aditum: quemadmodum S.Gregor. dicit. *Scimus, & liquido conſtat, quia caſtrorum acies tunc hoſtibus terribilis eſt, quando ita fuerit conſtipata, atque denſata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam ſi ita diſtenditur, vt locus vacuus, per quem hoſtis poſſit ingredi, dimittatur, profectò iam ſuis hoſtibus terribilis non eſt. Et nos ergo cùm contra malignos ſpiritus, ſpiritalis certaminis aciem ponimus, ſummopere neceſſe eſt, vt per charitatem ſemper vniti, & conſtricti, nunquam interrupti per diſcordiam inueniamur; quia ſi qualibet bona in nobis opera fuerint, ſi charitas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur in acie, vnde ad feriendos nos hoſtis valeat intrare. Antiquus verò inimicus caſtitatem in nobis, ſi ſine charitate fuerit, non timet; quia ipſe nec carne premitur, vt in eius luxuria diſſoluatur. Abſtinentiam non timet, qui ipſe cibo non vtitur, quoniam neceſſitate corporis non vrgetur. Diſtributionem terrenarum rerum non timet, ſi eidem operi charitas deſit, quia diuitiarum ſubſidijs ipſe non eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id eſt, amorem humilem, quem nobis viciſſim impendimus, timet, & nimis concordiæ noſtræ inuidet; quia hanc nos tenemus in terra, quam ipſe tenere nolens, amiſit in cœlo.* (Hom.8. ſuper Ezech.) Hoc etiam eſt deſcendiſſe volucres ſuper corpora animalium, quæ diuiſit Abraham, non autem ſuper aues quas integras, indiuiſaſque reliquit. Volucres illæ Dæmones præfigurabant illuc liberè introeuntes, vbi diuiſio eos prouocat. Quare, vt inquit Hugo de Foylleto, *Super corpora diuiſa volucres deſcendunt, quia in diuiſione carnalium Dæmones deſiderij ſui paſtum quærunt.*

Quàm iucunda & læta ſit vnio animorum.

CAPVT VIII.

QVID autem iucundius hac vnione, de qua lætantur Angeli, cùm alioqui in beatitudinis lætitia ſint. Appoſitè Firmilianus ſcribens S.Cypriano, dixit: adunationem & pacem, & concordiam, non ſolùm hominibus fidelibus, & cognoſcentibus veritatem, ſed & Angelis ipſis cœleſtibus voluptatem maximam præſtare, cùm ſit iis gaudium in vno peccatore pœnitentiam agente, & ad vnitatis vinculum reuertente, vtpote quoniam licèt conuerſationem in cœlis habeant, nobis ſunt adunati, qui noſtra adunatione lætantur; ſicut è contrario triſtantur quando vident diuerſas quorundam mentes, & ſciſſas voluntates, quaſi non tantùm vnum & eundem Dominum ſimul inuocent, ſed ſeparatis, & diuiſis abinuicem, nec confabulatio iam poſſit eſſe, nec ſermo communis. (Epiſt.75. apud Cypr.) Angelicum hoc gaudium, & beatitudinis guſtum homines per vnionem participant in hac lachrymarum valle. Hugo Victorinus dixit, loco vnum eſſe, & animo non eſſe, pœnam eſſe: animo non loco bonitatem, loco & animo fœlicitatem. Idcirco S.Antoninus hanc vnionis iucunditatem non dubitat comparare rebus cum maximis, cum paradiſo, terra promiſſionis, & transfigurationis monte. (Annot.Pſal. cap.11.) Comparatio quoque qua vſus eſt Dauid, opportuna valde, atque peraccommoda eſt, vimque ſpiritualis vnionis aptè deſignat, ſicut vnguentum, inquit, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, ſignificans rem ſacram & ſuauiſſimam eſſe hanc concordiam, velut illud aromaticum vnguentum ſacerdotale quo ipſe ſummus Sacerdos perfuſus, cæteraque vaſa ſacra ſanctificabantur, ſic eſt vnio, & conſenſus animorum, ſuauiſſima profectò res, ſancta in ſe, & ſanctificans religioſos Ordines.

Sententia S. Baſilij de bono vnitatis.

CAPVT IX.

ELOQVENTISSIME S. Baſilius, bona huius vnitatis ſpiritualis propoſuit, eam appellat redintegrationem naturæ, reſtitutionem ſtatus innocentiæ, vitam Apoſtolicam, Angelorum viuendi ritum, multa alia addit, quæ eius deſiderium acuent, & operæpretium erit recolere. (Cap.19 conſt. Monaſt.) Loquens de his fratribus, qui iuxta Prophetam habitant, in vnum dicit: igitur ad bonum illud, quod ex natura eſt, reuertuntur, cùm vnà cum cæteris communionem, conſociationemque amplectuntur. Siquidem perfectiſſimam ego vitæ communionem illam appello, à qua priuata omnis rei cuiuſque excluſa poſſeſſio eſt & eliminata: itemque vnde diſſenſio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abeſt, & rixæ; contraque vniuerſa communia, animi, mentes, corpora, eaque, quibuſcumque neceſſariò ad victum, cultumque vtimur: communis Deus, communis pietatis mercatura, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communia præmia & certaminum exantlatorum

coronæ, vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus. Huic vitæ inſtituto, quid eſt tandem quod iure æquiparari poſſit? Quid eo beatius dici? Quid hac coniunctione, vnitate & neceſſitudine aptius excogitari? Quid mutua inter ſe morum, animorumque contemperatione gratioſius fingi? Homines ex diuerſis nationibus ac regionibus profectos per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeò in vnum veluti coaluiſſe, vt in pluribus corporis vnus modò eſſe animus videatur, viciſſimque plura corpora mentis vnius inſtrumenta cernantur. In his qui infirma corporis valetudine eſt, is complurium animos imbecillitatis ſuæ participes habet. Qui verò animo æger eſt, & affligitur, ei complures præſtò ſunt, à quibus curetur, à quibuſque aſſiduè erigatur. Hi æquabili iure inter ſe alij aliorum & famuli ſunt, & domini, & in inuicta libertate accuratiſſimam ſibi inter ſe ſeruiunt ſeruitutem, quam non neceſſitas caſus fortuiti oppreſſis, & in captiuitatem adductis magno ipſorum cum mœrore violenter inuexit, ſed cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippe cùm charitas ipſos alioqui liberos inter ſe alios aliis ſubiectos efficiat, & ipſis nihilominus tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem cõſeruet. Tales nimirum cùm ab initio nos fingere Deus, eſſe voluerat, & propterea crearat. Qui eiuſmodi ſunt, ſine cõtrouerſia primi Parentis noxam contegentes, antiquum bonum in priſtinum reuocant. Quandoquidem niſi naturæ noſtræ vnionem diſſecuiſſet peccatum, lites, & diſſidia, & bella in hominibus non eſſent. Hi liberatoris noſtri, eiuſque vitæ, dum inter nos verſaretur, inſtitutorum veri perfectique imitatores exiſtunt. Quemadmodum enim ille coacto diſcipulorum choro communia cuncta, ſeque ipſum communem Apoſtolis præbuit, item hi quoque Antiſtiti ſuo obtemperantes (qui modò vitæ ſuæ præſcripta rectè conſeruant) genus viuendi Apoſtolorum, ac Domini imitantur. Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur. Nulla eſt inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuerſia; ſed cùm habeat quiſque, quæ omnium ſunt, omnes tamen integras apud ſe ſuas diuitias conſeruant. Siquidem nequaquam materia, quæ circumſcribi poſſit, Angelorum diuitiæ ſunt, quæ quandocumque eam in plures diſtribui opus ſit, neceſſariò diuidi debeat. Sed contrà, materiæ omnis illorum expertes copiæ ſunt, & in vna, eademque mentis agitatione diuitiæ collocatæ. Et propterea cùm integra apud ſingulos bona ſua cuique permaneant, omnes peræquè diuites efficiunt, nempe quæ ſe ſine controuerſia, pugnáve ipſis præbeant poſſidendas. Summi enim boni contemplatio, & virtutum luculentiſſima cognitio Angelorum theſaurus eſt. Hæc autem eiuſmodi ſunt, vt cùm perfectam eorum pro ſe quiſque ſinguli cognitionem, poſſeſſionemque adipiſcantur, vniuerſis tamen in ea liceat intueri. Sine dubio tales ſunt, qui verè ſunt pietatis cultores, vt eorum non de rebus terrenis, ſed cœleſtibus concertatio ſit, & indiuidua quadam diuiſione eadem vniuerſi, & ſinguli apud ſe quiſque conſeruent. Siquidem virtutis ea acquiſitio eſt, & rectè factorum diuitiæ, & laudanda fraudatio, & lachrymarum expers rapina, vbi inſatiabili auiditati præmium eſt, ac propoſita corona, & quiſquis hîc vim ſibi facit, vt eouſque olim penetret, reum ſe conſtituit, omnes rapiunt, & nemini iniuria fit; quæ quidem cauſa eſt, cur diuitiarum earum arbitra, & moderatrix ſit pax. Hi dum laudabili ratione viuendi ſua, communitateque cœleſtis vitæ ac ſtatus egregiè formam effingunt, futura promiſſi Regni bona præripiunt. Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cuiuſquam ſit, ſed communia omnium omnia. Quot, quantave bona nobis conciliarit aſſumptæ carnis merito liberator noſter, iſti perſpicuè admodum demõſtrarunt communi hominum vitæ, dum laceram hominum naturam, & in partes penè innumerabiles diſſectam, quantum quidem in ipſis eſt, redintegrant, Deoque reconciliant. Siquidem eorum omnium, quæ à liberatore noſtro in carne geſta ſunt, ſumma huc pertinet, vt humanam naturam cùm ipſam ad ſeipſam, tum ad ſe etiam reuocaret, ſibive eam conciliaret, & ſublata prauâ diſſectione in priſtinam integritatem, coniunctionemque reſtitueret, atque vt peritiſſimus aliquis Medicus corpus in plures partes conciſum ſalutaribus medicamentis religaret. Atque hæc neutiquam ea re ſum perſecutus, vt dicendo rei magnitudinem adderem, & eorum qui in vita cœnobitica promouerunt, præclares virtutes verbi exaggerarem; neque enim eiuſmodi mea dicendi facultas eſt, vt ea rebus alioqui per ſe magnis ſplendorem poſſit afferre, quin mihi metuendum eſt potiùs, ne exilitate ſua eas ſua ſponte claras obſcuret: ſed vt, quoad fieri poſſet, ſplendidi adeò propoſiti ad virtutes inuitantis excellentiam, dignitatemque perſequerer ac demonſtrarem. Nam quid eſt tandem, quod ſi huic comparetur, non iure longè inferius iudicetur? Apud quos enim Pater ſit vnus, qui cœleſtem Patrem imitetur, & filij multi, qui ſummæ in Magiſtrum ſuum beneuolentiæ officiis mutuò inter ſe alij alios ſuperare contendant, filij, inquam, & vnà inter ſe concordibus animi adſtricti, & honeſtiſſimis virtutum officiis Patrem quaſi prehenſa dextera excipientes, an proinde recreantes, neque naturæ neceſſitudinis ſuæ cauſam adſcribentes: ſed quæ natura firmior eſt, rationem coniunctionis ſuæ ducem ſibi ad cuſtodem aſciſcentes, & ſe inter ſe vinculo Spiritus ſancti conſtringentes. Ad horum tam præclari negotij magnitudinem exprimendam, quæ ſatis idonea inueniri in terris ſimilitudo poſſit? Sed enim ea in terris nulla eſt, ſola cœleſtis relinquitur. Impatibilis cœleſtis Pater ab affectionum impuritate ſe auocat hic quoque ratione ſibi cunctos concilians. Incorrupti liberi cœleſtis Patris, incorruptionis ſtudium hos quoque fecit adoptiuos. Charitate quæ in cœlo ſunt inter ſe coniunguntur, charitas hos mutua compagine connexuit. Nihil omnino inſidiarum ordiri auſit aduersùs huiuſcemodi phalangem Diabolus, vt qui vnus aduerſum tot agonitas parem intelligat ſe eſſe non poſſe, adeò expeditè, adeóque confertim contra ipſum militantes, & charitate veluti acta teſtudine inter ſe alij alios tantopere protegentes, ſpirituque conſepientes, vt ne vel tantillum loci detur irrependi illius aſſultibus. Conſidera mihi quanta ſeptem Machabæorum in decertando conſenſio fuerit, & præ iſtis flagrantiorem apud hos animorum conſenſionem reperies. De his carminibus ſuis exclamauit Dauid, cùm dixit: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare*

fratres

Digitized by Google

fratres in vnum; quibus verbis per *bonum* ille vitæ probitatem expreſſit, per *iucundum* autem, lætitiam eam, quæ ex concordia, & animorum coniunctione progignitur. Hoc vitæ genus, qui diligenter colunt, ij cœleſtem, ac ſupremam mihi virtutem videntur imitari. Hæc Magnus Baſilius. Neque ſupprimenda ſunt quæ eloquitur pro vnitate ſpiritus, ſanctus Ambroſius in oratione de exceſſu fratris ſui Satyri, de iis qui pacem conturbabant, ſic dicens. *Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenerent, cuius patiebantur, velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus euacuatur eius paſſio, corpuſque diſtrahitur.*

Mortificatio eſt neceſſaria ad conſeruandam vnionem.

CAPVT X.

NVNC dicamus quibus præſidiis iuuanda ſit vnio hæc, quæ pretioſiſſima & aromatica confectio eſt gratiſſima Deo, & ſuaueolens hominibus, quam propterea comparauit Dauid ſacerdotali Aaronis vnguento, quod in libro Exodi deſcribitur, cuius compoſitio quinque rebus conſtabat, in quibus etiam denotantur quinque quibus debeat confici virtutibus, poſſitque conſeruari vnitas animorum. Ex myrrha nimirum fiebat illud vnguentum, ex cinnamomo, ex calamo aromatico, ex caſſia, ex oleo denique, per quæ ſignificantur mortificatio, innocentia, bonum exemplum, feruor charitatis, & miſericordia, quæ tuendæ ſeruandæque vnioni religioſæ requiruntur, hæ quinque virtutes, pretioſiſſima aromata ſunt, quibus componitur præſtantiſſima iſta charitatis confectio. In primis myrrha requiritur, hoc eſt, mortificatio, vt aliorum defectus, ingeniaque tolerare poſſimus: ideo Apoſtolus monet Epheſios, ſupportare ſe inuicem cum omni patientia, vt ſolliciti in charitate ſeruarent vnitatem ſpiritus. Et Antiochus
Epheſ.4. Monachus ait. *Portandi omnes ſunt, Domini exemplo, qui nos patientiſſimè tulit.* Hoc pacto
Hom.10. adſtringitur ſponſus ſponſæ, quæ ſic ait. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ecce quomodo ſupportabat cum læua; læua autem, vt non inerudíti putarunt, à leuando, & ſupportando dicitur. Infirmorum fratrum defectus non ſolùm tolerare debemus, ſed ita vt intelligant ipſi tolerabiles eſſe. Accidit interdum, quod Caſſianus dixit, vt infirmitates eorum, qui tepidiùs perfectionis expetunt ſanitatem, quantalibet fortium tolerantia ſuſtentantur; ab ipſis tamen, qui infirmi ſunt, non ferantur, &, vt ita dicam, ipſum tolerari non tolerant. Hæc toleratio & patientia fratrum noſtrorum non tantùm debet eſſe defectuum naturalium, ſed etiam moralium, non tantùm tolerare debemus moleſtas eorum conditiones, ſed iniquas iniurias, & omnem aduersùs eos excandeſcentiam ſuffocare viriliter ad minus iuxta conſilium Dauidis & Pauli, non vltra diem procedat, vel ſolius ipſius naturæ internus motus. Ille ait: *Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*; ex quo ſumpſit Apoſtolus conſilium illud, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*; idcirco præſcripſit S. Baſilius in animaduerſionibus Regularium. *Si quis temere iracundia elatus fuerit, ac non actutum fratrem rogauerit, quem offenderit, vt peccatum ſibi, quod in ipſum peccauerit, condonet, hebdomadam vnam ſegregetur.* Sanctus Teridius in Regula Monachorum commendauit etiam manſuetudinem neceſſariam Religioſis. *Certus eſto, quia dum iratus es contra alium, oratio tua non recipitur, nec irato licet communicare.* Idem ait, *Et qui inimicos iubemur diligere, & bene eis facere, quâ fronte fratres odimus.* Oportet igitur premere quoſuis auerſionis, & iræ motus recentes, aut ſaltem aduersùs nos ipſos conuertere. Rectè quidem Antiochus Monachus ait. *Nulla ex cauſa par eſt con-* Hom.13.
citari nos per iram aduersùs fidei comparis virum; præterquam aduersùs proprias affectiones, contrà cogitationes improbas, quæ eò deuergunt prono curſu, vt nos à rectitudine auocent vera via. Hoc eſt, quod dixit Dauid, *Iraſcimini, & nolite peccare.*

Per mortificationem & maximè humilitatem etiam cedimus, moremque aliis gerimus, vnde animi conciliantur. *Hæc*, inquit Ambroſius, *vir-* Lib.10.
tus vera humilitas eſt, quæ inter quoſlibet merito- epiſt.84.
rum gradus, nunquam ſui poteſt eſſe diſſimilis. Nam & in officiorum viciſſitudine, & in manſuetudinis lenitate, & in voluntariæ paupertatis electione inuenitur multa diſtantia, & alter alterò in propoſiti ſui deuotione aut maior, aut minor eſt. In vera autem humilitate nihil diuiſum, nihilque non ſolidum eſt; & ideo omnes participes ſuos vnum facit, quia inæqualitatem ipſa non recipit. Huius igitur boni proprietas in confeſſione eſt gratiæ Dei, quæ tota repellitur, niſi tota ſuſcipitur. Sicut enim alienus eſt à numero fidelium, & à ſorte Sanctorum, qui in aliquo à catholica veritate diſſentit: ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur, quaſi homo auxilio Dei in quadam actionum ſuarum parte egeat; in quadam autem parte non egeat, ſitque vllum tempus, vllumve momentum, quo pernicioſum illi eſſe non poſſit, ſi ab eo Spiritus ſanctus defuerit. Idcirco dum vnitas præcipitur, commentatur etiam humilitas in Regula S. Pachomij. *Sit inter fratres pax & concordia, & libenter maioribus ſubyciantur. Sedentes, & ambulantes, & ſtantes inuicem de humilitate decertent.* Eâdem cauſa monet ſanctus Dorotheus. *Cùm ſuperbo ne conuerſeris, ne Spiritus ſancti virtus deſerat animam tuam, & habitaculum fias praua, & immunda paſſionis.* Sicut enim humilitas eſt fomes vnionis, quatenus per illam cedimus noſtro iuri, ac proinde non exacerbamus fratres noſtros reſiſtendo eorum conatibus, & voluntati, imò eos lucramur, quatenus illis videmur dare honorem, quod à nobis reſpuimus. Sic ſuperbia cauſa eſt diſſenſionum, quatenus per illam vlli nolumus iuri cedere; imò quærimus, & arrogamus nobis plus iuris, quàm habemus, & meremur: hoc quidem magnopere offendit alios, vt propterea dixerit ſanctus Baſilius. *Is ſatis ſe à charitate, humilita-* Cap.31.conſt.
teque disiunctum declarat, qui primas deſiderat. Monaſt.
In Collegio Apoſtolico ſtatim facta eſt diſſenſio, vbi agitatum fuit, quis eorum eſſet maior, tam amica vnionis eſt humilitas, & tam inimica

Digitized by Google

ſupcrbia, vt humiles foueant vnitatem, etiam cùm reſiſtunt ſibi, & quiſque alteri velit exhibere honorem, quod nolit. Superbi autem etiamſi in eandem voluntatem conſpirent, & ſimiles omnino ſint, dirumpunt concordiam, & pacem. Optimè dixit Guigo Carthuſianus. Quo te ille, aut ille vitio contempſit, eodem tu te contemptum tanquam timidus doluiſti. Scilicet ſuperbia, & quo tibi vitio abſtulit, eodem tu doluiſti ablata, id eſt, amore periturorum.

Cap. 6 medit.

Cæterùm quemadmodum ex humilitate vnitas religioſa conficitur; ſic etiam & ipſa vnitatis conſideratio humilitatem perficier. S Paulus hac vnitatis commemoratione ſuperbiæ vitium retúdit, iuxta obſeruationem Chryſoſtomi. *Quemadmodum enim in vno corpore membra habemus multa; omnia verò membra non eundem habent actum: ſic multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſingulatim autem alij aliorum membra. Eodem rurſus vtitur exemplo, quo & ad Corinthios vſus fuerat, cùm eundem quoque morbum & apud illos ſedaret. Multum quippe potentiæ habent hoc pharmacum, multaque huius exempli virtus ad corrigendum arrogantiæ morbum eſt. Cuiuſnam, inquit, gratia ſuperbis? Aut quamobrem alius quiſpiam ſeipſum extenuas? Nunquid omnes vnum corpus ſumus, ſiue magni, ſiue parui? Quoniam ergo iuxta caput noſtrum vnum ſumus, atque inuicem membra: cur à concordia te ipſum abſcindis? Quid erubeſcis de fratre? Quemadmodum enim ille membrum tuum eſt, ita & tu viciſſim illius. Eſt autem & ob hanc rem multa honoris æqualitas. Duo ſiquidem poſuit, quæ ad deijciendam illorum arrogantiam ſufficiunt: nimirum, quòd alij aliorum membra ſumus, non quod qui minor eſt, maioris tantummodo, ſed quod & is, qui maior eſt, minoris quoque ſit membrum. Et quòd omnes vnum corpus ſumus; imò & tria poſuit. Nam & donum, quod datum eſt, vnum eſſe oſtendit. Ne igitur ſuperbias. A Deo quippe tibi datum eſt, ſi quid habes, per te ipſum non es adeptus, neque tuopte ingenio illud inueniſti. Propterea, & donorum mentionem faciens, non dicit, quòd hic quidem plus, iſte verò minus, ſed diſcretum quid acceperit. Habentes enim, inquit, dona; non addit, maiora, vel minora, ſed varia. Quid enim quod non eadem tibi commiſſa ſunt, dummodo corpus idem ſit.*

Hom. 21. ep. ad Rom.

Innoxia vita maximè iuuat vnionem.

Capvt XI.

IVVAT vnionem innoxia vita; innocentia enim per cinamomum immaculatum, vt ait Origenes, ſignificatur: nam vbi nemo offenditur, nemo iraſcitur. Rectè ſanctus Gregorius dixit. *Omne quod odis tibi fieri, ne ipſe alteri facias. Sic enim & quod impendi nobis rectè volumus, hoc alijs impartiamur, & quod nobis fieri nolumus, hoc alijs facere ipſi deuitamus, charitatis iura illæſa ſeruamus. Charitas autem vera eſt, cùm & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Aues quia innocentiam deſignant, cùm nulla venenum habeat, legimus indiuiſas, & integras ab Abraham relictas, quamuis animalia diſſecaret, vt ſic denotaretur vnio innoxia vita, & ſpirituali conuerſationi annexa.* Appoſitè Hugo de Foylleto dixit: *Animalium corpora Abraham diuiſit, aues verò indiuiſas dimiſit. Aues ſunt ſpirituales, animalia corda carnalia: aduerſus ſe inuicem animalia diuiduntur, dum per diuerſa deſideria carnales diſtrahuntur. Porro aues indiuiſa remanent, quia ſpirituales ſemper vnitatis vinculum tenent.* Diſertè Antiochus Monachus hortatur ad innocentiam vitæ, vt pax, & vnio religioſa ſeruetur, dicens: *Vbi timor Domini, illic charitas, & fratrum concordia; vbi nullus relinquitur timori Dei locus, ibi contentio, ac zelus; vbi reuerentia, ac pietas erga Deum, & amabilis erga proximum affectus, illic intermedius horum habitat Deus; vbi autem inuidia, ac malè morigera, & inobſequens ſubiectio, illic è regione, ambitio regnat gloria inanis. Commodum fuerit ac frugi, nos mordicus tueri ac retinere ſimplicitatem & innocentiam; atque ad infantilis vitæ formulam mores inſtituere, quibus incomperta eſt prorſus improba malignitas, humanæ vitæ expultrix; neque ſimus aduerſum nos inuectæ vllius iniuriæ memores, nec per malitiam leges præuaricemur: magis autem omnem deponamus malitiam, omnem amaritudinem diuinæ legis præuaricatricem; in quo vnum coaleſcamus ſpiritum, omni prorſus à nobis depulſa ſimulatione, quatenus in nobis dignetur habitare Dominus pacis, vt ſpiritus ipſe reualeſcat, priſtinæ ſanitati, quam gratuito acceperat, integrum reſtitutus.* Hæc ille.

Hom 39 ſup. Euang.

Bonum exemplum promouet vnionem religioſam.

Capvt XII.

FRAGRANTIA, & bonus odor Chriſti per bonum exemplum, magnopere etiam vnionem fouet ſpiritualem, ſiquidem multis prouocatis viciſſim ad bonum neminem pudet virtutis. Optimè Baſilius; *Qui ſe colendæ pietati dediderunt, ij in ſocietate cum alijs degunt, in qua inter ſe viciſſim, alter alterius ſui propoſitũ animi ad virtutem exacuunt, ſeque inter ſe rectè factorum æmulatione ad maiores quotidie in ſtudijs rerum honeſtarum faciendos progreſſus impellunt.* Egregiè quoque P.N. Claudius Aquauiua exhortatur: *Conſideremus inuicem non vt inuicem iudicemus, aut mordeamus, ne fortè ab inuicem conſumamur. Sed, vt Apoſtolus ait, in procuratione charitatis, & bonorum operum alter alterius virtutes conſiderantes, vt creſcamus in ſpiritu, Deumque Dominum laudemus, vt cùm ala viciſſim alam percutit, volemus cum præclaro illo cantico ad cœlum, Benedicta gloria Domini de loco ſancto ſuo. Dum enim quiſque alterum reſpicit, atque in eo donum aliquod intuetur, quo ipſe caret, fieri non poteſt, quin ſeipſum humiliet, atque in amore, & communicatione, cum cæteris creſcat.* Sic quippe diſſerit Gregorius diuiſiones gratiarum à Deo facti, nulla alia de cauſa, quàm ad maximarum harum virtutum humilitatis, concordiæque cuſtodiam. In aliis quippe regionibus vinum abundat, oleum in aliis, quædam tritici feraces ſunt, quædam animalium; vt dum vna alterius ope indiget, ſeruetur communicatio, mutuumque

Conſt. Mon. c. 19.

Epiſt. de ſal. ſpir. prog.

Digitized by Google

tuumque inter omnes commercium foueatur. *Sicut ergo Regiones terrarum*, inquit, *ita ſunt mentes Sanctorum, quæ cùm viciſſim ſibi conferunt, quod acceperunt, quaſi fructus ſuos regiones regionibus impendunt, vt in vna omnes charitate iungantur.* Hæc contentio virtutis cauſa eſt maximæ vnitatis, quam ita monet S. Teridius, ſiue Cæſarius in Regula Monachorum. *Hoc certamen habeto inter vos, qui alterutra vincat per humilitatem, per charitatem, qui ſit minor, qui ſit in opus Dei vigilantior, qui patientiam habeat maiorem, qui ſit tacitus, mitis, blandus, compunctus, vt lætetur Deus, & Angeli eius de veſtra ſancta conuerſatione, & confundatur Diabolus hoſtis antiquus.* Ex hac virtutum ſancta æmulatione, & pacifica contentione, non vnitas modò, ſed identitas ſtatuum concinnabitur. Rectè Hugo Cluniacenſis præſcripſit in ſtatutis ſuis; *Seruetur identitas, nec aliqua ſit diſcrepantia, maximè in ſeruitio Dei; quia cùm ſimus vnius congregationis, & ordinis, debemus eſſe in omnibus conformes.*

Hæc cura præſtandi inter nos boni exempli illud inſuper efficiet, vt ſæcularibus malum non exhibebimus cum totius Religionis iactura. meritò S. Bonauentura conſulit: *Inter homines quantum in te eſt, caue omne quod poteſt eis eſſe non bonum exemplum, ſicut decet fidelem ſeruum Dei, qui debet Domini ſui honorem promouere, & inhonorationem cauere, vbi poteſt. nos enim ſumus familia ipſius. Sicut ergo paterfamilias ex diſciplina familia ſua honoratur, vel ex indiſciplina inhonoratur: ita ſcias quidquid nos facimus inter homines, hoc aliquo modo redundat vel in laudem Domini noſtri, vel in contemptum. Et quia ſpecialiter poſiti ſumus inter homines, vt ipſi ædificentur ex nobis, parum proficiunt verba noſtra, ſi non etiam ædificemus bono exemplo. Et ſi non ſumus tam perfecti, vt poſſimus eis magnum virtutis exemplum oſtendere, ſaltem caueamus omnia mala exempla, quæ nos ipſi ſolemus reprehendere in alijs, videlicet ne rumores ſæculares recitemus apud eos, vel libenter audiamus, vel delicata fercula, vel multa fieri pro nobis diligamus, vel nimis mollia, vel pretioſa inſtrumenta, nec ira, vel diſcordiæ ſcintillas emittamus, vel verba ſcurilia, vel iocos diſſolutos moueamus, & maximè ne auari pro muneribus poſſimus notari, quia ex hoc citò vileſcimus apud eos, ſi viderint nos ea ambire, & auarè quærere, ad quorum contemptum nos eos hortamur prædicando.*

De inform. noui. c. 38.

In eo præcipuè ratio exhibendi exempli habenda eſt, ne laudabiles Religionis conſuetudines contemnantur. Vnde inquit S. Bonauentura. *Tu debes ſtudere, vt ſicut tibi ordo à maioribus tuis traditus eſt, ita & tu tradas eum poſteris tuis, quantum in te eſt verbo, & exemplo. Nec aliquam non bonam conſuetudinem inducas, vel diſcas, nec aliquam bonam conſuetudinem neglectam per incuriam Diaboli permittas in te, & in alijs, quibus eum modeſtia perſuadere poteris. Quicumque enim aliquod exemplum alijs relinquit, ſiue bonum, ſiue malum, particeps eſt imitatorum ſuorum, ſiue in ſupplicio, ſiue in præmio ſempiterno.* Maximè autem circa arctam trium votorum obſeruantiam, rigor Religionis omnibus modis tuendus eſt ad exactam vnitatem ſpiritus ſeruandam, vt verè habitemus in vnum, quam habitationem ſanctus Antoninus explicat in vnitate ſubſtantiæ communis remota proprietate; in vnitate obedientia totalis, abiecta propria voluntate, in vnitate continentiæ integralis ſine venerea ſocietate.

Inform. nouit. cap. 7.

Aduersùs ſcandaloſos.

Capvt XIII.

At ſicut exemplum bonum faciliter imprimendum, & à quouis ſumendum eſt, ſic & exemplum malum, aut minoris perſectionis à nemine deſumendum, etiam, vt ſic dicam, ab Apoſtolo Chriſti. Sic S. Paulus in voluntate gratis euangelizandi perſtitit, quantumuis alij Apoſtoli, & fratres Domini, & ipſe Apoſtolorum Princeps S. Petrus aliud feciſſet; & quamuis multa alia exempla habuiſſet liciti, & laudabilis vſus; nihilominus ait: *Ego nullo horum vſus ſum.* Quibus non vſus es? ait ſanctus Chryſoſtomus, multis ſcilicet exemplis: nam cùm multi hanc mihi præberent poteſtatem. Miles, Agricola, Paſtor, Apoſtoli, lex, & ea quæ in vos ſecerimus, & in alio, Sacerdotes, Chriſti præceptum. Nulli horum credidi. Idem S. Chryſoſtomus ait. *Noli mihi dicere, cùm ſcandalizatur frater, non eſſe prohibitum id in quo ſcandalizatur, quotieſcumque permittitur. Ego ſanè tibi maiora dicam, quod quamuis ipſe Chriſtus permitteret; videre autem aliquem eo offendi, te ipſum cohibe, & nolito illa vti permiſſione.* Hoc quidem obſeruauit Paulus in re licita, & in qua etiam habuit Apoſtolorum exemplum. Quòd ſi in re permiſſa, & licita ſic ſe geſſit Apoſtolus Chriſti, ne minoris perſectionis exemplum ſumeret, vel daret Corinthiis. In rebus non permiſſis, ſed à regula reiectis, & in iis, quæ decus religioſi inſtituti obſcurant, quid ſaciendum erit? vbi potentior eſt exempli vis, cùm noſtræ naturæ corruptione adiuuetur, & noſtrum appetitum in adiutorium aduocet, & maior numerus ſit talia exempla præbentium, qui non aliter ac impetus torrentis paleam ac ſpumam ſecum nos captauit, hoc eſt, quod Oſeas dixit: *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* In illa corrupta ciuitate peſſimi multitudinis mores Regem ſuum minus malum fecerunt tranſire in aliam vitam, hoc eſt, mutari in alios mores deteriores, quem poſt ſe multitudo rapuit tanquam ſpumam torrens. Quamobrem diligentiſſimè cauendum eſt, ne alicui noſtra vita pernicioſi ſimus, omnique cuſtodia, ſicut Antiochus ait; aduigilemus ne cui demus vllam ſcandali, ſiue offendiculi occaſionem; liberi, vt ſimus atque immunes miſerrimæ illius calamitatis, quam talibus apprecati ſunt, cùm Prophetæ, tum Apoſtoli. Nec ſolùm, ſed & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Primus ſe offert Propheta Abacuc, *Væ* (ait) *qui potat proximum ſuum euerſione doloſa.* Eccleſiaſtes item: *Qui fodit foueam proximo ſuo, incidet in eam.* Et, *qui voluit lapidem, ſuper ſe voluit.* Et, *qui demolitur ſepem, mordebit eum coluber.* Parœmiaſtes: *Circumcide abs te os prauum, & labia iniqua longè fac à te, quia coram oculis Dei ſunt viæ viri.* Apoſtolus quoque ad Hebræos ait. *Terra enim ſæpe bibens imbrem ſuper ſe venientem, & pariet herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem*

1. Cor. 9.

Hom. 22. in 1. Cor. 9.

Hom 21. in 1. ad Cor 9.

cap. 10.

Hom 50.

Digitized by Google

nedictionem à Deo; proferens autem ſpinas, & tribulos, reproba & maledictioni proxima eſt, cuius finis in combuſtionem. Hæc planè diſſerebat iſtis de ſcandalo, quo fidei acceptæ ſegetem premebant, qui ſemen quidem verbis acceperant, ſed illud (ſpinarum inſtar) aculeatis cogitationibus præfocabant, nihil proinde referentes frugis bonæ. Idem & Romanis. *Obſecro igitur vos* (fratres) *vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula faciunt, præter doctrinam quam vos didiciſtis, & declinate ab eis; tales enim Domino noſtro Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per ſuauem ſermonem & benedictionem ſeducunt corda innocentium.* Iterum: *Videte ne fortè poteſtas veſtra offendiculum fiat infirmis; ſi quis enim viderit te qui habes ſcientiam, in idolio recumbentem; nunquid conſcientia ipſius cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Inducit: *Et peribit infirmus Frater in tua ſcientia, pro quo Chriſtus mortuus eſt; atque ita ipſorum percutientes conſcientiam, in Chriſtum peccatis.* Rurſus; *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia? Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quòd gratias ago?* Dominus porrò aduersùs tales pronuntiauit, dicens: *Qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis,* &c. *Dico vobis, quia Angeli eorum in cœlis vident faciem Patris mei.* Rurſus. *Væ mundo à ſcandalis.* Et verumtamen *væ homini illi per quem ſcandalum venit.*

Charitas eſt vinculum membrorum Chriſti.

Capvt XIV.

CHARITAS autem & amor fratrum potiſſima portio eſt huius ſuauiſſimæ confectionis; per Caſſiam ſiquidem feruor charitatis denotatur; quoniam vbi charitas & amor eſt, nulla inuidia erit, & difficilis ſiniſtra ſuſpicio. Cortinæ quæ tabernaculum ornabant, & à ſuperiore parte, & ad latus inter ſeſe hyacinthinis vittis colligebantur, fidelium deſignabant animas ſecundùm ſanctum Gregorium per charitatem coniunctas, non per diſcordiam diuiſas. Charitas enim non ſolùm eſt vinculum perfectionis, ſed cordium, & compago myſticorum Chriſti membrorum. *Tract. 27. in Ioan.* Nam, vt ſanctus Auguſtinus ait, *Manemus in Chriſto, cùm ſumus membra eius, manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum eius; vt autem ſimus membra eius, vnitas nos compaginat, vt compaginet vnitas quid facit niſi charitas.* Ad charitatem ſpectat quod Sapiens dixit: *Sapientia omnium mater eſt, quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico.* Vera ſapientia charitas eſt, quæ omnes tanquam tenera mater diligit, ideo & pacifica. & bene de omnibus vult & cogitat. Hoc intereſt, inter ſapientiam, & ſcientiam; illa cœleſti lumine roborata res ſecundùm Deum conſiderat, hæc ſecundùm humanam cognitionem; illa rerum diuinarum notitia, hæc humanarum cognitio. Vnde illa reſpondet ei beatitudini, in qua pacifici prædicantur filij Dei, hæc illi per quam flentibus conſolatio promittitur. Nam qui fratres ſuos humanitus, & humana, quæ in illis ſunt, conſiderat, ex effectibuſque propriis perpendet, multos inueniet defectus, quos lugebit pro compaſſione; qui autem diuina dona, quæ in aliis ſunt, intuetur, multa ob quæ fratres ſuos diligere atque vereri, ob quæ pacem cum illis habere, reperiet. Tunc accidet illa lætitia, de qua ſanctus Hieronymus refert, dixiſſe Chriſtum: *Nunquam læti ſitis niſi cùm fratrem veſtrum videritis in charitate;* *In c. 5. ad Epheſ.* neque qui huiuſmodi diligit ſuos fratres, minus alios quàm ſe reputabit, non membra tantùm ſua, ſed Chriſti, nec tantùm ſua, ſed Chriſti. Omnes vt membra Chriſti conſiderans reuerebitur illos, vt ſua amabit communicabitque ſine inuidia; neque enim ſatis eſt plura membra eſſe, niſi ſibi inuicem ſint membra. Etenim ſtatua illa oſtenſa Nabuchodonoſori plura habebat membra, non tamen proinde ſtabilis erat, quia non cohærebant, nec membrum membri erat; ſeorſim ſingula erant, ſingula ſingularia, quippe diuerſi metalli, ideo tanta moles, ſubitò diſſipata leui calculi contactu. Hæc omnia confirmat ſententia venerandi Antiochi in Pandectis ſacræ Scripturæ. *Hom. 80.* *Debemus omnes nos parili & eodem animo perinde ac de altare* (ita modò loqui liceat) *concurrere. Tametſi ſumus multiplici varietate membrorum diſtincti; eadem ſit & ſententia, & par voluntas, quum vnum idemque ſimus corpus. Quemadmodum enim examen apum, fauum ſibi conficit mellis; ita Fratrum congregatio, regnum repræſentat Dei. Sicut turbarum clangor bellantium promouet, & excitat alacritatem; ita & practica virtutis doctrina, ſtudia diſcipulorum mirè exacuit. Nam quiſquis ſe à cæteris ſegregat, & in totum auellit; nihil differre videtur ab aui, quæ è nido proprio euolauit, eoque cogitur è loco permutare. Auicula quæ talis eſt, nihil difficile capitur per aucupis, aut venatoris inſidias. Omni enim ex parte, aucupes illi, & ſpirituales captores, laqueos ac ſcandala iniquitatis præſtruunt, & agglomerant illi vago, coruique rapaces, id genus modi excæcant, & exterebrant oculos. Decora prorſus, & aptè per omnia congruens, fraterna eſt vnionis conſenſio cum animorum concordia; id quod locum habet vel maximè, vbi ſolida ac perfecta charitas, radices ſuas fixius impreſſit. Exemplum inuenimus in Eliſæo cum Helia. Ille enim ſemel & bis cùm audiſſet: Sede hîc, cum iuramento reſpondit: Viuit Dominus, & viuit anima tua, ſi deſeram te. Nec ſecus Ruth illa Moabitis, ſocrui ſuæ; Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, quia mors inter me, & te, ſola diſtinguet. Iure igitur Booz benedixit ei, dicens: Reddat Dominus opus tuum, & ſit merces tua plena à Domino. Hæc alioqui, aliena cùm eſſet gentis, connubio iuncta eſt ipſi Booz, ex quo genuit eximij Dauidis auum.* Huc quoque ſpectat quod Henricus Cluniacenſis in ſtatutis ſuis præſcripſit: *More naturalium membrorum recipientium à capite naturalem motum, & ſenſum, loca & membra Ordinis Cluniacenſis debent recipere motum, & directionis regulam in actibus & operibus debitis à ſuo capite myſtico,* &c. *Quia in cœnobitis iuxta regulam Apoſtolorum debet eſſe cor vnum, & anima vna, & vbi ſunt fratres, maximè eiuſdem Ordinis, & vnius corporis myſtici vigere debet tanta ſpiritualis vnitas, & coniunctio: in actionibus nulla debet eſſe diuerſitas, ſeu diuiſio. Quinimo in eis feruere debet charitatiua communicatio, & in exhibitione honorum adinuicem præuentio ſtudioſa.*

Miſericorditer ſunt tolerandæ, & iuuandæ fratrum imperfectiones, & infirmitates.

CAPVT XV.

DEINDE ad tolerandos alios miſericors charitas neceſſaria eſt. Optimè S. Gregorius dixit, Hom.15. ſuper Ezech. lib.2. *Quantum læta mens fuerit per amorem, tantum erit & patiens per longanimitatem. Nam tantum quiſque portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas, ſi deſiſtis amare, deſiſtis tolerare. Quem enim minus diligimus, minus etiam toleramus. Quia irruente faſtidio, citius facta proximi adducuntur in grauedinem ponderis, quæ nobis leuat penna charitas.* Beneuolentia enim, pax & manſueta miſericordia cognatæ, & ſociæ ſunt. Inde B. Iſaias Abbas dixit: Orat.7. *Tres ſunt virtutes, quæ menti lucem præbent aſſiduè. Non noſſe cuiuſcumque hominis malitiam, & benefacere iis à quibus affecti ſumus iniuria, & ferre quæcumque accidunt ſine perturbatione, hæ tres virtutes tres alias pariunt ſeipſis meliores. Non noſſe hominis malitiam beneuolentiam gignit. Benefacere illis à quibus afficimur iniuria, pacem generat. Ferre ſine perturbatione quæcumque accidunt, parit manſuetudinem.* Quæ virtus gratis tolerat fratrum noſtrorum defectus, & comitatur miſericordiam. Congruit perfectioni harum virtutum, quod Antiochus Laurenſis dixit. In Pand. *Beatus igitur is Monachus, qui (quod ad Deum pertinet) cæteros omnes admiratione ducit & honore; idque poſt Deum. Beatus planè Monachus, qui (in genere) omnium ſalutem & promotionem peræquè ac propriam omni cum gaudio, & animi iucunditate peruidet. Monachus eſt, qui vnum ſe eſſe inter cæteros deputat, per hoc quod credit impratermiſsè ſe ipſum contueri in vnoquoque Fratrum.* Qui hanc conſiderationem habet, non poteſt non amare, alios tolerare, & miſereri.

Idcirco oleo etiam ſacratum illud conficiebatur vnguentum, quoniam compaſſio & miſericordia per oleum deſignata ad vnitatem neceſſaris eſt. Gratiſſimus quippe aliis fit, qui pia viſcera habet, & miſericordi commendatur affectu. Pſal.111. Quemadmodum Dauid ait, *Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat.* S. Proſper legit, *ſuauis homo.* Quin & propter miſericordiã fit Deus vniuerſis dulcis & ſuauis, iuxta Dauidẽ, qui ait, *Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Quemadmodum enim dilectio requiritur, vt de alienis bonis non triſtemur per inuidiam; ita etiam miſericordia eſt neceſſaria, vt de alienis malis non offendamur per faſtidium. Sed hæc miſericordia ſit cum illa cautione quam monuit ſanctus Dorotheus: Doctr.19. *Vtere erga omnes miſericordia, abſtractus ab omnibus.* Neque tamen in corde ſolùm concludenda eſt hæc virtus, ſed per actus exteriores illuſtranda. De bono huius affectus dixit rurſus Antiochus. *Ob alienam calamitatem angi animo incommodiſque proximorum mutuiter condoleſcere, ſuffragari item & collaborare; quàm ſit Deo gratioſum, & acceptum, quis explicet? Hoc etenim re ipſa vt præſtemus, vel debito obſtringimur, vt qui ſerui ſumus, aſſeſſores, & ſubminiſtri Dei verbi, vt illi nos probemus in cuius accenturiati ſumus, & adſcripti militiam, à quo relaturos nos ſtipendia nauata inſigniter opera, certò ſcimus. Animam vtique ad officia exercenda pietatis erga proximos mirè habet proclíuem, quiſquis ſic condoleſcit alienæ infœlicitati. Qui talem poſſidet animam, nihil non bonorum ex ſe, tanquam ex illimi quopiam fonte edet, & in cælum tranſcribet. Quòd ſi facultates habuerit & peculium, nihil dubitabit, id in hunc pietatis vſum depromere, atque inſumere. Si quem viderit calamitate premi, prorumpet in fletum; ſi quem compererit oppugnari calumnia, manum illi exporriget auxiliarem; nec vlli alij talem deſeret, quotquot ad ſe peruenerint. Certatim igitur contendamus, vt fides noſtra, charitas, patientia tanquam galea, & quaſi haſta, omniſque ſpecies armorum nos in procinctu ſpirituali conſerentes, circumſiſtant. Longanimitatem mutuam inuicem præſtemus, vitam hanc exigamus in manſuetudine & placabilitate, vt & nobiſcum Deus. Abiectum & humilem, illachrymantem, ne contemptim prætereamus; vt ne lachryma, tempore orationis fuſa, à Deo deſpectim videantur. Si qua interim gratuita dona poſſidemus, ne quid hinc nobis arrogemus; quin potiùs pio affectu compartiamur non habenti, eoque nobiſcumque, id doni, in finem vſque permanebit. Dicit igitur, qui inter primos in proximum affectu pientiſſimo legitur fuiſſe Iob. Ego autem ſuper omni impotente fleui, ingemui verò, ſi quem vidi virum afflictum neceſſitate; quòd ſi deſpexi nudum, nec veſtiui eum! Ianua autem mea omnibus aperta fuit.* Apoſtolus quoque monet tanquam electos, & ſanctos Coloſſ.3. Dei dilectos indui viſcera miſericordiæ, benignitatem, longanimitatem ſupportantes inuicem. Quin ipſe Dominus ineffabilis clementiæ, cùm vellet declarare inſigni quopiam argumento, & teſſera germanos ſui Patris filios, dixit, *Eſtote* Luc.6. *miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.*

Maximum præſidium conſeruandæ vnionis fraternæ, eſt non quærere quæ ſua ſunt, ex Antiocho Monacho.

CAPVT XVI.

HÆC omnia quæ diximus in vna charitatis proprietate includuntur, quæ non quærit quæ ſua ſunt. Hoc vno vnio fraterna conſeruabitur, hoc mortificati erimus, hoc innoxij, hoc charitate pleni, hoc miſericordes, hoc denique arctiſſima vnione copulati, hoc corporaliter iuuabimus, & portabimus alios, hoc ſpiritualiter ædificabimus. Rectè quidem diſſeruit Antiochus Monachus in Pandectis ſacræ Scripturæ. *Quemadmodum Do-* Orat.7. *minico mandato vrgemur, & mutuas donare offenſas, & pro inuicem orare; ita nec debemus quæ noſtra ipſorum ſunt, quærere cupidiùs, ſed quæ fratrum, qui eiuſmodi ſunt membra corporis, vt ne noſtro vitio vllam adeant occaſionem noxæ, aut detrimenti. Dixit enim Deus Moyſi: Solue calceamentum pedum tuorum; hoc eſt, ſolue*

iuſtificationem tuam, carnalem iſtam prudentiam ac faſtum propriæ voluntatis. Locus enim in quo tu ſtas, terra ſancta eſt, quam vtique fortitò hæreditant manſueti. Nos itaque carnalis iſtius voluntatis noſtræ præcidamus præputium, eam explentes quæ Dei eſt, ne ab ea excidamus, qui per Hieremiam dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ viuentis, & ambulauerunt poſt voluntates ſuas malas. Magna nobis cautione prouidendum, ne fratres noſtros exſaſtemus poculo turbulentæ ſubuerſionis, nempe ſcandali. Si enim propter cibum, ait Paulus, frater tuus contriſtatur, aut infirmatur, aut offendit; non iam ſecundùm charitatem ambulas: noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Sic autem peccantes in conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccamus. Ideoque ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, dicamus & nos qui Religioſi ſumus, Non manducabo carnes in æternum, vt ne fratrem meum ſcandalizet. Hæc nihil obſcurè faciebat (fratres mei) beatus ille fidelis prorſus Dei & Chriſti eius amantiſſimus, idemque ſalutis proximorum cupientiſſimus. Hic ne quis improbo ſuo exemplo ſcandalizaretur, irreprehenſibilem ſe per omnia exhibuit, mortem denique oppetiuit. Itaque Fratres, in omnibus voluntati noſtræ iniiciamus frenum, proximi cauſa eam præcidentes; vt ne authores vllius ſimus ſcandali, aut ſubuerſionis audientibus, atque vitæ iſtius noſtræ inſtitutum explorantibus. Ille perquam beatus qui pietatis tuendæ gratia cuncta veretur ac timet. Scriptura namque habet ac beatus Paulus; nemo quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ proximi. Irreprehenſibiles eſtote (ait) & Iudæis, & Græcis & Eccleſiæ Dei, quemadmodum & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi ipſi vtile eſt, ſed quæ multorum, vt ſalui fiant. Et rurſus. *Charitas non quærit quæ ſua ipſius ſunt, non irritatur, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Sed & is infert: Debemus autem nos qui potentes ſumus, infirmitates impotentium ſuſtinere, & non nobis ipſis placere, etenim ipſe Chriſtus non ſibi ipſi placuit.* Iterum. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Sed & Dominus: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, Patris, & perficiam opus eius. Voluntas autem ipſius eſt, vt ſaluem omnem hominem.* Rurſus: *Deſcendi de cœlo, non vt faciam meam voluntatem, ſed voluntatem qui miſit me Patris.*

Reprobantur amicitiæ particulares.

Capvt XVII.

Atqvi obſeruare oportebit, quanto commendabilis eſt vnitas ſancti Spiritus religioſis cœtibus, tanto eſt improbanda vnitas mundani ſpiritus, quæ per amicitias quaſdam particulares contrahi ſolet, quas ſanctus Gregorius ſic reprobat: *Sicut eſſe noxium ſolet, ſi vnitas deſit bonis, ita pernicioſum eſt, ſi non deſit malis. Peruerſos quippe vnitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. De hac vnitate reproborum per ſapientiam dicitur: Stuppa collecta Synagoga peccantium. Reproborum quippe vnitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto ei ſe per collectionem durior opponit.* Locupletiùs ſanctus Baſilius, peculiares damnat familiaritates: *Charitatem,* inquit, *habere inter ſe mutuam fratres debent, non ita tamen, vt duo, treſue ſeorſum à cæteris ſodalitatem inter ſe coeant, quandoquidem hæc non charitas eſt, ſed ſeditio & diuiſio: & eorum, qui ſic coeunt, improbitatis iudicium. Si enim communis decus diſciplinæ charum haberent, qui tales ſunt, ſine dubio communem, æqualemque aduerſus omnes charitatem tenerent. Si verò ipſi à reliquis ſua ſponte abſciſſi, diſiunctique in cœtu cœtum efficiant, vitioſa huiuſmodi amicitia conciliatio eſt, & diuerſam quandam à communibus inſtitutis rem eſſe oportet, quæ hos inter ipſos conciliet: atque hoc profectò nihil eſt aliud, quàm contra veterem diſciplinæ ſtabilitatem, conſtantiamque innouatio. Quocirca danda ſtudioſè opera eſt, ne vllus omnino in conuentibus, ſodalitatibus iſtiuſmodi locus detur, neuè violata charitatis obſeruatione ſocietatem quis cum fratre aliquo iungat, qui improbè agere, & communis diſciplinæ iura velit peruertere: enitendumque, vt quandiu quidem in officio omnes permaneant, æqualis vnicuique erga omnes communitas ſit atque coniunctio. Quòd ſi firmatam quis iam vetuſtate diſciplinam labefactare in animo habeat, ac alios etiam de fratribus ſecum comites trahat, hic primò quidem ab eo, qui ſanus ſit, ſecretò admoneri, tanquam parum ſanus debet. Sin arcano curari noluerit, adhibendi de fratribus erunt etiam, qui cæteris intelligentia videantur præſtare: quemadmodum eſt in ſacroſancto Euangelio: Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos. Quòd ſi ne ipſis quidem auſcultauerit, tum demum ad Antiſtitem ipſum animi ipſius morbum deferre oportebit. Si verò ne Antiſtitem quidem audire voluerit, perinde vt Gentilis, & publicanus habendus eſt, & vt ouis peſtilentia contacta ab reliquo ouili ſegregandus, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat. Si verò nullus ſit omnino, qui exempli peruerſitate deterior fiat, tunc tantummodo lenitas aduerſus ipſum locum habebit, ſpe videlicet ipſum ſe aliquando ad meliorem frugem recepturum: lenitas autem ex ea parte, vt ne præcidatur, non autem, vt ab admonitionibus, legitimiſque multarum impoſitionibus deſiſtatur.* Cap. 30. conſt. Mon.

Optimè quoque noſter Pater Claudius Aquauiua obſeruat. *Nec verò prætereundum videtur, quantum valeat ad animorum ſeruandam vnitatem, vt fugiat vnuſquiſque priuatas quaſdam amicitias, quas in congregationibus velut indecentem quandam pugnam appellabat D. Baſilius & quiſquis peculiari affectu ducitur erga quempiam, vel quòd ei ſit ſanguine iunctus, vel quòd illius conſuetudine delectetur, ſeipſum, inquit, accuſat ac prodit, quòd non habeat integram charitatem.* Hæc P. Claudius. Ob eaſdem cauſas Hugo Cluniacenſis ſic in ſtatutis ſuis præſcripſit: *Nec ſe quis cui ſibi videtur aſſociet, quia hæc eſt cauſa extraordinationum, & ſingularitatum.* Epiſt. de ſa- lis prog.

Quid? inquies, ruſticitatem & ingratitudinem induemus, ſi aliquorum beneuolentiæ non reſpondeamus intimiori familiaritate; ruſticitate autem hominibus diſplicemus, ingratitudine etiam Deo. At nec ruſticum, nec ingratum vllum volumus eſſe, ſed cautos omnes: nam in his officiis, & obſequiis mutuis periculum eſt, maximè in affectu, qui quo pacto cauendus ſit, & quo admit

Digitized by Google

admittendus. Sic docuit Aëlredus contemporaneus D. Bernardi. *Officialis affectus* (inquit) *cæteris, qui admittendi ſunt, periculoſior: ſiquidem admittendus eſt, ſed permaximè cauendus eſt. Quid enim tam dignum, tam conſonum rationi, quàm vt vicem rependas amanti, obſequenti officium, gratiam munera porrigenti? Quid deinde cauendum magis, quàm ne delinitus obſequijs, vel muneribus allectus, aut faueas vitia, aut faueas vitioſo? Nec de his mihi ſermo eſt, qui diligunt munera, ſequuntur retributiones, qui iuſtitiam venalem habentes, non homini, ſed muneribus fauent, ſed de his qui obſequijs, vel muneribus prouocati, non iam munera, ſed ipſum hominem quodam interno complectuntur affectu. Admittendus eſt* (inquam) *iſte affectus, ſed & cauendus; admittendus ne ſit ingratus officio; cauendus, ne non tam homini impertiatur, quàm vitio. Proinde quamuis in muneribus, vel obſequijs ſuſcipiendis, magna ſit habenda diſcretio, hoc attendendum, vt cùm erga eum cuius beneficijs vtimur, vel obſequijs adiuuamur, quodam mouemur affectu, ipſius perſonæ dignitas diligentiùs inſpiciatur, vt ſi fortè eius meritis ſit, affectus ipſe officialis tranſeat in Rationalem; & quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus. Euenit aliquando vt vir optimus, ob exteriorem quandam auſteritatem non facili affectu in cor influat intuentis, quem ſi aliqua occaſione oblata, munificum nobis ſenſerimus, inſenſibiliter ipſe, quem auſteritas illa oppreſſerat quodammodo, & obruerat, erigitur, vt ita dicam, & excitatur affectus; & virtus quæ priùs placebat, ſed non ſapiebat, ipſi affectui quaſi cordis palato, licèt ad aliud adhibito, ſua ſe ſuauitate ingerat, & infundat, ac ſi mirabili modo delectetur, & ſapiat. Quòd ſi talis fortè fuerit, in quo non ſit virtus quæ placeat, quantum quidem eius deſiderari poteſt correctio, affectus admittendus eſt; ſimplex autem affectus ille, qui quamuis certis quibuſdam cauſis moueatur, & moueat, hominem tamen ſine alterius reſpectu cauſa complectitur, per omnia temperandus. Ipſa ſanè obſequiorum, vel munerum redhibitio, vtrique ſecundùm rationem, non ſecundùm affectum impendatur. Sic & deſiderium quo eorum præſentia deſideratur, vel actus quo ipſa præſentia comparatur, rationem ſequantur, non affectum.*

Lib. 3. de ſpec. charit. c. 25.

Quæ præſertim amicitiæ particularis eliminandæ ſunt?

CAPVT XVIII.

IVNIORVM familiaritates maximè ablegandæ ſunt. S. Dorotheus ſic conſulit. *Adoleſcentulorum colloquia & amicitias fuge, vt amicitiam Diaboli. Vnicum habeto ſocium Deum, & qui Deum timet, & cum eo loquaris & conuerſeris, & is in domo Dei inops ſit & tenuis; in myſterijs autem diuinis diues & plenus.* Idem S. Dorotheus iterum nos admonet. *Superioribus Præfectis, & Ducibus ſubditus eſto, & nimiam illorum conſuetudinem deuita. Eſt enim laqueus quidam, qui deſides, & vecordes in perditionem, & interitum adducit.* quando nimirum neceſſaria non eſt, & modum excedit. Notanda ſunt Hellinaodi Monachi verba: *Quantum* enim *periculi ſexus affert in muliere, tantum ætas in puero.* Et poſtea. *Periculoſa enim eſt ætas pueri, periculoſiorque ſocietas, periculoſiſſima vero familiaritas; vnde legitur in vitis Patrum, non habendam eſſe familiaritatem cum fœmina & puero, vbi additur, velut hæretico.* B. Iſaias Abbas eam cautionem in hac parte requirebat, vt oratione tertia dixerit. *Si iunior es, ne audeas corpori alterius manum adhibere.* Memoranda quoque eſt regula S. Pachomij. *Si deprehenſus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ, tertiò commonebitur, vt recedat ab eorum neceſſitudine, & memor ſit honeſtatis, & timoris Dei. Si non ceſſauerit, corripietur, vt dignus eſt correptione ſeueriſſima.* Beatus Theodorus Studita in teſtamento ſuo ſic cauit. *Non diſcipulum ad cellam molliculum libidinosè parabis, ſed nec ſuſcepta perſona, & diuerſorum fratrum ſeruitij vtere.* Porrò, datio munerum, quibus ſimiles familiaritates contrahi ſolent, prorſus interdicenda, & damnanda eſt. Sic ſeuerè loquitur Antiochus Laurenſis. *Quiſquis captat munera, aut pluſquam par ſit quærit poſſidere, item pecuniæ auidus, & fœnerator. Quatuor hi vnum, eundemque trahunt currum. Sed eo præduce, qui ſuperbia auriga eſt, & princeps. At qui hic Domini imperio eſt; eos tamen hic impetus inquietat, qui ipſum ad animæ vſque depulſionem ſequuntur. Non igitur æquum fuerit, vt qui ſanæ ſunt mentis, tam cruenti hoſtis frenos patiantur. Ne illius aurigatione cum ſuo aurigâ in puteum abijciantur ſupplicij. Quin potiùs præſtare Apoſtolo rectâ condire ad vitam: Habentes,* inquit, *victum, & quibus tegamur his contenti ſimus. Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli. Dauid proinde precatus Dominum, vt huic eximeretur noxæ, dicebat: Ne ſimul perdas cum impijs animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus, impios exleges ſiue iniquos, atque viros ſanguinum, dum nominatim perſtringit, inſinuat captatores munerum.* Adeò noxia eſt hæc munuſculorum viciſſitudo, vt ſanguinariorum, & perditiſſimorum homicidiis comparari poſſit. Denique vt maxima pericula, puerilis, amicitiæ & omnes occaſiones vitentur, ſic ſeuerè ſanctus Baſilius aduersùs eos qui in hoc deliquerint, præſcripſit: *Monachus adoleſcentum, vel paruulorum inſectator, vel qui oſculo, vel qui aliqua occaſione turpi deprehenſus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decaluatuſque turpiter ſputamentis obliniatur in facie, vinculiſque arctatus ferreis carcerali ſex menſibus anguſtia maceretur, & triduo per hebdomadas ſingulas ex pane hordeaceo ad veſperam feriatur. Poſt hæc, alijs ſex menſibus ſub ſenioris ſpiritualis cuſtodia ſegregata in cellula degens operi manuum & orationi ſit intentus, vigilijs, & orationibus ſubiectus, & ſub cuſtodia ſemper duorum ſpiritualium fratrum ambulet, nulla praua locutione, vel conſilio deinceps iuuenibus coniungendus.* Ecce apud priſcos Patres quanto pœnarum pondere, vel vnius oſculi leuitas, digna fuerit viſa.

Doctr. 19.

Doctr. 29.

Apud. Vincent. Belu. 14. lib. 29. c. 144.

Hom. 9.

Apud S. Petrum Dam. in Gomorr. c. 15.

Quis ſit amicus Religioſus.

Capvt XIX.

Lib. de recognit prop. frag. c. 3.

Igitvr non omnis familiaritas eſt charitas; nec omnis affectio eſt amicitia, quæ cùm virtus eſt, non poteſt niſi in Domino eſſe, & cum ſancti inſtituti obſeruantia, nec ſine hac conditione vllus amicus admittendus eſt. Rectè dixit Venerabilis Thomas de Kempis: *Amicus tuus eſt, qui in Deo te amat, & propter Deum te tolerat. Verè ille amicus tibi eſt, qui ſalutem animæ tuæ diligit; non qui foris blanditur, & applaudit. Ille tibi dilectus eſt, qui pro malis tuis dolet, & orat: qui profectui tuo congaudet, & te corripit in charitate. Non eſt fidus amicus niſi in Deo, & qui ſua non quærit. Qui enim ſeipſum negligit, quid alteri perſuadere poterit? Cùm tua bene curaueris, facilè proximo perſuadebis. Si diligis fratris ſalutem, tuam operari non omittas. Si ordinatè procedis, à te ipſo inchoabis. Propriæ ſaluti nil anteferendum eſt, ne tibi obyciatur: Medice cura te ipſum. In te prædiſce, quid alteri dicas. Doce viuens verbum, te ipſum exemplum ponas, non alterum, te neglecto. Eſto bonus & fidelis, & inuenies amicum fidelem. Amor Dei, amicum fidelem conſtituit; ſine Deo nulla amicitia ſtabit. Sed vbi talis, qui in omnibus fideliter agit? O quàm pretioſus talis, qui amore Dei ſit plenus! Amor mundanus citò deficit, & in neceſſitate vacuum relinquit. Time Deum, & iungetur tibi amicus fidelis. Serua nomen bonum, & inuenies ſocium bonum. Et cùm inueneris, vtere ſapienter, & dilige ſicut te ipſum. Multi amici in proſperis, in aduerſitate vix vnus adhærebit. Non eris tamen deſolatus, ſi Deum habes ſemper præ oculis. Si Deo non places, non proderunt amici mortales. Si inueneris iuſtum ac Deum timentem, magis dilige quàm potentem. Suſtine verbum amici, & memento, quia homo eſt ſicut & tu, quoniam ſolus Deus eſt, qui non errat, & in quem peccatum non cadit. Quod non vis ſciri, dicito nulli. Arduum & rarum celare verbum. Sic refer ſecretum, vt non erubeſcas, cùm fuerit detectum. Qui neſcit tacere, non diu ſeruabit amicum. Quando multa audiſti, & perlegiſti, ſi hoc poſſes retinere, vt ſcires, quando deberes loqui, & quando tacere, bene dixiſſes. Det Deus hoc magnum bonum, quia verè egregium eſt donum, quod pauci habent; ſcire loqui, quando, & quomodo, & quibus oportet.*

Familiaritas ſæcularium poteſt obſtare vnioni religioſæ. Traditur, quo pacto cum illis ſit agendum, ex Antiocho Monacho.

Capvt XX.

Illvd quoque aduertendum, ex nimia interdum familiaritate cum ſæcularibus imminui charitatem cum fratribus noſtris: nam fuligine mundi facillimè inquinamur, atque contagio ſæcularium morum aſſueti religioſa ſimplicitate offendimur & offendimus, auertimurque animo, quibus corporum habitaculo coniuncti ſumus. Deinde cùm noſter affectus in externis occupetur, minus reſeruatur domeſticis, imò ipſi Deo. Idem B. Iſaias Abbas oratione ſexta conſulit: *Eorum qui in mundo gloria ſunt inſignes, amicitiam noli concupiſcere, ne Dei gloriam extinguas in corde tuo.* Quapropter modus adhibendus eſt familiariùs cum ſæcularibus agendi, ſalua noſtri inſtituti profeſſione iuuandi proximos. Etenim cùm aliquem ſpiritualem fructum ex noſtro alloquio expectant, negari non debemus; imò & propter hoc peccatores quæri debent à nobis. Alia autem ex cauſa vitandæ ſunt importunæ ipſorum familiaritates. Rectè quidem venerandus Antiochus in Pandectis ſacræ Scripturæ, quas miſit ad Euſtachium, conſulit, tanquam valde vtile, intempeſtiuam hominum conſuetudinem defugere, & de eorum via decedere, atque auerſari illos qui nihil tam reſipiunt, quàm quæ ſunt mundi; modò nulla intercedat ingens neceſſitas. Longè enim alius vrget affectus eos, qui mundo huic vale dixere ſupremum; & alius eos, quos totos mundi amor ſibi deuinxit. Quemadmodum enim bos ſi accinat bubalo, ſi onagro veterinum quodpiam adhinniat, nulla editur vox niſi obſtrepera ac diſſona: ſic, ſi familiariùs cum hominibus mundi, Monachi congrediuntur, Monachus ſui ipſius poteſtatem non habet; illius enim ſe addixit ac mancipauit ſeruituti, cuius accenſus eſt militiæ, & adſcriptitius; ceruicem enim illius ſubſtrauit iugo, qui ipſum delegit. Etenim qui tranquillæ quietis expetit amœnitatem, quiſquis cupit Deo colloqui familiariùs, debet is, in genere omnem omnium prorſus familiarem congreſſum à ſe præcidere. Et hic planæ inſtituendæ vitæ modus in ſolos cadit perfectos, qui ſe ipſos mundo quidem mortificarunt, Deo autem cohæſerunt glutino charitatis. Si qua interim ingruerit neceſſitas ſic perfecto; ſpirituales Patres, vt compellet, aut ſecum parili concertantes agone, aut certè ex fratribus nonnullos quibus vſui eſſe poſſit, debet vtique cum eis congredi familiariter, ac ſi de Deo diuiniſque rebus texat ſermonem. Prorſus talis, emolumenti plurimum, aut adferet cæteris, aut certè ſecum referet; ſiquidem Scriptura ait, *Virum ſi inueniſti prudentem, manè euigila ad illum. Et ſi quis fuerit ſapiens, huic adiungere; qui enim conuiuit ſapientibus, ſapiens erit.* At nobis nihil minus conducit, quàm vt cum mundi iſtius hominibus familiariter congrediamur. De nulla enim re alia iſti texunt ſermones, quàm de mundi negotiis; quorum relatu mens Monachi deinceps remollitur laxiùs, & flacceſſit; ab operatione interim ſpirituali deſidet ceſſator, eneruis iam reſoluitur ad tuendum monaſticæ exercitationis vigorem, denique & tenor ipſe ſumendi cibi permutatur: demonſtratione ſiquidem fructuum, quiſque ſuæ exhibet ſpecimen agricolationis. Ob hoc dixerim, quòd eorum vita, qui cœlibes, atque expertes thori maritalis degunt, nihil habeat cum mundi hominibus commune, diſſentanea prorſus cùm ſit. Ne quid igitur detrimenti aut noxæ adeat anima tua, neceſſe ſit, vt exproptè & alacriter omnem abs te præcidas ſæcularium conſuetudinem: etiamſi, vt primùm te dederis ſeceſſui ab illis ſeiunctus, nonnihil mens diſcrutiatur, quòd eatenus

Orat. 102.

ab

ab obſeruatione regulæ deſederis,genuſque vitæ cogeris permutare. In hoc Agoniſtæ illi ſpiritualis palæſtræ,magno ſtodio expetebant deſerta, vt à ſæculi hominibus diſparati, nullo negotio cum Deo congrederentur familiariùs. Quemadmodum enim virgo interim dum cuſtoditur, multis qui externi ſunt,in deſiderio eſt; mox vt prodiit in publicum, iam non æquè omnibus ſe probat illius decor, ſed in illa quiddam deprehenditur quod detur vitio, & notam eidem inurat: ita & Monachus tantiſper extorris dum viuit à ciuitate, & publico alienus, magno in honore habetur apud Deum & Angelos, quin & hominum ore celebratur. At ſi quando è ſublimi cardine delabetur ſuæ conuerſationis & contemplationis,ſeque vitæ ſæcularis negotiis implicuerit;non iam probatur Deo,ſed & hominibus in contemptum venit. Multo igitur præſtiterit, vt te quàm longiſſimæ ſubducas à mundi hominibus,inque cellula quapiam dedas te cuſtodiæ, ac ſaluteris: ceu caprea vitatis laqueis aſſolet, & quaſi auis è tericulo aucupis. Laquei enim & pedicæ ſunt aſpirantibus ad ſalutem, ſæcularium congreſſus; ac prolixæ eorum confabulationes mentem prorſus auocant à Dei glorificatione,& ſpirituali lætitia. Eò etiamnum ipſam adigunt neceſſitatis, vt aliud nihil contempletur, quàm illorum vaniloquia, iuxta Parœmiaſtem: decepit autem eum multo ſermone, verbis autem labiorum impegit eum. Quòd ſi propiùs nos adeunt, de animæ ſalutari vtilitate conſulturi, cum iſtis liceat texere ſermonem cum verborum compendio,quæ alioqui condita ſint ſale,& illinc hos actutum propiamus. Plus enim hac noſtra breuiloquentia ædificabuntur, quàm ſi longiſſimam orationem prorogemus de rebus mundi. Quòd ſi quiſpiam obiiciat: Quid vtique Paulus ad noctem vſque intempeſtam legitur protendiſſe ſermonem? Primum huic reſponderim, quòd ab eis eſſet mox ſoluturus, deinde, quia recens erant edocti prima fidei rudimenta. Tunc enim primum iaci cœperant fundamenta fidei per prædicationem ſerendæ. Ad hæc Paulus Spiritu ſancto erat plenus; nam & per eum ipſe ſpiritus loquebatur. Argumentum euidens, quòd quis Spiritum ſanctum habeat; primum quidem ſi manſuetus eſt, ſi requietus, & de ſe quàm modeſtiſſimè ſentiat; ſi ſibi temperat ab omni vana cupiditate ſæculi huius, ſeque ipſum cæteris hominibus multò æſtimet inferiorem. Sed neque is qui afflatus eſt Spiritu ſancto,quando vult loqui, loquitur ſpiritus: ſed tunc loquitur, ſi quando ſciuerit illum loqui Deus. Quum igitur nonnulli nos adierint vtilitatis captandæ gratiæ, ſi iſti fidem habeant diuini huius Spiritus;in primis ad Deū pro omnibus fundatur interpellatrix oratio: nam tunc Spiritus ille diuinus adimplet hominem,qui gratia impletus, loquitur iam iuxta Domini voluntatem. Vult autem ipſe, omnem hominem ſaluum fieri. Sanè vt bonum ſit auxilio eſſe verbis tuis ei qui te quiddam rogat,ſed præſtiterit ei,vt cooperere per virtutem & orationem. Qui igitur volet numeroſam aſſequi virtutum copiam, neceſſe ſit,defugiat inanis gloriæ cupiditatem, non eùm aliquam multis confligetur ceu dictum iam eſt; ne continenti vſu conſueſcat pergere aliis obuius; nullis conuicietur, quamlibet digni ſint quibus teraſietur,qui inceſſunt priores. Non ita cum multis ſermocinetur, etiamſi videri poſſint, bona eſſe quæ dicere inſtituit, omnia. Immoderata enim & effrenis verborum prolatio qua periclitatur mentis tranquillitas, non ſolùm circa operationem ſpiritualem lenteſcere facit eam, ac deſidere, ſed & moleſtiſſimo Dæmoni acediæ mancipat illam ac dedit. Sanè quemadmodum exæſtuantis balnei fores, continenter apertæ ſi ſunt, intimum illorum ocyùs efflant,& expellunt in ea quæ ſunt extrinſecus; ita & anima ſi quando multa ſermocinari volet, tametſi nihil non dicat decorum & honeſtum, memoriam tamen ſui ipſius perdit per vocalis portæ organum. Silentium igitur per omnia bonum ac frugi eſt. Regales quidem theſauri implebuntur auro, & ſenſus eorum, qui non fucatè ſunt Monachi,ſaturabuntur ſcientiæ opulentia. Si qua interim docendi ingruerit neceſſitas, ad animæ correctionem doceto. In hac tamen docendi ratione,volumus adeſſe doctrinæ legitimam incorruptionem, grauitatem, verbum ſanum & irreprehenſibile,vt per nos glorificetur Deus in omnibus. Arma enim noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, vt anima nullis agitata intemperiis ac miti corde; noſtra oratio ſicut incenſum ſuaue fragrans, acceptabilis ei fiat, qui corda ſerutatur,& renes,nempe Deo. Sed & Dominus ſuis Diſcipulis dixit; *Vos non eſtis de mundo hoc, ſed ego elegi vos de mundo; non iam multa loquar vobiſcum.*

Pronuntiata Guigonis Carthuſiani pro charitate fratrum gratuita.

Capvt XXI.

Opportvne hîc interiiciam aliquot ex Guigone Carthuſiano conſiderationes,quæ monſtrent puritatem fraternæ charitatis; præſtat quidem diligere,quàm diligi: nam qui omnes diliget, ſaluabitur ſine dubio; qui verò ab hominibus diligitur,non ideo ſaluus erit. Sicut odium tui omnibus eſt impedimentum ad vitam; ita omnium tibi. Expedit ergo tibi, omnes diligere: illis quoque prodeſt, diligere te. Optanda eſt dilectio gratis, id propter ſuam dulcedinem propriam,tanquam nectar ſuauiſſimum;etiamſi omnes inſaniant,non vendenda vlla mercede. Nobis enim vtilis eſt, noſque beat, quidquid alij faciant. Si amas quia amaris, vel vt ameris; non tam amas quàm redamas, amorem pro amore rependens: cambitor es, recepiſti mercedem tuam. Ad eum qui iniuriam tibi fecit,affabilem magis & priuatum te exhibe: ad eum cui tu feciſti, ſupplicem, & erubeſcentem. Sicut quidquid boni ab hominibus ſit tibi, Dei munera æſtimas, & ei totam gratiam referendam credis: ita quidquid tu boni hominibus exhibes, eius beneficia non tua deputa. Cùm amas aliquem vt amicum, optas autem ei diuitias tanquam bonum, excellentius eas amas quàm ipſum. Eum enim vt egentem,has autem vt ſufficientiam amas, paratior nimirum iſto carere,quàm illis. Qui in iniquitate ſua occidit iniquum, & quòd odio habet iniquitatem, & vult eam delere, fallitur. Mortuo enim iniquo in ſua

Cap.17. mundit.

iniquitate, æterna eſt iniquitas. Qui ergo odit iniquitatem, det operam, vt corrigatur iniquus, & ſic peribit iniquitas eius. Deus charitas eſt. Qui ergo charitatem exbibet alicui, niſi propter ipſam, Deum vendit, beatitudinem ſuam vendit, non enim bene illi eſt, niſi amando. Si charitas & eius inſignia, id eſt, alacritas, & cætera, ita tibi placent in alio, cur non in animo tuo multo dulcior eſt? Qui dat alicui aliquid, vel quia dedit, vel quia daturus eſt aliquid, non habet à Deo gratiam: ſic tu de pace & dilectione. Si amas tantùm, ſi ipſo amore cogeris, obiurga, verbera: ſi aliter facis, te ipſum condemnas. Omnia eo animo quo tibi à Deo vis fieri, facito aliis. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Tu autem nec Deum, nec proximum niſi propter temporalia beneficia diligis. Per temporalia ergo diffunditur in te, non per Spiritum ſanctum, non eſt charitas, quæ ita diffunditur, ſed cupiditas. Ecce nullum aliud eſt officium tuum, quàm erat antequam Prior fieres. Votis enim ac precibus, & affectibus agebas, quod nunc factis agere incepiſti, id eſt, prodeſſe hominibus. Non autem debent opera affectus ipſos minuere, ſed incitatione augere in quacumque re caſtitatem erga Deum, in eadem poteris etiam erga proximum tuum iuſtitiam cuſtodire, quod fit non concupiſcendo. Difficilè credunt homines ex charitate

cap. 8.

fieri, quod ſibi moleſtum eſt. Porrò quandiu amor huius mundi, tamdiu inimicitiæ inter Deum & homines ſunt. Cùm ergo ab eis te vis diligi, vt inimici Deo fiant, vis. Prædicas autem, vt quidquid eſt creatum, contemnatur, quatenus Deo reconcilientur. Nunquid ergo te ſolum excepturus es, dicturuſque hominibus, omnia contemnite propter Deum præter me, vt ſcilicet nil ſit aliud quod impediat reconciliari homines Deo, niſi tu, atque ita propter te ſolùm inimicitiæ inter Deum & homines perſeuerent, ſitque nemo ſaluus, dum diligendo te, totum mundum diligere cogitur tanquam ſibi neceſſarium? Aliud eſt autem diligere homines in mundo, vel propter mundum, aliud in Deo, vel propter Deum, aliud cupidè, vel miſericorditer.

Coadiutores fratres quomodo communitatis concordiam iuuare poſſunt in ſuorum munerum adminiſtratione.

Capvt XXII.

Cæterum ij qui res in Conuentu vſibus fratrum neceſſarias diſpenſant, obſtare maximè vnitati, communique concordiæ poſſunt, accipientes pro affectu perſonas, non pro gloria Dei, & ſecundùm voluntatem diuinam adminiſtrantes ſua officia. quod optimè Magnus

Regul. fuſ. interrog. 34.

Baſilius obſeruauit, & docuit, quomodo fratres coadiutores in ſuis adminiſtrationibus geri debeant, poſſunt illos imitari, de quibus eſt in actis, ſolitos eos fuiſſe ſingulis diſtribuere prout vnicuique opus erat. Diligenterque illud circunſpiciant, vt faciles ſe ad omnes, & clementes præbeant, neque ſuſpicionem aliqui aliquam commoueant maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationiſve animi propenſioris, quemadmodum Apoſtolus præcipit, ſic dicens. *Nihil faciens in alteram partem declinando*; aut contrà ſimultatis, contentioniſque (quod vitium tanquam ab hominibus Chriſtianis alienum, idem Apoſtolus reiicit, cùm dicit. *Si quis videtur inter vos contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*; vt ob eam cauſam, & iis, quibus infenſiores ſint, neceſſarias res ſubtrahant, & illis, in quos animi inclinatione propendeant, amplius quàm quantum ſit opus, largiantur: quorum alterum fraterni eſt odij, alterum amoris vitioſi, quod eſt vitium maximè infame. Quibus ex rebus illud nobis vſu venit, vt mutua & concors conſpiratio, quæ ex charitate naſci conſueuit, ea diſtrahatur, & in eius locum ſuſpiciones prauæ, æmulationeſque, atque obtrectationes clam arrepunt, & ad labores in operibus adminiſtrandis ſubeundos lenteſcentis animi cunctatio. Quamobrem cùm ob ea quæ dicta ſunt, tum ob alia etiam eiuſcemodi multa, quæ illa comitantur, ab hac praua animi propenſione, ac fauore, ſtudioque contentionis neceſſe ſit, ſe vt liberrimos, atque expurgatos reddant, qui res intus ad fratrum vſus neceſſaria diſtribuunt.

Et ſanè cùm ij, tum reliqui omnes, qui aliud quoduis vtile, ac neceſſarium fratribus munus adminiſtrant, eiuſmodi & animum adhibere, & ſtudium debent, proinde quaſi non hominibus, ſed Domino ipſi miniſtrent, qui pro incredibili ſua bonitate delata iis qui ſe ipſi conſecrarunt, honorem, ac ſtudium, perinde habet, quaſi ea ipſe accepiſſet, & pro his cœleſtis ſe regni hæreditatem daturum promittit. *Venite* enim (inquit) *benedicti Patris mei, hæredes eſtote parati vobis regni à conſtitutione mundi, quia quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Similiterque ex contrario, imminens iis qui negligentes fuerint, periculum intelligere, ac memoria verba illa tenere, *Maledictus omnis, qui facit opus Domini negligenter*; neque enim à Regno excluduntur modò, ſed horroris etiam ac terroris pleniſſimam Domini aduerſùs iſtiuſmodi homines latam ſententiam illam expectant. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum paratum Diabolo, & Angelis eius.* Quòd ſi qui curam, & adminiſtrationem adhibent, ij ſtudij ſui fructum adeò magnum adipiſcuntur, & contra negligentiæ horribile adeò iudicium expectant, quanta tandem animi contentione eniti debent ij, qui huiuſcemodi munus ſuſcipiunt, vt dignos ſe præbeant, qui fratres Domini appellentur? Id quod voce eiuſdem Domini doctrice aſtruitur, dicentis. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in cœlis, hic frater meus, & ſoror, & mater eſt*; quando quicumque non totius vitæ ſuæ actiones ita inſtituit, vt eas ad Domini voluntatem referat, vt videlicet, & cum integra ſit valetudine, tenendæ cauſa charitatis, ſtudioſè ſe in laboribus, & faciendis operibus exerceat; & cùm aduerſa laboret, ſummam tolerantiam, & cum gaudio patientiam adhibeat, hic primo in eo periculo, eoque maximo verſatur, quòd alienatus eſt à Domino, & dum voluntati eius non obtemperat, ſeipſum auulſerit à fratrum ſuorum conſortio. Deinde in illo etiam, quod ea indignè audet communicare, quæ parata idoneis ſunt. Quocirca neceſſariò in hoc quoque

illorum

Digitized by Google

illorum meminiſſe nos conuenit, quæ dicta ſunt ab Apoſtolo, his verbis, *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et operam vt deris, ne qui vocati in locum fratrum Domini ſumus, eiuſmodi Dei donum in contumelia habeamus; neve magnam adeò dignitatem, dum omnimodam eius voluntatem cunctamur explere, prodamus. Sed potiùs eidem Apoſtolo pareamus, dicenti. *Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.*

2. Cor. 6.

Ad vnionem fraternam non tam diligi, quàm diligere, curandum eſt.

Capvt XXIII.

SCire etiam oportet vnionem fraternam violari poſſe nimio placendi hominibus ſtudio, & potiùs comparari, ſi non cures amari, ſed amare, tacere, ſuſtinere: nam præterquam, quòd is qui diligi nimis deſiderat, quærit quæ ſua ſunt contra charitatis legem; detrimentum erit noſtri profectus, ſi nimis affectemus amari. Nam, vt inquit S. Bonauentura, *Diſtractio cordis eſt, & à quo quæris diligi, illi etiam affectas placere, & tibi admiſcet ſe adulatio, & ſæpe ſimulatio, ne fortè diſplicere incipias, & minus diligi. Turbaris etiam, quando ſuſpicaris te minus diligi, vt deſideraueras, vel ſperaueras. Pauci etiam ſunt in ſenſu, & affectionibus, & moribus ita conformes, vt non ſit diſſenſionis materia aliquando inter eos, quæ eſt dilectionis aduerſatrix. Committe te Deo, & ab illo ſtude, dilige fideliter, & de aliorum certam dilectionem relinque illorum arbitrio, & diuinæ voluntati. Dilectio hominum fallax eſt, & inſtabilis, facilè cedit, facilè læditur; ad modicum vtilis, & ſæpe nociua. Si dignus fueris diligeris, ſin autem, iuſtum eſt non diligi indignum, nec ei vllam reuerentiam exhiberi.* Studendum potiùs iuxta eundem ſanctum Doctorem humano iudicio non moueri, nec delectari fauoribus, nec deſpectu cõtriſtari, quia iudicium humanum cæcum eſt frequentiùs, & ignorat veritatem & fallitur ſæpiſſimè, nec ſi laudaris ab homine es ideo laudabilior, nec ſi deſpiceris, es ideo vilior. Stultus eſt, qui ſtulto placere laborat. Quia ſicut cæcus non diſcernit inter colores, nec ſurdus inter ſonos; ita inſipiens homo, neſcit penſare meritorum dignitates: vnde cùm aliquid agere te contingit extimabile, vt prædicare, vel ſimile, non anxieris quoad placitum hominum hoc facias, ſed inuocato auxilio Dei, prout melius expedire ſecundùm Deum intelligis, ſtude facere. Et ſi bene ſucceſſerit, Dei adiutorio refer gratias, & noli extolli, quia non propter te, ſed magis propter aliorum orationes & merita gratiam tibi datam debes extimare. Si autem minus bene ſucceſſerit, noli turbari, nec pudore confundi, ſed gratias Deo refer, qui ſic te ab elatione defendit. Siue autem bene, ſiue minus bene ſucceſſerit, ſtatim habe te interiùs, & exteriùs, ac ſi non feceris. Laudet qui vult, vel deſpiciat, quid ad te? Tu tace excuſationes, & recuſationes caue, quoniam debes aliqua huiuſmodi facere. Ad hoc ſæpiſſimè fiunt, vt deſpiciamur, & præſumptuoſi videamur, qui talia audeamus. Vnde videtur meliùs, putiùs, & humiliùs eſſe ſimpliciter, facere quod eſt faciendum, vel obedientia iubente, vel charitate inſtigante. Si placet eis, bene, ſi non, quid eſt tuoe perditum? Nam cùm oportet te prædicare, vel ſimile facere, quod aliquid honoris videatur habere, ſi benefeceris, lucrum habes de laboris tui profectu, ſi minus bene, iterum lucraris meritum humiliationis tuæ, & poſt hoc minus ad huiuſmodi cogeris ab illis quibus non placuiſti. Omnes ſumus alterutrum expoſiti, vt alter alteri placeat, vel diſpliceat, vt cùm in mea non ſit poteſtate, vt tibi placeam, ſed in tuo arbitrio, vel affectu, quæ tibi dare non valeo, ſi multum tibi placere laboro, forſitan nihil proficiam, quia aliter conſilium tuum dirigitur; & ideo nihil in hac parte melius video, quàm quòd ſoli Deo ſtudeat homo placere, & proximum non ſcandalizare, vel ſcienter offendere, & committere Deo, ſi hominibus placet, vel diſpliceat humiliter, & patienter. Imitare illud, *mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer.* Quibus places, aſcribe eorum beneuolentiæ, non tuæ probitati: quibus autem diſplices, attribue tuo merito, & cogita quòd ſi ex tantillo eis diſplices, ſicut exteriùs cognoſcere valent tuam vilitatem, quid fieret ſi radicitus perſpicerent omnia vitia tua, & peccata, & inhoneſta quæcumque? Mirum ſi non eiicerent, vel lapidarent te, pro me loquor. Nunquam enim à fidelibus tantum deſpectus ſum, ſicut ſum deſpicabilis in veritate. Vnde non debeo indignari, cùm aliquando deſpicior, ſed mirari, & reputare de beneficio Dei, quòd non omnibus ſum odioſus.

In form. Nouis c. 14.

cap. 10.

Exemplum vnionis, & charitatis fraternæ etiam in defuncto, ex regula Eremitarum fontis Auellani.

Capvt XXIV.

NVnc aliquam formam vnitatis religioſæ, cuius charitas non intra viuos ſtringenda eſt, ſed ad mortuos etiam protrahenda, proponemus ex regula Eremitarum fontis Auellani, quam deſcripſit ſanctus Petrus Damianus, vt ad eorum imitationem, & præſcriptum viuerent omnes, qui ſimilem vitam in eo loco inſtituturi erant. *Illud*, inquit, *cuncta videtur excellere; illud omnibus ſanctè viuentium virtutibus, dignè viuentibus cenſetur eminere, quòd tanta eſt inter fratres charitas, tanta vnitas voluntatum, vicarij amoris igne conflata, vt vnuſquiſque non ſibi, ſed omnibus natum credat: quod alienum eſt, ipſe poſſideat, & quod ſuum eſt, in omnes extenſo amore transfundat. Hoc mihi non mediocriter placet (Fratres mei) quia ſi quis inter vos debilior apparuerit, mox omnes certatim quid patiatur inquiritis, vt de ſolito rigore remittere non moretur, inſtatis; & non ſolùm neceſſaria qualibet ſuggerere, ſed etiam vos metipſos ad eius cuſtodiam vltroneos gaudetis offerre. Illud etiam ſilentio præteriri dignum eſſe non ducimus, quia cùm Frater quidam ex noſtris obierit, vnuſquiſque pro eo ſeptem dies ieiunat, ſeptem diſciplinas cum millenis ſcoparum ictibus accipit, ſeptingentas Metanœias facit; tri-*

ginta

Digitized by Google

ginta inſuper Pſalteria, & viginti octo Miſſas Preſbyter quiſque ex more decantat; continuis quoque triginta pro eo diebus, Miſſarum ſolemnia ſpecialiter celebrantur. Hac ergo huius loci regula, nulla voti varietate poſtponitur, hec conſuetudo circa defunctos diſtricta prorſus, & inuiolabili ſemper obſeruatione tenetur. Si quis autem fortaſſe Nouitius, vel quolibet modo morte præuentus iniunctam pœnitentiam conſummare non potuerit; mox vt ad Fratrum notitiam res patefacta peruenerit, cum magno feruore, tota pœnitentia (pari facta inter eos diuiſione) ſuſcipitur, & quantalibet ſit, breui ſpatio per diuerſos afflictionum modos ouanter expletur. Fœlices nimirum diuitiæ charitatis, quæ gratis ſe non modò viuentibus ingerunt, ſed & mortuos proſequuntur! Fœlices (inquam) quæ illic nobis ex aliena bona voluntatis vbertate ſuccurrunt, vbi propria operis ſupplementa deficiunt: & cùm iam diſtrictè à nobis non habentibus, quidquid debemus exigatur, ex fraterna charitatis abundantia, debiti noſtri libra completur.

Erga aduenas quoque & hoſpites ex noſtris ſingularis eſt fraterna charitas exhibenda, iuxta

Hebr. 13.

conſilium Apoſtoli. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci*; per hanc enim latuerunt quidam Angelis hoſpitio

Tit. 3.

acceptis. Et Titum Diſcipulum monet: *Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicitè præmitte, vt nihil illis deſit.* Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios, vt non ſint infru-

Orat. 97.

ctuoſi: *Hoſpitalitas* enim, ait Antiochus, *ſpecioſa admodum virtus eſt, ac Deo perquam gratioſa; maximè ſi conferatur in domeſticos fidei. Huiuſce virtutis merito, Abraham amicus Dei vocatus eſt. Loth quoque per hanc, ignis cælitus demiſſi vindicem fugit iram. Raab meretrix, per hoſpitalitatem, cum vniuerſa dome ſeruata eſt incolumis.* Sed & hæc virtus, Sanctorum omnium celebrata eſt præconiis. Primus, Parœmiaſtes dicit: *Benedictio Domini ſuper caput iuſti, eadem ditat, & nunquam addetur ei triſtitia in corde.* Iob inſuper peregrinorum amator, præter cæteras virtutes, benignam hoſpitum acceptionem deprædicat. *Eram* (ait) *Pater imbecillium; ſeruaui enim pauperem de manu potentum.* Iterum, *Benedictio pereuntis ſuper me veniat, os autem viduæ mihi benedixit; oculus eram cæcorum, pes autem claudorum; ianua mea aperta fuit omni afflicto.*

Exhortatio ad vnionem, ex P. Claudio Aquauiua.

Capvt XXV.

Coronidem huic tractationi imponat ferens ad vnitatem exhortatio eximij viri Claudij Aquæuiuæ, quinti noſtræ Societatis Generalis, vbi noſtram de charitate fraterna regu-

In epiſt. de perfect. & charit. frat.

lam illuſtrat, & commendat. *Ita*, inquit, *nobis mutua inter nos charitas cura ſit, expurgatis penitus, abiectiſque ex animo velut peſtibus, parum beneuolis Nationum inter ſe ſtudijs, alijſque id genus; perinde, atque hac vna re contineatur (nam verè continetur) Societatis incolumitas omnis, ac proſpera res: ſtudeamuſque optimam parentem noſtram reſtituere in antiquum (ſi qua ex parte is veteraſceret) nitorem, ac iucundiſſimam beneuolentiam, quæ naſcentis ſocietatis membra vinciebat. Nam ſi ſociorum multitudine aucti ſumus; charitatis tamen amplitudo, nec hominum numero, nec locorum diſtinguitur interuallis.* Quin etiam legere memini apud D. Macharium, ſancti Spiritus charitate in eam interdum hilaritatem, atque amoris vim excitari, inflammarique pectus humanum, vt omnes homines nullo proborum, improborumve diſcrimine, intimis, ſi fieri poſſet, præcordiis ſuis condere vellet, & collocare. Quanto magis hoc tanquam penſum iis reddendum eſt, quibus cum fraterna nobis neceſſitudo multis nominibus intercedat? quæ non qualem qualem à nobis amorem, ſed eximium quemdam repoſcit, ac vegetum, vt S. Baſilius tradit: qui cùm quæreret, quânam inter nos beneuolentia copulati nos oporteat? ea reſpondet, quam Chriſtus Dominus declarauit iis verbis, *Diligite inuicem, ſicut dilexi vos: maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt ponat animam ſuam quis pro amicis ſuis.* Quòd ſi ponenda anima eſt, quomodo non multo magis in iis, quæ minoris pretij ſunt, neceſſariò adhibenda eſt animi promptitudo, non ea re, vt humanis officiis faciamus ſatis, ſed eo conſilio, vt Deo placeamus, & vtilitati cuiuſque conſulamus? id quod haud moleſtum, ac difficile nobis erit, ſi re ipſa præſtemus, quod amantiſſimus P. N. ſanctus Ignatius, tertia parte conſtitutionum (id quod etiam in decimamſeptimam ſummarij regulam tranſcriptum fuit) commendat. *Crebrò*, inquit, *admoneantur, vt in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum, vt affectum vniuerſum in ipſarum creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo iuxta ſanctiſſimam, ac diuinam ipſius voluntatem. Quæ cùm ita ſint, non obſcurè intelligitur, quantum à recta via aberrent, qui priuata quadam communione, vel generis, & conſanguinitatis, vel conſimilis naturæ, ac morum, vel gentis, aut patriæ abduci ſe ſinunt in eo nexu, atque animorum coniunctione, quæ inter nos eſſe debet.* Et poſt pauca addit: Valde namque formidandum eſt, ne ſicut olim paucorum culpa, (vt loquitur D. Hieronymus, quanquam in re diſſimili,) ingemiſcens orbis terrarum Arrianum ſe eſſe miratus eſt: ita vitio eorum, qui in ſedandis animi motibus non multum operæ poſuerunt, quique, vt ait S. P. N. Ignatius, nec ordinem, nec vnionem ferre poſſunt, cum lachrymis aliquando miretur Societas, non eam ſe eſſe quæ fuerat, ſed tanquam effœto iam corpore defloruiſſe. Cùm enim ab ortus ſui primordio nulla habita diſſimilium nationum ratione ex mutua animorum coniunctione & coagmentata ſit, & adoleuerit; ſi aliò paululum deflecteret, Ægyptum non egreſſa ſanè, ſed ingreſſa, linguam, quam non nouerat, audiret. Huic tam pernicioſo, tamque peſtilenti morbo opportunè medetur, ſi caſtè, integréque ſeruetur memorata conſtitutio; vt quanti ſit ea momenti, facilè appareat, cùm poſſit, ſi eius vſus exoleſcat, tam grauis nobis labes, & calamitas impendere. Itaque moneremur in omnibus amandum eſſe Deum, & omnes in Deo. Id quod ſi vigeat, & nationum, & perſonarum ruet omne diſcrimen, ac delectus. Nam ſi Deus in iis, quos diligimus, diligendus eſt; iis vbicumque fuerit, eò ſe noſter amor ten-

Reg. breu. interr. 162.

dat,

dat, ac porrigat oportet: & quidem vehementius in eos, apud quos luculentiùs diligendi ratio, qui Deus eſt, elucet, atque eminet. Itaque piè diligentis animus, ſiue Dei donis, quibus enireſcunt alij, delectetur; ſiue alios iis, quibus carent, ornamentis cupiat honeſtari; in vtriſque ſanè Dei, eorumque, quæ Dei ſunt, & amans, & appetens eſt. Eam ob rem neque ex alienis virtutibus cæteriſque rerum bene gerendarum facultatibus (in iis enim Deum purior animus intuetur inuidendi, obtrectandivè, ſed agendi gratias potius Deique munificentiá collaudandi cauſam nactum ſe eſſe putat: neque illi ea, quæ peccantur ab aliis, indignationem, ac ſtomachum mouent, ſed beneuolentiſſimam potiùs commiſerationem, & vehemens ſtudium, vt ad virtutum decora, quæ in eo deſiderantur, patanda proximus conualeſcat. Atque in boc poſita eſt omnis laus adamantis, & quærentis Deum in fratribus, vt eum agnoſcat, & complectatur, vbicumque ſit: percupiat viciſſim, vt vberiore manu ſuas ille opes impertiat, & tanquam præſentem ſe præſtet, ſicubi minus adeſſe videatur. Hanc amandi viam ſi inſiſtamus, erit improbis etiam, quòd amemus nempe naturam, & conditionis imaginem optantes, vt Dei ſimilitudo rurſus in eis eluceſcat. Eorum autem qui Dei amicitia, gratiáque dignantur, hoc ſingulare, ac cæleſte ornamentum feremus in oculis; anebimus etiam, vt iidem tam pretioſarum mercium pleniore copia cumulentur. Sicut autem diuinæ gratiæ communio tam latè patet, vt in ea nihil inter barbaros, Scythas, cæteraſque gentes interſit; ita ſi quis cogitationem defigat in Deo, in nullo hominum prorſus deſiderabit, ac requiret, quod diligat, cùm ex Deo, qui præſtò eſt omnibus, dimanet ad vniuerſos ſatis magna cauſa, & quaſi communis fons amoris; non ſecus atque ad conſpiciendos colores quoſuis communis aliqua ratio ſuppetit, ſiue lux ea ſit, ſiue color. Ad hæc ſentiendi, apperẽdique vim (vt à Philoſophis proditum eſt) ea re, in quam percipiendam intenditur, oportet eſſe vacuam, vt multas ad res aduerti, adhiberique poſſit; alioquin ad aliud nibil pateret, quàm ad id, quod in ea fixum eſſet, atque inditum. Sicut oculorum ſenſus, ſi colorum vno aliquo eſſet infectus, ad reliquos caligaret; nam ſi viridi imbueretur, vireſcere putaret omnia; rubeſcere, ſi coccineo; atque in eundem planè modum de aliis, quorum ſi quempiam natura ſibi inſitum nactus eſſet, non poſſet cæteris oblectari. Non aliter ſanè niſi voluntas noſtra priuatos amores, ac propenſiones deponat, atque exuat, beneuolentiæ ſuæ vim in res vniuerſas propter Deum, ex quo omnia, per quem omnia, & in eo omnia ſunt, deriuare non poreſt. Sed ſi ad patriam gentemque ſuam animus adhæreſcat, eorum modo colet amicitias, quibus cum patriæ & gentis communione copulatur. Idem eueniet, ſi neceſſariorum ſuorum conſanguinitate delinitus carni tantùm, & ſanguini deſeruiat. par de reliquis iudicium. Quòd ſi infœliciter agi putaremus cum oculis, quorum videndi vis ſuper colorem vnum videat nihil, quid de voluntate, ſi in amando ſimiliter affecta ſit, ſentiendum? Certè neque corporis oculi, quos cum muſcis, & culicibus communes habemus, ad quærendum, videndumvè Deum vſui poſſunt eſſe, neque vlla oculorum, ſicut voluntatis, virtute boni nominamur, & ſumus. Itaque ſumma ope nitendum eſt, vt denudetur voluntas, & ab omnibus vindicetur affectibus, quo liberiùs eam curam, & cogitationem induat, quæ Deo ſoli quærendo, amandoque dicata eſt. Hæc enim amor & defæcatur liquidum, & omnes ampliatur in partes. Huc pertinet celſitudo illa animi, & ampliſſima charitas Apoſtoli Pauli, cuius D. Chryſoſtomus non modò egregium laudatorem, ac præconem, ſed præſentem quodámodo ſe præbuit ſpectatorem. *Hom. de Profect. Euang.* Digna planè res, quæ nobis afferat admirationem, & pudorem incutiat. Ea verò mirificè licèt in tot vigiliis, ærumnis, periculiſque aditis animarum cauſa, quas Chriſto parere ſtudebat, eluxerit; priuatim tamen, ac præter modum (vt idem S. Doctor obſeruauit) vim ſuam exprompſit in amorem, ſedulamque curam, qua complexus eſt Oneſimum. Seruus is erat, & quidem profugus ab herili domo, quam & furto vexauerat; eum tamen Apoſtolus, quamuis omnium Eccleſiarum preſſus ſolicitudine, vnicè dilexit. Nam illi & veniá deprecatur à Philemone, & tam inuſitatum haber honorem, vt eum & filium ſuum in vinculis, & viſcera ſua, & alterum ſe nominare non dubitet. Hæc ei præſtabat Apoſtolus, quia, vt ait Chryſoſtomus, non hoc conſiderabat, quòd vnus eſſet, qui peccauerat, & præſidio egeret, ſed quòd homo eſſet. Homo digniſſimum Dei animal, & propter quem, nec vnigenito ſuo Pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quòd ſit fugitiuus quiſpiam, vel latro, vel fur, vel facinoroſus, vel quòd ſit pauper, abiectus, vilis, & nullius frugis: ſed cogites, quòd pro ipſo mortuus eſt Chriſtus, ſufficiatque tibi, vtpote idonea ſolicitudinis cauſa. Cogita quantum illum eſſe neceſſarium ſit, quem tantus Chriſtus, ita appretiatus eſt, vt nec ſanguini ſuo pepercerit. Neque enim, opinor, ſi Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quiſpiam ille ſit, quem Rex tanti facit. Iam verò perpendamus, quanto dignandi ſint amore qui non ſerui, ſed fratres noſtri, non fugitiui, aut fures, ſed ſæculi ſunt contemptores, abdicatis ob Chriſtum omnibus, in eandem nobiſcum conſcripti militiam, iiſdem caſtris, ſigniſque centuriati ad quotidianos labores, atque excubias, in Dei tandem adoptionem, & hæreditatium Regni ius adſciti. Nihil igitur mibi antiquius, nihil in optatis magis eſt, quàm, vt quanto maximo poſſumus ſtudio, conglutinemur inter nos mutuæ neceſſitudinis charitatis, quæ ab Apoſtolo meritò dicitur, vinculum perfectionis. Nam & tum demum præſtitiſſe nobis videbitur Deus, quod deſponderat per Sophoniam. *Reddam, inquit, populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.* *Sophon. 3.* Labium verè electum, neque enim in linguis omnibus vlla pretioſior, neque ad loquendum, audiendumvè iucundior, neque ad res bene gerendas valentior, quàm id linguæ genus, quod animorum, conſiliorũ, operumque coniunctione fraternus amor format, atque inſtruit. Hinc enim exiſtit Deo famulantium tanta conſenſio, vt vno quaſi humero, quidquid eſt onerum portare videantur. Sed & illud memoria repetendum, cùm Deus ſacrilegos turris Babel architectos, ac molitores ab opere, quod ſtultè, & aduerſo numine machinabantur, arcere, & tanquam deturbare ſtatuiſſet; id demum non aliter perfeciſſe, quàm diſſimilium confuſione lingua-

rum : tantum valet ad res interturbandas diſſidium quoduis, etiam linguarum, tamerſi magnà foret inter illos conſiliorum, voluntatumque conſpiratio. Nos contrà ſi viuas, ac ſpirituales domos, iuxta ſancti Petri ſententiam, in noſtris proximorumque mentibus extruere contendimus, & ad muros fœlicioris Hieruſalem, pro quibus, vt benignè faceret Dominus in boaa voluntate ſua, Dauid caſtiſſimè precabatur exædificandos aliquid afferre momenti, idem iugum trahamus oportet, & ad vnius linguæ conſortium redeamus ; alioquin labores quidem magni, laborum fructus penè nullns.

His expoſitis perſpienum eſt (quod & initio dixeram) quàm exitialis ſit iſta velut linguarum varietas, & quàm ſeuerè in eos animaduertendum, qui tantam luem importareot in familiam noſtram cum hoc malo graſſante, & ſtructuræ tam illuſtris, & diuinæ gloriæ fœliciter prouehendæ labor omnis, atque apparatus ooſter frangatur, & concidat. Mulra quidem in hanc ſententiam poſſuot adduci, non modò ex Euangeliis, Patrumque libris, atque exemplis, quæ ad nihil ferme aliud nos inſtituunt ; nec ſolùm ex noſtris conſtitutionibus, quæ nullam in rem grauiùs, aut crebriùs amplificandam excurrunt, perinde atque hoc Societatis eſſet columen, ac firmamentum ; ſed etiam ex omni rerum natura. Siquidem cœlũ, terra, vt egregiè diſputat Gregor. Nazianz. eleementorum mixtiones, ac temperaturæ, membrorum proportiones, & coniunctiones, animaliũ nutrimenta, ortus, habitationes diſtinctæ, quorum quædam imperunt, quædam ſubiecta ſunt, quædam ſub iugnm à nobis mittuntur, quædam libera ſunt. Hæc igitur omnia, cùm ita ſe habeant, ac ſecundùm primas cauſas harmoniæ, ſiue coniunctionis, & mutuæ concordiæ regantur, ac moneantur, quid aliud putare debemus, quàm prædicare amorem, & concordiàm, ſuoque exemplo coniunctionem animorum inter homines ſancire? Contrà verò ſublata conſenſione, quam vocat ille pulcherrimum, & viliſſimum Chriſtianæ ſapientiæ decus, rerum vaſtitas, continuò deſæuit, & ordinis perturbatio, quæ, vt illius verbis vtar, in aëre quidem fulmina, in terra ſucceſſionis, in mari exundationes, in vrbibus ac familiis bella, in corporibus morbos, in animis peccata quaſi nonas res moliendo introduxit. Veniat illud in mentem, Patres, ac Fratres deſideratiſſimi: Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Cuius enim nauis tam conſtans eſt, ac firma compactio, vt euulſis clauis, quibus tabulæ, & trabes agglutinantur, non ſtatim fatiſcat, ac recidat in ſtruem lignorum, cuius ſit vſus in re nautica nullus ? Cuius verò aut turris, aut arcis tam ſepta, atque munita firmitas, ac robur eſt, quod ſoluta compage ſaxorum, non continuò ruat, atque ex propugnaculo degeneret in aceruum, temerè congeſtis in vnum lapidibus. Non enim ex ſaxis, & cœmentis, ſed ex apta, & quaſi demenſa ſaxorum cœmentorumque ſtructura turris, aut murus aſſurgit. Quin etiam de regnis Saluator clarè demonſtrat. *Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Profectò ſicut concordem Societatis ſtatum, quæcumque irrumpant extrinſecus, labefactare non poſſunt: ita viciſſim, ſi concordiæ inter ſuos iacturam faciat, nullis poterit extraneis cohærere præſidiis. Et quoniam D. Bernardus, cùm illud Canticorum exponeret *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, præclarè, vt aſſolet, de hoc toto argumento diſputat, licèt ab omnibus ſermonem illum perlegi velim, quò magis tamen ad manum vnicuique ſit, hîc illius partem aliquam diſputationis adſcribam. Cùm igitur de grauiſſimis diſſidiorum incommodis ageret : Longè, quæſo, inquit, à vobis facite ſemper hoc tam abominabile, & deteſtabile malum vos, qui experti eſtis, & quotidie experimini, quàm bonum ſit, & quàm iucundum habitare fratres in vnum ; ſi tamen in vnum, & non in ſcandalum, alioquin nec iucundum planè, nec bonum, ſed peſſimum ac moleſtiſſimum. Væ autem homini illi, per quem vnitatis vinculum iucundum turbatur; iudicium profectò portabit, quicumque eſt ille. Ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam iuſtè clamitantem, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Noone præſentis congregationis tanquam vnius matris filij omnes vos eſtis, ſinguli alterutrum fratres? Quid ergo à foris vos conturbare, aut contriſtare poſſit, ſi intus bene eſtis, & fraterna pace gaudetis. Denique, *Quis vobis nocere poterit*, inquit, *ſi boni æmulatores fueritis?* Quãobrem æmulamini charismata meliora, vt bonos vos probetis æmulatores. Chariſma peroptimum charitas eſt, planè incomparabile, quod nouæ ſponſæ cœleſtis ſponſus toties inculcare curabat, nunc quidem dicens : *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Nunc verò *mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem* ; &, *hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Itemque orans vnum eos fore, ſicut ipſe, & Pater vnum ſunt. Et vide, ſi non ipſe Paulus qui te ad chariſmata meliora inuitat, inter cætera charitatem in ſummo ponit; ſiue cum fide, & ſpe dicit eam eſſe maiorem, & ſupereminentem ſcientiam; ſiue cum enumeratis pluribus, ac mirabilibus ſupernæ gratiæ donis, tandem ad ſuperexcellentiorem viam nos mittit, haud aliam profectò illam, quàm charitatem definiens. Denique quidnam huic comparandum putemus, quæ ipſi præfertur martyrio, ac fidei transferenti montes? Hoc igitur eſt, quod dico, pax vobis à vobis ſit, & omne quod extrinſecus minari videtur, non terret, quia non nocet. Nam è cõtrario quidquid foris blandiri apparet, nulla eſt profectò conſolatio, ſi intus, quod abſit, ſeminarium diſcordiæ germinauerit. Proinde, dilectiſſimi, pacem habere ad vos, & nolite lædere inuicem, non facto, non verbo, non ſigno qualicumque. Tandem vt hac de re, de qua, cum noſtra vehementer interſit, pluribus egi, quàm cogitatam, ſcribendi finem faciam ; magnopere cupio ſecum quiſque reputet, quod Pater Noſter decima parte Conſtit. tradit, & refertur Regula trigeſima inter communes. *Caueant*, inquit, *ſibi omnes ab illo affectu, quo alia de alijs nationibus ſiniſtrè ſentire, aut loqui ſolent : quin potiùs, & bene ſentiant, & peculiari affectu diuerſas à ſua nationes proſequantur in Domino ; ac proinde nemo bella, contentioneſve, inter Chriſtianos Principes in colloquium inducat. Vſque adeò planè abhorreat ab hoc malo, vt ne eos quidem ſermones ſuis licere vellet, quibus aut de Principum agatur ſimultatibus, aut alijs aliæ nationes obloquantur. Ne quid igitur reſideat inter nos inimicum concordia, ſiue id ex ſtudio nationum, ſiue ex alijs redundet fontibus ſanè amariſſimis*, cùm

ad

Orat. 7. de compoſ. diſſer. vation.

Serm. 29. Cant.

Digitized by Google

ad latiores progreſſus omne nobis iter, atque aditum intercludant, vnuſquiſque velim, in ſe ipſe acriter inquirat, & attente diſpiciat, quam ſedulè fraternam colat conſenſionem: neque leuiter eam rem decurrat, ſed cuiuſmodi ſit ſua charitas, exploret ad lydium lapidem, & exigat ad eam normam, quam Apoſtolus praſcribit, his verbis: Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa; non quarit qua ſua ſunt; non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Hoc igitur modo ſi quaſi ad lydium, vt dicitur, lapidem exploretur charitas noſtra, ſi qua harum laudum, effectorumvè careat, nondum omnes virtutis numeros complexa cenſeatur: ſed quot ornamentis ab Apoſtolo commemoratis deſtituta ſit, tot eam gradibus, & quaſi notis ab eo, quod ſummom optimumque eſt, abeſſe arbitremur. Enitendum igitur eſt, vt eam ad id, quod perfectum, ſuiſque omnibus partibus expletum ſit, perducamus; & ſi laude patientiæ careat, vel benignitatis, vel alicuius ex reliquis, eam, quæ deſideratur, comparemus. Nec facilè mihi venit in mentem, quánam ad aliam libellam iſta res exigi poſſit, ex qua magis appareat manifeſtò, vel quid vnicuique deſit in hoc genere, vel quæ ſibi ratio ineunda ſit, vt rectè amandi legem integram, inuiolatamque conſeruet, quàm Apoſtoli memorata præſcriptio. Illud denique habeamus, fructum, quem Dominus à nobis repoſcit iis verbis. *Ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*, aliud nihil eſſe, quàm charitatem, vt D. Auguſtinus expooit. *Maneat*, inquit, *dilectio; ipſa eſt enim fructus noſter.* Quocirca etiamſi ſanguinem profundamus, aut Angelorum etiam linguis loquamur, aut montes ſolo verbo transferamus, niſi reddamus hunc fructum, nihilominus, vt infructuoſi palmites, præcidemur. Cuiuſmodi crimen, ſi iure plectendum eſt in omnibus (nam ex ſterili ficu teſtari voluit Dominus., quæ ſupplicia in deſides homines, ac planè ſteriles conſtituta ſint) quibus tandem ſecuribus, quibus flammis ſæuietur in eas arbores, ex quibus nec ſoli, quod occupant vberrima feracitas, nec ſyderum, quibus afflantur, benigniſſima via quicquam bonæ frugis expreſſere. Neque prætereundum puto, quod ad hanc rem maximè, de Euangelica ficu ſcribit Ambroſius. *Quod de Iudæis*, inquit, *dictum, omnibus cauendum arbitror, & nobis maximè, ne fæcundum Eccleſiæ locum vacui meritis occupemus, qui quaſi malagranata benedicti fructus ferre debemus inter nos, fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuæ charitatis & amoris, ſub vno vtero matris Eccleſiæ incluſi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æſtus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat.* Animum iam referamus ad opimum iſtum, ac pulcherrimum Eccleſiæ agrum, & in eius amplitudine meminerimus partem eſſe nullam, aut feraciorem, aut frigoris, & caloris modo temperatiorem, aut maiore agricolarum opera ſubactam, atque excultam, quàm Religionis ſtatum; & facilè intelligemus, quanto grauioris culpæ rei efficeremur, ſi hanc ipſam partem vacui meritis occuparemus. Perſpiciamus deinde, quid mali punici

Lib. 7. in Luc. 13.

typo ſanctiſſimus Doctor indicet de commoditatibus ac præſidiis, quæ nobis ſuppetunt ex religioſæ diſciplinæ tanquam velamento, aut cortice, qua contecti verendum non eſt, ne ventis impetamur, ne decutiamur grandine, ne ſtultarum æſtu cupiditatum torreamur, ne deiiciamur imbribus, aut procellis. O quàm optatam, & expeditam ſecuritatem Religio nobis præſtat! ô quot vtilitates & commoda nobis in hac tanquam penuaria cella repoſita ſunt, ſi ea cognoſcamus? Verùm hæc pluribus perſequi neque loci, neque temporis huius eſt. Sed quàm iutù agamus, audiuimus: audiamus iam, quæ nos viciſſim ei, cuius in tutela ac præſidio ſumus, debeamus. Debemus verò fructum malo punico quàm ſimillimum, fructum ſanè non adumbratum ad ſpeciem, & variis patentem iniuriis, ſed conſtantem, & in intimis expreſſum ſenſibus: fructum ingenui pudoris, mutuæ fructum coniunctionis, atque amoris, punicorum inſtar granorum, quorum & conceptaculum intra corticem, & rubicundus decor, & diſpoſitio concinnior: vſqueadeò verò alia ex aliis annexa tactu mutuo cohæreſcunt inter ſe, vt eorum ſeries in vno aliquo potius, ſolidoque corpore deſcripta videatur, quàm ex diuerſis vermiculata corpuſculis.

Diximus de bono & pulchro religioſæ vitæ vnitate, videlicet ſpiritus, & habitatione in vnum. Nunc de magno quodam, & deformi malo agemus, otio nimirum, quod quoniam innumerabilium malorum cauſa eſt, boaum etiam vnitatis diſſoluit.

DOCTRINA III.

DE DAMNIS OTII.

Quàm ignominioſa res ſit Religioſis otium.

CAPVT XXVI.

SERVO *maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otioſitas, in opera conſtitue eum, ſic enim condecet illum* Eccli. 33. Promptiſſima humani cordis gubernacula, & velut nerui, quibus hinc inde motatur ac flectitur, ſunt pudor, timor, & amor. Pudor dedecoris, timor mali, amor, & cupiditas boni. Quilibet ex iis affectibus ſine aliis potentiſſimus eſt permouendæ voluntati, etiam ad quamlibet ardua. Quid fiet, cùm omnes ſimul conſpirant? impellent profectò, & penè tunc cogent potius quàm mouebũt. Cùm enim ignominioſum, & periculoſum eſt, opus aliquod relinqui; vtiliſſimum autem, ac lucroſum peragi, verecundia, metu, & cupiditate conſtringitur ad illud voluntas. His tribus machinis vtendum eſt aduersùs fortiſſimum, & firmatum Dæmonis caſtellum otium ac teporé, ex quo po-

teſtates tenebrarum militant,ex quo peccata erũpunt, vnde pernicies noſtra deſcendit, vnde afflat peſtis animarum, vnde mala innumera prodeunt: nam & magnitudo huius mali, & pertinacia huius vitij, tot validis copiis debet impugnari. Et quidem ſi nobis dictum habeamus, quod Eccleſiaſticus contra otioſitatem dixit, tria hæc tela aduersùs illam reperiemus, pro pudore incutiendo ait. *Seruo maleuolo tortura, & compedes, mitte illum in operationem ne vacet.* Quippe hoc non conuenit conditioni ſeruili. Quamdiu autem ſumus in hac vita, omnes nos ſeruos Dei exiſtimare oportet,& æſtimare, hoc noſtram reputare dignitatem, & maximam quidem, hoc honorem, hoc officium. Seruorum autem eſt laborare, nunquam otiari. Pudeat nos quòd Barbari Æthiopes mancipia viliſſima ſolicitius ſeruiant homini peccatori, quàm nos immaculato, & impeccabili Iesv. Quod infideles fideliores ſint perfidis heris, quàm nos fideli Deo: quòd exactius ſeruiant ei,qui ſeruus peccati eſt, quàm nos Regi gloriæ, & vitæ, & ſalutis, & iuſtitiæ, maximè cùm ipſe Dominus nos iuſſerit negotiari,prout in parabola ſignificatũ legimus, vocatis decem ſeruis ſuis dedit decẽ mnas,&'ait ad illos, negotiamini,dum venio. Quis non iam videbit, quàm propudioſum, & turpe ſit otium,cùm per illud relinquamus honorificum titulum ſerui Dei,quòd ſi retineamus nomen, non autem rem ipſam, turpius eſt vocari optimi Domini ſeruos, minimè autem ſeruire; neque enim ſeruit, qui otioſus eſt. Nonne pudendum eſt honorificum munus poſſidere, minimè autem ſatisfacere illi. In rebus humanis turpe hoc putatur: in diuinis quomodo turpiſſimum non erit? Tum quid diceremus de illo ſeruo, qui cùm dominum ſuum videret laborantem,algentem,ſudantem,totumque occupatum in eo opere, quod ſeruo vtiliſſimum futurum erat; ipſe tamen ſeruus quietus, otioſus,ridens, atque oſcitans maneret, vt nullo modo herum ſuum vellet iuuare. Quid ſi hoc tam vtile ſeruo opus,in quo dominus deſudabat, communis operæ eſſet, vt ſine operatione aliqua ſerui perfici nequiret. Anne iuſtum, anne humanum eſſet relinquere ſolum dominum laborantem opera inani? Nos hoc facimus, qui ad opus noſtræ ſalutis,& lucrum gloriæ cuius vtilitas noſtra ſolùm eſt,nolumus cooperari,& relinquimus ſolitarium Chriſtum ſudantem pro nobis ſanguineas guttas,algentem,laborantem pro nobis ſine fructu ex nobis. Præterea quid turpius, quàm quòd omnipotens Dominus Rex gloriæ,& filius Dei formam ſerui accipiens nobis ſeruierit, & pluſquam vile mancipium pro nobis ſe geſſerit, & laborauerit.Nos autem cùm ſerui ſimus,nolimus opera filij facere, nec ſeruire, ſaltem tanquam domeſtici,& chari ſommo omnium Regi. Profectò ſerui maleuoli ſumus digni tortura, & compedibus, niſi aſſiduis conatibus optimo hero noſtro Chriſto Iesv ſeruiamus,vacemuſque nunquam à ſancta operatione, & labore.

Luc.18.

Deinde quàm infamis haberetur,qui cùm poſſet leui, & facili opera ſuum Dominum, & Regem locupletare,amplis honoribus,& ditionibus donare, totumque Regnum, & Rempublicam ſuam bene afficere,ſemetque ipſum honorare, & ditare:contemneret nihilominus ingens hoc bonum,& tot vtilitates publicas,& priuatas hac ſola occaſione vt confabularetur interim, aut dormiret, & nihil prorſus ageret. Nonne iſte opprobrium commune eſſet,dignus verberibus & furca, & contemptu omni? Nos autem quomodo non erimus infames, & maleuoli, dignique tortura & morte, cùm ſiquidem poſſimus bono aliquo opere glorificare Deum & Dominum noſtrum Iesvm, delectare ſanctiſſimam Trinitatem,lætare Beatam Virginem,Angelos Dei,Beatos Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, totamque exhilarare cœli Rempublicam: tum proficere animabus Purgatorij, iuuare homines viuos,& prodeſſe nobis. Hæc tamen omnia contemnimus pro breui inanium verborum colloquio,aut oſcitatione. O infamiam, & amentiam! Quoniam vnde poſſumus gloriam Dei & noſtram lucrari, inde viliſſimi fiamus, noſtrumque improperium peragamus. Quod nomen & famam haberet,qui gemmam ingentis pretij commiſſam à ſummo Rege proiiceret in mare; vnde nulla ſpes recuperandi maneret, atque loco illius ſtercus ſeruaret,offerretque bono Principi? Hoc nos facimus, qui inæſtimabile tempus commiſſum nobis à Deo pro comparanda æternitate irreparabiliter amittimus, tanquam in mare, & abyſſum illud proiicientes, vnde recuperari nequeat. Non ita amentes, & prodigi ſimus rei pretioſiſſimæ, & irreuocabilis: magnifaciamus vel punctum temporis, cùm in illo lucrari poſſimus æternitatem; neque enim paruum dici poteſt, vnde id quod infinitum eſt, emi poteſt. Audiamus ſalutare S. Bernardi conſilium, & nobis dictum amplectamur. *Nemo veſtrûm fratres parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Siquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis, volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile,nec aduertit inſipiens quid amittit. Libet confabulari,aiunt,donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ô donec pertranſeat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam,ad obtinendam veniam,ad acquirendam gratiam,ad gloriam promerendam, miſeratio conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem,aſpirare ad promiſſam fœlicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem. Sic nimirum, ſic agricola,cùm diu deſiderata affuerit opportunitas ſeminandi, ſic vinitores cùm expectatum tempus putationis aduenerit, inueniſſe occupationes, & quaſi irreprehenſibiliter ſine opere diem tranſegiſſe lætantur? Sic inſtantibus nundinis inſtitores nectere moras, occaſiones quærere ſolent, ne quem fortè ſibi ex eis quæſtum prouenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cùm multis clamoribus euocatus tandem affuerit eleemoſynarum diſtributor, diuerticula captant, & concurrentibus ſocijs vacuos ambiunt occupare receſſus,& fouere latebras in angulis platearum? Vtinam tamen vel ſolum tempus vitæ amitteretur in verbis,ſed multi in his etiam vitam amittere comprobantur:nec modò ipſi amittere,ſed adimere quoque,& hoc fratribus ſuis. An non amittunt vitam detractores Deo odibiles,odibiles vitæ?* Pudeat quoque nos plus temporis rationem habuiſſe Ethnicos, qui nullam rationem æternitatis habuerunt. Eloquatur vous pro omnibus: *Non tam benignum & liberale tempus natura nobis dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere: & vide quàm multa etiam diligentiſſimis pereant:*

Serm. de tripli.cuſt.

Senec.ep 118.

pereant: aliud valetudo ſua cuique abſtulit, aliud ſuorum, aliud neceſſaria negotia, aliud publica occupauerunt. Vitam nobiſcum diuidit ſomnus; ex hoc tempore tam anguſto, & rapido, & nos auferente: quid iuuat maiorem partem mittere in vanum. Alibi ait. *Magni, mihi crede, & ſupra humanos errores, eminentis viri eſt, nihil ex ſuo tempore delibare, & ideo vita eius longiſſima eſt, cui quantumcumque patuit, totum ipſi vacauit, nihil inde incultum, otioſumque iacuit, nihil ſub alio fuit; nec enim quidquam reperit dignum, quod cum tempore ſuo permutaret, cuſtos parciſſimus.* Deniquè alio loco. *Turpiſſima eſt iactura, quæ per negligentiam fit: & ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus: quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet, qui intelligat ſe quotidie mori.*

Lib. de breuit. vita. — *Epiſt. 1.*

Otioſitas eſt cauſa maximorum malorum, ſicut labor bonorum.

Capvt XXVII.

Res autem tam turpis & infamis ac otium eſt, quomodo non erit noxia, & plena damnis, vitiorumque multorum matrix. Ideirco dixit Eccleſiaſticus: *Multam enim malitiam docuit otioſitas*; quare non ſolùm debemus erubeſcere, ſed formidare otioſos eſſe. nam per otium multorum bonorum iacturaaccidit, & penè omnia mala ex ipſo deducuntur. Nam, vt B. Laorentius Iuſtinianus ait: *Ociofitas mater eſt concupiſcentiarum, nouerca virtutum, ipſa eſt, quæ virum pudicum fortiſſimè præcipitat in omnem reatum laſciuia, facie ſuffocare virtutem, nutrire libidinem, & conſtruere ad gehennam.* Antiochus Laurenſis, inquit. *Otium ſuo velut ſemine gignit concupiſcentiam, atque animi lentorem, magis verò deſperationem.* Nec mirum hoc, cùm ab vno Dæmone impugnetur; otioſus verò innumeris Dæmonibus deuaſtatur. Quam ſtragem exercitus inferi non efficiet? Quantis igitur bonis animam priuabit, & ſpirituali vitæ damna inferet? id etiam coniici poterit ex iis quibus temporalem vitam, ipſumque corpus defraudat. Quæcumque enim de ſocordiæ damnis dixit Salomon, multo potiori iure ſpiritualiter intelligi poſſunt. *Qui operatur* (inquit) *terram ſuam, ſatiabitur panibus; qui autem ſectatur otium, replebitur egeſtate.* Sic eſt, per otium depauperatur anima, defraudatur meritis, & repletur egeſtate diuinæ gratiæ. Nunc præter egeſtatem bonorum, quot mala confert otium? Idem Salomon ait, *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & ſuperficiem eius operuerunt ſpinæ. & maceria lapidum deſtructa erat.* Ager eſt cor & animus humanus, qui per otium vrticis prauorum operum, atque ſpinis immortificatorum affectuum refertus, patet omnibus Dæmonum incurſibus tanquam ciuitas ſine muro, & domus ſine parietibus. Duo hîc ingentia mala ſunt, & quæ intrinſecus & ſponte ſua cor progerminabit, & quæ extrinſecus mali ſpiritus præparabunt multis tentationibus, & mille artibus: quoniam, vt Saluator ait, *Cùm dormierint homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt.* Inter mala otioſitatis eiuſdem pœna poteſt accenſeri, quæ iuxta Euangelij parabolam priuatio gratiæ eſt, in hac vita, & in futura gloria, vtraque cum ingenti improperio. Audiamus quid ſeruo otianti dictum: *Serue male & piger.* Primum compellatur ignominioſè: deinde adiicitur pœna. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit; ei verò qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Hoc certè experientia conſtat; nam ſæpiſſimè accidit tunc temporis cùm Religioſi tepidi deficiunt, feruidos alios feruentiùs excitari, diligentiùſque nauare ſuum profectum, nimirum quia donantur ea gratia, qua priuantur tepidi. Sic cùm receſſit ſpiritus Dei à Saule, tranſlatus eſt ad Dauidem. Tandem dicitur: *Et inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & ſtridor dentium.* Neque minus formidabile, quod per inutilem, ſterilemque vitem, & ficum interminatus eſt Dominus otioſis hominibus. Nam, vt S. Ambroſius ait, *Quod de Iudæis dictum, omnibus cauendum arbitror, & nobis maximè, ne fæcundum Eccleſiæ locum vacui meritis occupemus, qui quaſi malagranata benedicti, fructus ferre debeamus inter nos, fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuæ charitatis, & amoris, ſub vno vtero matris Eccleſiæ incluſi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æſtus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat.* Ille enim qui dixit, *Ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Acerbè fert, ſi irritam electionem ſuam facientes otiemur. Atque, vt S. Bernardus ait: *Homo ad laborem natus, ſi non facit ad quod natus eſt, ſi ſcilicet laborem refugit, ad quod venit in mundum, quid reſpondebit ei, qui miſit eum, qui vt laboraret inſtituit.*

Vbi ſuprà. — *In ligno vitæ de conſ. c. 5.* — *Hom. 74.* — *Lib. de reform. vir. an. cap. 39.* — *Prou. 28.* — *Prou. 24.* — *Matth. 13.* — *Matth. 25.* — *Lib. 7. in Luc. 13.* — *Ioan. 15.*

Tandem concludit Eccleſiaſticus, *In opera conſtitue eum, ſic enim condecet illum.* Hoc ſcilicet oportet, & expedit ſeruo operari, vt gratus domino ſit. Hîc iam cupiditas prouocatur, vt deponat otium propter bonum operationis, & ſolicitudinis, vt grati ſimus & accepti beneficentiſſimo Domino Ieſu, qui diligentibus, & laborantibus ſeruis duplicat talenta. Quanto enim otium malum eſt, & abominabile Domino, tanto eſt diligentia vtilis nobis, & grata Deo. Otium enim, & vitæ ſpirituali, & temporali, & noſtræ ipſi naturæ noxium eſt. Proinde dixit quidam Philoſophus. *Mirabile eſt, quotiens otioſi ſumus, totiens tanquam exules incidimus in mærorem.* Quamuis mœroris cauſa non ſit, id tamen fit, quoniam non eſt otium naturale; quòd ſi natura ferrè otioſitatem nequit, quomodo illam feret gratia, & officioſa charitatis lex. Contrà autem labor naturalior eſt, nam homo natus ad laborem, qui & vitam temporalem inoat, & ſpiritualem, ipſique gratiæ cooperari eſt neceſſe. Idcirco hortatur nos Saluator ad laborem & diligentiam. operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Ecce quàm gratus Deo labor, & occupatio noſtra, vt ſua ipſa dona velit nos operari. Sic ſpiritualiter fiet, quod Salomon ait, *In omni opere erit abundantia.* Item, *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus.* Eccleſiaſticus quoque ait. *Vita ſibi ſufficientis operarij conculcabitur, & in ea inuenies theſaurum.* Et Dauid.

Prou. 14. — *Eccleſ. 40.*

Labores manuum tuarum, quia manducabis beatus es, & bene tibi erit. Ideo Apoſtolus Theſſalonicenſes monet: *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis.*

Inter præſidia aduerſùs otioſitatem commendantur occupationes humilitatis, & labor manuum, ex Dauide de Augusta, & Gerardo Zutphanienſi.

CAPVT XXVIII.

In Reg. Nouic. c. 8. LIBET hic indicare tria, quæ aduerſùs otioſitatem præſidia exhibuit S. Bonauentura. *Semper,* inquit, *aliquid boni facito, vt te ſemper Diabolus inueniat occupatum. In his ergo maximè exerce te. In frequenti, & feruenti oratione, in lectione, & in ſeruitiis. Et per iſta tria tota vita tua decurrat, & ſemper ores, aut legas, aut ſeruias.* Alibi ait. *Funem ne facile rumpatur,* De inform. Nouic. c. 4. *ex triplici reſticulo componas, videlicet ex ſacrarum Scripturarum deuota lectione, ex ſedula orationis compunctione, ex bonarum actionum humili exercitatione. Lectio dat materiam, & quaſi ſemen bonæ cogitationis. Oratio rigat, & ad perfectum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam, & impinguat affectum ad ſaporem. Bona actio maximè condita pinguedine charitatis, & obedientiæ, vel alterius virtutis, lætificat conſcientiam. Et dat fiduciam ſpei in Deum, & ſi ad horam intercipit deuotionis quietem, tamen meretur poſtea maiorem dulcedinis infuſionem, & gratiam puritatis.* Tempus igitur quod expletis cuiuſque muneribus, & religioſis penſis reliquum ſupeterit, his rebus conſumi vtiliter poteſt; nam de oratione ad lectionem, & de lectione ad orationem iucundus tranſitus eſt; officia quoque humilitatis, & domeſticis interdum ſumi poſſunt, maximè à laicis fratribus, & temporalibus coadiutoribus, quod vtiliſſimè conſulit B. F. Dauid Form. Nouit. c. 14. Auguſtanus, dicens: *Ad communes labores, & ad humilitatis officia eſto paratus, in coquina, in Eccleſia, & in aliis officinis, & maximè ad illa obſequia, quæ alii pro ſua vilitate quaſi abhorrent, vt ligna portare, domum ſcopare, ollas, & alia vtenſilia purgare, paleam, vbi fuerit neceſſe, deferre, & fratrum tunicas excutere, pedes lauare, & nunquam à bono otiari, quia ſi tepidi fuerimus, incipiet nos Deus euomere de ore ſuo, & de conſortio ſuo, de plebe ſancta ſua, eo quòd nec frigidi ſumus, nec calidi.* Vigilate ergo fratres, dicit Auguſtinus, deponentes otioſitatem in cunctis; quid enim eſt otium niſi viui hominis ſepultura? Hoc enim frequenter bonorum conuentus deſtruxit, pariens in eis luxuriem, nutriens in eis gulam, ſeminans in eis zizaniam, generans in eis homicidia, & omnia quæ ſunt carnis opera; fugite ergo otioſitatem, quia in ſeruis Dei nihil peius reperitur. O fratres mei ſemper vos occupatos eſſe deſidero, vt granum ſalutis per gratiā accipere mereamini. Hanc cupiens fugere ſanctus Monachorum Pater Antonius, clamauit in eremo ad Deum, & dixit: O Samaritane Domine Deus meus, ô animarum, & corporum verè cuſtos, ſuſcita in me gratiam tuam, infunde ſeruo tuo miſericordiam tuam, vt collocatus in conſpectu tuo otioſus non maneam; & audiuit Antonius: Antoni cupis Deo placere, ora, & dum orare non poteris, manibus labora, ſemper aliquid facito, fac quod in te eſt, age quod potes, & non deficiet auxilium de Sancto.

Vtilitates huiuſmodi exercitiorum corporalium, & laborum manuum multæ ſunt. *Cùm enim,* inquit Gerardus Zutphanienſis, *tu ſis fragilis, nondum totus ſpiritualis effectus, idcirco oportet te interdum corporalibus occupari, ne tædio victus relinquas propoſitum ſpirituale, ſicut Angelus Domini viſibiliter oſtendit Beato Antonio.* De Reform. vir. an. c. 39. Inde eſt, quod Caſſianus dicit: *Qui iugiter non eſt contentus aliquid manibus operari, non poteſt diutius in cella remanere.* Item, *Cùm tu ſis plenus malis concupiſcentiis, oportet te primò cor tuum expurgare duris laboribus, antequam in ſpiritualibus iugiter quieſcas.* Inde dicunt Doctores, quòd quamuis huiuſmodi occupatio, in quantum occupatio retrahat hominem à vacatione ſpirituali, in quantum tamen impedimenta vacationis remouet, ſcilicet concupiſcentias, multum iuuat, & promouet ad vacandum. Item tertiò cor noſtrum vagum eſt, & fluctuat inter cogitationes varias, ſicut nauis in mari; oportet igitur, vt ligetur anchora, opere videlicet manuali, vt dicit Caſſianus. Quartò, minores occaſiones tentandi habet Diabolus in nobis occupatis, quàm otioſis. Sicut Hieronymus monet, *Semper te Diabolus inueniat occupatum,* &c. occupatus enim ab vno Dæmone impugnatur, otioſus verò innumeris Dæmonibus deuaſtatur. Quintò, opus manuum admonet nos de peccato, & lapſu noſtro. Nam in ſtatu innocentiæ non laboraſſemus cum fatigatione. Dico autem cum fatigatione, licèt enim Adæ iuſſum fuerat, vt operaretur paradiſum, non hoc feciſſet cum dolore, & fatigatione, ſed cum quiete, & dulci contemplatione Dei in viſibilibus, ſecundùm Auguſtinum ſuper Geneſim. *Poſt lapſum verò dictum eſt homini; in ſudore vultus tui.*

Neque conſentaneus manuum labor deeſt Sacerdotibus; nam, vt dicit S. Bernardus, pro ſpiritualibus exercitiis non omnia corporalia æquè conueniunt, ſed illa quæ cum ſpiritualibus maiorem habent conuenientiam, & ſimilitudinem, de quibus inter cætera eſt ſacram Scripturam ſcribere, ſicut ibi dicit Bernardus. Vnde plures ſanctorum Patrum ſcriptores extitere. Omnes diſcipuli, & fratres in Monaſterio S. Martini ſcriptores erant. S. Hieronymus inter cætera manualia Ruſticum admonet de opere Scripturæ. Ambroſius proprios libros quos dictabat, propria manu ſcribebat. Hieronymus ſemper aut ſcribebat aliquid, aut docebat.

Quo pacto miniſtrandum, & laborandum Religioſis.

CAPVT XXIX.

NODVM autem quo operatio exterior, ſeu labor manuum exercendus eſt, ſic Gerardus iam laudatus præſcribit. *Primò, ante omnia, ſicut*

Digitized by Google

ſicut te exerces exteriùs in opere, interdum orando exercebis. Neque enim propter hoc quòd exteriùs occuparis, ideo neceſſe eſt, vt cor tuum vacet interiùs, ſed ſicut dicit Auguſtinus in libro de opere Monachorum, potes infra opus meditari, & cantica diuina cantare. Secundò debes fideliter, & cum deſiderio operari, diſcretè tamen & moderatè, ſciens quia non ſolùm corruptibile aurum, vel argentum recipies, ſed etiam immarceſſibilem coronam in cælis. Maledictus igitur qui facit opus Domini negligenter. Tertiò, debes operari in ſilentio; ſilentium enim ſecundùm Prophetam eſt fortitudo noſtra. Semper vbi non exigit neceſſitas, vel vtilitas, exercendi ſe ad pietatem valde eſt expediens, ideo ſanctus Paulus ait: Obſecramus in Domino Ieſu, vt cum ſilentio panem ſuum manducent. Quoad diligentiam hæc habet Antiochus homilia octogeſima octaua. *Qui miniſter eſt, multa cum ſedulitate adminiſtrare debet, cùm perſpicuè nouerit, opus eſſe Dei. Nulla in re ſit is cunctatior, aut minus diligens, ſiue ob ingeſtam triſtitiæ nubem, aut quòd à quopiam irritatus eſt; nec tranſmittat, aut ſegniter expleat miniſterium, ob litem fortè à nonnullis excitatam. Quæcumque enim monaſticæ ſunt manſionis, Deo conſecrantur, tanquam ea quæ offeruntur illi. Quàm magno in periculo verſetur is, qui neglectim miniſtrat, noſſe vis? Perinde eſt, ac ſi Deum ipſum contemptim aſpernetur, habeatque nihili: quandiu enim feciſtis vni ex his minimis, mihi feciſtis, & quandiu non feciſtis, neque mihi feciſtis. Siue igitur quis adminiſtrat ſedulè, ſiue neglectim inſeruit fratribus, in Deum ipſum, illius recurrit ac refertur miniſterium. Iure igitur de iſtis cunctatoribus, & male ſedulis dicebat Hieremias: Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Talis contemptor, arrogans eſt, & ſuperbus. Nos igitur qui ab eiuſmodi maledictione ſecluſi ſumus, vtpote filij benedictionis; tanquam miniſtri Chriſti omni cum ſedulitate ac ſtudio, Monaſterij nobis concreditam functionem plena fide exequamur: tanquam benedicti diſcipuli, illius qui dixit: Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Quid inſuper Apoſtolus dicat, audiamus. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis neminì dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus commendantes nos metipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in laboribus, in vigilijs, in longanimitate, in charitate non ficta, in verbo veritatis.* Iterum ait: *Sicut ſerui Chriſti, facientes voluntatem ipſius ex animo cum beneuolentia ſeruientes quaſi Domino, & non hominibus.* Ruſus: *Fratres ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Commendatur ſtudium, & lectio ſacræ Scripturæ.

CAPVT XXX.

ALTERAVM præſidium aduerſùs otioſitatem adhibent ſancti Patres ſtudium ſacræ Scripturæ, & lectio ſpiritualis, quam potiſſimum hominibus vitæ mixtæ ſanctus Auguſtinus ſic commendat. *Fratres mei, quandiu in hac infirma, & vana vita fuerimus, hanc ſapientiam diſcere, & ſapere tota mente curemus.* Serm. 38. ad fratr. *Quid enim homo ſine literis reputatur, quid enim eſt, nunquid pecus, vel hædus, nunquid bos, vel aſinus, nunquid equus, vel mulus, quibus non eſt intellectus? Eia fratres chariſſimi, qui Paſtores rationabilium ouium nuncupamini, feſtinate rapere, non ſophiſmata paganorum, non carmina Poëtarum, non fabulas Philoſophorum, de quibus Doctores, & auditores ſunt reddituri rationem, ſed illam dulciſſimam ſapientiam ſapientiarum, quæ hæreditas Dei & filiorum eius chara poſſeſſio nuncupatur. Hæc eſt illa doctrina ſuper omnia diligenda, quam Prophetæ prædixerunt, quam Patriarchæ diuinitus hauſerunt, quam Dei filius poſtquam in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, aperuit, & declarauit, & quid tenendum, & quid vitandum eſt, apertiſſimè demonſtrauit, & per ſuos Apoſtolos nos ipſam docende illuminauit. Hæc eſt, quæ docet nos amare cæleſtia, & terrena deſpicere, hæc eſt mater fidelium, quæ nos quotidie docet quomodo credamus Deum omnipotentem, quomodo ipſum videbimus in ſede maieſtatis venientem, quomodo bona bonis, quomodo mala malis tribuet. Hæc eſt lucerna pedum noſtrorum, & via ſalutis noſtræ, in qua inſtruimur quomodo Deum primò præ omnibus diligamus, quomodo animam noſtram, poſtmodum animam proximi ſicut quid propinquius, quomodo poſtmodum corpus proprium, quomodo poſtmodum corpus proximi velut noſtrum diligamus. Hæc eſt illa ſacra Scriptura, & ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodijt, Philoſophis abſcondita, ſed groſſis, & rudibus piſcatoribus reuelata. Nunquid & paruis hominibus hodie reuelatur? Hæc eſt enim doctrinarum, & ſapientiarum magiſtra, & domina, quæ etiam nos docet exteriùs blandos, & interiùs fraudulentos cognoſcere. Hæc eſt illa ſcientia ſcientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Apoſtolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum ſpes, Martyrum corona, Virginum pulchritudo, Monachorum refectio, Epiſcoporum vacatio, Sacerdotum collarium, puerorum principium, viduarum doctrina, coniugatorum pulchritudo, mortuorum reſurrectio, & viuorum ſempiterna protectio. Hæc eſt per quam fide ordinamur, ſpe confirmamur, & charitate roboramur. Hæc eſt, quam qui inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Hæc eſt labrum vel peluis, quam Moyſes poſuit in tabernaculo, in quo lauarentur Aaron, & filij eius, cùm ingrederentur ad Sancta Sanctorum. Sed dices quid per magnum Sacerdotem Aaron intelligere debemus, & per filios eius? Dico vobis, ô fratres mei, quod per Aaron ſummum Sacerdotem intelligere debemus, & per filios eius alios Sacerdotes minores, & per labrum legem Domini intelligo, in qua omnes Sacerdotes, tam magni, quàm parui ſtudendo, corda noſtra per compunctionem mundare debemus, & ad Sancta Sanctorum, id eſt, ad ſecreta Dei, & Scripturarum per purificationem ingredi, vt Deum inueniamus. Et ideo fratres mei attendite, quòd ideo vas paratum habemus, in quo oportet mentis fœditatem abluere, & munditiem mentis in eo præparare. Ecce enim lex ſancta, & Scriptura immaculata parata eſt, vt virtutibus decoremur. Sed væ nobis, deberemus eſſe exemplum veritatis, & ſumus exemplum erroris. Vnde hoc,*

nisi

niſi quia idiota ſumus, ignorantes legem, & etiam legem faſtidimus, & tamen cathedram, & curam animarum gerere quotidie procuramus. Quid ergo mirum ſi iudex cæcorum eſt, & cadit Sacerdos, qui non ſubleuat delinquantes, qui legem Domini conculcauit, & deſpexit vt mortem? Sed quid dilexit, quid procurauit, quid toto affectu concupiuit? Vxorem vel concubinam tenere, equos velut miles in ſtabulo poſſidere, canes pro venatione nutrire. Et tamen velut equus & mulus quibus non eſt intellectus, cupit honorari in cœnis, & ab hominibus vocari Rabbi. Ecce quomodo cadit Sacerdos, ecce quomodo viuit. Sed ſi ceciderit, qui ſibi columna videbatur in templo, quanto magis populus peribit. Si Deus in Angelis reperit prauitatem, quanto magis in his, qui inhabitant domus luteas, & qui terrenum habent fundamentum. Diſcite ergo legem Sacerdotes, ne ſurdo maledicatis. Tunc ſurdo maledicitis, quando conſilium propter ignorantiam dare neſcitis, tunc verò cæco ponitis offendiculum, quando falſa pro veris oſtenditis. Itaque fratres nolite iam pigreſcere, ſed legite Scripturam, diſcite eam filioli, ſæpe legite eam, quia lenior oleo, auro ſublimior, purior argento. Hæc eſt, quæ præcipuè Deum prouocat diligere, corda illuminat, purificat conſcientiam, animam ſanctificat, fidem confirmat, animas frigidas calefacit, lumen ſcientiæ oſtendit, tenebras ignorantiæ expellit, iniuſtitiam ſæculi extinguit, lætitiam Spiritus ſancti accendit, ſitienti potum tribuit. Hæc eſt Scriptura ſancta, lex noſtra immaculata, quæ de inſipientibus ſapientes facit, primos de nouiſſimis ponit, de minimis magnos efficit, nobiles de ignobilibus commutat, naturam frænat, prohibet leuitatem, temperat dolorem, confert ſpem, coronat ſenem, docet iuuenem, mitigat dedignantes, inſtituit errantes, ſanat ægrotos, roborat infirmos, brutos facit ſenſatos, menti ſtabilitatem donat, ſomnolentos excitat, otioſos increpat, pigros incitat, credentibus gratiam dat, Reges humiliat, humiles exaltat; rectas vias indicat, eleemoſynam imperat. Hæc eſt ſcientia ſcientiarum quæ ſapientiam dat, gloriam exaltat, honorem multiplicat, humilitatem leuat ſuperbiam caſſat, charitatem, obedientiam, & manſuetudinem docet, & intellectus bonus eſt omnibus facientibus, & diligentibus eam. Hæc eſt, quæ abſtinentiam, caſtitatem, largitatem, & voluntariam paupertatem ſeruat, poſtremò doctrinam omnibus, fœlicitatem, ſuauitatem, gaudia, ſtabilitatem cordis, & ſobrietatem, & compunctionem veram, & humilitatem, & charitatem fraternam implet, Domini timorem accendit. Quamobrem fratres mei, qui hanc ſapientiam diligit, & diligenter legem implet, maximus vocabitur in regno cœlorum, & principatum Eccleſiæ poſſidebit, & præmia, & munera pretioſa recipiet in die nouiſſimo.

Collat 1. Optimè quoque S. Odo dixit: *Deus ſanctificatam Scripturam, quæ diſſolui non poteſt, maiori gratia miſit in mundum: quatenus, vt ait Petrus, in caliginoſo vitæ huius loco pedibus noſtræ actionis reſplendeat, & inter qualibet aduerſa patientiam, & conſolationem, iuxta Pauli vocem, ſubminiſtret. Si ergo quicquam eſt, quod ſapientem virum æquo animo inter mundanos turbines continere poſſit, id eſſe quamplurimum reor meditationem ſcripturarum. Omnis namque ratio, quæ vel Deum, vel nos cognoſcimus, diuinis libris continetur. Et in hoc non ſolum à cæteris animalibus, ſed etiam à quolibet ſtulto maximè diſtamus: & ſicut ait Salomon, illuc vbi vita eſt, ad cognitionem videlicet Scripturarum perreximus. Nam quòd in Scripturis vita ſit, teſtatur Dominus, dicens: Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Ipſa eſt & ſpeculum, per quod nunc in ænigmate diuina myſteria videamus, ac nos quales ſimus intueri queamus, ita vt ibi appareat quantum proficimus in bono, vel quantum deficimus. Ibi cuncta produntur quæ diſſipant, cuncta narrantur quæ ædificantur: & tamen plerique libentius ſcurrilitatem audiunt, quàm hoc paradigma Dei. Tale autem eſt ſacram negligere lectionem, quale eſſet, ſi quis in tenebris lumen, in æſtu Solis vmbram, vel in ægritudine medicinam reſpueret. Hæc eſt, inquam, vox Dei, quæ deſertores ſuos reuocat, dicens per Prophetam: Conuertimini filij reuertentes, & item contra virorum conſuetudinem ſtupratam coniugem reuocans ait: Audi meretrix, verbum Domini.*

Monendum tandem eſt, ne curioſa ſit hæc Scripturæ ſacræ indagatio: nam, vt inquit Beatus Iſaias Abbas oratione ſexta. *Qui cum curioſitate ſcrutatur Scripturas, inimicitias inuenit, & contentionem: at qui luget peccata ſua, pacem reperit & tranquillitatem. Monachus qui reſidet in cella ſua, & poſthabita peccatorum ſuorum conſideratione, curioſus eſt in ſcrutanda Scriptura, in errore verſatur. Quiſquis antequam ſeipſum poſſideat, quæſtiunculis vacat, quòd ſic, aut ſic loquatur ſcriptura, is curioſitatis vitio laborat. Qui autem vigilat, ne à peccatis capiatur, is ſe ſupplicem aſſiduè proijcit in conſpectu Dei.*

Lectio ſpiritualis quomodo cum fructu habenda ſit, ex deuoto Gerardo?

CAPVT XXXI.

NVNC qualiter lectio ſpiritualis cum fructu ſit inſtituenda, tradémus ex piiſſimo viro Gerardo Zutphanienſi in libro de ſpiritualibus aſcenſionibus. Igitur timore percuſſus, & compunctione depreſſus, affectu quoque, & deſiderio aſcendendi inflammatus lectionem tibi arripe ad tuum profectum, ita videlicet, vt te ſemper ad aſcendendum admoneat, ad proficiendum hortetur, vt quidquid legis ad aſcenſum puritatis, & charitatis tibi proficiat, vel viam aſcenſus per ſancta opera, & exercitia oſtendendo, vel affectum tuum ad aſcendendum inflammando, timorem incutiendo, vel per ſpem ſubleuando. Itaque, vt quidam ait, Chriſtiano Philoſopho lectio admonitio debet eſſe, non occupatio. Hoc autem facilè fiet, ſi ſecundùm doctrinam Auguſtini initium cùm volueris legere ſit timor Domini, ſi videlicet timor intentionem, & affectum tuum regulet, vt non niſi profectum quæras ſpiritualem ad cordis puritatem, & ſic, vt ille ſanctus Antonius, de quo refert Gregorius, *In 4. Decalog.* non quæras ſcientiam verborum, ſed fletum compunctionis inquiras, quatenus per hoc excitata mens tua inardeſcat, & ima deſerens ad cœleſtia bona tendat. Sanè vt tibi lectio pro ſpirituali aſcenſu ſit fructuoſa, multa ſunt tibi attendenda, videlicet quid legis, quando legis, quomodo legis, & ad quid legis. Quid legis. Non enim

quæ

quæ leges omnia, quamuis etiam vtilia, ęquè proficiunt aſcendenri. Vnde illarum ſcriptuiarum lectionibus magis debes incumbere, quæ tuum affectum magis inflammant ad ſpiritualem profectum, & aſcenſum, quàm quæ in rebus difficilibus, & curioſis illumioant intellectum, & acuunt curioſitatem, ſicor ſuot materiæ diſputabiles. Lectio etiam difficilium ſcriptorarum non reficit animum teneriorem, ſed nonunquam frāgit eius intentionem. Illos autem libros præcipuè debes legere, qui vel inſtruunt te de moribus, de exritpatione & oatura vitiorum, de exercitiis virtutum, & ſpirituali profectu, vel illos qui in te augent deuotionem, & inflammant affectum ad Cbriſtum, & ad cœleſtia. Er ſi interdum alios legeris, quāuis ex cauſa, ſtatim debes redire ad materias deuotionis. Quale enim habes continuum ſtudium in Scripturis, talem tibi formas affectum tale ſentire, & talia ſæpe meditari. Secundò debes arteodere quando legis. Lectio enim vt ſit fructuoſa, noo debet eſſe ex abrupto & caſu fortnito, ſed tempore, & hoc fixo. Homo præcipuè debet diligenter animum ex ſacra lectione reficere, vt habeat, vnde io ſuis exercitiis, cùm melius oon occurrit, memoria occnpetur. Itaque lectio non nos retineat in ſe occupatos, ſed vlteriùs dirigat ad deuotas meditationes, & ſpirituales orationes, & illæ ſua dulcedine, & affectione dirigaot vlteriùs in opus, & ſeruent delectabiliter operantes. Tertiò debes attendere, quomodo legis. Sunt enim qui in librum ex toto antè percurrunt, antequam incipiant. Alij nuoc vnum folium ſtudent in priocipio, ſtatim deinde aliud folium in medio, vel in fine, & ſic caſualiter percorruot. Faſtidientis autem ſtomachi, vt quidam ait, eſt mulra deguſtare, quæ vbi varia ſunt, & diuerſa, inquinant, oon alunt. Tu verò integrum librum tibi elige, qui propoſito conueniat, mores informet, deuotionem augeat, quem timor Domini, vt dictum eſt, præcedente à principio vſqoe ad finem congrua deuotione & debita reoerentia debes ſtudere. Quartò debes aduertere ad quid, vel propter quid legis. Et certè principalis intentio tua, ſicut io omnibus exercitiis, debet eſſe puritas cordis, noo vaoitas, non tantùm vt ſcias, ſed multo minus, vt ſciaris, ſed vt tibi proficias, & aliis pro tuo modulo. Debes igitur, vt immediriùs lectionem ad puritatem referas, ſemper aliquid de lectiooe extrabere, qood tuo propoſito conueniat, quod memoriam occupet, quod te ad proficiendum admoneat, vt ſis animal mundum, quod conſueuit ruminare. Sed & alios fructus potes in lectione quærere, vt ſcilicet nunc legendo, nunc orando, nunc operando exercitia varies, & tędium mentis deuites, & ita te teneas ſtabilem. Stude ergo in omnibus qoæ conſueuetis exercere delectationem aliquam inuenire. Delectatio enim ſeruat operantem in opere. Time in omnibus tædium mentis. Et hic debet tibi eſſe vnus in omnibus finis, vt te ſerues perſeuerantem delectabiliter in tuis operationibus, & exercitiis. Item vt lectionem immediatè dirigas ad puritatem, ſæpiùs lectiöoem oratio interrumpat, vt de lectione formes affectum, & de affectu ſurgas ad orationem, de qua non eſt opus aliquid in præſentiarum dicere, cùm de illa iam egerimus.

Inutilia colloquia circumſcribenda ſunt ex Antiocho Laurenſi.

Capvt XXXII.

QVAMVIS otij damna ſatis io vniuerſum ſignificaoerimus, ſingillatim ſunt improbandæ collocutiones otioſæ, quæ plerumque ſunt ſæculares, propter quas dixit Beatus Iſaias Abbas. *Quæ mundi ſunt, ne curioſiùs* Ora. 5.
inquiratis, ne latrinis ſimiles ſitis, ad quas homines accedunt, vt ventris onera deponant, atque ita fætore ſunt plena; ſed eſtote potius templa, & altaria Dei in ſanctitate, vbi manè, & veſperè thymiama adoleatur. Nunquam altare hoc ſit ſine thymiamate. Mundanis potiſſimum ſermocinationibus hæc otij pernicies outritur, & gliſcit: nam, vt Antiochus Monachus dixit, otioſiloquium Hom 33.
ex eo ingignitur tibi, quòd per otium vitam tranſmittis, & à te excoſſiſti certam futuræ vitæ ſpeio. Si enim æterni illius ſopplicij formidabilis horror, & cootra beati regni deſiderium mentem occuparet noſtram, nullo vnquam momento ſic per inaoiloquia traduceremus vitam. Idque eo maximè, quia dominicum vrget maodatum, quo ſignificat rationem repoſituros nos eſſe die illo iudicij, de verbo otioſo: quæcumque porrò animæ tuæ nihil afferuot emolumenti, verba otioſa ſunt. Operæ igitur pretiom ſit, vt ipſi ab immodicis colloquiis, intenta cora, nobis temperemus, ne quis reſideat locus otioſo ſermoni. Qui enim facilè ſioit intercipi ſe ac vinci à te permodica, à magois, neceſſe ſit, hunc in ſeruitutem redigi. qui parua hęc contemptim oegligit, & illis obluctatur, quæ alioqoi apud Dominum magni ſunt momenti. Omni igitur cuſtodia cuſtodiendum cor, & corpus; oec laxius quàm decet perfectos, loquendum nobis, maximè qui mondi homines videmur erudite, ac viæ ſalutaris eſſe illis præduces, ne quando contingat audire nos: Qui alium doces, te ipſum noo doces? Temeritatis planè euidens eſt argumentum ſic otioſè verba effundere & nugari, quemadmodum & in Prouerbiis ſcriptum eſt. *Fili ne æmuleris viros malos, nevè concupiſcas eſſe cum eis.* & inducit: *Os quod non habet operculum parit ſeditiones.* Et: *Stultus multiplicat verba; qui abundat ſermone, abominabilis erit. Ex multiloquio non effugiet peccatum; parcens autem labijs, intelligens erit.* Rurſus: *Apud amicum & inimicum ne enarres vitam alienam.* Et, *ſi non adſit tibi peccatum, ne reueles.* Iob quoque dixit amicis ſuis. *Vtinam obmuteſceretis, vt contingeret vobis ſapientia.*

Inutilia & ſæcularia negotia vitanda ſunt.

Capvt XXXIII.

ÆQVALIS otio eſt occupatio inutilis, aut mala: nam Domious, ſicut Eccleſiaſticus ait, *Nemini mandauit impiè* Eccle. ſ. 15.
agere, & nemini dedit ſpatium peccandi. Idcirco

ſicut otium reprehenditur in ſacris literis; ita & Eccleſ. 38. occupatio non vtilis: nam *Sapientia ſcriba in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet.* In noſtris autem inſtitutionibus non ſolùm occupatio mala & inutilis cum otio damnatur, ſed minus bona quæque ſpiritualis, & religioſa non ſit. Sanctiſſimè quidem ita cau- Reg. 45. ſum. tum eſt: *Vt plenius poſſit Societas rebus ſpiritualibus iuxta ſuum inſtitutum vacare, quoad eius fieri poterit, à negotiis ſæcularibus abſtineat: qualia ſunt teſtamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum ciuilium, aut id genus officia, nec ea vllis precibus adducti obeunda ſuſcipiant, vel in illis ſe occupari ſinant.* Congruunt, quæ De contempt. ſecul. c. 27. ſanctus Petrus Damianus ait. *Quiſquis ergo in procinctu cæleſtis militiæ poſitus, ad ſuperna Patriæ municipium properat, ſtudeat, malè blandientis mundi promiſſa reſpuere, abhorreat, ſe ſub qualibet ſpecie, actionum ſæcularium laqueis irretire. Habet deputatum ſibi propriæ ſeruitutis officium: ſufficere ſibi credat, ſi indicta ſibi obedientiæ præſcriptum munus poſſit implere. Illud ad memoriam reuocet, quod ſcriptum eſt, Caue ne in multis ſint actus tui. Sæcularibus relinquatur ſæcularia iura componere. Satis ſit ſeruis Dei, perituro huic mundo ſe mortuos exhibere. Sicut enim abſurdum eſt, bonis mala proferre: ita etiam fatuum, optimum bono inferius iudicare. Maria, quia optimam partem elegit, ſufficere ſibi credidit, nec ſe ad bona Marthæ (frequens videlicet miniſterium) reclinauit.* Rectè quoque S. Ephrem: De Monach. ac docur. *Neque enim vult Deus Monachum relictis ſpiritualibus curare ſæcularia, quamuis etiam iuſtam aliquam cauſam habere videatur; illuſio enim hæc eſt Diaboli, qui tentat eum perdere. Nam qui propter res corporales ac mundanas negligunt, amittuntque bona ſpiritualia, magnum aſſiduè damnum patiuntur non conſiderantes, neque mente amplecti valentes diuinam illam vocem, nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cælorum.* Congruis idem ſimilitudinibus confirmat ſan- De contempt. mund. c. 7. ctus Iſaacus Preſbyter. *Corpus*, inquit, *grauiter ægrotans odit cibos aſperos, & repellit. Et mens ſæcularibus rebus intenta non poteſt appropinquare ſcrutiniis diuinorum. Ignis in humidis lignis non accenditur, & diuinus calor in corde diligentis quietem, & otium non gignitur. Meretricis non manet amicitia penes vnum, & anima quæ colligata eſt rebus pluribus, in diuinis non permanet documentis.* Doctr. 10. Similiter ſanctus Dorotheus docet. *Si virtutem quis parare ſibi velit, non ad diuerſa animum diſtrahere debet, neque ſublimia quædam, curioſa, inutiliaque rimari. Quemadmodum enim, qui fabrilem artem aliquam addiſcere conatur, nequaquam animum ſuum alicui arti diuerſæ applicat: ita profectò, & qui ſpiritualem operationem, & artem perdiſcere, & exercere deſiderat, faciendum ſibi proponere debet, vt nulli ſcilicet alii rei animum apponat, ſed die ac nocte ſtudio, ſuæ profeſſionis inuigilet, omneſque cogitationes ſuas eò figat, donec ad eius poſſeſſionem, Deo adiuuante, tandem perueniat.* Sanctus Baſilius loquens de mala conſuetudine peccandi & mundanorum Reg. fuſ. c. 6. ſenſorum ait. *Eam autem nullo modo licebit euincere, ſi multa hinc inde habeamus, quibus temerè huc, illucque animus noſter diſtrahatur, & vita huius negotiis implicetur. Illud autem: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, quomodo vnquam conſequi poterit is, qui rebus ſit iſtiuſmodi diſtentus? Siquidem oportet, vt nos ipſos primum abnegemus, & crucem ſuſtollamus, ac tum demum illum ſequamur. Nihil eſt autem aliud ſui ipſius abnegatio, niſi ſumma rerum omnium vitæ ſuperioris obliuio, atque à ſuis ipſius voluntatibus receſſio, quam in vita communi aſſequi longè eſt difficillimum, ne dicam ab omni prorſus, vt fieri poſſit, facultate remotiſſimum. Atque etiam ad tollendam crucem ſuam, & Chriſtum ſequendum officit commercium, quod cum iſtiuſmodi vita habetur. Siquidem & animi ad mortem pro Chriſto ſubeundam alacritas, & membrorum quæ ſunt ſuper terram, mortificatio, & illud, quod quis libenter ſe cuiuis impendenti periculo offerre pro Chriſti nomine paratus ſit, & nulla de rebus vitæ huius affectione tangatur, hoc nimirum eſt tollere crucem ſuam. Porrò ad hanc rem magna nobis obiici impedimenta videmus à vita communi. Et præter cætera, quæ multa ſunt, illud etiam quod magnum in ea diuinas leges violantium numerum intuens animus, peccata ſua agnoſcendi, & ſe per pœnitentiam affligendi ſpatium non habet. Quin potius facta ſui cum deterioribus de ſe comparatione, de virtute ſibi neſcio quomodo blanditur. Tum deinde variis tumultibus, occupationibuſque, quæ vita ſolet communis afferre, à Dei memoria, cuius haberi ratio maior debet, abſtractus, non in eo ſolùm detrimentum facit, quòd non exultat in Deo, delectaturvè, neque voluptate, aut verborum Domini dulcedine vlla perfunditur; ita vt verè dicere illud queat: Memor fui Dei, & delectatus ſum. Et quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Sed in eo etiam aſſueſit, vt iudicia ipſius penitus contemnat, obliuiſcaturque, quo neque maius ei, neque capitalius malum vllum poteſt accidere.* Rurſus ſanctus Petrus Damianus oſtendit nobis, quomodo etiam cùm datur opera vtilitatibus proximi, minus quoad poſſit fieri, oporteat nos intromitti Eliſæi exemplo. *Balaam*, inquit, *filius Beor, qui ad prælium cum Madianitis egreditur, cum his quos iuuare decreuerat, gladio trucidatur. Et iure, qui proprio non eſt contentus officio, diſcriminis redditur obnoxius alieno. Infelix meruit inter bellantium cuneos hoſtilibus gladiis confoſſus occumbere, qui in pace poſitus, per Prophetiæ oraculum potuiſſet ipſius belli exitum nunciare. Nequaquam ſic Eliſæus, qui nimirum Ioram Regem Iſrael aduerſus Moab properantem, non ad bella ſecutus eſt, ſed tantum ſufficere credidit, quòd ei ſucceſſum belli, & futuram (conciſis hoſtibus) prædixit victoriam. Sed cur dicimus, quòd nequaquam ad bellum regia caſtra ſecutus ſit, cùm & Naaman de remotis Syriæ finibus veniente, & oſtio domus ſuæ cum equis & curribus humiliter aſſiſtente, non limen egredi dignum duxit, non ianuam, vt egrederetur, aperuit, ſed per nuncium potiùs quæ eſſent facienda mandauit? Et certò Naaman iſti, multiplex mundanarum ſuppetebat copia dotum, pro quibus honorandus à ſe videretur.* Et quidem conſilium Apoſtoli videtur præueniſſe Eliſæus; ſic enim Theſſalonicenſes dehortatur Paulus, ab otio, inutilibuſque ac ſæcularibus occupationibus. *Rogamus autem vos fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis, & vt honeſtè ambuletis ad eos qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.* Hæc omnia quę conſulit Apoſtolus, neque ab otioſis fieri poſſunt, nec ab iis

qui

Digitized by Google

qui ſæcularibus ſe immiſcent negotiis. Hi profectò non abundabunt magis, non proficient, nec abundantiorem gratiam merebuntur accipere. Neque quieti erunt, neque ſuum verum negotium agent, cùm alienis occupentur; neque ſuo muneri & penſo ſatisfacient, neque cum honeſtate, & modeſtia religioſa ambulabunt coram ſæcularibus, cùm eos non ædificabunt, neque poterunt non multa deſiderare, cùm immortificati affectus, & mundana deſideria eos impellant ad mundana negotia. Eliſæus autem, quia nihil deſiderauit in mundo, & quietus manſit, & ſuum negotium agens ædificauit eos, qui de foris erant. Audiamus nihilominus interpretamentum Caſſiani. *Operam detis vt quieti ſitis, id eſt, in veſtris cellulis commorantes, nec diuerſis rumoribus qui ſolent otioſorum votis, vel fabulis generari, inquieti effecti, alijs quoque inquietudines inferatis. Et vt veſtra negotia agatis, non veſtra curioſitate actus mundi velitis inquirere, ac diuerſorum conuerſationes explorantes, opera veſtra non ad correctionem veſtram, ſeu virtutum ſtudia, ſed ad detractiones fratrum velitis impendere. Et operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis, vt illa fierent quæ monuerat ſuperiùs, ne agerent, id eſt, ne inquieti eſſent, & aliena curarent negotia, vel inhoneſtè ambularent ad eos qui foris ſunt, vel alterius aliquid deſiderarent; nunc intulit, dicens: Et operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis. Vt enim illa fierent quæ ſuperius reprehendit, otium cauſam eſſe euidenter expreſſit. Nullus enim poteſt vel inquietus eſſe, vel aliena curare negotia, niſi qui operi manuum ſuarum non acquieſcit inſiſtere. Quartum quoque intulit morbum, qui ex ipſo otio naſcitur, id eſt, vt inhoneſtè non ambulent, dicens: Et vt honeſtè ambuletis, ad eos qui foris ſunt. Nunquam poteſt nec apud eos quidem qui ſæculi homines ſunt, honeſtè incedere, qui nequaquam clauſtris cellæ, & operi manuum ſuarum inhærere contentus eſt; ſed neceſſe eſt eum inhoneſtum eſſe, dum neceſſaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, nouitates etiam rumorum ſectari, cauſarum, fabularúmque occaſiones conquirere, per quas ſibimetipſi aditum pateat, ac facultatem quâ diuerſorum domos valeat penetrare. Et nullius aliquid deſideretis. Non poteſt non alienis donis, & muneribus inhiare, qui non delectatur pie, quietéque labore operis ſui quotidiani victus parare ſubſtantiam. Videtis, tot cauſas, tam graues, ac turpes, vna huius vitij labe generari.* Huc ſpectat, quod in Leuitico dicitur, *cuncta, quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta ſunt.* Per piſces qui non habent pinnulas intelligit Gregorius eos, qui ita ſe immergunt occupationibus, vt neſciant mente ad cœleſtia tanquam ſaltibus aſcendere. Etenim piſces, qui pinnas habent, ſaltus ſuper aquam ſolent efficere. Sicut ergo iſ piſces, qui pinnis carent, immundi habentur: ſic ij, qui externis curis ſe permittunt obrui, repudiantur à Deo, cùm in altum caput attollere nequeant, & nulla eos, ait Gregorius, amoris ſummi quaſi liberis aeris aura contingit.

Lib. 10. de ſpir. aud. c. 7.

Lib. 5. mor. cap. 6.

***

In illud, Attende tibi ipſi, *ex Abbate B. Iſaia, & Antiocho Monacho.*

CAPVT XXXIV.

REMEDIVM otij & inutilium occupationum habebit, qui illius meminerit conſilij, *attende tibi.* Et ſanè, vt diſcretiſſimus Antiochus Monachus conſiderauit: *Nulla non in re attentam ſui ipſius gerere curam, res quidem perquam ardua, ſed ſalutaris, Deóque, vel in primis accepta. Sanè mandatum hoc in genere omnes concernit. Talis qui eſt, peccatum omne vitabundus fugit; omnem verò virtutem, neque non mandata Dei perficit. Hic aliorum defectus quamlibet multiformes, quaſi non videat neglectim tranſmittit: quippe qui aliorum ſecurus, ſui tantùm ipſius attentam curam obit, mentem habens per hoc ad Deum vniformiter arrectam. Talis ſibi temperat, ſéque remolitur ab vniuerſis terrenarum rerum negotijs; eóque mentem ſublimiter attollit ad cœleſtia, & æternum duratura. Conuentus hic noſter (fratres) perquam aſſimilis videtur nundinis. Qui negotiari nouit, non mediocre capit ex nundinatione lucrum, qui artis mercatoriæ rudis eſt; adeò nihil refert compendij, vt plurimum etiam diſpendij ſuſtineat. Generoſa prorſus ac Deum ſinceriter amantis animæ eſt, ſibi ipſi magna cum cautione attendere. Talis præſentia hæc cùm inamœna deputet atque inutilia, futura verò inenarrabilia credat, & quæ comprehendi non queant; ea tamen præſtoletur ſpe nihil dubia, cupientiſſimè eò interim ſuſpirans, recta ingreditur via, donec ad tranquilliſſimum, & ab omni procellarum intemperie requietum obuius appellat Chriſti portum.* Hæc ille. Et quidem propter huius rei momentum multis ad hoc vocibus hortatur nos Scriptura. *Attende* (ait) *tibi ipſi, & cuſtodi animam tuam valde; ne obliuiſcaris Domini Dei tui, & ne recedant ſermones à corde tuo, omnibus diebus vitæ tuæ, ſed diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine tua, qui è fornace ferrea eduxit te de ſeruitute Ægyptiorum,* hoc eſt, è iugo Principis tenebrarum mundi huius. Ægyptus enim ſua interpretatione inſinuat, *tenebras.* Attende tibi, ne poſtquam comederis, & ſaturatus fueris, obliuiſcaris Domini Dei tui, & recalcitres, vt aliquando dilectus ille populus, nunc autem Deo odibilis; ſed verba eius inſeres cordi tuo, & erunt inconcuſſa, atque immota ante oculos tuos. Attende tibi ipſi, ne derelinquas Leuitam omnibus diebus vitæ tuæ, hoc eſt, miniſtros Domini. Sacerdotes enim, Leuitæ etiamnum ſunt: ipſi enim portant peccata populi. Attende tibi ipſi ne fortè fiat in corde tuo verbum, quod occultet quidpiam flagitij, hoc eſt, ne curioſè, & ſuperuacaneè confictis argumentis tibi ipſi blandiaris, magis autem dies tranſmittito vitæ iſtius tuæ citra vllius ſimulationis fucum, ceu per Hieremiam iubet Dominus: *Ecce dedi ante faciem veſtram viam vitæ, & viam mortis*, hoc eſt, ſeruitutem & libertatem. Qui enim aliquando eramus tenebræ, nunc autem lux in Domino. Attende iis quæ ſunt in Domino, ne quando prætérfluāt; comedenti enim vuam acerbam obſtupeſcūt dentes. Vnuſquiſque

Homil. 61.

peccato ſuo morietur; Eccleſiaſtes ait. *Tribuli & laquei in vijs obliquis, qui autem cuſtodit animam ſuam, effugiet ea. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, ex eo enim exitus vitæ.* Iterum. *Præpara ad exitum opera tua, & præparare in agrum, & vade poſt me, & reædificabis domum tuam, quæ quidem præ curioſa vetuſtate transgreſſionis Adam, collapſa erat, in Baptiſmate autem inſtaurata eſt.* Apoſtolus item Paulus. *Videte quomodo ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Et in Apoſtolicis Actibus. *Attendite vobis ipſis, & vniuerſo gregi in quo poſuit vos Spiritus ſanctus paſcere Eccleſiam Dei.* Et Ioannes. *Pueri nouiſſima hora eſt, ſicut audiſtis de Anti-Chriſto, quia venit, & nunc Anti-Chriſti multi ſunt.* Vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt. Dominus quoque. *Attendite vobis ipſis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos.*

Hæc ſunt ſacra oracula, quibus monemur, ne otio torpeamus, ne inutilibus negotiis diſtrahamur, ſed nobis metipſis attendamus. Quæ ſint autem ad quæ attendere debeamus, vt nobis attenti ſimus, Beatus Iſaias Abbas in quadam homilia diſſeruit, qui ſic monet. *Attende tibi diligenter, & conſidera Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, & ſurrexiſſe, noſque ſanguine ſuo redemiſſe, vt ipſi tibi non amplius viuas, ſed Domino, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Cogita igitur, te ſemper ante oculos eius verſari, & cor tuum obſerua. Attende tibi diligenter, vt prompto ſemper animo pareas voluntati Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſiue in vita, ſiue in morte, ſiue in quauis afflictione. Et ſemper magnas aliquas & terribiles tentationes, & afflictiones, & calamitates, & mortem expecta, ne te imperatum offendant. Attende tibi diligenter, vt tanquam vbique ſit præſens Deus, nihil facere cogites, quod eius ſit voluntati contrarium. Omnibus in rebus quamuis minimis, ſeu quid loqui vis, ſeu agere, ſeu cum aliquo negotij quippiam contrahere, aut cibum capere, aut bibere, aut cubitum ire, aut quicquam aggredi, prius conſidera, vtrùm id cum Dei voluntate conueniat, & eius cauſam confitere, atque ita rem aggredere, vt magna tibi fiducia ſit apud Deum. Attende tibi diligenter, vt ſi quis te aliqua in re offenderit, & te dolor extimulet, aut indignatio, ne quid præter decus loquaris, ſed taceas, donec quieſcat cor tuum, ac tum demum benignè fratrem admone, & cohortare. Quòd ſi neceſſe fuerit, fratrem reprehendere, & te ira commotum videris, & non tui iuris: caue, ne quid omnino loquaris, ne creſcat perturbatio, ſed cùm & te, & illum quietos, tranquilloſque animaduerteris, tum ſic eum alloquere, vt non arguere, ſed omni cum humilitate commonere proximum videare. Attende tibi diligenter, vt ſingulis horis aliquam tibi vel ex morte, vel ex calamitate, aut magno aliquo periculo tentationem inſtare non dubites. Et quæ aduenerint, forti, ac ſtrenuo animo perfer omnia, conſiderans eſſe neceſſarium, vt per multas afflictiones, & ærumnas ingrediamur in Regnum cælorum. Attende tibi diligenter, vt nulla in actione, aut ſermone, aut cogitatione voluntati, aut quieti tuæ ſeruias, ſed voluntati Dei, etiamſi magnus propoſitus labor videatur. Sic enim tenditur ad regnum cælorum. Eam igitur omni humana prudentia antepone, & reliquis omnibus hominum conſilijs vtiliorem exiſtima. Dei namque mandatum eſt æterna vita, & qui ipſum exquirunt, non minuentur omni bono. Attende tibi diligenter, vt in conſpectu Dei ſemper exiſtens nihil ab vllo alio ſperes, ſed ab vno illo omnia cum fide. Si qua re tibi opus eſt, Deum precare, vt eam tibi, ſi velit, concedat. Quidquid habes, id non alijs, ſed Deo acceptum refer, & illi gratias age. Si quæ tibi deſunt, ea ab hominibus ne expectes, neque de vllo conquerare, ſed alacri animo, & tranquillo cuncta ſuſtineas, tecum ipſe ita cogitans: Ego quidem propter peccata mea multis ſum dignus afflictionibus: attamen Deus, ſi velit, poteſt mei miſereri, & quæ ſunt vſui neceſſaria, mihi ſubminiſtrare. Hoc animo ſi fueris, Deus nihil tibi, quod expediat, deeſſe patietur. Attende tibi diligenter, vt nihil omnino ſuſcipias, niſi quod tibi perſuaſeris, iuſtè partum à Deo ſuppeditari. Quæ ſunt eiuſmodi, ea cum pace ſuſcipito. Quæ verò ex iniquitate, aut bello, aut fraude, aut ſimulatione profecta perſpexeris, ea reijcito, & repudiato. Melior enim exigua pars cum timore Dei, quàm ingentes theſauri cum iniquitate. Attende tibi diligenter, vt omni ſtudio ſilentium colas, quo faciliùs, Deo adiuuante, ad virtutem contendas, atque proficias. Quòd ſi tempus inciderit, vt neceſſariò loquendum ſit, aut præſtet loqui, quàm tacere: tunc os tuum aperiens cum timore Dei atque tremore, & capite demiſſo, modeſtè, & ſummiſſa voce verba facito. Si cum aliquo congreſſus fueris, charitatis gratia pauca loquere & celeriter taco. Si fueris interrogatus, tantum reſponde, quantum obedientiæ neceſſitas coget, & non amplius. Attende tibi diligenter, vt quemadmodum à libidine temperas, ſic etiam oculorum, & aurium, & tactus cohibeas cupiditatem. Oculos manuum tuarum operibus ſolùm intende, & non rebus alijs, niſi probabilis neceſſitas id poſtulabit. Fœminas verò, aut viros formoſos, niſi magna vrgente neceſſitate, reſpicias caue. Quæ de alijs dicuntur, ne cures audire. Os tuum, niſi neceſſe ſit, nihil loquatur omnino. Si hæc vtilia eſſe animaduerteris, frater, operam da, vt ea re ipſa perficias, vt in hora tentationis te Deus protegat, & tueatur.*

Orat. 17.

Multitudo occupationum etiam laudabilium poterit impedire profectum.

CAPVT XXXV.

ADIICIO non ſolùm temporalium negotiorum, ſed etiam Sanctorum, ſpiritualiumque exercitiorum multitudinem obſtare poſſe, atque turbare, impedire ſaltem noſtrum profectum. Rectè ſanctus Baſilius ait. *Multo eſt præſtabilius vnum, modo ſolerter, & induſtriè confeciſſe, quàm multa attentaſſe, quæ neceſſariò poſtea ſint relinquenda. Siquidem, quæ ad res plures animi fit diſtractio, & mentis eodem tidem modò ad hanc, modò ad illam applicatio, præterquam quòd opus nullum perfectè perduci ad exitum ſinit, etiam morum leuitatem, vel ſi ineſt, arguit; vel ſi non ineſt, ingenerat.* Optimè conſulit Sapiens. *Fili ne in multis ſint actus tui.* Item, Eccli. 11.
Qui conatur multa agere, incidet in iudicium. Et Eccli. 29.
Saluator dixit. *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris*

Digitized by Google

turbaris erga plurima,porrò vnum eſt neceſſarium. [Lib 1. Dial. c.4.] Rationem reddit S.Gregorius, *Cum animus diuiditur ad multa,fit minor ad ſingula, tantoque ei in vna qualibet re ſurripitur, quanto latius multis occupatur.* [Philip.2.] Et Tullius ait, *Duas res, magnas præſertim, non modò agere vno tempore, ſed ne cogitando quidem explicare quiſpiam poteſt.* [Lib.7 in Luc 10.] Appoſitè interpretatur ſanctus Ambroſius prohibitionem Saluatoris noſtri de nemine in via ſalutando, qua inquit: *Non ſalutationis officium aufertur,ſed obſtaculum impediendæ deuotionis abolетur: vt quando diuina mandantur,pauliſper ſequeſtrentur humana. Pulchra eſt ſalutatio, ſed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio diuinorum; quæ per moram ſæpe traxit offenſam. Ideo autem & honeſta prohibentur, ne ſolemnis gratia obrepat officij, & impediat miniſterium, cuius mora culpa ſit.*

DOCTRINA IV.

DE TEMPORE PROBE occupando.

Quanta ratio habenda eſt temporis bene & vtiliter occupandi?

CAPVT XXXVI.

IN omnibus rebus capiamus conſilium Apoſtoli, qui præuidens quantum temporis inutiliter conſumi poſſit multitudine actionum, aut cum ſæcularibus, ait: [Coloſſ.4.] *In ſapientia ambulate, ad eos qui foris ſunt, tempus redimentes.* [Epheſ.5.] Et iterum, *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Tempus, ſecundùm ſanctum Hieronymum, quaſi captiuum eſt, cùm malè expenditur; quippe à Deo datum ſit, vt bonis operibus ſeruiat: ideo per bona opera ex captiuitate redimitur, & in libertatem ſuam aſſeritur. *Quando tempus*, inquit, *in bono conſumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat: ſicque dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præſentis ſæculò, ſed futuri.* Cæterùm, tempus & præteritum dicit, & præſens, & futurum, atque iuxta Patrum interpretamenta omne temporum genus monet nos ſanctus Paulus redimere ac lucrari. De præterito opportuna eſt ſententia ſancti Anſelmi. *Tempus*, inquit, *redimimus, quando anteactam vitam, quam laſciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Præſentis quoque ratio habenda eſt. Redimentes* iuxta Græcum, ſumitur pro *ementes*, quaſi moneat Apoſtolus, ſtudioſè emere quantovis pretio, & difficultate, ac rerum iucundarum diſpendio tempus & occaſionem bene operandi, quam ſemper captare oportet. [Serm.24 de verb. Apoſt.] Optimè ſanctus Auguſtinus dixit. *Redimere tempus, hoc eſt, quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, vt Deo vaces, non litibus; perde ergo ex eo quod perdis, pretium eſt temporis: certè quando pro tuis neceſſitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut lignum, aut aliquam ſupellectilem, das, & accipis, aliquid amittis, aliquid acquiris, hoc eſt, emere; nam ſi nihil amittas, & habeas, quod non habebas, aut inueniſti, aut donatum accepiſti, aut hæreditate acquiſiſti; quando autem aliquid amittis, vt aliquid habeas, tunc emis; quod habes emptum eſt, quod amittis pretium eſt.* Alibi idem Auguſtinus. [Hom.1.ex 50.] *Quid eſt, redimere tempus, niſi cùm opus eſt etiam detrimento temporalium commodorum ad æterna quærenda, & capeſſenda ſpatia temporis comparare.* Tunc certè noſtrum tempus facimus & rem propriam, quaſi qui illud emimus; alioqui tanquam non rem propriam nihil temporis retinemus. Emamus igitur tam vili pretioſiſſimum tempus, cumque dies mali ſint, particula boni diei ne nos prætereat. Fruſtula & puluiſculi, & quidquid ex auro deterit lima ſeruantur, quia omnium metallorum pretioſius aurum eſt, ſic tempus quia pretioſiſſimum in ſuis etiam particulis pretioſius eſt omnibus temporalibus rebus. Quare pro omnibus minimo emitur pretio. *Tempus*, inquit ſanctus Bernardinus, *tantum valet, quantum Deus; quippe in tempore bene conſumpto comparetur Deus.* Excellit itaque temporaria omnia, cur illud dilapidamus turpius, quàm filius prodigus ſubſtantiam ſuam, quanto æterna excedunt temporalibus. Diſcamus à peſſimis tempus captare, ne pertranſeat, inquiunt, flos temporis.

Commodum quoque eſt aliorum interpretamentum pro futuro tempore, Deus, inquiunt, ſæpe peccatoribus tempus, quod ſecundùm naturæ curſum viuere deberent, propter peccata diminuit, iuxta illud Pſalmi, [Pſal.54.] *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Quam ob cauſam illis centum & viginti annis quos vſque ad diluuium Deus hominibus præſcripſerat, viginti annos detraxit. [Geneſ.6.] Cùm igitur Deus ſoleat tempus vitæ propter peccata diminuere, is qui bene agit rectè dicitur illud redimere, quoniam illud vitæ ſpatium, quod alioqui ſi peccaret, erat ſibi Dei iudicio detrahendum, quaſi bonis operibus redimit, impletque dies omnes ſibi ad viuendum à natura definitos. Itaque moritur plenus dierum inſtar Abrahæ. Qui autem differt diuino mancipari obſequio, in quot dies, aut menſes illud producit, tot ſibi ſolet de vita adimere; inde videmus plurimos iuuenes bonæ valetudinis citius quàm putabant vita, & expectatione ſua excidiſſe. Seruitium diuinum non eſt vt mercatura, quæ nundinas expectat, non vt meſſis, quæ æſtate fit, nullum tempus non eſt commodum, vt Deo ſeruiamus; idcirco non eſt procraſtinandum. Optimè ſanctus Theodorus Studita exhortatur. [Catech.130.] *Fratres & Patres, alia alijs præfinita eſt tempeſtas alia eſt enim ſementis, alia meſſis, alia pacis, alia belli, alia quæſtus, alia feriarum, animi ſaluti nulla non idonea, omniſque commodus dies, ſi velimus. Ergo irrequieti ſimus ad honeſta, pernices, nouitij, dicta in opus educentes.*

* * *

Digitized by Google

Seruire Deo non eſt differendum, nec in dies procraſtinandum.

Capvt XXXVII.

MAgna profectò eſt præſentis temporis, imò & futuri iniuria procraſtinatio, & in diem noſtrum differre profectum. Cur præſens dies ſine vſu ſuo prætereundus, cùm ſemel præteritus reuocari nequeat, & futurus dies ſuum quoque proprium mereatur & poſtulet vſum, atque officium, nec iuſtè ſit alterius diei penſo occupandus. Rectè ſanctus Bonauentura ait. *Dies, vel hora, qua negligenter officiata pertranſierit, nequaquam vlterius poterit reuocari, cùm temporis ſequentis officium, ſuam nihilominus diligentiam, & deuotionem requirat.* S. Ephrem meritò laudat Monachum repellentem Dæmonis ſuaſionem huiuſmodi: fratri cuidam ſuggerebant cogitationes tempore vigiliæ, dicentes. *Requieſce hodie, & noli ad vigilias ſurgere.* At ille. *Cogitate heri non ſurrexiſſe, & hodie ſurgendum eſſe.* Et de opere aggrediendo rurſus ei ſuggerebant. *Quieſce hodie, & cras operaberis*; illeque iterum reſpondit: *Nequaquam, ſed hodie operare, & de craſtino cura Domino erit.* Incertus eſt dies craſtinus; idcirco non eſt periclitandum hodierna frui.

p. 2. ſpec p. 1. cap. 1.

In doctr. var. cap. 47.

Præterea quamuis nullum eſſet periculum craſtina die viuendi; at illud ſemper periculum eſt non bene cras viuendi, ſi hodie non vixeris. Meritò propterea dixit Epictet. *Non es amplius adoleſcens, ſed vir iam abſolutus, ſi nunc neglexeris, aut ſocors fueris, & ſemper propoſita ex propoſitis feceris, & dies alios poſt alios ſtatueris. Poſt quæ tibi ipſe des operam inſcius, & imprudens nihil proficies, ſed ineruditus manebis & viuens & moriens. Iam itaque dignum te putes, qui tamquam perfectus, & proficiens viuas, & quod optimum viſum fuerit, lex tibi ſanctiſſima eſto. Si laborioſum quid, ſi iucundum, ſi glorioſum, ſi infame afferatur, memento nunc eſſe certamen, iam appetere olympia, nec differendum eſſe. Si ſemel item ceſſeris, aut viceris, perire, aut ſeruari profectum. Socrates hoc pacto euaſit ſapientiſſimus, omnia aggrediens, nil aliud reſpiciens, quàm rationem. Quòd ſi ipſe nondum es Socrates, at viuere debes, vt qui Socrates eſſe velis.* Neque putandum eſt die ſequenti maiorem aptitudinem, & facilitatem habituros. Aptitudo hæc non die, ſed vſu cõparatur, cùm autem ceſſet hodierna die actus, ſequenti maior habitus non erit, imò quia gliſcit mora contraria conſuetudo, creſcit quoque difficultas. Vnde Simplicius adiicit, *Nõ proficies igitur, ſed deficies paulatim ob aſſuetudinem ignauia, & ineruditus eris tam viuens, quàm moriens.* Et poſtea. *Non oportet autem per ſocordiam prætermittere aliquem diem, nec rem vllam, vt putes te nihil ex eorum contemptu lædi. Vno enim die, aut re vna, inquit profectus, & ſeruatur, inquit, & perit. Quidnam hoc? An quoniã qui vno die, aut re vna, ſocors fuerit, ignauior ac futilior euadit. Ita, vt vbi aliàs res occurrerit, cùm hebetior ſit, quàm prius, ab ea ſuperetur, ſiquidem prima illa, & multo magis in alia. Atque ita paulatim creſcens hebetudo, profectum omnem prorſus rectæ rationis profligat? Verùm ſeruatur, atque augetur profectus modo contrario. Ex vno enim die, & re vna ſignum aliquod acquiritur, quantus ſit profectus, vt reliqua, quæ incidant, cum maiore profectu excipiat, & magis reliqua. Ita inquit, Socrates omnium hominum ſapientiſſimus euaſit, cùm ſe aſſueſeciſſet nulla in re ſuam differre vtilitatem, ſed in re qualibet incidente non alij quam ratione confidere, quæ ipſi conſideranti optima eluceſcit.* Propter iſtud malorum habituum robur quod procraſtinatione boni operis comparatur dixit quidam,

In Ench.

Cap. 100 in Ench. Epictet.

Qui non es hodie, cras minus aptus eris.

Et alius,

Infelix ſemper, qui in longum tempora differt.

Ouidius Poëta Græcus.

Falluntur multi exiſtimantes ſequenti die maius auxilium, aut facilitatem bene operandi adepturos, non ita fit, ſed maior accidet difficultas. Vnde infelicior erit boni operis partus. Debemus celeritate operandi præuenire fraudes Dæmonis, & facere quod renuntiatum Pharaoni fuit de fœminis Hebræis; ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam. Et priuſquam veniamus ad eas, pariunt priuſquam demus locum fraudi Dæmonum bona noſtra edamus. Rectè monet ſanctus Ambroſius: *Anima iuſtorum non expectent, & nec requirant adiumenta generandi, ſed ſponte partus ſuos fundant, expectationemque præueniant.* Philo quoque ait: *Oportet eos, qui boni aliquid faciunt præuolare ante alios, & inconſtanter amoliri impedimenta omnia.* Maximum autem impedimentum mora eſt. Dixit quidam,

De fuga ſæcul. c. 8.

Lib de ſacrif. Abel. & Cain.

Cras hoc fiet, idem cras fiet: quid quaſi magnum,
Nempe diem donas, ſed cùm lux altera venit,
Iam cras heſternum conſumpſimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paucum erit vltrà.

Vox reproborum *cras* eſt, vt Philo obſeruauit, ſicut iuſtorum *nunc*. Sic reprobatus à Domino, interrogatus à Moyſe quando vellet Deum rogari, vt ranas abigeret, cùm oporteret reſpondiſſe, hodie, extemplo, nunc, in hoc temporis puncto, reſpondit, cras. *Cùm debuerit*, inquit Ambroſius, *in tanta poſitus neceſſitate rogare, vt iam oraret, nec differret. Reſpondit, craſtina die, otioſus, & negligens, mora pœnam Ægypti ſoluturus exitio.* Quòd ſi tanta amentia ſocordium eſt ob peſſimam conſuetudinem prorogandi bona, vt etiam mala ſibi ſtatim tolli nolint, alienumque bonum opus differant, bona, & actus proprios quomodo ipſi congruo exequentur tempore? Vnde ſanctus Auguſtinus expertus quidem ait. *Ipſa res eſt quæ multos occidit; cùm dicunt cras, cras, & ſubito oſtium clauditur, remanſit foras cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum.* Cras cras corui vox eſt. Iuſtus autem & electus non cras dicit, ſed nunc. Sic Dauid, *Ego dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Idem ſanctus Auguſtinus diu perditus, cras dicebat, cùm autem reſipuit, modò. Sic ipſe fatetur. *Quandiu, quandiu, cras, & cras? Quare non modò, quare non hac hora finis turpitudinis meæ.* Quapropter diſcrimen inter iuſtos & malos, inter diligentes, & ſocordes, bene notauit Sapiens, dum dixit. *Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt. Præſtolatio impiorum furor.* Rectè dixit, *deſiderium iuſtorum omne bonum eſt*, non loquit, *erit*, quia iuſti moras bene agendi non patiuntur, ſed ſtatim ad opus deſideria deducunt; at verò impiorum præſtolatio, & mora, furor quidem & amen-

Lib. de Abel.

Serm. 16 de verb. Dom.

Lib. 8 confeſ. cap. 12.

Prou. 11.

tia,

tia, & maxima inſania eſt. Eccleſiaſtici conſilium arripiendum eſt. *Quodcumque facere manus tua* Eccl. 9. Prou. 3. *poteſt, inſtanter operare.* Et Sapiens, *Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere, cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare.* Aptè Seneca. *Omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis citò facere, qui tardè & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle nolentis eſt.* Igitur cùm moratur, cùm expectat aliquis præbere Deo cor ſuum, & ſeruire Domino in craſtinum diſtulit, perinde videtur eſſe, ac nolle, & negare optimo, & omnipotenti Hero debitum obſequium eius, quod ſemper debitum fuit, non eſt procraſtinanda ſolutio, non conſulenda, nec deliberandum de ſatisfactione certæ obligationis. Quid conſilium expectas? quid mundi prudentiam requiris? vt diuinam ſapientiam conſequaris. Optimè ſanctus Bernardus ait. In id, Ecce nos reliquimus omnia. *Quantos mundi ſapientia maledicta ſupplantat, & conceptum in eis extinguit ſpiritum, quem Dominus voluit vehementer accendi. Noli,* inquit, *præcipitanter agere, diu delibera, magnum eſt, quod proponis. Experire quid poſſis, amicos conſule. Hæc eſt ſapientia mundi, terrena, animalis, diabolica, ſalutis inimica, ſuffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ Deo ſolet vomitum prouocare, cùm à Deo verbum eſſe non dubites. Quid eſt opus deliberatione, vocat magni conſilij Angelus, & quid aliena conſilia præſtolaris quis fidelior illo, vel ſapientior. Seduc me Domine, & deducar, fortior eſto, & inualeſce, vt ab ore putei gehennæ eripiar, & inducias petam, & cunctabor exire, ſi fortè interim fiat aliquid. Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto iam latere, & iam ſanè defluente deliberandum eſt, an excutiam illum. Magnum eſt, quod offerunt, ſed eo vtique libentiùs, & feſtinantiùs ſuſcipiendum obuijs manibus, & cum feruore, & hilaritate; probet autem ſeipſum, qui de propria virtute præſumit; nam diuina quidem omnino probata eſt.*

Hactenus de cura viriliter exigendi temporis, & diligentia maturandi feruoris bonæ vitæ; nunc aduersùs tepidos, qui miſerabiliter temporis iacturam faciunt, aliqua dicemus.

DOCTRINA V.

DE TEPIDIS.

Primum tepidorum genus.

CAPVT XXXVIII.

Iob 6. QVi timet pruinam, irruet ſuper eos nix, tempore quo fuerint diſſipati peribunt, & vt incaluerit, ſoluentur de loco ſuo. Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt. Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba, & expectate pauliſper.* Omnia hæc verba imperfectos Religioſos pungunt, adurunt frigeſcentes, & ignauos, qui vana reuerentia hominum, aut leuiſſimo timore difficultatis, quæ omnes virtutes reddit pretioſiſſimas, in magnæ deficiunt negligentiæ frigus, vt periculum aliquando ſit, ne excidant loco ſuo amœniſſima hac Religionis paradiſo, & terra ſancta in qua ſtamus. Hi quidem ſunt, quorum inuolutæ ſunt ſemitæ, qui non progrediuntur, quantumuis gradiantur, qui non magis eunt, quàm redeunt, qui ſemel ac procedant, ſtatim recedant, qui vix conuertuntur, cùm facillimè reuertuntur, qui perambulant in vacuum, cùm tantumdem recurrant, quantum cucurrerant replicantes in ſemetipſos eoſdem ſæculi mores, eaſdem imperfectiones, quorum ſemitæ meritò dicuntur inuolutæ; quia, vt ſanctus Gregorius dixit, *Omne quod inuoluitur, in ſemetipſum replicatur.* Non aliter quàm equus cùm in gyrum ducitur, aut cùm trochum circumagitant pueri. Conſideremus igitur horum vias, inſtar ſemitarum Thema, & Saba aridiſſimas, & ſiccas ſine deuotionis ſucco, ſine cœleſti rore; & pauliſper expectemus ſedendo in otio ſancto orationis, vt conſideratis miſeriis, & periculis imperfectorum ad feruoris, & ſtrenuitatis aſylum properemus. Tres cauſas tepiditatis inuenio, iuxta S. Gregorium, ſiue triplex tepidorum genus, qui inuolutis ſemper ſemitis potius regrediuntur, quàm iter aggrediuntur virtutis. Deinde aliud quartum genus eſt eorum qui conſiſtunt, neque progrediuntur, neque notabiliter ingrediuntur, de ſingulis nonnihil dicam. Primum genus eorum, qui optimis deſideriis nutriti, nullum, aut pauca opere complent, cùm omnia valent. Alterum genus eſt, quorum deſideria ipſa in integrum deficiunt. Tertium genus medium inter duo dicta intercedit, eorum ſcilicet, qui quædam volunt, quædam nolunt, neque tantùm operibus ipſis claudicant, ſed & votis. Igitur vt circumſpiciamus nos & rigido ſcrutemur examine, num in aliquo in his tepidorum choro ſimus, & in quo ignauiæ ordine iacemus, ipſa tria genera expendamus.

Sunt quidem multi, qui piis ſtimulantur deſideriis, quibus omnis gratiſſima eſt virtus, quibus pulchra, & amabilis videtur, eamque optant, eam cupiunt, bene de ea loquantur, eandemque decernunt conſequi: in tempore tamen exequendi propoſiti deficiunt, cupiunt virtutem ſine virtuoſo opere, amant virtutem, ſine eo quod æſtimabilem virtutem facit ſine difficultate ſua, quæ gloriam virtutis commendat ſine labore, quæ officina eſt meritorum, volunt virtutem cum commoditatibus propriis, non cum oneribus virtutis. Volunt accommodatam ſuo ingenio, non ingenio illius. Sic ſemper bene proponunt, ſed malè operantur, quia in exercitio difficultatem experiuntur, quam in voto non ſentiunt, nonne iſtorum vitæ inuolutæ ſunt, cùm nunquam procedant. De his pulchrè ſanctus Gregorius inquit. *Rectaquidem deliberando appetunt, ſed ad* Lib 7. Mor. cap. 12. *conſueta ſemper mala replicantur, & quaſi extra ſe tenſi ad ſemetipſos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, ſed à malis nequaquam recedunt; eſſe quippe humiles, ſed ſine deſpectu: eſſe contenti proprijs, ſed ſine neceſſitate: eſſe caſti, ſed ſine maceratione corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumelijs volunt: cumque adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt, quid aliud*

quàm

Digitized by Google

quam exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in vrbibus, de bello concupiſcunt. Nonne his nos fallimus deſideriis, cùm ipſam virtutem concupiſcendo repudiemus. nam virtus non eſt ſine labore; labor quippe decorat virtutis gloriam, labor eſt pretium virtutis, labor virtutem æſtimabilem facit, & nos appetimus virtutem ſine ſuo decore, ſine ſua gloria, ſine ſua æſtimatione, id eſt, non appetimus, non cupimus. Nam nemo poteſt dici abſolutè id velle, ſi nolit, per quod valeat adipiſci cupitum. Quis verè dici poſſet velle Madrito ire Toletum, ſi & pedes & eques, & vectus iter aggredi detrectaret, & ſolùm auium inſtar volatu illuc cuperet tranſmeare. Nonne huius deſiderium potius eſt volandi, quàm conſiſtendi Toleti. Idem dico de cupiente virtutem, diuinúmque ſeruitium, ſi qualibet difficultate obiecta virtutis detrectaret exercitium, quam ſolùm exercere cuperet, quatenus cum commoditatibus ſuis conueniret. Huius profectò deſiderium magis eſt commoditatis ſuæ, quàm virtutis. Æquè ridenda & leuia hactenus fuerunt vota noſtra, cùm à nobiſmetipſis exitum non impetrent, ſed potiùs noſtris repugnemus decretis; quia ſuperficialiter hærent cordi iſta deſideria, quæ cùm ſemina virtutum ſint, nullam radicem agunt: ideò nunquam naſcitur, quod ſemper ſeritur. Seminamus, vbi natæ ſunt ſpinæ bonam obruentes ſementem. Quæ acutiores ſpinæ, quàm affectus inordinati, quàm amor caducarum rerum, quarum terrena deſideria vincunt in nobis cœleſtia. Cùm igitur diſſolutos affectus non ſimus mortificationis ſtudio moderati, quidquid præterea cupimus opprimimus. Quare profundiori immergimus corde bona deſideria, prauis affectionibus extirpatis.

Ierem. 4. 3. Hoc nobis Ieremias admonuit. *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas, circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Mortificationem prauarum affectionum commendat, vt profundiùs deſideria ſeminemus virtutum. *Quemadmodum igitur* (ait S. Chryſoſtomus) *Homil. 4. ad Popul.* *aratrum immittens deorſum, terram aperit cutam ſeminibus cuſtodiam parans, ne iacta in ſuperficie remaneant, ſed in ipſos terra ſinus immittantur, & in tuto radices figant: ſic & nos facere neceſſarium, & tanquam aratro afflictione vtentes cordis profundum ſcindere. Hoc enim & aliùs* *Ioël 2.* *Propheta admonet, dicens: Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; corda igitur ſcindamus, vt ſi qua doloſa herba, & improba cogitatio nobis ineſt, radicitus eam vellamus, & puras pietatis ſeminibus terras exhibeamus.* Nouemus igitur frequenti ſpiritus renouatione noualia, & nolimus ſerere ſuper ſpinas. Nec cum prauis cupiditatibus optima miſceamus deſideria, hoc modo renouabimur, & tepiditatem exuemus. Piger enim eſt, qui ſuper ſpinas ſerit, cuius ager cordis *Prou. 24.* tribulis plenus eſt, de quo Salomon dixit: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerunt vrtica, & operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ.* Eradicandæ igitur nobis ſunt omnes ſpinæ affectionum prauarum, omnes cupiditates mundani gaudij & conſola- *Homil. 4. ad Mon.* tiones: nam, vt inquit Euſebius Emiſſenus: *Peculiarius iſtud ad profeſſionem noſtram pertinet, nihil in hac vita conſolationis requirere, nihil quietis, nec recipere velle bona in vita ſua, ſed honores refugere, ſubiectione, atque abiectione gaudere paupertatem ſtudio quærere, & non ſolùm facultates, ſed etiam ipſas cupiditates è cordibus eradicare. Nihil enim habere, interdum res neceſſitatis eſt; nihil verò cupere res virtutis, & ideo hunc ſibi ſpecialiter modum Religioſus debet imponere, vt tantum habeat, quantum neceſſitas poſcit, non quantum cupiditas concupiſcit. Habendi enim amor niſi ad integrum reſecetur, ardentior eſt in paruis, & plus torquetur in minimis, & niſi ex corde, atque affectu pauper ſis, paupertas ipſa non virtus, ſed miſeria iudicanda eſt.*

Secundum tepidorum genus.

CAPVT XXXIX.

ALTERA tepidorum claſſis deterior eſt, qui ipſis proficiendi carent deſideriis. Quid inde niſi cumulus culparum expectari poteſt? Nam ſi ij, qui peroptant proficere, & obſeruantiæ cancellis contineri, multis nihilominus imperfectionibus, & culpis ſe implicant. Illi quibus totus pudor mentis abſterſus eſt, nec vllius virtuoſi operis cupiditate inſtigantur, in quos non ſe implicabunt laqueos culparum ſibi ſuperuenientium. De his S. Gregorius ait: *Cùm culpa culpa adiungitur, quid aliud, quàm inuolutis ſemitis, atque innodatis vinculis prauorum greſſus ligantur.* Ille ſeruus, qui talentum ſtudioſè ſeruauit, ex hoc ſolùm, quòd nihil inde lucri comparauit, damnatus eſt. Quid fieret ſi & ipſum talentum amiſiſſet? Timeant Dei iudicium, quibus ipſa deeſt voluntas ſui profectus; talentum illud bonum deſiderium eſt, quod ſeruus piger diligentiſſimè cuſtodiuit, & tamen reprobatur à Domino; quamuis bonam voluntatem retinuerit, quia non promouiſſet in opus. Quantum Dei iudicium ſuſtinebit, qui & opus negligit, & deſiderium perdidit, qui & ſegetem non metit, nec ſemen immiſit. Quid mirum ſi initia bonorum operum amittens, in multa reprobanda incurrat. Quanta vaſtatio ſit in horum cordibus, quanta deſolatio virtutum, cùm ipſarum cæmenta bona deſideria euerſa ſint. Hi non ſolùm bona opera non exequentur, ſicut tepidi primi generis, ſed inſuper addent multa reprehenſibilia; illi cor plenum ſpinis, & vrticis habent, obſtantibus ne ſemen boni deſiderij germinet opus: hi deſolatum inſuper cor habentes cubile ferarum parant, variis ibi naſcentibus monſtris, cùm multa faciant, quæ religioſam dedecent profeſſionem. de quibus Iſaias ſub ſpecie deſolatæ Iudææ ait: *Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius: & erit cubile Draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum.* *Iſai. 34. 14.* Timenda profectò comminatio in qua præter ſterilitatem boni operis communem cum primis tepidis, & ſignificatam in ſpinis & vrticis, additur vbertas malorum per tot habitationem monſtrorum. Duæ cauſæ indicantur à Propheta, cur in hoc genere imperfectorum multiplicentur culpæ præter priuationem optimi ſeminis in boni deſtitutione deſiderij. Vna eſt ex parte Dæmonis adiuuantis, & occurrentis inordinatis affectibus.

Altera

Altera eſt ex natura ipſa prauarum affectionum, & culparum, quæ viciſſim prouocantur, & mutuis increſcunt ſubſidiis, vbi liberum cordis campum inueniunt. Priorem ſignificant illa verba, *& occurrent Dæmonia onocentauris*, quæ ſic explicat diuinus Gregorius. Vbi ſuprà. *Onocentauris autem occurrunt Dæmonia, quia maligni ſpiritus valde eis ad votum deſeruiunt, quos de iis gaudere conſpiciunt, quæ flere debuerunt.* Quemadmodum enim ſancti Angeli aſſiſtunt, & occurrunt piis deſideriis Sanctorum, vt ad exitum illa perducant: ſic mali ſpiritus diuina permittente prouidentia aſſiſtunt, & iuuant deprauatas voluntates, vt executioni mandentur. Et quemadmodum boni Angeli diligentiùs cuſtodiunt bonos, & feruidos Religioſos: ſic & Dæmones liberiùs tentant imperfectos, & ſuæ profeſſionis oblitos. Accedit proprium ingenium malitiæ, cùm vnus defectus alium poſt ſe trahat, & ſeſe culpæ circumligent. hoc monuit nos Propheta, dicens. Ibid. *Et piloſus clamauit alter ad alterum. Qui namque* (inquit ſanctus Pater) *alij piloſi appellatione figurantur, niſi hi quos Græci Panas, Latini verò incubos vocant, quorum nimirum forma ab humana effigie incipit, ſed beſtiali extremitate terminatur. Piloſi ergo nomine cuiuſlibet peccati aſperitas deſignatur. Quod etſi quando quaſi ab obtentu rationis incipit, ſemper tamen ad irrationabiles motus tendit; & quaſi homo in beſtiam deſinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, vſque ad irrationabilem effectum trahit. Nam ſæpe edendi delectatio ſeruit gulæ, & ſeruire ſe ſimulat indigentiæ naturæ: cumque ventrem ingluuie extendit, membra in luxuriam erigit. Piloſus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia ad aliam perpetrandam malitiam prouocat, & quaſi quadam cogitationis voce, commiſſa iam culpa, culpam adhuc quæ committatur, inuitat.* Defectus ſilentij prouocat otioſitatem, hanc detractiones ſequuntur, iſtæ charitatem minuunt. Inde plures aliæ appenduntur culpæ; ſic immodeſtiam ſequitur diſſolutio cordis, hanc orationis diſtractio; at malè habitam orationem qui defectus non comitabuntur. Denique cuinam imperfecti Religioſi culpæ excuſatio, aut ſimulatio non annectitur: nam Ibid. *culpa deprehenſa*, ait S. Gregorius, *patrocinium mox fallaciæ & negationis inquirit, reamque ſe eſſe non æſtimat, mentiendo vitam defendat.*

Tertium tepidorum genus.

Capvt XL.

Ob hanc imitationem culparum valde quoque periculoſus eſt tertius tepidorum gradus, qui medius intereſt duos dictos; ſunt hi, qui quoſdam declinant defectus, in alios tamen impingunt, cumque vna culpa ad alteram clamet, etiam in iis quas vitant, complicantur. De his ſanctus Gregorius dixit. *Sæpe namque nonnulli contra quædam ſe vitia vehementer accingunt, ſed quædam ſubigere negligunt: cumque ſe contra iſta non erigunt, & illa contra ſe reparant, quæ ſubegerunt.* His quoque inuolutæ ſunt greſſuum ſemitæ, idem Sanctus inquit. *quia etſi deuicta vna nequitia pedem leuant, regnante tamen altera, hunc in ea etiam, quam deuicerant, implicant. Hoc profectò experitur qui rebellantem iam impatientiam ſtrauit, ſed inanem gloriam nec dum vicit, & cùm ſe per hanc mundi honoribus inſerit, confixus cauſarum ſtimulis, ad impatientiam captus redit. Cumque inanis gloria ad defenſionem ſui animum erigit, & illam victus tolerat quam ſuperauit. Alius iam inanem gloriam ſubdit, ſed tamen impatientiam, necdum ſtrauit: & cùm multa reſiſtentibus per impatientiam minatur, erubeſcens non implere quod loquitur, ſub inanis gloriæ iugum reuocatur, & hoc victus per aliud tolerat, quod planè ſe viciſſe gaudebat.* Sic ergo ope vicaria fugitiuum ſuum vitia retinent, & quaſi iam amiſſum ſub dominij ſui iure recipiunt, atque ad vindictam ſibi viciſſim tradunt. Hi dimidiato corde ſeruientes Deo, fœdus cum inimicis ſuis pangunt: quorum virtutes benignæ, & manſuetæ hoſtibus vitiis, dum in fratres illa adoptant, in eorum degenerant familiam. Sic breui inuenit anima vitia etiam eſſe quæ putabat virtutes, hoc fit & diuinæ permiſſione iuſtitiæ, & ex ipſa natura vitiorum, virtutumque, illud nobis myſtica ſignificauit narratio Benadad Regis Syriæ aduerſantis populo Dei, & Achab Regis Iſraël, hic poſtquam bis fuderat cum parua manu crudeliſſimum, & auariſſimum tyrannum Benadad, adiutus potenti Dei brachio, vt omnes aduerſarios Iſraëlis penitus deleret: nihilominus reliquit viuum Regem inimicum, atque in fratrem adoptans, regnum illi reſtituit. Audiamus quid dixit, & fecit, & quomodo Deus impium illud fœdus, & fraternitatem reprobauit. Dixit Achab. *Si adhuc viuit,* 3 Reg 20. 32. *frater meus eſt.* Et poſtea. *Ite, & adducite eum ad me, egreſſus eſt ergo ad eum Benadad, & leuauit eum in currum ſuum, qui dixit ei: Ciuitates quas tulit pater meus à patre tuo, reddam, & plateas fac tibi in Damaſco, ſicut fecit pater meus in Samaria; & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimiſit eum.* Propter hanc clementiam ſic iratus eſt Deus Regi Achab quem antea fuerat ad miracula tutatus, vt Prophetam miſerit ad illum, qui tremendam iſtam ſententiam pronunciaret. *Hæc dicit Dominus, quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Sic eſt virtus quæ admittit ſocietatem, & fraternitatem vitij pro ipſo vitio erit. Obſeruantia quæ patitur defectus, culpas, diſſolutionem, pro diſſolutione erit. Quæ enim ſocietas poteſt eſſe Chriſto, & Belial Deo, & Mammonæ virtuti & vitio, ſpiritui lucis, & tenebrarum, Domino & Baal? de his dici poteſt quod Elias: *Vſquequò claudicatis in duas partes, ſi Dominus* 3. Reg. 18. 21. *eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* Non hoſpitatur Deus pro maieſtate diuina in particula humani cordis, cùm totum opus ſit; idcirco eùm tantumdem Dæmoni datur, quantum Deo, iniuria Dei eſt, qui non requirit dimidium dumtaxat cor, ſed integrum. Fili, inquit, præbe mihi cor tuum; & in capite legis commendatur, diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Cùm igitur Deum æquemus nobis, ſiue potiùs Dæmoni, iuſtiſſimè Deus deſeret partem, cùm debeamus plus quàm totum. *Simplex natura* (inquit ſanctus Bernardus) *ſimplicitatem cordis exquirit.* Denique & Serm de obitis. Cor. cum ſimplicibus ſermocinatio eius: vir duplex animo inconſtans eſt, non poteſt quem quæri-

tis inueniri ab his, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Æternitas eſt, quæ niſi perſeueranter quæſita non inuenitur. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis; nemo enim duobus dominis ſeruire poteſt. Nec hanc quidem duplicitatem amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo; indignum eſt enim ei, vt inueniendam ſe præbeat, niſi perfecto eam quæſieris corde. Cæterùm ſi nidibilis eſt canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luto, ſed & ipſum quoque quem inuenerit tepidum, ex ore ſuo euomere incipiat Deus: ſimulator, & proditor vbi parebunt? Si maledictus qui facit opus Dei negligenter, qui fraudulenter fecerit, quid meretur. Fugiamus hanc duplicitatem chariſſimi, & à fermento Pariſæorum omnimodis caueamus, ſi nolumus fruſtrà quærere Dominum. Quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perſeueranter; vt nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud conuertamur. Accedit infidelitas, ipſa natura vitij, quod fraternitatem virtutis non ſuſtinet, imò eam perdit velut Cain Abel. Accidit ſæpe, vt indulgentia circa vnum prauum affectum, ſi in cordis finibus apricari ſinamus, reſtituat cæteros. Vnus ſolùm cum vita relictus, hoc eſt, immortificatus, vindicabit vniuerſos, & ſæuum bellum animæ publicabit. Adad qui ex Idumæis Principibus euaſit ſolus Iſraëliticum gladium, odium reſtaurauit contra Iſraël præcipuus Salomonis aduerſarius. Athalia quoque licèt omne ſemen regium trucidaret; ab infante tamen Ioas relicto cum vita ſpoliatur regno, & anima. Sic eſt vbicumque pacificè permittitur aliquod vitium, ipſum tandem emerget, & imperium obtinebit. Ratio eſt, quia non poteſt aliqua conuenire virtus cum vitio, niſi exigua, & paruula ſit: nam quæuis perfecta & adulta virtus, iuxta omnium Philoſophorum ſuffragium, non eſt niſi cum comitatu. Cæterarum omnes virtutes dicunt Philoſophi concatenari, nec vllam ſine alia poſſideri. Quare ſi omnes virtutes ſunt, excludunt omnia vitia; cùm igitur virtus cum vitio aliquo cohabitat, ſignum eſt illam virtutem degenerem, imperfectam, & imbellem eſſe, quare breui ſuperabitur à ſocio vitio, quod incrementa citius, quàm virtus ſumit.

3.Reg.11.

Tepiditatis cauſa & periculum.

CAPVT XLI.

COMMVNIS omnium iſtarum tepiditatum cauſa eſt puſillanimitas, & inanis timor, quia non audemus viriliter, quia non præfidimus de Deo, quia præ vilitate cordis non accingimur ad progreſſum virtutis, ſed obſtantibus phantaſiis inanibus ſtatim, ſicut pueri meticuloſi regredimur. Sic timentes parua, patimur magna, hoc eſt, quod Iob dixit: *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.* Pruina in planitie terræ congelatur, nix è cœlo deſcendit; quare qui timent relinquere terreſtria, & ſeſe qui terra, & lutum ſunt, in grauiora incident, diuinæ ordinatione iuſtitiæ. Incident in teporem ſpiritus in frigiditatem cordis, & grauior cuique eſt ignauia ſua quàm labor, quem per ignauiam fugit. Quis dubitare poteſt difficiliorem, & magis moleſtam vitam agere tepidum, quàm feruidum, & ſtrenuum cum illius vita inferno comparetur huius beatitudini. Nam de tepidis canit, ſiue luxit Dauid. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* *Tanto quippe*, inquit ſanctus Bernardus, *aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, vt omnem eſcam, id eſt, omne ſpirituale exercitium abominatur, vt nec orare, nec legere, nec meditari, nec opus manuum libeat exercere, imò etiam appropinquant vſque ad portas mortis, id eſt, vt etiam ipſum vita faſtidium habentes morte finiri deſiderant, cum ſancto Iob dicentes: Tædet animam meam vitæ meæ.* Quid fiet negligentibus, imperfectis, puſillanimis. Quapropter virilitate, & ſancta magnanimitate vincendum eſt hoc vitium. *Experimento* (ait Caſſianus) *probatum eſt acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam. Languor enim & tædium iſtud oritur ex intermiſſis, aut non exactis bene officiis virtutum, & exercitationibus ſpiritualibus, quibus feruor alitur nam iuſtiſſimum eſt à cœleſtibus deſtituatur gaudiis, & conſolationibus, qui Deum per ſocordiam relinquit. Quapropter repetitis diligenter iiſdem exercitiis pietatis, iiſdem officiis virtutum, & quoad fieri poteſt auctis, priſtina reparabitur deuotio, nouuſque feruor ſuſcitabitur.* Hoc idem remedium conſuluit ſanctus Bernardus. *Cùm te*, inquit, *corpore, acedia, vel tædio affici ſentis, noli propterea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali.*

Pſal.106.

Tract. de Paſſ. Domini cap.19.

Lib.10.c.23.

Serm.21.in Cant.

Illud valde extimeſcendum eſt quod adiicitur de his timidis, & cùm incaluerit, ſoluentur de loco ſuo, hoc eſt, quod è paradiſo Religionis excludentur, quòd cadent è cœlo, è cœleſti, & iucundiſſima vita ac Societate Ieſu, & tot Sanctorum, qui in Religioſis ordinibus florent. Hoc ſanè certiſſimum eſt aliquos excidere è ſanctis communitatibus; nam etiam ex conuentu Angelorum exciderunt multi, & in Apoſtolica communitate defecit Iudas. Si ergo in Religionibus deficiunt aliqui; qui, quæſo, deficient, niſi tepidi, & imperfecti. Timeamus igitur niuem, non pruinam, timeamus tepiditatis damna, non difficultatem virtutum; non enim labor religioſæ obſeruantiæ, non difficultas diſciplinæ, non importunitas tentationum, ſed ipſa noſtra nos cruciat, nos tandem perdit ignauia. Veriſſimè ſanctus Chryſoſtomus dixit: *Non enim tentationum natura, ſed tentatorum ſegnities ruinas efficere ſolet.* Propterea enarrani tres tepidorum ordines, vt ſciamus tribus tantùm gradibus diſtare à præcipitio: ii enim, qui cum deſideriis bonis operantur non bene, paulatim, & ipſa deſideria perdunt, & operantur malè: nam is qui cum talento in quo deſiderium bonum intelligitur, noluit negotiari, meruit ipſo priuari; nam habenti dabitur, & non habenti id quod videtur habere, auferetur ab eo. Sed ad hunc gradum, non ex abrupto declinatur. Prius eſt amittere partem deſideriorum, deinde omnia; quod vltrà eſt, lapſus eſt, & exitium.

Aduertius

Aduerſùs eos Religioſos, qui propter tepiditatem periculum vocationis ſubeunt.

Capvt XLII.

Is enim qui in ſecundo tepidorum gradu iacet, qui deterior omnium eſt, tam proximus præcipitio eſt, vt etiam cùm velit reſipere, periculum ſit labendi, hoc eſt, quod indicatur in illis verbis iuxta ſancti Gregorij lectionem; & vt incaluerint, ſoluentur de loco ſuo; ſcilicet etiam cùm volunt pœnitere, cùm iam calor aliquis boni deſiderij incipit in illis ſuſcitari, etiam tunc eſt periculum præcipitij; nam ſpecie tunc boni ſagaciùs falluntur à Dæmone, à quo ſubtiliter inſtigantur deſerant Religionem, in qua tepidè vixerant tanquam intolerabile ſuis viribus onus, & occaſionem culparum. Quare ſiue procedant in tepiditate, ſiue recedere velint quomodolibet periclitantur, & diſcrimen neceſſarium patiuntur. Hæc moneo, ne vltrò ingrediamur, vnde vix euademus interitum. Pro horum nihilominus ſalute nonnullas edam ſententias S. Laurentij Iuſtiniani, Euſebij Emiſſeni, Hellinandi Monachi, S. Bernardi, & Aelredi. Sanctus Laurentius Iuſtinianus de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis ſic ſcribit. *Eligentes in alio ſtatu, quàm in eo ad quem vocati fuere, Domino militare; ingenti nempe crimine tales reos ſe fecere. Hi etenim tacitè Deum calumniauerunt inſipienter egiſſe, ſe ſtatum arripere non congruentem ſibi. Talis eorum opinio omni vacua eſt ratione, imò iniquitate, & cæcitate plena. Qui enim hominem ſua ſapientia plaſmauit ex nihilo, & ex ſua mera charitate, potuit ne ignorare quid illi opus ſit, aut illum prodere, ſi in congregationem eum vocat, in qua anima ſalutem adipiſci non valet? Ridiculum, & ab omni æquitatis iure ſemotum eſt arbitrari Deum ſapientia ſua mundi, & omnium quæ in mundo ſunt, probatiſſimum eſſe rectorem, & in hac ſola vocatione defeciſſe. Horum autem finis & Dei gloriam, & ipſorum patefacit errorem. Nam ſi in prima vocatione remiſſè, & negligenter conuerſati ſunt, in ſecunda longè deteriùs ſe habent.* Hæc ille.

cap.3.

Euſebius in homilia quadam ad Monachos diffuſiùs exhortatur. *Quid eſt hoc aliud quàm iugum Chriſti à ſe rebelli ceruice diſcutere? iſti tales neſciunt quid nouerunt, obliti ſunt propter quid huc venerunt. Iſti tales non bene petunt, ſed malè vitijs appetuntur. Non fide pulſant, ſed infidelitate pulſantur. Quid prodeſt quòd diſcedis, qui vndique aſtrictus es vinculis paſſionum, quem hinc, atque inde circumuallant vitia tua? Quid, inquam, prodeſt quòd diſcedis, qui quocumque locorum vadit, te tecum portas. Meritò diſcederes, ſi quoquam te fugere poſſes. Dignè aliquis diſceſſit, ſi illò ire poſſit, vbi illum Diabolus inuenire non poſſit. Nemo ſe fallat, non fugiat aduerſarium de loco ad locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad emendationem. Nam ſi eum taliter fugias, ſequetur te. Emenda te, & fugiet à te, ſicut ait Apoſtolus: Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis. Non obedire autem, & velle diſcedere, hoc eſt, dupliciter Diaboli voluntatem facere, hoc eſt, voluntariè ſibi etiam in præſenti damnationem inferre. Illis ipſis qui grauius apud nos delinquunt, nullam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quam vt à corpore congregationis abſciſſi ſine pace diſcedant. Et nonne amentia genus eſt, vt hoc quiſque pro remedio expetat, quod etiam à propoſito non niſi pro ſummo crimine poſſit inferri? Intelligamus ergo chariſſimi iſtas indignitates, & contradictiones inimico operante, & diſponente prouenire.* Hactenus ille.

Hom.3.ad Monach.

Hellinandus in admonitione lapſi ait. *Dicis, nunquid non eſt alia vita quæ ducit ad Deum, quàm clauſtralis. Et planè, ſed non tibi. Antequam enim hanc elegiſſes, plures tibi aliæ patebant. Quando autem de pluribus hanc vnam tibi elegiſti, de omnibus vnam feciſti. Quid ergo inquis? Nunquid ſoli clauſtrales ſaluantur, aut omnes pereunt ſæculares? Sanè neutrum; ſed iſti ſoli facilè ſaluantur, illi omnes difficile. Cur hoc niſi quia tutior eſt ab incendio remotus ab igne, quàm proximus igni. Frater, non tibi perſuadeat maleſuada cogitatio, te quod voluiſti non debere reddere, quia videlicet non ſub ſancto Benedicto probationis annum perfeciſti, nec ſub ſancto Auguſtino ſaltem dimidiaſti dies tuos, ſed dixiſti in dimidio dierum tuorum: Vadam ad portas inferi. Interroga conſcientiam tuam. Neſcis cum quo mercatore contractum iniſti, cum eo ſcilicet, qui neſcit fallere, quia iuſtiſſimus eſt, cuius non eſt poſſe falli, quia ſapientiſſimus eſt. Cui nemo poteſt reſiſtere, quia fortiſſimus eſt. Quem nemo poteſt corrumpere, quia optimus eſt. A quo nemo poteſt fugere, quia vbique eſt. Prius enim contraxeras cum Diabolo, quando ei à te ipſo venundatus eras ſub peccato. Tunc verò contraxiſti cum Domino, miro modo diſtrahens ei, quod ante diſtractionem ſuum erat, & tuum poſt futurum. Nemo autem ſuus erit, id eſt, ſui iuris, donec ei ſe vendiderit, a quo iam redemptus eſt. Vis ſcire qualis fuerit ille contractus inter te, & Dominum. Diſtraxiſti te ipſum Domino, ſubtrahens te ſæculo, retrahens te à peccato, abſtrahens te ab inferno, extrahens te à luto, contrahens te in clauſtro. Trahens poſt te Diabolum, attrahens ad te Dominum, & ab ipſo poſtea ad cœlum pertrahendus. Porrò in huius diſtractionis, id eſt, venditionis pretium æternam beatitudinem tibi Dominus confirmauit, hac conditione ſcilicet, vt ei perſeuerares. An modicum tibi videbatur pretium, quod eras accepturus? ſed non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quare ergo frater contractum iſtum tibi ſaluberrimum, vtiliſſimum, & iucundiſſimum fide non perſequeris? Quod ſi negare volueris, teſtes contra te velis nolis erunt, quicumque capitulo illo tunc affuerunt.* Hæc Hellinandi ſunt.

Apud Vincent Burgund tom.4. lib.30.c.116.

Sanctus Bernardus libro de præcepto, & diſpenſatione nunc audiendus. *Fortè vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis ad Ciſtercienſium ſeſe ſtringere paupertatem, eligens præ illis, nimirum conſuetudinibus magis regulæ puritatem. Si me conſulit, non conſulo: ſi non, ſanè id Abbatis ſui vſurparit adſenſu. Quamobrem? Primò, propter ſcandalum ipſorum quos deſerit. Deinde, quia certa pro dubijs relinquere tutum non eſt. Forſan enim hoc tenere poteſt, illud non poterit. Tertiò ſuſpectam habeo leuitatē, quæ id ſæpe quod facilè volumus, antequam probemus experti iam nolumus.* Conſiderāda

quoque ſunt, quæ poſtea ſubdit idem Bernardus: *Sed vos pergitis amplius ſciſcitari, & dicitis: Quid ſi non poteſt niſi cum rancore perpetuò animi ibidem manere, ob minus videlicet regularem minuſvè amabilem Abbatis electionem? Subit animo nunc illud de Euangelio, quod de coniugij lege docenti diſcipuli Domino reſponderunt. Si ita eſt, inquiunt, non expedit nubere. Magna reuera anguſtia. Si tenuerit exoſam, nihil oneroſius. Si dimiſerit inuitam, nihil inchriſtianius. An non ſimili neceſſitate conſtringitur, qui nec deſerere valet locum, ne frangat votum; nec manere in loco, ne cum rancore viuat, & vitam perdat? Quid conſulam huic? Vt diſcedat? Non licèt propter profeſſionem. Vt ſtet? Propter rancorem non expedit. Duo mihi æquè inconuenientia, æquè periculoſa proponitis, vt quidquid reſpondero, vobis minimè proſit. Quæritis nempe quid è duobus Monacho tutius ſit, reſidere in proprio monaſterio ſub irregulariter electo cum rancore, an ad quietiùs viuendum aliò migrare. Quod quidem haud ſecus accipio, quàm ſi requirar, quànam morte perire conſulam eum, qui ſe ipſum fortè perimere vult, incendio, an præcipitio. Reuera namque & vritur, qui in odio manet, & qui frangit propoſitum, in præceps ruit. Sed vos me in hac difficultate conſilij facilè expeditis, cùm deinde ſequimini, & quatenus accipi hoc ipſum velitis, quod appellatis irregulare, aperiendo ſubiungitis: præſertim ſi electionis irregularitas adeò inuoluta ſit, & intorta, vt licèt de ea coram Deo non dubitetur, coram hominibus tamen aut vix, aut nullatenus conuincatur. Venit nunc quoque in mentem ſapientis elogium. Occaſionem quærit, qui vult recedere ab amico. Quonam modo vos irregularem dicitis electionem, quæ caſſari regulariter non valet, aut reprobari? Et quidem legitur: Quod probari non poteſt, mihi infectum eſt. Sed dicitis: Et quis obediat ſcienter indigno, etſi non manifeſto? Fratres, nonne legiſtis & in veſtra, & in veritatis regula: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: quæ dicunt facite, ſecundùm autem opera illorum nolite facere.* Quid autem dicat de tranſitu ad laxiorem Religionem etiam cum facultate Pontificis in Epiſtola prima ſic Robertuin nepotem ſuum alloquitur. *Quid tibi fruſtrà quiſpiam blanditur de abſolutione Apoſtolica, cuius conſcientiam diuina ligatam tenet ſententia? Nemo, inquit, mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei. Nunquid & hoc perſuadebunt non eſſe retro reſpicere qui dicunt tibi, Euge euge? Filiole. Si te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Noli credere omni ſpiritui. Sint tibi multi neceſſarij, vnus autem ſit tibi conſiliarius de mille. Tolle occaſiones, reſpue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu te melius noſti quàm alius. Attende cor tuum, diſcute intentionem, conſule veritatem: tua tibi conſcientia reſpondeat, cur abieris, cur ordinem tuum, cur fratres, cur locum, cur me, qui tibi propinquus carne, & propinquior ſpiritu ſum, deſerueris. Si vt arctiùs, vt rectiùs, vt perfectiùs viueres: ſecurus eſto, quia non retro aſpexiſti, ſed & gloriare cum Apoſtolo, dicens: Quæ retro oblitus, & ad ea quæ antè ſunt extentus, ſequor ad palmam gloriæ. Sin aliàs, noli altum ſapere, ſed time, quoniam (vt cum venia tui dixerim) quidquid tibi amplius indulges in victu, veſtituque ſuperfluo, in verbis otioſis, in vagatione licentioſa & curioſa, quam videlicet promiſiſti, quam apud nos tenuiſti: hoc proculdubio retro aſpicere eſt, præuaricari eſt, apoſtatare eſt.* Hæc Bernardus.

Neque inutile etit audire D. Aelredum, qui querelas eorum, qui tentati ſunt, non iugo Religionis, ſed propriæ imperfectioni, & malitiæ iure imputat. *Errant Domine, errant, falluntur, qui ignorantes ſemetipſos, & quid in ſe agatur, non aduertentes de iugi huius aſperitate, aut oneris grauitate cauſantur.* Et loquens de ſe ſubdit. *Numquid hic labor meus de iugo dominico, & non potiùs de morbo proprio? Sentio profectò, quidquid mihi eſt tranquillitatis, quidquid pacis, quidquid eſt iocunditatis, hoc totum mihi, hoc ſuauiſſimum iugum parturire; quidquid verò laboris, quidquid fatigationis, quidquid denique grauitatis, ex reliquijs mundialis concupiſcentiæ prouenire. Sub iugo enim illo, quod infeliciſſimæ ceruici meæ, Babylonis, id eſt, confuſionis, Princeps impoſuit, infirmata eſt virtus mea, contrita ſunt oſſa mea; & quamuis ex aliqua parte ſit ſolata captiuitas, reſtat tamen ex antiqua oppreſſione nonnulla infirmitas; ex qua plerumque turbatur, iam aliquantulum ex parte ſuauitatis ſerenitas, donec ille, qui propitiatur omnibus iniquitatibus meis, ſanet etiam omnes infirmitates meas, redimenſque de interitu vitam meam, coronet me in miſericordia, & miſerationibus; cùm corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem, & impleatur ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Interim ex iugi huius ſuauitate non modica conſolatio, & contra inditam infirmitatem nonnulla conflictatio. Proinde qui de huius iugi aſperitate cauſantur, fortè grauiſſimum mundialis concupiſcentiæ iugum aut non plenè abiecerunt, aut abiectum cum maiori confuſione reſumpſerunt, ac à foris iugum dominicum præferentes, ſed ab intus humeros ſæcularium negotiorum ſarcinæ ſupponentes, labores, & dolores, quibus ſemetipſos addicunt, grauitati dominici oneris imputant: ſicque præcepta Domini, quæ, ſicut dicit Ioannes, grauia non ſunt, faſtidientes, & vt canes proprium vomitum repuſcentes, ſub habitu abſtinentium, & ventrem colunt; ſub tunica pœnitentium, ad mundiales glorias, & honores anhelant; ſub ſacro amictu continentium, carnis ſordibus maculantur, ſub agnino vellere, lupinum gerentes animum, ac inexplebili auaritia æſtuantes, domum ad domum, agrum agro copulant, viduis non parcunt, orphanis non miſerentur, patrimonia ſibi pauperum vendicant, pro his ad lites, & contentiones proni, ad iudicia parati, pro his continuis curis euiſcerantur, inflammantur odijs, anxijs cogitationibus diſſipantur, quia iugum non Domini, ſed mundi aſperum eſt, & onus mundi graue eſt. Porrò iugum Domini ſuaue eſt, & onus Domini leue eſt.* Hactenus ille. Idcirco tentantur imperfecti aduersùs Religionem, & triſtes, & mœſti viuunt, quia non ſub iugo Chriſti ſuaui ſunt, ſed ſub mundi iugo grauiſſimo.

In ſpec. charit. lib. 1. c. 29 & 30.

Doctrina

Doctrina S. Baſilij aduerſùs tepidos qui tentantur, vt religionem relinquant.

Capvt XLIII.

LOCVPLETISSIME quoque, & diſertè S. Baſilius, huiuſmodi imperfectos, tepidos, & tentatos inſtruit, aduersùs
Conſt. mon. cap. 22. quos ſic loquitur. Si enim mulier ad viri ſocietatem lege matrimonij prouecta, & vnà cum eo copula carnali coniuncta, morte multatur, ſi ei inſidias feciſſe deprehenſa ſit: quanto is magis ſubiacebit pœnæ grauiori, ſi ſe abiunxerit, qui ſpirituali communione copulatus ſit, teſte, atque ſequeſtri ipſo Spiritu ſancto. Quemadmodum igitur membra corporis naturæ vinculo coniugata, à corpore auelli non poſſint, aut ſi auellantur, quæ auulſa ſint, ea emortua ſint, neceſſe eſt: item quoque Monachus, quotieſcumque reliquorum fratrum corpori coniunctus eſt, & firmiore, quàm ſit vinculum naturæ, compage vinctus teneatur, nempe ex pacto, quod is cum ſancto Spiritu contraxit, nullo modo putandus eſt ab iis ſe poſſe diuellere, quibuſcum copulatus ſit. Alioqui ſi hoc facit, & animæ vitam amittit, & vnà cum ea gratia Spiritus ſancti, vtpote qui initum ipſo authore fœdus violauerit. Si verò aliquis dicat, in fratribus eſſe aliquos vitioſos (neque enim vniuerſos opinor culpabit, neque enim propterea, vt vitioſi eſſent, ſocietatem illi coierunt, vt vnanimiter cuncti improbi eſſent,) ſed ſi quis improbos quoſdam reperiri inter fratres dicat, eiuſmodique, qui & temerè officia cuncta peruertant, & honeſtatem negligant, & conuenientem ordini illi contemptim imminuant diſciplinam, ac propterea huiuſmodi hominum ſocietatem relinqui oportere, nequaquam is idoneam recedendi cauſam commentus eſt. Siquidem neque Petrus, neque Andreas, Ioanneſve propter Iudæ improbitatem ſe à reliquorum Apoſtolorum choro ſubmouerunt, neque alius de Apoſtolorum numero quiſpiam hanc ad recedendum anſam arripuit, neque quominus Chriſto obtemperans eſſet, vlla in re illius vitiis retardatus eſt: ſed contrà potiùs relicta illius peruerſitate dominicæ diſciplinæ ſeruientes ac morigeri pietatem, virtutémque magno ipſi ſtudio ſectabantur. Ex quo intelligitur, qui aliorum improbitate cogi ſe dicat, vt à ſpirituali ſe ſegreget ſocietate, eum neutiquam idoneam leuitatis ſuæ cauſam inueniſſe. Quin ipſe potiùs terra petroſa eſt, qui præ imbecillitate conſilij veritatis verbum alere non poteſt. Cúmque aut propter vel tantillæ tentationis incurſum, aut vitioſæ affectionis intemperantiam, honeſtatis & continentiæ ſtudioſum viuendi inſtitutum non ferat, concitus flagranti vitiorum æſtu terretur, & vnà cum tenero adhuc doctrinæ germine exareſcit: nempe qui ſibi cauſas veriſimiles quidem illas, ſed ad defenſionem ante tribunal Chriſti, haud ſatis idoneas, ex animi ſui ſententia confingat, ſibique ipſi facilè imponat. Siquidem nihil eſt facilius, quàm ſe ipſum fallere, quòd quiſque ſibi ipſi beneuolus, æquóve indulgentior eſt iudex, & quæ iucunda ſunt, ea vtilia iudicat. Quamobrem qui eiuſmodi eſt, is veritatis ipſius iudicio damnatus habendus eſt, veluti qui ſcandalorum vberrimam ſegetem ſuggerat multis, peruerſoque exemplo alios aſſiduè ad ſimilium flagitiorum imitationem inſtiget. Hæres fit illius horrendi, Væ: expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria circum collum eius, & demergatur in profundum maris. Qui enim ſemel defectioni animus aſſueuerit, is vitiorum omni genere cumulatur; intemperantia, auaritia, edacitate, falſitate, omníque morum peruerſitate, & poſtremò extremis malis infixus, in profundum nequitiæ abit præceps. Qui igitur horum, qui iſtiuſmodi ſunt, ducem ſe præbet, animaduertat is quàm multarum animarum exitij reus exiſtat: qui quidem ne reddendis quidem de anima ſua rationibus eſſe par poſſit. Cur non hic admirabilem illum potiùs Petrum imitatur, & exemplum firmæ fidei, & in rebus præclaris conſtantiæ reliquis exiſtit? Vt fulgente rectè factorum ipſius ſplendore, etiam qui in vitiorum tenebris degunt, ad meliorem per eum viam reuocentur. Atque etiam Noë iuſtus ille, cùm in illa peſſimorum hominum colluuie verſaretur, non dixit Deo propterea oportere ſe exire de mundo, quòd reliqui omnes improbi eſſent, ſed eo magis more generoſi ac fortis athletæ ad hæc occaleſcens ſe obdurauit, & in profundiſſimo vitioſitatis pelago pietatem à tempeſtate incolumem conſeruauit: neque vlla in re Domino prorſus repugnans fuit, ſed patientia, tolerantiáque pietatis nauigium in mediis impietatis fluctibus tutatus eſt. Quid? Nonne Loth, cùm Sodomis in tanta impietate, tanta legum omnium, ac iuris peruerſione verſaretur; virtutem tamen aſſiduè vſque ab omni vitio integram cuſtodiuit, neque vllis omnino paſſus eſt prauis inſidiis circumuentam, captiuámve teneri? Atque inter ſceleratiſſimos hoſpitum cæſores, & qui ſumma petulantia, libidinéque contra naturæ leges ferebantur, ſanctimoniam vitæ perpetuò, & ipſe intaminatam ſeruauit, & reliquis quoad fieri poterat, exemplo ſuo idem ſecum vt facerent auctor fuit; nempe qui in docenda honeſtate antiquiora facta habuerit, quàm verba. Tu verò quum in animo defectionem cogites, & Spiritus ſancti reiectionem machineris, fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel ſit, vel abs te confingitur, cauſaris, & improbitati iſti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores ſegnitiei contegendæ, fratrum calumniam quaſi velamen oppandis. Verùm enim verò, qui eiuſmodi eſt, is in concordi vinculo Spiritus ſancti acquieſcat, quo ſe in cœleſti partu primis veluti faſciis inuoluit ad frugem meliorem iſtis reuocatus exemplis. Neque enim ſi fortè contigerit vnum aliquem de iis, qui in manu digiti ſunt, læſum ex dolore aliquo laborare, idcirco continuò etiam alius pertinaciter ſe præcidi iubebit: ſed contrà dolorem primum amputationis fugiet, deinde etiam conſtantiſſimè aſſiſtet, vt illius quoque in periculo ſit, officium corpori poſſit præſtare, ac non naturalibus omnino priuata ramis manus, proprio ac natiuo ſuo decore ſpolietur. Transfer ergo ſimilitudinem ad Monachum, & conſidera, quàm magnum abſciſſione ſua teneris adhuc animis cùm dolorem, tum dedecus etiam afferat, quomodó-

que item vitæ ſe omnis ac Spiritus expertem reddit.

Interrog. 36. Idem Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis ſcribit. Nequaquam licitum ſit nullo diſcrimine, & inconſulto à communi reliquorum fratrum corpore auellere ſe: quando illud quòd quis in ſuſcepta ſemel ſententia non permaneat, duabus de cauſis contingit, vel ex detrimento videlicet, quod ex neceſſitudine contubernij naſcitur, vel ex mentis inſtabilitate illius, qui ſententiam mutet. Qui igitur fugiendi cauſa detrimenti, quod illi ex contubernio naſcatur, ſe ab reliquis fratribus ſegregat, is nullo modo diſceſſionis ſuæ cauſam tenere apud ſe ipſum occultam debet, ſed eo modo quo docuit Dominus illam detegere, quando dixit: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; &c. Ita enim ſi ſecuta ea quam quærebat, emendatio fuerit, & fratres lucrabitur, & ſocietatem illorum non aſpernabitur. Et mox addit: Qui verò ad relinquendam cæterorum fratrum ſocietatem à propria animi ſui leuitate impellitur, is ſuam ipſius curare imbecillitatem debet. Alioqui ſi medicinam noluerit admittere, ipſe excluſus à nemine admittatur. Cæterùm ſi tenendi cauſa mandati dominici, alius aliò diſtrahatur, talis diſtractio neutiquam pro ſegregatione habenda eſt, ſed aſſignati potiùs vnicuique muneris adminiſtratio æſtimanda. Aliam præterea cauſam, propter quam quis ſe à reliquorum fratrum conſortio ſegreget, ratio nullam admittit. Primum quidem, quòd nomini Domini noſtri Ieſu Chriſti, à quo congregati ſumus, infligitur contumelia: deinde quòd viciſſim alterius aduersùs alterum conſcientia pura eſſe non poteſt, quòd ſcilicet mutuo inter ſe, alter alterum ſuſpectum habeat. Hoc autem manifeſtè repugnat præcepto Domini, qui dixit. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vadens, prius reconciliare fratri tuo, & tunc reuerſus offer munus tuum.*

Quartum tepidorum genus.

Capvt XLIV.

Qvartvs tepidorum gradus tolerabilior aliis eſt, cùm non per inuolutas tegrediuntur ſemitas; in rectis tamen impediuntur, ne progrediantur, ſed conſiſtant. Hi ſunt qui laqueis quibuſdam implicantur, quibus hærentes nequeunt vltrà procedere, quos etiam notauit Iob, dicens de illis: *Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba.* Saba enim rectè, ſeu

Cap. 24 laqueus interpretatur, de quibus S. Gregorius dixit: Diſſolutis itaque greſſibus in rete ambulant, qui dum mundum perfectè non deſerunt, ſemetipſos gradiendo, obligant ne gradiantur. Sunt hi qui bona deſideria ſimul & opera habent, ſed perfectam ſpiritus libertatem non poſſident, inde plurima offendunt impedimenta, vnde viam perfectionis percurrere inoffenſo pede non queant: nam ſunt plerique, qui iam aliena non appetunt, atque ab huiuſmundi iurgiis inchoatæ quietis amore diuiduntur, erudiri ſacris eloquiis ſitiunt, vacare ſupernis contemplationibus concuſpiciunt; nec tamen perfecta animi libertate curam rerum familiarium deſerunt, cui ſæpe dum licitè ſeruiunt, etiam illicitis huius mundi iurgiis implicantur: cumque terrenas res ſtudioſè tueri deſiderant, cordis requiem deſerunt quam quærebant. Imò ſunt plerique, qui non ſolùm aliena non appetunt, verùm etiam cuncta, quæ poſſederant in mundo, derelinquunt, ſemetipſos deſpiciunt, nullam præſentis vitæ gloriam requirunt, ab huius mundi ſe actibus ſeparant, & penè quidquid proſperitatis arriſerit, calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiſcretè deſeruiunt, ad ea ſæpe per affectum agnationum redeunt, quæ iam & cum proprio deſpectu ſubegerant, cumque pluſquam neceſſe eſt carnis propinquos diligunt, retracti exteriùs à cordis parente diuiduntur. Nam ſæpe quoſdam videmus (quantum ad proprium ſtudium ſpectat) iam præſentis vitæ deſideria non habere, mundum & opere, & profeſſione reliquiſſe; ſed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatē intimæ quietis relinquere, & mundi ſtudia in ſe iam dudū deſtructa reparare. Quo itaque iſti niſi in rete, ambulant, quos à præſenti ſæculo inchoata iam vitæ perfectio ſoluerat, ſed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Qui enim diſtricto ſtudio, & non diſſolutis greſſibus æternæ ſponſionis præmium ſequuntur, ſicut ſemetipſos pro diuino amore deſpiciunt, ſic cuncta quibus ſe ſentiunt præpediri poſtponunt: & cùm pro Deo neceſſe eſt, vt quibus valent cunctis inſeruiant, pro Deo priuata obſequia etiam propinquis negant. Hinc eſt enim, quod quidam cùm diceret: *Permitte mihi priùs ire, & ſepelire patrem meum*, protinus ex ore Veritatis audiuit: *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos; tu autem vade, & annuntia Regnum Dei.* Qua in re notandum eſt, quia electus diſcipulus dum à parentis ſepultura compeſcitur, hoc deuotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum, & exteris debet. Hinc rurſum Veritas dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quo in loco, videlicet dum propinquorum odio, animæ quoque noſtræ odium ſubinfertur, patenter oſtenditur, quia ſic propinquos, ſicut noſmetipſos odio habere præcipimur, vt hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam cùm præpedit poſtponentes, diſcamus temperata eos diſcretionis arte, & conuenienter diligere, & ſalubriter odio habere, quatenus ſic ſciat per amorem odium ſurgere, vt valeamus eos veriùs per odium amare. Quare hoc ſtudium nobis ſit non ſolùm vitare culpas, ſed impedimenta perfectionis.

Quomodo errent à via ſalutis tepidi Religioſi.

Capvt XLV.

Svbdit deinde: *Ambulabunt in vacuum,* Iob 6.
& peribunt. Inter moleſtiores caſus, innumeráſque

meráſque iniurias, quarum ludibrio humana ſors exponitur, moleſtiſſimum eſt cùm nocte aliquis obſcura & procelloſa iter peragens in montibus, aut eremis, vnde procul abeſt oppidum, viam amittit. Et hinc inde oberrans, fruſtrà vagatur, vociferatur, fatigatur, & poſt totius diſcurſum noctis longius quàm vnde diſceſſit, ſi inuenit abeſſe illinc quo intenderat, & ſine hoſpitio, ſine refrigerio, ſine halitu penè amiſſis quandoque rebus neceſſariis, quas contulerat ſecum, totus madefactus. Accidit interdum in ipſo excurſu vago prærupta aliqua offendentem, nec inter denſas noctis caligines diſcernentem in præceps ire, aut in latronum manus, vel ferarum vngues, venire, aut fulgure ici. Huic igitur labori, & periculo aptiſſimè comparauit ſanctus Iob vitam tepidorum, qui ſimiliter digredientes è via regia cœlorum, hoc eſt, anguſta perfectionis ſemita ambulant in vacuum, vbi nonnulli pereunt: *ambulabunt*, inquit, *in vacuum, & peribunt*, quorũ tria mala notanda ſunt. Vnum eſt moleſtior labor incerti itineris, licèt in ipſo nõ periclitetur, deinde quòd fruſtrà totus acciderit, vnde non leuis accreſcit moleſtia. Tertium eſt ſalutis diſcrimen, cui exponuntur. Hoc triplex malum ſocordia gignit. Cùm enim aliquis languet in propoſito perfectionis conatu, quod non eſt aliud, quàm à fine religioſi inſtituti diſcedere, cuius gratia contempſit mundum, & religionis diſciplinam eſt amplexus. Tunc certè digreſſus à via cœlorum regia & recta, quæ eſt via arcta ſanctæ crucis, multo maiores patietur moleſtias per terrenas diuagatus ſæcularéſque diſtractiones. Nec enim quòd via ſæcularium, & inferni lata ſit magis læta eſt: nam ambulare per illam non eſt itinerari, ſed errare. Et quemadmodum qui iter certum, & rectum agit, licèt per anguſtum procedat tramitem lætus & canens per illum progreditur; qui verò aberrauit certa via, etiam per ſpatioſos, & virentes campos excurrens affligitur, vociferatur. Sic etiam lætiùs agit vitam, qui obſeruantiæ arctitudinem cuſtodiens rectà procedit, quàm qui per plateas & amplum campum paſſionum ſuarum oberrat vagus. Omnium rerum quies, & ſuauitas in fine earum conſiſtit, ſiue in poſſeſſione eius, ſiue in poſſeſſionis certa via. Labor tamen earum eſt in diſceſſu, & digreſſione à fine. Lapis enim, licèt iuxta terram in latera proiiciatur, ægerrimè fert illum motum, & non niſi cum magna eius violentia. Hoc ſolùm, quia digreditur, & non eſt illud iter rectum ad terram: at verò quantumuis tam procul à terra moueretur, vt iuxta Lunam eſſet, ſi rectà tamen mitteretur deorſum ad centrum ſuum, ille motus placidiſſimus, & ſpontaneus illi eſſet. Quare hoc? quia in hoc caſu rectà intendit, nec vllo modo digreditur ab itinere certo ad terram. Itaque motus per iter certum, & rectum ad centrum ſuauis eſt, & ſine labore; digreſſio tamen & amiſſio certi itineris moleſta eſt, & rebus omnibus naturalibus violentiſſima. Ita ſimiliter impoſſibile eſt habere quietem, & ſuauitatem cordis, niſi in Deo, aut in recta ad Deum via; vbicumque autem, & quocumque digrediamur aliò, etiam in magna licentia plures inquietudines, & maiores experiemur moleſtias, quàm cùm rectà incedentes in itinere perfectionis obſeruantiam religioſam exquiſitè, & prudenter ſcrupuloſè colimus, hoc eſt, quod Propheta Oſeas increpauit deficientibus Iſraelitis. *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum*; Cap.12. quiſquis enim diuertitur à Deo, & propoſito vocationis ſuæ fine, præterquam, quòd inutiliter, & vanè occupetur, & alimentum vanitatis fiat, incidet in æſtum perturbationem maligno exurendus, & conſumendus flatu. Quamuis enim multos annos religionis aliquis exegerit, ſi demum remittit aliquid feruoris, minorem deuotionis lætitiam, ſanctíque Spiritus dulcedinem percipiet. Hæc eſt cauſa, cur multi tyrones ſancta delibuti lætitia exultant, etiam ſi valde minorem ſanctitatem habeant, quàm alij antiqui, & prouectiores, quia ſcilicet illi contendunt ad finem, licèt longiùs ab illo ſint; hi autem licèt propiùs ſint, nonnunquam non ita tendunt rectè & concitatè, & ſuauitas iſta non tam ſit in vicinitate ad finem, quàm in concitatione, & motu recto ad illum quod declarat exemplum lapidis quod attulimus. Quemadmodum enim lapis iuxta terram violentior poteſt eſſe, quàm qui valde diſſitus à terra, & ſupra nubes foret, hoc ſolùm, quòd hic deorſum rueret, & rectà ad terram intenderet: ille autem ſiniſtrorſum, vel dextrorſum, & non rectà deorſum, quamuis proximior terræ alter remotior eſſet. Sic etiam accidit plures valde prouectos in diſciplina religioſa minori deuotione, & alacritate ſpiritus imbui, cùm remittunt nonnihil rigorem obſeruantiæ, quàm feruentiores iuuenes, qui omnem religioſi inſtituti diſciplinam ad vnguem cuſtodiunt; quæcumque enim digreſſio à fine moleſta eſt, & quæcumque recta ad finem via, ſuauis, quantumuis digreſſio ſit, non longè à fine, via tamen ſit remotiſſima. Quapropter non oportet antiquiores negligere profectum, ac progreſſum in virtutum conſecutione, ſed ſemper rectà debent procedere, antrorſum currere, in cœlum conuolare, aſpirare, & ſpirare diuina. Et quicumque hinc digreditur, non niſi maiorem laborem inueniet, & velut qui in procelloſa nocte, amiſſa oberrat via, anxietates, & tenebras offendit. Adeò maior tepeſcentium eſt, quàm feruidorum labor, vt licèt ad æqualem gloriam poſſet quis peruenire per viam tepiditatis, ac per iter ſpiritus, & feruoris, eligendum hoc eſſet, quia ſuauior & lætior vita; illa tamen anxior, & laborioſior. Sed accidit iſtum maiorem laborem, & grauiorem tepidorum laſſationem, inanem prorſus eſſe ſine fructu vllo. Ambulant enim in vacuum, longiùs ſemper diſtantes à fine, quemadmodum qui iter noctu amiſerunt. Itaque præter moleſtiorem viam accreſcit illis magnum damnum ex iactura temporis, & gloriæ, & vltra hoc cumulus culparum, reatúſque magnarum pœnarum. Deinde maximum, quod ſuperuenit malum, eſt periculum ſalutis æternæ: nam ſi aliqui Religioſi damnantur, de quibus credi hoc oportet, niſi de tepidis, & imperfectis, an potiùs de feruidis, de humilibus, de obſeruantibus, & ſpiritualibus; quamuis enim non omnes tepidi, & imperfecti damnentur, omnes tamen periculum aliquod ſalutis patiuntur; hoc autem periculum ſatis malum eſt, quamuis in exitium non incurrant; nec enim ſolùm extimeſcimus perire, ſed etiam periclitari timemus. Sicut etiam qui noctu oberrant, non omnes pereunt, nec præcipites aguntur, nec à latronibus diripiuntur. Omnes tamen propter periculum timent, ipſumque periculum moleſtum

illis

illis eſt. Illa tamen differentia eſt inter tepidos, qui ſpirituali digrediuntur via, & eos qui materiale iter noctu amiſerunt, quòd illis deterior conditio ſit; illi enim non timent diſcrimen, nec agnoſcunt damnum ſuum, nec proinde ſolicitantur, vt remedium quærant; hi timent noctis pericula, noſcunt calamitatem ſuam, & omnibus ſatagunt modis in viam certam reſtitui, iam vociferantur, vt audiantur, iam auſcultant, num audiant hominis, aut canis vocem, iam circumſpiciunt, num videant aliquod lumen, aut ignem, iam tranſcendunt colles, iam per valles ſemitas requirunt. Nam inuiti omnino ſunt in eo errore, in quem nec vltrò ſunt ingreſſi, & omni conantur diligentia egredi; at calamitatem, & errorē ſuum Religioſi tepidi vltrò quæſierunt, vltrò retinent, nec inde conantur eripi, vt nec meminerint, nec velint ſcire, an aberrent via: ideo nec cauſam ſuarum imperfectionum norunt, ſed anguntur, dolent, queruntur, & neſciunt. Vnde tam grauis ſibi ipſa ſit vita, cuius non eſt alia cauſa, niſi quia digreſſi ſunt perfectionis tramite, obliti penitus eius finis, cuius cauſa religioſam elegerunt vitam.

Deficiunt à vocatione religioſa tepidi.

CAPVT XLVI.

QVAPROPTER remedium erit recordari finis noſtri, admonere nos profeſſionem noſtram, diligenti aduertere animo, quanam incedimus via; meditari ad quid venimus, num illuc eamus? Num digreſſi ſimus? imitari D. Bernardum, qui crebrò ſuggerebat ſibi: Bernarde, Bernarde ad quid veniſti. Hoc etiam dicamus, repetamus, inculcemus nobis ne ambulemus in vacuum, & pereamus, hoc memoremus, hoc meditemur, hoc intimis figamus viſceribus, hoc profundo recudamus corde. Tam leuis ne momenti hoc negotium perfectionis eſt, vt eius obliuiſci patiamur? O amentiam noſtram! O miſeram obliuionem! Quis arduum opus aggreſſus, & poſt magnas impenſas immemor illius obliuiſcitur eius, quod inceperat cum tantis ſumptibus. Quis in ſtadio currens, in medio curſu oblitus metæ, atque brauij, regredietur. Quid eſt hoc? quod obliuiſcamur ſalutis noſtræ, & maximi illius negotij ad qood venimus. Si poſtquam magnus Rex in apparatu bellico immenſas pecunias erogaſſet, & deinde in aciem progreſſus aduersùs hoſtilia caſtra, immemor prorſus ſuæ expeditionis, & impenſarum regrederetur domum. Si illi qui ædificaturi turrim Babylonicam conuenerant, in medio opere obliti penitus ſui conſilij recederent. Poſſibile ne hoc crederemus, an deſipientiam prorſus inauditam? Et nos qui inferno, carni & mundo repugnaturi venimus, cœlúmque expugnaturi, & Euangelicæ perfectionis turrim ſuper ipſa ſidera attollendam ædificaturi; quomodo tamæ operæ, & conſilij prorſus immemores deſiſtimus? Quomodo obliuiſcimur eius rei, cuius cauſa tot ſumptus fecimus, relinquentes cognatos, poſſeſſiones, ſpes noſtras, & mundum integrum? Credibilis ne eſt maior inſania, quàm hæc noſtra? Attendamus igitur, & recogitemus ad quid venimus, ne riſui ſimus hominibus, & Angelis: nam ſi probroſum eſt audire, hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare: multo plus exprobrandus eſt, qui cœpit ædificare, & oblitus eſt conſummare, ſeu noluit conſummare. Nec enim dici de nobis nequit non poſſe conſummare, ſiquidem iam computatis omnibus ſumptibus, qui neceſſarij ſunt ad ædificium ſpirituale, illud cœperimus, relinquendo omnia, ſubiiciendo, & ligando nos Deo tribus illis votorum vinculis, religioſam aggrediendo diſciplinam, vbi difficilius eſt eſſe malos quàm bonos. Solùm dici poteſt cum opprobrio & riſu de Religioſo tepido, Hic homo cœpit ædificare, & conſummare noluit, aut oblitus eſt, vtrumque profectò ignominioſum nobis; nam ſi ex obliuione procedit, quæ maior ignauia, vel amentia, quàm in ipſa opportunitate operis obliuiſci illius, cuius gratia tot impenſas fecimus? Si ex mutatione voluntatis, quia modò temerè noluimus, quod antea tam maturè approbauimus, tantóque elegimus conſilio. Quæ maior inſtabilitas, & ſtultitia, imò quæ maior impudentia; nam reprobamus inſpirationem Spiritus ſancti, reiicimus vocationem ſanctam, condemnamus electionem & iudicium noſtrum, imò iudicium Dei. Remoneremus igitur, & recogitemus ad quid venimus, erubeſcamus, & contremiſcamus, quòd diuinæ vocationi non reſponderimus. Diuina vocatio non fuit, vt hoc veſtitu indueremur, vt contineremur in his clauſtris, vt habitaremus in eadem domo cum aliis, vt corpus noſtrum dumtaxat ſeruaret religioſam vitam, ſed animus, ad hoc vocauit nos Deus, vt animum haberemus nudum affectibus, vt animo relinqueremus mundum, nec ad illum regrederemur, imò nec reſpiceremus, nec cogitaremus illum, vt animo cuſtodiremus religionis diſciplinam. At in hoc certè iam deficimus, iam deſerimus vocationem, & deflere cum Euſebio Emiſſeno poſſumus: *Qui extra mundum eſſe nos credimus, per diuerſarum paſſionum vitia mundum intra nos incluſum tenemus; ita vt qui putabamus nos precibus noſtris ſæculo ipſi poſſe ſuccurrere, penè ſit, vt videamus nos magis ſæculi interceſſionibus indigere? Dubium quippe non eſt, quòd illa anima, quæ per concupiſcentiam ſæcularium voluptatum poſſeſſio efficitur mundanæ conuerſationis, non poteſt effici regnum diuinitatis. Ideoque fratres, videte vocationem veſtram. Venire quidem ad Eremum ſumma perfectio eſt; ſed non perfectè in eremo viuere, ſumma damnatio eſt. Quid prodeſt ſi locus quietis tantùm corporaliter teneatur, & inquietudo in corde verſetur? Quid, inquam, prodeſt, ſi in habitatione ſilentium ſit, & in habitatoribus vitiorum tumultus, & conluctatio paſſionum: ſi exteriora noſtra ſerenitas teneat, & interiora tempeſtas. Non enim ideo ad iſtum conuenimus locum, vt nobis mundus famularetur, vt rebus omnibus abundantes omni quiete frueremur: non vtique ad requiem, non ad ſecuritatem, ſed ad pugnam huc conuenimus, ad agonem proceſſimus, ad exercenda cum vitijs bella properauimus; vt linguæ gladios retundamus, non ſolùm inuicem non inferamus iniurias, ſed nec ſentiamus illatas.* Homil. 4. ad Mon.

S. Bernardus eos, qui ſæculo relicto ad Religioſi clauſtri aſylum confugiebant, ſolitus erat monere corpus extrà relinquerent, animo ſolùm

ingre

Digitized by Google

ingrederentur. Contrarium prorſus facimus, qui imperfecti & tepidi ſumus, cum corpore in religione manemus, animum tamen tranſilientes clauſtra, mittimus foras, iiſdem affectibus, iiſdem cupiditatibus, iiſdem vinculis oppreſſum ac ſæculares reſpicientes retro mundum, quod dereliquimus, manendo in religione, non aliter quàm ſtatuæ mortuæ cum mole corporis,
3 p. lib. 1. c. 2. ſine ſpiritu tamen. Optimè dixit Humbertus. Statua eſt corpus ſine ſpiritu, ſimilitudinem habens hominis, non veritatem; ſic reſpiciens ad ea, quæ reliquit, ſimilitudinem habet Religioſi, non veritatem; corpus habet in clauſtro, cor in mundo, ſic fit quædam ſtatua. Hoc exemplo
Luc. 17. vtitur Saluator, dicens: *Mementote vxoris Loth.*
Ibi 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Non eſt iſta vocatio noſtra cum corpore in clauſtro concludi, & cum animo in mundo vagari, non ad hoc vocauit nos Chriſtus: non ad hoc venimus. Quapropter pauere debemus, & trepidare formidantes noſtrum periculum. Nam eæ minæ, quæ in reſpuentes diuinam vocationem iaculantur, eos, qui ſumus, imperfectos feriunt. Illa, illa tremenda Dei vox in Prouerbiis Salomonis tepi-
Prou. 1. dos comprehendit. *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Quid tandem? An hæ iuſtiſſimæ querelæ ſine minis, ſine retributione, ſine
Pſalm. 108. talione? Subiicit ſtatim: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis, euenerit.* Timeamus quoque, quod Dauid dixit: *Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis.* Nam ſi iſtæ minæ iaculantur in illum qui vocationi non reſpondet diuinæ, vocatióque diuina non ſit, vt corpus includamus determinato loco, ſed vt animo relinquamus omnia, & tepidi hoc non faciant, ſed animo, mente, & corde maneant in mundo, aut redeant ad mundum, profectò non reſpondent diuinæ vocationi; atque idcirco æquè timere poſſunt, ac ille, qui vocatus à Deo religionis contempſit ingreſſum, & fortaſſe plus timere debet Religioſus tepidus, quandoquidem non tantùm non reſpondit Deo, ſed contradicit, quatenus videtur reprobare, quod ſemel ex Dei ſuaſu probauit; quædam enim Apoſtaſia ſpiritualis tepor eſt, cùm per illum recedamus à noſtri inſtituti propoſito, & fine. Verùm ſi conſideremus quæ de tepidis dicunt Scripturæ, non minus terribilia ſunt, quàm quæ peccatoribus minantur. Quid terribilius quàm illa ſententia manſuetiſſimi Iesv: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Cum tepidis loquitur hæc oratio; ſiquidem non inquit, & reuertens retrò, ſed ſolùm *reſpiciens*, quod imperfecti Religioſi faciunt; non enim poſtquam miſerunt manum ad aratrum in cultura religioſi agri, regreſſi ſunt retrò, hoc eſt, non reuerterunt ad mundum; at verò reſpexerunt retrò, ſcilicet reſpexerunt mundum, per quem animum diffundunt, licèt corpus comprimant in clauſtro. Sed clariſſimè in Apocalypſi, tepido illi Epiſcopo minatus eſt Dominus, *incipiam te euomere ex ore meo.* Itaque æquè tremendum videtur reſiſtere vocationi diuinæ, non ingrediendo religionem, ac permanendo in religione ſecundùm corpus, & viuendo negligenter in ſpiritu: nam & hoc pacto repugnatur diuinæ vocationi, quæ non corpus vocauit, & elegit, ſed animam. Quinimo, ſicut iam diximus, deterius aliquando eſt iſtud, quod ſatis confirmat
Caſſianus, dum ait: Exiſtimantes ad perfectio- Coll. 4. c. 19.
nem nobis abundè ſufficere, quòd exteriore homine videamur de conuerſatione mundi huius, ac voluptatis ſegregari, vel quòd immunes ſimus à corruptela, & commixtione carnali, & ita inuenti in illo tepido ſtatu, qui deterior indicatur, euomendos nos ex ore Domini ſecundùm eius ſententiam nouerimus, ita dicentis: *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus, nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Nec immeritò eos Dominus, quos iam in viſceribus receperat charitatis, noxios, & tepefactos, cum quadam conuulſione pectoris ſui euomendos eſſe pronuntiat; qui cùm ſalutarem quodammodo ei potuiſſent præbere ſubſtantiam, auelli ab eius viſceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis, qui nunquam ori Dominico illati ſunt, cibis, quanto id quod nauſea compellente proiicimus, odibilius deteſtamur. Quidquid enim frigidum eſt, etiam ore noſtro ſuſceptum vertitur in calorem, & ſalutifera ſuauitate percipitur; quod autem ſemel vitio pernicioſi teporis abiectum eſt, non dicam labiis admouere, ſed etiam eminus intueri ſine ingenti horrore non poſſumus. Rectiſſimè ergo pronuntiatur eſſe deterior, quia faciliùs ad ſalutarem conuerſationem, ac perfectionis faſtigium carnalis quis, id eſt, ſæcularis, vel Gentilis accedit, quàm is qui profeſſus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens ſecundùm regulam diſciplinæ, ab illo ſemel ſpiritalis feruoris igne diſceſſit. Ille namque corporalibus ſaltem vitiis humiliatus, atque immundum ſe ſentiens contagione carnali, ad fontem veræ purificationis, ac perfectionis culmen, quandoque compunctus, accurrit, & horreſcens illum in quo eſt, infidelitatis gelidiſſimum ſtatum, ſpiritus ardore ſuccenſus, ad perfectionem faciliùs conuolabit. Nam qui ſemel, vt diximus, tepido exorſus initio Monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate, ac feruore, quo debuit, iter huius profeſſionis arripuit, infectus ſemel hac miſerabili lue, & in ea quodammodo reſolutus, nec ex ſeſe vlteriùs perfecta ſapere, nec alterius poterit monitis erudiri. dicit enim in corde ſuo ſecundùm illam Domini ſententiam: *Quia diues ſum, & locuples, & nullius egeo.* Cui illud quoque quod ſubſequitur, conſequenter aptabitur. *Tu autem es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* In eo factus etiam ſæculari deterior, quòd nec miſerum ſe, nec cæcum, ac nudum, aut emendatione dignum, vel egere monitis alicuius, aut inſtitutione cognoſcit, & ob hoc nec exhortationem quidem vllam verbi ſalutaris admittit, non intelligens ipſo Monachi ſe nomine prægrauari, ac deprimi opinione cunctorum, qua dum creditur ab omnibus ſanctus, & veluti Dei famulus colitur, neceſſe eſt, vt in futuro vehementiori iudicio, pœnæque ſubdatur. Poſtremò, quid diutiùs immoramur in his, quæ nobis experimento ſatis comperta ſunt, ac probata? Frequenter enim vidimus de frigidis, atque carnalibus, id eſt, de ſæcularibus ac paganis, ad ſpiritalem perueniſſe feruorem, de tepidis, atque animalibus omnino non vidimus.

Finem vocationis religioſæ præſtituere ſemper nobis debemus.

Capvt XLVII.

Igitvr ſi periculoſius eſt animo viuere in ſæculo, quàm corpore, nec tutum ſit corpus concludere in clauſtro, dum animum diſſipamus per plateas. Neque ſufficiat vocationi noſtræ veſtitu diſcerni à ſæcularibus, niſi ipſo ſæculi contemptu, veriſque virtutibus diſtinguamur, reducamus animum noſtrum à mundanis rebus, reformemus animæ habitus, & vocationi noſtræ reſponſuri recogitemus ad quid venimus, quò tendimus, aut tendere debemus? Ne pereamus ambulantes in vacuum, ſicut Iob minatur; ſed viuamus æternè, ambulantes coram Deo, ſicut de iuſtis Scriptura loquitur, hoc eſt, habentes ſemper præſens & intentum, in omnibus operibus propoſitum vocationis noſtræ, Deum ipſum, maius diuinum obſequium, ſupercœleſtem conuerſationem, & altiſſimum noſtri aduentus, & inſtituti finem, rememorantes aſſiduè ad quid venimus. Sic enim poteſt vnuſquiſque ſecum ſanctè philoſophari: Ad quid veniſti miſer homo è mundo, an vt miſer, & miſerabilis eſſes, & pauper, & cæcus, & nudus? an vt tam abominabilis fieres, vt Deum ad nauſeam prouocares, vomitum excitares illi, qui vniuerſos in ſuis viſceribus cuſtodit, in ſuis præcordiis ſeruat? Ad hoc ne ſuperaſti mundum, ad hoc viciſti Diabolum, ad hoc domuiſti carnem, ad hoc reliquiſti hæreditates tuas, ad hoc deſeruiſti ſpes omnes, ad hoc parentes, & cognatos dereliquiſti, vt nec mortuos ſepelire volueris, ad hoc te tribus vinculis ligaſti. Ad hoc ne? non certè; nam ſtultiſſimum eſſet maiores ſumptus feciſſe, quàm lucrum ſperaretur. Quid? veniſti fortaſſe, vt talis fieres, qualis es? non profectò; nam valde cæcus, & ſuperbiſſimus eſſes, ſi contentus tecum viuis in tanta tepiditate, ſi ita tibi ſatisfacit conuerſatio tua. Vide igitur ad quid veniſti, vide quantum diſceſſiſti à fine quò tendere deſtinaſti, vide quàm inuolutis ſemitis inceſſiſti, vide quomodo ambulaſti in vacuum, vide quàm proximè es, vt pereas. Tu tu qui veniſti, vt ſalutem certiùs conſequereris. Tu tu qui maluiſti rectà ire ad cœlum per anguſtam, & ſalebroſam viam. Tu qui mori ante mortem ſtatuiſti, vt Deo ſemper viueres. Tu qui voluiſti Angelus eſſe in terra, non homo. Vide igitur & conſidera ad quid veniſti, ne fruſtrà ſit tantus vitæ apparatus, & tot pro Religione impenſæ. Videamus igitur ad quid venimus? Ad ſaluandum nos fortaſſe? non exiſtimo hunc eſſe vnicum diuinæ vocationis finem, nec debere eſſe ſolum noſtræ electionis conſilium: nam & in mundo multi ſaluantur, & licèt certi eſſemus de noſtra prædeſtinatione, quamuis maneremus in ſæculo, adhuc deberemus Religionem ingredi, & aliquid aliud præter ſalutem æternam in Religione quærere. Venimus igitur ad aliquid amplius. Ad grandius negotium vocauit nos Deus ad maiorem gloriam ſuam quærendam. Vocauit nos, vt ſalutem non vtcumque obtineremus, ſed cum magno meritorum cumulo, vt ſancti & puri ex toto corde diligeremus Deum, & omnibus inſeruiremus viribus. Deinde venimus ad exequendum media, quibus ſublimem hunc finem conſequeremur, & arduum hoc opus facilitaremus. Venimus vt in ipſo ætatis flore moreremur nobis, venimus vt crucifigeremur cum Chriſto, venimus vt humiliaremur cum filio Dei, & idem ſentiremus in nobis, quod & in Chriſto Ieſu, venimus, vt obedientes eſſemus vſque ad mortem, venimus, vt violentantes nos, Regnum cœlorum raperemus. Ad hoc venimus, idcirco ſanctus Ioannes Climachus definiuit Religioſum eſſe violentiam naturæ.

Si igitur ad ſalutis certitudinem cum magnis gloriæ incrementis comparandam venimus, & hoc verè quærimus, & volumus, id etiam velle debemus per quod illud conſequemur: nam nemo efficaciter vult finem, niſi velit etiam media, per quæ finem naneiſcatur. Quapropter qui ſublimem gloriæ gradum ex corde concupiſcit, concupiſcere etiam debet ſub omnibus humiliari ignominias, & contemptus pati. Qui cum Deo regnare vult, hic debet etiam affligi, & macerari. Media ſunt ſemitæ, quibus ad finem itur; ſic noſtri fini ſemitæ humiliatio eſt, mortificatio eſt, contemptus mundi eſt, oratio eſt, obedientia eſt, obſeruantia regularum eſt, ſilentium eſt, modeſtia eſt. Hæc ſunt ſemitæ rectæ, non inuolutæ; per has progrediemur, & non regrediemur, per has ambulabimus cum Deo, & non in vacuum. Hæc noſtra cura aſſidua ſit ambulare ſemper proficiendo in melius, iuxta Salomonis ſententiam; iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem, via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Optima comparatione explicuit Sapiens, quo pacto coram Deo ambulare debemus, ne ambulemus in vacuum, & pereamus, ſcilicet quemadmodum Sol ab exortu vſque ad Meridiem, quem debemus imitari in rectitudine itineris, in celeritate, in conſtantia, in augmento continuo. Sol enim nonquam deflectitur, nec deulat in curſu ſuo ſiniſtrorſum, nec dextrorſum; ſic etiam fixum ſcopum vocationis noſtræ ſequi debemus, non declinando à dextris, nec à ſiniſtris, ſed gloriam Dei cum rectitudine intentionis vnicè, & aſſiduè quærendo. Sol mouetur concitatiſſimè, vt nulla viuentis naturæ celeritas cum illo conferri queat: ita ſimiliter viam perfectionis non lento gradu, non torpendo, ſed feruidè oportet percurramus. Sol quantumuis aëre turbetur, quantumuis contrarij perflent venti, quantumuis nimbi ingruant, quantumuis nubila cœlum obſcurent; ipſe tamen curſum ſuum peragit eodem modo, ac ſereno cœlo. Similiter nos, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis, ſiue conſolati, ſiue tentati contendere debemus in ſpiritualem profectum, nec vlla ratione retardari. Sol quo magis procedit, maioris lucis incrementa capit vſque ad perfectum diem. Sic & nos creſcere conemur vſquequò euadamus perfecti. Ne corruamus in tenebroſam tepidorum viam, per quam in tenebris, atque in vacuum ambulabimus, tanquam qui noctu oberrant; neque enim ſine cauſa dixit Salomon ſemitam iuſtorum luci ſimilem, & viam impiorum tenebroſam; dum enim aliquis perfectè operando reſpondet inſpirationi diuinæ, augetur in illius anima cœleſtis lux: dum autem per teporem negligit,

gligit operari, cœleſte illi lumen extenuatur: creſcit autem ignorantia, & obliuio earum rerum, ad quas ex præſcripto noſtræ profeſſionis, & electione voluntatis tenemur. Neſcio cuius animus non conſternabitur, ſi legit quæ Diuus Paulus ſcribit epiſtola ad Romanos, quanta mentis obtenebratione, quot vitiorum permiſſione punierit Deus in ſapientibus antiquis neglexiſſe vnam veritatem, nec vni inſpirationi reſpondiſſe. *Ad Rom.* 1. *Obſcuratum*, inquit, *eſt inſipiens cor eorum.* Et poſtea. *Propterea tradidit illos Deus in poſſeſſiones ignominiæ.* Et iterum, *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, reprobatos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum*, & ſexcenta alia quæ addit Apoſtolus. Si negligentia vnius inſpirationis, contemptúſque vnius veritatis naturalis, ſic diuinam prouocauit iram, nos ob contemptionem vocationis noſtræ, & tot veritatum ſupernaturalium, tot inſpirationum diuinarum, cur non timebimus? tot enim inſpirationes Dei contemnimus, quot bona exempla in feruore fratrum noſtrorum non imitamur, quot regulas & conſtitutiones frangimus, quot verba Superioris iubentis non attendimus. Quòd ſi maiora ſupplicia nolumus formidare, illud ſaltem pertimendum eſt, quòd in vacuum ambulauerimus ſine vſu gratiæ, ſine fructu vitæ æternæ. *In vacuum quippe*, ait S.Gregorius, *ambulant, qui nil ſecum de fructu ſui laboris portant.* *Lib.7.moral. cap.13.* *Alius namque adipiſcendis honoribus exudat, alius multiplicandis facultatibus æſtuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc hic quiſque moriens deſerit, labores in vacuum perdidit, quia ſecum ante iudicem nihil tulit. Quo contrà bene per legem dicitur: Non apparebis in conſpectu Domini vacuus. Qui enim promerenda vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in conſpectu Domini vacuus apparet. Hinc de iuſtis per Pſalmiſtam dicitur: Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos ſuos. Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt, qui in ſemetipſis recta opera, quibus vitam mereantur, oſtendunt. Hinc de vnoquoque electo Pſalmiſta iterum dicit: Qui non accepit in vano animam ſuam. In vano namque animam ſuam accipit, qui ſola præſentia cogitans, quæ ſequantur in perpetuum non attendit. In vano animam ſuam accipit, qui eius vitam negligens, ei curam carnis anteponit: ſed animam ſuam iuſti in vano non accipiunt, quia intentione continua ad eius vtilitatem referunt quidquid corporaliter operantur, quatenus & tranſeunte opere, operis cauſa non tranſeat, quæ vitæ præmia poſt vitam parat.*

Sed hæc curare reprobi negligunt; quia profectò ambulantes in vacuum, vitam ſequentes fugiunt, inueniendo perdunt.

***

Io. Euſeb. Nieremb. doctr. Aſcet.

Remedium tepiditatis eſt conſiderare mala ipſius.

CAPVT XLVIII.

AD alia procedamus. *Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba, & expectate paulisper.* Poſtquam tepiditatis morbum, & pericula ſignificauit Iob, nunc medelam adhibet, & ſalutare porrigit pharmacum. Quod tandem remedium? hoc quidem maximum, conſiderare ipſos tepidos, eorúmdem miſeriam, & vilitatem, hoc ſatis putauit, vt omnem cordis languorem, omnem animi torporem deponeremus, ne ſimiles iis eſſemus. Et in aliena vita noſtram formidaremus, ſicut Salomon contemplatus miſeriam, & paupertatem tepidi exemplo tanto mali exhorruit. Per agrum, inquit, hominis pigri tranſiui, & vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa eſt. Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Stupuit conſpicatus deſolationem quam vidit in rebus ignaui, & negligentis, quem meritò ſtultum vocat, doctúſque alieno exemplo, propoſuit ſolicitè, & ſtrenuè res ſuas curare. Quòd ſi pigritia rerum temporalium ſic commouit Regem locupletiſſimum, vt diligenter ſua procuraret, timens paupertatem, ad quam trahere ſolet pigros; negligentiam ſpiritualium bonorum multo magis formidare nos pauperculi debemus; quapropter meritò S.Iob idem quod Salomon pro temporalibus fecit, nos iubet pro ſpiritualibus facere, monens, vt animum ad tepidos vertamus, eorúmque miſeriam perpendamus, vt caueamus id eſſe quod pauemus. *Conſiderate*, inquit, *ſemitas Theba, itinera Saba, & expectate paulisper. Theman quippe* (ait S.Gregorius) *Auſter; Saba autem rete interpretatur.* *Lib.7.moral. cap.14.* Quid hic per Auſtrum, qui afflata teporibus membra diſſoluit, niſi fluxa viuendi remiſſio: quid per rete niſi actionis obligatio demonſtratur. Qui enim diſſoluta mente ea quæ terrena ſunt, appetunt, nec greſſu libero ad Deum pergunt, ipſi ſe ſuis inordinatis conatibus ligant, cúmque ſe fluxis conuerſationis ſuæ actibus implicant, quaſi remanſuros in retis vinculis pedes ponunt. Bene autem tepidorum facta deſcribens Iob, conſideratè hęc admonet, Quia, inquit idem S. Gregorius, peruerſa agendo diligimus, ſed hæc viſa in aliis diiudicamus, & quæ in nobis minus diiudicanda credimus, quàm ſint turpia, in aliorum actibus cognoſcimus. Sicque fit, vt ad ſeipſam mens redeat, & agere quod reprehendit erubeſcat. Quaſi enim à ſpeculo fœda facies diſplicet, cùm mens à vita ſimili in ſeipſa quod auerſetur, videt. Ait ergo: *Conſiderate ſemitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper*; ac ſi apertè diceret: Damna alieni teporis attendite, & tunc ſpem de æternis firmiùs ſumitis. Si recto cordis oculo quod in aliis diſplicet, videtis, quis eſt tam dilector ſui, qui non ſe faſtidiret, & de ſemet erubeſceret, ſi in alterius capite ſuam vitam audiret deſcriptam: tunc enim iuſtè ſolùm ſententiam ferimus, cùm noſtræ culpæ tanquam alienæ proponuntur. Ideo Dauid

ſuum peccatum non damnauit, donec Nathan Propheta ſub alterius perſona cauſam propriam tanquam alienam obieciſſet iudicandam. Hoc igitur teporis noſtri ſalutare pharmacum ſumamus, noſtros defectus in alio expectare, quid iudicaremus de illo, diſcutiamus cogitationes noſtras, deſideria, affectus; quàm diſſolutè, quàm diſtractè vagentur: nam quæ de nobis ſcimus, ſi alius cognoſceret, erubeſceremus, ſi de alio idem ſciremus, rideremus illum, & contemneremus. Conſtituamus igitur in alio, quæ in nobis experimur, ac ſi perſpiceremus interna animi ſenſa, & cogitatus alterius otioſos, vanos, & deceptos; nonne ſi ſimiles videremus ac in nobis ſentimus, ridiculum profectò ſpectaculum aſſet? Pudeat igitur nos noſtri propter ea, quæ in alio rideremus. Idem de verbis, & actionibus dico, non eſt dubium, quin multa quæ dicimus, & facimus, ſi ab alio dicta audiremus, aut videremus facta, magni nobis riſus & contemptionis cauſa eſſent. Quot verba inconſiderata, quot inutilia, quot quæ charitatem minuunt inſenſibiliter elabuntur nobis? notamus tamen, damnamuſque in aliis minora. De operibus quid dicam, quot ſine recta intentione, quot ſine ſpiritu, quot diſtractè, quot licèt bona malè facimus, ſi de alio ſciremus, tanquam imperfectiſſimum, aut abominandum hypocritam deteſtaremur.

Quòd, ſi nos ſic ſcrutari, & diiudicare dolemus, in quibuſcumque conſideremus tepidorum vitam, & quæ de illis in genere dicuntur, vt ex eorumdem aufugiamus grege: verùm quo magis eorum nobis cōditio vileſcat feruidorum, mores opponemus; vtrorumque vitam conferens ſanctus Bernardus, vtrorumque imagines ſic repræſentat: Aduertere potes in omnibus ferè religioſis congregationibus viros repletos conſolatione, ſuperabundantes gaudio, iucundos ſemper & hilares, feruentes ſpiritu, nocte & die meditantes in lege Domini, crebrò ſuſpicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, ſolicitos obſeruatores conſcientiæ, & deuotos ſectatores bonorum operum: quibus amabilis diſciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuerſa denique conuerſationis huius auſteritas refrigerium videatur. Deinde, vt ex hoc quaſi ſimulachro feruentis hominis cognoſcatur tepidus, deſcriptionem tepidi ſubiicit in hunc modum. Contrà ſanè (inquit) inuenire eſt homines. Primò puſillanimes & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia, puſillanimis triſtitia eſt, quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio, obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, quorum oratio ſine cordis intentione, lectio ſine (ſui nempe) ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix diſciplina coërcet. Quis, quæſo, in horum accenſeri numero vellet, & excludi à candidiſſima, & fœlici illa feruentium ſocietate.

Serm. 6. de Aſcen.

Quid tepiditas, ſeu acedia, & quàm noxij eius effectus.

Capvt XLIX.

VERVM quia per ſemitas & vias interdum ſignificat Scriptura effectus, & quaſi propagines alicuius rei, vnde ſapientia dicitur initium viarum Domini, hoc eſt, effectuum, & operum diuinæ omnipotentiæ; idcirco ſemitæ Theman, & itinera Saba, hoc eſt, tetis, ſunt multiplices, & timendi tepiditatis affectus inter ſe implexi, quos conſiderare ſanctus Iob nos monet, vt ramos pariter, & radicem agnoſcamus. Priùs quid tepiditas, ſeu acedia propriè ſit, poſtea eius ſurculos, & effectus ſpectabimus. Vtrumque S. Thomas ex S. Gregorio, S. Ioanne Damaſceno, & S. Iſidoro nobis explanabit. Teporem, ſeu acediam vocarunt triſtitiam Magnus Gregorius, & S. Ioannes Damaſcenus: nam quædam eſt triſtitia ſpiritualis mœrens de bono ſpirituali, oppoſita proinde charitati, cuius dulciſſimus fructus eſt gaudium de Deo, boniſque diuinis: igitur in quæſtione trigeſima quinta, articulo primo, docet Angelicus Doctor acediam ſecundùm Damaſcenum eſſe quandam triſtitiam aggrauantem, quæ ſcilicet ita deprimit animū hominis, vt nihil ei agere libeat, ſicuti ea, quę ſunt acida, etiam frigida ſunt. *Et ideo,* inquit, *acedia importat quoddam tædium operādi; vt patet per hoc quod dicitur in gloſſa ſuper illud Pſalmi, Omnem eſcam abominata eſt anima eorū. Et à quibuſdam dicitur, quòd acedia eſt torpor mentis bona negligentis inchoare. Huiuſmodi autē triſtitia ſemper eſt mala. Quandoquidem etiam ſecundùm ſeipſam, quandoque verò ſecundùm effectum. Triſtitia enim ſecundùm ſe mala eſt, quæ eſt de eo, quod eſt apparens malum, & verè bonum; ſicut è contrario mala delectatio eſt, quæ eſt de eo quod eſt apparens bonum, & verè malum. Cùm ergo ſpirituale bonum ſit verè bonum, triſtitia, quæ eſt de ſpirituali bono, eſt ſecundùm ſe mala. Sed etiam triſtitia, quæ eſt de verè malo, mala eſt ſecundùm effectum, ſi ſic aggrauet hominem, vt eum totaliter ab vno opere retrahat. Vnde & Apoſtolus ad Corinthios non vult, vt pœnitens maiori triſtitia de peccato, abſorbeatur. Quia ergo acedia, ſecundùm quod hic ſumitur, nominat triſtitiam ſpiritualis boni, eſt dupliciter mala; & ſecundùm ſe, & ſecundùm effectum.* Nomen ſolùm *triſtitia* ſatis eſt, vt hoc formidaremus vitium, qui idcirco in illud incidimus, vt vanè delectemur. Accedit quòd mala ſit, & dupliciter mala in ſe abominabilis, in effectu formidanda. Addit ſanctus Doctor in reſponſione ad tertium, non ſolùm acediam eſſe triſtitiam de bono ſpirituali, ſed contemptum. *Non pertinet*, inquit, *ad humilitatem ſed potiùs ad ingratitudinem, quòd bona, quæ quis à Deo poſſidet, contemnat. Et ex tali contemptu ſequitur acedia. De his enim triſtamur, quæ quaſi mala, vel vilia reputamus. Sic ergo neceſſe eſt, vt aliquis aliorum bona extollat, quòd tamen bona ſibi diuinitus prouiſa non contemnat, quia ſic ei triſtia redderentur.* Vbi eſt appretiatio noſtræ ſalutis, vbi appretiatio noſtri Saluatoris, ſi contemnimus illum torpendo. Adiicit articulo ſequenti, quod magis aggrauat

2. 2. q. 35. art. 1. in corpore.

1. Cor. 2.

aggrauat malitiam huius vitij, non ſolùm eſſe triſtitiam de bono ſpirituali, vtcumque, ſed de bono diuino; nam præterquam quòd generaliter nutriat communem triſtitiam de ſpiritualibus rebus, ſpecialiter tamen charitati opponitur, quatenus ſpecialiter triſtatur de bono diuino.
Art. 2. Sic ait: *Triſtari de bono diuino, de quo charitas gaudet, pertinet ad ſpeciale vitium, quod acedia vocatur.* Et rurſus articulo tertio, concludens grauitatem eius, dicit: *Illud peccatum ex ſuo genere eſt peccatum mortale, quod de ſe ſecundum propriam rationem contrariatur charitati, huiuſmodi autem eſt acedia. Nam proprius effectus charitatis eſt gaudium de Deo. Acedia autem eſt triſtitia de bono ſpirituali, in quantum eſt bonum diuinum.* Hoc noxium & inimicum ingenium teporis eſt de noſtris maioribus bonis, quæ ſunt ſpiritualia triſtari, nec tantùm hoc, ſed de diuinis moleſtè ferens, quæ ad noſtram ſalutem, & perfectionem pertinent, & quaſi Deum ipſum cum ſuis donis contemnens.

Nunc conſideremus ſemitas Thema, hoc eſt, ramos, qui ex hoc vitio procedunt, & noxios eius
Lib. 31. mor. fructus. Sex aſſignauit S. Gregorius, & ſunt malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, tepor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita. Au-
Art. 4. ad 2. diamus explicationem S. Thomæ: *Gregorius conuenienter aſſignat filias acediæ, quia enim, vt*
2. Ethic. *Philoſophus dicit, nullus diu abſque delectatione poteſt manere cum triſtitia, neceſſe eſt, quòd ex triſtitia aliquid dupliciter oriatur: vno modo, vt homo recedat à contriſtantibus; alio modo, vt ad alia transeat, in quibus delectatur; ſicut illi qui non poſſunt gaudere in ſpiritualibus delectationibus, transferunt ſe ad corporales ſecundum Phi-*
10. Ethic. *loſophum. In fuga autem triſtitiæ talis proceſſus attenditur, quia primò homo fugit contriſtantia, ſecundò etiam impugnat ea, quæ triſtitiam ingerunt. Spiritualia autem bona de quibus triſtatur acedia, ſunt & finis, & id quod eſt ad finem. Fuga autem finis fit per deſperationem; fuga autem bonorum, quæ ſunt ad finem, quantum ad ardua, quæ ſubſunt conſilijs, fit per puſillanimitatem: quantum autem ad ea, quæ pertinent ad communem iuſtitiam, fit per torporem circa præcepta. Impugnatio autem contriſtantium bonorum ſpiritualium, quandoque quidem eſt circa homines, qui ad bona ſpiritualia inducuntur; & hic eſt rancor. Quandoque verò ſe extendit ad ipſa ſpiritualia bona, in quorum deteſtationem aliquis adducitur, & hoc propriè eſt malitia. In quantum autem propter triſtitiam à ſpiritualibus aliquis transfert ſe ad delectabilia exteriora, ponitur filia acediæ, euagatio circa illicita. Per quod patet reſponſio ad ea quæ circa ſingulas filias obijciebantur. Nam malitia non accipitur hic ſecundùm quod eſt genus vitiorum, ſed ſicut dictum eſt. Rancor etiam non accipitur hic communiter pro odio, ſed pro quadam indignatione, ſicut dictum eſt; & idem dicendum eſt de alijs.* Aliquos ex his ramos in alios ſubdiuiſit
Lib. de ſummo bon. c. 37. ramuſculos S. Iſidorus, diſtinguens hoc vitium dicit, triſtitiam eſſe inquantum recedit à grauiori, & laborioſo ad quod tenemur: acedia autem in quantum ſe conuertit ad quietem indebitam. Et dicit de triſtitia oriri rancorem, puſillanimitatem, amaritudinem, deſperationem; de acedia verò oriri ſeptem, quæ ſunt otioſitas, ſomnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, inſtabilitas, verboſitas, curioſitas: non tamen proinde diſſentit à S. Gregorio; nam, vt ait D. Thomas, quæ Iſidorus ponit oriri ex acedia, ex triſtitia, reducuntur ad ea, quæ Gregorius ponit; nam amaritudo, quam Iſidorus ponit oriri ex triſtitia, eſt quidam effectus rancoris. Otioſitas autem, & ſomnolentia reducuntur ad torporem circa præcepta, circa quæ eſt aliquis otioſus, omnino ea prætermittens, & ſomnolentus ea negligenter implens. Omnia autem alia quinque, quæ ponit ex acedia oriri, pertinent ad euagationem mentis circa illicita; quæ quidem ſecundùm quod in ipſa arce mentis reſidet, volentis importunè ad diuerſa ſe diffundere, vocatur importunitas mentis; ſecundum autem quod pertinet ad cognitionem, dicitur curioſitas: quantum autem ad locutionem, dicitur verboſitas; quantum autem ad corpus in eodem loco non manens, dicitur inquietudo corporis, quando ſcilicet aliquis per inordinatos motus membrorum vagacitatem indicat mentis; quantum autem ad diuerſa loca, dicitur inſtabilitas; vel poteſt accipi inſtabilitas ſecundùm mutabilitatem propoſiti.

Quòd ſi velimus aliquam imaginem cernere, quam tam multiplex virtutum caries cædat, eam nobis propoſuit Caſſianus. Neque eam repræſentare piget, vt in illa erubeſcamus, ſi qui ſimiles ſumus, & perſpecta habeamus acidi, & negligentes Religioſi ſigna, quæ ita ille recenſet. *Cùm gloriatur de nobilitate natalium, alta ſeculi dignitate, aut pecunia; cùm iugum monaſterij non ſuſtinet, cùm ſenioris vllius diſciplinam non admittit, nullam denique obedientiam, aut ſubiectionem, cùm creſcit in corde eius faſtidium ſpiritualis verbi, quod cognoſcitur, cùm quo tempore de rebus diuinis tractatur, eius obtutus vno loco ſtare neſcit, ſed ſtupidus huc, & illuc circumfertur intuitus; pro ſuſpirijs ſalutaribus ſputa de ſicca gutture corraduntur. Excreationes etiam ſine vlla interpellatione phlegmatis prouocantur, digiti ludunt, & in modum quiddam ſcribentis voluntant, atque depingunt, ita totus commouetur, ac ſi acutis ſudibus inſideret: verbum auditum; & ſimpliciter ad ædificationem prolatum, æſtimat dictum ad ſuam ſuggillationem: ſuis ſuſpicionibus occupatur, cauſas cur quidque dicatur inquirit, & quid poſſit ei obijcere, tacita volutatione coniectat. Vnde ex ſpirituali collatione non iuuatur, ſed vehementiore cordis obſtinatione duratur, ira ſtimulis acriùs incitatur. Poſt hæc excelſa vox, ſermo rigidus, amara, & turbulenta reſponſio, inceſſus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec vnquam taciturnitatis amica, niſi cùm contra fratrem rancorem quemdam in ſuo corde conceperit, ſitque ſilentium eius non compunctionis, & humilitatis, ſed ſuperbiæ, & indignationis indicium. Et ad ſatisfactionem læſi fratris ſemetipſum ſubmittere dedignatur, & ab illo ſibimet oblatam deſpicit, atque contemnit.* Concludit Caſſianus, tandem huiuſmodi hominem, cùm nihil ipſe didicerit, magiſtrum etiam aliorum fieri, & cùm huiuſcemodi elatione cordis in pernicioſiſſimum teporem, noxiumque corruerit, & nec verus Monachus, nec ſæcularis effectus ſit, etiam perfectionem ſibi ex hoc ipſo miſerabili ſtatu, & conuerſatione promittere. His indicijs nos examinari oportet, quæ ſi in nobis inuenerimus, certiſſimè nos occupat tepor. Circumſpiciamus nos, an facilitas loquendi no-

Digitized by Google

bis ſit, an elatio mentis, an orationis diſtractio, an humiliationis faſtidium, an fratrum contemptio, an corporis immodeſtia. Si hæc & ſimilia in nobis ſunt, æquè abominabiles erimus. Neque tacenda quidem eſt, quam deſcriptionem acedioſi Monachi tradidit Antiochus Monachus, qui ſic ait: *Dæmon, acediæ planè intolerandus, cooperarius cùm ſit, & nihilo diſpar ſpiritui triſtitiæ: eſt alioqui ea, ſua grauitate moleſtior, vt cùm circa horam ſextam, velut ex inſidijs aſſilit Monacho, tædioſam, ac formidabilem agoniam illi incutiens, vſqueadeò, vt vel locum oderit, veriùs autem fratres ipſos inuiſos habeat quibus cum viuit communiter. Quid? ad opus quodlibet, ad diuinæ Scripturæ lectionem, neſcio quam illi ingerit inſuauem, & biulculam oſcitationem. His adde, eſuriem ſuggerit, tempore prolixiore ſuſtinendam. Ad eum modum ſupinus ille ac ſecurus, boni operis ſcopum vnicum ſpectat, nempe horam ſumendæ alimoniæ. Interim tamen ſumpto in manus libro legit nonnihil, quem & ordine ſuo locat: mox oculorum aciem intendere incipit, inque feneſtras propius defigit. Quiddam rurſus legit; deinde ſuos admetitur, & enumerat quaterniones. Plicato mox libro obdormiſcit; ſomni aliquantum, vbi decerpſit, rurſus aſſurgit experrectus. Hæc eo facit, vt horas deterat, ac temporis fallat prolixitudinem. Atqui audito primum ſignifero, & indicto prandij, quàm alacer, quàm expromptus eò prouolat? Inuenitur proinde & is ad miniſtrandum haud ſegnis, certò ſibi promittens, eiuſmodi munus loco mandati imputatum iri. Subinde tali ſuggeſtit Dæmon hic acediæ, cogitationum intemperiem, nempe aliò vt emigret, & quia tempus omne, & labor omnis vacua ſibi erunt frugis bonæ, & inania, ni ſe ad alia conferat loca. Conſilium rurſus nouat miſero iſti, quia alio nullo pacto poteſt morbi ſic pernicioſi defungi intemperie, niſi continenter euagetur, & commeet, ſeque recipiat ad fratres, quaſi verò fiat id ob publicam vtilitatem procurandam, aut certè infirmos vt interuiſat. Is tandem nihil diſſimilis comperitur virgulto deſerti; quod vbi aliquantum interquieuit, rurſus huc illuc aſpiratione ventorum perpellitur. Aut certè quemadmodum planta quæpiam procerior, & exoleſcens genitali loco emota; ita & Monachus gyrouagus, ne vnius quidem virtutis frugem referet. Quemadmodum item nubes, nullo aquæ humore concreta, venti agitatione percellitur; ita Monachus ſpiritu agitatus acediæ nullam habet ſolidam requiem. Si quando Dæmon hic, ex adito cellæ illum quiuerit extrudere; tunc hora maximè communionis ipſum adoritur, vt eius mentem diſſipet, & in diuerſa abripiat. Secum interim admurmurat: hoc incommodè, nec ſuo loco poſitum eſt; illud item, atque aliud, nihil eſt neceſſe vt hic ſit. Dumque miſerum auocat laudibus diuinis; quo pacto eius mentem non reddit vacuam bonæ operationis, & ab omni fruge alienam? Cuncta hæc, quid aliud operatur, quàm inere otium, ac ſocordia animi lenteſcentis? Monachus enim acediæ ſpiritu agitatus, ordine concinno nullum, inquam, opus clauſerit. Ad orationem totus cùm deſideat, quam propendit ad otium? Sanè Dæmonem hunc quiſquis inſigni triumpho à ſe ablegare vult, in omni ſuo operé modum ſibi præſcribat ordine certo, nec prius deſciſcat à cœpto opere, quàm finem impoſuerit, continenter proinde oret.*

Cæterùm non tantùm conſiderare debemus, quàm ſint hominibus deteſtabiles negligentes, & imperfecti Religioſi, ſed etiam Angelis odibiles, quod optimè conſiderauit Dionyſius Rikelius, vbi de tepidis loquens, ait: *Cauenda itaque ſunt iſta, ne per ea Deus offendatur, & Angeli pacis zelantes pro Deo imprecationem exoptent tepidis, & dicant: Irruat ſuper eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui Domine, induantúrque confuſione, & reuerentia, vt te timeant, & ſe conuertant, aut Dei iudicio certè grauius aliquid eueniat, quod Dominus auertat, ita quod in ſententia, vigilum ſcilicet cuſtodum Angelorum decretum fiat, vt vigil, & ſanctus de cœlo deſcendat, clamétque fortiter, Succidi arborem, id eſt, hominis talem, & truncum eius, ſcilicet corporis in terram mitti. Meritò enim vigil, & ſanctus contra tepidum, & dormientem mittitur, & clamat fortiter contra ſurdum, & alienatum.* Iterum ibidem ipſe Doctor contra tepidos ait: *Ne ſi in* Tractat. in Ioan. in ord. Cord.
Dei præſentia, & coram Beatis ſpiritibus, qui ſemper ſunt coniuncti, pſallentibus, nos indiſpoſitos præſentare inuerecundi præſumamus, erubeſcant, & ipſi cœli Principes de nobis, nóſque paulatim in deſuetudinem veniamus. Si ſic diſplicent hominibus, & Angelis imperfecti, quàm abominabiles Deo erunt, cùm manſuetiſſimus, & patientiſſimus IESVS de vno dixerit: *Incipiam te euomere de ore meo*, qui omnes complectitur in viſceribus miſericordiæ ſuæ, tepidum ſolum eiicit, & ex ſe euiſcerat, in tepidum ſtomachatur.

Cæleſti ſpe feruor eſt recreandus, tepor extinguendus.

CAPVT L.

ACCEDAMVS ad tepiditatis remedia, quæ indicauit Iob in illis verbis, *& expectate pauliſper.* Monet nos cœleſtia expectare, & ſpe bonorum externorum temporalia tolerare mala, contemnere bona, ne nos fallat inſtans huius vitæ facies breui præterfugienda, nec grauè ducamus, feruidè ferre pauliſper ſuauem religioſæ vitæ rigorem, expectando breui ſempiterna gaudia. *Sæpe* etenim (inquit S. Gregorius) *dum præſentis vitæ breuitas, quaſi* Cap.24.
diu præſeneratura diligitur, ab æterna ſpe animus frangitur, & delectatus præſentibus deſperationis ſuæ caligine reuerberatur. cumque longum putat, quod ad viuendum ſibi ſpatium reſtat, repentè vitam deſerens, æterna mala inuenit, quæ vitare iam neſciat. Hinc eſt, quod per quemdam ſapientem dicitur: Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam; Eccl.2.
ſuſtinentiam videlicet perdunt, qui dum diu ſe immorari viſibilibus æſtimant, ſpem inuiſibilem derelinquunt. Nónne ad vincendam tepiditatem, quæ triſtitia eſt de rebus diuinis idoneum remedium erit, ſpem cœleſtium, æſtimationémque fouere. Spes rerum temporalium, cùm tam fallax ſit, delectat auaros, & in multis lætos ſuſtentat laboribus. Maior vis erit diuinæ ſpei, nam & certiſſima eſt, & ingentium bonorum, & minores quidem requirit labores. Quare maximè lætificabit, & omnem abſterget triſtitiam. Sic dixit Dauid, ſic expertus eſt. *Lætentur* (inquit) Pſalm. 5.

omnes

Digitized by Google

omnes qui ſperant in te Domine. Sic ipſe fecit, cùm ait: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Propheta Abacuc rebus humanis deſperatis propter ſolam diuinam ſpem dixit: *In Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.* Virtutibus debemus vti pro opportunitate, & neceſſitate noſtri ſpiritus, tanquam optimis inſtrumentis perfectionis, & tranquillitatis animi. In tempore autem teporis, & acediæ valde opportuna eſt ſpes diuina, vt conſideratis cœleſtibus bonis, quæ nos manent, erigamus animum illorum expectatione, prouocemurque ad conſecutionem, ſuperata omni difficultate, cùm non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quamuis enim perfectius ſit operari ex ſolo amore Dei ſine reſpectu ad præmium; nihilominus cùm tepor animum deprimit, oportet vtcumque poterit iuuari, maximè iuuatur ſpe diuinorum promiſſorum, in quo etiam imitabimur Dauidem, & S. Paulum & Iob, qui ſæpe expectatione æternorum bonorum extimulabant ſe, alebantque feruorem. Dauid ait, *In Domino ſperans non infirmabor.* S. Paulus loquit: *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Et iterum, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Et S. Iob. *Repoſita eſt mihi ſpes mea in ſinu meo.* Itaque vſus huius virtutis pro tempore acediæ cõmodiſſimus eſt, cui præſentiſſimum remedium eſt, & à Sanctis vſitatum. Duo enim acedia habet mala, triſtitiam de bono ſpirituali, & languorem, remiſſionemque ad bene operandum. Vtrumque meditatur ſpes diuina; nam cùm exhilaret, & lætificet, opprimit triſtitiam; cùm proponat ſumma, & æterna bona, pro leui, & momentaneo labore huius vitæ inuitat ad ſtrenuè operandum, vt mereamur illa; hæc eſt enim natura ſpei in iis, quæ aduerſa videntur, exhilarare, ipſumque laborem fallere. Appoſitè S. Chryſoſtomus ait. *Ne igitur de hac triſtitia doleamus, ſed Deo gratias agamus: multum enim de tribulatione lucrum. Nam & cùm agricola ſemina cum multo labore collecta ſeminauerit; ignarus quidem omnia quæ fiunt, cernens admirabitur, fortéque apud ſe ipſum dicet: Quid hic homo tandem facit? Collecta diſſipat, nec diſſipat tandem, ſed & terra cum multa cura commiſcet, ne facilè colligi poſſint, nec tantùm commiſcet terræ, ſed & optat vehementem fieri pluuiam, vt proiecta omnia marceſcant, & lutum fiant, & turbabitur cernens fulmina, & coruſcationes deferri; agricola verò non ita, ſed lætatur, & gaudet hyemem cernens, non enim præſentia reſpicit, ſed futura ſpectat; non reſpicit ad fulmina, ſed manipulos computat, non marceſcentia ſemina, ſed vernantes ſpicas; non grauem imbrem, ſed iucundiſſimam areæ ventilationem: itidem & nos non præſentem ſpectemus tribulationem, aut dolorem; ſed orientem ex ipſa vtilitatem, ex ipſa naſcentem fructum. Expectemus aream, manipulos: ſi etenim vigilemus, multum ex hoc tempore fructum congregare, & mentis noſtræ penus implere poterimus; ſi vigilemus, non tantùm nihil graue ex hac patiemur tribulatione, ſed & innumera bona capiemus; ſi verò torpeamus, remiſſio nos perdit. Non aduertentem enim vtraque lædunt, cum ſedulitate verò viuenti vtraque proſunt.*

Serm. 4 ad Pop.

Vt alamus cœleſtem ſpem, ſpiritualia bona magni facienda ſunt.

Capvt LI.

Coelestia, æterna, diuinaque expectanda, amandaque ſunt, vt hanc ſpem alamus; terreſtria autem caduca, atque mortalia, reſpuenda, contemnendaque. Optimè dixit Hellinandus Monachus: *Nihil enim longius à ratione, quàm hominem, qui animo immortalis eſt, eodem animo mortalia immortaliter concupiſcere, cùm omnino neceſſe ſit concupita in proximo à concupiſcente relinqui.* Et quoniam per acediam, iuxta ſanctum Thomam, contemnimus diuina bona, oportet ad remedium illius iuſtam rerum ſpiritualium æſtimationem noſtris imprimere cordibus, reputantes peripſema & ſtercus omnia temporalia pro minima gratiæ particula. Nec tantùm dico deberi appretiari æterna gaudia, quæ in altera expectamus vita, ſed temporales labores in iſta, & minimum virtutis opus. Sancti enim, qui defæcatis mentis oculis de rebus veraciter iudicabant, non tantùm magni faciebant ſuper omnem vitæ huius fœlicitatem regnare cum Chriſto, ſed etiam pati, & humiliari pro Chriſto. S. Iacobus præ æſtimatione cœleſtium bonorum illam admirandam ſententiam dixit. *Omne gaudium æſtimate, cùm in varias tentationes incideritis.* Alij etiam Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et ſanctus Paulus ait, *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur.* Et iterum. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Si pati, & affligi in hac vita pro Chriſto tantum bonum eſt, quantum erit in altera conregnare cum illo. Tribulari hîc amore Ieſu iucundum, & glorioſum eſt, cur animum deiicimus, cur triſtamur, vbi gaudendum, vbi gloriandum, vbi exultandum eſt. Ergo erigamus nos, excutiamus torporem, & cum S. Gregorio Nazianz. dicamus: *Omnibus diebus, & omnibus motibus nos Deo ſacrificemus. Omnia pro verbo ſuſcipiamus, per paſſiones paſſionum imitemur; per ſanguinem ſanguinem honoremus. Crucem alacres conſcendamus, dulces ſunt claui, tametſi valde acerbi, præſtat cum Chriſto, & pro Chriſto pati, quam cum alijs in delitijs verſari: ſi Simon Cyrenæus es, crucem tolle, ac ſequere.* Itaque qui verè iudicat, quàm inæſtimabilis ſit minimum virtutis opus, & præſertim patientiæ, minimè ſegniter ſe habebit, ſed vt ſuſtineat grauia pro cœleſti ſpe, nullum ſuſtinebit torporem, nullam triſtitiam, vbi lætandum, & gloriandum eſt.

De ſui cognit.

***

Generoſa & humili confidentia diuini auxilij excutiendus eſt tepor.

Capvt LII.

Maxime etiam momenti erit ad ablegandum teporem iotegro officio ſpei diuinæ vti; non tantùm expectanda ſunt cœleſtia booa in altera vita, ſed in iſta diuina auxilia, vt ſuperemus difficultatem, quæ apparere ſolet io officiis virtutum. Siquidem non noſtris viribus fidendum eſt, ſed in diuino brachio ſperandum: cum Deo autem quid non valebimus? Cur perfectionem conſequi oon poterimus, ſi Deus inuitat ad illam, ſi Deus promiſit iuuare. Teporem enim comitatur, iuxta S. Gregorium, deſperatio quædam: nam communiter tepidi ſunt qui non curant ſtudium perfectionis, ſed omnino illud derelinquunt, quaſi ad eos non pertineret deſperantes illam adipiſci contra hanc animi deiectionem, & noxiam, atque ſtultam deſperationem, muniendi ſumus ſpe diuina, conſiderantes quàm potens ſit virtus Dei, quanta mirabilia fecerit, quot peccatores à ſumma eripicos miſeria in altiſſimum extulerit ſanctimoniæ gradum, quàm præſtò ſit diuinum auxilium, vt exequamur, quod ipſe Deus cupit. Num fruſtrà promiſit nobis auxilium ſuum? num in nobis defecit miſericors potentia ſua? ſi quærenti regnum Dei promiſit adiicere etiam temporalia ſubſidia, ſolùm quòd iodirectè poſſent nos iuuare, vt conſequamur illud. Anne ſpiritualia negabit quæ directè ad illud nos tranſmittunt. Bene ſcit Deus nihil nos ex nobis poſſe, nec pronuntiare nomen Iesv: nihilominus promiſit magna præmia pro magnis operibus, & quod plus eſt, iuſſit magna facere, & pati. At oeque promiſit iactationis cauſa, nec iuſſit inſtar tyranni, vt inueniret ſæuiendi materiam, ſed cupidus oostri boni; quare duplici titulo obſtrinxit nobis ſuam opem, & quia promiſit, & quia iuuat. Hoc enim ipſo, quòd promiſit, ſiquidem noſtram iofirmitatem habet perſpectam ne vana eſſent ſua promiſſa, debuit nos iuuare, neque minus promiſit nobis opitulari in labore virtutis, quàm præmium pro labore virtutis. Cæterùm licèt nullam Dei expreſſam promiſſiooem haberemus, ex illo ſolùm quòd præcepit booa virtutis opera, non minus obſtrinxit nobis ſuo præcepto, quàm ſibi, vt opem ferret, qua poſſimus illud implere. Præterea, quamuis ex nobis aliquid boni poſſemus, multò magis poſſemus confidentes in Deo, quem hac fiducia obſtriogimus,
Pſalm. 90. quemadmodum ipſe fatetur, dicens; *quoniam in me ſperauit, liberabo eum.* Nam ſi ad opera corporalia, quæ non iuſſit, ad quæ etiam potentiores ſunt artus corporis, quàm ad ſpiritualia effectus animæ, adeſt Deus confidentibus in eo, vt penè impoſſibilia efficiant, quomodo in ſpiritualibus virtutis operibus non iuuabit nos ad quæ impotens ex ſe eſt noſtrà voluntas, & cùm magis obſtringamus illum confidentes in illo, cùm maior confidentia ſit, vbi minus poſſumus. Dauid præualuit contra Goliath, Iudith contra Olofernem, quia meruerant Dei auxilium ſperantes in illo, noſne ſperantes plus, non obſtringemus plus. Facilius quidem eſt puero vincere immanem gigantem, & fœminæ occidere potentiſſimum Ducem, quàm nobis miſeris peccatoribus vincere aliquem prauum affectum: ad illud non eſt opus gratia Chriſti, nec requiritur effuſus filii Dei cruor; ad hoc tamen neceſſaria eſt gratia per Iesv Chriſti merita. Quamnam igitur excuſationem habemus? Anne quòd toties experti ſumus imbecillitatem noſtram, vt propè iam deſperauerimus de noſtro profectu? At hoc ipſo plus de Deo ſperare debemus, cùm agnoſcamus minus ex nobis poſſe; illos enim plus iuuat Deus, qui plus diffidunt de ſe: nam illos plus iuuat, qui plus in illo confidunt, & plus de Deo confidunt, qui de ſe non fidunt. Rectè S. Bernardus dixit. *Sibi ipſi fidere non fidei, ſed perfidiæ eſt; is verò fidelis (addo & confidens) qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi tanquam vas perditum. Non obinde deſpondeamus animum, quòd videatur nobis non poſſe extrahi à torpore, cum quo viuimus, niſi ingens aliquod operetur Deus miraculum: nam nec inſolitum hoc eſt Deo, & multo maiora faciet pro iis qui quærunt eum in veritate. Recordemur quot miracula, & ſtupenda fecit Deus, vt populum ſuum peregrinantem deduceret ad promiſſam terram. E cœlo præparauit illis manna, miſit coturnices. Veſtitum tot millium hominum integrum conſeruauit per multos annos, è ſicco ſaxo potauit illum, & ſexcenta alia. Hoc omne figura eſt ſpiritualis noſtræ peregrinationis ad cœlum, cuius cauſa maiora, & frequentiora mirabilia efficit. Quid? Nonne cum Magdalena, cum Petro, & cum Paulo mirabilia fecit Deus, cur non & nobiſcum potentiſſimus, & miſericordiſſimus erit. Cur non inflammamur ad ſimilem ſanctitatem, cùm idem nunc Deus ſit ac olim, cùm nos etiam ſimiles.* Optimè S. Chryſoſtomus exhortans nos ad imitationem Apoſtoli dicit: *Quoniam igitur ita genus noſtrum nobilitauit Deus, vt* Homil. 4. de laud. S. Paul. *vnum hominem dignaretur tantorum cauſam facere bonorum, ſtudeamus & nos eius ſimiles inueniri. Neque verò iſtud impoſſibile putemus, quoniam, vt ſæpe dixi, & nunc inculcare non ceſſo, tales illi, quale etiam nobis corpus fuit, talis anima, tales cibi, ſed voluntas in eo mirabilis, & præclara deuotio: & iſtud eſt prorſus vnde ille talis affectus eſt. Nemo igitur diffidat, nemo deſperet: ſi intendas animum, & præpares, nihil eſt, quod te ab eiuſdem gratia poſſit prohibere muneribus. Non eſt enim perſonarum acceptor Deus. Idem illum, teque formauit: quemadmodum illius, ita eſt etiam tuus Deus; ac ſicut illum meritò laudauit, ita etiam tibi offert coronam. Spondeamus igitur noſmetipſos Deo, atque mundemus, vt nos quoque eandem gratiam conſequentes, eadem etiam præmia ſortiamur.*

Cæterùm ſpiritualis feruor cùm in opera exterioris auſteritatis erumpit, temperandus eſt ſanctæ obedientiæ diſcretione. Iderico tranſmittenda eſt oratio ad aliam doctrinam de ſpirituali prudentia.

DOCTRI

Digitized by Google

DOCTRINA VI.

DE MODERANDA corporis cura & pœnitentiis.

Quæ prudentia neceſſaria ſit pœnitentijs corporalibus?

CAPVT LIII.

Prou. 28. QVi confidit in corde ſuo, ſtultus eſt, qui autem graditur ſapienter, ipſe ſaluabitur. Corpus hoc noſtrum quod corrumpitur, & lutea hæc cœnoſæ carnis ſarcina multis modis aggrauat animam; neque enim pondere, & corruptione ſua ſolùm corpuſculum hoc terreum moleſtum eſt, non ſolùm tot eius ſenſus noxij ſunt ſpirituali vitæ, non ſolùm dominatio appetitus intolerabilis, non ſolùm tumultus affectuum grauis, non ſolùm inordinatus terrenus homo oneroſus eſt, ſed etiam magna ex parte adhuc cùm ordinatur; nam ſiue patiendo, ſiue agendo patiendum vtrolibet modo eſt ab iſta lutoſa maſſa. Si non ordinamus, nec punimus corpus noſtrum, perdet nos; ſi punimus, & ordinamus, occupat, atque angit, ne ipſum perdamus cum detrimento animæ. Si non iraſcimur, & punimus, multa pericula incurrimus. Tolerabilius eſſet, ſiquidem tam moleſtum & noxium nobis eſt abſque lege, & compaſſione iraſci, vlciſci, ſæuire in ipſum, & ſemel conſumere; cùm autem neceſſe ſit cum lege, & modo in illud animaduertere, periculúmque ſit in ipſa animaduerſione, hoc non poteſt non eſſe graue, ac permoleſtum, in magnaſque nos anguſtias inducit, cùm difficile ſit debitum modum attingere, & ni attingatur, diſcrimen ſit, ſiue in exceſſu, ſiue in defectu. Si credimus, & prorſus diruimus illud, deerit nobis inſtrumentum bene operandi. Si deficimus, nutriemus domi aduerſarium, parcemúſque hoſti exitiali. Prudentia ſancta eſt ſola, quæ modum imponere valebit, & ſoſpitabit nos. Qui autem graditur ſapienter, ipſe ſaluabitur, dixit Salomon; & quiſnam eſt, qui graditur ſapienter? is nimirum, qui non graditur ſecundùm deſideria cordis ſui, qui non confidit ſapientiæ ſuæ; nam ſi confidat, viſus ſibi prudens, ſtultus eſt. Etenim duplex ſapientia eſt, vna diuina, altera humana, quæ tantum effectu diſtant, quantum nomine conueniunt. Duplex diſcretio eſt, vna ſpiritualis, altera carnalis: illa virtus eſt, imò virtutum mater; altera vitium, imò vitiorum fomes. Sicque inter ſe pugnant, vt quod vna rationi conſentaneum dicit, altera ſtultum, & ridiculum putat.

Cui ergo ex his diſcretionibus cura noſtri corporis committenda? an prudentiæ humanæ, de qua S. Paulus ait: *Prudentia carnis mors eſt.*

Et alibi: *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Et iterum, *Animalis, & terrenus homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*; neque enim regimen carnis arbitrio ipſius carnis, & prudentiæ eius confidere ſalutare poteſt eſſe; hæc enim prudentia ſtultitia eſt, & omnis qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt. Non habitat hæc prudentia in capite, ſed in corde; non in ratione, ſed in appetitu, quo magiſtro etiam quando ſæuire in corpus volumus, periculoſum eſt. Guſtus & affectus nunquam tutus eſt, cùm rationem obcæcet, & qui illum ſequitur, aut parcet ſibi, nimiúmque indulgebit, aut citò inutilem ſe reddet, & conſumet. Rerum quippe ſpiritualium aliquando eſt guſtus ſenſualis; & quamuis acerba ſit, afflictio & maceratio corporis ſentit interdum anima guſtum aliquem in ipſa maceratione, quem ſi ſequatur, nec temperet ſe, excedere ſolet modum. Quòd ſi affectu duce etiam cùm decernuntur pœnitentiæ, & aſperitates, periculum eſt. Quid fiet cùm declinantur? mille tunc fingit amor proprius cauſas, miras architectatur rationes, plurima ſibi comminiſcitur ſophiſmata, & inſenſibiliter ſemet gaudet fallere, etiam cùm rectum facere cupit. Anne huic prudentiæ ſecundùm cor noſtrum relinquenda difficillima corporis gubernatio? Diſcretio indiſcreta iſta eſt, & ſtulta, quæ tam abeſt, vt rationem & veritatem attingat in rebus ſpiritualibus, vt in ipſis temporalibus, & carnalibus ſemet decipiat, & neſciat ſe regere. Non igitur loquuntur Sancti de hac diſcretione exitiali ſub prætextu ſalutis, cùm modum malæ tractationi corporis imponere præcipiunt, ſed de prudentia ſpirituali, de ſapientia quadam cœleſti, & inimica ipſius carnis, de diſcretione illa, quam habuit is qui dixit:
Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum Galat 5.
vitijs, & concupiſcentijs. Item, *Mortificate mem-* Coloſ. 3.
bra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Et de ſe fatetur,
Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. 1. Cor 9.
Alij legunt, *Liuidum facio corpus meum*; nimirum verberibus illud puniens. Iterum ait: *Mor-* 2 Cor 4.
tificationem IESV *in corpore noſtro circumferentes, vt & vita* IESV *manifeſtetur in corporibus noſtris.* Oportet quidem ſecundùm Dei prudentiam corpus noſtrum frenare, punire, affligere, & ſuſpectum ſemper habere, atque ideo aſſiduè exercere, iuxta illud: *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt poſtea ædifices domum tuam.* Ager noſter corpus eſt, hunc agrum debemus exercere diligenter mortificationis, & pœnitentiæ laboribus, vt æternam domum in cœlis ædificemus. Etenim cœnum viliſſimum, & inutile carnis noſtræ maximè iuuare nos poterit ad cumulum meritorum, caſtigando, & macerando illam; ſicut enim ſtercus fructiferam reddit terram, ſic vilitas noſtræ carnis ad vberiores meritorum fructus iuuare poterit. Huic inimicæ carnis prudentiæ confidere licebit aliquam tutelam carnis, non propter ipſam carnem, ſed ne deſit nobis materia, & inſtrumentum bonorum operum. Calliditas enim Dæmonis etiam per res ſanctas, & laudabiles inſidiatur nobis, plurimóſque impulit, vt immodicis ieiuniis, & aliis indiſcretis pœnitentiis ea proprio iudicio ſumptis ſe debilitarent, donec inutiles prorſus redderet auxilio proximorum, imò proprio profectui; quippe infirmo capite & ſtomacho orationi vacare nequeunt,

& curantes valetudinem reparare, relaxant ſe; nam cum defectu orationis, & molliore tractatione redeunt ad antiquos mores, & de commodo ſuo pluſquam antea manent ſoliciti, atque interdum cum ſcandalo eorum, qui illos in alio ſtatu nouerant.

Quid circa pœnitentias præſcripſerint Patres, Doctores, atque conſtitutiones noſtræ.

CAPVT LIV.

IDCIRCO veteres Patres, & Sancti modum aliquem commendant. S. Fulgentius ait. *Porrò ieiunijs ſic eſt adhibenda*
Ad Probam epiſt. 3. *temperies, vt corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Talis igitur tantaque virginis ieiunium refectio ſubſequatur, vt nec ſuauitate corpus illiciat, nec ſaturitate ſuccendat. Saturitas facit, vt inaniter ieiunemus; debilitas*
Lib. 19. Mor. *facit, ne ieiunare poſſimus.* Sanctus Gregorius ait: *Ex ſtudio arcus diſtenditur, vt in ſuo tempore cum vtilitate tendatur, qui ſi otium relaxationis non accipit, faciendi virtutem ipſo vſu tenſionis perdit: ita aliquando exercitatione virtus, cùm per diſcretionem prætermittitur, reſeruatur, vt tanto poſt vitia valenter feriat, quãto à percuſſione interim prudenter ceſſat.* S. Diadochus egregiè
cap. 43. monuit, *Vt corpus multo cibo onuſtum, languidam & ſegnem efficit mentem, ſic nimia continentia victus debilitatem facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione verſatur, in mœſtitia ſit, & in faſtidio ſermonis. Oportet igitur ad motiones corporis cibos etiam accommodare, vt dum corpus valet, quantum conueniat, caſtigetur; dum verò non valet, moderatè leniatur. Nec enim infirmo corpore eſſe debet qui certat, ſed ita firmo, vt ſuſtinendo certamini par eſſe poſſit, vt anima etiam laboribus corporis conuenienter purgari queat.* Sic ille. Hoc documento ad contemplationem anhelantes maximè opus habent, qui ipſo cœleſtium deſiderio, ab his quæ corporis ſunt, fortiter abſtrahuntur, ita vt non ſine mœrore condeſcendere eius indigentiæ ſuſtineant. Rationis regula ſunt hæc deſideria metienda, ne ſi corpus, inſtrumentum vtique virtutis, defecerit, potiores mentis actiones omittere, & carni morituræ obſequiis vaca-
15. Mor. c. 31. re cogamur. Pulchrè ſcripſit S. Gregorius. *Chorda in cithara ſi minus tenditur, non ſonat; ſi amplius, raucum ſonat; quia nimirum virtus abſtinentiæ, aut omnino nulla eſt, ſi tantum quiſque corpus non edomat, quantum valet; aut valde inordinata eſt, ſi corpus atterit, plus quàm valet. Per abſtinentiam quippe carnis vitia ſunt extinguenda, non caro: & tanto quiſque ſibi debet moderamine præeſſe, vt & ad culpam caro non ſuperbiat, & tamen ad affectum rectitudinis in operatione ſubſiſtat.* Illuſtrius ſanctus Baſilius. *Ante omnia*
Lib. de Virg. (inquit) *aduersùs guſtum virgo tota intentione pugnabit, fonteſque voluptatum ventris & impudicitiæ fomitum inde manantium à principio caſtitatis ſtudio ſiccabit. Virginem enim eſſe & guſtum virginis conuenit, nulliquè ſuauiter obleſtantis illecebræ obnoxium. Neque tamen expedit, dum nimis obſeruat, ne guſtus voluptate rapiatur, contrà ita corpus atterere abſtinentia, vt inualidum, & inutile reddatur. Ne declines enim, inquit, ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram. Extrema quæque, vt ait ſapiens quidam, ac per id inæqualia pernicioſa ſunt. Neque ſolùm eſcarum quantitas vbique probè metienda eſt, ſed & qualitas, hoc eſt, recondita earum vis exploranda eſt.* Hinc
Collat. 2. Abbas Moyſ. cap. 16. Caſſianus monet: *Omni igitur conatu debet diſcretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæſos ab vtraque poteſt nimietate ſeruare.* Vetus namque ſententia eſt, ἀκρότητες ἰσότητες, id eſt, *nimietates æqualitates ſunt. Ad vnum enim finem nimietas ieiunij, & voracitas peruenit, eodemque diſpendio vigiliarum immoderata continuatio Monachum, quo ſomni grauiſſimi torpor inuoluit. Nam per exceſſum continentiæ debilitatum quemque ad illum ſtatum reuocari neceſſe eſt, in quo negligens quiſque per incuriam detinetur; ita vt frequenter, quos per gaſtrimargiam decipi non potuiſſe conſpeximus, per immoderationem ieiuniorum viderimus fuiſſe deiectos, atque ad eandem quam vicerant paſſionem infirmitatis occaſione collapſos. Vigiliæ quoque, & pernoctationes irrationabiles deiecerunt, quos ſomnus ſuperare non potuit. Quapropter ſecundùm Apoſtolum, per arma iuſtitiæ, quæ à dextris ſunt, & à ſiniſtris, recto moderamine tranſeundum eſt, & ita inter vtraſque nimietates diſcretione moderante gradiendum eſt, vt nec à tradito continentiæ tramite acquieſcamus abduci, nec rurſum remiſſione noxia, in gulæ ac ventris deſideria concidamus.* Accedat Odo de Morim. In alleg. Tlim.
Proiecit ſe Helias, & obdormiuit in vmbra iuniperi. qui quieſcit, quieſcat in vmbra iuniperi, vt ſub lege diſciplinæ in exercitio virtutis gaudeat, non reſpiciens in vanitates, & inſanias falſas. Qui omne gaudium exiſtimat, cùm in tentationes varias inciderit, & gloriatur in tribulationibus pro effectu earum, in ſecreto dormit, in vmbra iuniperi, in locis pungentibus. Vel quoniam fatigati quieſcere eſt, ſub vmbra quieſcit iuniperi, qui in propoſito Religionis diſpenſatoriè à diſtrictione ordinis aliquantulum ſe relaxat. Nemo enim tam feruens eſt & validus, cui interdum non proſit indulſiſſe ſibi. Continua enim afflictio nonnunquam tædium parit: & viribus minuitur, qui ſine diſcretione atteritur. Dignus quoque Seraphinus Firmanus, vt eius ſuffragium accipiamus. *Pendet* De aur. & reg. diſcr. cap. 3.
temperantiæ virtus à diſcretione; vt vel ipſo manifeſtat nomine. Munus enim eius eſt, temperare infrænes corporis delectationes: (tametſi etiam in internis neceſſaria ſit oblectamentis, vt mox dicemus.) Hac enim ſine virtute facile incidimus vel nimiam crapulam, vel nimiam inediam. Quare quidquid lubet corpori indulgentes, alimus, roboramuſque proprium hoſtem. Rurſus quod neceſſarium eſt denegantes, proprium occidimus ſocium, & adminiſtrum. Ita Hebræi, poſteaquàm probè crapulati eſſent in deſerto, lapſi ſunt in idololatriam, diuinamque immutarunt legem in vltionem. Moſes enim hoc videns, alliſit, quas paulo antè acceperat à Deo tabulas, multoſque enſe percuſſit, ne omnes à Deo exterminarentur. Contrà Saul, qui inſequens Philiſthinorum copias, omnes adiurauit, ne quicquam deguſtarent cibi; propriumque voluit gladio interimere filium, quòd præ fame deficiẽs, nonnihil deguſtauit mellis, vnde refocillari ſe ſenſit, ſpiritúſque recipere; ſed non permiſit id populus. Multúmque ſanè eſt difficile, hæc inter extrema medium inuenire, atque ita ſenſualem

abſcindere

abſcindere delectationem, vt non deſimus corporis neceſſitati. Locupletiùs & prudentiſſimè in noſtris legibus præſcribitur, A regul. 46. ſummar. *Vt nimia ſolicitudo in ijs, quæ ad corpus pertinent, reprehenſibilis eſt; ita cura moderata tuendæ ad diuinum obſequium valetudinis, ac virium corporis, laude digna, & ab omnibus adhibenda eſt: & ea de cauſa cùm animaduerterint aliquid ſibi nocere, vel aliquid aliud neceſſarium eſſe circa victum, veſtitum, habitationem, officium, aut exercitationem; & ſic de alijs rebus, admoneant omnes ea de re Superiorem, vel quem ad id Superior conſtituerit, duo interim obſeruantes. Primum, vt antequam ad eum quid referant, ſe ad orandum recipiant, & poſt orationem ſi ſenſerint rem deferendam ad Superiorem, id faciant. Alterum, vt cum verbo, aut ſcripto breui (ne excidat memoria) Superiori rem expoſuerint, ei totam curam rei expoſitæ relinquant, & quidquid ille ſtatuerit, optimum ducant, nec contendere, aut vrgere per ſe, vel alium (ſiue concedatur quod petitur, ſiue non) pergant: quandoquidem ſibi perſuadere debent, id magis expedire ad diuinum obſequium, ac ſuum maius bonum, quod Superiori, re intellecta, in Domino viſum fuerit. Vt non expedit tanto labore corporali quemquam onerari, vt ſpiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur: ita aliqua corporalis exercitatio, quæ vtrumque iuuet, omnibus communiter conuenit, etiam illis, qui mentalibus exercitijs debent inſiſtere; quæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec ſine menſura diſcretionis aſſumi. Corporis caſtigatio immoderata eſſe non debet, nec indiſcreta in vigilijs, & abſtinentijs, & alijs pœnitentijs externis, ac laboribus, quæ & nocumentum afferre, & maiora bona impedire ſolent: ideò ſuo Confeſſario detegi ab vnoquoque conuenit, quidquid in hac parte faciat.* Confirmat hanc prudentiam S. Ignatij Patris noſtri admonitio ab Angelo facta S. Eliſabethæ Moniali, quæ pœnitentiarum commendat prudentiam. In libro tertio ſuarum viſionum ſic Cap 7. ait: *Via arida & glebis aſpera duriſſimum illud genus vitæ eſt quo incedunt ſancti Eremitæ, & nonnulli in ſocietate hominum conuerſationem habentes; qui carnem ſuam ſupra humanum modum macerant, & exiccant ieiunijs, vigilijs, genuflexionibus, flagellis, cilicio, & grauiſſimis quibuſlibet afflictionibus. Omnia huiuſmodi quaſi gleba aſperrima ſunt, & multo conatu, ac vigilantia opus eſt ambulantibus per viam hanc, ne fortè in nimia eius aſperitate offendant, & grauiùs cæteris corruant.* Et poſtea idem rurſus commendat, di- Lib. 3. c. 10. cens: *Attendite vos, qui in eremo vitam ducere elegiſtis, quam diſcretionem habeatis. Diſcretio enim eſt mater omnium virtutum. Glebis aſpera eſt via veſtra propter duritiam vitæ. Videte ne fortè offendat pes veſter; quod etſi offenderit, caueteſ, ne lumen quod in vobis eſt, euacuetur. Propterea autem neceſſaria vobis eſt diſcretio, vt non citò ſequamini omnem impetum zeli veſtri, qui vos ad altitudinem perfectionis impellit, neque ſupergradiamini menſuram virtutis veſtræ laboribus immoderatis. Multi in præſumptione ſpiritus ſui ambulantes, vitam ſuam nimia afflictione extinxerunt, & perierunt in adinuentionibus ſuis. Multi menſuram ſuam excedentes humanum intellectum in ſeipſis ſubuerterunt, & inutiles facti ſunt, & ſimiles iumentis inſipientibus. Multi per immoderatas fatigationes in tædium adducti ſunt, & elanguit virtus eorum, & abierunt retrorſum, & reuoluti ſunt ad voluptates carnales, factique ſunt in deriſionem ſpiritus nequam, bona eſt vexatio carnis, quia aduerſatur concupiſcentijs immunditiæ, ſed ſi menſuram exuperet, inutilis eſt, quia ſuffocat deuotionem contemplationis, & lumen eius extinguit.*

Caro debet ſpiritui ſubijci. Proponitur prudentia S. Syncleticæ.

CAPVT LV.

MONITA igitur S. Ignatij Patris noſtri prudentiſſima ſunt, & iuxta ſapientiam, quæ à Deo eſt. In primis admonet nimiam ſolicitudinem in ijs quæ ad corpus pertinent, reprehenſibilem eſſe, vt cautè, & magno cum timore ſanctam iram aduersùs carnem remittamus. Iam ſiquidem aliquando fuerit neceſſe vti remiſſione, memores ſimus Salomonici dicti: *Per tria mouetur terra, & quantum non* Prou 30 21. *poteſt ſuſtinere. Per ſeruum cùm regnauerit, per ſtultum cùm ſaturatus fuerit cibo. Per odioſam mulierem, cùm in matrimonium fuerit aſſumpta, & per ancillam cùm fuerit hæres dominæ ſuæ.* Hæc omnia ad immortificationem iure referuntur, per quam terra noſtra myſtica mouetur, & euertitur tumultuantibus affectibus, direpto hinc inde corde, concuſſa mente, & perdita anima; corpus quippe mancipium animæ eſt: anima autem corporis Regina. Rectè S. Ambroſius ait: *Appetitus lege naturæ ipſius rationi ſubiectus eſt, & obedit. Vnde boni ſpeculatoris eſt ita prætendere animo, vt appetitus neque præcurrat rationem, neque deſerat, ne præcurrendo pertrahat, neque excludat, eámque deſerendo deſtituat.* Namque ſi appetitus dominetur rationi, quid boni, aut pacis accidet, cùm ſic res noſtræ peruertuntur, vt ſeruus ad thronum aſcendat, & regnet per tyrannidem. Hoc audebit terreous, & vilis homo noſter, hoc tentabit contumaciter, ſi delicatè tractetur: nam, vt idem Salomon ait: *Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum* Prou. 29. *ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem, nimirum, & rebellem, & ſic rebellem, vt deiecta ratione regina ipſe regnum occupet.* Deinde ſi ſtultum, & pecuinum hominem terrenum ſaturemus, quid inde niſi petulantiam eius augebimus. Rectè Philo dixit: *Saturitatis germana proles eſt petu-* Lib. de agric. *lantia.* Præterea quæ pax erit, ſi ſpiritus nobiliſſimus velut matrimonio ſe iungens ad æqualitatem ſuam admittat carnem vilem, contumacem, & malè moratam. Idem Philo dixit: *In nobis* De opificio. *quaſi vir eſt mens, ſenſus quaſi fœmina.* Tandem ſi in hæreditatem, & iura rationis ancilla cupiditas introducatur, atque, vt Septuaginta legunt, *ſi famula eiecerit ſuam ipſius dominam*, quod malum huic conferri poteſt? meritò lamentatur B. Iſaias Abbas: *Væ nobis, quia Princeps animæ* Orat. 29. *pars carni, quæ ancilla eſt ſeruit, & pars deterior imperat præſtantiori, neque ambæ concordes, atque vnanimes procreatori ſuo ſeruiunt Deo.*

Verùm ſicut non eſt permittendum ancillam æquari dominæ, nec ſeruum regnare; ita neque mancipia necanda fame ſunt; oportet quidem

carnem ſubiectam habere, non tamen omnino vires noſtri corporis conſumere. Verberare mancipium licet, affligere, punire, non occidere, & illud cum prudentia, cuius optimum exemplum propoſuit ſanctus Athanaſius in vita S. Syncleticæ. *Sunt enim qui dum immoderata ſe inedia conficiunt, non aliter, ac ſi cum hoſte manus conſeruerint lethalem ſibi plagam attulerunt, quod Beata Syncletica non committebat, ſed omnia moderatè, ſapienterque temperabat, hoſtemque oratione, & vitæ auctoritate potenter oppugnabat. Contrà verò quandiu nauis tranquillitatem nacta erat, corporis adſumebat. Nam nauigantes tempeſtate, ac fluctibus iactati, ieiuni perdurant, artes ſuas omnes ad præſens ante oculos periculum effugiendum conferunt, vita verò periculo euitato tum demum valetudinem ſuam curant, neque in maris ſalo totam ætatem conſumunt. Quòd ſi quando requiem laborum, tranquillitatemque breuem conſecuti fuerint, præterita mala in memoriam reuocantes, venturaque proſpicientes, neque otio ſe dedunt, neque profundo ſopore ſepeliuntur. Nam quamuis tempeſtatem ſedatam, mare tamen non imminutum eſſe vident, & ſi ſecundum euaſerint, tertius tamen adhuc impendet caſus, & quamuis quod acciderat ſuperarint; adeſt tamen ſemper quod periculum adferre poſſit. Non aliter in hac re de qua agitur vſu venire ſolet; nam etſi cupiditate liberemur, tamen non longè à nobis abeſt, qui cupiditatis imperium obtinet. Continua igitur oratione mare, & ſalſa huius vitæ malitia enauiganda. Quare Beata cùm huius vitæ probè noſceret mala, ventorumque turbines experta eſſet, nauiculam ſuam aſſidua in Deum pietate gubernauit, fidoque in Ieſum tanquam anchora ſacra iacta in tutum eam ſalutis portum.*

Quæ regulæ tenendæ ſint circa macerationem carnis.

Capvt LVI.

CVM neceſſe videatur aliquando remittere nonnihil rigoroſæ tractationis, vt hoc ægre fiat, & non ſecundùm prudentiam carnis, ſed ſecundùm diſcretionem ſancti Spiritus. Duo meritò præſcribit Beatus Parens noſter, quæ ſecuros nos reddent. Primum conſulere Dominum in oratione, diuinumque deprecari lumen, ne nos caliginoſus amor proprius obcæcet. Sed è cœlo docti illud eligamus coram Domino, quòd maius eius obſequium futurum eſt. In quo notari oportet plus interdum nos poſſe, quàm putamus; neque enim prudentia ſpiritualis res tantùm reſpicit ſecundùm ſe, ſicut ſapientia carnis, ſed cum auxilio Dei, & fiducia in eius miſericordi bonitate, cum qua exiſtimare oportet, plus poſſe nos ferre, quàm alioqui iuxta rerum naturam poſſemus. Quare vires noſtras non merè naturaliter metiri oportet, ſed cum aliqua ſpe in Deo, non tamen præſumptione. Præterea amor proprius, & eius interuentus Diabolus multos inanes valetudinis timores ingerit, perſuaderque futura noxia, quæ fortaſſe ſalutaria erunt. Optimè Hugo Victorinus dixit. *Ecce Diabolus Phyſicam docet; ecce Medicus factus eſt, de complexionibus loquitur, infirmitates diuerſas ſi teneatur Religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit, ſed vt occidere poſſit. Videt ex ſubtractione ciborum, luxuriæ vires poſſe minui, ideo non tardat minari ægritudines.* Sciendum quoque eſt, non omnem pœnitentiam incommodare corpori, nec obeſſe vitæ: imò aliquos rigores ſæpe prodeſſe valetudini, & longæuitati. Multi ſancti pœnitentes, & Philoſophi magni rigoris, ne id tribuamus miraculo, longiſſimam traduxerunt vitam cum vegetatione, & valetudine membrorum, etiam in ſenili ætate, multoſque delicatè nutritos videmus citò mori. Quin ſi computemus eos, qui validi, & longæui fuerunt, multo plures inueniemus, qui durè, & auſterè ſe tractarunt. Etenim, incredibile eſt, quantum iuuet abſtinentia valetudinem, & longæuitatem. Somnus item moderatus prodeſt & aſſuetudo durior. Conſiderandum quoque eſt diuinam prouidentiam nunquam otioſam manere, nec oblitam noſtri boni; quare cùm nos obliuiſcimur ſatisfactionis pro culpis debitæ, aut nouas committimus; ipſa quod nos facturi eramus immiſſis exequitur morbis, aut aliqua tribulatione ſupplet, iuxta quod Sapiens dixit, *Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus Medici.* Et ſanctus Paulus ait. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Cùm autem vltrò videt carnem puniri, morbos quos naturaliter incurreremus, miſericorditer aufert. Quapropter auſtera huiuſmodi corporis tractatio & naturaliter, & ſupernaturaliter iuuat ipſum corpus, & ſalutem animæ operatur, & valetudinem carnis. Hæc conſideranda ſunt, vt ſalutari circumſpiciamus prudentia, an diſſimulanda ſint, quæ videntur duriora. Quòd ſi in conſpectu diuino aliter videatur; poſt hanc nihilominus diligentiam adhuc in corde noſtro confidere non debemus, ſed rem integram iudicandam relinquere ſpirituali Patri, vt abnegantes proprium iudicium, & voluntatem, adhuc indulgendo carni, concupiſcentias eius crucificemus, ne penitus obliuiſcamur illius ſententiæ Apoſtolicæ, qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis, ſed etiam cùm quieſcere velimus, ſicut Elias ſub ſpinoſa iuniperi vmbra. Hanc eandem diſcretionis regulam præcepit Abbas Moyſes. *Vera* (inquit) *diſcretio non niſi vera humilitate conquiritur. Cuius humilitas hæc erit prima probatio, ſi vniuerſa non ſolum, quæ agenda ſunt, ſed etiam quæ cogitantur, ſeniorum reſeruentur examini, vt nihil quis ſuo iudicio credens illorum per omnia definitionibus acquieſcat, & quid bonum, vel malum habeat, iudicare eorum traditione cognoſcat.* Quæ inſtitutio non ſolùm per veram diſcretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verùm etiam à cunctis fraudibus, & inſidiis inimici ſeruabit illæſum. Nullatenus enim decipi poterit quiſque, ſi non ſuo iudicio, ſed maiorum viuat exemplo. Qui igitur hæc obſeruat, non confidit in corde ſuo ſicut ſtultus, ſed ſaluabitur, tanquam qui ſapienter graditur, procedens de virtute in virtutem, vt per ipſam virtutum remiſſionem & quietem decurrat, & ſemet antegrediatur. Quare non prudentiæ humanæ, non ſibi in hoc fidendum turpe quidem eſt Religioſo, ſibi ipſi, cùm poſſit conſulere, Prælatum in corporis ſolatio diſpenſare, vt dixit ſanctus Bernardus ad

illa

Eccli. 38.

1. Cor. 11.

Coll. 2. c. 10.

Digitized by Google

illa Pauli verba: *Modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes infirmitates. Illi qui hodie minus ſibi blandiuntur de hoc exemplo Pauli, attendere debent primùm quidem Apoſtolum minimè ſibi rem iſtiuſmodi ſuadere, ſed nec diſcipulum quidem aequè expoſcere ſibi. Deinde non Monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo, cuius vita, tenera, & adhuc naſcenti Eccleſiæ perneceſſaria eſſet. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum etiam auro, & poto balſamo. Cæterùm tu tibimetipſi diſpenſas, miſertus tui. Suſpecta eſt mihi (fateor) tua ipſius vice diſpenſatio. Et vereor tibi illudi ſub tegmine, & nomine diſcretionis à carnis prudentia. Id te ſaltem admonitum eſſe volo, vt ſi iſta tibi auctoritas Apoſtoli placet de bibendo vino modico, quod ille adiunxit non prætermittas; nimirum quod dixerat, te ipſum caſtum te cuſtodias.*

De conſilio ab alijs expetendo, ex Antiocho Laurenſi.

Capvt LVII.

HÆc de ſalutari prudentia circa corporis afflictiones dicta ſpecialiùs ſint. Nunc in vniuerſum commendanda eſt proprij cordis diffidentia, atque ineundi captandique ab aliis conſilij ratio, quæ potiſſima eſt ſpiritualis prudentiæ pars. S. Paulus Apoſtolus, Chriſtum in ſe loquentem, qui habebat, ait:
Galat. 2. *Aſcendi in Hieruſalem, & contuli cum eis Euangelium, quod prædico, ſeorſum autem his qui videbantur eſſe, ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem.* Et is qui dicit ſe non ab hominibus didiciſſe, ſed per reuelationem Iesv Chriſti, nihil grauatim tulit, cum condiſcipulis conferre, conſilij ineundi gratia. Neque enim priuato judicio, tantum ſibi vni tribuit fiduciæ, veritus ne in vanum curreret, aut cucurriſſet. Nos autem, quos latet quæ ſit aut dextera, aut ſiniſtra; quantò æquiùs eſt nihil moliri operis abſque ſpiritualium Patrum arbitratu & conſilio, exemplo tanti iſtius Apoſtoli; ſed omni ſtudio, illorum conſilio vſi, non item in re quauis nitentes noſtra qualicumque prudentia, aut propriis cogitationibus fidem accommodantes: magis autem ad eorum, qui noſtram hanc anteuerterunt ætatem, conſilium decretúmve, ceu ad ſcopum rectà collineemus, ne fortè contingat, inſidioſa malignitate Dæmonum nobis illudi. Pro ſua enim veteratoria voluntate, res quaſlibet in aliam ſubinde permutant formam; in eorum maximè proſpectu, qui commentitias artes illorum, non admodum ſcirè callent; aut qui plus æquo nituntur fiducia ſui arcus, ſiue brachij. In nos enim, per humilitatem, ſidit, ac delabitur ſancti Spiritus gratia. Quæ optimè conſiderauit
Homil. 83. B. Antiochus & ſalutariter monet. *In quocumque negotio, non mediocris opera feceris pretium, remque Deo magnopere acceptam, ſi conſilium expetes. Nemo enim inuenietur, qui non indigus ſit conſiliarij niſi Deus, & ſolus penes quem ſapientia eſt omnis. Nam homo omnis indigus eſt probæ conſultationis, præ halitu quem ore efflat, ac ſpirat, vt nos diuina Scriptura erudiunt hunc in modum: Omnia fac cum conſilio, cum conſilio vinum bibe; nimirum id quod cor lætificat, ſpirituale videlicet vinum. Qui talis eſt, nunquam aberrat à ſcopo; ſed liber anxia ſolicitudinis, ſuam omnem tranquillè exigit vitam. Conſilium enim à quopiam corrogare & expetere, planè argumentum eſt hominum, qui ſuperbiam oderint, & de ſe modeſtè ſentiant; eorum maximè, qui præſenti vrgentur periculo. Nulli arbitror obſcurum, quia humilibus Deus dat gratiam; ſuperbis autem reſiſtit. Quemadmodum Tobias dicit filio, Conſilium ab omni ſapiente perquire, & ne contempſeris conſilium vtile. Qui enim particeps eſt boni conſilij, per viam ingreditur mandatorum Domini, vir autem inconſultus, ſibi ipſi hoſtis eſt. Exemplo eſt Roboam Salomonis filius; qui derelicto ſeniorum probo conſilio, dum puerorum, qui ſecum indulgentiùs fuerant educati, adhæreſcit conſilio, Iſraelitici regni ſceptra decem perdidit. Rectè igitur, ſic inconſultos deprædicat miſeros Eſaias, dicens: Væ qui initis conſilium, non per Dominum, in occulto facientes; & erunt in tenebris opera eorum. Conſilium enim malignorum, iniqua conſultat; pij autem prudentia iniere conſilia. Alius item ſapiens dicebat: A malo conſiliario cuſtodi animam tuam; etenim ille ſibi ipſi conſulit, & ſtabit ex oppoſito, vt videat quid euenturum ſit. Rurſus: Ne conſilieris cum eo qui te toruè intuetur, & à zelantibus te abſconde conſilium. Non igitur abs re, ſed congruè (ceu prædictum eſt) in omnibus expetandum nobis eſt conſortium ſpiritualis conſilij à ſenioribus quos vſus rerum prolixior prudentes reddidit. Carnalium verò, & ineruditorum conſultationes vitanda prorſus, vt ne pro fulcimento ſcipionis è robore palmæ decerpti, arũdineam retineamus virgam quæ manum hominis fodicet, ac perforet, ſuaque inſpergat venenum natura; aut pro oue in lupum reuoluamur, & incidamus; qui enim graditur cum ſapientibus, ſapiens erit: ſtultis, ac dementibus ſenſus eſt procliuior.*

Satis hæc de prudentia ſancta, & moderata cura bonæ valetudinis, vt in diuino obſequio perſiſtamus; quoniam tamen etiam ægrotantes ſeruiendo Domino ceſſare non debemus, videamus quo pacto id præſtandum ſit, quamtumuis langueamus.

DOCTRINA VII.

QVOMODO IN MORbis gerendum.

Ægrotantes non debent deſpicere ſtatum & laborem ſuum.

Capvt LVIII.

FIli *in tua infirmitate, ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.* Et ſi multa videantur Eccli. 38.
eſſe impedimenta perfectionis, nullum tamen te vera poteſt impedire

cupidè volentem apprehendere diſciplinam cœleſtem. Etenim vel impedimenta ſunt in cuiuſqoe manu, & poteſtate, quemadmodum diuitiæ, & ſæcularia negotia à quibus ſe eripere, & aſſerere quiuis poteſt. Is autem qui veraciter cupit Deo vniri, cùm in ſua voluntate ſiot hæc abiicere, aot retinere, abiiciendo illa, nullum iam paritur viæ offendiculum. Vel impedimenta voluntaria non ſunt, ſed inuita, & aliunde accidentia, quàm à ſponte noſtra: quemadmodum paupertas, neceſſitates, contemptus, iniuriæ, & morbi. Hæc autem tam abſunt, vt obſtent noſtræ ſaluti ſpirituali, vt ſępiùs iuuent: namque licèt ipſa in ſe voluntaria non ſint, eorum tamen vſus boous, vel malus volontarius eſt, atque bene vtendo etiam malis rebus, ſalutem, & gloriam æternam poſſumus negoriari: præterea à rebus ſæcularibus, à voluptatibus, à corpore ipſo nos ſequeſtrant; vnde non leue ſpiritus adiumeorum accipit: deinde, quia iocommoda caroi ſunt, plus io illis exercetur animus, & volútas propria infringitur, maiórque proinde ſui victoria, & meritum eſt. Quare nemo ſocordiæ ſuæ excuſationem habeat, quòd inops, & languens ſit. Cœleſtis quippe meritorum negotiatio non rebus noſtris, ſed cordibus perficitur. Quantumuis omnia deſint, quantumois ægrotet aliquis, imò quantumuis artubus ipſis orbus fiat, nihil deeſſe ſibi dicat, quominus ſaluus, ſanctus, & perfectus fieri poſſit. Immenſa ſiquidem Dei beneuolentia, atque miſericordia, ſic diſpeoſauit omnia, ſic prouidentiſſimè noſtram diſpoſuit ſalutem, vt nullum eius obſtaculum eſſe poſſet, ſed quomodocumque ſimus, etiam ſi omoibus mundi rebus careremus, ſemper mereri, & perfici poſſimus, noſtríque ſolius cordis officiis voluntatę, & patientia emere æteroitatem. Rectè iginr adhortatur Sapiens: *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum,* *non nos putemus deſpicabiles, & miſeros, etiam ſi miſeri videamur*, cùm ipſa hæc miſeria momentanea ſit bene vtentibus pretium fœlicitatis æternæ. Neque enim deſpicabile dici poteſt per quo datur quod æſtimabile eſt; non eſt vile quod pro gloria redditur. Quare etiamſi impediti, & ſine vſu membrorum in maximis ægritudinibus iaceamus, in hac etiam, & quacumque alia calamitate, non oblitos, & deſpectos à Deo, nec inutiles perfectioni, & magnis meritis cenſere nos oportet, conandúmque ſemper eſt ad perfectiora, atque anteriora nos extendere, nam virtus potiùs in infirmitate perficitur. Deinde cùm ſimiliores Chriſto fiamus in tribulationibus, laboribus, atque doloribus pretioſiores æſtimare nos debemus, cùm per patientiam, & afflictionem conformiores ſimus imagini filij Dei, & tunc conemur exactiùs agere, & repræſentare perſonam Chriſti, qui vir dolorum fuit, & in multa patientia, & humilitate mortificationem Iesv Chriſti circumferentes in corporibus noſtris, vt & vita Iesv manifeſtetur in nobis, tum quia immiſſis morbis & doloribus Deus meminit noſtri tanquam beneuolus parens flagellaos filios ſuos; non deſpicere, ſed potiùs plus nos æſtimare debemus, cùm experimur curam de nobis haberi; neque enim filium emancipatum, nec extraneos paterfamilias corrigit, aut punit, ſed filios, & ſeruos quos è ſua domo & familia non vult abdicare. Præterea in infirmitate humiliter æſtimare nos debemus, pluſquam integra ſanitate, quooiam ij qui accepti Deo ſunt, acerbiùs probaotur, ſicut ſancto Tobiæ dictum eſt, *quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te, & ſeruus Dei fidelis.* Iob ait: *probauit me quaſi aurum, quod per ignem probatur.* Et quidam Philoſophus rectè dixit, noo in mari tantùm, aut in prælio vir fortis apparet: exhibetur etiam, & in lectulo virtus. Oportet igitur Deo probatos exhiberi, nec vllus ægritudinis cauſa triſtetur, ſed ſibi potiùs gratuletur tractari à Deo, vt filium; probari, vt ſtrenuum militem ſe æſtimet, quia conformior filio Dei, & gaudeat vberioris occaſione meriti, quæ magna ægrotantibus accidit, per patientiam, & cõformitatem diuinæ volũtatis. Audiat quid Seraphinus Firmanus dicat: *Illud proficiſcitur ex indiſcretione incommodum, nempe cùm diſcernere non nouit homo, quod maioris ſit meriti, quod minoris; quapropter conqueritur non habere ſe vnde mereatur: cumque præ manibus habeat, conqueratur autem non habere, perinde eſt, ac ſi minimè haberet. Ita queritantur, qui aduerſa detinentur valetudine, non poſſe ſe quæ cæteri faciunt præſtare; nempe vt ieiunent, vigilent, templa viſitent, cæteraque id genus peragant exercitia. Neque verò vident vberioris eſſe meriti patienter ferre ægritudinem, Deique conformari voluntati, quàm vt lubet agere.*

Tob 12.
Iob 23.
Senec. ep. 79.
De aur. reg. diſ. c. 9.

Quæ ſint ægrotantibus exercendæ virtutes?

Capvt LIX.

NOn ſe deſpiciat Religioſus, hoc eſt, immemor ſuæ profeſſionis non ſit, cùm bona non vtitur valetudine; tunc potiùs ſe magis Religioſum exhibere debet, quemadmodum monet Sapiens: *In tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam.* Tunc quippe magna etiam debet adhiberi cura ædificandi alios, ac merendi; quapropter S. Ignatius Pater noſter, qui multa ſanis documenta præſcripſit, ſuas quoque ægrotis leges tulit. In ſummario ſic edicitur: *Ægritudinis tempore non ſolùm obſeruare vnuſquiſque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores ſpirituales, vt ipſius animam regant, ſed cum eadem humilitate erga Medicos corporales, & infirmarios, vt corpus eius regant. Qui ægrotat humilitatem, & patientiam ſuam præ ſe ferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, ijs qui ipſum inuiſent, & cum eo verſabuntur, & agent, quàm dum valebat corpore, ad maiorem Dei gloriam præſtare curet, verbis pijs, & ad ædificationem facientibus vtendo, quæ oſtendant ægritudinem acceptari, vt donum de manu Creatoris, ac Domini noſtri; quandoquidem non minus donum eſt, quàm ſanitas.* Quinque hîc ægrotantibus commendat Beatus noſter Pater obedientiam erga Superiores; gratitudinem erga Deum, ædificationem erga alios, patientiam in ſe, humilitatem erga omnes. Hæ ſunt virtutes neceſſariæ languentibus, de quibus pauca dicere operæpretium erit. Oportet quidem ægrotos obedientes eſſe, tum vt compenſent hac virtute actus bonos, à quibus neceſſe eſt morbi cauſa ceſſare, tum vt citiùs conualeſcant; ideò

Eccli. 18.
Regul. 49. & ſeq. ſumm.

non

non ſolùm legitimis Superioribus, & ſpiritualibus Patribus, qui animam regunt, ſed Medicis, & infirmariis,qui corporis ſui curam habent,parere debent. Accidit ſæpe, vt ſumat morbus vires,quòd applicata non ſit medicina, quam Medicus opportuniorem iudicauit; omiſit tamen propter ægroti repugnantiam. Præterea quemadmodum ipſi Medicorum principes, quamuis Ethnici, dixerunt: *Deus ſanet ægrotis, qui obediunt Medico.* De hac obedientia mirandum prorſus exemplum tribuit nobis S. Ignatius Parens noſter, de quo hæc narrat Maphæus. Medico quidem, quoties ægrotaret, ita ſe dictu audientem præbebat, vt eius monita pro oraculis duceret, ac quodammodo prudentiam penitus exuiſſe,& omnem ſuæ ſalutis curam, & ſolicitudinem in eumdem proieciſſe videretur. Cùm ſtomacho grauiſſimè laboraret aliquando, ex nimio videlicet hepatis calore, adhibitus Medicus, quo domus eo tempore vtebatur adoleſcente nec peritiſſimo, frigidæ corporis conſtitutioni cauſam illico tribuit. Nec mora, quidquid excogitare potuit ad corpus, & præcordia calefacienda, præſcripſit; ac primum feneſtras, foréſque cubiculi, ne quid afflaret auræ,obſerari diligenter iuſſit; deinde languentem multa ſub veſte continere ſe ſe; poſtremò quàm calidiſſimo cibatu, & exiguo mero, ſed quàm auſteriſſimo refici. Quæ omnia Ignatius licèt ſibi,non leuibus argumentis, minimè accommodata ſentiret, ac Medicum ipſum nec literatiſſimum, neque exercitatiſſimum ſciret eſſe; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo, contra eius edicta nihil vnquam effatus eſt. Æſtas erat ſumma, calores, vt in Vrbe maximi: ingenti ſtromatum pōdere premebatur S.Ignatius:manabat è membris omnibus tanta ſudoris copia, vt culcitræ ac veſtes maderent; ac nihilominus ex præcepto ſe intra calida fomenta cohibebat ægrotus:ardebat ſiti,nihil omnino poſcebat; diſcruciabatur doloribus acerbiſſimis, nullam edebat vocem; linquebatur animo interdum, neque tamen ſignificabat;denique peruerſa curatione eò adductus eſt, vt cùm vltimum ſibi diſcrimen adeſſe intelligeret, ſocietatis adminiſtratione Patribus delegata, aditu cubiculi domeſticos prohiberet omnes, vno excepto valetudinarij curatore: atque id demum extitit ſignum, deſperata iam valetudine, ſe ad vitæ exitum comparantis. Itaque Patres in re tam ſubita conſilio habito, cùm non deeſſent, qui Medici, præſertim iunioris,placita reprehenderent; Alexandrum Petronium, ætate prouecta virum, & medicæ artis laude præſtantem, extemplo acciri iubent. Is vt inſpexit S.Ignatium,genúſque & ordinem adhibitæ medicinæ cognouit, per ſummam indignationem vociferatur.hominem calore necatum eſſe: pandi confeſtim feneſtras, & oſtia; leuari ſtragulis lectum; frigidæ hauſtus affatim dari æſtuanti imperat; quæ res prioris Medici inſcitiam planè coarguit, ſiquidem refrigerato hepate, ventriculi tormina quieuere; & obedientiæ meritis ſanctus Pater auctus, priſtinam inſuper valetudinem breui recepit. Rurſus, cùm ieiunia Ciceralia, ſeu Quadrageſimam quamuis affectu corpuſculo perſeueranter nihilominus obſeruaſſet; ipſa denique feria quarta ſanctioris hebdomadę, febri correptus eſt; nec dubitauit idem Alexander,quin totum id ex imbecillitate nimia prouenitet; quocirca pulli gallinacei eſum ad veſperam illi præſcripſit, abiitque admodum incertus animi, vtrùm S. Ignatius tali tempore iuſſa facturus eſſet; redit deinde poſtridie, quæritque ſolicitus, num ſe refecerit pullo, cùm annuiſſet Ignatius. Fatebor, inquit Alexander,ingenuè id quod res eſt. Complures non cuſtodita ſolemni abſtinentia, nihilominus hoc triduo in morbum incidere. quibus ego cùm accerſitus, carnium cibatum indixerim, vix, ægréque ab iis impetraui, vt obtemperarent; propterea quòd per hos dies carnibus veſci nimis graue piaculum ducerent. Tu contrà, peractu iam penè curriculo ad ipſas metas meo monitu non recuſaſti deſiſtere. Hoc ego, Pater, ſatis mirari non poſſum. Ad ea Ignatius ſerena fronte, quæ animi tranquillitatem indicaret. Atqui obediendum eſt, inquit, nec plura in eam ſententiam effatus eſt; quo reſponſo mirificè delectatus Alexander, & ſanctitatem viri magis,magíſque ſuſpexit.

Gratos quoque erga Deum infirmos oportet eſſe agnoſcentes morbum, tanquam beneficium prouidentiſſimæ & beneuolæ ſuæ dextræ; imò hoc auſim dicere plus grati Deo futuri eramus pro immiſſo dolore aliquo,aut febri, quàm pro integra valetudine. Conſolari enim, & blandè tractare proprium eſt, & naturale Deo, & vltrò hæc facit; tribolare autem,& affligere non eſt à natura,& ſponte ſua, niſi aliqua neceſſitate noſtri boni, quaſi compulſus præſtat; ex quo fit vt illi plus debeamus, cùm pro noſtro bono faciat, quod ſua natura vltrò non fert; ſicut enim cùm aliquis homo pro nobis facit id quod ſua indoles,& inclinatio cupit,minus illi debemus,quàm ſi pro noſtro commodo faceret, quod nullo alio modo feciſſe vellet, quoniam in hoc euentu ſe vinceret, & difficiliora pro nobis ageret. Sic etiam plus Deo videmur obſtringi, cùm pro æterna noſtra ſalute nos paululum affligit, ad quod minimè inclinatur immenſa eius bonitas, & infinita affabilitas. Quare infirmitatem ſic accipere debet Religioſus, ac amantiſſimi Parentis pro bono noſtro correptionem conſiderans,quis eam immittat,& ad quid immittat,ſicut Vmbertus ait: *Attendere debet infirmitatem datam eſſe* 3.p.l.3.c.1.
à Patre luminum,& miſericordiarum,qui non daret filijs ſuis, niſi quod ſcit eis expedire, & ideò gratanter debet eam recipere. Ad quod monemur exemplo Saluatoris: Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Attendere debet ad quid datur,& ad minus hoc debet intelligere,quod iumentum videtur cognoſcere, cùm percutitur, quòd ſcilicet percutitur, vel quia extra viam eſt, & ad viam redit; vel quia nimis lentè incedit,vt greſſum ſuum acceleret. Scrutari debet conſcientiam ſuam, quem Dominus infirmitate percutit. Et ſi extra viam paradiſi ſe inuenit,compungi,& confiteri: ſi verò non inuenit ſe extra viam paradiſi,cogitare debet, quòd piger erat ad bene operandum, & proponere quòd ad bonum feruentior erit; iuxta illud Pſalmi, *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum; poſtea accelerauerunt. Æſtimare debemus vtilitates ægritudinem,vt gratiam maiorem agnoſcamus, infirmitas quippe interiorem hominem roborat, dum hoſtem domeſticum debilitat. Quid mirum,*ait S.Bernardus,*ſi hoſte debilitate tu fortior efficeris. Infirmitas corporis infirmi-* Serm. 29. in Cant.
tatem mentis perículoſiorem ſanat: nam iuxta Sapiētem infirmitas grauis ſobriam facit animam. Eccl. 31.

Oportet

Oportet quoque ægrotum bonæ ædificationis ſollicitum eſſe; nam cum à pluribus viſitetur, plures agnoſcent imperfectionem eius, & plures perstringet mali exempli offenſa. Non queri debet infirmus Religioſus, non murmurare cum aliquem infirmary defectum videt; imo potius, vt Vmbertus rurſus ait: *Multum debet eſſe gratus Deo, & miniſtranti ſibi propter Deum. In monaſterio enim ordinato homines gratis recipiuntur, & gratis eis miniſtratur. Non enim qui eis miniſtrat, ab eis miniſterij mercedem expectat, & quaſi ſine merite eorum eis miniſtrat. Etenim ſi laborant, pro æternis eſt labor ille, non pro terrenis. Vnde valde gratum debent habere, quod Deus gratis fecit eis prouideri. Non eſt principale quod miniſtratur, ſed adijcitur, Hæc omnia adijcientur vobis, victu magis tenui debet eſſe contentus, qui expectat mercedem magnam, quàm qui expectat nullam. Et ſi aliquem defectum ſuſtineant, patienter debent illud ſuſtinere: cùm Deus ſit monaſterij prouiſor: & illum defectum medicinalem ſubtractionem debent reputare.* Rectè Auguſtinus ait: *Scit cœleſtis Medicus, quid nobis daturus ſit ad conſolationem: & quid ſubtracturus ad exercitationem. Non enim homo ſine cauſa iumento ſuo cibaria detrahit. Non debet ibi eſſe murmur, quia contra Deum eſſet, qui prouiſor eſt. Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Vſquequò multitudo hæc peſſima murmurat contra me? Cor debet eſſe firmum, vt non diſſoluatur abundantia: nec murmuret penuria. Optimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Multum eſt cauendum à murmure in clauſtro. Murmuratio vna eſt de duodecim abuſionibus clauſtri. In vitis Patrum dicit Abbas Paſtor. Qui queruloſus eſt, Monachus non eſt. Expedientia magis, quàm delectantia debet velle.* Vnde Auguſtinus in Regula ſua dicit: *Si velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non eſt obediendum.* Idem ait. *Virùm ſanando dolori quod delectat expediat: ſi non eſt certum, Medicus cõſulatur.*

Patientia infirmis neceſſaria eſt, tum ad meritum ipſorum, tum ad ſolatium, cùm enim agendo mereri nequeant, hæc via ſolùm reſtat illis, vt patiendo, & ſuſtinendo congregent merita. Leuiores quoque dolores patientia reddet; fouere autem patientiam poterit ægrotus memor diuinæ beneuolentiæ. Rectè ſanctus Gregorius dixit. *Durum non æſtimes eſſe, quod patieris externis cruciatibus; ab interna paſſione liberaris.* Cùm quidam peteret à Ioanne Eremita, vt ſanaret eum à tertiana. Reſpondit. Rem tibi neceſſariam cupis abiicere. Vt enim corpora ferro à vitio, ita anima languoribus, & caſtigationibus purificatur. Et quidam ſenex infirmanti diſcipulo
Lib 34. Mor. c.25. in vitis Patr. dixit. Ne contriſteris ex infirmitate, vel plaga corporis. Si enim ferrum es, rubiginem per ignem amittis: ſi verò aurum es, per ignem probaris, & ad maiora proueheris. Et cùm quidam miles rogaret quemdam virum ſanctum, vt à morbo liberaret eum precibus ſuis; vir ſanctus audito ab eo, quòd melior eſſet in ægritudine, & deuotior, quàm in ſanitate, dixit. Oro Deum, vt ſeruet te in quo melior es. Cur igitur tantam vtilitatem moleſtè feremus. Faciet quoque non ſolùm ad patientiam, ſed ad conſolationem, & gaudium
Vbi ſuprà. infirmorum, quod Vmbertus ait. *Exemplis Sanctorum debet ſe conſolari; de ſancto Tobia dicitur: Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius; ſicut & ſancti Iob.* Et poſtea: *Non eſt contriſtatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenires ei: ſed immobilis in Dei timore permanſit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ.* Salutariter conſulit ſanctus Gregorius. *Facta præce-* *Iob 5.*
dentium Patrum recolamus, & non erunt grauia, quæ toleramus. Spe euaſionis maiorum malorum debet afflictionem ſuam alleuiare. Magna miſericordia eſt, quòd Deus pro malis futuris, quæ meruit homo, accipit infirmitates, vel alia mala præſentis vitæ. Tale eſt, ac ſi ille cui debentur marcha auri, & argenti, reciperet pro eis fabas, vel lapillos, pro quibus computatio facta eſt. Plus enim eſt faba vna reſpectu marchæ argenti, quàm tribulatio præſens reſpectu pœnæ futuræ. Diem pro anno dedi tibi. Item conſolari debet magnitudine mercedis; ſicut Auguſtinus ait: Gaude ſub flagellis, quia tibi ſeruatur hæreditas, illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit. Idem dixit. *Non timeas flagellari, ſed exhæredari.* Aptè quoque Gregorius. *Niſi correctis Dominus dare diſponeret hæreditatem, erudire eos per moleſtias non curaret. Timorem Domini debet cordi ſuo infigere, vt per pœnam quam patitur, pœnam futuram intelligat.* Idem Gregorius ait. *Si tam aſperè Deus percutit, vbi parcit, quàm aſperè percutiet, vbi non parcet? Cogitare debet, quomodo poterit ignem ſuſtinere, qui non poteſt ſuſtinere modicum calorem febrilem. Febris enim eſt calor, non ignis. Item qui non poteſt ſuſtinere ignem in vno digito, quomodo poterit ſuſtinere quod corpus & anima ſint in igne grauiori. Item qui non poteſt ſuſtinere ignem ad momentum, quomodo poterit illum ſuſtinere in æternum.*

Patientiæ ſoror mortificatio eſt, quæ etiam ægrotantibus & neceſſaria & vtilis, & opportuna eſt, non tantùm, vt iniunctæ medicinæ etiam amaræ non recuſentur, non tantùm, vt defectus commoditatum tolerentur, ſed vt quandoque quæ neceſſariæ viſæ in Domino fuerint accipiantur, imò aliquando humiliter poſtulentur; in priſcis propterea regulis communibus iuſſu Patris Lainij excuſis, ſic ſcriptum inuenio. *Quicumque facta oratione, ſentiet re aliqua, quæ ad corpus attineat, ſibi eſſe opus. Is neque pudore, neque mortificationis deſiderio, neque aliquo reſpectu petere omittat.* Interdum enim maior mortificatio poteſt eſſe omittere mortificationem; humilitas etiam ægrotantium virtus eſt, quæ iuuabit, & obedientiam erga Superiores, & gratitudinem erga Deum, & ædificationem erga homines, & patientiam apud ſe. B. Iſaias Abbas quoniam humillimè accipiebat de manu Dei morbum, & cum gratiarum actione, animæ ſuæ imbecillitatem, & erga Deum ingratitudinem agnoſcebat, patienter patiter, & cum magna ædificatione ſe viſentium languorem ferebat. Scribit Abbas Petrus eius diſcipulus, cùm eum morbo valde laborantem inuiſens incommoda eius valetudine doleret, humiliter dixiſſe. *Vix ita morbo* *Orat. 26.*
vexatus poſſum illius acerbi temporis recordari, tantum abeſt, vt memor eius eſſem futurus, ſi caro valeret; cùm enim valet, promtor eſt ad exercendas inimicitias cum Deo. Arbor quæ irrigatur non areſcit, ſed fructum affert. Calamitates nobis ſunt adiumento ad obſeruanda mandata Dei. Hei mihi! Hei mihi, quia habeo ante me accuſatores. Quomodo potero occurrere Domino meo, & Sanctis eius,

cùm

Digitized by Google

cùm inimici mei, mihi ne vnum quidem membrum integrum reliquerint. Similibus verbis & humilitatem & patientiam,& gratitudinem erga Deum exercebat, & exemplo aliis erat. At cur non & orationem infirmis commendari oportebit cum Eccleſiaſtico dicente, *Ora Dominum,& ipſe curabit te.* Deum quidem præcipuum Medicum intelligant ſibi fore. In excuſis poſt mortem Patris noſtri S. Ignatij regulis communibus, hæc in quadam commendabantur ægrotis. *Eligat autem quiſque præcipuum ſibi Medicum Deum creatorem ſuum; corpus verò ei qui præeſt curandæ valetudini, & Medico quem Superior deſignarit, committat. Saltem orationes iaculatorias in cœlum mittere ægroti debent, aut conformandæ ſe diuinæ voluntati, aut ſi videbitur ad maiorem Dei gloriam conducere ſanitatem, vt proximi iuuentur poſtulando.*

Admonitio ſalutaris ex regula S. Baſilij pro ægrotantibus,& medicinæ vſu.

CAPVT LX.

OPORTEBIT quoque infirmum ex corporis ſui medicatione,& cura diſcere quantum oporteat ſolicitum eſſe in morbis animæ medicandis: idcirco medicinæ vſum conceſſum à Deo eſſe ſcribit S. Baſilius in quadam regula, vbi alia documenta ſalutaria ægroti præſcribit, atque huc tranſcribere erit operæpretium. Cùm
Reg. fuſ. 55. enim, inquit, corpus noſtrum morbidum noxiis variis expoſitum, partim extrinſecus aduenientibus, partim intrinſecus agnatis morborum generibus obnoxium ſit, eaque modò largior cibi copia, modò ſubductione nimia affligatur, medicinæ nobis ars à totius vitæ noſtræ moderatore Deo conceſſa eſt, à qua nimirum cum demendis iis, quæ ſuperarent, tum quæ deeſſent, addendis rationem diſceremus, quemadmodum nos animæ quoque curationem adhibere oportet. Vt enim ſi in paradiſo delitiarum eſſemus, nihil agreſti nobis, neque labore opus eſſet, neque ſolertia: ſic ſi vacuam penitus morbis vitam ageremos, ad ſimilitudinem temporis illius,quando ab initio ſtatim creati, nondum de Dei gratia decideramus, ſine dubio nihil nobis opus eſſet, cur valetudinis tuendæ cauſa præſidium vllum à medicina peteremus. Verùm quemadmodum poſteaquam in locum hunc, veluti in exilium quoddam detruſi ſumus veraque illa audiuimus, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*; diuturna deinde periclitatione, aſſiduaque in excolenda terra induſtria, ærumnaque agriculturæ artem effecimus, cùm Deus ad lenienda vtcumque ea, quæ ab execratione illa inuecta nobis incommoda fuerant,agricolandi intelligentiam,perceptionemque nobis ſit elargitus. Sic vbi iuſſi ſumus, vt in terram, de qua ſumpti eramus, denuo reuerti & dolorificæ carni morti propter peccatum addictæ, ac propterea huiuſmodi morbis ſubiectæ aptati ſumus, datum nobis medicinæ remedium eſt, quo (adhibita tamen ea quam adhiberi par eſt, moderatione) aduerſum ægros vteremur. Neque enim fortuitò ortæ de terra herbæ ſunt ad ſingula morborum genera accommodatæ, ſed nimirum ex ſupremi Opificis voluntate editæ ſunt, eo conſilio, vt iis nos ad vtilitatem noſtram vti poſſemus. Quocirca ea quidem,quæ in radicibus,floribuſve,aut foliis, aut fructibus, aut ſuccis naturalis vis ineſt, aut quodcunque etiam ex metallis,mariue aliquid ad corporis noſtri vſum appoſitum habere inuenta ſit, ea omnia earum rerum inuentioni ſimilia iudicari debent, quibus in cibo potioneque vti conſueuimus. At in quibus exquirendis curioſa quadam, & anxia nimis ſolertia, curáque eſt opus, quæque magnas nobis moleſtias quaſdam conciliant, ac quaſi vitam noſtram in corporis curatione implicatam tenent, ea à Chriſtianis hominibus funditus repudianda ſunt: dandaque nobis ſtudioſè opera eſt,vt huiuſmodi arte (ſi quando res poſtulet,) ita vtamur,vt nullo modo omnem ei aut proſperæ, aut aduerſæ valetudinis cauſam aſſignemus, ſed vt ad gloriam Dei, & formulam quandam, qua nos in animorum noſtrorum curatione vti oporteat, ita ſalutaria ab ea corpori noſtro ſubſidia petamus. Ac ſi quando medicinæ nos remedia defecerint,neutiquam leuandi mali ſpem omnem in hac arte collocatam habeamus, ſed illud intelligamus, aut quòd non patietur nos tentari Deus ſupra id, quod poſſumus. Aut quòd ſicut olim, dum inter nos verſaretur Dominus, modò lutum faciens, illud alicui illinebat, illitoque, vt ſe in Siloam ablueret,præcipiebat, modò ad ſanandum, voluntate ſola contentus erat,dicens: *Volo,mundare.* Quoſdam etiam præterea, vt in acerbitatibus certabant, dimiſit; nimirum qui periclitatione illa ſpectatiores ipſos vellet efficere: ita nunc etiam pari ratione agere nobiſcum velit, tum ex occulto, ratione quadam oculis noſtris minimè aperta,ſalutari nobis imponenda medicina, quotieſcumque ita facere ex animarum noſtrarum vtilitate eſſe ipſe iudicauerit: tum id etiam agendo interdum, vt ad depellendos à nobis morbos eos,quibus laboremus,craſſioribus remediis quibuſdam vtamur, idque ea re nimirum, quòd curationis longinquitate memoriam eius, quod acceperimus, beneficij, altiùs in animis noſtris impreſſam velit. Vel (vt antè dixi) ea re, vt formulam nobis tradat, quàm in curandis noſtris animi vitiis imitemur. Vt enim in corporibus neceſſariò, & demi illa debent, quæ ſuperuacanea ſunt, & quæ abſunt, opponi: ſic idem quoque nobis in animis noſtris ſeruandum eſt, vt quæ aliena ſunt, ſcilicet, amandemus, & quæ idonea, aſciſcamus. Siquidem fecit Deus hominem Sap. 2. rectum, & ad bona opera creauit nos,vt in illis ambularemus.Et quemadmodum in iiſdem corporibus ſecari, vri,& potiones amariſſimas ſumere,incolumitatis ipſorum cauſa non recuſamus: ſic in animis quoque, ſecantia,cùm obiurgamur, verba, amaræque pro ipſorum ſalute increpationum medicinæ accipiendæ ſunt. Quod quidem iis qui emendati non erant, Propheta obiectat, cùm dicit. *Numquid reſina non eſt in Galaad? aut Medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt reſtituta ſanitas filiæ populi mei.* Quin illud etiam, quod quis in inueteratis morbis, non niſi ex longinquo tempore, variiſque, & iis dolorem facientibus medicamentis ſanitatem expectat, indicium eſt, vitia ſimiliter, quæ in animis noſtris inueterauerint, aſſidua oratione, & diuturna patientia, & acerrima animi contentione, quæ ad

ſanitatem adipiſcendã ratio ſufficere nobis oſtenderit, à nobis curari oportere. Non igitur quoniam medicina peruerſè quidam vtuntur, ideirco fugienda nobis omnis, quæ ab ea naſcitur, vtilitas eſt. Neque enim eò quòd qui voluptates intemperanter conſectantur, coquinaria facultate, panificiovè, aut extendi arte ad luxum abutuntur, cùm vltra præſcriptos neceſſitatis limites progrediantur, continuò huiuſmodi à nobis repudiari artes debent: contraque potius, ex rectâ illarum tractatione, quod ab ipſis in illis fit, detegendum vitium eſt. Sic igitur in medicina etiam, haudquaquam rectè fieri ratio docet, ſi propterea quòd ſint qui in illa vtantur vitioſè, eius datum nobis diuinitus munus in crimen vocetur. Etenim cùm illud, incolumitatis ſuæ ſpem omnem habere poſitam in manibus Medicorum, planè iumentorum ſimile ſit (quod quidem vſu venire miſeris nonnullis animaduertimus, qui etiam non verentur apertè liberatores ſuos appellare) tum hoc, omnes penitus, quæ ab ea proficiſcantur, vtilitates fugere, hominum eſt valde in ſua ſentẽtia perticacium. Sed quemadmodum Ezechias maſſam ficorum illam, neutiquam præcipuam ſanitatis ſuæ cauſam fuiſſe arbitratus eſt, neque ſalutem corporis ſui, quam recuperauerat, illi acceptam tulit, ſed ad Dei gloriam, etiam quòd ficos creaſſet, gratiarum actionem adiecit. Sic nos quoque quandocumque ab eo qui benignè, ſapienterque vitam noſtram moderatur Deus, vapulamus, primum illud petamus, vt cauſam nobis indicet, cur ira plectamur: tum illud poſtulemus, vt ab iis quibus premimur, acerbitatibus liberemur, & animi ab ipſo in tolerando fortitudinem comprecemur, vt vnà tentatione exitum etiam præbeat, vt ſuſtinere poſſimus. Reſtitutæ verò nobis ſanitatis munus, ſiue per vinum oleo permiſtum, velut is ille curatus fuit, qui in latrones inciderat, ſiue per ficos, vt legimus de Ezechia, gratiarum actione proſequi debemus: neque omnino referre quicquam exiſtimemus, ſiue non cernentibus nobis, ſiue cernentibus corporeæ rei alicuius opera curationem nobis Deus adhibeat, quando hæ ſæpenumero faciunt, vt Dei in nos beneficium clariùs agnoſcamus. Atque etiam fit plerumque vt cùm idcirco in aduerſam valetudinem inciderimus, vt hoc pacto admoniti, vitia noſtra emendemus, loco pœnæ cuiuſdam, huiuſcemodi curationis acerbitatem cogamur perferre. Quocirca neque ſectiones, neque vſtiones, neque cruciatus, quæ acerba, aſperaque medicamenta afferre ſecum ſolita ſunt, neque inedias, neque arctiſſimas in victus obſeruatione regulas, neque denique declinationem à rebus, quæ obſunt, repudianda eſſe à nobis recta ratio demonſtrat, ſaluo tamen (iterum enim dico) propoſito animæ vtilitatis, quippe cui in medicina corpori admouenda, formula quædam proponitur, quam in ſui ipſius curatione, ipſum conueniat imitari. Porrò haud mediocre periculum eſt, ne ab recto animus aberrans, vanas quaſdam opiniones concipiat, quippe quaſi ægrotatio omnis petitis à medicina remediis curanda ſit. Neque enim ſemper morbi omnes à natura, aut vitioſa victus ratione, aliiſvè quibuſdam ſitis in corpore noſtro cauſis, ad quem vtilem interdum Medicorum artem videmus, ortum ducunt: quandoquidem morbi ſæpenumero veluti quædam peccatorum flagella ſunt, quibus nihil aliud agitur, niſi vt vitam noſtram in melius commutemus. *Quem enim*, inquit, *Dominus diligit, caſtigat*, *& ideo multi in vobis infirmi*, *& imbecilles*, *& dormiunt multi. Quòd ſi nos metipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum mundo damnemur.* Quamobrem, qui eiuſmodi ſunt, hi omiſſis Medicorum auxiliis inuectas ſibi acerbitates ferre ſilentio debent, quandocumque ſe peccaſſe animaduerterint; atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: necnon vitæ ſuæ praua ſtudia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere, & verborum Domini illorum meminiſſe: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quin eſt, quando hoc Diabolo ita depoſcente permittitur à Domino, cùm aliquem tanquam fortiſſimum aduerſarium (quæ eſt eius benignitas) ipſe cum illo in certamen committat, ac magnificam illius iactantiam ſumma ſeruorum ſuorum tolerantia retundat (quod quidem in Iob factum fuiſſe animaduertimus) aut mollioribus etiam in ferendis doloribus, laboribuſque exempla proferuntur eorum, qui vſque ad mortem continenter tolerare cruciatus poſſunt: veluti Lazarus, de quo, cùm tot vndique vlceribus vrgeretur, nuſquam tamen ſcriptum eſt, eum quicquam vnquam ab diuite illo petiiſſe, ſignificationemvè vllam feciſſe, quod iniquo animo eum, in quo erat, rerum ſuarum ſtatum ferret: quæ quidem cauſa fuit, quamobrem poſtea quietem in ſinu Abrahæ inuenerit, veluti qui mala recepiſſet in vita ſua.

Quanquam aliam præterea in ſanctis viris morborum cauſam euenire ſolitam reperimus, velut in Apoſtolo. Ne enim hominis natura egreſſus poſſet putari, aut naturaliter aliquid præ cæteris eximium habere quiſpiam ipſum exiſtimaret (quemadmodum Lycaones, qui ad eum cum coronis, & tauris acceſſerunt) quo faciliùs intelligi poſſet hominis illum natura præditum eſſe, in aſſidua vſque erat ægrotatione. Quocirca quid eſt, quod huiuſmodi hominibus emolumenti afferre poſſit medicina? aut quod non iis potiùs contrà ab ea periculum procreari? Qui quidem relicta recta ratione, curam ſuam in corporis curationem tantum contulerint. Qui verò ex vitioſa, quam tenebant in victu, ratione, morbum ſibi ipſis contraxerunt, hi corporis curatione vti debent, perinde vti exemplo, & adumbratione quadam, quam in curando animo ſequantur, quemadmodum dictum eſt ſuprà, quando quæ ex medicinæ ratione à rebus, quę obſunt, declinatio fit, ea quoque nobis vtilis eſt, item delectus rerum vtiliũ, ac præceptorum cõſeruatio. Atque ipſa etiam aduerſæ corporis valetudinis in ſecundam mutatio, quædam nobis eſſe veluti confirmatio debet, ne de animæ ſanitate penitus deſperemus, quaſi verò ea ex peccatis ad priſtinam integritatem per pœnitentiam ſe recipiendi facultatem omnem amiſerit. Neque igitur fugienda penitus ars iſta eſt, neque rurſum omnis in ea ſalutis noſtræ præſidia collocanda, ſed quemadmodum, licèt agriculturæ vſum acceperimus, frugum prouentum tamen poſtulamus à Deo, & quamuis gubernatori clauum committamus, Deum tamen, vt nos ex alto incolumes conſeruet, oramus; ſic nihilominus, cùm Me-

dicum

Digitized by Google

dicum adhibemos, idque ratio fieri concedit, neutiquam à ſpe illius erga nos bonitatis debemus diſcedete. Mihi verò etiam ad colendam continentiam, baùd mediocte momentum ars hæc, de qua loquimur, videtur afferre. Siquidem animaduerto ab ea & delitias amputari, & crapulam damnati, epularum præterea varietatem, & exquiſitam nimis condimeotorum prauè excogitatam ſolentiam, tanquam inutilem improbari. In ſumma denique indigentiam ab ea ſanitatis matrem appellari. Proinde ſiue aliquando præceptis medicinæ vtimur, ſiue repudiamus ob aliquam cauſam earum, quas antè memorauimus; propoſitum tamen illud teneri vſque conſtantiſſimè debet, vt Deus in primis propitius habeatur, & animæ vtilitati conſulatur, & præcepto Apoſtoli ſatisfiat illi. *Siue manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Hæc S. Baſilius.

1. Cor. 10.

Verùm & ſanctus Dauid nos docet in Pſalmo ſexto, quo pacto in ægritudine haberi debeamus, qoem Pſalmum præter communem Hebræorum ſenſum multi graoes Doctores, & interpretes compoſitum dicunt, dum Dauid ægrotaret in lecto. In primis plus doluit pro peccatis, & infirmitate animæ, quàm pro corporis morbo, & potius poſtulauit veniam peccatorum, quàm corporalem valetudinem, cùm pœnitens illum Pſalmum dixerit, atque primus inter Pœnitentiales habetur. Idcirco ait, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et poſtea precatur: *Eripe animam meam*; non aotem dixit corpus, cuius minor cura ſibi erat. Vitam autem corporalem idcirco ſolùm deſiderabat, vt ampliùs Deo ſeruiret, laudaret, & mirabilia ſua apud homines publicaret. *Quoniam*, inquit, *non eſt in morte, qui memor ſit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi.* Non eſt amplius locus merendi poſt mortem: illud autem maximè conſiderandum, exercitia ſpiritualia, orationem, & examina noo prætermiſiſſe. Aſſueſcebat quippe Dauid ſingulis noctibus compungi, & examen conſcientiæ etiam minimarum cogitatioonum facere, quemadmodum aliis conſuluit, dicens: *Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compūgimini.* Hoc ipſum ipſe faciebat ſingulis noctibus, nec ab hoc exercitio ſpirituali propter morbum deſtitit, quod ipſe fatetur, dicens: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Deinde accepit humiliter de manu Dei morbum agnoſcens pientiſſimè immiſſum propter peccata ſua. Et meliorem vitam pollicitus occaſiones abiicens peccandi, & omnium prauorum commercium, dicens: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

Vtiles ægrotantibus conſiderationes, maximè ex Guigone Carthuſiano.

Capvt LXI.

Possvnt vti ægroti vtilibus conſiderationibus, vt leniùs morbum ferant, & fructum inde ſpiritualem lucrentur.
Io. Euſeb. Nieremb. doctr. Aſcet.

Oportet in primis non conſiderare cauſas naturales, vnde morbus accidit, ſed Deum qui mediis illis excolere vult animam noſtram, maiorem præparare coronam, miſericorditer punire culpas, & purgatorium in hac vita præſtare, & ſic cum ſancto Iob dicat ægrotans: *Manus Domini tetigit me.* Conſideret etiam Deum in anima ſua inueniſſe aliquid morbidum, & quod medicamine egebat, propterea applicuiſſe medicinam iuxta neceſſitatem, quod quidem meretur, vt gratus ſit homo ſalutari animæ Medico, quantumuis ardua, & amara ſit medicina, ſicut infirmus corporaliter pecuniam ſoluit pro amaro potu, & cauterio; iuuabit etiam conſiderare ſe non ſolitariè patientem, ſed ad latus Chriſti crucifixi, quem reſpicere debet, quo pacto patiatur, quanta humilitate, charitate, & patientia, atque in his virtutibus imitari Saluatorē. Memor etiam ſit, quia ſi compatitur, & cōglorificabitur. iuuabit aliquando conſiderare Chriſtum, qui ſicut Medici, & infirmarij ſolent, circuit media ſua prouidentia lectum. Similiter reſpiciat Virginem Mariam tanquam infirmariam ob protectionem ſuam, & gratificari hanc curam. Exiſtimet commutatum ſibi à Deo purgatorium in hac vita, atque patientia opus eſſe, imitando ſanctas animas purgatorij, quæ patientiſſimè, & cum vehementi charitate patiuntur; meminerit iuſtum eſſe, vt ſoluatur quod debetur, magni quoque momenti erit, antequam accedat dolor, vel febris, ſi offeratur Deo; poſtea autem tanquam ſacrum quid, & oblatum Deo venerari manum Dei in illo languore, patientiſſimè ferre. His & ſimilibus conſiderationibus iuuari poſſunt languentes.

Et quidem non inutiles erunt, quæ à Guigone Carthuſiano proferuntur, quæ ſic ſe habent. Vide quomodo te pungat Deus, quocumque extra eum extenderis per concupiſcentiam in creaturis tanquam nutrix pueri brachium extentum extra curias, ne pereat frigore. Propitius tibi ſit, ne inueniat vbi requieſcat pes mentis tuæ, vt ſaltem coacta, ô anima, redeas ad arcam, ſicut columba Noë. Egeſtas ipſa, vel aſperitas, temporalis tortoris vice cogit nos bona, atque his diuerſa deſiderare. Sed quia nos tantùm temporalibus aſſueti ſumus, nihilque aliud nouimus, non multum diuerſa ab his quæ patimur, deſideramus; & vel iras eorum, id eſt, aſperitates, temperamento quaſi quadam reconciliatione ad momentum interrumpere, vel non multum diuerſa ab his ſubire optamus. O homo qui dolorem pateris, vis eum lenire? Volo. temporaliter, an æternaliter? Æternaliter. Æternum ergo linimentum, id eſt, Deum deſidera. Nam ideo te percuſſit, vt eum deſideres, non herbas, noo ligaturas. Vna febris aufert omnia contra quæ pugnas, id eſt, oblectamenta quinque ſenſuum. Quid reſtat ergo niſi vt Deo gratias pro collata victoria referas. At tu contrà quæris, cui ſuccumbas odiens libertatem. Quæ ſpes eſt, ſi laqueis inimici gratis incumbis & iaculis, ſi hæc non ſolùm non caues, ſed inſuper libenter amplecteris, téque illis detegis, ab illis ad illa confugis. Ea putas remedium, ea ſolarium, ea deſideras, & abeſſe non pateris. Proſperitas laqueus eſt; culter incidens hunc laqueum aduerſitas: carcer amoris Dei proſperitas; conſtringens hunc aries aduerſitas. Dicit tibi aduerſitas: Niteris vt recedam. Quod certè nullo modo prohibere,

ſi bene velis, poteris. Non enim poſſum Domino modulante manere, quippe ſyllaba. Si erga homines peſſimos velut agnus eſſe debes: quid ad Deum, cùm ab eo corriperis flagello aliquo? Vide quomodo ſis quaſi in bello. Sitis torret, opponis potum: fames cruciat, opponis eſcas, frigori veſtem aut ignem; morbis medicinam. Contra hæc omnia opus eſt patientia, & mundi contemptu; nec alio bello, quod hinc ſurgit, ſuperetis, cateruis videlicet vitiorum. Quandoque ſola voluptate caperis, ſola delectabilia ſunt cauenda. Nuſquam ergo ſecura eſt anima Chriſtiana, niſi in aduerſis. De his quæ diligis, tibi fecit Deus virgas. Proſperas fugiendo in aduerſa irruendo cruciaris. Omnia flagella ſunt, præter ipſum, qui flagellum deſtruit, quaſi filius eſt, qui virgam patris verberantis frangit. Corpus à validioribus victum aut impellitur, aut attrahitur, ſimiliter voluntas. Tu verò non quod corpus vincendo moueat, ſed mentem, & voluntatem cura. Væ non his, qui perdiderunt temporalia, ſed his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Nulla enim paſſio ſuperatur, niſi per ipſam. Non enim edendo contrahitur fami, ſed ſeruitur, ſicut bibendo ſiti. Ad hoc enim tendunt iſta, vt ſcilicet ad fruendum exterioribus corporum formis inclinent animum. Quod quando fit, non ſuperantur, ſed regnant, finem ſuum, id eſt, animi inclinationem, & præparationem ad faciliorem, & maiorem inclinationem obtinentes. Omnium dolorum & cruciatuum, ſola medicina eſt contemptus eorum quæ læſa ſunt & conuerſio mentis ad Deum. Quot voluptates carnales, & quàm vehementes ſpernis: totidem, & tam validos diaboli laqueos deuitas. Quot tribulationes, præſertim pro veritate, fugis; totidem medicinalia remedia ſpernis.

Paulò ante medium. Poſt infirmitatem caueat ægrotus, quod S. Auguſtinus in Regula ſua dicit infirmis: *Cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent, ne tibi eos teneat voluptas, iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos.* Sollicitius in diuino ſeruitio ſe deinceps gerat; diſcat etiam compaſſionem infirmorum. Neſcit quidem infirmis compati, qui infirmitatem paſſos non eſt filius ipſe Dei, qui omnium rerum notitiam habuit, compaſſionem voluit per experientiam addiſcere. Sicut S. Paulus ait:

Hebr 14. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia; didicit quippe IESVS ex his quæ paſſus eſt.

De cura & charitate erga infirmos.

CAPVT LXII.

NEQVE inutilis opera erit hic ſubiicere quo pacto ſani, maximè Prælati ſe gerere cum ægrotantibus debeant. De antiquorum Monachorum charitate S. Hieronymus ait: *Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto ſenum miniſterio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum.* Idem Doctor in præfatione ad regulam S. Pachomij, ait: *Ægrotantes miris ſuſtentantur obſequijs, & ad omnem copiam præparatis cibis.* Ipſa regula S. Pachomij ſic præſcribit, *Si aliquis eorum qui peregrè mittuntur, in itinere ægrotauit, & habuerit neceſſitatem, ſiue deſiderium comedendi liquamen de piſcibus, vel aliquid eorum quæ comedere non conſueuerunt, non manducabit cum fratribus cæteris, ſed ſeparabitur, & dabitur ei à miniſtris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater languidus contriſtetur.* S. Cæſarius in regula Monialium ſic præcipit: *Cellaria verò, & illa quæ infirmis ſeruitura eſt, ſuper omnem ſollicitudinem cura illis & diligentia infirmarum coram Deo, & Angelis eius denuntietur.* S. Teridius, ſiue idem S. Cæſarius in Monachorum regula: *Infirmi ſic tractentur, vt citius conualeſcant.* Et rurſus: *Pulli & carnes nunquam ſani accipiant, infirmis quidquid neceſſe fuerit miniſtretur.* Hugo Cluniacenſis in ſtatutis ſuis ita præſcripſit: *Ante omnia autem Abbates, & Priores de infirmis ſint ſolliciti, vt ſingulis ſecundum qualitatem ægritudinis, & poſſibilitatem loci, in cibis, & in alijs neceſſaria miniſtrentur, & ipſis tanquam Deo ſeruiatur, quia ad corporis, & animæ ſanitatem, quia ipſe Chriſtus dicturus eſt, infirmus fui, & viſitaſtis me.* S. Benedictus in regula, ait: Cap. 36. reg.
Infirmorum cura ante omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt, cùm inter miſerias præſentis exilij, quæ ſunt fames, ſitis, frigus, labor, infirmitas, excedat:
Magnitudo vero miſeriæ debeat ad miſericordiam 2. p. 5 l. 2.
prouocare, & miſericordia circa infirmos debet eſſe.

Subiiciam quæ Vmbertus de hac ægrotantium cura vtiliſſimè diſſerit. Cùm religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem ſit viſitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo: & pluſquam pupillus ſit, qui non ſolùm patrem, & matrem, ſed etiam omnes amicos deſeruit, primò ad religionem pertinet, vt de infirmis cura magna habeatur. Item cùm frater omnem mundi ſocietatem propter monaſterij fraternitatem reliquerit: magna inhumanitas eſt, ſi monaſterium in tanta neceſſitate ei deſit. Frater enim in anguſtiis comprobatur. Item cùm Chriſto derelictus ſit pauper, quomodo ille, qui in monaſterio vices Chriſti gerit, illi qui pro Chriſto ſe depauperauit, in tanta neceſſitate viſcera ſua claudere poterit? Item cùm homines ſæculares qui ſunt extra patriam, in hoc fidem ſibi cuſtodiant, vt in infirmitate ſibi ſubueniant: quomodo qui de hoc mundo exierunt, in hoc ſibi fidem non ſeruabunt. Item quomodo ſe eſſe Chriſti diſcipulum confidit, qui mandatum de fraterna dilectione auribus diſcipulorum à Chriſto maximè inculcatum non cuſtodit: cùm non diligat fratrem in neceſſitate, opere, & veritate? Prælatus patrem fratribus ſe debet exhibere compatiendo infirmis. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* ait Paulus. De bono Patre legitur. *Pro animabus filiorum ſuorum colligabit vulnera ſua.* Vulnera enim pro ipſis excipiet, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera eius. Prælatus non ſolùm patrem, ſed etiam matrem ſe debet exhibere fratribus, qui patrem, & matrem reliquerunt, & ei adhæſerunt. E conuerſo verò multi Prælati ſe habent ad fratres ſuos, ſicut ſtruthio ad filios ſuos. Durabitur ad filios quaſi non ſint ſui. Hoc dicitur de ſtruthione. Ad habendum curam de

infirmis

infirmis innitamus exemplo filij Dei, qui humanum genus in infirmitate poſitum perſonaliter viſitare voluit, & curare; & hoc cum magnis expenſis. Infirmis etiam corporaliter magnam humanitatem exhibuit, eos enim virtute ſua curauit. Leproſum etiam, cuius infirmitas contagioſa eſt, non abhorruit, imò voluit eum tangere, & curare. Inter opera miſericordiæ videtur excellere illud, quod circa infirmos exercetur. In vitis Patrum legitur, quòd quidam frater interrogauit quemdam ſenem, dicens. Duo fratres ſunt, quorum vnus ieiunat ſex diebus multum laborans; alius verò ſeruit ægrotantibus, cuius opus magis eſt gratum Deo? Reſpondit ſenex: Si frater qui ſex diebus ieiunat, laborans, appendat ſe per nares, non poteſt eſſe æqualis illi, qui infirmantibus ſeruit. Negligentia circa infirmos in multis monaſteriis vitium proprietatis introducit, vitium nequiſſimum ſecundùm iudicium B. Benedicti: & præcipuè à monaſterio radicitus amputandum. Multi enim videntes, quòd fratribus in ſuis infirmitatibus de communi non prouidetur, non intelligentes, quod maius eſſet periculum malè viuēdi, quàm citò moriendi, proprium voluerunt habere; vt de proprio poſſent ſibi in ſuis infirmitatibus prouidere. Multis verò in infirmitate proprium non fuit: imò è contrario infirmitati occaſionem dedit, vt citò incurreretur, vel difficile ſanaretur: ſicut accidit cuidam hortulano, de quo habetur in vitis Patrum, qui omnia dabat in eleemoſynas, quæ de labore ſuo acquirebat, præter tenuem victum. Tandem ſuggeſtum eſt ei ſuggeſtione maligni ſpiritus, vt colligeret aliquam pecuniam, quam cùm ſeneſceret, vel ægrotaret, poſſet expendere. Et fecit ſic. Contigit autem eum infirmari in pede, & expendit quidquid habebat in Medicos, & curari non potuit. Et tandem vnus expertus Medicus dixit eum non poſſe ſanari, & curari, niſi per pedis abſciſſionem. Et cùm quadam die Medicus eſſet allaturus inſtrumenta ſua ad pedem abſcindendum, nocte præcedenti hortulanus ille pœnituit de nummis collectis, & quòd non dederat eos pauperibus. Et ſtatim Angelus Domini aſtitit ei, dicens: Vbi ſunt nummi quos collegiſti? & vbi eſt pes quem tractaſti? Qui cùm pœniteret, & miſericordiam peteret, Angelus Domini tetigit pedem eius, & ſanatus eſt. Manè verò Medicus veniens inuenit hortulanum in agro ſanatum, atque operantem, & laudauit Deum.

Ipſe Dominus & Sancti eius docuerunt nos curam & miſericordiam ægrotantium. In vita Venerabilis Annæ de ſancto Bartholomæo ſcribitur, cùm multas ægrotantes curaret, iuſſam à Chriſto cæteris miniſtrare, vnam ſibi reſeruabit Dominus qui miniſtrauit, cibum porrigens, ipſa Anna vidit Eliam, & Eliſæum miniſtrantes infirmæ cuidam diligentiſſimè, qui poſtea dixerunt eidem Annæ, hoc modo oportet miniſtrare, atque curare ægrotos, non ſicut tu curas. Obſtupuit illa cùm illi ægrotæ ſic diceret miniſtraſſe, ac ſi corpus non haberet.

DOCTRINA VIII.

DE OBSERVANDIS regulis.

Minutiſſimæ regulæ obſeruandæ ſunt, exemplo Rechabitarum.

CAPVT LXIII.

IN die illa erit quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino. Tandem commendanda eſt Religioſis inſtituti & regularum obſeruatio, etenim humanus appetitus poſtquam per primi præuaricationem parentis à rationis defecit præſcripto, compar brutis animalibus factus, & ipſius rationi abuſu miſerabilis, comparatus eſt tum iumentis afflictis propter onera, miſeriam, & vilem conditionem, quam ſuſtinet; equis effrenibus propter intemperantiam præcipitem. Quapropter non minus indiget chamo & freno, quo poſſit conſtringi, quàm indomitus & effrenis equus. Hoc frenum naturæ noſtræ præcepta ſunt, quibus comprimitur nonnihil. At cùm iam domitus & mortificatus eſt animus, non ſolùm facillimè gubernatur freno, ſed inſuper nutu, manu, & voce inſidentis flectitur; cùm non ſolùm Dei legi obtemperat, ſed vltrà amplectitur conſilia, cùm non obligatione coërcetur, ſed virtutis amore allicitur, tunc gratiſſimus eſt Deo, tunc acceptus & ſanctus: voluntaria enim ſacrificia gratiora ſunt. Hoc videtur ſanctus Propheta Zacharias vaticinatus euentutum in lege gratiæ: *In die illa*, inquit, *erit quòd ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino.* Quaſi diceret. Poſt aduentum & doctrinam Saluatoris, cùm ſanctitas abundabit, non ſolùm freno, & rigida præceptorum obligatione docibiles erunt ſerui Dei, ſed addent multa virtutum voluntaria ſacrificia, cuſtodientes ſuper præcepta conſilia; quod gratiſſimum & ſanctum Deus habebit. Profectò ſi alicubi oſtenditur hoc verum, maximè in noſtræ Societatis ſanctiſſimis conſtitutionibus, quæ ſummam, & velut florem Euangelicorum conſiliorum continent, quas nos ſupra frenum communium præceptorum vltrò accipimus cuſtodiendas; nec idcirco quòd nulla nos culpa ligent, minus ligare debent, vt amore Dei exactiùs ſeruemus illas, quàm timore cruciatuum ſeruant ſæculares mandata. Multo plus nos debet vrgere, atque conſtringere ſpontanea charitas, quàm alios ſeruilis formido: nam licèt non ſit damnationis reatus in omiſſione conſiliorum, grandius tamen gloriæ pondus operatur in nobis libera eorumdem obſeruantia. Quare regulæ noſtræ, quarum rigidam cuſtodiam nunc commendare cupimus, non ſunt propterea contemnendæ quòd non obſtringant nos ſub culpa, ſed potiùs obinde maximi faciendæ, cùm tam perfectæ ſint, quæ percipi non debeant, quæ Zach 14.

materia merendi locupletiſſimè ſuppeditent, & delinquendi nullam; quarum ſpontaneè obſeruantia ſancta & ſanctiſſima apud Deum habebitur. Ad demonſtrandum hoc, commemorabo hiſtoriam Rechabitarum, quam Hieremias Propheta narrat; nam & in myſterio, & in littera docebit nos quanti fiat apud Deum voluntaria conſiliorum, ſanctorúmque ſtatutorum obſeruatio. Rechabitæ erant religioſi Iudæorum, ſic dicti à Rechab parente fundatoris ſui, qui Ionadab fuit. Hic Ionadab vltra præcepta communia addidit conſilia aliqua ſuis poſteris ſeruanda, quædam valde difficilia filiis præcipiens, qualia profectò ſunt, nunquam bibere vinum; nunquam habitare in domo, ſed in tabernaculis: nullum prædium ſerere, nullam habere vineam vnde fructus ſumerent, ſed tanquam aduenas & peregrinos in hac vita degere, cœleſtium ſpei & contemplationi, expeditos & liberos. Hunc vitæ rigorem, hanc eximiam pauperiem, hanc ſtrictam regulam religioſiſſimè ſeruarunt illi, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, ſed ſponte & ſine vlla obligatione, quam pater ad res ita difficiles non poterat iniungere filiis, ſicut nec modò poteſt ad religionis ingreſſum cogere. Neque inſtitutum hoc vtcumque cuſtodierunt, ſed tam rigidè, tam obſeruanter, vt poſt trecentorum annorum excurſum, ſumma obſeruantia etiam de minimis florerent, quæ meruit à Deo nota populo ſuo fieri, & inſigni probari experimento, & commendari elogio. Iuſſit Dominus Prophetam Hieremiam conuocare omnes Rechabitas, & introducere eos in domum Domini in vnam exedram theſaurorum, & dare eis bibere vinum. Fecit ita Propheta, & introduxit eos in domum Domini, & poſuit coram filiis Rechabitarum ſcyphos plenos vino, & calices, & dixit ad eos: Bibite vinum. Nemo autem fuit auſus guſtare, nec inclinati fuerunt reuerentia tanti Prophetæ & ſanctiſſimi viri, qualis Hieremias erat auus, cuius iuſſu poterant habere excuſationem, atque interpretari gratum Deo futurum, cùm tantus vir eos inuitaret. Sed conſtantiſſimè & fideles ſuo inſtituto, nec in minima re, qualis eſt ſemel bibere, tranſgredi regulam voluerunt, etiam ſine peccato, & cùm laudabilem prætextum haberent obtemperandi ſancto Hieremiæ, aut ſaltim vrbanitatis cauſa excuſari poſſent. Omnes tamen vnanimiter reſponderunt, Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filij veſtri vſque in ſempiternum, & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab, filij Rechab patris noſtri in omnibus, quæ præcepit nobis, itavt non biberemus vinum cunctis diebus noſtris nos, & mulieres noſtræ, filij & filiæ noſtræ: & non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam & agrum & ſementem non habuimus, ſed habitabimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, circa omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater noſter. O miram & annoſam filiorum & nepotum fidelitatem poſtquam tercenti anni excurriſſent, ex quo atauus Ionadab ardua illa conſilia poſteris commendaſſet, quæ veluti præcepta illi ſeruarunt, & pluſquam alius præcepta Dei, adiicientes ſuper mandatorum neceſſariorum frenum ſtrictam voluntariæ regulæ obſeruantiam. Profectò ſanctum Domino & ſanctiſſimum opus, propter quod meruerunt audire. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Pro eo quòd obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Anne parua eſt hæc promiſſio, profectò magnum aliquod priuilegium claudit; prorſus ſingularis fauor eſt, quod multi putant electos à Deo fuiſſe ad ſacerdotalia munera, vt inter Leuitas admitterentur ac ſi de tribu Leui eſſent, cùm ipſi Rechabitæ non fuiſſent Iudæi, ſed Madianitæ: nam Rechab, à quo appellationem & genus duxerunt, fuit filius Hemath, qui originem traxit ex Ragnele, ſiue Iethro Moyſis ſocero, & principe Madian. Nihilominus gens extranea particeps eius muneris, quæ Principi illius populi tribu Iuda negatum erat, & ſolùm poſteris Leui conceſſum: nam cùm ſanctum Domino ſtudium voluntariæ obſeruantiæ, ad ſancta ſua illos admiſit, qui hoc ſtudio florerent. Confirmat hoc Hegeſippus dum ſcribit de Iacobo *Lib 2. Hiſtor. Eccl. cap. 22.* fratre Domini cùm enim lapidaret vnus ex Sacerdotibus de filiis Rechab qui ſunt Hieremiæ teſtimonio commendati. Quid agitis? Iuſtus pro vobis Deum precatur. excelſam illam ſacerdotij dignitatem, quam Tribus Leui peregregia facinora impetrauit cùm pro Moyſe & pro Deo ſtetit contra fratres, in ipſum ſanguinem ſuum ſæuiit pro gloria Dei, cuius zelo ardebat; Rechabitæ tamen per obſeruationem minutarum rerum obtinuerunt; tanti enim apud Deum fit ſolicitudo rerum minimarum, vt ſummis eam æquiparet operibus, & multis rebus magnis præferat. Tribus Iuda multa & magna pro populo Dei fecit, nihilominus non meruit illam gloriam, quam filij Rechab minutis, & ſpontaneis obſeruantiis ſunt adepti. Igitur parui putemus illud paruum, quod Deus maximi facit, non eſt minimum reuera, ſed magnum, minima obſeruare: nam multi qui magna opera faciunt, hæc non facient, & difficiliùs ſibi erit aſſiduè cura, iugíque conatu attendere minimorum obſeruantiis, quàm ingentes labores ſubire, & arctiùs pœnitentiis corpus macerare. nam licèt ſingulæ res paruæ ſint, ipſa tamen paruarum rerum obſeruantia magnum quid, & magnam virtutem ſupponit. Quare nulla eſt excuſatio contemnenti regulas, quia minima videantur præſcribere. Præterea, quia ſæpe parua ipſa magni momenti ſunt, & maioris, quàm ea, quæ magna apparent. Cor minus membrum eſt, quàm crus, attamen ſine corde viuere non poſſumus. Et neruulus exiguus in corpore humano magis neceſſarius eſt, quàm alia maiora membra. Et quid magis exiguum quàm pupilla oculi, & quid magis cuſtodimus? Quare de regulis poſſumus dicere quod Apoſtolus de membris humanis. *Multò magis quæ videntur* *1. Cor 12.* *membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt, & putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Et quidem res magni momenti pendent ex minimis; ſed nos ſumus ſicut Naaman qui contemnimus parua,

parua ; cùm tamen in ipſis lateat noſtrum bonum , & pariter admoneri cum Naaman poſſe-
4.Reg.5. mus : & ſi rem magnam dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras, quanto magis,quia nunc dixit tibi , lauare, & mundaberis. Immò quamuis non includerent parua magnas vtilitates, maior quodam modo inobedientia videtur minora non ſeruare. *In paradiſo*,inquit ſanctus Au-
14.de ciuit. cap.15. In Prol.ſpec. diſc. guſtinus , *tanto maior inobedientia fuit , quanto id, quod præceptum eſt,nullius difficultatis fuit.* Et ſanctus Bonauentura. *Nec mirum eſt contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam, eo turpius neglectu habita ingerunt quo vitare facilius cognita valuerunt.* Certè ſi hæc minima pro Deo non facimus, non eſt quòd credamus cordi noſtro deſideranti maiora. *Multi* , inquit idem ſanctus Bonauentura, *pro Chriſto optant mori, qui pro Chriſto nolunt leuia verba pati ; ſed quem terret ſonitus folij volantis,quomodo ſuſtinebit ictum gladij terribiliter vibrantis.*

Verùm ſi Sacerdotium non fuit conceſſum filiis Rechab , æquè ac Leuiticæ genti , optabilius & grandius aliud ſacerdotali dignitate pollicitus eſt Deus, dum ait : *Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab , filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Id eſt , nunquam deficiet ſanctus aliquis,& homo Dei ex progenie Ionadab. Iuſtitia enim & ſanctitas interna optabilior eſt , & grandior , quàm externa ſolùm ſanctitas & dignitas Sacerdotij. Et quidem quomodo deficeſe Sancti poſſent,vbi tam ſtricta obedientia fuit, vbi vigor inſtituti poſt tot annos , vbi omnium conſtitutionum ſumma reuerentia , vbi rerum exiguarum grandis cura , vbi conſilia ſeruabantur,pluſquam alibi mandata ? Via enim ſanctitatis hæc eſt , ſeruare regulas , curare res minutas, conſilia tanquam præcepta revereri. Beatus Ludouicus Gonzaga , Beatus Staniſlaus Koſcha,& admirabilis ille adoleſcens frater Ioannes Beremans,quibus rebus fuerunt Sancti,nonne ex obſeruantia regularum ? quid aliud fecerunt niſi nec vnguem à regulis diſcedere ,& curare minima , atque ex hôc æquiparati ſunt multis ſanctis viris qui magna fecerunt. Aliæ communitates fuerunt inter Iudæos , quæ maiora opera faciebant , & exquiſita vitæ eminebant auſteritate; nullas in cibo delitias admittebant , nullas in lecto,imò dabant operam, in his rebus valde affligi. Vltra hæc ſtrictiorem paupertatem cuſtodiebant,& longas moras diuinis rebus contemplandis faciebant. Attamen non meruerunt honorari à Deo ob magna opera , ſicut Rechabitæ ob paruarum rerum cuſtodiam ; quia ſcilicet noluerunt ſemel contra regulam bibere. Quare non æſtimemus parua hæc , cùm magnis præponantur , ſed imitemur fidelem & obſeruantem animum Rechabitarum erga ſuum inſtitutum , qui pluribus & melioribus titulis tenemur revereri, atque obſeruare noſtrum. Caueamus ne ſicut Deus propoſuit illos in exemplum populo Iſraël, ita ex eorum obſeruantia increpet noſtram negligentiam , & dicat nobis per ſanctum Ignatium , ſicut dixit populo ſuo per Hieremiam,
Hier.35. *Nunquid non recipietis diſciplinam, vt obediatis verbis meis,dicit Dominus ? Prævaluerunt ſermones Ionadab filij Rechab , quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum , & non biberunt vſque ad diem hanc , quia obedierunt præcepto patris ſui. Ego autem locutus ſum ad vos de manè conſurgens,& loquens , & non obediſtis mihi.* Et rurſus, *Firmauerunt igitur filij Ionadab filij Rechab præceptum patris ſui , quod præceperat eis : populus autem iſte non obediuit mihi.* Nonne etiam obiurgari poſſumus aliqui quaſi qui non obediamus voci Dei, & Rechabitæ obedierint voci hominis. Inſtitutum enim Rechabitarum humanum fuit, & ab homine inuentum ; noſtrum autem inſtitutum ex Euangelio ſumptum eſt , & nihil aliud video eſſe , quàm diuinorum conſiliorum collectionem : quare Deum in regulis noſtris loquententem debemus audire. Sanctus enim Patriarcha noſter Ignatius fuit Chriſti organum , per quod ſimul coniunctam , & diſpoſitam doctrinam cœli pro renouanda Apoſtolorum vita & inſtituto nobis reſarciret , vt de noſtris inſtitutionibus dici queat quod S. Bonauentura in expoſitione ſuæ regulæ capite primo. Non eſt regula , aut vita hæc noua res, ſed proculdubio renouata , magnaque eſt huiuſmodi regulæ profeſſoribus materia ſolatij qui ſoli in hoc mundo vitam illam ad literam profitentur , quam Apoſtolis ad prædicandum miſſis Dominus commendauit cœleſtibus , propterea ſignificationibus & miraculis confirmatæ ſunt S.Ignatij Patris noſtri conſtitutiones , vt poſſit dicere ſanctiſſimus noſter Patriarcha quod S. Franciſcus in ſuo teſtamento : Poſtquam dedit mihi Dominus curam de fratribus , nemo oſtendit mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mihi. Quapropter plus revereri eas debemus , & exquiſitius noſtras regulas ſeruare , quàm humana illa conſilia Rechabitæ. Maximè poſtquam audierimus prædicari à Chriſto beatitudines eſſe, quæ in noſtris conſtitutionibus maximè commendat ſanctus Ignatius , ſcilicet paupertatem ſpiritus, munditiam cordis,ſeu mortificationem, miſericordiam & charitatem , eſuriem,atque ſitim iuſtitiæ , compunctionem , manſuetudinem & patientiam in aduerſitatibus,reconciliationem non ſolùm hominum inter ſe , ſed Dei & hominum, quod præcipuum munus noſtrum eſt, ſicut & Apoſtolorum, qui propterea veri pacifici fuerunt, pacem inter Deum , & homines facientes, vt ad noſtras conſtitutiones referre etiam liceat quod S. Bonauentura ad ſuam regulam illud Apoſtoli, Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint , pax ſuper illos & miſericordia. Obſeruatio Euangelij fuit illa Apoſtoli regula,eadem & noſtra eſt, quam appellare poſſumus cum S. Franciſco librum vitæ , ſpem ſalutis , arrham gloriæ, Euangelium viuum, ſemitam crucis,ſtatum perfectionis , clauem paradiſi,pactum Beatitudinis. Idcirco ſuos fratres monebat ne vnquam ſuæ obliuiſcerentur regulæ , vt ſecum eam ſemper ferrent , vt etiam morientes eam amplexarentur. Præterea cur nos minimarum rerum pluſquam Rechabitæ exactam curam non habebimus,cùm in Euangelio audiamus, *Euge ſerue bone & fidelis , quia ſuper pauca fuiſti fidelis , ſupra multa te conſtituam.* Hanc Chriſti gratulationem non audierunt illi , & tamen fideliſſimi in paucis homini fuerunt ; nos ne qui illam audimus infideliores Deo erimus. Iam quis poterit cauſari, non obligant regulæ : ideo non erit magni momenti non ſeruari. Erubeſcamus , & propter factum Rechabitarum, quos etiam non obligabant præcepta illa patris ſui , & propter dictum Chriſti, qui in paucis vult experiri fidelitatem noſtram,

vt

vt ſupra magna nos conſtituat, non ideirco regulæ noſtræ non obligant, quia parui momenti ſunt, ſed quia magnæ perfectionis. Præterea voluit S. Ignatius noſter Parens, vt obſeruantia regularum ſpontanea magis mereremur, & minus angeremur. Vnde magis obſtrinxit nos hac prouidentia maioris noſtri meriti, & minoris periculi, cùm exoptet, inquit, Societas vniuerſas ſuas conſtitutiones, declarationes, ac viuendi ordinem, omnino iuxta noſtrum inſtitutum nihil vlla in re declinando obſeruari; optet etiam nihilominus omnes ſuos ſecuros eſſe, vel certè adiuuari, ne in laqueum vllius peccati quod ex vi conſtitutionum huiuſmodi, aut ordinationum proueniat, incidant, viſus eſt nobis in Domino, &c. nullas conſtitutiones, declarationes, vel ordinem vllum viuendi poſſe obligationem ad peccatum mortale, vel veniale inducere. Ratio pulchra eſt, ſcilicet vt & loco timoris offenſæ ſuccedat amor & deſiderium omnis perfectionis, & vt maior gloria & laus Chriſti creatoris ac Domini noſtri conſequatur.

6. part. Conſt. cap 5.

Proponitur conſtantia, ſimplicitas, & reuerentia Rechabitarum erga ſuum inſtitutum.

Capvt LXIV.

Cætervm non ſolùm minutarum rerum obſeruātiæ egregium nobis exemplum præſtant Rechabitæ, ſed ad nonnulla alia nos prouocant, quæ operæ pretium erit conſiderare. nam conſtantia illa ſui inſtituti omnino admirabilis eſt, quoniam poſt tercentos annos non fuit iuxta teſtimonium Domini violata illa lex, ſiue conſuetudo temperantiæ in potu, cùm dicat Dominus, *& non biberunt vſque ad diem hanc.* Nos autem breui deficere ſolemus in aliquarum regularum rigore, quas ſi ad tempus reueremur, ad tempus relaxamus cùm tepeſcimus pro voluntate noſtra illas interpretantes: ſic qui tepidi ſumus, quotidie minus timidi ſumus in eis infringendis, & quas antea aut nullo modo, aut timoratè, & non niſi probabilis interpretationis prætextu vix credebamus poſſe tranſgredi; poſtea ſereni & ſine tanta cauſa violamus. Deinde imitari debemus in Rechabitis non ſolùm conſtantiam rigoris, non ſolùm curam minimarum rerum, ſed vniuerſalem in omnibus rebus obedientiam, non obſeruando quædam & negligendo alia, ſed vniuerſa, tum magna, tum parua, & parua omnia. Sic Hieremias ipſos alloquitur: *Obediſtis præcepto Ionadab, patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa, quæ præcepit vobis.* Hac lege & fide obſeruandæ ſunt regulæ non per partes, ſed omnino; non aliquæ, ſed vniuerſæ; etenim ſunt plures, quæ nonnullis regulis fideliſſimi permanent, aliarum tamen parum, aut nihil curant; cùm tamen, licèt non eſſet omnium ſimilis neceſſitas, eadem omnibus debet eſſe reuerentia. Illud præſertim imitatione digniſſimum eſt quo pacto tamdiu perſtare potuerint, in viridi & florenti ſui inſtituti obſeruantia? nimirum conſtringendo ſe magis & rigidiùs interpretando regulas. Ionadab enim ſolùm iuſſit filios ne biberent vinum; ipſi autem ſic interpretati ſunt, vt nec vxores biberent, nec filiæ. Ionadab ſolùm ſcimus præcepiſſe illis ne vineam haberent; ipſi autem ſic intellexerunt, vt nec vllum alium agrum poſſiderent. Ionadab præcepit ne ſementem ſererent; illi autem nec vllam ſementem habuere voluerunt, occaſionem tranſgreſſionis vitantes. Hoc pacto interpretando omnia in fauorem regulæ, & declinando cauſas & pericula, fideles inſtituti obſeruatores perſtitere; tepidi autem contrarium prorſus facimus vertendo omnia & interpretando pro noſtro commodo. Quare meritò quidam dixit: Perfecta obedientia, eſt indiſcreta; lignum enim ſcientiæ boni & mali in Paradiſo erat cenſura diſcretionis in conuerſatione Religionis. Eua guſtauit ad perniciem ſuam de ligno vetito, edocta nimirum diſcernere à Dæmone interrogante, *cur præcepit vobis Deus vt de ligno non comederetis?* Si ad noſtrum iudicium attendamus, ſæpiſſimè non inueniemus cauſam præcepti; nam cauſa hæc ſola meritò inuenitur, vt exerceatur obedientia, neque alia fuit cauſa cur à Deo lex non edendi ex fructu illius arboris intimaretur. Nihil eſt quod magis neruos ſanctarum Religionum infringat, quàm hæc mitis & diſcreta interpretatio regularum, immo ſæpe nocet, etiam cùm rationabilis eſt, & ex cauſa, & prudenter fit; licèt in illa occaſione penè conſiderata laudabiliter omitteretur rigor legum, ianuam tamen aperire interpretamentis, priuatæque prudentiæ valde noxium eſt; non ita fecerunt Rechabitæ, qui ſuum animum & morem ſalutarem explicarunt in Pſalmo ſeptuageſimo, qui ab ipſis compoſitus dicitur, quemadmodum inſcriptio Pſalmi indicat: nam titulus eſt, *Filiorum Ionadab.* Ibi dicunt ſub perſona ſuæ religionis: *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* Non cognouerunt litteraturæ argutias, non humanam prudentiam, non ſe doctos iactabant, nec dignos interpretes ſanctiſſimarum conſtitutionum, ſed candidè & ſimpliciter tanquam paruuli obtemperabant omnibus; ſic meruerunt in hac miſeriarum valle viuere, tanquam qui iam fuerāt introducti in poteſtatum & virtutum cæleſtium ordines, angelicam in carne ducentes vitam, memores ſolùm Iuſtitiæ & ſanctitatis, huic vni ſui profectus & purificationis curæ ſtudentes, cæteris curis & negotiis relictis. Appoſitè alij legunt, *Quoniam non cognoui negotiationem.* Hæc fuit alia cauſa cur Rechabitæ conſtituta ſua exactè ſeruauerint; non ſe multis rebus implicabant, non nouerunt negotiationem; nec enim regulas obſeruare poteſt, qui iis rebus ſe immergit, vnde neceſſe eſt ipſas regulas irrumpere. Audiamus ex ſancto Gregorio Nazianzeno quod officium noſtrum ſit, quæ negotia tractare debeamus. Monaſterium, inquit, eſt cohors, quæ ſoli ſaluti ſtudet. Alij legunt, *Quoniam non cognoui numerum*, ſcilicet non partem, non numerum aliquem ſæcularium curarum, ſed omnes deponere debet qui omnes velit colere regulas, ſicut filij Ionadab, immo, vt ſic dixerim, qui velit ad infinita dilatari. Vnde ſanctus Bernadus dixit, ſubiectus huiuſmodi obedientiam, quæ finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem neſcit,

Lib. de Diſpen. & præcept.

terminis

Digitized by Google

terminis non arctatur, neque contenta anguſtiis profeſſionis largiori fertur voluntate in altitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, ſpontanea vigore liberalis alacriſque animi modum non conſiderans in Infinitatem extenditur. Denique admiranda eſt in Rechabitis reuerentia ſui inſtituti: rigidas enim illas leges Patris Ionadab, quæ conſtringere non poterant, nec vllam obligandi eos vim continebant, acceperunt tanquam mandata. Ideireo quæ conſilia tantùm erant, ipſi vocant præcepta, nec minus illa cuſtodiebant. *Obedientes*, inquiunt, *fuimus circa omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noſter.* Hoc idem præſtare debet legitimus Religioſus, conſilia Chriſti, & quidquid in conſtitutionibus religioſis ad ſalutem animæ ſtatuitur, ſic ſuſcipiat, ſic exequatur, ac ſi præceptum fuiſſet. Monaſticæ vitæ inſtitutum (ſanctus Baſilius ait) nihil aliud ſibi propoſitum habet, quàm animæ ſalutem, atque vt quidquid ad eum finem prodeſſe poteſt, tanquam Dei mandatum cum timore obſeruet. Eodem modo loquitur perfectiſſimus inſtituti ſui obſeruator ſanctus Bernardus, qui mandatum dicit illud conſilium quo perficitur Monachus. *Cùm videris*, ait, *Monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, ſuis deuotum prioribus, in moribus manſuetum, tacitum ad loquendum, aſſiduum ad ſilentium, in clauſtro attentè legentem, in Eccleſia ſuis vocibus Chriſtum cum omni deuotione laudantem, ſi non continuè, tamen quotidie lacrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, vbique proclinem, atque inclinatum, vbique verecundum, ore cælum pulſantem, ſemper ad Dominum corde clamantem, cultorem proximi, contemptorem ſui, cunctos diligentem, ſe ipſum obedientem, tunc dicere poteſt, Monachus iſte ſui creatoris ſeruat mandatum.*

Serm. de inſt. Monach.

Serm 9. in cœna Dom.

Myſtica ſignificatio Rechab & Ionadab, pro regularum obſeruantia.

CAPVT LXV.

HACTENVS produximus hiſtoriam filiorum Ionadab filij Rechab, nunc conſideremus myſterium, nec enim arcano caret ſenſu crebra mentio Rechab, cùm Ionadab Pater & fundator iſtorum religioſorum nominatur, nam penè importunè additur ſtatim *filius Rechab*. In vno ſolùm capite trigeſimo quinto Hieremiæ quinquies iteratur *Ionadab filius Rechab*, cùm ſemel adnotari ſatis eſſet. Præterea cur hæc ſancta familia inſtituta à Ionadab, non à Rechab, nuncupata fuit Rechabitarum, & non Ionadabitarum? forſaſſe in ipſis nominibus ſacramentum latet, quæ quia Diuus Auguſtinus, & alij Patres, obſeruarunt, nobis quoque conſiderare licebit. Rechab eques, vel aſcendens interpretatur, Ionadab ſpontaneus Domini, ſiue voluntariè offerens; meritò ergo qui adſtringunt ſe conſiliis vltra neceſſaria præcepta, aſcendentes & equites nuncupantur, quoniam aſcenſiones in corde ſuo diſponentes inſident & dominantur affectibus. Sunt nobiles animi qui ſuperiores corpori ipſum corpus gubernant, non à corpore opprimuntur. Hoc intereſt inter illum, qui ne prorumpat in vetita, indiget coercitione & mandato, & illum qui tam cupidè & placidè fertur per præcepta vt vltra aſcendat ad ſeruanda conſilia, quod ille comparatur equo, qui fræno præceptorum indigeat; iſte equiti, qui ſine labore viam mandatorum quaſi alienis percurrit pedibus, & ſublimior incedit. Obedientia, Humbertus ait, hominem à periculo conſeruat, ipſa quidem quaſi equus vadit: alieno enim ſenſui, & alienæ voluntati quaſi alienis pedibus innititur, ideo nec maculatur, nec læditur. Inquinatio enim & læſio imperantis eſt, & non obedientis; quare ſpontaneus obediens meritò comparatur equiti, & Dauid ait, *ſpiritu principali confirma me.* Ex Hebræo legunt aliqui *ſpiritu voluntario*, alij *ſpiritu equitis.* Hoc petiit, cùm poſtulauit renouari ſpiritu, & ab effreni equo, cùm præceptorum fræno non potuit coerceri, tranſire deprecatur in equitem, per abſolutam obedientiam etiam conſiliorum, & munditiam cordis, nimirum totius proprij velle. Ideo dixit, *Cor mundum crea in me Domine, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Etenim hæc munditia & caſtitas per obedientiã iſtam nobilem, & voluntariam fit, quam ſanctus Petrus vocauit obedientiam charitatis, cùm exhortatur caſtificari animas noſtras in obedientia charitatis. Quapropter meritò vocati ſunt filij Ionadab Rechabitæ, tanquam equites, & aſcenſores, vt qui ſponte ſua ſuper mandata ad conſilia aſcenderunt, atque vſque ad Sanctorum ſcientiam per voluntarium obſequium ſublimati ſunt. Audiamus iterum Humbertum: Obedientia hominem ſupra ſe leuat, leuabit ſe ſupra ſe, niſi corpus ſociatum eſſet ſpiritu, vt ſenſu eius & imperio regeretur; non aſcenderet ad hoc vt remunerationem æternam mereretur. Sic vir ſimplex per obedientiam aſcendit ad ſapientiam, & mores maiorum à quibus regitur, immo quodammodo ad Deum aſcendit, Deum ſe ipſum quodammodo exuit, & Deum induit. Cæterùm inueni Iacobum Boldnum opinantem Rechabitas & Ionadab filium Rechab non ſic dici ob carnalem filiationem, ſed ſpiritualem, quia Ionadab diſcipulus fuit Eliæ, & Eliſæi, qui honoris cauſa vocati ſunt Rechab Iſraël, id eſt, currus Iſraël, ita vt Rechabitæ ſint dicti quaſi quadrigæ, ſeu currus: nonne hinc ſignificabitur quo aſcendant obſeruantes regularum, vt ſcilicet ſine labore, ſine cura, tam placidè iter perfectionis peragant, ac hi, qui non pedibus, non equo, ſed quadrigis vehuntur, de quibus dicitur, *& quadriga tua ſaluatio.*

1. Petr 1.

Lib. 1 Eccleſ. cap. 12.

Aliqua bona, quæ ſequuntur obſeruantiam regularum.

CAPVT LXVI.

EX his, præcipuè ea doctrina Humberti, quatuor bona obſeruantis obedientiæ circa regulas colligere poſſumus. Primum eſt felicitas, vt regularis rigor diſciplinæ feratur; nam quod aliis ægrum eſt, ſuauiſſimum & delectabile fit obſeruanti Religioſo, qui liberali & planè regio animo in omnibus & per

omnia ſe tradit Deo, volontariis ſacrificiis; hic dilatatum cor habens viam mandatorum peruolat, & conſiliorum percurrit, & quaſi ſine labore vehitur. Rechab etiam hoc ſignificat ſuper vectus. Secundum bonum eſt, ſecuritas vitæ, nam gratia diuina locupletiſſimè adeſt, obſeruantibus iuſtitutum, in quo vocati ſunt. Varia ſunt in Eccleſia Dei genera gratiarum & ſpirituum, bona, & ſancta omnia; nihilominus, qui relicta propriæ religionis inſtitutione alium ſequitur ſpiritum, licèt bonus ſit, non valde ſecurè incedit, ſaltem non donabitur tot Dei fauoribus & gratiis. Quare S Bonauentura monuit. De reform. ment. cap. 8. Vide igitur de qua familia velis eſſe, vel cuius ſpiritus ſis, & ſecundùm hoc ſuſcipe onus tibi deputatum, id eſt, ſerua regulas, & vias, quibus ad perfectionem illius ſtatus valeas peruenire. Impoſſibile namque eſt quemquam aliquam artem plenè addiſcere, qui regulas eius non vult attendere, vel tenere, nec ſpiritualis fieri poterit, qui non vult ſpiritu ambulare. Accedit ſecura ſpes bonæ mortis & pignus perſeuerantiæ obſeruatoribus ſui inſtituti. S. Franciſcus, Deo id reuelante, promittebat fratribus ſuis neminem qui ſuam regulam obſeruaret, malè moriturum, prout refert Petrus Rodulphus libro ſecundo hiſtoriarum Seraphicæ Religionis. Tertium bonum eſt, quòd obſeruatur regularum non minùs prudens practicè euadat, licèt ſimplex & indoctus ſit, quàm ipſe author regularum & Religionis fundator. Quid eſt regula niſi ſapientiæ diuinæ ſententia, niſi inſpiratio patens, & quaſi quædam generalis reuelatio, atque vniuerſale oraculum voluntatis diuinæ; ideò qui ſecundùm regulam operatur, non aliter operatur, quàm ſi iuxta inſpirationem, & reuelationem diuinam ſingula opera faceret. Si Angelus deferret nobis de cælo in ſchedula aliqua ſcripta quòd Deus pro noſtra ſalute miſericorditer decreuiſſet fieri à nobis, nónne illam chartam ſuper caput noſtrum reuerenter poneremus, humiliter oſcularemur, diligenter cuſtodiremus in ſinu noſtro, imò in ipſis præcordiis vellemus recondere, ſeruaremúſque quidquid in ea præſcriptum fuiſſet. Idem cum noſtris regulis faciendum eſt, in quibus conſcripſit Deus quidquid pro noſtra ſalute & perfectione fieri oportebat, & in quibus eſt ſuccus, & quinta eſſentia perfectionis; nam ſi de regulis ſuis hoc dixerunt Iuriſperiti *ſuccum*, &, velut Alchymiſtæ loquuntur, *quintam eſſentiam* iuris in eis eſſe, potiori ratione regulis noſtris hoc conuenit, id certum per regulam Chriſtus æternos iudex nos eſt menſurus. Quartum bonum eſt vnio cum Deo, qui enim in minimis ſuam infringit, & viriliter tundit voluntatem, ex detrimento amoris proprij diuini emolumentum lucratur. Stabit itaque integer inſtituti ſui cultor in conſpectu Dei cunctis diebus iuxta Hieremiam, *& erit ſanctus Domino iuxta Zachariam, cum ſuper frenum equi iniecerit ornamenta conſiliorum.* Verè profectò filius Rechab, qui etiam interpretatur ephippium.

Anne, ſi obſeruatio humani inſtituti tam honorifica, & grata fuit Rechabitis, nobis ne infructuoſum erit ſeruare cœleſtem filij Dei doctrinam in noſtris conſtitutionibus commendatam. Meminerimus promiſſorum diuinorum ad cuſtodientes communia mandata, qui vltrà cuſtodiunt conſilia, quantam retributionem non reportabunt? Audiamus quid de timentibus ſolum Deum in obſeruatione ſuæ legis dicat Eccleſiaſticus: *Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani. Deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.* Et Dauid ait: *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Ex Hebræo legunt S Hieronymus, & alij, *Caſtra figit Angelus Domini circum eos, qui ipſum timent.* imò quia Angelus ibi nomen eſt ſpeciei, Latina phraſi debebat verti numero plurali, *caſtrametantur Angeli.* Et Ieſu filio Ioſedec, *Dixit Dominus, ſi in vijs meis ambulaueris, & cuſtodiam meam cuſtodieris, tu quoque iudicabis domum meam, & cuſtodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hîc aſſiſtunt,* hoc eſt, Angelos plures cuſtodes, ex his, qui aſſiſtunt Domino. Si iam paterna & liberalis prouidentia effunditur erga cuſtodientes mandata ex timore Dei, aut ex ſpe præmij, quid fiet cum obſeruantibus conſilia ex charitate & perfectione cuſtodientibus non ſolùm præcepta obligantia, ſed regulas liberas. Quare veriſſimum credo quod aliqui Doctores notant, Angelos cuſtodes diligentiùs aſſiſtere & ſeruare eos, qui regulas religionis obſeruent. Et quidem Heliſæum, qui vir religioſus erat, multis Angelorum cohortibus circumdatum & protectum vidit Giezi. 4. Reg. 4. Nónne hoc eſt, quod in Canticis dicitur: *Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum?* Cant. 7. Sulamitis perfectam ſignificat; quare anima religioſa perfectioni ſtudens multis Angelorum myriadibus protegitur. Quapropter ſi mediis Angelorum choris ita nos ſeruant regulæ, ſeruare illas debemos. Quòd ſi Salomon ſic voluit conſilia ſeruare, dicens, *Fili ſerua mandata mea, & viue; & legem meam quaſi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, ſcribe eam in tabulis cordis tui.* Prou. 7. Nos conſilia Chriſti in regulis noſtris commendata, pluſquam pupillam oculi, pluſquam ipſam animam noſtram ſeruare debemus.

Noſtrum officium eſt obſeruatio regularum, quas inſtar amuſſis actionum noſtrarum habere debemus.

CAPVT LXVII.

POST hæc omnia noſtrum officium, noſtra occupatio hæc eſt, obſeruare regulas. Breui S. Gregorius Nazianzenus officium Religioſi complexus dicit: *Quid eſt Monachus? Eſt, qui viuit & regula, & Deo.* Iambl. 15. Seruus Dei Frater Petrus Gomezius cùm propter graues corporis morbos, & nimios animi ſcrupulos diſpenſarent illi ſuperiores in omnibus regulis præter tria vota religioſa, noluit admittere hoc priuilegium, dicens, ſe nolle fraudari bono religioſi ſtatus, & vnico tot calamitatum ſolatio, ac blandimento, rigore ſcilicet obſeruantiæ integræ omnium regularum. Quis niſi delirans, honorifici ſtatus ſui æſtimationem non faciet? Nos illum ſtatum, quem poſt maturum conſilium, poſt multam præmeditationem, poſt vocationem

tionem diuinam elegimus, cur viuere iuxta illum, non præferemus omnibus mundi honoribus? Leges noſtri officij norma noſtri artificij regula eſt. Ergo ſi norma eximij architecti tanti ſit, vt nec vnguem diſcedere ab illa liceat, & quidquid contrà fiat deforme putatur. Regula cæli, regula morum; forma rectè viuendi cur minoris eſt facienda? Ipſe titulus regulæ ſatis ſe commendat, vt nihil niſi iuxta illam faciamus. Sabinus Iuriſconſultus dixit definiens regulam, quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt perdit officium ſuum. Quemadmodum in fabrica ſi praua eſt, regula prima, omnia mendoſè fieri, atque obſtipa neceſſe eſt. Similiter S. Chryſoſtomus ait: *Regula nec addi ſibi quidquam, nec demi ſuſtinet, alioquin hoc ipſo quod regula eſt amittit ac perdit.* De regula enim, quæ menſura recti eſt, poteſt dici, quod Ariſtoteles de menſura, eam eſſe primum quiddam in ſuo genere, & poſitam in indiuiſibili. Quare nec apex ea regulis prætereri debet; nec enim ſufficit ad perfectionem noſtram, ſi quaſdam regulas ſeruemus, aliàs non: cum ex omnium collectione conſtet integra regula noſtræ vitæ; quæ ſi in aliquo vitietur, perdet officium ſuum, & cætera omnia ſuper inartificioſum fundamentum ædificabuntur. Vitiatur autem regula cùm aut palàm contemnitur, aut conficta interpretatione eluditur. Vtroque modo effectu ſuo carebit. Sunt enim qui putent regulis ſatisfeciſſe, ſi eas ſibi accommodent, non autem ſe regulis. Quemadmodum Lesbij, qui plumbea regula vicores eam ſtructuræ accommodabant. Quanta veneratione regulas noſtræ religionis habere debeamus, docuit Hierocles Philoſophus, dicens: *Oportet leges patriæ tanquam Deos alteros obſeruare, ac ſeipſum perfectum reddere ſecundùm ipſarum præſcriptum. Si quis verò leges aut violare, aut innouare conabitur, hic omni ſtudio prohibendus eſt.*

Lib. 1. de reg. iur.

Homil. 22. in epiſt. ad Eph.

Regulas debemus habere tanquam actionum noſtrarum amuſſim, & perfectæ vitæ ſpeculum, ad quod crebrò reſpiciamus, vt ſecundùm illud exornemur legentes identidem illas. Sicut nobis ita præſcribitur: *Omnes obſeruationi conſtitutionum ſtudeant: ad quam, eaſdem ſcire, ſaltem quæ ad quemlibet pertinent, neceſſe eſt. Quare legere, vel audire eaſdem ſingulis menſibus oportebit.* Nam ſi Pythagoræ diſcipuli ſingulis diebus conſilia ſui magiſtri legebant, nos conſilia Chriſti ſingulis menſibus legere graue non debemus putare. Magna quoque cura fuit Spartanis ſuæ reipublicæ inſtituta docendi, & tantum honorem tribuerunt libro Dicæarchi Siculi Meſſanenſis de Politia Laconica, vt lege lata præceperint quotannis eum in curia Ephororum recitari publicè, auſcultantibus omnibus qui erant in ætate pubere. Quod diligentiſſimè obſeruatum fuit. In primo & antiquo conſtitutionum noſtrarum ſummario, non ſolùm volebant primi illi Patres noſtri priuatim legi conſtitutionum ſummas & regulas, ſed aliquis erat deputatus vt eas alios crebrò admoneret. In quinquageſima regula dicebatur: *In domibus & collegijs ſit aliquis ſemper qui ſingulis hebdomadibus, vel certè decimo quinto quoque die, hæc & ſimilia in memoriam omnibus redigat.* Certè non moleſta debet putari hæc memoria regularum, cùm quotidie deberemus in eis confirmari, & accipere dictum illud Deuteronomij, eruntque verba hæc,

Reg. 52. ſum.

Suidas.

Quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabo ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere dormiens atque conſurgens, & ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos; ſcribéſque ea in limine & oſtijs domus tuæ. Porrò lectio regularum ſincera & candida ſit cum noſtri deſiderio profectus, vt eodem intellectu eas accipiamus quo fuerunt ſcriptæ. Nam, vt rectè S. Odo in ſecundo ſuarum collationum libro notauit: *Sicut quædam verba tam in nouo, quàm in veteri Teſtamento reperiuntur, quæ hæretici malè intelligentes ad extruendum errorem ſuum retorquere niſi ſunt: ita & in ſancta regula fit, cùm per quædam eius verba renuitæ & tepidi eius fortitudines ſuas excuſare moliuntur.*

S. Odo.

Amor erga Religionem ſuadet regularum obſeruantiam.

CAPVT LXVIII.

VERVM præter vtilitatem priuatam ratio communis boni vrgere nos debet ad regulas exactè obſeruandas, amor quem erga matrem noſtram Religionem habemus, ad hoc compellat nos. Ne diſſipemus muniſſimum eius murum, qui eſt obſeruantia regularum, nec laceremus pretioſum ornamentum eius. Nónne capitaliter puniretur tanquam proditor, qui muros ſuæ patriæ euerteret, & ad id prouocaret alios? Quid nos aliud facimus cùm violamus regulas, quæ ſunt religionum mœnia, niſi murum noſtræ religionis diruere, & prauo exemplo prouocare ad idem fratres noſtros. Timeamus dictum Sapientis: *Qui diſſipat ſepe, mordit eum coluber.* In noſtrum damnum cedet noſtri detrimentum Ordinis, nec commodè cuſtodire nos poterit, ſi à nobis ipſis oppugnatur. Optimè S. Bernardus dixit: *Rogo vos fratres, & multum obſecro, ſic agite, & ſic ſtate in Domino, dilectiſſimi ſoliciti ſemper iuxta cuſtodiam Ordinis, vt Ordo cuſtodiat vos.* Decor ille primæuus noſtri Ordinis, feruor communis, vber illa ſanctorum hominum copia, admiranda illa apud omnes reuerentia, atque opinio, qua Societas noſtra commendabatur vbique, fructus fuit huius obſeruantiæ. Quam teſtis oculatus P. Martinus Olauius, ſic admiratur. Quamquam enim hæc fuerit, & ſit inſtitutoris noſtri mens, vt neminem ſuis conſtitutionibus ad peccatum vllum vel mortale, vel veniale obliget, ſed ad pœnam duntaxat; tamen obedientiæ ſtudium tantum eſt in omnibus, vt ſtuporem ſæpiſſimè mihi afferat, tam religioſè minimas quaſque regulas obſeruari. Seruemus igitur fortitudinem noſtræ religionis, ſeruemus pulchritudinem ſuam ſeruando regulas: ſic erit pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Caueamus ne cauſa noſtri aliquid defraudetur illi, occaſionem aliis præbendo laxius viuendi. Timeamus illud S. Bernardi in ſerm. 64. in Cantica: *Væ homini per quem ſcandalum venit. Qui ſcandalizauerit,* inquit, *vnum de his puſillis. Durum eſt quod ſequitur; quanto duriora meretur, qui tantam & tam ſanctam multitudinem ſcandalizat, iudicium*

Eccl. 10.

Epiſt. 32. ad fr. S. Anaſt.

In epiſt. apol. ad Scrib. apud Orlan. lib. 13. n. 52.

 prorſus

prorſus durisſimum portabit quicumque ille eſt. Quapropter prudentiſſimè cautum in noſtris conſtitutionibus, vbi regularum obſeruantia

Reg 51. ſum.

commendatur. *Aliquoties ſingulis annis omnes à ſuperiore pœnitentias ſibi iniungi propter defectum obſeruationis regularum petant, vt hac cum indicium ſit illius quam de ſuo profectu ſpirituali in via Domini quiſque habet.* Rectè præſcribitur poſtulari pœnitentias propter defectum regularum, quæ ad peccatum non obligant, vt ſi non propter culpam propriam, ſaltem propter ædificationem alienam fiantur: vt quos in minore obſeruantia parum boni exempli præbuimus, per pœnitentiam ædificemus, & damnum communitati religioſæ per relationem illatum obſeruantiores & pœnitentes emendemus. Audiamus quoque B. Petrum Damianum, qui ſicut S. Bernardus timore, ille nos pudore prouocat ad regularum obſeruantiam, & imitationem noſtrorum maiorum.

Opuſc. 13.

Pudeat vos, inquit, *ab illorum nobilitate fieri viuendo degeneres, qui facti eſtis habitaculo ſucceſſores. Abſit vt diuini obſequij cenſus, veſtro tempore videatur imminui, qui Deo ex huius loci redditu ſolebat ante perſolui. Non impar quippe penſum debitè muneris exigit, quò poſſeſſionem ſuam nouis agricolis antiqua cenſitam penſione locauit. Non ergo vos per ſpatioſæ vitæ latitudinem delectet incedere, qui iubemini per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam, intrare.*

Quàm pernicioſus poteſt eſſe neglectus regularum.

CAPVT LXIX.

HACTENVS blandè ſumus exhortati ad regularum obſeruantiam; nam cùm non ligent nos in conſcientia, non eſt vnde vrgere & atterrere poſſimus. Attamen ne ex hac ſecuritate periclitemur, inuenio vnde aliquid timoris adiicere poſſim, ſcilicet quamuis regulæ non conſtringant nos in conſcientia, nec ad mortale, nec veniale, nihilominus puto nunquam vltrò violari ſine peccato veniali, & aliquando etiam cum maiori; licèt enim ipſa tranſgreſſio regularum ex ſe venialis non ſit: attamen quia ex fine non bono, aut ex malo violantur ferè ſemper, earum violatio venialis eſt, ſaltem ex fine. Deinde cùm non ſeruantur ex negligentia, etiam eſt cum peccato veniali; cùm autem ex libidine veniale eſt, & aliquando poteſt mortale eſſe: ſi autem ex contemptu formali earum, quamuis res minima ſit, ſemper eſt mortiferum. Sic iudicauit S. Thomas. Nimirum circa eas regulas, quæ nec ad veniale obligant, tribus modis peccare poſſe venialiter, aut mortaliter in earum

2. 2. q. 186. art. 9.

tranſgreſſione. *Negligentia,* inquit, *aut libidine, aut contemptu.* Cæterùm per abſolutum earum contemptum, peccari mortaliter recepta eſt communis Theologorum ſententia, quam S. Bernardus olim habuit, & in libro de præcepto & diſpenſatione ſæpiùs inculcat. In cap. 11. dicit: *Humilis & veri obedientis eſſe, minima non contemnere, & maxima curare intimo quodam deuoti ſincerique animi ſapore.* Inter leuiora numerat riſum interdictum, & ſilentium indictum, de quibus ait: *Cùm tamen nec ſine offenſa negligi, nec contemni ſine crimine vel ipſa queant iniuncta ab his dumtaxat, quibus propriè dicitur: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, licèt namque ipſa per ſe iniuncti operis qualitas innoxia ſit, adiuncta tamen authoritatis pondus obnoxium mandato, mandatúmque peccato obnoxium facit, non magno tamen ſi contemptus defuerit.* Idem ſenſit S. Bonauent.

Lib. 2 Pharet.

Si lubente ſuperiore vt ſileam, verbum mihi fortè per obliuionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, ſed venialiter. Si ex contemptu ſciens & deliberans ſponte in verba prorumpo, & rupero ſilentium, præuaricatorem me cõſtituo, & criminaliter, & ſi impœnitens perſeuero vſque ad mortem, peccaui & damnabiliter. Audiamus quoque Ioannem Gerſonem:

Tom. 3 lib. de vita ſolit. ſect. 9.

Si religioſus contempſerit regulam ſuam, & ſui ſuperioris authoritatem etiam in his quæ appellamus monitoria, & pro quibus ſola ſtatuta ordinis diſciplina, aut ſuperiorum eſt arbitrio derelicta, ille peccat grauiter, qui & monitum contemnit, ait Bernardus, & remedium. Hæc Gerſon, qui etiam explicat, quando accidat contemptus, *Si paſſim,* inquit, *abſque prætenſo quolibet ignorantiæ, vel fragilitatis, vel impotentiæ velo, ſed pro ſua libidine tranſgrediendi quæ monita ſunt religioſus effrenis eſt, ad omnia velut vnus ex ſæcularibus, palàm eſt quod contemnit, præſertim ſi ſuper his ipſe addiderit pertinaciam, quæ recuſat diſciplinam.* Immò P. Suarez docet S. Thomam per

Tom 4 de Relig lib. 1. c. 4. n. 14.

contemptum, per quem dicit mortale eſſe non ſeruare regulas quæ alioqui non obligant, intellexiſſe ſolùm abſolutum propoſitum non ſeruandi illas, ſeu viuendi ita liberè ac ſi regulæ non eſſent; nam dixit: *Tunc aliquis tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit ſubiici regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra regulam. Sentit igitur,* ait P. Suarez, *hunc actum, nolo ſeruare regulam, eſſe peccatum mortale, & conſequenter teneri religioſum ex vi ſuæ profeſſionis ad habendum propoſitum ſeruandi ſuam regulam.* Magis timendum eſt quod multi Doctores tradunt conſuetudinem tranſgrediendi leges eſſe mortale, quamuis ſingularum tranſgreſſio mortale non ſit. Clariſſimè Dionyſ. Carthuſ. dixit:

De reform. clauſt. art. 6.

Quamuis autem multa contineantur in regulis, aut ſtatutis religioſorum, ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti, ita quòd ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo eorum fuerint negligentes, vt eſt obſeruatio ſilentij, ſurgere alacriter ad matutinas, otioſitatem vitare, inutiliter hinc & inde diſcurrere, atque ſimilia. Veruntamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare nec emendare, non poteſt à mortali excuſare peccato. Sunt alij qui hanc conſuetudinem dicunt eſſe contemptum interpretatiuum, & ideò mortalem, quos refert P. Thomas Sanchez, & ipſe fatetur mortalem

Lib. 2. pr. c. 5. n. 2. & lib. 6. c. 14. n. 18.

eſſe illam conſuetudinem, propter periculum contemptus, & ratione damni, quod Religioni infertur. Imò addit, etiamſi Religioſus vellet

Lib. 6. cap. 4. num. 19.

ſeruare aliquas præcipuas regulas, ſi nollet ſeruare alias, peccare mortaliter. Ratio eius eſt, quia ſolius vnius, vel alterius regulæ ex præcipuis non impediret grauem Religionis ruinam, grauéſque periculum ſpernendi regulas, & tranſgrediendi vota, & ideò tale propoſitum eſt mortale, quia licèt non teneatur Religioſus currere

num. 20.

ad perfectionem, tenetur tamen ſub mortali, ita

religio

Digitized by Google

religioſè viuere, vt non ſit notabiliter aliis ſcandalo & offenſioni, cauſaque ruinæ religionis, quòd non vtator habendo tantum propoſitum ſeruandi vnam, vel alteram ex præcipuis regulis. num.22. Tandem ait, *erit quoque mortale regulam tranſgredi, etiamſi ad nullam culpam obliget, quoties Religioſus ideo eam violat, vt impediat quantum in ſe eſt finem illius legis.* Timendum quoque eſt quod P. Vazquez dicit, frequentem tranſgreſſionem legis fieri mortalem, quæ aliàs ſemel, aut iterum non eſſet, quia qui frequenter omitteret, 1.2.q.96.diſput. 158. c.6. n.60. videtur notabiliter lædere finem legiſlatoris, in quo materia præcepti expendi debet, quod intelligit etiam ſi habeatur animus ſeruandi leges omnes, atque ideò tenebitur ſub mortali corrigere illis malam conſuetudinem; quod aliis ductus rationibus etiam concedit P. Thomas Sanchez. Non igitur tam minimi eſt non ſeruare minima & ſancita in regulis.

Claudo hanc de regularum obſeruantia tractationem iis verbis, quibus S. Cæſarius idipſum In Reg. ſanctimonialiũ. commendauit. *Quia*, inquit, *vos Angelis deſidero eſſe conſimiles, iterum atque iterum rogo, & per omnipotentem Deum vos conteſtor, vt nihil de ſancta regula inſtitutione minui permittatis, ſed totis viribus eam cuſtodire auxiliante Domino laboretis, ſcientes quoniam vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Et hoc ante omnia rogo, vt admonitionem noſtram non tranſitoriè accipiat ſanctitas veſtra; quia non ex noſtra præſumptione loquimur, ſed ſecundùm quod in Scripturis canonicis legitur, & antiquorum Patrum libris abundantiſſimè continetur, vos cum grandi affectu, & cum vera charitate ſalubriter admonemus, & quia legitis quòd, Qui vnum* Matth.5. *mandatum minimum neglexerit, minimus vocetur in regno cælorum. Nolite humilitatis veſtra verba, quaſi minima deſpicere, propter illud, quod ſcriptum eſt: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Et illud,* Luce 10. Eccleſ.19. *Qui ſpernit modica, paulatim defluit. Quomodo enim in quocumque carnali certamine tantum vnuſquiſque abiectior erit, quantum minor & infirmior perſona ſuperauerit, ita & in ſpirituali certamine in eum, qui negligens fuerit in minimis, implebitur illud, quod ſcriptum eſt: Qui* Iacob.2. *vniuerſam legem ſeruauerit, offendat autẽ in vno, factus eſt omnium reus. Hoc enim ego cum grandi non ſolùm timore, ſed etiam tremore cogitans dum paueſcit animus meus, ne vobis vel aliqua peccata minuta ſubrepant, non ſolùm admoneo, ſed ſupplico pariter, & conteſtor, & cum grãdi charitatis affectu adiuro, ſic in illam æternam beatitudinem, ad conſortium Angelorum, omniúmque Sanctorum, ſine confuſione venire ſimul, & cum ſancta Maria, & cum omnibus reliquis Virginibus coronas gloriæ accipere, & cæleſtem agnum ſequi vos fœliciter videre promerear, vt toto corde & toto animo mandata ſuperiùs comprehenſa ſtudeatis implere, per quæ ad æterna præmia poſſitis fœliciter peruenire.*

F I N I S.

QQq 3 INDEX

INDEX

Locorum ſacræ Scripturæ,quæ in hoc opere enucleantur.

Prior numerus paginam, poſterior eiuſdem paginæ columnam notat.

Ex veteri Teſtamento.

Ex Exodo.

Cap.8. VIAM *trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino.* 139.2

25. *Duos quoque Cherubin aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi,*&c. 306.1

Ex Leuitico.

1. S*I de auibus holocauſti oblatio fuerit Domino,*&c. 291.1

Veſiculam verò gutturis, & plumas proyciet prope altare ad Orientalem plagam in loco in quo cineres infundi ſolent. ibid.

Confringétque aſcellas eius,& non ſecabit,nec ferro diuidet eam. ibid.2

11. *Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis,polluta ſunt.* 451.1

19. *Ne oderis fratrem tuum, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper eo peccatum.* 189.2

Ex Deuterônomio.

7. C*Vm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram,*&c. 130.1

Ex Iob.

6. Q*Vi timent pruinam, irruet ſuper eos nix,*&c. 455.1

14. *Conſiderate ſemitas Thema, itinera Saba.* 462.1.& 467.2

23. *Veſtigia eius ſequutus eſt pes meus.* 202.2

28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* 285.2

40. *Stringit caudam quaſi cedrum.* 256.2

Ex libro Pſalmorum.

1. I*N cathedra peſtilentiæ,*&c. 313.2

17. *Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum.* 235.2

32. *Exultate iuſti in Domino.* 315.1

33. *Immittet Angelus Domini in circuitu tenentium eum,& eripiet eos.*490.2

41. *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi.* 263.1

50. *Cor mundum crea in me Deus,& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* 140.1

Spiritu principali confirma me. 489.2

65. *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum.* 279.1

140. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* 53.1

142. *In me turbatum eſt cor meum.* 269.1

Ex Prouerbiis.

6. V*Eniet tibi quaſi viator egeſtas.* 136.1

8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum,* &c. 285.1

25. *Inauris aurea,& margaritum fulgens, qui arguit ſapientem.* 192.1.199.2

27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris.* 416.2

28. *Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt, qui autem graditur ſapienter,ipſe ſaluabitur.* 473.1

Ex

Index locorum S.Scripturæ.

Ex Eccleſiaſte.

2. *Vidi, quòd tantum praecederet ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux è tenebris.* 286.2

Ex Canticis Canticorum.

1. *Nardus mea dedit odorem ſuum.* 2.1

2. *Capite nobis vulpes paruas, quæ demoliuntur vineas.* 331.2

4. *Auerte oculos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* 292.2

5. *Manus meæ diſtillauerunt myrrham,* &c. 250.1

Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo. 162.1

Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. 166.2

8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum,* &c. 44.2. & 63.2

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, &c. 46.2

Ex Sapientia.

7. *Sapientia omnium mater eſt, quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico.* 290.1

Ex Eccleſiaſtico.

3. *In omnibus oneribus tuis eſto velox.* 261.2

18. *Ante languorem adhibe medicinam,* &c. 414.1

19. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus amictus corporis,* &c. 382.1

21. *Qui odit conceptionem, veſtigium eſt peccatoris.* 199.1

33. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto, ne dederis maculam in gloria tua.* 321.2

Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet, &c. 443.2

37. *Fili in vita tua tenta animam tuam.* 97.1

38. *Fili mi tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.* 477.2

40. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus,* &c. 46.2

Ex Iſaia.

8. *Congregamini populi, & vincimini,* &c. 343.1

32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* 135.2

57. *Creaui fructum labiorum pacem,* &c. 421.1

63. *Ipſi ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum ſanctum.* 155.1

Ex Ieremia.

1. *Virgam vigilantem ego video.* 395.1

Ex Threnis.

3. *Scrutemur vias noſtras, & reuertamur ad Dominum.* 154.1

Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, &c. 329.1

4. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* 291.2

Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. 294.2

Ex Oſea.

14. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontaneè.* 318.2

Ex Zacharia.

3. *Si in vijs meis ambulaueris,* &c. *Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hîc aſſiſtunt.* 490.2

11. *O paſtor, & idolum,* &c. 294.2

23. *In die illa proteget Dominus habitatores Hieruſalem,* &c. 363.2

14. *In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino.* 485.2

Ex Malachia.

3. *Inuoluerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus.* 316.1

Ex Machabæis lib.2.

1. *Dat vobis cor omnibus, vt colatis eum,* &c. 318.1

Ex Nouo Teſtamento.

Ex Matthæo.

Cap.5. ESTOTE *ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* 21.1

12. *Excutite puluerem de pedibus veſtris.* 131.1

Index locorum S.Scripturæ.

Ex Luca.

9. TV autem vade, & annuntia regnum Dei. 30.2

Ex Ioanne.

7. Si quis ſitit, veniat ad me. 250.2

Ex Epiſtola Pauli ad Rom.

6. SIcut enim exhibuiſtis membra veſtra, &c. 153.1
11. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ. 139.1

Ad Corinthios II.

9. VNuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo. 151.1

Ad Galatas.

1. QVi volunt conuertere Euangelium Chriſti. 265.2
6. Opus ſuum probet vnuſquiſque. 97.1

Ad Epheſios.

5. VIdete fratres, quomodo cautè ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. 329.2

Ad I. Timotheum.

1. Lex iuſto non eſt poſita. 6.1

Ad Hebræos.

6. INtermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectiora feramur. 13.1

Ex Epiſtola I. S.Petri.

4. SI quis loquitur, quaſi ſermones Dei. 312.1

Ex Apocalypſi.

6. ET vidi, & ecce equus albus, &c. 66.2
21. Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, &c. 347.2

F I N I S.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

A.

Abbas.

ABBAS Antonij Abbatis diſcipulus. col.180.pag.2

Abſtinentia.

Abſtinentia etiã cum ſæcularibus & hoſpitibus ſeruanda. 382.2

Acedia.

Vide *Tepiditas.*
Acediæ genera duo. 107.2
ἀχρώτιος ἰσότητος 474.2

Actio.

Actiones noſtras comitari debet Chriſti Domini memoria,vt bene accidant. 64.1
Ægidius Gonzales. 86.1.& 410.2

Ægritudo.

in Ægritudine quo pacto haberi debeamus, ex doctrina Dauid. 483.1

Ægrotans.

Ægrotantes non debent deſpicere ſtatum & laborem ſuum 477.2
Quæ virtutes exercendæ ægrotantibus. 478.2
Patientia infirmis neceſſaria. 480.1
Patientiæ ſoror mortificatio,quæ etiam ægrotantibus neceſſaria, vtilis & opportuna. ibid.2
Humilitas etiam ægrotantium virtus eſt. ibid.
Admonitio ſalutaris ex regula Baſilij pro ægrotantibus,& medicinæ vſu. 481.1
vtiles Ægrotantibus conſiderationes,maximè ex Guigone Carthuſiano. 483.5
De cura & charitate ægrotantium. 484.1

Ægrotus.

Poſt infirmitatem quid ægroto curandum. ibid.

Affectibus.

Affectus erga cognatos moderandus. 175.2
Affectu naturali quomodo vtendum, ex D.Aelredo. 185.1
Agnes Imperatrix. 335.1
Alexander Macedo. ibid.

Alienum.

Aliena facta non ſunt iudicanda, nec inquirenda,ex Rikelio. 197.1
Alphonſus Carrillos. 66.1
Alphonſus de Caſtro. 86.1
Alphonſus Rodericus. 66.1

Amicitia.

Amicitiæ particulares reprobantur. 434.1
Amicitiæ particulares eliminandæ,quæ. 435.1

Amicus.

Amicus religioſus quis. 436.1

Amictus.

Amictus ratio. 384.1.& ſeq.
Amonius Monachus. 217.1
B.Anachoreta Marcus. ibid.
Andreas Ouiedus. 86.1.245.1.& 251.1

Angelus.

Angelos cuſtodes noſtrorum fratrum, quomodo reuereri præſentes debeamus. 311.2

Anima.

Animarum zelus. 31.2.& 44.1
Quomodo ſuperet aliarum virtutum actus, abſtinentias, aſperitates, pœnitentias. 32.1
Animarum ſolicitudo in Epiſcopis, omnibus aliis religioſæ vitæ virtutibus anteponitur. 33.2
Animæ mederi præſtantius, quàm cadauera turſus ad vitam excitare. 34.2
Animarum ſalutem iuuare, excedit incomparabiliter eleemoſynam. 35.1
Animas conuertendi ſtudium, non ſolùm cæterarum virtutum opera, ſed alia charitatis opera,etiam ſpiritualia,excedit. ibid.2
Animarum zelo nihil Deo gratiùs. 36.2
in Animarum ſalute occupari docendo, & prædicando, ſummus religioſæ vitæ gradus. 38.2
& perfectius, quàm vita merè contemplatiua. ibid.
Animarum zelo viam ſalutis docentes, iuuantéſque proximos, præfulgentiſſima aureola inter cæteros Sanctos,& Angelos emicabunt in gloria. 41.1
Quàm liberalis gratiarum,& ſpiritualium bonorum ſit Deus erga eos, qui iuuant Animarum ſalutem. 46.1
Animarum zelus virtus inæſtimabilis, propter dignitatem & excellentiam animæ. ibid.2
Anima quàm inæſtimabilis, poſtquam pro ea ſanguis Chriſti eſt effuſus. 47.2
Animarum zelus quàm vtilis propriæ ſaluti, & prædeſtinationis ſignum. 49.1
in Animarum ſalute procuranda ſtrenuè laborandum, ad imitationem primorum Patrum. 50.2
Vide *Oratio.*
In Animarum ſalute occupatis maius orationis ſtudium neceſſarium,& cur. 55.1
In procuranda Animarum ſalute iugis decet oratio viros Apoſtolicos. 63.1
pro Animarum ſalute pati quàm glorioſum. 73.2

Digitized by Google

Index Rerum,

Animarum ſaluti incumbentibus neceſſarius quoque rigor. 85.2
Circa animarum zelum quæ examinanda. 102.1
Optimum ferculum animæ, verbum audire Dei,& bene maſticare. 339 2

Animus.

Animi vis,amor eſt. 324.1
Anna à S.Bartholomæo,ſocia Thereſiæ. 401.2 & 412 1.& 485.1

Apoſtolicus.

Apoſtolici viri,equi diuinæ gloriæ. 66 1
Apoſtolicis viris quanta obedientia,abnegatio & humilitas neceſſaria. 69
Patientia quant. 72 2

Aquila.

Aquila donum contemplationis promittit humilibus. 246.1

Aſperitas.

Vide 84.1
Aſtus dæmonis,vide *Dæmon.*
Attende tibi, ex Abbate B. Iſaia, & Antiocho Monacho. 451.2
Auaritia,vide *Philargyria.*

Auis.

per Aues ſcientia figuratur. 291.1

Aurum.

Auri proprietas charitati, & vitæ feruidæ Apoſtolicorum virorum congruit. 43.1
Aurum charitatis nota. 309.2

Auſteritas.

Auſteritates cum vita communi compoſitæ. 80.1
Societatis IESV regula circa auſteritates. 88.2
Vide *Pœnitentia.*

B.

Baculus.

BAculus nuceus,pro virga vigilante. 406 1
D.Baſilius. 328.1

Benedictio.

Benedictio menſæ quantum conferat. 379 2

Beneficium.

De minimis beneficiis grati debemus eſſe Deo. 258 1

S. Bernardus.

S.Bernardi dictum ex perſona cuiuſdam Monachi ad parentes ſuos. 184.2
Monachum ſe fugitiuum potius fore, quàm Epiſcopum aiebat. 227.1

Bonum.

Bona fortiter exequenda. 151.2

C.

Cain.

CAin profugus & vagus. 2.1

Calamitas.

Calamitates nobis ſunt adiumento ad obſequenda mandata Dei. 480.2

Caput.

Capitis cura. 386.2

Caro.

Caro debeat ſpiritui ſubiici.proponitur prudentia S.Syncleticæ. 475.2
Quæ regulæ tenendæ circa carnis macerationem. 476.1

Caſtitas.

Vide 363.2
Caſtitate, & mortificatione voluptatum iucundior vita agitur. 346.1
Caſtitatem tanquam cœleſte donum detulit Chriſtus Ieſus de cœlo ad terram,vt redderet homines Angelos. ibid.
Caſtitas pares Angelis homines reddit. 364.1
Caſtitatis excellentia. ibid 2
Caſtitas quomodo excedat ſuo merito naturæ Angelicæ puritatem. 366.1
Caſtitas prædeſtinationis ſignum. 367.1
Caſtitas & ſanctitas corporis,& charitas animæ. 369 1
Caſtitas ſine charitate,eſt lampas ſine oleo Bernardo. ibid.
Caſtitas quanta cordis puritate ſeruanda. 370.1
Cuſtodia ſenſuum, & exterioris hominis ad caſtitatem ſeruandam. 371.1
Caſtitas mortificatione, & macerationibus carnis iuuanda. 376.2
Caſtitati conſeruandæ moderatio cibi prodeſt. 377.2
Caſtitati,& aliis bonis animæ & corporis,quantum conferat deuota benedictio menſæ. 379 2
Cœleſtes voluptates guſtant, qui per caſtitatem contemnunt terrenas. 381.1

Caſtus.

Caſti ſingulari priuilegio ſeruantur à multis Angelis. 366.1
Celebratio,vide *Euchariſtia.*

Cenodoxia.

Cenodoxiæ genera duo. 107.1

Charitas.

Charitas virtutum radix. 2.1
Radix ſanctæ vitæ, à cuius commendatione præcipuè Monachorum inſtitutiones ſumunt exordium. ibid.
Radici nardi comparata. 2.1
Charitatis pondus. ibid.
Charitatis officium quod. 2.2
Charitatis grauitas. 3.1
Pinguedo,& ſuauitas. 3.2
Charitas quàm compendioſa. 4.5
Charitas breuis,cur. ibid.2
Charitas per patientiam, & laborem corporis animæ pulchritudinem auget. 5.1
Charitas fragilis. 5 2 & ſeq.
Charitatis lex & regula iuſtorum maxima, quæ cæterarum legum onus excludit. 6.1
Charitas omnia aſpera læuigat. 7 2
Charitatis priuilegium. 8.1
Charitas perfectionis vinculum. 9.2
Quomodo finis & medium præſtantiſſimum totius acquirendæ perfectionis. 10.1
Sententia B.Laurentij Iuſtiniani de charitatis lege. 11.2
Exhortatio ad charitatem religioſæ vitæ neceſſariam, ex B.Petro Damiano. 12.1
in Charitate quomodo fit perfectio vitæ ſpiritualis. 14.1

Chari

Charitas vndique limpida. 43.2
Charitas quantum opitulettur ſcientiæ. 289.1
Charitas per aurum denotatur. 309.2
Charitas quomodo per verba dirimatur, ex S Bernardo. 412.2
Ex regula S.Pachomij,Baſilij, & aliis Monachalibus. 423.2
Charitas membrorom Chriſti vinculum. 432.1
Pro gratuita charitate fraterna pronuntiata Guigonis Carthuſiani. 437.2
Charitatis fraternæ exemplum etiam in defuncto. 439.2
Charitas fraterna erga aduenas quoque & hoſpites exhibenda. 440.1

Chriſtus Dom.

Quomodo ſe geſſit cum ſua ſanctiſſima matre, vt nos doceret deponere patuum cognationis affectum. 178.1
Chriſtus loco parentum, & rerum omnium habendus eſt,ex Petro Damiano. 186.1
Chriſtus quomodo non tantùm oſtendit nobis viam ſalutis,ſed ipſe factus eſt via. 204.1

Cibus.

Cibus,de oratione. 275.1

Clauus.

Clauus clauo expellitur. 339.2

Coadiutor.

ad Coadiutorem temporalem quæ pertineant. 303.2
Coadiutores fratres quomodo communitatis concordiam iuuare poſſunt in ſuorum munerum adminiſtratione. 438.1

Cognatus.

Cognatorum affectus deponendus eſt, exemplo Leuitarum. 175.2
Cognatorum tenera affectio in nouo Teſtamento diſtrictiùs teprobatur. 176.2
Cognati quibus ex cauſis vitandi à viris ſpiritualibus. 179 1
Cognati quàm periculoſi Religioſis,experientia docuit. 180.2

Cognitio.

Cognitio ſui quam debent habere humiles. 241.1

Colloquium.

Colloquia inutilia circumſcribenda ſunt,ex Antiocho Laurenſi. 449 2
Comes Gerardus. 335.1

Communio.

Vide *Euchariſtia.*
Communio ſacra. 110.2
Ad ſacram communionem præparatio, ex B.Franciſco Borgia. 123.2
Poſt communionem quid agendum. 124.2
Cuncordia,vide *Vnio.*

Confeſſarius.

Confeſſatius non variandus. 94.2

Confeſſio.

per Confeſſionem conſcientia maximè purificanda. 92.1
Confeſſio, examen conſcientiæ, & communio corporis Dominici à S. Ignatio commendantur. ibid.2
Confeſſionis vſus generalis. 93.1
fructus. ibid.
Confeſſio cum amaritudine fiat, & dolore animi atque afflictione carnis. ibid.2
Confeſſione generali renouandæ ad ſtata tempora vires ſpirituales. 94.1
Inſtituta religioſa pro confeſſionis frequentia. 95.1
Vtilia documenta S.Bonauenturæ circa confeſſionem Religioſorum. 96.1

Confuſio.

Confuſio ſui quam debent habere humiles. 241.1
Confuſionis propriæ exercitium,ex B.Franciſco Borgia. ibid.2

Conſanguineus.

cum Conſanguineis quomodo ſancti ſe geſſerint. 180.2
Tunc vtiliſſimus Religioſus ſuis cognatis, cùm eorum obliuiſcitur. 181.1
De laqueis & impedimentis quæ obiiciunt cognati viris ſpiritualibus,ſententia S.Gregorij. 183

Conſcientia.

Conſcientiæ purificandæ ratio habenda. 92.1
Conſcientia purificanda, maximè per confeſſionem. ibid.
Conſcientia examinanda. 96.2
Conſcientiæ ſcrutandæ vſus commendatur,maximè teſtimoniis Scripturæ. ibid.
Conſcientiæ diligens ſcrutinium ſuadetur authoritate Patrum. 97.2
Conſcientiæ examinis commendatio,ex Thoma de Kempis. 98.1
Conſcientiæ examinandæ vtilitas ratione demonſtratur. 99.1
Conſcientiæ ſcrutinium particulare. 105.2
Conſcientiæ ratio Patri ſpirituali reddenda. 414.1
Superiori, & Patri ſpirituali tanquam optimo animæ Medico aperienda eſt conſcientia. ibid.
Vt rectè gubernetur, neceſſe eſt patefacere Superiori conſcientiam propriam. 415.1
Conſcientia ſeriò, & ea animo manifeſtanda Superiori. 416.2
Quàm gratum ſit Deo manifeſtare conſcientiam Superiori, & Patri ſpirituali. 417.1
Praxis manifeſtandæ conſcientiæ,ex S. Dorotheo. 418.1
Humilitas neceſſaria manifeſtandæ conſcientiam alteri. ibid 2
Tunc maximè, cùm tentatio inſtat, manifeſtanda conſcientia Medico ſpirituali. 419.2
Conſenſus,vide *Pax.*

Conſilium.

Conſilium ab aliis expetendum, ex Antiocho Laurenſi. 477.1

Conſuetudo.

Vide 329.1
Vires conſuetudinis ad facilitatem operandi. ibid.
Conſueta relinquere difficile eſt. ibid.
Prauæ conſuetudinis damna plurima. 330.1
Prauæ conſuetudines violenter exſcindendæ ſunt, & contrario rerum bonarum vſu excludendæ. ibid.2

Bonæ conſuetudinis bonum. ibid.

Contemtus.

Contemnere,& peccare ex contemptu differunt. 25.1

Nihil contemnendum, quantumuis exiguum videatur. 255.1

Contentio.

Contentiones vitandæ, ex Antiocho Monacho. 426.1

Continentia,vide *Caſtitas.*

Conuerſatio.

Conuerſationis religioſæ documenta P. Baſilij. 386.1

Cooperatio.

Cooperatio gratiæ. 325.2

Cooperandum diligentiſſimè Dei gratiæ. ibid.

Cor.

Cor quibus rebus nouari, & reformari debeat. 141.2

Cordis religioſi quanta puritas procuranda, ad exemplum habitantium in ciuitate Dauid. 110.1

Corpus.

Corporis recreatio. 149.1.2

cura. 473.1

Correctio.

Vide *Correptio.*

Correctio fraterna. 186.2

Debent maximè viri ſpirituales monere ſe viciſſim cum charitate,& iuuare in profectu perfectionis. ibid.

Quàm conſentanea ſit doctrinæ Sanctorum Regula Societatis circa correctionem fraternam, & deferendos defectus ad Superiorem. 190.1

Aliquot Scholaſticorum dicta. 191.1

Correptio.

Correptionis vſus priſcis Patribus vſitatus. 188.1

Peculiaris cauſa in Societate I E S V huius correptionis fraternæ, & delationis paternæ. 193.1

Correptio,& delatio,qua charitate, humilitate, & aliis virtutibus facienda. 195.1

Qualiter delatus debeat ferre correptionem, & ex ea proficere. 199.1

Crates Thebanus. 354.1

Culpa.

Vide *Defectus.*

Culpæ veniales quo ſenſu ſint peccata in Spiritum ſanctum, & quam periculoſum ſit eas contemnere. 159.2

Quàm fœditatem operentur in anima. 162.2

Culpæ leuiſſimæ cuique rigidè puniendæ. 174.2

Cupidus.

Cupidi multis,pauci paucis contenti. 339.2

Cura.

Cura rerum exiguarum. 250.1

De minimis magnopere curandum ad conſequendam perfectionem. ibid.

D.

Dæmon.

DÆmonis aſtus tentantis ſeruos Dei per res exiguas. 331.2

Dæmon cur tanti faciat noſtros minimos defectus. 332.2

Dæmon non niſi in minima vult comprehendere,& cur. 333.1

Peſſimus dæmonis aſtus eum leues noſtras culpas ſuadet. ibid.2

Contra Dæmonis artes ea quæ minima ſunt, magnopere curanda. 334.1

Fraus Dæmonis vitia quo virtutibus perſuadentis. 335.1

Dæmonum illuſiones. 340.1

Darius Perſarum Rex. 182.1

Defectus.

Defectus etiam minimi euitandi. 256.1

Delatio.

Delatio paterna. 186.2

Quæ delicta non ſolùm poſſint, ſed debeant deferri. 194.2

Vide *Correctio.*

Deſiderium.

Deſideria pia ſeruiendi Deo inflammanda. 143.1

Detractio.

Detractionis verba euitanda. 147.2

Deuotio.

Deuotio vera ex bonis operibus oſtenditur. 32

Deuotio perſeuerantiam iuuat. 138.2

Deus.

Deus quomodo ex toto corde, totáque anima diligendus ſit. 1.2

Dei præſentia. 306.1

Qui aſſiduam Dei præſentiam habet,Angelis comparatur. ibid.

Quantum iuuet Dei præſentia puritatem animæ. 307.1

Obſtat defectibus & peccatis Dei præſentia. ibid.2

De vtilitate habendi Deum præſentem aduersùs omnia vitia, ſententia Ambroſij. 308.2

Omnium virtutum perfectionem promouet Dei præſentia. 309.1

Aliæ conſiderationes circa præſentiam Dei. 310.1

Deo animosè inſeruiendum. 421.1

Quàm vtile hoc exercitium habendi Deum præſentem in Superioribus. 463.2

Diabolus.

Diabolus omnibus bonis inimicus. 331.2

Saluberrima S. Vincentij Ferrerij monita ad laqueos diaboli cauendum. 341.1

Didacus Martinez 65.2.& 86.1

Didacus Sotus. 86.2

Dilectio.

Dilectionis fortitudo cum morte collata. 44.2

Diligentia.

Diligentia commendatur. 258.2

Multis Dei promiſſis, & minis tenentur diligentiſſimè agere res diuini obſequij. ibid.

Diligentia bonæ fortunæ mater. 259.1

Diligentia Deo gratiſſima. 264.2

Diſcretio.

Diſcretio rerum non niſi vera humilitate conquiritur. 281.2

Dimaridus & indeuotus erit,qui vana libenter audit,& quærit. 339.2

Doctrina.

Doctrina.

Doctrinæ quantum virtus opituletur. 289.2
Domine quid in S.Scriptura. 131.2

Dulcedo.

Dulci cibo ille paſcitur, qui ſacris verbis delectatur. 339.2.

E.

B. ELeazarus. 170.1

Eleemoſyna.

Eleemoſynæ laus. 35.1

Equus.

Equi diuinæ gloriæ, de viris Apoſtolicis. 66.1

Euchariſtia.

Vide *Communio.*
Euchariſtiæ ſumptio frequentanda. 110.2
Euchariſtia quotidie celebranda. 111.2
Quotidianæ celebrationis vſus ex reuelatione facta B.Alano confirmatur. 112.2
Qua puritate, & intentione Sacerdotes celebrare debent. 118
ad Euchariſtiam accedentes quæ damna ſequantur, ex Io.Mauburno. 119.2
ad Euchariſtiam præparatio. 121.2
Humiles, puri, & magno amoris æſtu ardentes ſuſcepturi ſimus corpus Chriſti. ibid.
Reuerentia debita Chriſto in Euchariſtia. 125

Examen.

Examinis ratio & ordo. 100.2.& ſeq.
Examinanda media quibus iuuare poſſumus proximos. 103.1
Quæ pertineant ad examen fratrum coadiutorum temporalium. ibid.2
Boni examinis optima methodus in executione ad ipſum realem emendationem defectuum. 104.2

Excellentia.

Excellentia qua operari debemus. 321.2

Exercitium.

Exercitiorum ſpiritualium ordo. 315.2
Exercitiis ſpiritualibus ſtata tempora decernenda. 327.1
Fructus ordinatæ vitæ, & diſtributi temporis ad exercitia ſpiritualia. 328.1

Exiguum.

Exiguæ obſeruantiæ maioris momenti ſunt, quàm credantur. 251.2
Exigua etſi nihil referre videantur, non propterea ſunt contemnenda. 335.2

F.

FAcies. 388.2

Familiaritas.

Familiaritas ſæcularium poteſt obſtare vnioni religioſæ. 436.1
Familiaritas fœminarum, vide *Fœmina.*
P Ferdinandus. 173.2
eius viſio. ibid.
P.Ferdinandus Monroy. 65.2

Feruor.

Feruor ſpe cœleſti recreandus, tepor extinguendus. 470.2
Vide *Zelus.*

Fœmina.

de Fœminarum familiaritate vitanda, ſententia Iſidori Peluſiotæ. 372.2
De congreſſu fœminarum fugiendo conſtitutio S.Baſilij. 373.1
Extra domum egrediendi modus. 374.1
cum Fœminis vbi ſermo nectitur, teſtes requiruntur. ibid.2

Fornicatio.

Fornicationis genera tria. 107.2

Fragilitas.

ad Fragilitatem propriam cognoſcendam conſiderationes aliquot, ex Thoma Malleolo. 243.1
Franciſcus Borgia. 65.2
P.Franciſcus Onufrius. ibid.
P.Franciſcus de Villanoua. 409.2

Frater.

Fratrum imperfectiones & infirmitates miſericordiæ tolerandæ, & iuuandæ. 433.1
pro Fratrum gratuita charitate pronuntiata Guigonis Carthuſiani. 437.2

G.

P. GAbriel Coronel. 409.1
Gabriel Logronius. 86.2
Gaſpar Pereira. ibid.1

Gaſtrimargia.

Gaſtrimargiæ genera duo. 107.2

Gedeon.

Gedeonis panis, vide *Panis.*
S.Gerardus. 170.1

Geſtus.

Geſtus ac motus modeſtiæ. 390.2

Gloria diuina.

Gloriam diuinam vnicè quærere, quàm arduum, glorioſum & vtile. 67.1
Gloria diuina quanta animi magnitudine quærenda. ibid.2
Gloria Dei quàm fideliter quærenda. 70.2
Res diuinæ gloriæ quàm velociter peragenda. 71.2
Pro Dei gloria pati glorioſiſſimum. 73.2

Vana Gloria.

De damnata vanæ gloriæ ſententia S.Paſchaſij. 295.1
P.Gonzalus Cardoſius. 409.1
P.Gonzales de Lyra. 65.2

Gratia.

Gratiæ cooperatio, vide *Cooperatio.*
Gratiarum actio. 379.2

Gula.

Gula ieiunio refrenatur. 339.2
Gundiſaluus Marinus. 245.1

H.

Habitus.

HAbituum malorum purgatio. 129.2
S.Hieronymus. 170.1

Homo.

Homo quare ad imaginem Dei factus. 47.1,2
Hominis forma prudentiam humilitatis deſignat. 246.1
Hominis interioris cura quomodo habenda. 370.2

Honor.

Honores fugiendi. 218.1
Spirituales homines fugiunt videri hominibus illuſtres. 218.1

Honores contemnendi, & dignitates fugiendæ propter imitationem filij Dei. 219.1
Secundò, quia Deus ſolus dignus eſt honore. 220.1
Tertiò, quia nos indigni vllo honore ſumus, imò omni humiliatione, contemptu, & irriſione digniſſimi. ibid.
Honores vitæ huius declinandi, ne futuræ præmium defraudent. 221.1
Honoribus & dignitatibus quanta pericula immineant. 222.1
Honores mutant mores. ibid.
Honores cur declinandi, rationes aliæ. 223.1
Quomodo ij qui volunt honorari, humilientur. ibid.
De fugiendis præſidendi muneribus reuelatio euidam ſanctæ animæ facta. 224.1
Honores, & Prælaturæ non, niſi cogat obedientia, admitti oportet. 225.1
Quiſque ſibi in humilitate attendere debet, ex B. Iſaia Abbate. ibid.
Non ſolùm honos refugiendus, ſed humilitas amplexanda. 226.1
Honos omnis ſpnendus. ibid.
Honori proprio quomodo & quando proſpiciendum. 228.1

Hoſtis.

Hoſtis beneficio placatur. 339.2

Humiliatio.

Vide *Honor.*
Humiliationis amor ex Gelaco commendatur. 226.1
Exempla contemnentium honorem humanum. 227.1

Humilis.

Humiles gaudent humiliatos eſſe. 244.1
Humilium magnanimitas, ex Getlaco Dauentrienſi. 249.1

Humilitas.

Vide 237.2
Humilitas perſeuerantiæ præſidium. 136.2
Humilitas ſecura, optima fidei baſis, & reliquarum virtutum theſaurus. 232.2
Humilitas Angelica virtus. ibid.
Humilitatis virtutem Dominus maieſtatis è cœlo detulit, & docuit primus. 238.1
Humilitas neceſſaria ſaluti, & cœlo conſequendo, cœleſtis virtus meritò dicitur. 239.1
Humilitas gratiſſima Deo eſt, & honoratiſſima virtus. 240.1
Confuſio, & cognitio ſui quam debent habere humiles. 241.1
Humilitas virtus fortis, patiens, prudens, contemplatiua. 245.1
Humilitatis eſt honorare Deum, & homines, hiſque ſubmitti libenter. 246.2
Humiliari & ſubiici qualiter hominibus debemus. 247.2
Humilitas gradus varij. 248
Humilitatis commendatio. 325.1
Humilitatis occupatio aduersùs otioſitatem commendatur. 446.1
Vide *Confuſio, Cognitio ſui, Fragilitas, Homo.*

I.

Iactantia, vide *Cenodoxia.*

Ieiunium.

Ieiunij cauſæ tres, ex S. Thoma. 86.1

Ieſus Chriſtus.

Ieſus Chriſtus quomodo rationem habuerit vitæ communis. 77.1
Eius victus & potus. ibid.
Veſtitus. 78.1
P. Ignatius. 50.2

Ignauia.

Ignauiæ damna, & defectus feruoris in vita ſpirituali. 263.1

Ignauus.

Ignauus & negligens. 263.1

Ignis.

Ignis pro pœna in Scriptura. 167.2

Ignorantia.

Ignorantia inexcuſabilis quæ, ex Philippo Abbate. 289.2

Illuſio.

Illuſiones dæmonum, vide *Dæmon.*

Imitatio.

Imitatio Chriſti Domini. 201.1
Imitatio Chriſti fuit ex præcipuis cauſis incarnandi filij Dei. ibid.
Imitatio vitæ & virtutum filij Dei commendatur. 202.1
Imitatio Chriſti multis, & aptis ſimilitudinibus in Scriptura commendatur. ibid.
ad Imitationem Chriſti moueri debemus ex dignitate perſonæ diuinæ. ibid.2
Ex ingentibus laboribus & cruciatibus, quos paſſus eſt filius Dei, vt ipſum imitaremur, moueri tenemur exemplum eius ſequi. 203.2
Imitatio Iesv, via vera, & viua. 204.2
Tria officia Chriſti Domini, & quomodo per illa tenemur ad illius imitationem, vt eius doctrinam & paſſionem vberius participemus. 205.1
In quibus potiſſimum rebus imitari oportet Chriſtum Dominum. 206.1
Imitationem Chriſti quanti anima deuota facere debeat. 207.1
de Imitatione Iesv, S. Bonauenturæ ſententia. 208.1
Tres Societates Iesv, vt Chriſtum imitemur, ex B. Angela de Fulgino:
1. Summa paupertas. ibid.2
2. Voluntarius contemptus & abnegatio ſui ipſius. 211.1
3. Summus & continuus dolor. 212.1

Imperfectio.

Imperfectio fratrum, vide *Frater.*

Impudicus.

Contra impudicos ſententia S. Odonis Cluniacenſis. 368.1

Inceſſus.

Inceſſus modeſtia. 390.1

Infirmus.

De cura & charitate erga infirmos. 484.1

Ingreſſus.

Vide 385.2

Innocen

Innocentia.

Innocentia per cinnamomum immaculatum ſignificatur. 430.1

Inops.

Inops eſt omnis menſa, pane carens, & ſale. 339.2

Inſpiratio.

Inſpirationes diuinæ. 318.2
An peccatum iis non reſpondere. ibid.

Intellectus.

Intellectus tribus rebus renouari, ſeu reformari debet. 140.1

Intentio.

Intentionis puritas. 291.2
Quàm pulchram reddat animam. ibid.
Simplicis intentionis puritas Deo grata. 293.1
Intentio pura omnia Deo gratiſſima fuit. ibid.
Deformitas & damna ex defectu bonæ intentionis. 244.1
De damni impuræ intentionis, & vanæ gloriæ, ſententia S.Paſchaſij. 295.1
De damnis deprauatæ intentionis, doctrina S.Baſilij. 296.1
Quæ requirantur ad puram intentionem habendam. 297.1
Intentio perfectiſſima ſolum Deum per ſe ipſum reſpicit, & amat. 298.2
Intentio pura qualis, ex D. Chryſoſtomo docetur. 300.1
De puritate intentionis, & amoris Dei, quæ ſenſerit Bernardus. 301.2
Puriſſimæ intentionis qualitates ſeptem. 302.2

Ioannes Abbas. 66 1
Ioannes Romanus. 86 2
Ioannes Ruicius. ibid.1
Ioannes Sebaſtianus. ibid 2
P.Io.Trexus. 231.1
Ionadab, vide *Rechab.*

Ira.

Iræ genera duo. 197.2
Ira ſilentio compeſcitur. 339.2

Iudicium.

Iudicanda non ſunt, nec inquirenda facta aliena, ex Rikelio. 197.1
Iudicare quando liceat. 198.2

Iuratio.

Iuratio à Chriſto prohibita. ibid.1

Iuſtus.

Iuſtis quomodo non ſit lex poſita. 6.1.& 7.2. & 8.2.& 9.2
Iuſtus per charitatem tranſcendit leges, in fine ipſarum legum conſtitutus. 10.1

L.

Labia.

Labia nec nimis compreſſa, nec nimium diducta. 388.1

Labor.

Labores cum vita communi compoſiti. 81.1
Labor maximorum bonorum cauſa. 445.1
Labor manuum aduersùs otioſitatem commendatur. 446.1

Ambroſius proprios libros quos dictabat, propria manu ſcribebat. ibid.1
Hieronymus ſemper aut ſcribebat aliquid, aut docebat. ibid.

Lazarus.

Lazari hiſtoria. 169.2

Lectio ſpiritualis.

Lectio ſpiritualis commendatur. 447.1
Lectio ſpiritualis quomodo cum fructu habenda ſit, ex deuoto Gerardo. 448.2

Lex.

Lex quomodo iuſtis non poſita. 6.1.& 7.2.& 8.2. & 9.2
Lex ſeruorum Dei mortificatio. 230 1
Legis iuſtiſſimæ conditiones mortificationi congruunt. 231.1
Lex charitatis, vide *Charitas.*

Liberalitas.

Liberaliſſimè cum Deo agendum in honore diuino ſolicitando, & gloria æterna generosè poſtulanda. 319.2

Libertas.

Libertas captiuitas, & obedientia vera libertas. 345.1
Libertas quid, ex Tullio. 345.2

Lingua.

Linguæ modeſtia. 391.1
Linguæ laquei. 394.1
Lingua placabilis, lignum vitæ. 394 1
Lingua vnitatem ſpiritûs violat. 425.1

Litera.

Literæ nec mittendæ, nec recipiendæ ſine ſuperiorum facultate. 408.1

Locutio.

Locutionis modeſtia. 387.2 & 391.2. ex S.Bonauentura.
Quo pacto cum ſæcularibus loquendum. 392.2

Lucerna.

Lucerna, de præcepto. 405.1
Ludouicus à Poore. 65 2

M.

Magdalena.

Magdalenæ hiſtoria. 138 2

Magnanimitas.

Magnanimitas ſpiritualis. 318.1
Magno animo ſeruiendum Deo. ibid.

Manna.

Manna, de perfectione. 15.1

Manſuetudo.

Manſuetudo etiam Religioſis neceſſaria. 429.2

Manus.

Vide 389.2

B.Martinus.

B.Martinus laudatur, qui pro quiete habuit mutationem laboris. 328.2

Meditatio.

Meditatio confeſſionem præeat. 93.1
Melchior Nonius Barreta. 227.1

Membrum.

Membra quibus peccauimus, potiſſimum reformanda. 150.1

Mens.

Mens.

Mentis noſtræ renouatio. 140.1.& ſeqq.

Menſa.

Menſa cui panes propoſitionis impoſiti, eos denotat qui iuuant proximos. 42.1

Menſæ benedictio, vide *Benedictio.*

Michaël Gouierno. 227.2

D.Michaël Turrianus. 86.2. 181.1

Minimum.

Minimæ ſunt occaſiones maximarum. 254.1

Quælibet minimæ mortificationes non prætereundæ. 257.2

Minimorum cura magnifacienda. 258.2

Miſericordia.

Miſericordiæ ſpiritualis opera quanta ſint. 32.2

Miſericordia operibus Religionis præponitur. 35.1

Quàm neceſſaria ſit ſeruis Dei, maximè operariis vineæ Domini. 281.1

Modeſtia.

Quatuor potiſſimis rebus modeſtiæ ratio habenda. 383.2

Modeſtiæ leges S.Ignatij. 385.2.& ſeqq.

Monachus.

Monachi etymon. 28.2

Monachus naturæ violentia. 232.2

Monaſterium.

Monaſterium quid, ex Gregorio Nazianzeno. 488.2

Morbus.

In Morbis quomodo geri debeat. 477.2

Mors.

Mortis conditiones. 231.& ſeqq.

Mortificatio.

Mortificatio quantum iuuet perfectionis conſequutionem. 28 2

Mortificatio quàm neceſſaria iis, qui cum peccatoribus agunt, vt eos conuertant. 44 2

Mortificatio. 133.1. & 229.1

Eius modi. ibid.& ſeq.

Eius conditiones quatuor, quibus morti ſimilis eſt. ibid.

Mortificatio lex ſeruorum Dei. 230.1

Mortificationi iuſtiſſimæ legis conditiones congruunt. 231.1

Quomodo debeamus Chriſto pro nobis mortuo mortificationis tributum. 242.1

Mortificatio Religioſorum officium. ibid.2

Mortificatio omnium malorum remedium, bonorúmque cauſa. 233.2

Mortificationis, & omnimodæ abnegationis perfectio, ex dialogis S.Catharinæ Senenſis. 234.1

Mortificatio ad vnionem neceſſaria. 429.1

Per mortificationem, & maximè humilitatem cedimus, moréinque gerimus aliis. 429.2

Mortificatio ægrotantibus etiam neceſſaria. 48.2

Mulier.

Mulier quid, ex S. Ephrem, & S. Ambroſio. 375.2

Vide *Fœmina. Vxor.*

Multiloquium.

Multiloquio vnitas ſpiritûs violatur. 425.1

Munus Apoſt.

Munus Apoſtolicum quod. 30 1

N.

NArdus. 2.1.& ſeqq.

Negligens.

Vilitas Religioſi negligentis. 264.1

Miſera inſipientia negligentium. 265.2

Miſera & vilis hypocriſis negligentis Religioſi. 267.1

Negligentium aliæ miſeriæ. 267.2

Negligentes quàm intrinſecam patiantur miſeriam. 268.2

Vide *Religioſus.*

Negligentium miſera cœcitas. 270.2

Miſera nuditas & imbecillitas. 271.2

Negligentium miſeria, cum fœlicitate diligentium Religioſorum confertur. 272.1

Negligentia.

Negligentia quàm exoſa & maledicta in diuino obſequio. 259 2

Negligentiæ cauſa eſt defectus orationis quotidianæ, quæ alimentum eſt ſpiritus feruentis. 273.2

Negotium.

Negotia inutilia & ſæcularia vitanda. 449.2

Nemo.

Nemo perfectè contentatur, niſi ſummo bono plenè fruatur. 339.2

Nonnius Barretus. 245.1

Numerus.

Numerus centenarius perfectionem; quadragenarius, quatuor Euangeliorum, & Decalogi completionem; quaternarius quatuor principalium virtutum exercitationem indicat. 350.1

O.

OBtemperantia, vide *Obedientia.*

Obediens.

vnus Obediens inſtar cadaueris nullum à ſe motum habere debet. 396.2

Obediens mortuo, non ægrotanti ſimilis eſto. 397.1

S.Paulus cæcus formam obediendi exhibuit, ex ſententia Bernardi circa obedientiam. ibid.2

Obedientia.

Obedientia. 395.1

Obedientiæ veræ quanta libertas ſit. 345.1

Libertas captiuitas, & obedientia vera libertas, dicebat Franc.Villanoua. ibid.

Prælatis etiam malis obtemperandum. ibid.

Obedientia cæca à Patribus commendata. 397.2

Dicta S.Baſilij, quæ ſimplicitatem cæcæ obedientiæ commendant. 399 1

Aliorum Patrum ſententiæ, quibus commendatur ſimplicitas ſanctorum obedientium. ibid.2

Obedientiæ ſimplicitas quàm ſit Deo acceptabilis, multis hiſtoriis oſtenditur. 400.2

Obedientia cæca Deum merè reſpicit. 402.1

Quanta ſit prudentia ſimplicis obedientiæ optima ſemper facientis. 405.1

Obedientia cæteras virtutes, & magna bona conciliat. ibid.2

Obedientia baculo nuceo comparata. 406.2
Obedientia quàm ſeuera priſcis fuit. 408.1
Qua conſtantia & fortitudine obediendum ſit. 409.1
Obedientia conſtantiam denotat natura ligni nucei. ibid.
Celeriter obediendum. ibid.2
Superioribus non replicandum, ex B.Theodoro Studita. 411.2
Non ſolùm Deo & Superioribus obediendum, ſed cuiuſuis hominis voluntatem potius, quàm noſtram implendam. ibid.2
Salutaria monita, & praxis obedientiæ, ex S.Bonauentura. 412.2

Occupatio.

Occupationum etiam laudabilium multitudo impedire profectum poterit. 452.2

Oculus.

Oculorum cura. 387.2

Odium.

Odium amore necatur. 339.2
S.Onuphrius. 111.1

Operarius.

Operarij Euangelici conditiones. 66.1
Operariorum Euangelicorum eximia paupertas & humilitas, ad exemplum S.Pauli. 359.2

Opera bona.

Vera deuotio ex bonis operibus oſtenditur. 3.2
Operum bonorum renouatio. 149.1
Operum, ſeu corporis reformatio. ibid.
Opera bona hilariter facienda. 150.2
facienda iugiter. 152.1
Operibus bonis Deo cupidiſſimè placere debemus. 153.1
De ſerutinio intentionis, & operum noſtrorum, doctrina Gaifridi. 154.1
Opera eximia Deo offerenda ſunt. 279.1
Opera magna & perfecta pro Deo efficienda. 320.2
Excellenter operandum, non ſolùm quoad ſubſtantiam operum, ſed quoad circumſtantias. 321.2
Quomodo iuuandi ſumus fide ad bene operandum. 322.1
Cum qua electione, & diſcretione operandum. 323.1
Omnium operum modus commendandus, ſi hilari, prompto & læto animo fiant. ibid.2
Cum conſtanti ſpiritûs feruore exactè ſemper operandum. 324.1
Humilitas ad bene operandum commendatur ex Hildeberto, & S.Odone. 325.1
Bonorum operum tepore vnitas ſpiritûs violatur. ibid.

Oratio.

Oratio quantum iuuet conſecutionem perfectionis. 18.1
Neceſſaria operariis Euangelicis. 53.2
ex Oratione actio zeli ſancti promanare debet. ibid.
Orare ij plus tenentur, qui plus exteriùs occupantur pro ſalute animarum. 54
Orationis maius ſtudium neceſſarium iis, qui in ſalute animarum occupantur, & cur. 55.1
Orationis ſtudium omnibus commendatur. 56.2
Commendatur ex aliquibus Patribus. ibid.2
Eximium documentum vt orationi nos tradamus. 57.1
Oratio comparatur aromatibus. ibid.2
Orationis valor auro comparatus. 58.1
Orationis ſtudioſus, altare aureum. ibid.2
Orationes noſtras Angeli & Chriſtus Deo Patri repræſentant. 59.2
Oratio. ibid.2
Thymiamati comparatur. ibid.
Orationis ſtudium illuminat. 60.1
Cœleſtia guſtare, ſpiritualibúſque aſſueſcere nos facit. ibid.2
Orandi exercitium neceſſitates ſpirituales exigunt. 61.1
Eximiũ orationis priuilegium, coniungere nos Deo. 62.1
Orandi modi quatuor ex Apoſtolo Paulo. ibid.2
Iugis oratio decet Apoſtolicos viros, & occupatos in procuranda ſalute animarum. 63.1
Orationes iaculatoriæ frequentandæ. 64.2
Orandum longiùs manè & nocte, atque ſtatis diebus. 65.1
Exempla virorum valde occupatorum, qui largiter orationi vacarunt. ibid.2
Oratio perſeuerantiam alit. 138.2
Oratio pabulum animæ dicta à S. Hieronymo. ibid.
Cum alimento confertur à Chryſoſtomo. ibid.
Oratio per cibum ſignificatur. 275.1
Orationis aliæ conditiones. ibid.
Diſpoſitiones ad orationem, vt diligentiam & feruorem excitet. 276.2
Orationi congruum tempus impendendum. 326.2

Ordo.

Ordo rerum omnium pacet, & præſidium. 329.1

Os.

Oris renouatio. 544.2

Otium, & Otioſitas.

Otium labore fugatur. 339.2
Otij damna. 443.2
Quàm ignominioſa res ſit Religioſis otium. ibid.
Otioſitas eſt cauſa maximorum malorum, ſicut labor bonorum. 445.1
Inter præſidia aduersùs otioſitatem commendantur occupationes humilitatis, & labor manuum, ex Dauide de Auguſta, & Gerardo Zutphanienſi. 446.2

P.

Panis.

PAnis Gedeonis gladius dictus, & cur. 316.2

Parua.

in Paruis rebus ſolet latere maxima virtus, quæ aut perfectionem iuuet, aut impediat. 253.1
Non minus ſolent ſpiritum affligere paruæ immortificationes, quàm magnæ. 254.2
Parua rerum implicatio multæ pacis eſt acquiſitio. 339.2

Paſſio.

Pati pro gloria Dei, & animarum ſalute, glorioſiſſimum. 73.2

Patientia.

Patientia S.Stephani. 5.1
Patientiæ exemplum in S.Paulo. 75.1
Patientia comes perſeuerantiæ. 137.2
S.Paolinus. 227.1
Paulus Anachoreta. 66.1

S.Paulus.

S.Paulus cur noluerit accipere alimenta, ſed gratis miniſtrauit Euangelia. 361.2

Pauper.

Pauper quis. 344.2
Pauperum ſpiritu ſecuritas quanta. 348.2

Paupertas.

Vide 347.2
Paupertas cum vita communi compoſita. 83.1
Paupertas Religionum murus. ibid.
de Paupertatis valle ſententia Guillielmi Pariſienſis. 349.2
Paupertas ſpiritûs quàm ſublimis, & pretioſa, cauſaque omnium virtutum. 350.1
Paupertas quid, ex S.Syncletica. ibid.2
Paupertas ſpiritûs quàm locuples ſit. 351.3
Paupertas quid Apuleio. 352.1
Paupertas voluntaria quàm diues cœleſtibus diuitiis. ibid.2
Paupertatis duodecim vtilitates iuxta numerum gemmarum muri cœleſtis Hieruſalem. 353.1
ad Paupertatem exhortatio, ex Goffrido Abbate. 355.2
Paupertatem quibus rebus obſeruare oporteat. 356.2
Paupertatis ſpiritus quomodo retineri debet, ex Philotheo, ſeu Rogerio Londinenſi. 357.2
Paupertatis obſeruatio, quibus modis violetur, ex Humberto. 358.2
Paupertas commendatur, ex regula S. Cæſarij. 359.2
Paupertas conueniens operariis Euangelicis. ibid.
Eximia paupertas & humilitas Euangelicorum operariorum ad exemplum S. Pauli, ibid.

Pax.

Pax cordis patientia acquiritur. 339.2
Pax conſenſu conuerſationis ſeruanda. 421.1
Pax & conſenſus cordium pendet, ex conſenſu verborum. ibid.

Peccator.

Peccatores coarguuntur ob leuitatem. 2.1
Nunc arundo, nunc ſtipulæ, nunc paleæ, nunc fœnum, nunc puluis reputatur. ibid.
Leuiſſimi ſunt, & tanquam nihil habentur ſine charitatis pondere. ibid.
Amittunt verum ac ſolidum eſſe, quoniam non amant illud quod verè eſt, & eſt quod eſt. ibid.
Peccantium venialiter corpora dæmones occupant. 170.2

Peccatum.

Peccatorum venialium expurgatio. 128.1
Peccati reliquiæ, earúmque purgatio. 130.1
Peccata venialia vincula. 132.2
Peccata venialia vti contriſtent Spiritum ſanctum. 154.2
Quomodo lætitiam animæ auferant, & in plura mala inducant. ibid.
Quo pacto contriſtent Sanctos, & ſpiritus Angelicos. 156.1
Quomodo Spiritum ſanctum. 157.1
Quantum impediant fructum Sacramentorum. 158.1
Peccata contra Spiritum ſanctum, quæ. 159.2
Quæ potiſſimum peccata Spiritum ſanctum contriſtent. 161.1
Peccata venialia Spiritui ſancto valde obſtant, & impediunt intimam vnionem cum Deo. ibid.2
per Peccata venialia quomodo Deus elongatur ab anima. 163.2
Peccata venialia inducunt immortalia, reſeratis quinque mortis ianuis. 164.1
Peccata venialia quàm timenda, quoniam ipſa poſſunt tranſire in mortalia. ibid.2
Peccatum nullum adeò veniale quod non fiat criminale dum placet. Auguſt. 165
Peccatorum venialium alij affectus noxij. 166.1
Peccatorum venialium pœnæ. 167.1
Peccati venialis malitia ex pœnæ ſuæ grauitate colligenda. ibid.
Propter peccatum veniale pœna mortis inflicta. 168.1
Peccata venialia miſerandis morbis, & grauiſſimis aliis ſupplicis puniuntur. 169.2
Peccatorum venialium ſupplicia grauiora ex ſubtractione diuini auxilij. 171.2
Peccata venialia quantis in Purgatorio pœnis expientur. 172.1
Vide *Culpa*.

Perfectio.

Perfectio, eiúſque deſiderium & conatus. 13.1
Perfectionis ſpiritualis ſtudium commendatur. ibid.
Perfectio quid, & quanta eius excellentia. ibid.2
Perfectionem conſequendi modus, & procedendi ad tantum bonum. ibid.
Perfectio vitæ ſpiritualis quomodo ſit in charitate. 14.1
Omnis concupiſcendi rationes ex ingenio, natura, & gratia in deſiderium perfectionis confluunt. ibid.2
Perfectio per res omnium concupiſcibiles, & deſiderandas, nempe per theſaurum, per manna, per regnum cœlorum ſignificata. ibid.
Regnum cœlorum perfectio dicitur. 15.1
Super omnia mundi bona deſideranda perfectio, ipſiúſque deſiderium maximi faciendum. ibid.
Perfectionis nomen theſaurus abſconditus in agro. ibid.
Deſiderium perfectionis deſiderabile. ibid.2
Perfectionis ſuauitas, quæ in rebus minutis conſiſtit. 16.1
Perfectionem contemnentium pœna. ibid.2
Perfectio, quæ regnum Dei, quomodo excedat mundi regna. ibid.
ad Perfectionem quot deſideriis currendum. 17.2
Perfectionis conſecutio quantum iuuetur ab oratione. 18.1
Quantum à mortificatione. ibid.2
Perfectionis theſaurus. 19
Manna. ibid.

Regnum

Regnum cœlorum. ibid.
Aura tenuis. ibid.
Mortificatio ignis. ibid.
Perfectionis vehemens & efficax deſiderium, an remittat pœnas peccatorum, inſtar ſecundi Baptiſmatis. ibid.
ad Perfectionem procurandam Religioſorum obligatio. 21.1
Dicta aliquorum Patrum, & Doctorum myſticorum, Scholaſticorum, atque Moralium circa obligationem Religioſi tendendi ad perfectionem. ibid.2
Ratio Patrum, cur Religioſi teneantur ad curam perfectionis. 23.8
Aliorum ratio, cur teneatur Religioſus conari ad perfectionem. ibid.2
Religioſus non tendens ad perfectionem, ſimulator & mendax, & hypocrita eſt. ibid.
Ex multorum ſententia Religioſus tenetur tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue. 24.2
Nonnulli cenſent teneri Religioſum tendere ad perfectionem, ne obfirmet animum contra Spiritus ſancti inſpirationes. 25.1
Sic tenetur Religioſus tendere ad perfectionem, vt ſi contemnat illum, peccet mortaliter. ibid.
Aliæ rationes. 26.1
Certiora ex omnium ſententia circa obligationem Religioſorum perfectionis procurandæ. ibid.2
Religioſorum negligenter viuentium, & ad perfectionem non tendentium vita quàm periculoſa, ex Rikelio. 28.2
Perfectio Religioſorum Mendicantium circa animarum ſalutem. 30.2
Perfectio vitæ mixtæ. 44.1
Perfectio quæ maior in hac vita, vnio & contemplatio paſſiua, an actiua. 54.2
ad Perfectionem quomodo pertineat vita communis in Chriſto & Apoſtolis. 78

Perſeuerantia.

Perſeuerantiæ præſidium. 136.2
Comes. 137.2
Perſeuerantiam alit oratio. 138.1
Perſeuerantiam deuotio iuuat. ibid.2

Pes.

Pedes animæ, de affectibus. 17.2 & 131.1
Pes animæ affectus. 67.2
Pedes, de affectibus, qui animæ pedes ſunt. 235.2
Petrus Rodericus. 86.2
S Petri hiſtoria. 133.1
Petrus Paulus Aceuedus. 245.1
Philippus Nerius. 181.1

Platea.

Platea, de latitudine præſentis vitæ. 295.2

Pœna.

Pœnarum peccatis debitarum purgatio. 129.1

Pœnitentia.

Vide 84.1. & 473.1
Pœnitentiarum, & auſteritatum laus, vtilitas, neceſſitas. 84.1
Pœnitentiæ potiſſimum neceſſariæ iis, qui ſalutem animarum quærunt, & vitam mixtam agunt. ibid.2
de Pœnitentiis & auſteritatibus non præſumendum 86.2

Pœnitentiarum tepiditas nullius prætextu regulæ excuſanda. 88.1.& ſeq.
Quæ prudentia neceſſaria pœnitentiis corporalibus. 473.1
Quid circa pœnitentias præſcripſerint Patres, Doctores, atque conſtitutiones noſtræ. 474.1

Præceptum.

Præceptum per lucernam ſignificatum. 405.1
Prælatura, vide *Honos.*

Prælatus.

Prælati, inſtrumenta Dei, per quos nos dirigit & prouidet. 395.1

Præmium.

Præmij expectatione qui Deo ſeruiunt. 298.1
Præſentia Dei, vide *Deus.*

Prodigalitas.

Prodigalitatis vitium. 319.1

Profeſſio.

Profeſſio religioſa quæ. 218.1

Propinquus.

de Propinquorum congreſſibus vitandis, doctrina S. Baſilij. 182.1

Proximus.

Proximus quomodo miſericorditer iuuandus. 5.2
Proximum iuuandi ſtudium omnes virtutes morales, & præſtantiſſima virtutis Religionis opera ſuperat. 32.2
Contemplationem excedit. 33.1
Præſtantius eſt, quàm martyrium, conſideratum ſecundùm propriam virtutis ſpeciem. 34.1
Excedit omnem gratiam miraculorum. ibid. 2
Proximos iuuare quomodo S Paulus, & alij Sancti omnibus rebus prætulerint. 36.2
Proximos iuuantes, per menſam cui panes propoſitionis impoſiti, denotantur. 42.1
Proximos quibus mediis iuuare poſſimus examinandum. 103.1

Prudentia.

Prudentia diſcreta. 281.1
Pudicitia, vide *Caſtitas.*

Purgatorium.

in Purgatorio quàm terribiliter peccata leuia puniantur. 171.2

R.

Rechab, & Ionadab.

Rechab & Ionadab myſtica ſignificatio pro regularium obſeruantia. 489.1

Rechabitæ.

Rechabitarum hiſtoria. 486.1
Rechabitarum conſtantia, ſimplicitas, & reuerentia erga ſuum inſtitutum. 488.1

Refectio.

Refectio inſipida, ſi deſit ſacra lectio. 339.2

Regnum cœlorum.

Regnum cœlorum, de perfectione. 15.1 & 16.2
Regnum cœlorum, cor ſanctum, pacatum & perfectum. ibid.

Regula.

Regulæ minutiſſimæ obſeruandæ, exemplo Rechabita

eh.hitatum. .485 a
Aliqua bona quæ ſequuntur obſeruantiam regularum. 498.a
Noſtrum officium eſt obſeruatio regularum, quas inſtar amuſſis actionum noſtrarum habere debemus. 490.2
Regularum lectio ſincera ſit,& candida. 491.1
Regularum obſeruantiam ſuadet amor erga Religionem. ibid.2
Regularum neglectus quàm poteſt eſſe pernicioſus. 492.1

Religio.

Religiones Mendicantium quàm perfectè imitentur Chriſtum in procuranda ſalute animarum; & quanti hoc ſtudium fecerit Dominus. 30.2
Religionis virtus atque præſtantia. 32.2

Religioſus.

Religioſi quomodo teneantur contendere ad perfectionem. 21.1
Dicta aliquorum Patrum, & Doctorum myſticorū,Scholaſticorum, atque Moralium circa obligationem Religioſi tendendi ad perfectionem. ibid a
Ratio Patrum,cur Religioſi teneantur ad perfectionis curam. 23.1
Aliorum ratio, cur teneatur Religioſus conari ad perfectionem. ibid.2
Religioſus non tendens ad perfectionem, ſimulator & mendax, & hypocrita eſt. ibid.
Ex multorum ſententia Religioſus tenetur tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue. 24 2
Religioſum teneri tendere ad perfectionem, ne obfirmet animum contra Spiritus ſancti inſpirationes,nonnullorum opinio. 25.1
Religioſus ſic tenetur tendere ad perfectionem, vt ſi contemnat illum, peccet mortaliter. ibid.
Aliæ rationes. 26.1
Certiora ex omnium ſententia circa obligationem Religioſorum procurandæ perfectionis. ibid.2
Religioſus qualis ſit,ex S. Climacho. 27
Religioſorum negligenter viuentium, & ad perfectionem non tendentium vita quàm periculoſa,ex Rikelio. 28 2
Religioſorum confeſſio. 96.1
Religioſi examen latiſſimè patet. 100.1
Religioſus quàm porus eſſe debeat. 110.2
Religioſi quam obligationem ſe inuicem admonendi habeant. 189.1
Religioſorum officium mortificatio. 232 2
Religioſus negligens. 264.1
eius vilitas. ibid.
Religioſi negligentis miſera & vilis hypocriſis. 267.1
Religioſi negligentes deterioris conditionis fiunt,quàm ſæculares. 269.2
Religioſorum ſermo qualis ſit. 316.2
Religioſus quo pacto in menſa geri debeat. 381
Religioſis manſuetudo etiam neceſſaria. 429.2
Religioſis quo pacto miniſtrandum, & laborandum. 446.2
Religioſi,qui propter tepiditatem periculum vocationis ſubeunt. 459.1
Religioſi tepidi quomodo errent à via ſalutis. 462.2
Religioſi negligentes,& imperfecti non tantùm hominibus deteſtabiles,ſed & Angelis odioſi. 470.2

Renouatio.

Renouatio ſpiritus,vide *Spiritus.*
in Renouatione quæ potiſſimè purganda. 130.2
Vide *Intellectus.*

Res ſpirituales.

Rebus ſpiritualibus congruum tempus impendendum. 326.2
Vide *Exercitium ſpirituale.*

Reuelatio.

Reuelatio facta cuidam ſanctæ animæ de fugiendis præſidendi muneribus. 224.1

Riſus.

Vide 385.5
Riſus dolore caſſatur. 339.2

Ruga.

Rugæ in fronte, & communiter in naſo euitentur. 388.1

S.

Saba.

Saba, rete, ſiue laqueus. 462,1. & 467.2

Sacerdos.

Sacerdotes qua puritate, & intentione celebrare debent. 118.1

Sacerdotium

Sacerdotij excellentiæ. 513.a

Sæcularis.

Sæcularium familiaritas poteſt obſtare vnioni religioſæ. 436.5
Cum ſæcularibus quo pacto agendum,ex Antiocho Monacho. ibid.
Salus,vide *Anima.*

Samſon.

Samſonis hiſtoria. 133.8

Sanctus.

Sanctus,de Sacerdote. 813.1

Sapientia.

Sapientia,de perfectione. 18.1
Sapientiæ virtutis æſtimatio. 285.1
Sapientia quatenus vera virtus, eſt omnibus rebus anteponenda. ibid.
De vera & falſa ſapientia nonnulla ax S. Brigitta. 288 1
Sapientia duplex, vna diuina, altera humana. 473.1

Sapphirus.

Sapphirus,pro cœleſtium ſpe. 297.1

Saturitas.

Saturitatis germana proles,petulantia. 475.2

Scala.

Scala Iacob. 58.1
Scandaloſi. 431.2

Scientia.

Scientiæ quantum charitas opituletur. 289.1
De modo & ordine ſciendi, ſententia D Bernardi. 290.1
Scientiæ vtilitas,ex Radulpho. 291.1
Scientia per aues figurata. ibid.

Scriptura.

Scripturæ ſacræ ſtudium, & lectio ſpiritualis commendatur. 447.1
Scripturæ ſacræ indagatio non ſit curioſa. 448.2

Sermo.

Vide *Verbum.*
Sermonum renouatio. 144.2
Sermonem renouat diſciplina ſilentij. ibid.
Eius bonus vſus. 312.1
Multum refert in religioſa communitate, non niſi de rebus diuinis ſermones haberi. ibid.
Diabolus loquitur per eos, qui vana & falſa loquuntur, & qui ſint ſermones diaboli, mundi, carnis. 313.1
& qui Dei. ibid.2
Sermones vani quàm Religioſis noxij. ibid.
Et qui non ſunt de Deo, quomodo vitari debent. ibid & ſeq.
Sermones ſæculares audiendi non ſunt. 314.2
Damna quæ ſequuntur ex auditu ſæcularium verborum. 315.1
Sermones diſpiciendi, & ſimplicitati columbinæ adiicienda ſerpentis prudentia. ibid.2
Solet dæmon nos palliatis ſermonibus decipere. ibid.
Damnum fucatorum ſermonum ſpeciem boni proferêtium, re autem vera venenatorum, vnde veniat. ibid.
Religioſis de Deo loquendum. 316.2
Sermones ſalutares ſagittis comparati, abſque carbonibus deſolatoriis, ſeu prunis ignitis. ibid.
Sermo Dei viuus. ibid.
Sermonum ſpiritualium fructûs commendatio, ex Chryſoſtomo. 317.1

Seruitium diuinum.

Seruitium diuinum minimè differendum, nec in dies procraſtinandum. 454.1

Seruus.

Serui Dei ſæcularia verba nunquam audiant, minus loquantur. 316.2
Serui Dei quæ minima ſunt, magna reputant. 334.2

Silentium.

Silentij diſciplina reformat ſermonem. 144.2
Silentium optima mater prudentiæ. ibid.
Silentium Religioſo, & Religioni vtile. 145.1
Vtilitet aliquando non ſilendum. ibid.2
Silentij modeſtia. 393.2
Silentij rumpendi facilitas. 394.1
Silentium noctu ſolicitiùs ſeruandum. ibid.2

Socius.

Socius, modeſtiæ religioſæ pars. 390.2
Solicitudo, vide *Cura.*

Somnolentia.

Somnolentia ſpiritualis feruida & veloci ſuſcitatione exeutienda. 131.2

Spes.

Spem cœleſtem vt alamus, ſpiritualia bona magis facienda ſunt. 471.2

Spiritus.

Spiritus renouatio. 127.1
Neceſſaria eſt, quoniam facilè inquinamur. ibid.
Spiritus renouatio animosè inſtauranda. 134.2
Spiritus quomodo per triduum renouandus. 139.2
In triduo, quo vtitur Societas ad renouationem ſpiritus, quid faciendum. ibid.

Subiectio.

Vide *Humilitas.*
Subiectionis veræ doctrina ex Antiocho Monacho. 147 2
Surgendi verbum. 131.2

Superbia.

Superbiæ genera duo. 107.2

Superior.

In Superioribus Deum præſentem habere quàm ſit vtile. 403.1
Superioribus nec replicandum eſt. 411.1
Suſtine, & abſtine. *Epict.* 142.2

Suſurro.

Suſurrones notantur ex S.Gregorio, & B.Dauide de Auguſta. 414 2

T.

Tempus.

Tempus redimere, id eſt, bene & ordinatè operari. 317.2
Tempus probè occupandum. 453.1
Quanta ratio habenda temporis bene & vtiliter occupandi. ibid.

Tentatio.

Tentationes, & doli dæmonum. 331.2
Vide *Dæmon.*
Doctrina Dauidis de Auguſta circa tentationes. 336.2
Tentatio quadruplex. ibid.
Mundus dupliciter nos tentat. 337.1
Quo pacto in tentationibus geri debeamus, ex Idiota. 338.1
Tentationes patientia & alacritate vincendæ. ibid.2
Salubertima S. Vincentij Ferrerij monita ad tentationibus præueniendum. 341.1

Tepiditas.

Tepiditatis cauſa, & periculum. 458.1
Aduersùs eos, qui propter tepiditatem periculum vocationis ſubeunt. 459.1
Aduersùs tepidos qui tentantur vt Religionem relinquant, doctrina S.Baſilij. 461.1
Tepiditatis remedium eſt conſiderare mala ipſius. 467.2
Tepiditas, ſeu acedia, quid, & quàm noxij eius effectus. 468.2
Tepiditatis remedia, ex Iob. 470.2

Tepidus.

Tepidorum genus primum. 455.1
Secundum. 416.2
Tertium. 457.1
Quartum. 462.1
Tepidi religioſi quomodo errent à via ſalutis. ibid.2
Tepidi à vocatione religioſa deficiunt. 464.1

Tepor.

Tepor generoſa & humili confidentia diuini auxilij executiendus. 472.2

Theman.

Theman Auſter. 467.2

Theſaurus.

Theſaurus,de perfectione. 15.1

Tribus rebus renouari, ſeu reformari debet intellectus. 140.1

Triduum quo vtitur Societas ad renouationem ſpiritus. 139.2

Triſtitia.

Triſtitiæ genera duo. 107.2

Turris.

Turris Babylonicæ hiſtoria. 138

V.

Verboſus.

VErboſi multi,taciturni autem pauci. 339.2

Verbum.

Verba quoque Saluatori noſtro placent. 145.2

Verba vitanda quæ. 146.1

Verba pinguia quid. ibid.2

Quid verba vetera. ibid.& ſeq.

Verba detractoria euitanda. 147.2

Verba hominum non ſpirituallum, etiamſi ſpeciem boni præferant, non facilè credenda. 315.2

Verba ſæcularia nunqnam audiant ſerui Dei,minus loquantur. 316.2

per Verba quomodo dirimatur charitas,ex S.Bernardo,vbi multa contra detractores. 412.2

Verbis ſæcularibus vnitas ſpiritûs violatur.425.1

Veſtis.

Vide 389.1

Veſtitus.

Veſtitus communis ad proximos lucrandos iuuat. 78.2

Victoria.

Victoriæ pars magna vincendi deſiderium.324.2

Vinculum.

Vincula,de peccatis venialibus. 132.2

Vinculis cordis noſtri dupliciter eripi poſſumus, illuſtratione Dei, & mortificatione noſtra. 133.1

S.Virgo Collecta. 410.2

Virtus.

Virtus perſeuerando intenditur. 135.1

Virtus magna in minoribus ſemper experimenta capit. 251.2

Minima virtutum officia exercenda. 257

Virtutes ſolidæ. 279.1

Virtutes aliæ veræ,falſæ aliæ. ibid.2

Aliæ non ſolidæ,& imperfectæ;aliæ ſolidæ,& perfectæ. ibid.

Aliquæ pictæ & apparentes; aliæ veræ, nondum tamen perfectæ,ſed pueriles,& teneræ. ibid.

Aliæ perfectæ, ſolidæ, & adultæ. ibid.

Virtutes apparentes quæ. 280.1

Virtutibus veris bona intentio neceſſaria. ibid.2

Neceſſaria diſcretio. 281.2

Virtutes ſolidæ quæ. 282.1

Virtutes nec ſolidæ,nec veræ, ſine humilitate,& mortificatione conſiſtent. 283.2

Virtus verè ſolida qualis ſit,ex ſententia Gerlaci Petri. 284.1

Virtutis maxima cura habenda. 285.2

Nullo modo faciendum eſt ingenium & ſapientia pluris, quàm virtus. ibid.

Doctrina & ſapientia humana, adiumentum & efficaciam trahit à virtute. ibid.

In vera virtutis ſapientia omnia mundi bona poſſidentur. 286.1

Virtuti ne humana præferatur ſapientia, curandum eſt. ibid.2

Sapiētia humana ſine virtute noxia erit.287.2

Viſio.

Viſio admiranda P.Ioannis Fernandij. 173.2

Vita.

Vitæ mixtæ præſtantia. 44.1

Vita communis. 76.2

Vitæ communis ratio à Chriſto Domino electa, quam S.Ignatius eſt imitatus. ibid.

Ieſus Chriſtus quomodo rationem habuit vitæ communis. 77.1

Vita communis in Chriſto & Apoſtolis quomodo pertineat ad perfectionem. 78.2

cum Vita communi componuntur multæ auſteritates. 80.1

Componuntur multi labores. 81.1

Componitur eximia paupertas. 83.1

Vita mixta. 84.2

Vitæ ordinatæ fructus. 328.1

Vitium.

Inſtituenda eſt particularis ſolicitudo alicuius vitij extirpandi. 105.2

De natura vitiorum, eorúmque peculiari impugnatione,ſententia Eutropij, & Bernardi. 107.1

Vitia principalia, quæ humanum genus infeſtant,octo narrantur. ibid.

Pro peculiari vitiorum virtutúmque examine praxis S.Ignatij. 109

Certamen contra quotidiana vitia. 339.2

Vitium virtute ſuperatur. ibid.

Vitulus.

Vitulus manſuetudinis patientiæ nota. 145.2

Mortificationis victimam quæ humilitati iuncta,ſignat. 246.1

Vnio.

Vnio fraterna. 426.2

Quàm vtilis ſit vnio. ibid.

Vnio animorum quàm iucunda,& læta. 427.2

de Vnitatis bono,ſententia S.Baſilij. ibid.

ad Vnionem conſeruandam mortificatio eſt neceſſaria. 429.1

Vnionem iuuat innoxia vita. 430.1

Vnionem religioſam bonum exemplum promouet. ibid.2

Vnionis fraternæ conſeruandæ maximum præſidium eſt,non quærere quæ ſua ſunt, ex Antiocho Monacho. 433.2

Vnioni religioſæ obſtare poteſt familiaritas ſæcularium. 436.1

ad Vnionem fraternam non tam diligi, quàm diligere,curandum eſt. 439.1

Exemplum vnionis etiam in defuncto, ex regula Eremitarum fontis Auellani. ibid.2

Exhortatio ad vnionem, ex P.Claudio Aquauiua. 440.1

Vnitas.

Vnitas ſpiritus violatur ſæcularibus verbis,multiloquio,& tepore bonorum operum. 425.1

Vocatio.

Vocationes religioſæ finem nobis proſtituere debemos. 466.1

Voluntas.

Digitized by Google

Voluntas.

Voluntas quibus rebus renouari, & reformari debeat. 141.2

Votum.

Vota religioſa. 243.1

Quàm ardua ſit victoria ſui per tria vota religioſa. ibid.

Quæ per tria religioſa vota relinquuntur, excellentiori modo relinquuntur. 344.1

Alia nonnolla circa tria vota religioſa. 347.1

Vultus.

Vultus hilaritas. 388.2

X.

XAuerius. 50.2

Apoſtolus Orientis nominatur. 52.1

Xenodochium.

Xenodochij conſideratio. 361.1

Xerxes. 142.1

Z.

Zacharias.

ZAcharias pater Ioannis Baptiſtæ. 170.1

Zelus.

Vide *Feruor.*

Zelus inferno comparatus. 45.1.2

Zeli diuini conditio. 48.2

Zeli ſancti actio ex oratione promanare debet. 53.1

Zelus animarum, vide *Anima.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google